BIBLIOTECA
COMPLUTENSE.
E. 58c. 9 N. 10

Digitized by Google

13-3-13

Digitized by Google

DER
N°. 17375

Digitized by Google

Digitized by Google

RERVM AQVITANICARVM COLLECTIO, NOVÆ BIBLIOTHECÆ MANVSCRIPTOR. LIBRORVM.

TOMVS II.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

Digitized by Google

Digitized by Google

RERVM AQVITANICARVM COLLECTIO, NOVÆ BIBLIOTHECÆ MANVSCRIPTOR. LIBRORVM.

TOMVS II.

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

Digitized by Google

NOVA
BIBLIOTHECA
MANUSCRIPTORUM
LIBRORUM

TOMUS II.

Digitized by Google

9 (44) / L 11 p

NOVÆ BIBLIOTHECÆ MANVSCRIPT. LIBRORVM

TOMVS SECVNDVS:

RERVM AQVITANICARVM.

PRÆSERTIM BITVRICENSIVM;

VBERRIMA COLLECTIO.

Hiſtorias, Chronica, vitas Sanctorum, ac ſimilia Antiquitatis monumenta, nunc primùm ex MSS. Codicibus eruta, copioſè repræſentans.

Operâ ac ſtudio PHILIPPI LABBE, BITVRICI, SOCIET. IESV PRESBYTERI.

D. D. D.

Illuſtriſſimo Viro NICOLAO FVCQVETIO, Regio in Pariſienſi Senatu Procuratori, & ſummo Gallici Ærarij Præfecto.

ex libris D. D. - de Radel

Biblio Caroli — epipi Monspe

PARISIIS.

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographum, ET GABRIELEM CRAMOISY, viâ Iacobæâ, ſub Ciconijs.

M. DC. LVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

SYLLABVS EORVM, QVÆ IN TOMO II. NOVÆ BIBLIOTHECÆ MSS. LIBRORVM, SIVE CORPORE RERVM AQVITANICARVM, CONTINENTVR.

UNIVERSIDAD CE... BIBLIOTECA DERECHO

SECTIO PRIMA.

Historiæ aliquot & Chronica paullò majoris momenti.

I. PATRIARCHIVM Bituricense præmittitur, siue Historia Patriarcharum Archiepiscoporum Bituricensium, Primatum totius Aquitaniæ, à S. Vrsino ad Iacobum Regium XCV. Archiepiscopum. *Ex codice MS. ipsóque, vt reor, scriptoris autographo; de quo eiúsque Auctore Monacho Ordinis Sancti Benedicti in Asceterio Sansulpitiano in Bituricensi Suburbano commorante, quem nonnulli dictum fuisse contendunt Benedictum Vernier, quædam annotauimus pagina 150. huius Tomi, quam consule.*

Ceterum Benedictus ille Vernier Monachus, idem mihi videtur, qui in Bibliothecâ Simlero-Gesnerianâ scripsisse memoratur Librum de SS. Sacramento Eucharistiæ, cui titulum fecit, Magnum & Vniuersale Concilium Ecclesiæ militantis super Eucharistiæ Sacramentum, quod instar Sacrosancti Concilij Nicæni trecentis decem & octo Patribus Orthodoxis constat: ex tot enim scriptoribus testimonia coaceruauit. Liber impressus Parisiis apud Niuellium anno Domini 1554. in 4. Hæc ibi, quæ nos Deo dante, illustrabimus Tertia Parte Bibliothecæ nostræ Vniuersalis Chronologicæ omnium Auctorum Virorumque Doctorum, qui ab orbe condito ad nostra vsque tempora floruerunt.

II. Chronicon ADEMARI Cabannensis, S. Martialis Lemouicensis primùm, ac deinde S. Eparchii Engolismensis Monachi, à principio Monarchiæ Franciæ, præcipuè verò ab anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXIX. vsque ad MXXIX. quo viuebat. Ex codicibus MSS. Bibliothecæ Thuanę, Collegij Claromontani Parisiensis Socie-

Digitized by Google

cietatis IESV, aliisque collatis cum exemplari V. C. Hadriani Valesii I. C. celeberrimi, ab anno duntaxat DCCCXXIX incipiente pag. 151.

Ademarus quis fuerit, & à quibus ortus parentibus, ipsemet edisserit, tum in hoc opere pag. 174. *Ainardus Præpositus ex Monasterio S. Petri Scotorienſi habuit duos fratres Abbonem & Raimundum ſtrenuiſſimos Duces, corpore robuſtos, animo bellicoſos, quorum trium ſororem Aldeardem accepit in matrimonium Raimundus Cabannenſis abnepos Turpionis Epiſcopi (Lemouicenſis) frater Adalberti Decani inclyti & Prepoſiti ex Monaſterio S. Martialis. Habuit ex eâ filium* ADEMARVM ENGOLISMENSEM MONACHVM, *qui hæc ſcripſit*, tum in ſuccincta Commemoratione Abbatum Lemouicenſium Baſilicæ S. Martialis Apoſtoli, quę edita eſt inferius pag. 272. *S. Turpio Epiſcop. obyit* VIII. *Kal. Auguſti. Ex cuius nepte, Officia nomine, nati ſunt Adalbertus Decanus, & Rotgerius, patre Fulcherio, in proprio rure hæreditario, quod vocatur Campanenſe, iuxta caſtellum Potentiam. Tertius quoque Raimundus iunior natu germanus extitit amborum, cuius ego ADEMARVS filius fui, matre Hildegarde (Aldearde.)* Deinde pag. 273. *Huius ſexto anno obiit Rogerius, frater Adalberti Decani, vir dariſſimus, & meus magiſter & patruus, ſexto* Kalendas *Maij: poſt eum 32. die mortuus eſt idem Abbas Hugo ſexto Kalendas Iunij, quorum animas tibi commendo Domine IESV.* Vnde patere arbitror vtrumque illud opus ab Ademaro ſcriptum fuiſſe paullò ante annum MXXXI. quo obiit Rex Robertus, de quo hæc reperies pag. 272. *Vgo Rex factus eſt, cuius filius Robertus Rex ſapientiſſimus & piiſſimus vſque hodie viuit.* Ideóque inſigniter hallucinari eos, qui noſtrum hunc Ademarum confundunt cum ADHEMARO nobiliſſimo & deuotiſſimo Monacho, cuius mentio habetur ſub finem Præfationis vitæ Ludouici Pij Imperatoris ab Anonymo Aſtrologo conſcriptæ & ad calcem libri IV. Hiſtoriæ Francorum à Monacho ſancti Germani ex Aimoino Floriacenſi Monacho, aliisque Auctoribus conſarcinatæ. Inter vtrumque enim ducenti minimùm clapſi ſunt anni. Sed hæc obiter: plura in II. Parte Bibliothecæ Vniuerſalis.

III. Conuentio inter VVILLELMVM Ducem Aquitaniæ Comitémque Pictauorum, & HVGONEM Chiliarchum de Liziniaco, incerto Auctore. *Subijcitur Chronico Ademari Cabannenſis in Codicibus Thuano, Collegij Pariſienſis Soc. IESV, aliiſque.* pag. 175

IV. Abbatiæ ſancti MAXENTII in Pictauenſi Diœceſi Chronicon, quod vulgò hactenus & à viris etiam eruditiſſimis dictum reperitur Chronicon MALLEACENSE, ab orbe condito ad annum Chriſti MCXLI. cum IVLII FLORI Prologo de Hiſtoriis, ſiue de Ætatibus ſæculi, quod opus Collector ille vocauerat Flores Hiſtoriarum à Nino primo Rege Aſſyriorum & ab Abraham, vſque ad Natiuitatem Chriſti. *Deſcripſimus reſectis inutilibus ex decumano Codice membraneo MS. qui fuit olim viri doctiſſimi Ioannis Beslyi & nobis cum pluribus alijs communicatus eſt à Clariſsimis Fratribus Petro & Iacobo Puteanis.* pag. 190

Ex Ademaro pluribuſque alijs Chronographis multa hinc inde verbatim fuiſſe deſcripta res ipſa loquitur. Vixit autem Racemator ille, ſi tamen vnus duntaxat fuit, labente Æræ Chriſtianæ duodecimo ſæculo, circa annum 1140. in Cœnobio, non Malleacenſi, ſed San-maxentiano, vt diſcimus, vel maximè ex ijs, quæ habentur

Digitized by Google

paginis. 212. Ignis combuſſit villam iſtam ſancti Adiutoris, Maxentij &c. & 220. Hunc ergo locum elegit Domini famulus Grimoardus eſſe dignum tantæ conſecrationis ob honorem & reuerentiam almi Confeſſoris Maxentij & Fratrum loci, ac ſimilibus.

V. PETRI Malleacenſis Cœnobij Monachi ad Goderannum Abbatem Malleacenſem libri duo de Antiquitate & commutatione in melius Malleacenſis inſulæ, & tranſlatione corporis ſancti Rigomeri: ſiue, qualiter ſuit conſtructum Malleacenſe Monaſterium & corpus ſancti Rigomeri tranſlatum. *Ex eodem Codice MS. Beſlyano.* Pag. 222

VI. De Monaſterii Malleacenſis deuaſtatione facta à Gaufrido de Leziniaco Narratio ſcripta circa annum 1230. ab Anonymo eiuſdem loci Monacho, qui turbis illis præſens interfuit; cum Diplomate Gregorii IX. Papæ de compoſitione litis ac controuerſiæ illius inter Malleacenſem Abbatem & Gaufredum Leziniacenſem, Dominum Voluenti & Maireuenti, dato Spoleti Kalend. Maij anno MCCXXXII. Pontificatus eius anno ſexto. *Eodem Codice MS. Beſlyano.* Pag. 238

VII. Hiſtoria Pontificum & Comitum Engoliſmenſium incerto Auctore ſcripta, quem Canonicum Engoliſmenſem fuiſſe & vixiſſe anno 1159. certum eſt, multáque deprompſiſſe, tum ex Ademari Chronico, tum ex ſcripto Hugonis Engoliſmenſis Epiſcopi, hominis aſtuti, eloquentis, & litterati, cuius elogium refertur pluribus cap. 22. tum ex aliis, vt ipſe in Præfatione ingenuè profitetur. *Ex tribus MSS. Exemplaribus, vno R. P. Frontonis Ducæi Soc. IESV, reliquis V. C. Joannis Beſlij, quæ dum hæc Typis cuderentur iuris erant V. C. Iacobi Puteani, poſtea verò eiuſdem Teſtamento ex Bibliotheca Puteana in Thuanam tranſierunt.* Pag. 249

VIII. Nomina ac geſta Lemouicenſium Epiſcoporum à Protopreſule & Primate Aquitaniæ Beatiſſimo Martiale, vſque ad annum MCCLXXIII. Auctore Fratre BERNARDO GVIDONIS Ord. Præd. Epiſcopo Lodouenſi. *Ex antiquo exemplari ſpeculi Sanctoralis inter Schedas Beſlyanas reperto, quo amplius poſtea, multiſque partibus locupletius Apographum nacti ſumus ſuo tempore promendum.* Pag. 265

Quo tempore vixerit Bernardus Guidonis ex ipſius Vita diſcet Lector, atque ex ijs, quæ poſt eam edita reperiet. pag. 311. & ſeqq.

IX. Commemoratio Abbatum Lemouicenſium Baſilicæ S. Martialis Apoſtoli, auctore ADEMARO Cabannenſi, Monacho Sancti Eparchii Engoliſmenſis, cui Monachus alter antea Henrici II. Regis Angliæ Capellanus HELIAS DE ROFFIACO nominatus, Appendicem ſeu continuationem eorundem Abbatum adtexuit ab alio quoque deinceps auctam, &c. *Ex Schedis Beſlyanis à V. C. Iacobo Puteano ſubminiſtratis.* Pag. 271

X. De Ordinibus Grandimontenſi atque Artigiæ & Monaſterio S. Auguſtini Lemouicenſis, auctore BERNARDO GVIDONIS, Lemouicenſi, ex Ordine Dominicano ad Epiſcopatum Luteuenſem aſſumpti. *Deſcripta à nobis ante decem aut duodecim annos ex codice 658. MS. inſignis Bibliothecæ Petauianæ.* Pag. 275

Quod verò pag. 277. dicitur S. Roricius I. Lemouicenſis Epiſcopus contemporaneus S. Amandi Confeſſoris & Eremitæ, & S. Iuniani, qui floruerunt temporibus

S. Remigij & Clodonei Regis Francorum, hoc veritati consentaneum non est, cùm anno 511. quo obijt Clodœueus, vix in lucem editus esset S. Iunianus. Plura de similibus Historiarum Parachronismis annotare visum fuerat, idque suadebant nonnulli, nec mihi res admodum operosa criticum in Chronologicis agere. Verùm re melius perpensa, id omne studium aliò transferendum & Lectoribus ad acuendam industriam nonnulla esse relinquenda censui.

XI. Chronica GAVFREDI Cœnobitę Monasterii Diui Martialis Lemouicensis, ac deinde PRIORIS VOSIENSIS in eadem Diœcesi Cœnobii, à tempore Roberti Pii Regis Francorum vsque ad annum MCLXXXIV. in duas partes distributa, suisque titulis, quales in MSS. Codicibus reperti sunt, ac Sectionibus, numerísque ad vitandam deinceps Lectorum molestiam, confusionémque, illustrata. *Ex veteri Turrium in Lemouicensibus Codice, alijsque MSS. quorum quatuor habui apographa VV. CC. Henrici Iustelli, Ioannis Bouchetij, Ioannis Beslij, & nostrum.* Prima pars in 74. capita diuisa, multísque referta obseruationibus ad Historiam nostratem ac Genealogias spectantibus, excusa est à pag. 279. Altera verò eiusdem Chronicæ Pars, siue Continuatio de præliis Regis Angliæ Henrici senioris & filiorum eius Henrici, Ricardi, atque Gaufredi, quæ in Lemouicino gesta sunt anno 1183. & de Henrici Regis Iunioris miserando obitu, in 28. minora segmenta distributa, à pag. 330

Cuias fuerit Gaufredus noster, quibusve ortus parentibus, quo tempore vixerit, scripseritque, non aliunde melius Lector addiscet, quàm ex hocce Chronico, cuius nonnulla loca obiter indicabo. Pag. 290. Genus illorum à temporibus Hugonis Regis qui cognominatus est Capucius, patris Roberti Pij Regis vsque ad præsentem annum succinctè replicabo. Ego siquidem Gaufredus ista dictaui anno Incarnationis Dominicæ MCLXXXIII. Philippi, qui fuit filius Ludouici, tertio anno, quo guerra grauissima fuit in Lemouicino inter Henricum Anglorum Regem & filium eius Henricum Iuniorem, qui tunc obijt in festo B. Barnabæ Apostoli. Ego quintum annum tunc Prioratus mei in Cœnobio Vosiensi expleueram. Pag 307. Ego Gaufredus eram tunc præsens puerulus in Schola. Pag. 311. Anno ipso in Octauis Dominicæ Ascensionis ego cum Gregorio Vosiensi benedictionem Monachalem à domino Petro suscepi. Pag. 313. Eufemiam habuit Ademarus de Breul, de quâ genuit Gaufredum patrem meum & fratris mei Ademari, quorum domus est in villa S. Mariæ Claromontis super Exidolium castrum. Pag. 316. Ista latiùs in libro Miraculorum S. Pardulfi narrabo, vbi multa de Sacro-sancto mysterio, ad correctionem multorum, si Deus permiserit, proposui tractare. Pag. 317. Geraldus Episcopus Cadurcensis apud Beneuentum fecit ordines in vigilia Mathæi Apostoli, neque ibi ordinauit Presbyterum. Pag. 318. Ego tunc Subterraneæ degebam, cùm genitrix mea die ipso apud Clarimontem Exidolij obiret. Hæc Lucia filia Bernardi Marchez de sorore Guidonis & Ademari seniorum de Nobiliaco, qui nepotes extiterunt Guidonis, Geraldi & Gulferij de Turribus. Pag. 320. Anno quo supra 1173. frater meus Ademarus miles obijt in festo B. Mariæ Magdalenæ. Pag. 321. Ipsáque die ad mensam ego recitaui Lectionem de Maccabæorum gestis. Pag. 324. Martinus Prior obijt Lemouicæ. Quo die loco illius ego deueni Vosias. Pag 338. Vosienses eminenti loco villæ quæ dicitur la Guarde, & ego cum quibusdam Monachis & Laicis procedens per publicam stradam cernebamus hora decima Regales exequias transire. Omitto quæ pagina 340. alijsque habentur, ex quibus de solo hactenus nomine

&

& paucis admodum notus Gaufredus, vniuersis per orbem Eruditis imposterum innotescet.

SECTIO II.

VITÆ, ELOGIA, TRANSLATIONES, miracula, plurimorum Sanctorum Sanctárumque ad Bituricensem Diœcesim spectantium.

I. SAncti AMANDI Trajectensis Episcopi vitæ summarium, siue Elogium. *Ex vetustissimo Ecclesiæ Bituricensis MS. Breuiario ad diem xxvj. Octobris.* Pag. 345

II. S. AMBROSII Caturcensis Episcopi in pago Bituricensi ad Ernonem fluuium defuncti vita. *Ex eodem vetustissimo Ecclesiæ Bituricensis MS. Breuiario ad diem xvj. Octobris.* pag. 346

Eiusdem Vita prolixioriac simpliciori stylo, *quam descripsimus ex Apographo Illustrissimi ac reuerendissimi Francisci Bosqueti Episcopi Montispessulani.* pag. 347

III. S. AVENTINI breue Elogium. *Ex vita eius in Promptuario Antiquitatum Tricassinarum, studio Nicolai Camuzati edita.* pag. 349

IV. S. AVSTREGISILI Bituricensis Archiepiscopi Res gestæ ac Miracula Auctoribus Antiquis, sed Anonymis. Liber primus ortum, res gestas ante & in Episcopatu mortémque complectitur. *Ex pluribus codicibus MSS. probatissimæ notæ.* Liber secundus Miracula præsertim aduersus raptores bonorum Ecclesiasticorum. *Ex veteri MS. codice membraneo Ecclesiæ Collegiatæ S. Austregisili, de Castro dictę, in suburbio Bituricensis vrbis.* Liber tertius Miracula ac Virtutes recentioris memoriæ circa annum Christi millesimum editas repræsentat. *Ex eodem MS. codice,* cui etiam debemus Elogium S. Austregisili olim illius tumulo marmoreo insculptum, à pag. 350. ad 364.

V. De sancta BERTOARA seu Bertrada. *Ex Lectionibus, quæ recitantur in Ecclesia Collegiata B. Mariæ de Salis, ex Iona Abbate in vita S. Eustasij Luxouiensis Abbatis, &c.* pag. 364

VI. Elogium Historicum S. DEODATI Abbatis. *Ex codice MS. Ecclesiæ S. Deodati super Ligerim, quo vita eiusdem sancti prolixior continetur.*

VII. S. DESIDERATI xxij. Bituricensis Archiep. Elogium Historicum. *Ex vetustissimo Bituricensis Ecclesiæ Breuiario MS. ad diem viij. Maij.* pag. 366

VIII. Vita S. DESIDERII Abbatis & Confessoris, *quam descripsimus ex Apographo Illustrissimi ac Reuerendißimi Francisci Bosqueti Episcopi Montispessulani.* pag. 367

IX. S. DVLCARDI Monachi & Eremitæ Elogium Historicum. *Ex Breuiario Bituricensi anno 1587. excuso, atque ex MS. codicibus Abbatiæ S. Sulpitij Bituricensis.* pag. 370

X. S. EVSITII, siue Eusicij, Cellensis ad Carum fluuium Abbatis primi, Elogium ex varijs collectum, ac deinde vita integra, *Descripta ex veteribus membranis, quæ penes me sunt.* pag. 371

Eiusdem sancti Eusicij Miracula, *descripta ex Bibliotheca Regia, aliisque codicibus calamo exaratis*, excusa sunt pag. 363

XI. S. EVSTADIOLÆ siue Stadiolæ, Abbatissæ vita. *Ex codice MS. Ecclesiæ Collegiatæ, dictæ vulgò Medij Monasterij, in ciuitate Bituricensi.* pag. 376

XII. Vita & Miracula S. GVILLELMI Archiepiscopi Bituricensis, nunquam hactenus publicam in lucem typis edita : Auctore quodam Canonico Bituricensi Anonymo. *Descripsimus ex codice MS. 851. Bibliothecæ Canonicorum Regularium S. Victoris ad muros vrbis Parisiensis.* pag. 379

Eiusdem S. Guillelmi vitæ ac rerum gestarum summa capita. *Ex veteri Breuiario Ecclesiæ Bituricensis ad diem x. Ianuarij ac dies Maij vij. xiij. & xiv.* pag. 388

Diplomata Summorum Pontificum Innocentij III. & Honorij III. circa Canonizationem eiusdem S. Guillelmi, *Ex Tabulario Capituli insignis Ecclesiæ Patriarchalis S. Stephani Bituricensis.* pag. 390

XIII. Translatio & Miracula S. GVNDVLPHI Præsulis, vtvolunt, Mediolanensis. *Ex codice MS. Ecclesiæ S. Austregizili de Castro.* pag. 386

XIV. S. IACOBI Eremitæ qui colitur in Ecclesia oppidi Capellæ-Gilonis Bitur. Diœcesis, Elogium Historicum. *Ex prolixiori vita decerptum, quod olim me legisse memini in veteri codice Monasterij S. Sulpitij Bituric.* pag. 395

XV. Elogium breue B. IOANNÆ Reginæ Francorum Biturigum Ducis, cum duobus diplomatibus LEONIS Papæ X. annis 1515. & 1517. concessis, in confirmationem Ordinis decem Beneplacitorum Sanctissimæ Virginis, siue Annunciatarum Virginum, Biturigibus ab eâ fundati, *descriptis ex ipsis Originalibus autographis quæ seruantur integra in Bituricensi Monasterio illius celeberrimi Ordinis Principe.* pag. 395

XVI. B. IOSBERTI Monachi in Ecclesia S. Mariæ, quæ est Dolo Monasterio, Elogium Historicum, *ex notis Coluenerij ad Thomam Cantipratensem.* pag. 410

XVII. Elogium Historicum S. IVSTI Confessoris, discipuli S. Vrsini primi Biturigum Antistitis. *Ex vetustissimo Ecclesiæ Bituricensis Breuiario MS.* pag. 410.

XVIII. Passio S. LAVRIANI Hispalensis Archiepiscopi prope Vastinum Diœceseos Bituricensis oppidum interfecti. Auctore seu potiùs vt ipsemet docet correctore Anonymo, qui vixisse Nono Christi sæculo videtur circà annum DCCCLX. cùm Vandelbertum laudet, tacito tamen illius nomine, his verbis: Quidam etiam nostri temporis Poëta describens Martyrologium Heroïco carmine per totum annum, &c. *Ex codice MS. Ecclesiæ S. Austregisili de Castro in suburbio Bituricensi.* pag. 411

XIX. Passio S. LEOPARDINI Monachi fratris S. Portiani Abbatis. *Hanc ex codice MS. Siluiniacensis Cœnobij partim descripserat, partim exscribendam curauerat R. P. Iacobus Sirmondus Soc. IESV.* pag. 415

Altera eiusdem vita priore contractior. *Ex veteri Lectionario Abbatiæ S. Sulpitij Bituricensis, quod nobis vtendum dedit R. P. Bernardus Audebertus religiosissimus Abbatiæ sancti Sulpicij quondam Moderator, nunc verò sancti Germani Prior meritissimus.* pag. 424

XX. Beatorum LEOCADII Senatoris, eiusque filii LVSORIS, qui in albis migrauit è sæculo, Elogia Historica. Ex *Gregorij Turonensis Historia*

Digitized by Google

Francica, & cap. XCIJ *libri de Gloria Confessorum.* pag. 425

XXI. Passio prolixior S. MARCELLI Martyris, eiúsque socij S. ANASTASII, prope castrum Argántomagense ad Crausiam fluuium. *Ex Apographo R. P. Iacobi Sirmondi Soc. JESV Theologi.* pag. 427

Eadem Acta ex prolixioribus contracta, cum duobus Hymnis & fragmento ex cap. 9. libri primi Vitæ S. Genulfi Cadurcensis Episcopi, aliisque nonnullis. pag. 429

XXII. Vita S. MARIANI Eremitæ. *Ex vetustissimo Ecclesiæ Bituricensis Breuiario ad diem 19. Septembris, Martyrologijs, Gregorio Turonensi, &c.* pag. 432

XXIII. Vita S. MENVLPHI Episcopi, qui in Abbatia eiusdem nominis in finibus Diœceseos Bituricensis, haud procul Borbonensi oppido, mortuus & sepultus est. *Ex codice MS. Ecclesiæ S. Austregisili de Castro & ex veteri Breuiario Bituricensi ad diem 12. Julij.* pag 433

XXIV. Vita sancti PHALETRI Confessoris. *Ex Legendario Ecclesiæ Carobryanæ, in finibus Biturigum & Turonum, atque è libello anno 1647. Parisiis excuso opera Francisci Brunelli Presbyteri.* pag. 435

XXV Elogium Historicum sancti PRINCIPINI Martyris, die xij. Nouembris. *Ex Domni Sebastiani Marcalij libro sexto Antiquitatum Siluiniacensis Prioratus* pag. 438

XXVI. S. SIGIRANNI Abbatis Elogium, & vita prolixior, *quam descripsimus ex apographo Illustrissimi ac Reuerendissimi D. Francisci Bosqueti Episcopi Montispessulani.* pag. 439

XXVII. SS. SILVANI, seu Siluini, SILVESTRI ac RODENÆ, qui die 22. Septembris coluntur in Leprosiensi Biturigum oppido, Elogium Historicum. *Ex vetustissimo* MS. *Bituricensis Ecclesiæ ad diem 23. eiusdem mensis, alijsque.* pag. 444

Adiunctum est Miraculum à B. Martino Turonensi Archiepiscopo, editum in illo Bituricensis Diœceseos vico, cui ex euentu Leprosi nomen impositum est. *Ex vita quadam* MS. *S. Siluani, cuius hoc duntaxat fragmentum nancisci licuit.*

XXVIII. Sanctę SOLONGIÆ Virginis & Martyris Elogium Historicum, Hymnus, & Lectiones nouem die x. Maij recitari solitę in vico tribus leucis dissito à Bituricensi ciuitate. *Ex Legendario veteri* MS. pag. 447.

XXIX. Miracula S. SVLPITII Pii, Archiepiscopi Bituricensis. Auctore Anonymo, sed antiquo, qui vitam eiusdem sancti Prę sulis se scripsisse profitetur. *Descripsi ex codice* MS. *851. Abbatiæ S. Victoris Parisiensis: in quo post vitam à RR PP. Joanne Bollando & Godefrido Henschenio editam sequuntur istæ virtutes miraculorum, quæ post transitum eius factæ sunt.* pag. 451

XXX. Elogium Historicum S. SVLPITII, cognomento Seueri, Archiepiscopi Bituricensis. *Ex Breuiario Bituricensi anno 1587. excuso.* pag. 453

XXXI. Vita S. VRSINI, siue Vrsicini, primi Biturigum Antistitis, Incerto Auctore sed recentiore, qui multa parum probabilia ex popularibus rumusculis collegit, quod plurium aliorum vitium est. *Descripsimus ex* MS. *codice 851. Cœnobij Canonicorum Regularium S. Victoris in Suburbano ciuitatis Parisiensis.* pag. 455

Sequuntur *ex vetustissimo Bituricensis Ecclesiæ Breuiario MS* Nouem Le-

Digitized by Google

ctiones, Antiphonæ ad Psalmos, Prosa, Hymni tres, non nulla alia eiusdem generis, quę licet, vt de similibus mediæ ętatis scriptis aliàs monui referta sint pluribus mendosis absurdisque narrationibus, fœdissimis parochronismis ac barbarismis inquinentur, satius tamen visum est publici iuris ea facere, tum ob ceteras causas, tum quòd pleriúmque minus eruditis hominibus, sed pietate cultúque in superos calentibus, ista quantumcumque doctioribus despecta, apprimè arrideant.

SECTIO III.

SELECTÆ VITÆ, ELOGIA, TRANSlationes, miracula aliquot, Sanctorum, Sanctarúmque ad Aquitaniam spectantium.

I. VIta S. ALMIRI Monachi & Confessoris. Incerto sed antiquo scriptore. *Ex veteribus Legendarijs Cœnomanensis Diœceseos.* pag. 469

II. Vita S. ALPINIANI Confessoris discipuli S. Martialis Aquitanorum Apostoli. *Ex varijs Codicibus calamo exaratis post vitam eiusdem S. Martialis.* pag. 472

III. Vita S. AMANTII Rutenensis Episcopi & Confessoris, auctore, vt volunt, Venantio Fortunato Pictauorum Episcopo. *Ex veteribus Legendarijs MSS. quibus adjuti restituimus ea, quæ Surius mutilauit, interpolauit, inuertit.* pag. 474

IV. Vita imperfecta ac magna sui parte truncata S. AMANDI Confessoris, discipuli S. Sori. *Ex veteribus monumentis Abbatiæ S Martialis Lemouicensis.* Feliciores si qui sint alij, integram subministrabunt. pag. 481

V. Gesta & Passio S. AVSTREMONII, primi Aruernorum Episcopi, soluta, strictáque oratione descripta, incerto Auctore qui sinceriori narrationi multa haud dubiè fabulosa intexuit, cum Reuelatione corporis, & variis eiusdem Translationibus ac Miraculis. *Ex veteri codice MS. Ecclesiæ Lirinensis, cuius Apographum dederat aliâs R. P. Iacobo Sirmondo Societ. IESV. V. C. Andreas Duchesnius Historiographus Regius.* pag. 482

Accessit additamentum, *partim Sirmondi, partim alterius manu descriptum:* Quod S. Austremonij ossa Mausiacum à Pippino Rege translata ibidem seruentur. pag. 505

VI. Vita S. BAOMIRI, siue Baumiri, Monachi & Confessoris. *Descripsi ex Apographo Illustrissimi ac Reuerendissimi Præsulis Monspellensis.* pag. 508

VII. Sancti BALSEMII Martyris Vita seu Passio integra: Auctore incerto, *cuius fragmenta quædam exhibuit Nicolaus Camuzatius in Promptuario Antiquitatum Tricassinarum ex codice MS. Prioratus Ramerudensis.* pag. 509

VIII. Breuis Chronica de vita & moribus ac scriptis & operibus Fratris BERNARDI GVIDONIS, ex Ordine Prædicatorum, Episcopi Lutcuensis in Narbonensi prima: Anonymo Auctore, sed coætaneo. *Ex codice MS. speculi Sanctoralis Bibliothecæ Fratrum Prædicatorum Tolosani Conuentus: cuius Apographum propriâ manu descriptum communicauit Illustrissimus ac Reuerendissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Monspelensis.* pag. 511. & sub finem Tomi huius II. pag. 820

Digitized by Google

Eiusdem Bernardi Guidonis Præfatio speculi Sanctoralis, cum tribus Epistolis, primâ eiusdem Bernardi ad Ioannem Papam XXII. Data Auenione anno Incarnati Verbi MCCCXXIV. Altera Ioannis XXII. Papæ ad Bernardum Lodouensem Episcop. scriptâ Auenione anno MCCCxxix. Tertiâ P. Aruernorum Episcopi ad Archiepiscopum & Capitulum Cantuariensis in Anglia Ecclesiæ. pag. 513

IX. Vita & Miracula S. CONSTANTIANI Abbatis & Confessoris. *Ex antiquis membranis Collegij huius Clarom. Parisiensis Soc. JESV descripta.* pag. 515

X. In vitam S. ELIGII, Nouiomensis Episcopi, origine Lemouicensis & Aquitani, Prologus S. AVDOENI Rotomagensis Archiepiscopi à Laurentio Surio, aliisque omissus, *Ex pluribus MSS. codicibus, qui vitam integram, ac primiæuo stilo florentem, nec interpolatam continent.* pag. 517

XI. Vita & miracula S. EPARCHII Confessoris Engolismensium patroni. *Ex speculo Sanctorali Bernardi Guidonis Episcopi Lodeuensis, pluribusque alijs MSS. Codicibus.* Pag. 519

XII Narratio de Miraculis in Translatione Reliquiarum sanctæ FAVSTÆ Virginis & Martyris & aliorum SS. patratis. *Cuius partem aliquam edidit Andreas Duchesnius Tomo II. Historicorum Coætaneorum Franciæ, ex Codice MS. Ecclesiæ Lemouicensis:* Nos cùm hæc iam typis essent excusa, animaduertimus integram illam Narrationem extare in Appendice ad Ianuarium mensem à RR. PP. Bollando & Henschenio publicatam. Pag. 525

XIII. Vita sancti FERREOLI Lemouicensis Episcopi & Confessoris: *Descripta ex Breuiarijs Lemouicensibus antiquis.* Pag. 527

XIV. Acta sanctę FIDEI, seu FIDIS, Virginis & Martyris Agennensis. *Ex quamplurimis calamo exaratis voluminibus vulgata* pag. 528

Sequitur liber de Miraculis eiusdem sanctæ FIDIS quæ requiescit in vicinia vici Conchacensis in pago Ruthenico, Auctore Anonymo, sed antiquo, quique vndecimo post Christum sæculo ex Historia sua vixisse deprehenditur. *Ex veteri MS. Codice Bisuntinæ Chiffletiorum Bibliothecæ descriptum misit ad me R. P. Petrus Franciscus Chiffletius, Societatis nostræ Theologus.* Pag. 531

Auctoris ætatem tum ex aliis discere licet, tum ex cap. XIV. vbi profitetur adisse se certo negotio domni Vvillelmi Pictauorum Comitis curiam, in eàque vidisse domnam Beatricem, quæ Ebalo Torennensi Vicecomiti nupta, ab eo postmodum deserta est, à Ricardo fratre suo Rotomagensium Comite illuc missam, &c.

XV. Vita S. FIDOLI Confessoris, in quâ Authoris inscitiâ confunduntur tempora, & quæ sub Theoderico Austrasię, siue Metensium Rege in Aruernis contigerunt, tribuuntur Theoderico Regi, Theodeberti fratri, Childeberti filio, & Brunichildæ nepoti: quódque minus etiam veritati consonum videtur, SS. Camelianus Trecensium Episcopus & Auentinus Abbas superstites perhibentur fuisse post annum Christi DXXX. quo Aruernorum prouincia ditissima à Theoderici Regis exercitu vexata est. Sed facessant procul ista, ne hic pro Indice Commentarium præfixisse videar. Neque tamen hoc erit inutile ijs, qui prolato ab Andrea Ducheſnio huius vitæ fragmento in grauissimum errorem fœdè prolapsi sunt. *Descripta porrò fuit ex nouem Lectionibus veteris Ecclesiastici Trecensium Breuiarij.* pag. 557

Additum est miraculum, quod deerat in Promptuario Tricassino Nicolai Camuzati, qui primus Anonymi sermonem de vita & miraculis eiusdem S. Fidoli Abbatis vulgauit, descriptum *ex veteri Codice MS. Cœnobij Clareuallensis.* Pag. 557

XVI. Excerpta quædam de sancto FLOREGIO Episcopo, cuius vitam integram, multis, vt ex hoc breui specimine apparet, fabulis refertam, nondum reperire licuit. In iis inter cætera fit mentio Clarii Abbatis Ruthenensis, & castri, quod Stagnum seu Stannum dicitur. Pag. 558

XVII. Elogium S. FRAMBALDI Abbatis, qui ex Aquitanica regione in Cenomanensem prouinciam profectus, locum solitarium in Condita Gabronensi à S. Innocentio Cenomanensi Episcopo accepit, in eóque ad obitum vsque perseuerauit. *Descripsimus ex veteri Breuiario Siluanectensi.* Pag. 559

Diploma seu testimonium authenticum de Releuatione Reliquiarum Ecclesiæ S. Frambaldi Siluanectensis iussu LVDOVICI VII. Regis Francorum anno MCLXXVII. Idibus Maij, eodémque præsente peracta. Pag. 560

XVIII. Beati GAVCHERII Confessoris, Fundatoris ac primi Prioris Aurelianensis in Lemouicino Cœnobii, sancto Ioanni Euangelistæ dicati. *Ex antiquo Codice MS. Ecclesiæ Lemouicensis.* Pag. 560

XIX. Transitus S. GENI, siue Hyginii, aut Eugenii Confessoris Christi, cuius corpus requiescit in Lactora ciuitate. *Descripsimus ex apographo speculi Sanctoralis Bernardi Guidonis Episcopi Lutauensis communicato à Reuerendissimo & Illustrissimo D. Episcopo Montispessulani.* Pag. 564

XX. Vita Beati ISRAELIS Canonici Doratensis in Comitatu Marchiæ, cuius discipulus fuisse dicitur S. Gauterius Stirpensis Abbas. *Accepimus missam Parisios ab amico nostro V. C. Petro Roberto, Marchianorum apud Doratenses Iudice primario.* Pag 566

XXI. Passio Sancti IVLIANI, Martyris & Patroni Briuatensis in Aruernia, de quo permulta variis in locis S. Gregorius Turonensis. *Ex Codice nostri Collegij, qui fuit aliâs S. Vincentij Metensis, aliisque, ac nominatim Sanctorali Bernardi Guidonis, &c.* Pag. 567

XXII. Vita sancti IVNIANI Sacerdotis & Confessoris, cum Prologo Boëtij Vvlfini Episcopi è Getica Sarmatarum gente originem trahentis, ad Godolenum Nobiliacensem Abbatem. *Nunc primum edita ex Apographo R. P. Iacobi Sirmondi Societ. IESV Theologi, quod contulimus cum veteribus probæ notæ membranis, quæ penes nos sunt.* Pag. 569

Auremundus S. Iuniani spiritualis filius & indiuiduus comes, minister, & discipulus, atque in Abbatis munere successor de rebus à magistro gestis scripsisse dicitur, sed perijsse arbitror. Vvlfinus verò incertæ sedis Episcopus floruit extremis temporibus Ludouici Pii Augusti Francorum Regis, meminítque Sigibrandi Pictauis Sacerdotio fungentis & Fulconis Archicapellani Basilicæ S. Hilarij Abbatis.

XXIII. Vita Sancti IVSTINI Confessoris, cuius corpus in partibus Vasconiæ conditum est in vico, qui vocatur Pertiniacus, cuius transitus celebratur pridie Nonas Maij. Verùm hæc multis de causis,

Digitized by Google

vt quædam aliæ, mihi ſuſpecta. Tu Lector iudex eſto atque arbiter. *Deſcripſimus ex Apographo ſpeculi Sanctoralis Bernardi Guidonis Epiſcopi Lodeuenſis communicato ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Franciſco Boſqueto Epiſcopo Monſpellienſi.* Pag. 579

XXIV. Vita S. LEOBINI Carnotenſis Epiſcopi & Confeſſoris, Antiquo Auctore, ſed Anonymo. *Ex multis Legendarijs Carnotenæ ac vicinarum Diœceſeon.* Pag. 582

XXV. Vita S. LICERII Conſerannicæ ciuitatis, quæ Pyrenæis Alpibus Galliam ab Iberia terminantibus affinis eſt, Epiſcopi, & Confeſſoris, incerto Auctore. *Deſcripſimus ex Apographo Sanctoralis Guidonici communicato ab Illuſtriſſimo Monſpellienſi Epiſcopo.* Pag. 588

XXVI. Vita beati MENELEI Abbatis Menatenſis in Aruernia, diuerſa ab ea, quam duobus libris conſignatam teſtatur R. P. Hugo Menardus in notis ad diem xxij. Martyrologii Monaſtici, niſi fortè ſit tantummodo fragmentum, quod tibi, Lector, ne periret, repræſentamus noſtrâ manu exaratum. Pag. 591

XXVII. Vita ſanctæ MONTANÆ Virginis, cuius feſtum quotannis colitur Kalendis Octobris. *Ex Legendario vici in Diœceſi Bituricenſi, qui ab eadem ſancta Montana cognomen vulgare ad hunc vſque diem ſeruat.* Pag. 593

XXVIII. Actus S. ORENTII. Epiſcopi & Confeſſoris, cuius corpus in Auxitanâ ciuitate requieſcit, & nonnulli verſus de ſanctis Archiepiſcopis Auxitanenſibus TAVRINO Martyre v. Septembris, & AVSTINDO Confeſſore xv. eiuſdem menſis. *Deſcripſimus ex Collectaneis illuſtriſſimi Domini Monſpellienſis Epiſcopi.* Pag. 596

XXIX. Vita S. PARDVLFI Confeſſoris, & Garactenſium in Marchiano Comitatu Patroni, ſcripta, ſeu potiùs emendata ab innominato Auctore ad Berthemarium Abbatem. *Ex veteribus noſtris membranis, & Apographo R. P. Iacobi Sirmondi Societatis IESV Theologi.* Pag. 599

Gaufridus Voſienſis Prior cap. xxxii. libri primi Chronicæ meminit IVONIS Cluniacenſis Prioris, viri Scholaſtici, qui Lemouicas deueniens, à Monachis S. Martialis obnixè rogatus, vitam S. Pardulfi, quę veraci fide quidem, ſed inculto ſtylo, conſcripta erat, luculenter exarare ſtuduit, Hymnúmque de eodem piiſſimo Confeſſore compoſuit, ita incipientem: *Fideles cuncti gaudeant*, &c. Ipſe quoque Gaufridus nonnulla initio & cap. xv. Chronicæ de S. Pardulfi Lipſanis ac virtutibus annotauit, & cap. LXIV pollicitus eſt ſe latiùs quædam narraturum in libro miraculorum S. Pardulfi, multáque tractaturum de Sacroſancto Euchariſtię myſterio: quod an pręſtiterit, necne, Eruditis Lemouicibus expendendum, inueſtigandúmque relinquo.

XXX. Acta, Tranſlationes, & Miracula S. PRVDENTII Martyris libris quatuor comprehenſa, quibuſdam carminibus identidem interiectis: Auctore Theobaudo Monacho Bezuenſis in Burgundiâ Cœnobii, in quo corpus Sancti illius requieſcit. *Deſcripta ex MS. Codice Trecenſi, miſit ad me R. P. Petrus-Franciſcus Chiffletius Societatis IESV Theologus.* Pag. 605

Ipſe verò Theobaudus famæ ſuæ conſuluit, nominíſque apud poſteros commendationi, additâ in fine libri quarti gemina Acroſtichide,

quam leges pag. 637. Vixit autem post annum à puerperio Virginis illibatæ MCXXVI. vt ex initio libri IV. discere licet, vbi meminit Ansirici Chrysopolitani Archipontificis, quem ferunt obiisse decennio pòst.

XXXI. Liber Tripertitus de vitâ, conuersatione, ac miraculis beati ROBERTI Abbatis, primique Fundatoris Casæ Dei in montibus Aruernicis. Auctore Bernardo quodam Monacho, vt ex capite XV. Distinctionis tertiæ apparet. *Ex Apographo Reuerendi P. Iacobi Sirmondi Societ. IESV.* pag. 637

Bertrandus iste Monachus in Prologo ætatem suam manifestat, dum asserit recitatis in I. & II. Distinctione B. Roberti miraculis admirandis, quæ ab eius gestorum scriptoribus breuitati operam dantibus prætermissa fuerant, in III. se illorum merita & nomina addidisse, qui B. Roberto in pastorali regimine Cœnobij Casæ-Dei vsq; ad præsens tempus, annum videlicet Incarnationis Dominicę MCLX. successerunt, & quorundam Fratrum, qui sub illis degentes signis & miraculis claruerunt.

Sequitur pag. 650. Prologus in vitam B. ROBERTI, Casę-Dei Abbatis, incerto Auctore, eiusdémque vitæ collatio cum eâ, quam Laurentius Surius ad diem XXIV. Aprilis edidit pro more mutilatam, & in aliam plerúmque formam breuitatis aut concinnitatis prætextu conuersam.

De eiusdem ROBERTI virtutibus & miraculis Narratio ad Stephanum Abbatem. Incerto Auctore, qui se M. Peccatorem nominat, asseritque se Beati viri vitam priùs scripsisse simplici sermone. Pag. 652 Accesserunt eiusdem B. Roberti breue elogium ex Martyrologio Ecclesiæ S. Iuliani Briuatensis, in qua Thesaurarij officio functus fuerat, & Catalogus Abbatum Casę-Dei, Anonymo Auctore Monacho eiusdem Cœnobij. Pag. 659.

XXXII. Vita sancti SACERDOTIS Episcopi Lemouicensis. *Editam ex veteri codice MS. anno superiori Tutellæ Lemouicum ad calcem eruditæ Disquisitionis Stephani Baluzij Tutellensis de sæculo, quo vixit idem sanctus* Episcopus, *contulimus cum Apographo peculi Sanctoralis B. Bernardi Guidonis Ordinis Præd. Luteuensis Episc. in quo nulla apparet vitæ in capita distributio: quam hic tamen ad maiorem Lectoris opportunitatem non prætermisimus.* pag. 661

XXXIII. Passio Sanctorum SAVINI ET CYPRIANI Martyrum in agro Pictauensi. *ex veteribus Legendarijs Lemouicensibus & Notis ad Litanias Pictonicas Reuerendissimi Rupipozæi Pictonum Antistitis.* pag. 665

XXXIV. Vita sancti SAVINI Eremitę & Confessoris, qui obiit VII. Idus Octobris, sepultúsque est in Leuitania, in loco qui dicebatur aliàs Æmilianum palatium, nunc autem sancti Sauini Abbatia, *ex cuius codicibus ista primùm emanarunt.* pag. 666

XXXV. Vita sancti SORI, Eremitæ & Confessoris in pago petracoricensi. *Descripsimus ex MS. codice 652. Bibliothecæ Thuanæ.* pag. 667

XXXVI. Vita sancti STEPHANI Thiernensis, de Mureto dicti, primi Patris Ordinis Grandimontensis in tractu Lemouicensi. *Ex nostro veteri codice chartaceo, cui etiam debemus, quæ de Translatione, Canonizatione à Clemente iij. Papâ, cuius Bulla refertur, & Releuatione corporis eiusdem sancti*

Digitized by Google

Confessoris, subijciuntur. pag. 674

XXXVII. Vita S. THEOBALDI Confessoris & Canonici Doratensis in Marchiano Comitatu. *Accepimus missam huc à V. C. Petro Roberto viro humanissimo apud Doratenses in Marchia iuridicundo Præfecto.* pag. 683

XXXVIII. Elogium sancti THEOFREDI Martyris. *Descripsimus ex Apographo Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini Francisci Bosqueti Episcopi Montispessulani.* pag. 684

Alia Passio adnectitur vberior quidem, sed à recentiore quodam Declamatore conscripta mendisque infecta. pag. 685

Placuit quoque nonnulla ex Chronicis eiusdem Cœnobij subiicere, licet quamplurimis parachronismis fœdata, & à sciolo quodam conscripta. pag. 618

XXXIX. Sancti VERANI Caullicensis in Prouincia Episcopi & Confessoris vita, incerto Auctore. *Descripsi ex Apographo Reuerendissimi atque Eruditissimi Episcopi Monspellensis.* pag. 690

XL. Vita sancti VICTVRNIANI Confessoris. Ex *Apographo eiusdem Illustrissimi Antistitis descripta.* pag. 695

Denique Pagina 696. Prologus in vitam Sancti VRSI Confessoris eiúsque vitæ à sancto Gregorio Turonensi Antistite scriptæ principium occurrunt. *Ex Codice MS. Abbatiæ sancti Albini Andegauensis O. B.* quæ cum antea editis iuuerit contulisse.

SECTIO QVARTA.

MISCELLANEA OPVSCVLA AD Historiam Aquitaniæ Sacram Prophanamque spectantia.

I. HAGIOLOGION Franco-Galliæ, ac præsertim Aquitaniæ & Bituricensis Diœceseos, excerptum *ex Antiquo Martyrologio membranaceo Abbatiæ Monialium sancti Laurentij Bituricensis Ordin. Benedict. quod varijs accessionibus identidem locupletatum, & iam ab anno* MDCXLIII. *à nobis ad calcem Romani Martyrologij in lucem editum est.* pag. 697

II. De Sanctis Ecclesiis & Monasteriis Claromontanis libelli duo Auctoris Anonymi, qui vixit circa annum DCCCCL. cum notis & obseruationibus Ioannis Sauaronis Præsidis & Præfecti Aruernię, qui primus edidit, dicauitque Francisco de Rupe-Fulcodia, Cardinali, Claromontano Episcopo. pag. 707

III. Illustrissimi ac Reuerendissimi HENRICI LVDOVICI CASTANÆI Pictauorum Episcopi, Notæ ad Litanias Pictonicas, quas ipse concinnauit, disposuit, vulgauitque. pag. 728

IV. De AQVITANIA breue opusculum innominati Auctoris. *Ex codice MS. 529. Bibliothecæ Thuanæ post Chronicon, quod Lemouicense indigitatur.* pag. 734

V. Breue Chronicon S. MARTINI MASCIACENSIS in Biturigibus ad Cyclorum Paschalium margines inspersum. *Ex codice eiusdem Monasterij peruetusto descripsit R. P. Petrus Franciscus Chiffletius Societatis no-*

Digitized by Google

ſtræ Theologus, & ad me perhumaniter cum ſequentibus Annalibus Diuione miſit Pag. 732. quæ ſi mens non læua fuiſſet Typothetis, debuerat eſſe. 736

VI. Annales Francorum ab anno DCCXXVI. vſque ad annum DCCXCVI. *Ex codice S. Martini Maſciacenſis peruetuſto.* pag. 733

VII. VIRZIONENSE Chronicon breuiſſimum ab anno Domini DCCCXLIII. ad annum MCCXXI. *Deſcriptum ab antiquo Regeſto aſſeruato in Abbatia S. Petri Virzionenſis per Dom. Claudium le Begue Superiore ſæculo in eadem vrbe Iuridicundo Præfectum, & communicatum ab eius nepote auunculo meo Dom. Philippo le Begue, Regio in Senatu Biturigum Præſide eloquentiſſimo.* pag. 737.

VIII. Fragmentum de PETRACORICENSIBVS Epiſcopis, ſiue Epitome Geſtorum quorundam Eccleſiæ Petragoricenſis Præſulum, ab anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXXVI. (quo tamen tempore Hugo Capetius Dux Francorum erat, nondum Rex) vſque ad annum MCLXXXII. *Auctore Anonymo. ex duobus Apographis calamo exaratis.* pag. 737

IX. Series Genealogica Dominorum DOLENSIVM & CASTRI-RADVLFI cum nominibus ABBATVM Monaſterij celeberrimi B. Mariæ BVRGI-DOLENSIS. *Ex veteri MS. codice* pag. 740

X. Narratio breuis de Archidiacono Claromontenſi, qui factus eſt Monachus S. Martini in Maiori Monaſterio prope Turonas. *Ex Apographo R. P. Iacobi Sirmondi Societ. IESV.* pag. 741

XI. Charta Reſtaurationis, Conſuetudines, & Iura Monaſterii REGVLÆ Ordinis Bened. ad Garumnam in Diœceſi Vaſatenſi. *Ex Tabulario eiuſdem Cœnobij, & ex veteri membrana ante quadringentos annos, vt quidem V. C. Ioanni Beſlyo videbatur, deſcriptâ.* pag. 743

XII. Charta & memoria, quòd BERNARDVS Comes Bigorræ conſentiente Clementia vxore, dedit ſeipſum Sanctę MARIÆ de Podio, & conceſſit ferre terram Bigorrę vnoquoque anno LX. ſolidos. *Ex veteri Regeſto membraneo, cuius titulus:* Hic eſt liber, in quo cenſus & debita Bigorræ in memoriam ſcripta ſunt, *communicato mihi cum pluribus alijs Gallicæ Antiquitatis monumentis à V. C. Antonio de Vyon, domino d'Herouual, Regiarum rationum Auditore humaniſſimo atque eruditiſſimo.* pag. 748

XIII. Diploma Fundationis Eccleſiæ S. PETRI MONASTERIENSIS in vrbe Anicienſi, ſeu Podienſi. *Ex ipſo Originali deſcriptum fuit.* pag. 749

XIV. Bulla Clementis Papę III. data in confirmationem iurium & priuilegiorum Abbatiæ S. GILBERTI DE NOVEMFONTIBVS, Ordinis Præmonſtratenſis, Diœceſis Claromontanæ. *Deſcripſimus ex Regiſtro MS. Borboniæ familiæ communicato à D. Antonio de Vyon d'Herouual* pag. 751

XV. Fundatio Capituli S. MARTINI ARTONENSIS in Aruernia. *Ex Apographo R. P. Iacobi Sirmondi Societ.* IESV.

XVI. Excerpta quędam de KARROFENSIS Cœnobii Priuilegiis. *Ex ſchedis eiuſdem P. Sirmondi.* pag. 755

XVII. Ordinationes factę per Vv. PP. Abbates S. Iouini, Nantolii, S. Auguſtini, S. Maxentii Præſidentes in Capitulo Prouinciali Lemouicis celebrato ab Abbatibus & Prioribus Clauſtralibus Prouinciarum Bituricenſium & Burdegalenſium anno MCCCLXVII. pag. 758

XVIII. Excerpta quędam ex Kalendariis Eccleſiæ Lemouicenſis

Digitized by Google

& Monasterii sancti Andreæ Claromontensis Ordin. Præmonstratensis. pag. 759

SECTIO QVINTA.

AQVITANICA ALIQVOT CONCILIA, & Constitutiones Synodales.

I. KARROTENSE Concilium celebratum Kalendis Iunij, anno circiter DCCCCLXXXVIII. certè ante annum DCCCCXC. quo obiit Hugo Episcopus Engolismensis, qui interfuit. *Ex codice Engolismensi Ioannis Tillij Meldensis Episcopi, cuius vidi plura Apographa manu Frontonis Ducæi, Iacobi Sirmondi, & aliorum descripta.* pag. 764

II. PICTAVENSE Concilium Idibus Ianuarij celebratum, Præside Siguino Burdegalensi Archiepiscopo, in quo præcedentis Karrofensis fit mentio. *Ex eiusdem Tiliani codicis Apographis Frontonio, Sirmondiano, &c.* pag. 765

III. ROMANI Concilij sub Gregorio V. Papa & Othone III. Imperatore anno DCCCCXCVIII. celebrati Canones IV. ad res Aquitanicas spectantes. pag. 765

IV. & V. Concilia duo BITVRICENSE & LEMOVICENSE: illud celebratum Kalend. Nouembris, anni MXXXI. Indictionis XIV. Hoc verò XIV. kalendas Decembris eiusdem anni & Indictionis, eodem vtrique præsidente AYMONE Archiepiscopo Bituricensi, mortuo iam ab aliquot mensibus ROBERTO PIO Francorum Rege, vt inuictissimo argumento ex Actis vtriusque illius Concilii petito probari potest, præter ea, quæ alibi in eandem rem adduximus. *Denuò collata diligenter cum codice MS. 92. Bibliothecæ Thuanæ atque edita* pag. 766. 786. & sequentibus.

Corroboratio multorum Episcoporum de S. Martiali Apostolo in Bituricensi Concilio subiicitur pag. 797. omissis aliis, quæ ad eiusdem aut discipulorum eius Alpiniani & Austricliniani, S. Valeriæ Virginis, &c. Laudes, Translationes, Releuationes, ac Miracula, necnon Ecclesiarum aliquot Lemouicensium, Dedicationes, vulgari poterant.

VI. Constitutiones Synodales Reuerendissimi in Christo Patris ac Domini Domini ANTONII BOHIERII Archiepiscopi Patriarchæ Bituricensis Aquitaniæ Primatis editæ pag. 798

Cætera quæ ad castigationes & obseruationes ad Patriarchium Bituricense Anonymi scriptoris pertinent, totumque Promptuarium Bituricensium Antiquitatum, quæque paginis 150. & sequenti polliciti eramus, ad III. IV. aut aliquem alium, si Deus conatibus nostris annuerit, Nouæ nostræ Bibliothecæ Tomum referenda erunt. Tu interim Lector, vale, faue, ac pro nobis, quod obnixè rogamus, Deum Opt. Max. deprecare.

SYLLABI FINIS.

NVPERI SCRIPTORIS PASCHALIS FRANCISCI de la BROVSSE Senatoris Burdegalensis V. C. perplexissimæ Dissertationis de Primatu Aquitaniæ præmissa in antecessum

REFVTATIO.

RELIQVVM est, *inquit terssissimus iuxta atque eruditionis omnis in Gallia Princeps Sirmondus ὁ μακρείτης libri ij. Propemptici de Ecclesijs Suburbicarijs capite 8.* vt de Galliæ Primatibus inquiramus. In quo mirum est hospitem TE adeò & peregrinum in patria tua esse, vt hos etiam credas omni extra prouinciam suam auctoritate caruisse.

*RIDEBVNT enim TE vel pueri Lugdunenses, qui in vrbe sua Primatis tribunal vident, ad quod dirimuntur ex subiectis prouinciis allatæ controuersię. EXPLODENT paullò eruditiores, allegabúntque ad Gregorij VII. Epistolam libri vj. xxxv. in qua Primates institutos docet, vt ad illos iniustè oppressi confugiant, eosque appellent, ab iisque Episcoporum causæ & summorum negotiorum iudicia terminentur, tum deinde Rotomagensem, Turonensem, & Senonensem Metropolitanos hortatur, vt Lugdunensi Primati suo eum honorem & reuerentiam exhibeant, quem ipsi sibi à suffraganeis suis exhiberi velint, &c.

* Est etiamnum Biturigibus Tribunal Officialis Primatiæ Iudicis, ad quem ab Officiali Diœcesano ac Metropolitano fiunt prouocationes, summo Pontifice, Rege Christianissimo, supremo Senatu, ac bonis omnibus spectantibus & probantibus.

Atque vt BITVRICENSIS quoque AQVITANIÆ PRIMATIS non disparem fuisse rationem intelligas, proferent ad extremum, tum alia huius Ecclesiæ vetera monumenta, tum SIMONIS ARCHIEPISCOPI, qui ante CCCL. ferè annos, id est paullo antequam se BVRDEGALENSES subducerent, sedem illam rexit, integra, quæ adhuc extant, Itineraria & diaria, quæ te AQVITANIAM SECVNDAM ab illo PRIMATIS IVRE perlustratam, omniáque in ea, quæ Primates solent, administrata fuisse perdoceant.

Quid nunc censes, *Clarissime* BROVSSI? an hæc Lugdunenses aut Bituricenses Primates extra primas prouincias iuris in alijs nihil habuisse demonstrant? Iudiciorum appellationes, prouinciarum visitationes, animaduersio in reos, imperata Metropolitanis obedientia & præstita, nudúmne, & re ac potestate vacuum Primatum honorem indicant, an eos potius, qui hoc sibi persuadeant, iudicio sensúque omni vacuos esse declarant?

Hæc & alia plura sapientissimus doctissimusque scriptor verissimè dixit, quibus abundè refelli queat Burdegalensis Vindicis intricatissima simul ac mendosissima de Primatu Aquitaniæ Dissertatio, quæ cùm postrema hæc B. N. pagina è prælo exiret, in manus meas venit, donec Illustrissimi ac Reuerend. in Christo Patris ac Domini D. ANNÆ DE LEVI VENTADORII *Bituricensis Archiepiscopi, Aquitaniæ Primatis ac Patriarchæ, iussu ac diligentia, publicam in lucem prodeat liber, hoc titulo:*

IVRA BITVRICENSIS ARCHIEPISCOPI in Aquitaniæ Primatum.

Quibus Nuperi scriptoris Dissertatio non inanibus conjecturis, nec per ambages, sed rectà, atque ex Actis publicis, solidè refutabitur.

PATRIARCHIVM

Digitized by Google

PATRIARCHIVM BITVRICENSE

ANONYMI SCIPTORIS.

Cum notis, emendationibus, atque Appendiçibus,

ANTIQVITATVM BITVRICENSIVM
Promptuario vberrimo.

Ex Titi Liuij Decadis 1. Libro V.

CELTARVM, quæ pars Galliæ Tertia est, penes BITVRIGES summa Imperij fuit. Ii Regem Celtico dabant, &c.

Ex Helgaldo in vita Roberti Regis Franciæ.

GAVZLINO fratri suo Robertus Rex attribuit honores non minimos, Abbatiam Sancti Benedicti quæ est caput totius Ordinis Monastici, & EPISCOPATVM BITVRICENSEM sancti Protomartyris Stephani, Principatum tenentem totius AQVITANIÆ, qui fuit & est HONOR ET DECVS FRANCIÆ.

Ex literis Philippi Augusti ad Innocentium III. Papam.

ECCLESIA BITVRICENSIS licet tenuis in facultatibus, inter alias tamen regni nostri Ecclesias existit nobilior, &c. cùm sola Bituricensis Ecclesia in toto regno nostro PRIMATIÆ obtineat dignitatem. *Quod qua ratione dici verè tum potuerit, exponetur diligentiùs in Promptuario.*

Digitized by Google

HISTORIA PATRIARCHARVM, ARCHIEPISCOPORVM BITVRICENSIVM,

PRIMATVM TOTIVS AQVITANIÆ,

A S. VRSINO AD IAC. REGIVM.

Anonymo Auctore Monacho Sanſulpitiano in ſuburbio Bituricæ ciuitatis Ordinis Benedictini.

UNIVERSIDAD BIBLIOTECA DERECHO

PRÆFATIO.

DE BITVRIGVM ORIGINE ET ANTIQVITATE.

BIturiges Aquitanorum primarij eſſe noſcuntur; vtque Romani toti orbi, omnibus Aquitanis præſident Bituriges: ijs poſt vniuerſale diluuium (quum multiplicaretur in immenſum genus humanum, & ad comparandas nouas ſedes neceſſitas compelleret) deſcendentibus ab Armeniâ in Regionem (cui ab obliquis fluminum aquis Aquitaniæ vocabulum eſt) & tandem ſuper quendam egregium atque preclarum collem (quo Bituriam Metropolim condiderunt) conſedentibus placuit primum Bitogiges appellari. Sed inde corrupto vocabulo, vt Bituriges vocentur, conſuetudo inualuit. Eſtque nomen vrbi indictum Biturix, ſeu Bituris, quod quidam exiſtimaueruntà duabus molis immenſæ Turribus dici, ſed propius vero eſt ab Ogyge Bituriges, id eſt, filij Ogygis cognominari: ſi quidem hæc vox (bit) apud Arameos & Talmudiſtas (teſte Annio in commentarijs Antiquitatum) idem ſonat, quod filius. Ogyges autem (vt Beroſus & Methaſtenes tradunt) dictus eſt Noë Patriarcha, & in eo quòd diuino regimine inundationes cataclyſmi euadens extructâ arâ, Deo Optimo Maximo ſacrificium deuotus obtulerit, id nomen tulit, quod interpretatum dicitur illuſtris, ſacer, ſeu ſacrorum Pontifex. Cuius religioſitatem virtutémque Bituriges probè æmulati, vt ipſius etiam officij dignitate illuſtriores efficerentur, ſicut & nominis vocabulo inſignes fieri dudum meruerant, obtinuerunt. Ij enim quemadmodum ceteræ nationes ab eodem ſeniſſimo parente Noâ Ogyge edocti Theologiam & ſacros ritus, ea quæ piè ab initio didicerant conſtanter & incorruptè diutiſſimè ſeruantes vſque ad Nini totius Orientis Monarchiæ tempora erga vnius ſummi ac veri Dei cultum deuoti permanſerunt. Verum quum idem Ninus (qui cæca dominandi cupidine primus omnium vicinis ſuis bella intulit) patri ſuo Belo ſæuâ manu parearum interceptoimaginem in lenimentum acerbi luctus confinxiſ-

ſet, concedens omnibus reis ad eam confugientibus ſecuritatem, & hoc exemplo ceteri hominum huiuſmodi ſimulacra illis (quos honorare volebant) ſimiliter facerent: poſtremò tantùm ſibi hominum furor indulſit, vt mortalium quibuſdam diuinos honores decernere non dubitauerint, ſicque interueniente tempore, & paulatim conualeſcente iniquâ conſuetudine contigit pro creatore figmentum adorari, pro vero Deo diabolum in idolis coli. Hic (proh nephas!) hominem auctoris ſui prima cœpit obliuio: hic veræ pietatis ignoratio: hic illæ tenebræ idololatriæ ortæ creduntur, quibus eò proceſſit humana temeritas, vt etiam ignem, aëra, mare, terram, Solem, Lunam, ceteráſque creaturas (velut ſuum omnibus ineſſet numen) diuinitatis nominibus conſecrauerit; Hic (proh dolor!) vniuerſa mala inundauerunt ſuper terram, quippe idolorum cultura, vt quidem legitur in lib. Sapientiæ) omnis mali cauſa eſt & initium & finis. Nam neque vita, neque nuptiæ mundæ iam cuſtodiebantur, ſed omnia commixta erant, ſanguis, homicidium, furtum, adulterium, corruptio & infidelitas, fictio & periurium, oppreſſio & tumultus. Quibus criminibus antequam ſuccurri potuerit, tota penè infecta eſt noſtri generis maſſa, corrupta natura, imbuta poſteritas. Quamobrem vt proluberentur inſultus prauorum aduerſus bonos, quum debuiſſet populum ſine vi pudor ipſe regere, virtutis amor tenere, oportuit hominem homini, hoc eſt, æqualem ſibi quidem naturâ, ſed virtute ſuperiorem, præſidem ac iudicem conſtitui; Quem ad huius dignitatis faſtigium non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio proueheret, vt viribus pollens, violentos coërceret, mediocres defenderet, ac bonos dignis pro meritis promoueret. Hac igitur ratione dum vnaquæque gens ſibi rectorem eligeret, Biturigibus (qui tunc famæ ſuæ nitore clariores apparebant) ceſſere faſces Imperij Gallorum. Cuius rei conſtans aſſertor Titus Liuius fons totius eloquentiæ ſic inſit libro quinto primæ decadis, *Celtarum (quæ pars Galliæ tertia eſt) penes Biturigeſ ſumma imperij fuit, ij Regem Celtico dabant.* Itaque Biturigum prouidentia & diſpoſitione diu regnatum eſt in Gallis antequam Romanorum amplificaretur imperium. At vbi Iulij Cæſaris conſilio, arte, & patientia magis quàm robore militari ſuperati Galli, Romanis ſub tributo ſeruire ſunt compulſi, Biturigeſ quidem contigit ſpoliari inſulâ Imperij, ſed apud illos Pontificiæ dignitatis ſuprema majeſtas remanſit inuiolabilis. Erant enim ipſi admodum dediti religioni, ijque qui rebus diuinis & vanæ idolorum ſuperſtitioni præerant Primi Flamines dicebantur. Quorum vice à tempore, quo Chriſtianum nomen inclaruit, Primates & Patriarchæ fuerunt inſtituti. Dei namque Filius ſecundùm plenitudinem temporis (quam diuini conſilij inſcrutabilis altitudo diſpoſuit) aſſumpta noſtræ humanitatis ſubſtantia, necnon & forma, quum ad ſuæ fidei deuotionem vniuerſas gentes per Beatorum Apoſtolorum prædicationem miſericorditer inuitaret, vbi Ethnicorum Primi Flamines erant (vt quidem Sanctus Clemens dignus Apoſtoli Petri ſucceſſor tradit) Primates vel Patriarchæ ſunt diuina ordinatione conſtituti. Quibus autem Archiflamines præfuerant, deſtinati feruntur Archiepiſcopi, Flamines vero ceſſere loco Epiſcopis. Adde quia Biturigeſ (vt aliquanto prius eſt intimatum) ſummam rerum tenuerunt, decuit propenſiore diuinitatis conſilio, vt vbi olim extitit poteſtas imperialis, ibi foret Sedes Patriarchalis. Quæ quidem (vt maiorum noſtrorum traditione tenemus) Sedes eſt Sanctorum quippe quæ aut Sanctum recipere, aut Sanctum facere, vel certè indignum citius reiicere ſoleat: Eſtque illa Sedes, illa Eccleſia adeò inſignis, vt præter Beati Petri Cathedram inter vniuerſas Metropoles, ſpeciali gaudeat priuilegio dignitatis. Nec precium aberit operæ, ſi quot exiſtant Metropoles (ſuper quas Primatum gerit Patriarcha Bituricenſis) huc obiter adduxerimus.

Primus horum ac nobilior cenſetur Archiepiſcopus Burdegalenſis, cum ſuis nouem ſuffraganeis Epiſcopis, ſcilicet Pictauenſi, Xantonenſi, Angoliſmenſi, Petragoricenſi, Agenenſi, Condomenſi, Malleacenſi, Lucionenſi & Sarlatenſi.

Secundus eſt Tholoſanus Archiepiſcopus, cum ſuis ſeptem ſuffraganeis, Appamicenſi, Mirapicenſi, Montalbanenſi, Vaurenſi, Riuenſi, Lombaricenſi, & Epiſcopo ſancti Papuli.

Tertius ſequitur Narbonenſis Archiepiſcopus cum ſuis decem ſuffraganeis, ſcilicet Carcaſſonenſi, Biterrenſi, Agathenſi, Lodouenſi, Sancti Pontij, Electenſi, Nemauſienſi, Magalonenſi, Vticenſi, & Elnicenſi.

Quartus ſuccedit Auxitanenſis Archiepiſcopus cum ſuis decem ſuffraganeis

Episcopis..... Aquensi in Vasconia, Lectorensi, Conuenensi, Conseranensi, Tarbiensi, Olerensi, Vasatenensi, Baionensi, Lescurensi, & Adurensi.

Ceterum præter memoratos Præsules Reuerendissimus Patriarcha Bituricensis subsequentes habet suffraganeos iure Metropolitanæ dignitatis.

Horum primus atque Decanus noscitur esse Dominus Episcopus Claromontensis, secundus Episcopus Sancti Flori, tertius Episcopus Vabrensis, aliàs Vbiensis, quartus Episcopus Tutellensis, quintus Episcopus Castrensis, sextus Episcopus Ruthenensis, septimus Episcopus Caturcensis, octauus Episcopus Lemouicensis, nonus Episcopus Mimatensis, decimus Episcopus Albiensis, vndecimus Episcopus Aniciensis seu Podiensis, inde exemptus.

Sequuntur autem Abbates Bituricen. Diœcesis, inter quos non comprehenduntur Abbates Cistercienſis Ordinis.

Abbas sancti Sulpicij, Abbas sancti Ambrosii, Abbas Plenipedensis, Abbas de Podio Ferrandi, Ab. Sancti Gildasij, Ab. de Exolduno, Ab. de Casali Benedicto, Ab. de Massayo, Abbas de Miserayo, Abbas Fontiscombaudi, Abbas de Millebecco, Abbas Sancti Genulphi, Abbas Sancti Satyri, Abbas de Virzione, Abbas de Cellis Sancti Eusitij, Abbas Sancti Sigiranni in Bresna, Abbas de Vernucus, &c.

CAPVT PRIMVM.

De sancto Vrsino primo Biturigum Archipræsule, & de conuersione eorundem ad fidem catholicam.

PRimus igitur insignis Ecclesiæ Bituricensis Pontifex fuit S. VRSINVS, vir certè per omnia Apostolicus, atque ita diuinæ sapientiæ affluentiâ plenus, vt & fidelium populorum mentes ad felicitatem perennis vitæ desiderandam dulcedine quadam, ac venustate sermonis ardenter accenderet; & gentilium animas diabolicæ fraudis commento deceptas, ad vnius veri & æterni Dei culturam, Euangelicæ doctrinæ fulgore facilè conuerteret. Hunc fuisse Nathanaëlem illum Euangelicum; quem venientem ad se humani generis pius Saluator tantâ laude dignum æstimauit, vt de eo sequentibus se discipulis diceret, *Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est*, scriptor vitæ ipsius in præfatione sua meminit. Quod quidem & ego (vt verum fatear) pertinaciter defendendum pridem suscepi; sed inde huius rei causâ à me diligentius exploratâ, & tandem diuino nutu veritate compertâ nunc vt longè diuersa sentirem, vix adductus sum duabus potissimum rationibus; Vnâ, quia inter Historiographos tam variæ, tamque diuersæ sunt opiniones de hoc Nathanaële, quòd cælum potius scindetur aratro, prius claua Herculi extorquebitur, quàm cui magis credi debeat rectè diiudicari possit: siquidem Antoninus Florentinus historiarum parte prima, titulo sexto, capitulo vigesimo quinto, §. 5 Et Guillermus de Nangis in Chronicis Francorum in anno Dominicæ Incarnationis quinquagesimo primo, nec non Petrus Rossetus in libro Pauli, sed & multi alij dicunt sanctum Vrsinum esse ipsum Nathanaëlem Euangelicum: Verùm huic opinioni apertè reclamat Petrus de Natalibus in catalogo Sanctorum, capitulo nono libri primi hæc subinferens, Nathanael Christi discipulus à plerisque scribitur fuisse alio nomine vocatus Vrsinus, qui ab Apostolis Episcopus Bituricensis Ecclesiæ constitutus, post completum prædicationis officium in Deo feliciter requieuit, 4. Kal. Decembres, quod tamen falsum esse reputatur: nam corpus huius Nathanaëlis apud Tungrensem ciuitatem quiescit, corpus verò beati Vrsini in Bituricensi vrbe sepultum veneratur. Hactenus Petri de Natalibus verba recensuimus, quibus omnifariam refragatur Rupertus Tuitiensis in Commentariis super Euangelium Ioannis capitulo secundo, dicens eundem Nathanaëlem esse diuum Bartholomeum Apostolum. Sequitur altera ratio non profectò tam mihi quæsita, quàm vltrò oblata; Beatus siquidem Gregorius Turonensis Ecclesiæ quondam antistes dignissimus, vir vtique cui omnia veterum literarum quæsita, meditata, euulgataque sunt; & qui præter totius sanctitatis insigne, etiam antiquitatis iure omnibus præmissis Historicis & authoribus longè est præferendus, dicit, atque pro comperto affirmat in libro primo historiarum, capitulo 28. & in

libro decimo, cap. trigesimo, quòd Decij Imperatoris anno primo (qui secundum Eusebium Cæsariensem fuit Dominicæ Incarnationis ducentesimus quinquagesimus tertius) sanctus Gatianus primum Turonis fidem Christi nunciare sit exorsus, cum quo videlicet Gatiano Beatus Vrsinus Apostolus & Legislator noster (vt ex ipsius vitæ decursu luculenter apparet, & vt testimonium perhibent hi, qui gesta illorum temporum conscripserunt) à Romanæ sedis Præsule missus est in Gallias, quatenus per eius prædicationem, apud Bituriges Christianæ fidei lumen splendidissimum posset oriri. Denique id verum esse quod posterius diximus, sequens ratio euidentius demonstrabit. Constat enim diuum Simplicium Bituricensem Archiepiscopum floruisse sub Zenonis Imperio, quia ad ipsum & de ipso multa scripsit Sidonius Apollinaris vir profectò sanctitate & eruditione insigniter clarus, qui (vt penè omnes Historici loquuntur) isdem temporibus Aruernensem regebat Ecclesiam. A quo quidem tempore si ordine præpostero singulorum Bituricorum Præsulum annos gradatim computando redieris ad Vrsinum, haud dubio inuenies eundem Vrsinum cepisse, vt dictum est, tempestate memorati Decij principis. Quia ergo ab Ascensione Domini vsque ad illud tempus, quo imperante eodem Decio Vrsinus & supradictus Gatianus pariter Galliarum fines ingressi sunt, fluxerunt anni plusquam ducenti, absurdum est, & à ratione prorsus alienum existimare, quòd idem Vrsinus sit Nathanael ille Euangelicus, & quod cum Beatus Apostolus Petrus, vel vt alij dicunt, successor Petri Clemens ad hanc Aquitanorum prouinciam direxerit. Cæterum vt dicere institueramus, beato Gatiano & alijs pluribus sanctis viris (qui in actibus diui Iuliani Cenomanensis Episcopi leguntur) singulis proficiscentibus ad ciuitates sibi per diuinam prouidentiam designatas, sanctissimus Patriarcha Vrsinus cum suo tantummodo discipulo, meritis & nomine Iusto, Biturigensium fines, ducente Spiritu Sancto, ingressus est. At cum ipsius ciuitatis mœnia iam ingredi deliberaret, vt Euangelicæ prædicationis semina ibidem spargeret; contigit eundem discipulum eius nono ab vrbe miliario grauiter infirmari. Quo defuncto atque non sine magno cordis dolore super alueum Vtronis fluminis sepulto, beatus Vrsinus licet tristis tamen fidei calore succensus, & Domini auxilio munitus, ad eandem ciuitatem solus perueniens salutare omnium Christum Dominum populo adhuc gentilitatis errore inuoluto cœpit Euangelizare, anno virginei partus ducentesimo quinquagesimo tertio. Ad cuius salutiferæ doctrinæ fluenta haurienda primum quidem pauperes sitibundi cateruatim confluentes, deinde & magnates ipsi certatim ad eum audiendum conuenientes, mox percepta eius prædicationis doctrina, omnes diuinitus illuminati, relictis idolis, fidem Domini nostri IESV-Christi & cultum veræ religionis incunctanter amplexi sunt. Quamobrem statim infremuit aduersus humilem Christi famulum Pontificum idolorum zelus, superstitio, seditio, auctoritas, & copijs armata potentia, siquidem Mithio Archiflamen & ceteri prophani ritus factioli ministri ægrè ferentes erroris antiqui venefica detegi, vanæque superstitionis sacrificia contemni, accensis pariter furore animis, Deorum suorum contemptum sanxerunt beati viri ludibrio vleiscendum, nullo non iniuriarum genere debacchantes in illum. Denique ijdem sacrilegi impatientes iræ, atque insita sibi nequitiæ rabie fœuientes, vitæ æternæ sponsorem certissimum fustibus cedunt, insectantur lapidibus, & (vt quidam egregiè cecinit) non habet ira modum, longè pelluntque premuntque: forte lupi vt cervum densisque in saltibus vna inuasere canes. Ita (proh nephas) vir Sanctus dum per fidem Catholicam & Euangelicam gratiam inuitaret errantes ad dignitatem filiorum Dei, ad fœlicitatem vitæ immortalis, turpiter est ab idolorum cultoribus explosus. Qui quum haud longè ab vrbe fuisset profectus, complectens animo eos non sine Dei prouidentia posse à simulacrorum cultura reuocari, & ad Catholicæ pietatis religionem conuerti, subsistens in loco (cui Capellæ Sancti Vrsini vocabulum est) supplex humi prosternitur, atque sedulo precatu diuinitatem Christi exorat illorum cęcitati per internam Sancti spiritus illustrationem maturiùs subuenire. Cùm ecce oranti quidam cœlestis astans nuncius, præsulem Sanctissimum blando sermone consolatus, eum comiter hortabatur animæquiorem fieri, spondens Bituriges Dei nutu ad credendum sibi fore faciles, ac deinceps condemnato gentilitatis errore, futuros erga Dei cultum tantò religiosiores, quantò prius extiterant execrabili vitio idololatriæ deditiores. Denique ipsum iubet Angelus surgere ocius, hortatúrque redire ad ciuitatem, prædicens Deum illi in

omnibus affuturum, à quo tandem esset post dignè administratum sui Apostolatus officium in cœlestis perennitate regni plausibiliter amplificéque remunerandus. Hac igitur admonitione magnificè consolatus ille à Deo nobis indultus legifer, surrexit ab oratione, sicque iter suum ad ciuitatem instituens cœptum Euangelizandi opus solerter ac deuotè exequebatur. Qui mox vt sacratissimum os suum docendi gratiâ aperuit, secundum factam sibi diuinitus pollicitationem, ciuibus ad se vltro agminatim concurrentibus, facile persuasit nihil religionis, nihilque veri esse in idolis, sed ea semper hominum saluti extitisse contraria: ac propterea esse illorum culturam radicitus extirpandam. Non itaque felicissimus piscator animarum à cœpto prædicationis opere destitit, donec eos omnes à profundo gurgite erroris extraxerit. Nam eo diutiùs disputante de diuina essentia, de mundi creatione, de Christi Incarnatione, doctrina, miraculis, Passione, Resurrectione, Ascensione, & Spiritus Sancti Missione, de futuro iudicio, de retributione & gloria iustorum, ac postremo de damnatione & pœnâ æterna reproborum (mira dicturus sum) ipsos gentiles Sacerdotes illicò puduit prophani ritus, ac enormis vitæ præteritæ, adeò quidem, vt vniuersi corde compuncti, derogantes vanæ superstitioni, sublatóque diabolicæ seruitutis iugo, ad christianitatis iura conuolantes, meruerint cum cæteris ciuium turmis ab eodem Sancto viro in Beatissimæ Trinitatis nomine baptizari. Hic igitur idola (quæ vice Dei coluit antiquitas) necnon delubra eorum funditus euertuntur, & in Christi nomine constructis atque consecratis Ecclesiis, sanctæ Crucis passim erigitur triumphus. O felix Bituria, quæ tantis institutis tantum nacta es patrem verè Apostolici spiritus vigore radiantem, felix (inquam) & vtique beata ciuitas quæ talem meruisti habere patronum, quem quisquis expetit, Christum inuenit, Christum induit, Christum glorificauit. Sed ad nostræ narrationis ordinem redeamus. Sub idem tempus Senator quidam Romanus, nomine Leochadius, vir valdè strenuus atque ex ingenua diui Vecti Epagati Martyris stirpe exortus, in Burgundiæ & Aquitaniæ prouincijs principatus sceptra tenebat. Sed licet omnes regij animi dotes largiter possideret: tamen quia Romanorum edicto cautum fuerat ne quis in eorum dominatione nomen Regis præsumeret, is se Regem appellare non audebat. Erat autem eidem aulæ regalis sedes Bituris. Quo loci iuxta portam Meridianam vrbis iusserat fabricari stabulum equorum propter opportunitatem aquæ pabulíve iumentorum. Hunc itaque stabuli locum beatissimus Vrsinus à ministris memorati principis sibi concessum, erecta inde omni spurcitia consecrauit in orationis domum precioso sanguine Beati Protomartyris Stephani (quem secum detulerat) reuerenter & cum maximæ venerationis honore ibidem collocato. Denique illic ab eodem Sancto Archipræsule sacra missarum solemnia celebriter agebantur, Vigiliæ ac puræ orationes indesinenter Deo persoluebantur, corpora etiam credentium populorum salutaris baptismatis vnda perfundebantur. Quorum fidem non minimum augebant miracula ingentia, quæ in eodem loco Dominus per seruum suum Vrsinum operabatur. Siquidem quærentibus suam salutem fiebat per hęc exploratissimum meliorem fore religionem Christianam, & eum quem illic euangelizabat Vrsinus solum esse Deum verum, in cuius nomine cœcis visum, surdis auditum, claudis gressum, paralyticis sanitatem, leprosis mundiciam, energumenis fugato dęmone liberationem, sed & mortuis vitam reddi coram videbant. Cernens igitur sanctus Patriarcha Vrsinus Catholicę pietatis religionem magis, magísque in dies florescere, fideles multiplicari, ei animo incessit alium prouidere locum, qui ad perstruendam Ecclesiam foret amplitudine capacior & ornatu insignior. Quod dum conuenientibus ad eum viris ętate & consilio pollentibus edixisset: ostenderunt ei prędmissi senatoris aulam, huic rei valdè congruam. Quibus ille, quomodo, inquit, superba hæc ædificiorum structura poterit nobis à tanto viro concedi? Si tu (aiunt) serenitati eius aliqua munuscula obtuleris, id quod tantopere optas, ab eo facile impetrabis. Est enim vir insigniter liberalis, qui & si sub gentilitatis ritu viuat adhuc, tamen pro comperto habetur quòd egregiam pijs rebus operam insumat. Igitur ad iter accingere, res enim (Deo auspice) bene & prosperè cedet. At ille vbi se nihil habere vtpote verus Euangelicæ paupertatis cultor professus est, optimi ciues nimio fidei calore feruentes trecentis aureis in magno disco argenteo liberaliter prolatis Lugdunum, quo tunc temporis præfatus Senator

Digitized by Google

Leochadius morabatur, Sanctum virum hortati sunt proficisci. Quum autem illuc peruenisset, & ingressus ad principem, interrogaretur ab eo, quisnam esset, aut quo nomine appellaretur, vel quid posceret, respondit: Ego (ait) sum Dei Omnipotentis seruus, vocabulo Vrsinus, qui ab eo missus in Gallias Euangelicæ pietatis doctrina ac veritatis luce illustrandas, multum ei populum Bituris acquisiui. Et quoniam opus est loco orationis, quo populus fidelis vota sui altissimo persoluat, tuam, ô Serenissime Princeps, obsecramus clementiam, vt accepto nostræ paruitatis munusculo, aulam, quam in eadem Bituricensi vrbe possides, summo Deo atque sancto eius Protomartyri Stephano ad id operis ex animo conferas. Quòd si feceris, & humili nostræ petitioni candidè faueas, spondeo confisus in Domino, quod inde non solum tibi parabitur via salutis; verùm etiam immortalitatem boni nominis tua nobilitas sibi apud posteros conciliabit. Ad hæc mitissimus Princeps clementer respondit: Ego plane de ea quam tu annuncias salute quiddam dudum accepi; sed ad eius cognitionem nondum perueni, & nunc scito nihil mihi fore gratius, nihilque acceptius, quàm audire à te verbum salutis. Desidero enim Christi effici discipulus, vnde & totus in lætitiam fusus sum, quòd nostris hodie apparuisti conspectibus, vt per te queam de omnibus pleniùs edoceri. Ceterum quòd ad tuam petitionem attinet, vtinam Deo cœlesti placuisset, vt domus mea domus orationis fieret. Et quum Sanctus Confessor Domini Vrsinus eum blandis precibus rogaret quatenus munus suum acceptaret: ille extensâ manu, tres duntaxat aureos ex supradicto vase argenteo accipiens, responso personuit isto. Nisi (inquit) timerem id te molesto tolerare animo, nihil ex tuo sumerem, sed ex meo potius concederem. Iam ergo cum tuis muneribus festinatò reuertere ad vrbem Bituricam, & domum, quam petisti, à nobis suscipe, atque in honorem Dei omnipotentis, & in memoriam Sancti Protomartyris Stephani, vt visum fuerit, dedicare studeto. Ego autem transacto parui temporis spacio, illuc Dei tui beneficio redditus incolumis, discam à te, quemadmodum oporteat me in eum credere, & Christianæ fidei regulam obseruare: Acceptis itaque literis super donatione regalis aulæ confectis & glorioſi Principis annulo diligenter sigillatis sanctus Pater Vrsinus alacer Bituriges repetijt. Qui pia Domini voluntate tam custodum dictæ aulæ, quàm cæterorum ciuium incredibili fauore & plausu receptus, eorum ope largifluâ & operâ continuâ, tandem ex regali aulâ Metropolitanam consummauit Ecclesiam: opus quidem adeò insigne & egregium: vt pro sui magnitudine atque pulchritudine inter celsiora & præcipua totius regni ædificia iure sit computandum. Haud procul aliæ habebantur aulæ quas barbarum vulgus Salas appellat. Quo in loco idem Sanctus Patriarcha Vrsinus oratorium in Deiparæ Virginis memoriam constituit. Qui locus adhuc retinens antiquissimum suæ denominationis vocabulum, vulgo dicitur Nostra Domina de Salis. Habebat autem vir Domini corrigiam, quâ Dominus noster IESVS-CHRISTVS fuit ad columnam ligatus, quando iussu Pilati præsidis virgis cæsus est, quæ quidem corrigia cum casula ipsius Sancti Vrsini ad hæc vsque tempora illic diligenter adseruatur, & annuatim die Parasceues populo deuotè osculanda monstratur. Cæterum Ecclesiam, quam superius ex stabulo equorum fuisse effectam diximus, ad baptisterij vsum destinauit, vbi postea operante diuina prouidentia, rursus in honorem Beati Hippolyti Martyris oratorium est consecratum. Interea verò Leochadius equidem Princeps omni animi magnitudine & constantia præstantissimus, iuxta condictum Bituricam venit ad vrbem, moxque instinctu almi pneumatis propulsus solemne illud atque insignissimum diui Stephani templum ingressus, beatum virum orationi incumbentem, omni reiecto supercilio, clara fronte salutauit. Tunc vir Dei totus in lætitiam fusus eius pedibus sese aduoluens, multa cum veneratione excepit: nec mora, ad docendum sacratissimum os aperiens illi & omni exercitui eius tanta cum efficacia Dominum nostrum IESVM-CHRISTVM ac nostræ redemptionis sacra mysteria euangelizauit: vt omnes certissimè credentes in Deum verum creatorem cœli & terræ, vnanimiter poscerent in nomine eius baptizari. Igitur baptismi gratiam consequutus Illustrissimus princeps Leocadius cum Luzore proprio filio, ætate puerili splendido, qui postea virtutibus effulsit splendidior; impatientiùs quidem dolebat, quod alter filius suus nomine Caremusellus gentilitatis errore inuolutus ad tanti splendoris non meruit peruenire decus; sed ipse nihilominus seculari militiæ cura omnino depositâ, tanto calore fidei exarsit:

vt

vt penè omnes antiquissimos Bituricensis pagi viros in quibus proprias possidebat aulas, cum rebus vniuersis Deo ac sancto Protomartyri Stephano, necnon & Ecclesiæ sanctæ ministris cum testamento priuilegij tradiderit perpetuo habendos. Quibus in locis beatus Pontifex Vrsinus extructis Ecclesiis ordinauit Sacerdotes Leuitasque & cuiuslibet sacri ordinis viros (vt illic die ac nocte Deo deseruirent) docens eos esse sobrios, pudicos, stabiles in fide, veraces in sermone, diabolo fortiter resistere, & cœlestibus atque pijs constanter adhærere operibus. Ipse verò B. Pontifex tandem remota paganorum molestia, Pontificio munere cum laude eximia & multa pace fungens omnium eorum, quæ ad gregis Christiani curam spectant, vigilanter obseruabat. Fertur quod aliquando dum idem Sanctus Patriarcha Diœcesim suam visitando, rem diuinam perageret in vico (cui Leproso vocabulum est) gallos seu quasdam alias auiculas importunius cantantes frutinientésque solo iussu silere fecerit, nec illæ quidem auiculæ illic garrire post hæc visæ sint: donec multis exinde annis euolutis, S. Martinus Turonensis Archiepiscopus illuc aduenies, data benedictione, eas iterum cantare permiserit: Cæterum quum Dominus fidelem seruum suum Vrsinum pro tantis laboribus, quos ob Catholicæ pietatis fidem sustinuerat, remunerare festinaret: ei quodam febrili æstu, diem obitus ipsius denunciauit proximè adfuturum. At ipse morbo in dies vehementius ingrauéscente, dissolutionem sui corporis imminere prænoscens, conuocatis ad se senioribus sui Cleri & primoribus ciuitatis, quemdam ex nobilioribus virum valdè religiosum & bonis moribus ornatum, nomine Senicianum, sibi fore successorem destinauit, atque propriis manibus ipsum in Pontificem consecratum, in Archiepiscopali Cathedra loco sui solemniter collocauit. Quibus rectè peractis, non multo post idem Sanctissimus Archipræsul & totius Aquitaniæ Primas Vrsinus, postquam eandem Bituricensem Ecclesiam Dei nutu & gratia fundasset ac rexisset annis xxvij. anno Dominicæ Incarnationis ducentesimo octogesimo ingruente, feliciter moriens quarto Kalendas Ianuarij, psallentibus Angelorum choris transiit ad gaudia paradisi. Eius Sacratissimum corpus (vt quidem diuus Gregorius Turonensis scriptum reliquit) post ducentos quadraginta & sex annos, videlicet tempore beneditti Probiani, Bituricensis Archiepiscopi Sanctus Germanus Parisiorum Pontifex dignissimus, ipso Diuo Vrsino diuinitus reuelante, reperit extra muros Biturice ciuitatis sub vitis radicibus humatum quidem, sed nullius putredinis carie adhuc resolutum. Qui vna cum Beato Probiano ac vniuerso Clero ipsum Sanctum corpus inde eleuans transtulit in Basilicam Sancti Symphoriani Martyris, vbi nunc vsque meritis ipsius, obsessi à diabolo mirabiliter curantur, & alia diuersa sanitatum genera omnibus eum piè ac fideliter orantibus exhibentur largiente Domino nostro IESV-Christo, cui est honor & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen. Constat autem Cathedralem Ecclesiam Lexouiensem esse diui Vrsini dicatam nomini ac ibidem ipsius meritis diuina sæpius fieri miracula ingentia. Quamobrem arbitrati sunt Lexouienses illic quiescere sacratissimum corpus nostri Archipræsulis. Verùm cum è diuerso Bituriges illud magna veneratione apud se retineri constanter affirmarent, iamque res propemodum in contentionem vocaretur: Rex Ludouicus vndecimus egit cum venerabili Patriarcha Bituricensi, videlicet Domino Ioanne Cordis, vt explorandæ veritatis gratiâ, ipse Pontifex referaret capsam argenteam, in qua thesaurum illum olim fuisse reconditum vulgò hactenus creditum est. Eadem igitur capsa aperta, inuenerunt in sacculo corii albi corpus Sancti Vrsini honorificè collocatum cum literis authenticis hunc modum continentibus: *Anno gratiæ millesimo ducentesimo trigesimo nono, decimo Kalendas Nouembris nos Philippus permissione diuina Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniæ Primas, inuenimus corpus Beati Vrsini primi Archiepiscopi Biturigæ ciuitatis in suo sarcofago retro altare, quod iam consecratum in honore S. Vrsini in Ecclesia S. Symphoriani cum literis plumbeis sic habentibus: hoc est corpus Beati Vrsini primi Archipræsulis Biturigæ ciuitatis. Et ipsum corpus transtulimus in capsam argenteam supra dictum altare anno Pontificatus nostri quarto.* Literarum autem Domni Ioannis Cordis sequitur exemplar: *Anno gratiæ millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, 5. Kal. Martij nos Ioannes permissione diuina Bituricensis Archiepisc. Aquitaniæ Primas, & Ioannes eadem permissione Ebrunicens. Episcopus Regis Confessor, notum facimus quòd ad instantiam Christianissimi Principis Domini Ludouici XI. Francorum Regis, bonæ memoriæ Karoli septimi filij, qui deuotionis causa ad visitandum*

Digitized by Goo

Ecclesiam Beatissimi Vrsini primi Bituricensis Archipræsulis venerat, capsam argenteam super antiquum sarcofagum eiusdem Beatissimi Vrsini positam aperuimus, in qua ipsius sacratum corpus olim ibi, anno scilicet Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono, & decimo Kalend. Nouembris per Sanctum Philippum Bituricenſem Archiepiſcopum in ſaculo corij albi honorificè collocatum inuenimus. Et vt nullus deinceps præmiſſorum ignorantiam prætendere valeat, noſtra & dictæ Eccleſiæ ſigilla hìc fecimus interponi, cum publici Notarij ſubſcriptione in teſtimonium præmiſſorum. Igitur Luxouienſes qui conſpiranter apud ſe Sanctum Vrſinum eſſe prius contendebant, hoc viſo in pœnitentiam verſi ſunt: & vt ſaltem particula reliquiarum beati Patroni ſibi conferretur operosè impetrantes, cum eiſdem reliquijs ad propria redierunt. Sedit autem Beatiſſimus Patriarcha Vrſinus viginti ſeptem annis, præſidentibus Romæ in Sede Apoſtolica Cornelio, Lucio, Stephano I. Sixto II. & Dionyſio: Imperantibus Decio, Gallo cum Voluſiano, Valerio cum Gallieno, Claudio, Aureliano, Tacito, atque Floriano.

CAPVT SECVNDVM.

De S. Seniciano ſecundo Biturigum Archiepiſcopo.

SEcundus præfuit Eccleſiæ Bituricenſi Sanctus SENICIANVS. Vir iſte inter reliquos ciues nobiliſſimus, ſuſcepta Chriſti fide per Diui Vrſini prędicationem, quàm fuerit in ſancta conuerſatione deuotus, & erga Dei culturam præ ceteris ſollicitus, tum liquidò claruit: quùm in omni Aquitania neminem eo præſtantiorem magiſque idoneum æſtimauerit Sanctus Vrſinus, cui non ſolum adhuc ſe ſuperſtite totius plebis regendæ moderamina committeret: verumetiam quem ad ſubeundum poſt ſe Pontificalis apicis munus, ſuis Sacroſanctis manibus diuinâ conſecratione ſolemniter inſignitum, loco ſui Patriarchali in ſede ſublimiter proueheret, rurſus iſte homo Dei quàm fuerit ſapientiæ & ſcientiæ gratia plenus quàm in ſermone diſertus, quámque in verbi Dei prædicatione impiger, promptus, & efficax Beatiſſimi antecеſſoris ſui teſtimonio digniùs ponderabitur: quam vt meorum vilitate verborum dici debeat. Legitur enim circa finem antiquæ hiſtoriæ actuum memorati Vrſini, quòd ipſe cernens diſcipulorum ſuorum animos ob imminentem ſui corpuſculi reſolutionem anxia mœſtitudine triſtes eos ſit his propemodum verbis allocutus: *Oportet vos* (inquit) *Fratres Chariſſimi, potiùs gaudere quam flere, quia ad perennem (quam vobis annuncians) gloriam miſerante Deo tranſiens, non vos deſeram ſine paſtore. Noueritis enim Senicianum virum religioſum, bonis moribus ornatum, prudentem, & docibilem in meo conſtitui loco: Quem tanta conſtat pollere ſapientia: vt non ſolum creditum ſibi populum ſufficienter doceat: verumetiam cunctarum hæreſum poſſit impias aſſertiones à Catholicâ repellere Eccleſia, &c.* Denique Beatiſſimo Vrſino iam ad perennis vitæ gaudia tranſlato, Sanctus Senicianus totius Aquitaniæ Primas quantis virtutum titulis dignam ſui Pontificatus eminentiam nobilitare amplificaréque in dies perrexerit, nulla hominum æſtimatio concipere poſſet. Nam Clericos opere, ſermone populares, exhortatione mœrentes ac deſtitutos ſolatio, captiuos pretio, ieiunos cibo, nudos operimento conſolabatur, alebat, tuebatur. Talibus igitur vitæ atque bonorum operum exemplis Beatiſſimus Senicianus informans eos quos à gentilis conuerſationis errore dudum ad Catholicam fidem conuerterat, venerabilis eius anteceſſor, fama etiam peregrini cultus, ſi qua adhuc in Bituricenſi vrbe inueniebantur, eliminatâ inde omni ſpurcitiâ in Dei Omnipotentis Eccleſias conuertens atque conſecrans, tandem laudabilis vitæ curſu feliciter conſummato, ad Chriſtum, quem ſemper videre ac tantopere amplecti deſiderauerat, in æternum cum eodem victurus tranſiit; Eius verò ſacratiſſimum corpus honorifica donatum eſt ſepultura, Bituris in Eccleſia Sanctæ Crucis, quam ipſe adhuc in humanis agens ſuo dicitur opere conſtruxiſſe. Sedit autem annis ſexdecim ab anno 280. ad 296. Floruítque temporibus Romanorum Pontificum Felicis primi, Eutychiani & Caij ſeu Gaiani; Imperatoribus Probo & Caro cum filiis Carino & Numeriano, necnon & Diocletiano, Maximianóque.

CAPVT TERTIVM.

De Ætherio tertio Biturigum Archiepiſcopo.

TErtius præfuit Sanctus ÆTHERIVS vir maxima conſeruandæ religionis Catholicæ gratiâ clarus. Qui quùm derelictis, omnibus vani huius ſæculi pompis ſe vitæ caſtiſſimæ & abſtinentiſſimæ tradidiſſet, & in tantum vitæ merito ac fidei virtute profecit; vt ipſe Beato Seniciano in Epiſcopali dignitate per diuinam prouidentiam ritè ſuccedere meruerit. Sed prohdolor! eius temporibus intantum apud gentiles rabies crudelitatis exarſit in Chriſtianos, adeóque ſæuè & atrociter deſæuijt Diocletianæa perſecutio, vt intra triginta dies, viginti millia hominum piorum (aſtipulatore Euſebio Cæſarienſi) per diuerſas mundi prouincias Martyrio glorioſiſſimè coronarentur. Tunc etiam Eccleſiæ Chriſtianorum ab perſecutoribus ſubuerſæ à fundamentis, ad ſolum vſque deducebantur. Diuinæ verò ac Euangelicæ legis libri in medio platearum igni cremabantur. Verùm & ſi ſancta atque Catholica mater Eccleſia ſubidem tempus omnino videbatur affligi, humiliari, minui, tamen his perſecutionibus glorioſiùs exurgebat, martyrum victorijs paſſim triumphans quorum clariores hij leguntur fuiſſe, Sanctus Mauricius cum Sacratiſſimâ Thebęorum Legione, Sanctus Archileuita Vincentius vir inuictiſſimus, Sanctus Georgius miles Chriſtianiſſimus, Sanctus Sebaſtianus illuſtriſſimus vir, primæ cohortis Diocletianæ Princeps, Sancta Agnes clariſſima Virgo, Sancta Barbara itidem Virgo nobiliſſima, Sancta Katerina Virgo etiam illuſtriſſima, cum alijs innumeris vtriuſque ſexus martyribus. Quos ſi voluero ſigillatim enumerare, longa digreſſio generetur. Vt itaque illuc noſtra procedat oratio, quò præcipuè tendit huius opuſculi ratio: Beatus Pontifex Ætherius eruditione, fide, conuerſatione, & moribus inſigniter floreſcens, quùm ad vtilitatem & inſtructionem Eccleſiæ ſibi diuinitus commiſſæ nobiliter verbo Dei inſiſteret: ſatiſque vigilanter erga omnem Sacerdotij curam diebus deſudaret ac noctibus, vndecimo ſui Pontificatus anno, præſenti vitâ decedens, regna ſyderea feliciter ſcandere meruit. Cuius Sanctum corpus in præfata Sanctæ Crucis ædicula honeſtę mandatum ſepulturæ ibidem nunc vſque in magna habetur veneratione. Floruit autem ab anno 296. ad annum 307. ſub Romanis Pontificibus Caio & Marcellino, Imperantibus adhuc Diocletiano & Maximiano crudeliſſimis Chriſtianorum perſecutoribus.

CAPVT IV.

De Thecreto quarto Biturigum Archiepiſcopo.

QVartus præfuit Domnus THECRETVS de quo tametſi nihil præter nomen & numerum annorum Pontificatus ipſius ad notitiam poſteritatis reliquerit antiquitas, tamen illum minimè crediderim virum mediocris extitiſſe conditionis ſeu meriti exigui. Idque euidens ſuadet ratio, dum videlicet ipſe per id tempus quo diuinùs fidei Chriſtianæ inſtituta floreſcebant, inter ſapientes ſapientior, & inter bonos melior apparens, talis & tantus ſit ab omnibus æſtimatus: vt eidem Pontificali in throno legitimâ ordinatione ſublimato, cuncti ſubeſſe gauderent. Huius temporibus prima vniuerſalis Synodus trecentorum decem & octo patrum celebrata eſt in Nicæna ciuitate contra perfidi Arij dogma. Cui Concilio interfuiſſe legitur Beatus Nicolaus Myrheorum Archiepiſcopus vir toto orbe famoſus. At prædictus Thecretus dignè laudabiliterque rexit Eccleſiam Bituricenſem, annos viginti tres, ab anno 307. ab annum 330. Præſidentibus Romæ in Sede Apoſtolica Euſebio, Melciade, & Syluestro; Imperatoribus autem Galerio, Maximiano, Seuero, Maxentio, Conſtantio & Conſtantino Magno.

CAPVT V.

De Marcello quinto Biturigum Archiep.

QVintus præfuit Sanctus MARCELLVS, hic siquidem altitudine vitæ, & efficacia linguæ præpollens, talem sese per omnia in Ecclesia Christi ministrum exhibuit, qualem Ezechiel Propheta speculatorem domus Dei esse oporteat describit. Habebat verè & dotem illam, quam Apostolus Paulus in Episcopo denunciat esse præcipuam, hoc modo dicens ad Timotheum, *Oportet* (inquit) *Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum, &c.* Huic autem Sanctiss. Præsuli Marcello contemporaneus erat ille magnus pater Athanasius Alexandrinæ Ecclesiæ Archiepiscopus, qui aduersus hæresim Arianam fidei Catholicæ symbolum diuino afflatus spiritu eleganter composuit, quod sic incipit. Quicumque vult saluus esse, &c. Sedit verò idem Sanctus Marcellus septem annis ab anno 330. ad ann. 337. Præsidente adhuc Romæ Sancto Syluestro (si Eusebius quem sequimur, rectè collegit tempora) necnon & Marco atque Iulio post eumdem Siluestrum Ecclesiam Dei successiuè regentibus, Imperante diuo Constantino.

CAPVT VI.

De Viatore sexto Biturigum Archiepiscopo.

SExtus præfuit Sanctus VIATOR homo certè omnium virtutum candore conspicabilis. Nam eius cœlestem conuersationem ac laudabilis vitæ sanctitudinem nobis commendabilem reddit glorioſa ipsius memoria. Et quæ oratio tantæ affluentiæ vbertate decurrens, ipsum dignè poterit extollere, quo opponente seipsum murum validissimum pro domo Dei aduersus hæresim Arianam (quæ tunc temporis totum orbem suæ veneno perfidiæ inficiebat) eius sapientia & industria dicuntur Galliarum Ecclesiæ ab illâ peste fuisse defensæ? Mortuo enim Constante Augusto Constantini Magni filio, quùm frater ipsius Constantius imperij arce solus potiretur: & ipse Arianæ factioni fauens iussisset Diuum Hilarium Præsulem Pictauensem cum alijs multis Sanctis Episcopis in exilium relegari: vt illis de medio sublatis, reliquos omnes Orthodoxos velut simplices & imperitos fraudulenter ad consensum Arianæ hæreseos compelleret: Beatus Viator Dominici gregis custos indefessus non solum impio dogmati viriliter resistebat: Verumetiam eos, qui illius morbi contagione ægerrimè laborare cœperant, perfectissimâ instructione corrigens, ad sanitatem rectæ fidei reuocabat. Sed (quod dolenter dico) cætera, quæ iste vir insignissimus præclarè gessit, ob vetustatem periere, nec tantam lucem videre nobis concessum est. Corpus verò ipsius conditum est in mausoleo Sanctorum Pontificum Seniciani & Etherij in supradicta Ecclesia Sanctæ Crucis. De quâ quidem Ecclesia, quia iam tertiò mentio facta est, non abs re videtur obiter referre, quid de ea legimus in quibusdam Pandectis Nauensis Cœnobij. Porro scriptura illa hunc habet modum, *Sciant posteri qualiter locus & Ecclesia Sanctæ Crucis, quæ prope muros vrbis Biturice sita est, reædificata fuerit: fuit enim locus ille valdè honorabilis, & præ omnibus locis huius vrbis excellentior, sed peccatis exigentibus nimis inde destructus, quapropter ego Robertus trado Deo & altari Sanctæ Crucis quodcunque teneo de hæreditate ipsius Monasterij, vt reædificetur, cultoréque diuini Officij ibidem per Osmundam Monachum aggregati sustententur. Datum sub Aymone Præsule, regnante Philippo primo.* Igitur constat Ecclesiam Sanctæ Crucis fuisse olim Monasterium celebratissimum. Nunc verò humile Sacellum est parochiale. Denique certum est vrbem Biturricam inde muralibus dilatatam fuisse parietibus, ac multis, magnis & sumptuosis ædificijs auctam, quum non solùm memoratam Sanctæ Crucis ædiculam, verumetiam plures alias Ecclesias, quæ tunc temporis erant campestres, nunc nostris inspiciamus oculis circuncingi ipsius vrbis mœniorum ambitu. Sanctus itaque

Viator miræ beatitudinis vir Bituricensem Ecclesiam florentissimè rexit annis decem & septem ab anno 337. ad annum 354. sub summis Pontificibus Iulio, & Liberio, Imperantibus Constantino magno, Constantino Iuniore, Constante & Constantio.

CAPVT VII.

De Leotherio septimo Biturigum Archiepiscopo.

SEptimus præfuit Dominus LEOTHERIVS vir admodum reuerendus, multáque sanctitate conspicuus, cuius temporibus multi alij viri sapientiâ & virtute insignes atque celeberrimi tam in eremi vastitate, quàm in Ecclesiis Dei longè latéque constructis glorioſissimè florebant. Quo etiam tempore beatus Antonius vir famæ celebratissimæ Monachorum Archimandrita præcipuus preciosam resolutus in mortem, migrauit ad Christum: cæterùm venerabilis pater Leotherius sedit annis nouem ab anno 354. ad annum 363. adhuc præsidente Romæ Liberio, & Imperante Constantio hæretico.

CAPVT VIII.

De Paupere octauo Biturigum Archiepiscopo.

OCtauus præfuit Dominus PAVPER, qui vt rem sui nominis gereret in opere, essetque tandem ex illorum numero, de quibus veritatis ore in Euangelio dictum est; *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, spiritualem illam pauperiem Cœsi diuitiis præferens, nil penitus ex his rebus, quas imprudentium hominum animus concupiscere solet, præter necessarium victum, & simplicem vestitum retinere voluit; sed vir Deo deuotissimus omnia quæ sui iuris erant, propter spem futuræ gloriæ secundùm Domini nostri Iesu Christi consilium dicitur egenis liberaliter distraxisse, & ob vberem munificentiam humanitatémque in pauperes suo tempore, Pater pauperum appellari meruisse. Sedit autem annis quatuordecim ab an. 363. ad 377. præsidentibus Romæ Liberio & Damaso, Imperantibus Constantio, Iuliano Apostata, Iouiano, Valentiniano, & Valente.

CAPVT IX.

De Palladio I. nono Biturigum Archiepiscopo.

NOnus præfuit Sanctus PALLADIVS vir vtique inter præcipuos valdè egregius, quippe qui nunquam vanissimi huius mundi superfluâ delectatione illectus, à superna ciuitatis Hierusalem felicitate desideranda referatur potuisse dimoueri. Atque inter hæc dum omnes, qui ante se sacerdotij principatum gesserant, pietate & religione cuperet superare, eius pectori tantus fidei calor, tanta puritas in dies augebatur, vt licet tunc temporis complures viri alioqui scientia & dignitate sublimes, sed proh dolor! diuersarum hæresum virulentâ contagione polluti, Catholicam Ecclesiam graui atque intolerabili mœstitudine afficerent, iste tamen verum Apostolicæ fidei dogma semper inconcussè seruauit. Denique per idem tempus secunda vniuersalis Synodus Episcoporum centum & octoginta dicitur fuisse celebrata apud Constantinopolim, iisdem quoque diebus beatus Martinus vir eximiæ sanctitatis, præclaræque virtutis contra voluntatem Defensoris Episcopi Cœnomanensis, Turonorum regendam suscepit Ecclesiam, vocatione diuinâ ac totius populi suffragio. Sanctus verò Palladius, quum esset eruditionum prærogatiua magnificus, & virtus animi ac vitæ sinceritas longè in eo magnificentior appareret, ipse tandiu scutum fidei fortiter dimicando aduersus mundum, carnem, & diabolum infatigabili constantia tenuit: donec per gratiam Dei hostibus prostratis, victor

existens, tandem cum ineffabili gloriæ triumpho aulam paradisi cum Christo perenniter regnaturus intrauit. Sed (quo maximpoere dolemus) ea, quæ tantus ac talis Pontifex in vita sua gessit, ad nostram notitiam vetus fama minimè perduxit. Sepultum fuit sacratissimum corpus eius in quadam Parochiali Ecclesia, quæ ex ipsius nominis appellatione nunc vsque est denominata. Denique festus illic singulis annis celebriter agitur sexto Idus Maij, quo die idem Sanctus Patriarcha Palladius ad Christum migrasse creditur. Sedit autem annis septem, ab anno 377. ad annum 384. temporibus Damasi Papæ, & Imperatorum Valentiniani, Valentis & Gratiani.

CAPVT X.

De Vilicio decimo Biturigum Archiepiscopo.

DEcimus præfuit dominus VILICIVS vir optimus, & tanto honore dignissimus. Cuius in pectore tanta Spiritus Sancti gratia erat infusa: vt quoscunque sermone tangeret, statim ad amorem cœlestis patriæ vehementer inflammaret. Hic præterea sapientiam Dei magnificè tractans subiectos sibi populos docebat mansuetudinem colere, puritatem cordis amplecti, seruare parsimoniam, paupertate gaudere, studere pati, patientiam custodire, & omnia quæ ad religionis Christianæ perfectionem pertinent, sollicitè implere. Et, vt rem cursim breuitérque attingam, fertur fuisse sic semper saluti gregis sui addictus, vt ipsius monitis & exemplis in solidioris sanctitatis statu plebs deuota firmaretur. Cæterùm ea tempestate glorioſum valdè erat videre Ecclesiam Dei iucunda & secura pace floreſcere, tum propter illustrissimi Principis Theodosii religiositatem & pietatem, tum quia Dominicarum ouium Pastores Apostolicę tunc perfectioni proximantes greges suos verbo & exemplo amœnissimè efficacissiméque pascebant. Nam tunc temporis Ecclesiæ prȩcipui doctores videlicet Sanctus Hieronymus, Sanctus Ambrosius, Sanctus Augustinus, & alij plures tanquam astra in cœlo radiantia, vitæ merito & sapientię doctrina præfulgentes, Ecclesiæ Catholicę statum magnificè extollebant; Sed & Beatissimus Martinus Turonensis Archiepiscopus, vitę integritate ac merito virtutum, nobilissimos quosque, quos fama clarior commendabat, superans, & vsque ad decimum nonum annum Pontificatus Domini Villicii perdurans, magnum decus Ecclesiæ, vt in eius Hymno canitur, auxit. At Reuerendus Pater Vilicius sortis humanæ inclementia ex hac vitâ subtractus, & vt piè creditur in Angelicum translatus consortium inenarrabili fruitur gloriâ. Sedit autem annis viginti octo, ab anno 384. ab ann. 412. præsidentibus Romę Damaso, Siricio, Anastasio & Innocentio, qui decreuit pacis osculum ad missas dari; Imperantibus Gratiano, Valentiniano, Theodosio magno cum filiis ejus Archadio & Honorio.

CAPVT XI.

De Auito vndecimo Biturigum Archiepiscopo.

VNdecimus præfuit dominus AVITVS homo spectatæ virtutis, magnique apud Deum meriti. Hic Sacerdotium inculpabiliter administrauit decem & nouem annis. Quo quidem tempore (vt ait Sigibertus Gemblacensis) Marcomiro filio Priami Ducis Francorum defuncto, Franci in commune deliberantes, vt & ipsi, sicut aliæ gentes regnum haberent: Filium prædicti Marcomiri Pharamundum sibi Regem ordinarunt anno Dominicæ Incarnationis quadringentesimo ac vigesimo. Claruit autem domnus Auitus ab anno 412. ad annum 431. sub summis Pontificibus Innocentio, Zozimo, Bonifacio, & Cœlestino; Imperantibus Honorio & Theodosio Iuniore, necnon regni Francorum habenas strenuissimè moderante memorato Pharamundo Rege primo.

CAPVT XII.

De Leone duodecimo Bituricum Archiepiſcopo.

DVodecimus præfuit Sanctus LEO vir profectò ſingulari ſapientia ſummus, necnon multis magnificiſque virtutum titulis honeſtatus. Temporibus ipſius prima Synodus à Francis celebrata, Turonis eſt habita. Cui ipſe interfuit cum Beato Perpetuo eiuſdem Turonenſis ciuitatis Archiepiſcopo, vbi multa vtilia pro tempore ordinata ſunt. Ea autem ſubiunximus, vt quantum ſtudij circa Eccleſiaſticę diſciplinæ cuſtodiam fuerit antiquis patribus euidenter agnoſcatur.

Seuerino viro clariſſimo Conſule ſub die xviij. Kalendarum Decembris, quùm ad ſacratiſſimam feſtiuitatem, quâ Domini Martini receptio celebratur in ciuitate Turonorum, beatiſſimi Sacerdotes, quorum ſubſcriptio ſubter adiecta eſt, veniſſent, neceſſariò crediderunt, vt quæ per longam incuriam in aliquo de rebus Eccleſiaſticæ diſciplinæ regula fuiſſet vitiata, diffinitionem ſuam, quæ cum Patrum authoritate concordat, præſentis ſcripturæ emanatione firmarentur, non quæ prius illicitè commiſſa ſunt reuoluentes; ſed in poſterum, vniuerſorum vtilitati proſpicientes, vt ſecundùm Euangelica præcepta, & Apoſtolicam doctrinam, patrum ſtatuta ſeruantes, Eccleſia Dei pura & immaculata permaneat. *Capitulum primum.* Primo ergo loco Sacerdotes vel miniſtri Eccleſiæ de quibus dictum eſt, ***vos eſtis lux mundi***, ita in omni ſancta conuerſatione ac Dei timore actus ſuos dirigant, vt & diuinæ poſſint placere clementiæ, & bonum fidelibus præbere exemplum. Quia ſicut væ eis interminatur, per quos nomen Dei blaſphematur, ita illi immortalitatis gloriam conſequentur, per quorum actum nomen Dei benedicetur. Si enim vniuerſis fidelibus ſecundùm Apoſtolicam doctrinam caſtitas cuſtodienda indicitur: vt qui habent vxores, ita ſint quaſi non habentes, quantò magis Sacerdotes Dei ac Leuitæ diuino mancipati altario cuſtodire debent, vt non ſolum cordis, verumetiam corporis puritatem ſeruantes, pro plebe ſupplicaturi, preces illorum ad diuinum mereantur introire auditum? Quia ſecundùm authoritatem Apoſtoli, qui in carne ſunt Deo placere non poſſunt: Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Et iterum: omnia munda mundis; coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum, ſed polluta eſt eorum mens & conſcientia. Quum ergò laico abſtinentia imperetur, vt poſſit orationi vacans & Deum deprecans exaudiri: quanto magis Sacerdotes vel Leuitæ, qui omni momento parati eſſe debent, in omni mundicia & puritate ſecuri, ne aut ſacrificium offerre, aut baptizare ſi id temporis neceſſitas poposcerit, cogantur imparati aut immundi: Quòd ſi contaminati fuerint carnali concupiſcentiâ, quâ fronte excuſabunt, quo pudore vſurpabunt, quâ conſcientiâ, quo merito exaudiri ſe credunt? *Cap. ſecundum.* Et licet à Patribus noſtris è commiſſa authoritate id fuerit conſtitutum, vt quicunque Sacerdos vel Leuita filiorum procreationi operam dare fuiſſet conuictus, à communione Dominica abſtineret, nos tamen huic diſtrictioni moderationem adhibentes, & iuſta conſtitutione mollientes, id decreuimus vt Sacerdos vel leuita coniugali concupiſcentiæ inhærens, vel filiorum à procreatione non deſiſtens, vel altiorem gradum non conſcendat, neque ſacrificia Deo offerre, vel plebi miniſtrare præſumat. Sufficiat his tantum, vt à communione non efficiantur alieni, ſed vt hæc valeant obſeruari, fomitem omnium vitiorum oportet abſcindi, Apoſtolo præcipiente, ***Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.*** Et quam graui ebrietas ſupplicio expietur, eadem Apoſtolica manifeſtat doctrina inter cetera dicens, ***neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque ebrioſos regnum Dei poſſeſſuros.*** Si quis verò in omni officio Clericali Deo militans, ab ebrietate ſe non abſtinet, ſecundum ſtatus ſui ordinem competens in eum vindicta exerceatur. *Capitulum tertium.* Et quia nullum diabolo locum dari oportet, hoc præcipuè cuſtodiendum decreuimus, vt nullam Clerici cum extraneis fœminis habeant familiaritatem, ne vllum male loquendi vel ſentiendi hominibus aditum tribuant: Quia frequenter per hanc indecentem occaſionem contingit vt diabolus, qui inſidiatur ſicut leo in cubili ſuo, de ruina ſeruorum Dei exultet: ſi quis Clericus poſt interdictum Epiſcopi ſui, illicitis familiaritatibus extranearum fœminarum voluerit inhærere, à communione

habeatur alienus. *Capitulum quartum.* Et vt Clericus cui datur, &c. Si relicto officii sui ordine, Laicam voluerit agere vitam, vel se militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur. *Capitulum quintum.* Qui verò se sacratis Virginibus per coniunctionem nephandam miscuerit: vel propositum professæ religionis dereliquerit, vtrique à communione habeantur alieni. (*Quia si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus*) donec resipiscentes à laqueo diaboli, à quo capti tenentur, ab ipsius voluntate ad auxilium pœnitentiæ reuertantur. *Capitulum vj.* Homicidis verò non communicandum, donec per confessionem pœnitentiæ, ipsorum crimina diluantur. *Cap. vij.* Si quis verò post acceptam pœnitentiam, sicut canis ad vomitum, ita ad seculares illecebras derelicta, (quam professus est pœnitentiâ) fuerit reuersus à communione Ecclesiæ vel à communione fidelium extraneus habeatur. Quò facilius & ipse compunctionem per hanc confusionem accipiat, & alij eius terreantur exemplo. *Cap. viij.* De præsumptoribus etiam placuit obseruari, vt si quis Episcopus in ius Fratris sui, suam conatus fuerit inferere potestatem, vt aut Diœceses alienas transgrediendo terminos à patribus constitutos peruadat: aut Clericos ab aliis ordinatos, vel Sanctimoniales promouere præsumat, ab vniuersorum fratrum & consacerdotum suorum communione se alienum efficiendum non dubitet. Quia Apostolo docente cognoscimus nullam nos cum fratribus inordinatè ambulantibus, & non secundùm traditionem à Patribus constitutam posse habere participationem. *Capitulum ix.* Ordinationes verò illicitas, irritas denunciamus: nisi per satisfactionem, quæ ad pacem pertinent, componantur. *Cap. x.* Si quis verò Clericus absque Episcopi sui permissu derelictâ Ecclesiâ, ad alium se transferre voluerit locum, alienus à communione habeatur. *Cap. xj.* Et vt Clerici non absque Sacerdotum suorum commendatione, ad alias pronuncias siue ciuitates ambulare disponant. *Cap. xij* Illud etiam secundum scripturarum authoritatem, vel Patrum constitutionem addendum credimus, vt ne quis Clericus, qui negotiandi studium habere voluerit, vsuras accipiat, quia scriptum est, *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Et alio loco: *Et non deficit de plateis eius vsura & dolus.* Manifestum est enim beatitudinis non posse consequi gloriam, qui à præceptis diuinis deuiauerit. Et humilitatis nostræ constitutio vt adiuuante domini misericordia valeat custodiri: sancti ac beatissimi Sacerdotis Domini Martini, quæ Deo accepta est, obtinebit intercessio. Confidimus enim Sacerdotum Domini consensu, diffinitionem nostram firmandam, quæ cum patrum nostrorum authoritate concordat. Subscriptiones Episcoporum qui illic affuerunt. LEO Episcopus Bituricæ ciuitatis interfui & subscripsi. Perpetuus Turonicæ ciuitatis interfui & subscripsi. Germanus Episcopus Rothomagensis ciuitatis interfui & subscripsi. Eusebius Nanneticę ciuitatis interfui & subscripsi. Amandus Episcopus Cathalaunicæ ciuitatis interfui & subscripsi. Arthemius Episcopus Rhedonicæ ciuitatis huic diffinitioni interfui & subscripsi. Mansuetus Episcopus Britannorum subscripsi. Iocundius Presbyteri iussu Domini mei Venerandi Episcopi, quia ipse non cerneret, subscripsi. Thalassius peccator hanc diffinitionem dominorum meorum ab ipsis ad me transmissam in ciuitacula mea relegi, subscripsi & consensi. Vides Lector quam sanctè & purè antiqui sancti patres procedebant in celebrandis suis conciliis. Vides etiam quam accuratè Ecclesiasticam disciplinam reformantes suis sanctissimis ordinationibus vitia gregis reprimebant & virtutes inseminabant Cæterùm vt ad Beatum Leonem Patriarcham nostrum redeamus, ipso in Cathedra Bituricensis Ecclesiæ Præsidente, etiam tertia vniuersalis Synodus apud Ephesum ducentorum Episcoporum numero celebrata est aduersus Nestorianam hæresim; nec multò pòst idem sanctissimus Pontifex quum sedisset decem & septem annis, laudabilis vitæ cursum felici concludens obitu, cœlestia palatia cum Christo perenniter regnaturus conscendit. Claruit autem ab anno 431. ad annum 448. Præsidentibus Romæ in Apostolica sede Cœlestino I. Sixto III. & Sancto Leone doctore eximio: Imperante tunc Theodosio iuniore cum Valentiniano filio Placidię amitæ eiusdem Theodosij & regnante in Francia Clodione.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

De Palladio II. decimo tertio Biturigum Archiepiscopo.

DEcimus tertius præfuit Sanctus PALLADIVS huius nominis secundus, vir equidem animi virtute spectabilis, sapientia præditus, diuinâ lege exercitus, sana doctrina præcipuus, longo aduersus diabolum certamine probatus, experientiâ cautus, vitæque sanctimoniâ clarus. Circa cuius Pontificatus exordium, Sanctus Germanus Autissiodorensis, assumpto secum Beato Seuero Treuerensi Episcopo, iterum in Britanniam profectus renascentem Pelagianam hæresim consopire fecit, teste Sigiberto, in anno Domini 448. Item anno quinto Sacerdotij ipsius, quarta vniuersalis Synodus sexcentorum & triginta Episcoporum apud Calcedonem habita est. Vbi decretum fuit vt Sanctissima Domini nostri IESV-Christi Maria non solum Christotocos: sed etiam Theotocos, id est, mater Dei credatur & appelletur, propter blasphemias Nestorij mentientis eam non Deum sed hominem solummodo genuisse. Sequenti anno ciuitas Aurelianensis meritis & intercessionibus diui Aniani eiusdem loci Episcopi, mirabiliter liberata est de manu Regis Attilæ crudelissimi tyranni. Nec multò post, omnibus famosius bellis fuit bellum, quod candidatus Sanctarum vndecim milium virginum exercitus bellauit, duce sancta Virgine Vrsula, filia vnica Nothi nobilissimi Britannorum principis. Hoc etiam tempore beata Genouefa Virgo clarissima Parisijs multa sanctitate floruit. Verum nunc vt ad nostrum Palladium recurrat oratio, postquam ille præfuisset Ecclesiæ Buturicensi tredecim annis, ab anno 448. ad annum 461. Viuendi finem fecit sexto Idus Maij in Monasterio Marciliaco Caturcensis territorij, vt legitur in veteri Martyrologio Ecclesiæ Sancti Austregisilli de Cistro, Apostolicam Sedem tenente præfato Leone viro Sanctissimo atque doctissimo: Imperantibus Theodosio Iuniore, Marciano, & Leone primo, Regnantibus in Francia Merouco & Hilderico patre Clodouei, qui primus de Regibus Franciæ Christi fidem suscepit.

CAPVT XIV.

De Eulodio decimo quarto Biturigum Archiepiscopo.

DEcimus-quartus præfuit Dominus EVLODIVS. Vir iste cùm esset cunctarum virtutum operator consummatissimus, atque scientia & docendi efficacia præditus, non sine multarum lucro animarum, curam egit pastoralem, quo quidem tempore tanta strages Christianorum facta legitur per Euarigem Gothorum regem: vt desolatis atque viduatis Ecclesijs pastoribus, eodem Eulodio per laudabilis vitæ meritum (vt piè creditur) ad gaudia Paradisi translato beatus Sidonius Aruernensis Ecclesiæ Episcopus, qui ad constituendum nouum antistitem (sicut paulò pòst dicetur) fuerat Bituris euocatus, ob defectum comprouincialium Episcoporum, coactus sit alterius prouinciæ præsules conuocare, quemadmodum idem Sidonius testatur in epistolâ, quam direxit ad Agrecium Episcopum, vbi inter cætera, hoc etiam intulit. *Proinde, quæso, vt officij mei nouitatem, pudorem, necessitatem spectatissimi aduentus tui ornes contubernio, tuteris auxilio, nec te (quanquam Senonæ caput es) inter hæc dubia subtraxeris intentionibus medendis Aquitanorum, quia minimum refert quod nobis est in habitatione diuisa prouincia: quando in religione causa contingitur: ijs accedit quod de vrbibus Aquitanicæ prouinciæ solum oppidum Aruernum Romanis reliquum partibus bella fecerint, quapropter in constituendo Bituricæ ciuitati antistite, prouincialium collegarum deficimus numero: nisi Metropolitanorum reficiamur accessu, &c.* Sed & prædicta lachrymabilis desolatio Ecclesiarũ quanta fuerit, verba memorati Sidonij ad Basilium Episcop. scribentis manifestius indicant, quæ pro clariori notitia subdere necessarium duxi; *Et quod* (inquit) *fatendum est, præfatum Regem Gothorum Euarigem (quamquam sit ob virtutum merita terribilis) non tamen tam Romanis eum quã legibus Christianis insidiaturũ paueſco. Propter quod discute Catholicitatis vaecitudinem occultã vt apertam,*

festinetis adhibere medicinam, Burdegala, Petragorij, Rutheni, Lemouices, Gabalitani, Elusani, Vasates, Conuenæ, & Auscenses, multóque iam maior numerus ciuitatum summis Sacerdotibus ipsorum morte truncatis, nec vllis deinceps Episcopis in defunctorum officia suffectis, per quos vtique minorum Ordinum ministeria subrogabantur, latum spiritualis ruinæ limitem traxit. Quem ferè constat sic per singulos dies morientium patrum proficere defectu, vt non solùm quoslibet hæreticos præsentium, verùm etiam hæresiarchas priorum temporum potuerit inflectere. Ita populos excessu Pontificum orbatos tristis intersciſſæ fidei desperatio premit: nullæ in desolatis cura Diœcesibus Parochysque. Videas in Ecclesijs aut putres culminum lapsus, aut valuarum cardinibus auulsis, Basilicarum aditus hispidorum veprium fruticibus obstructos. Ipsa proh dolor! videas armenta, non modò semipatientibus iacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci. Sed iam nec per rusticas solum solitudo Parochias: ipsa insuper vrbanarum Ecclesiarum conuenticula rarescunt. Quid enim in fidelibus solatij superest, quando Clericalis non modò disciplina, verumetiam memoria perit? Hæc & alia plura relatu digna eleganter & exquisitè prosequitur idem author libro septimo Epistolarum. Verùm ne plus æquo factâ digressione, istud opusculum dilatemus hæc ipsa missa faciamus. Sedit autem idem Eulodius annis nouem ab anno 461. ad annum 470. Præsidentibus Romæ S. Leone, Hilario & Simplicio: Imperante Leone, & Regnante in Francia Hilderico I.

CAPVT XV.

De Simplicio decimo-quinto Biturigum Archiepiscopo.

DEcimus quintus præfuit Sanctus Simplicius vir quidem secundùm sæculi dignitatem nobilitate Senatoria florens, sed (quod nobilius est) fide & deuotione incomparabiliter pollens. Cuius vitam nosse si cupias, legito septimum librum Epistolarum Sidonij Apollinaris Aruernensis Ecclesiæ Episcopi viri eruditione clarissimi, atque inter cæteros celebratissimi. Tamen ne tuam sedulitatem, Candide Lector, penitus anxiam & vacuam remittamus, pauca quædam obiter lectioni inseremus, quæ ex ipsius Sidonij ad Eufronium scribentis epistola excerpsimus. *Quia* (inquit) *Simplicium spectabilem virum, Episcopum sibi flagitat populus Biturix ordinari, quid super tanto debeam negocio facere decernas. De quo tamen Simplicio scitote narrari plurima bona, atque ea quidem à plurimis bonis. Quæ testimonia mihi gratiosa iudicabantur. At postquam æmulos eius nihil vidi amplius quam silere, atque eos maximè, qui fidem fouent Arianorum, neque quippiam nominato licet necdum nostræ professionis illicitum opponi animum aduerti, exactissimum virum posse censeri. De quo quisquis malus loqui, bonus tacere non potest, &c.* Sed & partes viles orationis quam ipse Sidonius de eodem Simplicio habuit Bituris ad populum huc adferre operæ precium est. *Refert historia secularis, dilectissimi, quendam Philosophorum discipulis aduenientibus priùs tacendi patientiam, quam loquendi monstrasse doctrinam, & sic incipientes quosque inter disputandum consectaneorum Cathedras mutum sustinuisse quinquennium, vt etiam celeriora quorumpiam ingenia non liceret ante laudari, quàm liceret agnosci; Ita fiebat vt eosdem post longam taciturnitatem locutos quisquam audire cæperat, non taceret. Quia donec scientiam natura combiberit, non maior est gloria dixisse, quod noueris, quàm siluisse quod nescias. At nunc mediocritatem meam manet longè diuersa conditio, cui per suspiciosas voragines, & flagitiorum volutabra gradienti professionis huiusce pondus impactum est. Et priusquam vlli bonorum reddam discentis obsequium, cogor debere cæteris docentis officium. Adiicitur huic impossibilitati pondus pudoris, quod mihi peculiariter paginæ decretalis oblatu Pontificis eligendi mandastis arbitrium.*

Post hæc dum idem author plura alia fuisset prosecutus, hæc etiam quæ subiunximus intulit dicens; *Sanè id liberiùs dico: De multitudine arcuostiantium multos Episcopales esse: sed totos Episcopos esse non posse. Et cum singuli diuersorum charismatum proprietate potiantur, sufficere omnes sibi, omnibus neminem. Si militarem dixero fortè personam, protinus in hæc verba consurgitur; Quia de seculari professione*

translatus est, ideo sibi assumere Metropolitanum de religiosa congregatione dissimulat, natalibus turget, dignitatum fastigiatur insignibus, contemnit pauperes Christi. Quapropter impræsentiarum soluam quam non tam bonorum charitati, quàm maledicorum suspicioni debeo fidem. Viuit Spiritus Sanctus omnipotens Deus noster, qui Petri voce damnauit Simonem magum cùm opinaretur gratiam benedictionis precio sese posse mercari. Nec eum, quem vobis opportunum censui, nec pecuniæ fauere, nec gratiæ. Sed statu satis superque trutinato personæ, temporis, prouinciæ, ciuitatis, virum in cuius consequentibus raptim vitæ replicabitur, compertissimum credidisse. Benedictus Simplicius hactenus vestri, iamque abhinc nostri (modò per vos Deus annuat) habendus ordinis comes, ita vtrique parti vel actu, vel professione respondet, vt & respublica in eo quod admiretur, & Ecclesiam possit inuenire quod diligat. Si natalibus secunda reuerentia est, quia & hos non omittendos Euangelista monstrauit: nam Lucas laudationem Ioannis aggressus, præstantissimum computauit quod Sacerdotali de stirpe veniebat, & nobilitatem vitæ prædicaturus, priùs tamen extulit familiæ dignitatem, *parentes ipsius aut Cathedris, aut tribunalibus præsederunt. Illustris in vtraque conuersione prosapia aut Episcopis floruit, aut Præfectis. Ita semper huiusce maioribus aut humanum, aut diuinum dictare ius vsui fuit. Si verò personam suam tractatu consiliosiore pensemus, inuenimus illam tenere istic inter spectabiles principes locum. Si annos ipsius computaremus, habet efficaciam de iuuentute, de senectute consilium. Si literas vel ingenium conferamus, certat naturæ doctrina; Si humilitas requirenda est, ciui clerico, peregrino, minimo maximóque etiam suprà sufficientiam offertur, & suum sæpius panem ille potius qui non erat redditurus agnouit: Si necessitas arripiendæ legationis incubuit, non ille semel pro hac ciuitate stetit ante pellitos Reges, vel ante principes purpuratos. Si ambigitur quo magistro rudimenta fidei fuerit imbutus, vt prouerbialiter loquar, domi habuit vnde disceret. Postremò iste est ille, charissimi, cui in tenebris ergastularibus constituto, multipliciter obserata barbaricis carceris diuinitus claustra patuerunt. Istum, vt audiuimus, tam socero quam patre postpositis ad Sacerdotium duci opertere vociferabamini. Quo quidem tempore, plurimum laudis domum retulit, quando honorari parentum maluit dignitate quam propria. Pœnè transieram quod præteriri non oportuerat. Sub Moyse quondam, sicut Psalmographus ait, in diebus antiquis vt tabernaculi fœderis forma consurgeret, totus Israel in heremo ante Bezeleheles pedes oblaticij symbolum coaceruauit impendij, Salomon deinceps vt templum ædificaret in Solymis solidas populi vires in opere concussit, quamuis Palestinorum captiuas opes, & circunie&orum regum tributarias functiones australis reginæ Sabbatis gaza cumulauerit. Hic vobis Ecclesiam iuuenis, miles, tenuis, solus, adhuc filius familias, & iam pater extruxit, nec illum à proposita deuotione suspendit vel tenacitas sexum, vel intuitus parvulorum, & tamen fuit morum factura quæ taceret. Vir est namque, ni fallor, totius popularitatis alienus. Gratiam non captat omnium, sed bonorum, non indiscreta familiaritate vilescens, sed examinata sodalitate preciosus, & bono viratu æmulis suis magis prodesse cupiens quam placere, seueris patribus comparandus, qui iuuenum filiorum non tam cogitant vota quam commoda. In aduersis constans, in dubijs fidus, in prosperis modestus, in habitu simplex, in sermone comis, in contubernio æqualis, in consilio præcellens. Amicitias probatas enixè expetit, constanter repetit, perenniter seruat: inimicitias indictas honestè exercet, tardè credit, celeriter deponit, maximè ambiendus, quia minime ambitiosus. Non studet suscipere Sacerdotium, sed mereri. Dicet mihi aliquis, vnde tibi tam citò tanta de illo comperta sunt? Cui respondeo. Priùs noui Bituriges quam Biturigas, multos in itinere, multos in commilitio, multos in contractu, multos in tractatu, multos in sua, multos in nostra peregrinatione cognoscimus. Plurima notitiæ dantur, & ex opinione compendia, quia non tam paruos terminos posuit natura famæ, quàm patriæ. Quocirca si vrbium status non tam murorum ambitu, quam ciuium claritate taxandus est, non modo primum qui essetis, sed vbi essetis agnoui. Vxor illi de Palladiorum stirpe descendit, qui aut literarum aut altarium Cathedras cum sui Ordinis laude tenuerunt. Sanè quia persona matronæ verecundam & succinctam sui exegit mentionem, constanter astruxerim respondere illam fœminam Sacerdotijs vtriusque familiæ vel vbi educta creuit, vel vbi electa migrauit, filios ambo bene & prudenter instituunt, quibus comparatus pater, inde felicior incipit esse quia vincitur. Et quia sententiam paruitatis meæ in hac electione valituram esse iudicastis, siquidem non est validius dicere sacramenta quam scribere, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Simplicius est, quem prouinciæ nostræ Metropolitanum, ciuitati vestræ summum Sacerdotem fieri debere pronuncio. Vos autem de viro, de quo loquimur, si nouam sententiam meam sequimini, secundùm vestram veterem consonate.* Ecce Sidonius ille

* *

totius flos eloquentiæ, virtutibus pariter & doctrina illustris, quàm sincerè, quàm grauiter, quámque exactè oratoriis pigmentis excoluit vitam, mores, & res egregiè gestas viri istius nobilissimi: Qui nimirum. Simplicius si tanta adhuc iuuenis, adhuc miles, adhuc intonsus operatus est : quanta (quæso) inde factus Pontifex egisse æstimandus est à nobis? Denique ille summi Sacerdotij ordinatione susceptâ, & coniuge in sororem commutata, non minus castitatis quam religionis exemplo existens venerabilis, clementi satis & miti affectu se tamquam pium patrem & pastorem exhibebat subiectis. Sed heu: hunc sortis humanæ inclementia maturiùs mundo subtraxit, secundùm illud Sapi. 4. *Iustus si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit, &c.* Huius glorioſi Præsulis sacratissimum corpus debitâ cum veneratione conditum fuit in Ecclesia de Castro, vbi digno honore asseruatur. Quam quidem Ecclesiam (vt superiùs dictum est) idem Pontifex Simplicius dicitur propriis extruxisse impensis. Verum quia postmodum sanctus Austregisillus adunatis secum multis religiosis viris, Monasterium illic constituit: ac eandem Basilicam ædificiis ampliauit, dotauit redditibus, multis priuilegijs & gratijs munuit, & (quod his præstantius est) precioso sui corporis thesauro amplificè ditauit: constat eam ex ipsius vocabuli appellatione fuisse vulgariter denominatam. Sedit autem Sanctus Simplicius annis septem & tribus mensibus ab anno 470. ad annum 477. præsidente Romæ Simplicio: Imperantibus Leone & Zenone, atque regnante in Francia supradicto Hilderico.

CAPVT XVI.

De Thetradio decimosexto Biturigum Archiepiscopo.

DEcimus sextus S. THETRADIVS sacerdotij apicem gessit, vir vtique in scripturis diuinis nobiliter exercitus, prudentiâ quoque singulariter ornatus. Huius meminit memoratus Sidonius in epistolis, cum appellans meracissimum scientiæ fontem. Tunc temporis Sanctus Marianus Monachus apud Spinolaium vicum summâ mentis integritate florebat; Ad quem Reuerentissimus Patriarcha Thetradius accedere dignatus (sicuti refert Gregorius Turonensis) oratorium eius sacerdotali benedictione solemniter consecrando dedicauit. Sed quum eundem beatus Pontifex presbyteratus honore vellet insignire, eique certam pecuniæ summam charitatiuè offerret; ille hæc omnia prorsus respuens humiliter respondit, se vastam solitudinem non propter sæculi diuitias aggregandas, sed propter paupertatem, quâ regnum Dei promereretur, acquirendam expetisse. Cæterum Præsul hic dignissimus florentissimè agens decimum sui Pontificatus annum, interesse curauit primæ Synodo Aurelianensi, Episcoporũ triginta trium, quorum ista sunt nomina, vt scribit Petrus Crabbe Conciliorum Generalium atque Prouincialium digestista, *Thetradius Bituricensis Metropolis*, Licinus Turonensis metropolis, Gildardus Rothomagensis metropolis, Cyprianus Burdegalensis metropolis, Leontius Tholosanus metropolis, Thetradius Auscíorum, Auentinus Dinensis aliàs Dignensis metropolis, Eufrasius Aruernen. Eraclius Parisiacensis, Adelfius Rauracen. Theodosius Autissiodorensis, Boëtius Cadurcensis, Chronopius Petragoricensis, Camillianus Trecassinus, Eusebius Aurelianen. Edibius Ambianen. Eustorchius Andegauensis, Epiphanius Nanneticen. Gestilius Vasensis, Quintianus Ruthenen. Leontius Constantiensis, Lupicinus Engolismensis, Litharedus Lexouiensis, Lupus Suessionen. Leuantianus Siluanectensis, Mauricius Ebroicen. Melanius Redonen. Modestus Veneten. Melanius Viromandensis, Nepus Abrincen. Petrus Xantonen. Principius Cenomanensis, Sophronius Nouiomensis, & alij. Hanc Synodum scribit Sigibertus incidisse in annum Dominicæ Incarnationis 512. Sed Ioannes des Cortils longè aliter rem digerit in Mari historiarum capitulo 24. §. 3. libri primi de Origine Francorum, quin & Iacobus Bergomen. in supplemento Chronicorum asserit eandem Synodum fuisse celebratam anno salutis humanæ 488. Quibus certè libentiùs accedo, quòd constet tunc temporis claruisse supradictum Thetradium Bituricensem, interfuisseque memoratæ Synodo, non autem vixisse vsque ad annum, quo sicuti diximus narrat Sigibertus primùm apud Aurelianos conuenisse sanctos Patres; Canones verò eiusdem Concilij hic inserere pro superuacaneo habui, idcirco quòd cum decretis

Generalium Conciliorum impressioni traditi sunt. Sedit autem venerabilis Patriarcha Thetradius decem & nouem annis ab anno 477. ad ann. 496. præsidentibus Romæ Simplicio, Felice II. Gelasio, Anastasio, & Symmacho, Imperantibus Zenone, & Anastasio, Regnantibus Hilderico & Clodoueo magno, qui primus Regum Francorum fidem Christi suscepit.

CAPVT XVII.

De Roricio decimo septimo Biturigum Archiepiscopo.

DEcimus septimus præfuit Dominus RORICIVS vir insignissimus, qui postquam primam Aquitaniæ sedem tenuisset annos duodecim excedens à sæculo, collectus est ad Patres, anno Domini quingentesimo septimo. Claruit autem ab anno 496. ad annum 508. præsidente Romæ Symmacho, Imperante Anastasio, & fœliciter regnante in Francia supradicto Clodouæo Christianissimo.

CAPVT XVIII.

De Siagrio decimo-octauo Biturigum Archiepiscopo.

DEcimus octauus præfuit Dominus SIAGRIVS vir, moribus, continentia, & eruditione præcipuus. Anno Pontificatus eius septimo Christianissimus Rex Clodoueus regno Francorum per omnes Gallias dilatato, nec-non ipso legitimè & pacificè confirmato, moritur ac sepelitur Parisiis in Basilicâ diuæ Genouefæ, quam ipse & Regina Clotildis ædificauerant in memoriam sancti Petri Apostoli. Sedit verò idem Dominus Siagrius decem & nouem annis ab anno 508. ad annum 527. sub summis Pontificibus Symmacho, Hormisda, & Ioanne primo, Imperantibus Anastasio, & Iustino seniore, Regnante in Francia Clodoueo magno, & post eum quatuor filiis eius simul regnantibus, videlicet Theoderico, Clotario, Clodomire, & Hildeberto, seu Childeberto.

CAPVT XIX.

De Humato decimo nono Biturigum Archiepiscopo.

DEcimus nonus præfuit Sanctus HVMATVS vir genere, pietate, & doctrina insignissimus. Cuius Pontificatus anno primo accidit Bituris celeberrimum illud miraculum de puero Iudæo, quem gloriosissima virgo Maria Dei genitrix eripuit de medio fornacis ardentis, quemadmodum tradunt veteres annales, & Petrus Rossetus refert in hæc verba dicens. Apud Bituriges puer quidam fuit corporis & animi præstantiâ admodum insignis, Iudæo patre Vitrcario natus, & pueris Christianis familiariter vsus, atque à patre flagellis persæpe cæsus, quod Christianorum consuetudine nequaquam vti desineret: Is enim semper eisdem inhærens cœptis, in die Paschæ cum pueris Christianis, quos potissimum amabat, ad ædem sacram proficiscitur, cui placidè ante aras astanti, virginis Mariæ effigies subrisit, cuius pulchritudine supra modum puer oblectatus, ad aram properat, atque sacratissima Eucharistia suppliciter vescitur, lætúsque domum repetit. Postquam illum pater sacratissimo Eucharistiæ cibo vsum fuisse comperit: è vestigio eum crudelissimè pugnis cæsum in flagrantem fornacem coniecit, cui statim diuinam opem imploranti mitissima Dei Mater virgo Maria succurrit: atque illum albo panniculo protegit, interea sæuissimi Iudæi vxor casum filij maximè dolens, foras egreditur, per vicos, per compita vociferatur, eiulátque, qua quidem voce ingens Christianorum manus collecta ad domum atrocis Iudæi confluit; Ad quam quum omnes peruenissent: subitò puerum in mediis ignibus illesum leniter quiescere conspiciunt. Ille verò populi strepitu excitus fornace celeriter egreditur, atque cunctis admirantibus incolumem

sese ostentat. Populus verò apprimè iratus sceleratissimum patrem in fornacem trusit, mox ille ignibus correptus, statim mortem oppetit, eiúsque cadauer in cineres effluxit. Proinde puerum Sanctus Pontifex Humatus omnium primus interrogat, puer quidem virginem Mariam apud populum commendans, vt facta sunt omnia, commemorat, posthac domum Iudæi ciues funditus euertunt, atque in eodem loco (quem Furnum-calidum ob hoc nunc vsque Bituri vocant) templum Virgini Mariæ condunt. Extat opus satis egregium à memorato Rossero super hac re editum carmine heroïco. Isdem temporibus sanctissimus Benedictus Abbas Italicus diuino illustratus spiritu, Monachorum regulam sermone luculentam, discretione præcipuam (beato Papâ Gregorio astipulante) composuit, cuius mentionem non præterisse operæ precium fuit, idcirco quòd ex clarissimo Ordine ipsius plures tum sanctitate, tum scientia insignes viri emersere, qui dignè ac laudabiliter Bituricensem rexerunt Ecclesiam. Cæterùm glorioſus Pontifex Humatus quum erga pietatis opera, peruigili sollicitudine infatigabiliter insisteret: atque indesinenter diuinorum meditationi librorum inhæreret: ac etiam beatitudinem æternam, intimæ speculationis serenitate iugiter contemplaretur: ad felicem terminum tota animi viuacitate festinans, non plus quàm quatuor annis summo functus sacerdotio, è vita excedit Angelorum sociandus choris. Claruit ab anno 527. ad annum 531. præsidentibus Romæ Bonifacio & Ioanne II. Imperantibus Iustino seniore, & Iustiniano. Regnantibus in Francia Clothario, Theoderico & Childeberto seniore.

CAPVT XX.

De Honorato I. vigesimo Biturigum Archiepiscopo.

VIgesimus præfuit Sanctus HONORATVS vir doctrinâ, moribus, & vitâ præcipuus. Iste (quemadmodum refert Petrus Crabbe in libro Conciliorum, præsedit secundæ Synodo Aurelianis habitæ anno Domini 536. Regnante Chideberto Clodouei magni filio, cui etiam affuerunt hi Sancti Patres, Flauius Archiepiscopus Rothomagensis, Iniuriosus Archiepiscopus Turonensis, Iulianus Archiepiscopus Viennensis, Orbatus Presbyter pro Leone Archiepiscopo Senonensi, Proculeanus Archiepiscopus Auscensis, Laurentius Presbyter pro Gallo Aruernensi Episcopo, Sustratius Episcopus Caturcensis, Emilius Episcopus Parisiensis, Aspasius Episcopus Meldensis, Agrippinus Heduorum Episcopus, Cronopius Episcopus Petragoricensis, Calixtus Episcopus ..... Clarentius Episcopus .. .. Eleutherius Episcopus Autiliodorensis, Ætherius Episcopus Carnotensis, Eumerius Episcopus Nannetensis, Eusebius Episcopus ,..... Importunius Episcopus ..... Innocentius Episcopus ..... Leoncius Episcopus Aurelianensis, Lupicinus Episcopus Engolismensis, Lauto Episcopus Constantiensis, Marcus Episcopus ..... Marcellus Episcopus ..... Perpetuus Episcopus Abrincensis, Præsidius Episcopus Conuenarum, Passiuus Episcopus Sagiensis, Eladius Presbyter pro Sebasto Episcopo ..... Asclepius Presbyter pro Adelphio Episcopo Rauracensi, Præsidonius pro Artemio Episcopo. Cæterum iab eisdem Sanctis Patribus ea, quæ sequuntur, inter cætera ordinata sunt. Nullus Episcopus de quibuslibet causis, vel Episcoporum ordinationibus: cæterorúmque Clericorum aliquid præsumat accipere. Quia Sacerdotem nefas est cupiditatis venalitate corrumpi. Si quis autem Sacerdotium per pecuniæ nundinum execrabili ambitione quæsierit, abiiciatur vt reprobus, quia Apostolica sententia donum Dei esse præcipit pecuniæ trutina minimè comparandum. Item, nullus Clericorum sine permissione Episcopi sui, cum secularibus habitare præsumat: quod si presumpserit, ab officij communione pellatur. Item, Clerici, qui officium suum implere despiciunt, aut vice sua ad Ecclesiam venire detractant, loci sui dignitate priuentur, &c. Multa alia fuere illic pro tempore decreta, quæ breuiandi studio præterimus, eo quod apud Petrum Crabbe constet ea omnia haberi. Cæterùm hoc in loco notandum quod numerus annorum Pontificum Biturigensium huc vsque integrè perductus, in sequentibus plerumque adeò corruptus inueniebatur in antiquo catalogo: vt ipsum liquidum emendare, ire per extensum funem minus fuerit operosum. Siquidem dictus Honoratus legitur

Digitized by Google

in eodem veteri catalogo præfuisse Bituricensi Ecclesiæ xj. annis, & post illum alter Honoratus annis quatuordecim, sed & Archadius xxix. annis præfuisse inuenitur, sed hoc inscitiæ vitio effectum est, nam si primus Honoratus (quem constat cœpisse anno domini 531.) Pontificatum tenuisset vndecim annis, vtique peruenisset vsque ad annum dominicæ incarnationis 540. quo iam sanctus Archadius (vt aliquanto postea docebitur) cathedram Bituricensem conscenderat, nec locus inter ipsum & memoratum Honoratum remansisset, quo Honoratus secundus locari potuisset; Item eiusdem Archadij tempus protelaretur vsque ad annum salutis 58 quo (vt etiam suo in loco perspicuum fiet) Remigius post ipsum Archadium, Desideratum, Probianum, & Felicem, in Pontificalibus agebat, constat igitur luce clarius multò plures annos mendaciter additos fuisse Honorato primo, item Honorato secundo, & Archadio, quàm ipsi in pastoralis curæ regimine peregerint. Vt ergo (potiorum salubri iudicio) numerus annorum qui excedit, possit ad perpendiculum emendari, & ratio concurrentium temporum facile cognosci: operę pretium est ordine retrogrado subscribere Archadio annos quinque, Honorato secundo tres, & Honorato primo sex dumtaxat. Hic autem claruit ab ann. 531. ad 537. præsidentibus Romæ in sede Apostolica Ioanne II. Agapito, Silverio, & Vigilio, Imperante Iustiniano, qui libros legum Romanarum abreuiauit in vno volumine, quod Iustinianæum vocatur; Tunc quidem tripartitum erat regnum Francorum, Theodoberto, Clotario, & Childeberto.

CAPVT XXI.

De Honorato, vt volunt, huius nominis II. vigesimo-primo Biturigum Archiepiscopo.

VIgesimus primus præfuit S. HONORATVS huius nominis secundus, vir sapientissimus atque summa virtutum integritate reuerendus. Iste quemadmodum habetur in decreto magno distinctione decima sexta, capitulo, sexta Synodus, quod quidem fusiùs describit Petrus Crabbe in libro Conciliorum; apud Aruernam ciuitatem conuocatis sanctis præsulibus Flauio Remensium Archiepiscopo, Gallo Claromontensi Episcopo, Gregorio Lingonensi Episcopo, Hilario Gabalitanensi Episcopo, Ruricio Lemouicensi Episcopo, Nicetio Treuerensi Episcopo, Deuterio Loteuensi Episcopo, Dalmacio Rutenensi Episcopo, Lupo Cathalaunensi Episcopo, Domiciano Tungrorum (quod est Traiectum) Episcopo, Venantio Veronensi Episcopo, Grammatio Metensi Episcopo, Desiderato Virdunen. Episcopo, & Superio Auenticorum Episcopo, Synodum agens, hæc inter cetera ordinari curauit, huiusmodi præfatione habita; apud Ecclesiam Aruernam, sub die sexto iduum Nouembris, anno Domini quingentesimo trigesimo nono, quum in Dei nomine congregante spiritu sancto, consentiente Domino gloriosissimo pioque Rege Theodoberto sancta Synodus conuenisset: ibique flexis genibus in terram, pro Rege, pro eius regno, & longæuitate vitæ, & pro populo Dominum deprecaremur, vt qui nobis congregationis tribuerat potestatem, regno eius Dominus noster felicitatem tribueret, Imperium regeret, & in iustitia gubernaret, in Ecclesia ex more consedimus, inspectisque canonibus, id nobis rationabile visum est, vt quamuis Ecclesiasticæ regulæ penè omnia comprehendant: quædam tamen vel addererentur noua, vel repeterentur antiqua.

Igitur placuit imprimis, vt quotiens secundùm statuta patrum, sancta Synodus congregatur, nullus Episcoporum aliquam prius causam suggerere audeat, quam ea quæ ad emendationem vitæ, ad seueritatem regulæ, ad animæ remedium pertinent, finiantur.

Placuit etiam vt sacrum quis Pontificij honorem non votis quærat, sed meritis, nec diuinum videatur munus comparare rebus, sed moribus, atque eminentissimæ dignitatis apicem omnium conscendat electione, non paucorum fauore.

Sit in eligendis sacerdotibus cura præcipua, quia irreprehensibiles esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis. Diligenter itaque quisque inspiciat prædium dominici gregis, vt sciat quod meritum constituendi deceat esse pastoris. Epi-

copatum ergo desiderans electione clericorum vel ciuium, consensu etiam Metropolitani eiusdem prouinciæ Pontifex ordinetur, non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate subdolâ ad conscribendum decretum alius hortetur præmijs, alius timore compellat. Quod si quis fecerit, Ecclesiæ cui indignus præesse cupit, communione priuabitur. Item si quis cuiuscumque Ecclesiæ munuscula quælibet, qualibet sub sacramenti scripturâ collata, nefariâ calliditate fraudauerit, inuaserit, retinere tentauerit, atque suppresserit, & non statim à sacerdote commonitus, collata reddiderit, ab Ecclesiæ Catholicæ communione pellatur.

Item Episcopus, presbyter, atque Diaconus tam sancta conscientia resplendeant, vt effugiant improbitatem actuum, maledicorum obloquia, & testimonium in se diuinum implere contendant, quo Dominus ait: *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est*, igitur authoritate canonica, aliqua mensura in ea constitutione sanximus, vt fugiatur ab his extranearum mulierum culpanda libertas, & tantum cum auiâ, matre, sorore, vel nepte (si necessitas compulerit) habitent, in cubiculo etiam horum, atque cellario, vel familiari quolibet seruitio, neque sanctimonialis vlla, neque extranea mulier, neque ancilla vllomodo admittatur. Quod si quis præceptorum Dei immemor crediderit contemnendum, sciat se authoritate canonica, communionis sine dubio iacturam subire. Quòd si antistes culpam hanc in presbytero aut diacono suo distringere canonico rigore noluerit, ipse seueritate sententiæ feriatur, &c. Hæc sunt quæ à beatissimo patre Honorato referuntur fuisse constituta apud Aruernum oppidum (qui Clarus mons dicitur) per quæ ad posteros multa manauit vtilitas. Ipse verò rexit Bituricensem Ecclesiam tribus dumtaxat annis ab anno 537. ad 540. sub summo Romanorum Pontifice Vigilio, Imperante Iustiniano, & regnantibus in Francia, Clotario primo, Childeberto, & memorato Theodoberto.

CAPVT XXII.

De Arcadio vigesimosecundo Biturigum Archiepiscopo.

VIgesimus secundus præfuit S. ARCHADIVS vir cum nobilitate, tum sanctitudine insigniter venerabilis. Huc interfuit Concilio Aurelianensi tertio, quod inter initia Pontificatus eiusdem videlicet anno regni Childeberti senioris vigesimo sexto, die quarto nonarum Martij, celebratum est, authore sancto Albino Andegauensi Episcopo, vt habetur in decreto magno, distinctione decima sexta, cap. Sexta synodus, &c. Huic autem synodo interfuere & hi sancti Patres, Lupus Lugdunensis metropolitanus Episcopus, Flauius Rothomagen. Archiepiscopus, Leo Senonens. Archiepiscopus, Agrippinus Eduorum Episcopus, Patagatus Viennensis Archiepiscopis, Antoninus Aurelianen. Episcopus, Artheinius Carnoten. Episcopus, Æmelius Parisiorum Episcopus, Leucadius Trecassinensis Episcopus, Lauto Constantinensis Episcopus, Licinius Ebroicen. Episcopus, Placidus Matisconen. Episcopus, Theobaldus Lexouien. Episcopus, Vrsulus Gratianopolitanæ Ecclesiæ Episcopus, Campanus presbyter directus ab Iniurioso Turonensi Archiepiscopo, Anolus presbyter directus ab Agricola Cabilonense Episcopo, Marcellianus directus ab Eumerio Nannetens. Episcopo, Passiuus Sagiensis Episcopus, Rusticus Niuernensis Episcopus, Eleutherius Autissiodorensis Episcopus, Euantius Presbyter directus à Gallo Aruernensi Episcopo, Vedastus Presbyter directus à Perpetuo Abrincensi Episcopo, Vincentius Presbyter directus à Sustratio Cadurcensi Episcopo. In veterum memoriis leguntur hæc ab eisdem Sanctis Patribus fuisse statuta.

Nullus ex Laïcis ante annualem conuersionem vel ætatem legitimam, id est viginti quinque annorum, Diaconatus, & triginta Presbyter ordinetur, ita tamen ne aut duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus, aut qui publicè aliquando arreptus sit, ad supradictos Ordines promoueatur, &c.

Si quis Clericus furtum aut falsitatem admiserit, (quæ capitalia etiam ipsa sunt crimina) communione concessa, ab ordine degradetur. De periurio verò id censuimus obseruandum, vt si quis Clericus in causis quæ sub iureiurando finiendæ sunt præbuit iuramenta, & post rebus euidentibus detegitur peieraſſe, biennij tempore

tempore à communione pellatur. De agellis verò, ceteríſque facultatibus Eccleſiaſticis à Sacerdotibus non alienandis, nec per contractus inutiles obligandis, priorum canonum ſtatuta ſeruentur vt nobis per nullos contractus res Eccleſiaſticas alienare, aut inutiliter liceat obligare. Ea etiam quæ de rebus Eccleſiaſticis ab anteceſſoribus alienata vel quibuſcunque inſtrumentis inutiliter in diſpendium Eccleſiæ obligata noſcuntur, & intra trecennaria tempora repetitio ſuppetit, quæ acta ſunt ſuffragante iuſtitia per publicum, aut clericorum iudicium reuocentur. Item quia perſuaſum eſt populis die Dominico cum caballis & bobus & vehiculis itinerare non debere, neque vllam rem ad victum præparare, vel ad rationem domus vel hominis pertinentem nullatenus exercere (quæ res ad Iudæam magis quàm ad obſeruantiam Chriſtianam pertinere probatur) id ſtatuimus die Dominico quod ante fieri licuit, licere: De opere tamen rurali, ideſt, agricultura, vel vinea, vel ſectione, vel meſſione, excuſſione, vel exacto cenſuimus abſtinendum, quo facilius ad Eccleſiam venientes vacent orationi. Quòd ſi inuentus fuerit quis in operibus ſupradictis (quæ interdicta ſunt) ſe exercere: qualiter emendare debeat, non laici diſtrictione, ſed in Sacerdotis caſtigatione conſiſtat, &c. Quæ nimiæ prolixitatis vitandæ gratia hic poſita non ſunt. Cæterùm illuc iam vnde cœpit recurrat oratio; Sanctiſſimi itaque ac beatiſſimi Patris noſtri Archadij admiranda conuerſatio & vitæ ſinceritas dum eximio ſplendore illuſtraret vniuerſam Galliam adeò quidem vt Dei ad amorem ſuo exemplo inuitaret totius populi affectum, & multa propter diuinæ ſeruitutis culturam abiuratâ prorſus ſæculi conuerſatione, ad ipſum ſanctum virum, quem optimè nouerant, Apoſtolica perfectione incomparabiliter fulgere peræquè agminatim confluerent tanquam in morum aſylum, inter cæteros beatus Patroclus vir ingentis meriti, fundator Columbarienſis Cœnobij in adoleſcentia ſua ne vxorem ducere à viduâ matre cogeretur, clam elapſus, ad reuerendam huius almi Præſulis celſitudinem confugit: A quo benignè exceptus ac comiter perhumanéque tractatus, Diaconii ordinatione ſuſceptâ, tam precioſis, támque odoriferis virtutum ornamentis ad illius exemplum eniteſcere eſt vſus, vt per eum adhuc ſub magiſterio ſancti Pontificis Archadij agentem, crebertimè fierent miracula ingentia; Vnde ſi tantus ac talis extitiſſe perhibetur diſcipulus, qualis & quantus fuiſſe (quæſo) exiſtimandus eſt præceptor & magiſter eius, videlicet, beatiſſimus Patriarcha Archadius, à quo iſte Patroclus vnde proficeret, rudimenta exercitii ſpiritualis hauſit? Sed (quod dolenter dico) maiorum noſtrorum res præclarè geſtas, alioqui poſteritati multum profuturas, non ſine craſſa negligentia antiquitas ſuo texit ſilentio: Siquidem nil præter nomina Pontificum noſtrorum plerumque inuenimus, quos tamen morum probitate, & ſingulari ſapientia conſtat eſſe dignos qui poſteritatis memoriam promereri videantur. At idem glorioſus Pontifex Archadius, poſtquam rexiſſet Bituricenſem Eccleſiam, annos quinque, ex hac luce ſubtractus Kalendis Auguſti feliciter migrauit ad Chriſtum. Cuius ſacratiſſimum corpus cum debitæ venerationis honore traditum fuit ſepulturæ in Baſilica S. Symphoriani Martyris, vbi nunc vſque glorioſè quieſcit, iuxta corpus S. Vrſini primi eiuſdem Biturigæ ciuitatis Epiſcopi. Quam quidem Eccleſiam fuiſſe olim conſtructam per eundem diuum Vrſinum teſtatur Gregorius Turonenſis capitulo 80. libri in gloriam Confeſſorum. Idem autem locus cùm antiquitatis iure, tum multorum Sanctorum ibidem iacentium præſentiâ venerabilis & deuotioni accomodatiſſimus cernitur. Quo tunc temporis Monaſticus ordo florentiſſimè vigebat, ſed deinceps ſeneſcente mundo, atq; ſecundum D. N. I. C. ſententiam charitate in hominibus refrigeſcente, illic ſanctæ religionis feruor repuit, & collegium Canonicorum ſæcularium (ne diuini cultus miniſtris penitus deſtitueretur tam venerabilis locus) inſtitutũ eſt. Claruit autẽ idem S. Præſul Archadius ab an. 540. ad 545. temporibus Vigilij Papę Iuſtiniani Imperatoris, regnantibus in Francia Clotario I. Childeberto ac Theodeberto.

CAPVT XXIII.

De Deſiderato decimo tertio Biturigum Archiepiſcopo.

VIgeſimus-tertius præfuit Sanctus DESIDERATVS, cuius geſta quidam Abbas Bouienſis Eccleſiæ ſimplici ſermone ad poſteros tranſmiſit, quæ

iuxta vetus exemplar, mendis fideliter eruderatis, subiecimus.

Temporibus Clotarii Principis, tenente illo sceptra regni Francorum, Suessionico oppido, quinque miliariis distante ab ipsa ciuitate nuncupato Sauciaco, hi tres venerabiles viri Desiderius, Deodatus, & Desideratus, Patre Augino viro illustrissimo, matre vero Agia fœmina generosissima procreati, adeò fuere circa Dei cultum & pia opera studiosi: vt cuncta quæ possidebant in diuersis necessitatibus hospitum, pauperum, peregrinorum & Monachorum liberaliter impenderent. Erant autem fidei integritate puri, longanimitatis spe floridi, sapientiæ luce conspicabiles, charitatis non fictæ gratia insignes, in quorum domo non vt assolet in quorundam sæcularium conuiuijs, mimorum vel histrionum carmina fœda: sed Euangelica & Apostolica, siue prophetica personabant oracula, illum diem ducentes solemnem, quo aliquem verbi diuini præconem hospitio susceipere meruissent. Primogenitus itaque Desiderius Monasticam vitam eligens, Martyrio tandem ob fidei Christianæ defensionem coronatus est; Deodatus verò Thesaurorum Regalium summus & fidelis procurator effectus, quamuis in sæculi dignitatibus politus fuisset: Religiosam tamen vitam ducebat, iustus, timoratus, amabilis, pius, prudens, largus ac profusus in eleemosynis erogandis. Et hic nocte, dum orationibus inuigilaret, ab æmulis, qui ob bonitatem & eminentiam eius ei inuidebant, necatus est. Sanctus autem Desideratus Auricularis officium in aula Regis sortitus, ad edicta regalia signanda, quorum ipse conscriptor erat, sigillum vel annulum Regis custodiebat. Erat enim sensu prouidus, eloquio dulcis, vultu decorus, & ante omnia, in charitate Christi bene fundatus. Denique in tantum regi & optimatibus cunctis efficiebatur gratus & amabilis, vt ad illius nutum cuncta gererentur palatina negocia & eius consilium tam Rex ipse quam cuncti magnates, tanquam diuinum oraculum exciperent: Denique assiduè Regem hortabatur, vt Regem Christum omnium conditorem ac redemptorem, (sine quo nullus iustè regnat) diligendo, timendo, cunctisque eius mandatis obediendo coleret, subiectorum populorũ se socium magis quam dominum æstimaret, subditis parceret, superbos debellaret, fines imperij defenderet, & ad abundantiorem Christi Ecclesiæ pacem dilatare contenderet, flagitiosas personas vt pote fures, homicidas, hæreticos maximè à regno detruderet: admonens Sanctorum locorum præ omnibus curam gerere renouandorum vel construendorum Cœnobiorum operibus studiosè insistere, peregrinis, pauperibus, orphanis, omnibúsque necessitatem patientibus piè subuenire, dicens, iustum esse, & Deo acceptum, vt cunctorum sibi subiectorum necessitatibus compareretur. At glorioſissimus Rex Clotharius huius nominis primus, monitis viri Dei libenter aurem accommodabat: quamobrem cunctis hostibus fortior extitit: & omnibus regibus, qui se præcesserant, felicior fuit. Beatus igitur Desideratus inter hæc licèt in palatio Regis sub tegmine militari stare videretur potiùs, tamen Monachus quàm Laicus ab omnibus noscebatur. Nam sæpissimè vestibus ornatus preciosis & aureo præcinctus Baltheo foris apparuit: sed interior eius habitus cilicium asperrimum fuit. Persistebat in orationibus, in ieiunijs, in hospitum susceptione terrenam patriam vt exul incolebat, cœlestem verò vt propriam diligebat. Hac (inquam) vtebatur vt exul; ad illam tendebat vt ciuis. Porro ipse meditabatur incessanter, quomodo cunctis sæculi dignitatibus relictis, se soli Deo militaturum in Monasterij claustris offerret. Siquidem Rex & cuncti optimates ei pluriimum resistebant, dicentes eum potius plurimorum vtilitati debere consulere, quàm suæ particulari satisfacere deuotioni. Itaque vir Deo plenus videns se ratione pariter & Regia auctoritate astrictum (sciebat enim scriptum, *omnibus potestatibus sublimioribus subditi estote, & reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*) ab hac intentione ad tempus ardentem animum finxit repuisse, sed qualis intus erat, exterior actio euidentius monstrabat. Adhærebat autem illis quos fidei puritas & morum sanctitas commendabat. Hæreticos verò perhorrescens eos graui odio persequebatur. Nam quendam praui dogmatis assertorem missum ex Asia, qui Heduorum ciuitatem pestifero doctrinæ suæ veneno infecerat, detexit: & confutatum de regno expulit. Simoniacam etiam labem, quæ Aruernensium & Biturigensium, necnon totius penè Aquitaniæ fines polluerat, auxilio Regis, & verbo sanctę prędicationis eliminauit. Interea defuncto Beato Archadio vrbis Bituricæ Archiepiscopo veneratione

digno, S. Desideratus tam Regis quam Principum, cleri ac populi fauore, suffragio, electione, ad subeundum pondus pontificatus compellitur. Quo quidem suscepto, quum in sede primâ Aquitaniæ aliquandiu resedisset, & grauem ob causam Hispaniarum fines ingressus, comperisset eandem regionem ab annis septem, rore cœli & pluuiæ stillicidio penitus caruisse: oratione fusa ad Deum, apertionem cœli, & imbrium effusionem à Domino largam obtinuit, subsequente fructuum, arborum, & terræ nascentium vbertate maxima; In quo nimirum facto, morem sancti Helyæ Prophetæ (cuius ipse in multis extitit sedulus imitator) tenuisse inuenitur; quo orante cœlum (quod fuerat peccatis hominum exigentibus clausum ne plueret annos tres & menses sex) dedit pluuiam, & terra fructum suum. Denique iste sanctissimus Præsul non virginitatem Helyæ solùm, sed & zelum in peccantes imitatus, Reges & potentes frequenter liberrimâ increpatione redarguit. Ipsum verò nullius terrores, nullius blandimenta à rectitudinis tramite abducere potuerunt. Confœderato igitur populo Hispaniarum, & magnificè confortato in fide, verbo & miraculo, quùm ad sedem suam reuertens per Andegauensem Diœcesim iter ageret: pauper quidam (cuius manui lignum quo contra præceptum Ecclesiæ, molam farinariam rotare die Dominico præsumpserat tam strictè hærebat, vt nullatenus auelli posset) procidens ad vestigia eius miseriam suam peccatúmque lachrymabiliter confessus, rogabat, vt Dei seruus sui misereri dignaretur. Nec mora vbi Pater Sanctus homini huic benedictionis munus impendit, manum illius sanauit, ac eam è vestigio pristinæ consuetudini deseruire concessit: ita duntaxat vt dominicis diebus & festis sanctorum solemnibus ab opere seruili abstineret, Ecclesiam frequentaret, orationi vacaret, verbum salutis audiret, communionémque Sanctam interdum deuotè susciperе memineret. Non multò pòst vir quidam genere haud ignobili gloriosus, abundè diues apud Bituricas tam aduersa valetudine tenebatur, vt iam exanimis effectus à multis crederetur. Siquidem vt ipse postea referebat, in extasi positus multa inferni supplicia est contemplatus. Cui tandem apparens sancta Virgo Eulalia dixit, quod si in eodem quo ipse æger iacebat loco Cœnobium Monialium construere vellet: mox accepta benedictione S. Patriarchæ Desiderati, non solum morbo erueretur: verumetiã vita eius ad vigesimum vsque annum inde protelaretur. Spopondit itaque quæcunque petebatur se libenter facturum, sicque illa visione ab oculis eius disparente, ad se reuersus, multis & assiduis precibus petita & obtenta sui Pontificis Benedictione, eueſtigio est omni morbo liberatus. Huic tam grandi spectaculo Rex Clotarius & multi alij affuerunt, Dei omnipotentiam admirantes, & amicum Christi beatum Desideratum insigniter probantes, perfectæ laudis amplissimum ei testimonium reddiderunt. His ita se habentibus, venerabilis Pater Desideratus Romam caput orbis proficiscі disposuit. Quo cùm peruenisset: prosternens se singulis memorijs sanctorum Apostolorum & Martyrum, sic incumbebat sedulæ precationi, sic compunctione cordis & rerum cęlestium contemplatione penitus obruebatur: vt vbicunq; in oratione iacuisset, flumine lachrymarum irrigaret pauimentum. Quo sanè effectum est, vt ipsi apud beatum Petrum psallenti atque dicenti hunc versum, *Exultabunt sancti in gloria*, responsum sit diuinitus, *Lætabuntur in cubilibus suis*. Perfectis autem orationibus pro se & totius Ecclesiæ militantis pace ad sepulchra beatissimorum Apostolorum venerabilis senex diuina reuelatione admonitus, vt ad propriam sedem reuerteretur, acceptis plurimorum Sanctorum reliquiis, tandem prospero itinere redditur suæ ciuitati, Rege nimirum exultante, ac cunctis optimatibus cum vniuerso Clero & populo magnificè Deo gratias agentibus, quòd eorum Pontificem & Patriarcham summum eisdem incolumem restituisset. Tunc quidem perlatum est ad eum Pictauos & Andegauenses, quos iens in Italiam optimè confederatos reliquerat, rursus instigante diabolo inter se magna contrarietate dissidere, ac vtrumque populum odia, iamque concertationes in inuicem hostiliter exercere; Mox erupit in lachrymas pius Pastor, suspiria misit ad cœlos, & inuocato pacis authore Deo, sese concordiæ arbitrum fecit, temperauit litem, pacem composuit. Alio quoque tempore vir Dei audito quòd Saxones atque Austrenses in apertas iras & contumelias aduersum se ambo prorupissent, cupiens etiam inter eos conciliare pacem, illuc multis itineribus Deo ducente peruenit. Quùm autem esset Coloniæ, quendam ex nobiliori genere virum, bonis quidem moribus innutritum; sed beneficio rectæ elocutionis iam vndecim annis priuatum clementi valdè ac benigno affectu intuens extensâ deterâ

signum Crucis capiti eius impressit, cuius benedictionis virtutem, vt ille persensit, illico vsum loquendi recepit, inde verò optimus efficacissimúsque pacis arbiter, memoratis prouinciis ad concordiæ studium reuocatis, quum per Neustriam iter conficiens, Verdunensem ciuitatem intrasset: ecce eidem apud Sanctæ Dei Genitricis Marię oratorium precibus humiliter procumbenti oblata est mulier dirè à dæmonio vexata; Tum ille, qui suapte natura adeò pius & clemens erat, vt nil ab eo præter propensam misericordiam expectaretur: afflictæ mulieri non potuit non condolere Quid igitur? Oratione præmissâ obsessæ mulieris caput sacratis manibus fortiter strinxit, donec hoste fugato, eam penitus liberam, & optimè valentem dimisit. Interea Rex Childebertus Ecclesiarum Præsules iussit apud Vrbem Aurelianensem ob quintam Synodum illic celebrandam conuenire, quinto Kal. Nouembris anno Domini 552. Vbi sanctus Patriarcha Desideratus cum consilio aliorum quadraginta quatuor venerabilium Episcoporum anathematizauit & condemnauit nefariam sectam Eutychetis ac Nestorij. Inter cætera quæ etiam illic ordinata sunt, hic extat articulus, *Si quis de prouincialibus Episcopis à Metropolitano suo ad concilium intra suam prouinciam fuerit euocatus, & præter euidentem infirmitatem ad concilium venire distulerit: atque de synodali conuentu antequam de cunctis concludant sine conuentu concilij ipsius discedere fortasse præsumpserit, sicut & præcedentibus regulis statutum est, sex mensibus à missarum officio suspendatur, &c.* Eo tempore Forbius homo fastuosus, arrogans, voluptuarius, Anicensium (qui nunc Podiani dicuntur) Ecclesiam tenebat. Hic cuiusdam pulchræ mulieris captus prauis cupidinibus, deprehensus atque conuictus est adulterij crimen (quo nullus vitij alicuius rumor spurciùs olet) cum eâ perpetrasse. Quamobrem apud Sanctum Patriarcham Desideratum grauiter accusabatur; Vir autem Domini sciens quam fœdum sit hominem ad summa diuináque prouectum turpiter supplicem esse scorto putidissimo flens amarissimè, illius ruinam deplorabat; Tamen ne sibi culpæ verteretur, si tam graue delictum in suo suffraganeo punire dissimularet; re solerti indagine vestigatâ, inuentâ, & confessâ, eundem Forbium hoc modo Episcopatu abdicauit. Siquidem vices suas cuidam dilecto & fideli socio suo nomine Flauiano magnæ sanctitatis viro ob ætatis prouectæ impotentiam commisit, vt ad ciuitatem Podium accedens, dictum Forbium ab administratione pastoralis regiminis deiceret, vt pote hominem multo dedecore commaculatum, & Pontificalis apicis honore prorsus indignum. Quod vt vir ille omni virtutum genere instructissimus ad effectum ritè perduxit, iam reuertens diem clausit extremum. Cuius morte auditâ Sanctus Pater Desideratus, contristatus, & ex tot itinerum fatigatione confractus prope ingressum Diœcesis suæ morbo febrili ad desperationem vsque medicorum laborare cœpit. Itaque lecto decubans, conuocatis Episcopatus sui maioribus ac senioribus, monitis etiam salutaribus præmissis, infuso sibi Sancto spiritu, prædixit se die Dominica proximâ Sanctâ Deo animam redditurum. Quod & ita rei probauit euentus. Nam ipso (quem sibi fore vltimum prophetando designauit) die, videlicet, octauo Idus Maij, nono Episcopatus sui anno, magnis clarus virtutibus feliciter obdormiuit in Domino, sanctissimum quidem spiritum Deo reddens, terris verò preciosum corporis thesaurum relinquens. Floruit ab anno 545. ad annum 554. temporibus Vigilij Papæ, Imperante Iustiniano; & regnantibus in Francia Theodeberto, Childeberto, atque Clotario primo.

CAPVT XXIV.

De S. Probiano vigesimo-quarto Biturigum Archiepiscopo.

VIgesimusquartus præfuit Sanctus PROBIANVS vir egregiæ vitæ sinceritate clarus. Fortunatus Pictauensis Episcopus homo facundus, & tam rerum quam verborum copia instructus, meminit istius Probiani in libro quem de vita & miraculis beati Hilarij Pictauen. Episcopi eleganter scripsit, hoc modo inquiens. *Igitur Probianus, quum dubio iam vitæ penderet in fine, & spem conualescendæ infantiæ mors inuida parentibus surripere festinaret: nec paruuli funus acerbum considerans, nec desideria ingemiscentis senectutis spectans, auida quidquid inuenit extra sortem concludens, sola intercessione beati Hilarij restituit moribundo salutis occasio, quem Probianum Franco sum genitor &*

Digitized by Google

Periculosa mater, quæ magis conuerso nomine, filij periclitabatur in nece, tam quasi defuncti præmeditantes exequias, eum cum ingenti fletu, in Dei Confessoris Hilarij tabernaculum detulerunt, tunc Sanctus Hilarius ab auctore suo secretæ artis exhibens medicinam, consuetus de dispendio funeris, reddere compendia sanitatis subito, membrorum fluentem fabricam verbo Dei operante, sursum erexit, & in statum pristinam statim ac si nihil esset solubile, reformauit, mox parentum lachrymas lætitiæ mole superueniente siccauit, gemitus (voto succedente) produxit, vbi iam per dolorem non erat, sed per gaudium quod plorarent. Quas pœnas, quæ tormenta mors, ipsa tunc pertulit, quoniam illud quod credebat euadere, sic amisit? Sed mortem vita percussit, qui tamen Probianus ciuitatis Biturig.e apicem meruit obtinere Pontificis, & vsque in hodiernum diem ad luminare sui medici, singulis annis vitæ debita tributa persolut. Hæc eadem refert Magister Ioannes Bouchetl in prima parte Annalium Aquitaniæ, capitulo decimo quinto. Is autem Probianus cum beatissimo Germano Parisiacæ ciuitatis Episcopo, admirandæ sanctitatis viro (quemadmodum superiùs retulimus) exhumauit corpus sancti Vrsini Bituricensium Archiepiscopi primi, ipsumque cum magno totius cleri, ac deuotæ plebis tripudio transtulit in Basilicam Sancti Symphoriani martyris. Quod pleniùs scribit diuus Gregorius Turonensis capitulo octogesimo libri in gloriam Confessorum. Circa hæc tempora Concilium Parisiense primum celebratum est, præsidente eidem Concilio Patre sanctissimo Probiano, vbi hij canones ad reformationem Ecclesiastici status editi sunt; *Nemo excommunicatus ab alio colligatur: item nullus ordinetur Episcopus, nisi quem populi & clericorum electio plenissima quæsierit voluntate, non principis imperio, neque per quamlibet conditionem (contra metropolis voluntatem) Episcoporum comprouincialium ingeratur, quòd si per ordinationem regiam, honoris ipsius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præsumpserit; à comprouincialibus, loci ipsius Episcopus recipi nullatenus mereatur, &c.* Subscriptiones patrum, qui huic synodo interfuerunt; Probianus in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Bituricæ consensi & subscripsi; Prætextatus in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Rothomagensis, consensi & subscripsi, Germanus in Christi nomine Parisiensis Ecclesię Episcopus consensi & subscripsi, Felix in Christi nomine Carnotensis Ecclesiæ Episcopus consensi & subscripsi, Domitianus Tungrensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi, Sanson Dolensis Ecclesiæ Episcopus consensi & subscripsi, Leontius in Christi nomine Episcopus, &c.

Post hæc sanctus Probianus Apostolorum limina visitaturus orationis gratia Romam petiit, vbi dum acri febrium dolore fatigaretur, vitæ termino appropinquans, conuocatis dulcissimis fratribus & filiis viæ suæ comitibus, coram illis commendatâ summo Pastori Christo Domino Bituricensi Ecclesiâ beatum cœlo tradidit spiritum, sepultúsque est apud Sanctum Laurentium extra muros vrbis Romæ. Sedit autem octo annis, ab anno 554. ad annum 562. Præsidentibus in Apostolica sede Vigilio & Pelagio, Imperante Iustiniano, atque in Francia regnantibus Theodoualdo, Childeberto & Clothario primo.

CAPVT XXV.

De S. Felice vigesimo quinto Biturigum Archiepiscopo.

VIgesimus-quintus præfuit Sanctus FELIX. Hic equidem quum tantæ esset sapientiæ tantæque Sanctitatis & eminentiæ, quæ meritò ab omnibus honorari, laudari, ac diligi debuisset: nihilominus à multis ipsum odio graui insectantibus maledicta, conuitia, variásque criminationes sæpenumero est perpessus; sed quum idem esset omni animi magnitudine & constantia præstantissimus, placato vultu, aduersa sicut prospera excipiebat. Pontificatus eius tempore stupenda prodigia, tam in terrâ, quàm in cœlo diuersis in locis apparuere, atque ex aëris corruptione tanta clades hominum subsecuta est: vt totius fermè Bituricensis prouinciæ vrbes ipsa letifera lues inclementissimè depopulata sit. Aliud memorabile factum tunc temporis accidit Bituris; Homo quidam vicinos suos quodam pro crimine impetebat; Quos quum plerumque verbis procacibus lacessiret, ac iudicio publico malignè inimicitérque prouocaret: tandem primorum vrbis sententiâ decretum est vt se ab hac noxâ, qui impetebantur sacramento purgarent; Ingressi igitur Eccle-

siam maiorem sanctissimi Protomartyris Stephani, stantéque ante maius altare (quo incluſus asseruabatur pretiosus sanguis eiusdem martyris, de quo quidem sanguine pars non modica nunc vsque apud sanctum Sulpicium in suburbiis dictæ ciuitatis honorificè in capsâ argenteâ veneratur) quum eleuatis manibus sacramenta proferrent, prosecutor causæ, peieraſſe eos clarâ voce contestaretur, statim virtute sanctarum reliquiarum dicti Martyris in sublime elatis pedibus, in aëra excutitur, ac illiso capite in pauimento, penè exanimis à circumstanti turba conspicitur. Post duarum sanè horarũ spacium miser ille quum ad liquidum putaretur spiritũ exhalasse, apertis oculis, recepto sensu, patriâ voce crimen fatetur, videlicet asserens se impotenti odio violentiaque lingua debacchatum fuisse in famam virorum insontium, & idcirco debita vltione scelus suum diuinitus vindicari, acri supplicio tamen erratum istud expungi. Quo facto maximis laudibus extollitur sanctus Protomartyr Stephanus, & insigne testimonium probitatis & innocentiæ, hij qui falsò accusabantur, referunt. Eadem quoque tempestate, Pelagio Romæ præsidente, Turonica synodus secunda celebrata est iuxta conniuentiam Chariberti regis filij Clotharij primi anno Domini 570. sub die xv Kal. Decembris, præsidentibus ibidem sancto Felice Bituricensi Archiepiscopo, Sancto Prætextato Rothomagensi Archiepiscopo, Sancto Germano Parisiensi Episcopo, Dominano Tungrensi Episcopo, & sanctissimo Donnolo Cœnomanensi Episcopo. Hij inter cætera ordinarunt ea quę subiunximus. *Non debet spiritualis operi etiam regalis præferri præceptio, neque debet terrenæ conditionis actio vel personæ terrere, quos Christus spe crucis armauit, & ideò semel in anno sine cuiuslibet excusatione personæ, ideſt, regiæ vel priuatæ, vel cuiuscunque vilitatis obstaculo præter infirmitatis certissimæ labore præuentum, ad synodum metropolitanus & comprouinciales sui in locum quem deliberatio ipsius metropolitani elegerit conueniant, quòd si aliquis Episcopus venire distulerit, vsque ad maiorem synodum maneat excommunicatus. Item corpus Christi in altari non in armario, sed sub Crucis titulo componatur. Item laici secus altare quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos, tam ad vigilias, quam ad missas stare penitus non præsumant; Sed pars illa, quæ à cancellis versus altare diuiditur, choris tantùm psallentium pateat clericorum. Item mulier intra septa Monasterij nullatenus introire permittatur, si abbas in hac parte, aut præpositus negligens apparuerit, quæ eam viderit & non statim ejecerit, excommunicetur. Item nullus Episcoporum de ordinationibus clericorum præmia præsumat exigere, quia non sacrilegum solùm, sed & hæreticum est, ad ordinandum clericum, per ambitionem ad imaginem Simonis magi, pecuniam offerre sacerdoti, quia dicitur: gratis accepistis, gratis date, & cum talis sit qui gratiam Dei à sacerdote æstimat pretio comparari, qualis ille qui vendit, vterque ad synodum vsque ab Ecclesiâ segregetur.* Multa quidē & alijsibidem à Sanctis Patribus ordinata sunt: Sed ne prolixiorum canonum descriptione plus æquo turgescat pagina, subiectæ materiæ prosequamur ordinem. Igitur Beatus Felix Aquitaniæ Primas cum sanctissimis Præsulibus Prætextato Rothomagensi, Germano Parisiensi, Donnolo Cenomanensi, & alijs multis Patribus singulari sapientia, virtutéque eximia prædictis Turonica Synodo secunda peracta, quùm non solum prædicatione admirabilis facundiæ, verumetiam incomparabili sanctitudine insigniter floreſcens, commissam suæ sapientiæ Ecclesiam Bituricensem opumè rexisset annis multis, sanctam Deo reddidit animam, Calendis Ianuarij, anno Dominicæ Incarnationis quingentesimo septuagesimo quinto. Gregorius Turonensis in libro, qui intitulatur, in gloriam Confessorum, hæc de illo prosequitur; *Post transitum Felicis Bituricorum Episcopi, quum ad eius tumulum (quod marmore exculptum pario, super terram in æde de Castro ad orientalem vrbis plagam erat positum) cæcus quidam lumen oculorum fugatis tenebris recepisset: cognouissetque plebs post mortem eum verè fuisse Dei amicum: quemin corpore adhuc positum obsistentibus mundanis caliginibus ad plenum non meruit agnoscere: cœpit in orationum assiduitate, eius limina penetrare: Sed quoniam (vt diximus) sarcofagus marmoreus viliori lapide obtectus erat: Sagacitas ciuium, & præsertim Episcopi meliori sarcofagum operitorio texit, id est, ex marmore Heracleo: Amoto ergo viliori lapide, post annum ferè duodecimum inuenerunt corpus Beati Confessoris ita illæsum: vt nulla dissolutio in corpore, nulla putredo reperiretur in veste; Sed ita erant cuncta integra, ac si (vt ita dixerim) eadem hora tumulo putarentur ingesta, sed nec ibi quidem misericordia Domini defuit, vt lapis repulsus, non remaneret inglorius; Ferunt enim quòd multi eraso potatóque ex eo puluere modico tam à quartanis, quam tertianis seu quotidianis febribus celeriter liberantur.* Sedit autem glorioſus Pontifex annis quatuordecim tantummodo ab anno 562. ad

annum 576. licet legatur alibi præfuisse annis viginti tres. Floruit præsidentibus Romæ Apostolicis viris Pelagio & Ioanne tertio, Imperantibus Iustiniano & Iustino Iuniore, Regnante adhuc in Francia Clothario primo, & post eum quatuor filijs eius Chilperico, Chariberto, Guntranno & Sigeberto.

CAPVT XXVI.

De S. Remigio decimo-sexto Biturigum Archiepiscopo.

VIgesimus-sextus præfuit S REMIGIVS vir equidem non solùm multis magnificisque virtutum titulis honestatus; verumetiam Apostolicæ gratiæ radiis incomparabiliter illustratus. Huius temporibus vniuersalis conuentus Episcoporum Gallicanæ Ecclesiæ fuit apud Matisconensem ciuitatem, Præsidente Romæ Pelagio secundo, vbi idem Sanctus Pontifex Remigius interesse curauit, atque vt scribit Ado Viennensis Episcopus in commentarijs, decreta Synodalia subscriptione sua roborauit. Huic autem concilio affuerunt & isti venerandi Pontifices, Priscus Lugdunensis, Artemius Senonensis, Euantius Viennensis, Aunarius Autissiodorensis, Agricola Niueruensis, Artemius Vasensis, Esitius Gratianopolitanensis, Aredius seu Eraclius Diensis, Iconius Maurianensis, Marcianus Tarenthasianensis, Namantius Aurelianensis, Pappus Aptensis, Mummolus Lingonensis, Ragnoaldus Valentinensis, Siluester Visoncinensis, Siagrius Eduensis, & Victor Tricastinæ Ecclesiæ Præsul dignissimus. Ab his definitum est, vt Episcopi, Presbyteri, atque Diaconi ita sanctæ conscientiæ luce resplendeant, vt effugiant improbitatem actuum, maledicorum obloquia, ac testimonium in se diuinum implere contendant, vnde ait Dominus, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c.* Igitur authoritate Canonica atque mansura in eum constitutione sanximus, vt effugiatur ab his extranearum mulierum culpanda libertas, & tantum cum auia, matre, sorore, vel nepte, si necessitas fuerit, habitent. Item vt nulla mulier in cubiculo Episcopi absque duobus Presbyteris aut certè Diaconibus ingredi permittatur. Item vt qui oblationes fidelium defunctorum, quæ Ecclesiis conferuntur, retinent, veluti retentores Ecclesiæ & necatores egentium ab Ecclesiæ liminibus arceantur.

Item vt nullus Clericus vestimenta aut calciamenta secularia (nisi quod religionem deceat) induere præsumat. Quòd si Clericus indecenti veste, aut cum armis inuentus fuerit, ita coerceatur, vt triginta dierum inclusione detentus, aquâ tantum & modico pane diebus singulis sustentetur, &c. Cæterum vt ad rem recurrat oratio, quum sub idem tempus ciuitas Biturix (per Beati Remigij sollicitudinem & curam integro Ecclesiæ statu manente, ac ciuibus secundùm leges diuinas exactè conuersantibus) Dei nutu & beneficio multa pace frueretur, Ægidij Remensis Archiepiscopi factione obsessa est ab exercitu Chilperici Regis: talisque depopulatio per totam prouinciam facta fuisse dicitur, qualis ab incunte Christianismo nulla legitur in Aquitaniæ partibus accidisse: Nam (vt furta, prædationes, cædes, incesta, sacrilegia, cæteráque id genus bellorum calamitates breuiandi studio prætereamus) ausi sunt hostes temerè sublaris atque distractis Ecclesiarum sacris vasis & ornamentis pretiosis, etiam easdem Sacratissimas ædes, quod vix Christianæ religionis collibuisset aduersarijs) incendio concremare, & ad solum vsque subuertere. Tantarum igitur inundatione calamitatum in sese penè submersus almi Præsulis animus vt pote intolerabilis mœstitudinis pondere pressus, paulatim deficientibus corporis viribus, eodem anno reuoluto moritur, sepelitúrque in Ecclesia de Castro, cuius post transitum (vt astipulatur diuus Gregorius Turonensis capitulo trigesimo nono, libri sexti historiarum) graui incendio pars maxima Bituricę vrbis cremata est. Huius Remigij meminit Ammonius Monachus historiographus in gestis Francorum, libro tertio, capitulo quinquagesimo quinto. Sedit autem annos duodecim ab anno 576. ad annum 588. Præsidentibus Romæ Benedicto I. Pelagio II. Imperantibus Iustino Iuniore, Tiberio & Mauricio: Regnantibus verò in Francia memoratis superiùs principibus.

CAPVT XXVII.

De S. Sulpicio Seuero vigesimo-septimo Biturigum Archiepiscopo.

VIgesimus-septimus præfuit S. SVLPICIVS cognomento SEVERVS, vir genere, eruditione, & sanctitate clarissimus. Hunc fuisse illum Seuerum Sulpicium (qui actus sancti Martini Turonensis Episcopi scripsit) quidam affirmant. Sed hoc falsum esse studiosus veterum Historiarum inquisitor facilè aduertet. Gennadius enim apud diuum Hieronymum in additionibus de viris Illustribus (quod quidem opus idem Gennadius teste Sguberto compleuit, anno Domini 490. regnante iam magno Clodoueo) asseueranter dixit multò suam ante ætatem illum scriptorem vitæ Sancti Martini è vita excessisse; At istius nostri Sulpicij antecessores Humatus, Honoratus; item alter Honoratus, Archadius, Desideratus, Probianus, Felix, & Remigius (quemadmodum superiùs euidenter ostendimus) Bituricensem successiuè rexere Ecclesiam sub præfati Clodouei successoribus. Quamobrem liquidò constat authorem libelli vitæ sancti Martini non hunc esse Sulpicium Seuerum, qui post Remigium eidem Bituricensi Ecclesiæ præfuit: Ob cuius etiam cognominis similitudinem æstimatus est esse Seuerus ille, qui cum Beato Germano Autissiodorensi Episcopo, Britannias Pelagianæ hæresis errore absoluit. Cui tamen opinioni apertè reclamant Historiographi, videlicet Ado Viennensis, Sigebertus, Vincentius Beluacensis, & multi alij pro comperto affirmantes quòd in secunda profectione ad Britannias, diui Germani comes fuerit Beatus Seuerus Treuerensis Episcopus. Porro & in annis Pontificatus eiusdem Sulpicij grauiter erratum fuisse constat. Quod ex scriptis diui Gregorij Turonensis, viri certè in rerum gestarum cognitione eruditissimi, perspicuum fiet; Ait enim idem Gregorius cap. 39. lib. 6. Historiarum quòd memoratus Sulpicius Bituricensem Ecclesiam susceperit regendam anno nono regni Childeberti Iunioris. Quem tamen vixisse vsque ad ipsius Principis annum decimum sextum excluiuè idem Gregorius scribit libro decimo historiarum cap. 25. In cuius sanè temporis interstitio septem duntaxat annos fluxisse nullus inficiari potest. Igitur tametsi iste Sulpicius dicatur in Breuiario antiquo Bituricensi præfuisse eidem Ecclesiæ sexdecim annis, constat tamen ipsum annis septem solummodo Pontificalis apicis tenuisse dignitatem. Denique quanti illum faciat præfatus author, non melius poterit agnosci, quam vt propria ipsius verba huc à nobis adferantur. Idem siquidem Gregorius cap. 39. libri sexti historiarum in anno nono regni Childeberti Iunioris, qui erat annus Dominicæ Incarnationis quingentesimus octogesimus octauus, sit ait. *Sanctus Remigius Biturigum Episcopus obijt. Post quem Sulpitius in ipsa vrbe ad Sacerdotium Gunthranno Rege fauente præeligitur. Nam cum multi munera offerrent: hæc Rex Episcopatum quærentibus fertur respondisse: non est principatus nostri consuetudo Sacerdotium venundare sub precio. Sed nec vestrum eum præmijs comparare, ne & nos turpis lucri infamia notemur: & vos Simoni magno comparemini, sed iuxta Dei præscientiam Sulpicius nobis erit Episcopus. Et sic ad Clericatum deductus, Episcopatum Ecclesiæ supradictæ suscepit. Est enim vir valdè nobilis, & de primis Senatoribus Galliarum, in litteris bene eruditus Rhetoricis, in metricis verò artibus nulli secundus. Hic cum suis prouincialibus apud vrbem Aruernam residens, Synodum pro parochijs Cadurcinis fieri commonuit.* Interfuit etiam Concilio Matisconensi secundo, regni glorioßissimi Guntranni, anno vigesimo-quarto, cum Prisco Lugdunensi, Euantio Viennensi, Prætextato Rotomagensi, Berthecrano Burdegalensi, Arthemio Senonensi, Emerito Ebredunensi, Nicasio Auxitanensi, & Sebaudio Arelatensi Metropolitanis vna cum suis prouincialibus Episcopis numero sexaginta tribus. Qui Sancti Patres inter cętera, vniuersæ fraternitatis deliberatione & definitione sanxerunt, vt ad Synodum post triennij tempus omnes Episcopi conueniant. Et vt hoc implere sollicitudinis sit Metropolitani Lugdunensis. Sed vt ad id vnde maximè causa est reuertar; Beatissimo Patre Sulpicio Seuero gregem Christi suæ curæ creditum sedulò pascente, Sanctus Gregorius Turonensis Archiepiscopus (cuius superius meminimus) ad ipsum scribens vitam Sanctorum septem Dormientium, miris eum titulis laudum effert: *Apud Poëtam*, inquit, *sub figura apum Sanctorum virtus & prudentia laudatur, cum dicit.*

Quo

Quo magis exhaustæ fuerint, hoc actius omnes
Incumbant generis lapsi sarcire ruinas.

Hoc Pater Beatissime in fronte epistolæ præmisisse inuenit consideranti quanta prudentia; quanta solicitudine titubantis Ecclesiæ statum firmare, eius ruinas resarcire contenditis. Hoc propriæ vitæ exemplis lucentibus, hoc mellifluis exhortationum sermonibus, hoc denique gestis prædicantium Sanctorum in medium prolatis agere non cessatis, &c.

At si quis fortè arbitretur epistolam, in qua ista continentur, fuisse destinatam alteri Sulpicio, qui beato Austregisillo successit, nouerit authorem eiusdem epistolę prius mortem obiisse, quam Apollinaris antecessor Austregisilli præficeretur Ecclesiæ Bituricensi. Sedhæc ad commonitionem legentium paucis dicta sint. Cæterum Beatus Pater Sulpicius Seuerus post dignè laudabilitérque administratum Bituricensis Ecclesiæ summum Sacerdotium, plenus dierum & sanctitate, per multas tribulationes expurgatus, in bona confessione spiritum cœlo reddidit quarta Kalen. Februarij, ingruente anno decimo sexto regni Childeberti Iunioris, qui erat annus Dominicæ Incarnationis quingentesimus nonagesimus quintus. Sepultum autem fuit sacrum corpus ipsius à deuotis fidelibus in Ecclesia S. Iuliani Martyris prope muros Biturigæ ciuitatis. Postmodum verò euolutis multorum annorum curriculis, quum ipsa ædicula fuisset nimiâ vetustate diruta atque deserta, translatum inde est Sanctum hoc corpus ad Ecclesiam Beati Vrsini primi eiusdem vrbis Archiepiscopi. Vbi nunc vsque veneration habetur positum in capsa argentea. Quam spectabilis vir Dominus Guillermus Godardi quondam Præcentor insignis Ecclesiæ S. Martini Turonensis sumptu proprio curauit fieri. Sedit autem sanctissimus Pontifex Sulpicius, cognomento Seuerus, annis septem tantummodo, licet (quemadmodum superius diximus) dicatur in Breuiario præfuisse annos sexdecim, ab anno Christi 588. ad 595. Claruit verò Præsidentibus Romæ Pelagio & Diuo Gregorio Doctore eximio; Imperante Mauricio, necnon in Francia regnantibus Guntranno, Childeberto Iuniore, & Clothario Chilperici filio adhuc puerulo.

CAPVT XXVIII.

De S. Eustachio vigesimo-octauo Biturigum Archiepiscopo.

VIgesimus-octauus præfuit S. EVSTACHIVS Augustodunensis Ecclesiæ Archidiaconus, vir doctrina & eloquentia clarus, sed non minùs Deo deuotus. Quem (dum etiam modestia sua nemini non gratum præstaret) constat ob hoc maximè Episcopalis dignitatis infulas fuisse consecutum. Cuius temporibus quid miraculi acciderit Bituris fideliter indicabo, sic enim ex eâ re glorioſissimus Rex Guntrannus scripturam probatissimam nobis reliquit;

In Christi nomine, Ego Guntrannus Rex volo notum esse fidelibus cunctis præsentibus & futuris beneficia quæ mihi omnipotens Deus est largiri dignatus Sanctæ Mariæ Dei Genitricis meritis & intercessionibus: Filius enim meus à dæmonio inuasus, multo tempore ab eo male fuit vexatus; De quo nimium tristis misi eum ad multa Sanctorum limina, vt eorum intercessionibus eximeret eum Deus ab ipsa pœna. Quod non tribuit illi Deus per trium annorum spatia, tandem quum iam in desperationis foueam cecidissem, respexit me Dei clementia; Fuitque mihi reuelatum admonitione diuina, vt mitterem eum Bituris ad Sanctæ Mariæ de Salis sacratissimum templum, & ibi reciperet pristinæ sanitatis perfectissimum beneficium. Ex quo ego lætissimus effectus, nisi eum vt potui citius. Qui statim vt ad locum peruenit: intercessionibus intemeratæ Dei Genitricis Mariæ, tactúque sanctarum reliquiarum, quæ in loco illo sunt, recepit mentis & corporis optatam bonam valitudinem. Quapropter ego volo locum illum exaltare, & de rebus meis plurima dare, vt seruientes in eo Domino, nulla constricti penuriâ, famulentur, & omni tempore in cordis lætitia, &c. Sanctus autem Pontifex Eustachius Pastorali nobiliter functus officio duodecim annis, quieuit in pace, pridie Kalendas Ianuarij: Cuius meminit Gregorius Turonensis cap. 25. libri decimi Historiarum. Claruit ab anno 595. ad ann. Christi 607. Præsidentibus Romæ magno Gregorio & Sabiniano, Imperantibus Mauricio & Phocâ, Regnantibus super Francos Guntranno, Clotario secundo, & Childeberto.

Digitized by Google

CAPVT XXIX.

De S. Apollinari vigesimo-nono Biturigum Archiepiscopo.

VIgesimus-nonus præfuit S. APOLLINARIS ornatissimę sapientiæ vir, qui & summæ ac singularis prudentiæ virtute pollens, impositam sibi regendarum animarum curam, traditúmq; ministerium tranquillo semper animo disposuit. Erat namque natura lenis & placidus, simulque non mediocriter eruditus: Cui etiam in summo honore constituto (quod in illo æquè laudari ac mirari debet) summa inerat humilitas, sed Deo circa illum magnificè operante, honoris celsitudinem toto conamine reprimenti, magis ac magis famulabatur ad gloriam admiranda eius modestia, quâ nimirum ita maiestatis suæ fasces deprimebat: vt tamen Apostolicæ gratiæ auctoritatem retinens, non vilis, sed humilis appareret. Præterea Sanctissimus vir, diuina perfusus gratia, ita igne charitatis (cuius pennis ad excelsa virtutum culmina sublimiter est euectus) ardebat: vt non solùm ipsa charitas interiùs hæreret eius in corde: sed etiam exterius legeretur in facie; & quia studebat amore potiùs regere quam terrore dominari: videbatur ab omnibus non minus amari, quam timeri; atque ob hoc fiebat, vt quæque ab sancto Præsule iniuncta quisque non coactus sed voluntarius impleret. Adde quod tanta inter patrem & filios dilectionis connexio erat, vt etiam dolores patris, suos filij putarent, & pius pastor talem se eis exhibebat: vt ipse omnium passiones, infirmitatésque singulorum, suas crederet, tanquam propriat fleret. Denique ipso sacris documentis ad amorem vitę perennis fidelem ac deuotum gregem iugiter inuitante, omnes doctrinam ipsius quam audierant, & exempla quæ viderant, ingenti fidei affectu imitari studebant. Quod si quemquam ad salutem suam minus eius exhortatio permoueret: ille prout vniuscuiúsque naturæ moribus congruere nouerat, nunc secretò, nunc palam, nunc seuerus, nunc blandus viuida oratione constringebat; Efficax nempe erat principibus ad correctionem, clericis ad directionem, plebibus ad eruditionem, nocentibus ad timorem, afflictis ad solatium. Huc accedit, quod dum pauperes, peregrini, & hospites maximopere illi curæ forent; atque eos omnes cum ingenti gaudio & alacritate susciperet; frequens ad eum confluebat è diuersis partibus inopum multitudo, quorum subuentioni quicquid habere poterat, deputans, nil sibi, nihil suis præter præsentium dierum victum & vestitum reseruabat, ita vt interdum (apud ipsum solâ fide manente integrâ) tota eius exhausta sit substantia. Inter hæc dum suspiciendus hic antistes suâ æmulatione ad sobriam & pudicam vitam omnes cohortaretur, incredibile memoratu est, quanto religionis studio adoleuerit Bituigensium ciuium pietas & deuotio in Deum, amor & compassio erga proximum, sollicita custoditio legum; quantâ etiam tranquillitate, Deo propterea facto illis propicio, læti ac securi cuncti prouinciales pacem agitabant. O felix Bituria, quæ tantum nacta es patrem Apostolici spiritus vigore, & vultus honore radiantem! Quod si quæratur quare ille Christi confessor glorioſus, virtutum signa exteriùs non ostendit: id dabitur responsi, quum siquidem maius sit habere virtutes, quam signa exhibere virtutum, atque tota eius vita virtutibus plena fulserit, ipsa plane in qualibet sui parte, pro magno est miraculo reputanda. Cæterum appropinquante vocationis eius tempore, & ipsum diræ febris ardore iam ad exitum perurgente, conuenerunt ad eum dilectissimi ex clero discipuli cum multis de populo ciuitatis, vt illius sanctæ animæ mox de ergastulo carnis egressuræ suas animas commendarent, extremámque pij patris benedictionem filiorum more perciperent. Quibus vir Dei de contemptu vitæ præsentis & appetitu futuræ beatitudinis ac curatum sermonem faciens, postremùm hæc intulit; Fratres Charissimi, nemo indulta pœnitentię tempora paruipendat: nemo curam sui dum valet, bene agere negligat, tamen spei vestræ anchoram in æternâ patriâ figite, intentionem mentis in verâ luce solidate, pacem seruate, veritatem diligite, & Deus pacis semper erit vobiscum, Amen. Deinde quum eos pius pater vbertim flere conspiceret, ait, Quid vos, ô filioli, nimis sic mouet transitus mihi tam necessarius? Nolite, quæso, mœrere vlterius, quia hoc non est mors, sed transitus, quò Christus Dominus vocat, quem paratum inuenerit: non est igitur in præsenti quod lugeatis, quum me paratum videatis. Post hæc vale dicens omnibus, inso-

Digitized by Google

lito quodam feruore ſpiritus oratione profusâ, eis benedictionis munus impendit: Sicque viuificis munitus Sacramentis, ſpiritum inter verba orationis efflauit tertio nonas Octobris anno Dominicæ Incarnationis 615. Huius venerabile corpus, futuræ reſurrectionis gloriam expectat in Eccleſiâ diui Auſtregiſilli de Caſtro vbi magnâ populi deuotione honoratur. Sedit autem idem Sanctiſſimus Patriarcha Apollinaris nouem annis ab anno Chriſti 607. ad annum 615. Præſidente Romæ Beato Papa Bonifacio, qui à Phocâ Cæſare obtinuit, vt templum Romæ, quod Pantheon dicebatur, in Eccleſiam Sanctę Dei Genitricis, & omnium Chriſti martyrum, conſecraretur, Regnantibus in Francia Clothario ſecundo, Theodoberto & Theodorico.

CAPVT XXX.

De S. Auſtregiſillo trigeſimo Biturigum Archiepiſcopo.

TRigeſimus præfuit Sanctus AVSTREGISILLVS vir ſanè Apoſtolicus & inter præcipuos magnus, vt pote qui vitam & mores ſuos ad Euangelicam perfectionem vtiliter componens, meruit innumeris coruſcare miraculis, quæ illi, qui res olim geſtas poſteris bona fide prodentes, eidem ampliſſimum perfectę laudis teſtimonium reddunt. Vt igitur hi, qui virtutis amorem gerunt ex ipſius Sanctiſſimi viri admirandæ conuerſationis exemplo aliquid gratiæ ſpiritalis percipere valeant, ea quæ ſubiecta ſunt, ita vt in vetuſtioribus Eccleſiarum codicibus ſimpliciter digeruntur, his inſerere dignum duximus.

Beatus igitur Auſtregiſillus natus Augino Patre, Biturigæ ciuitatis indigena fuit, parentum quidem clarâ progenie, tamen opulentiâ rerum nec multum diues, nec indigens, ſed ſufficiens erat ex omnibus rerum ſubſtantia. Cúmque à pueritiâ Sacris literis fuiſſet inſtructus, & à minore vſque ad robuſtiorem tranſiſſet ętatem: in obſequium glorioſi Regis Gontheranni deputatur à patre. Vbi non modico temporis ſpacio, ſub ſeculari diſciplina prudenter militauit. Erat enim Regi gratiſſimus & vniuerſis commilitonibus amantiſſimus, intantum vt linteum, quo Rex lotis manibus tergere ſolebat ipſe proferret, & ob hoc, Mapparius vocaretur. Tunc verò iam in ſæculari habitu adhuc poſitus eleemoſynis & vigiliis orationibuſq; die ac nocte inſtantiſſimè vacabat ad cœleſtem patriam ineffabili deſiderio anhelans, ita vt in hoc ſæculo poſitus, videretur Chriſto fideliter deſeruire, cui in cœleſtibus adhærere iam inhianter cupiebat. Aliquando Sanctus vir cœpit à parentibus ſuis cogi, vt vxorem duceret. Ipſe verò amore pudicitię captus, & moleſtias nuptiarum deuitans, differebat nuptias, dicens: In hac cauſa experienda eſt Domini voluntas, & poteſtas, quia dubium eſt vtrum bonam an malam ducam vxorem; ſi bonam, timeo perdere; ſi malam timeo ne poſſim carere. Quid me vultis in dubium venire, & ſuperflua ſollicitudine quæ vſibus mulierum ſunt, implicari. Quum poſſim liber viuere, cur me alterius mancipabo ſeruitio? Hæc audientes parentes eius, contriſtari cœperunt eum vehementiùs vrgere, vt faceret eorum in hac parte voluntatem. Ille autem ne contriſtare eos videretur quos propitios habere cupiebat, facturum ſe promiſit quod hortabantur, ſi tamen eſſet Domini voluntas. Quum autem eſſet in miniſterio dicti Regis, cœpit ſecum voluere de hac cauſa; & quærere quis nam foret ei condignus, cuius filiam ducere deberet. Tumque occurrit ei in mente eſſe tres viros è vicino haud longè ſibi æquales conditione, parique ſubſtantia, quorum nomina ſcribens in tribus pictaceis, ea miſit ſub palla altaris in Baſilica Sancti Ioannis cominus ab vrbe Cabilonenſi votum faciens quod per tres noctes ſine ſomni perceptione perſiſteret in oratione, vt ei Dominus dignaretur oſtendere, cuius iſtorum filiam peteret in coniugium; Igitur tranſacta vnâ nocte abſque ſomni deguſtatione; alterâ nocte adueniente, cœpit ſomno grauari, adeò quidem, vt flexo genu incumbens formulæ obdormiret; Tum ecce in viſu aſtiterunt duo viri ante altare ſenes & decori vultu; Et ait vnus ad alterum, cuius filiam hic Auſtregiſillus ſponſabit? At ille interroganti dixit, ignoras quia iam ſponſauit? Ait, Cuius filiam? Reſpondit, iuſti iudicis. In hac ergo viſione expergefactus Auſtregiſillus cœpit ſollicitiùs inquirere, quisnam hic eſſet iuſtus iudex habens filiam nobilem innuptam. Cúmque non inueniret, dubius de viſione ſua peruenit ad

vicum vbi diuersorium habebat apud quendam pauperem veteranum. Cuius vxor viso Austregisillo statim dixit ad eum: hospes sta paulisper, & referam tibi somnium quod nunc diluculo de ite vidi. Putabam certè me audire magnos sonitus fragoris quasi psallentium voces, & aio viro meo, marite quid est istud quod audio? Num aliqua festiuitas hodie à Sacerdotibus celebratur, vbi processio fiat? Et ille dixit mihi, hospes noster Austregisillus vxorem ducit; Tum verò, ego gauisa, cum summâ alacritate exiui in plateam considerare vultum & speciem sponsæ tuæ. Cúmque præterirent per hanc plateam Clerici in albis vestibus, deferentes cruces, & psalmos ex more procedentium canentes, tu vltimus eorum veniebas, & reliquum vulgus subsequebatur. At ego curiosiùs considerans, dum nullam nostri sexus conspexi adesse personam, nec puellam quam duceres, dixi marito meo. Homo vbi est illa puella quam hospes noster Austregisillus est accepturus? At ille: nonne (inquit) vides eam in manibus eius. Et ego aspiciens, aliud non vidi nisi librum sancti Euangelij esse in tuis manibus. Tunc ille beatus intellexit iuxta suam visionem & somnium mulierculæ se domini vocatione ad Sacerdotale officium prouocari. Deinde cum in palatium peruenisset, pulsanti sibi ostium Ostiarius aperuit. Et cum introiret in domum Regis, subitò ipse Rex responsum imposuit hoc ordine dicens; *Posuisti Domine in capite eius coronam de Lapide pretioso, &c.* Quamobrem idem Dei seruus magis certificatus de Domini vocatione & voluntate, destitit penitus cogitare de nuptiis carnalibus. Tunc totius malitiæ artifex & inuidus, callidúsque hostis humani generis videns cum ingenti ardore beatam sentire vitam, cœpit suis deceptionibus scandala parare, quibus Dei famulum à sancto proposito distrahere posset. Erat autem in palatio Regis quidam potestate præditus, homo ferus, & superbiæ nimiæ deditus, Bethelenus nomine. Hic temerario ordine quiddam de fiscalibus rebus occupauerat fraudulenter, & dum argueretur à Rege, ostendit ei falsam auctoritatem seu præceptionem, dicens se eam ab Austregisillo Mappario recepisse. Tunc Rex iratus Austregisillum adesse iubet. Qui super hac re interrogatus, liberrimâ voce denegauit se fecisse id vnde apud Regem per Bethelenum falsò accusabatur. Sed Betheleno aduersus eum fortiter insistente, & affirmante se vera locutum fuisse, Rex in furorem versus, iussit rem diligentiùs examinari, & tandem duello dirimi. Siquidem præcepit eos ambos in campo certare, vt quis falleret, iudicio domini monstraretur. Itaque adueniente constituta die certandi, mane surgens Austregisillus, clypeum cum iaculo per pueros suos direxit in campum, vbi Rex agonothetas expectare solitus erat. Interea verò dum ipse ad Basilicam Sancti Marcelli solito more orandi gratia pergeret, & quendam pauperem obuium haberet: Venit ei in mentem propheticum illud. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus, & non tradet eum in manibus inimici eius.* Sed cum nil haberet nisi vnum trientem (nam si quid ei fuerat, in simile opus id totum abierat) dato pauperi triente, ingressus Ecclesiam orationi diutius incubuit. Deinde vexillo Crucis (quod est armatura Dei) se muniens, imperterritus ad certamen pergebat. Cum autem ad locum pugnæ peruenisset, & aduersarij præstolaretur aduentum, ecce quidam ex ministris Bethelem anhelabundus & lugubri vultu veniens nunciauit Regi mortuum esse memoratum Bethelenum, & ait, cum veniret seruus tuus Bethelenus hesterno ad palatium tuum, ô Rex, mansit sub Bariaco, & hodie cum illucesceret dies, iussit sibi parari equum mansuetissimum Quo ascenso, tamquam fixus manebat immobilis, cuius latera dum Bethelenus calcaribus perforaret, exiliens summa velocitate, cœpit ingenti impetu in diuersa flectere membra, caput iungere pedibus, pedes posteriores in sublime excutere, & tandiu memoratum Bethelenum ventilare atque concutere, donec ille velut præcisa arbor, aut ab impetu turbinis euulsa, ab alto præceps in terram rueret. Et nec hoc satis fuit, equus ille iunctis pedibus percussit eum in cerebro, ita vt cruor per aures & nares prorumperet, vsque adeo, vt antequam leuaretur à terra, exhalaret spiritum, completum est in eo quod scriptum est, *Perdes eos qui loquuntur mendacium*, Et *testis falsus non erit impunitus.* Hoc audito Rex accersiuit ad se Austregisillum, & ait ei, pugnauit pro te Dominus cuius auxilium fideliter popposcisti. Mortuus est enim Bethelenus, diuinâ vltione punitus. Ille verò non gaudens de interitu inimici, gratias egit Deo, quòd ab eius sanguine impollutas dominus suas manus seruasset, memorans illum versiculum psalmi, *Domine respexisti humilitatem meam, & saluam fecisti de neces-*

Digitized by Google

fuatibus animam meam, nec concluſiſti me in manibus inimici, ſed fidelem famulum tuum ſeruaſti illeſum. Poſt hæc cœpit ipſe Auſtregiſillus in amore & dilectione Dei attentiùs proficere, ac bonis operibus ſolertiùs inſiſtere, ſed & clericatus gradum inhianter deſiderare. Erat tunc in domo Regis inter cæteros Senatores præſtantiſſimus Æthernus nomine, vir prudentiſſimus & ſingulari cautelæ deditus, cui Rex omnia tractatus ſui arcana præcipuè pandebat. Qui dignus iam Epiſcopatu, poſtea Lugduno Galliæ nobiliſſimæ ciuitatis Epiſcopus ordinatus eſt, quique memoratum famulum Dei ſingulariter diligebat. Hunc ergo Auſtregiſillus rogauit vt Regis permiſſu peteret ſe ad clericatus onus venire debere. Qui ſuggeſſit & impetrauit; Acceptis autem vir Dei Auſtregiſillus Epiſtolis, perrexit Autiſiodorum ciuitatem, ibique à Beato Aunario Epiſcopo deciſa cæſarie, Clericus effectus, & Subdiaconus ordinatus eſt. Regreſſus inde venit ad memoratum Ætherium, qui iam Epiſcopatu accepto Lugdunenſis Eccleſię, eum cum ineffabili gaudio recepit, & Preſbyterum atque Abbatem Baſilicæ Beati Nicetij Confeſſoris ordinauit, dans ei de rebus Eccleſiæ Albiacum & Colonicam vſibus eius profuturam. Quùm autem aliquando vindemiarum tempore modicum vini quod remanſerat idem beatus vir iuſſiſſet infundi in dolium vacuum viginti ferè metretas continens, & præmiſſa oratione, vas illud ſalutiferæ Crucis ſignaculo muniuiſſet, (mira res!) ecce mane facto, cuſtos cellę vinariæ idem dolium inuenit muſti repletione non ebullire ſolum, ſed & abundanter vinum miratus eſt in terram defluere. Quod Dominus pro merito & oratione famuli ſui Auſtregiſilli tam inſigne miraculum operatus ſit, nulli dubium eſt, circa quem memoratur etiam aliud à Deo illuſtriùs & diuiniùs geſtum. Quum ſiquidem Sanctus vir adhuc degens apud memoratum Ætherium Epiſcopum profectus eſſet ad Ianuenſe territorium, atque ibidem in quadam ædicula penitus deſerta vellet diuina celebrare myſteria, & non ſolummodo Sacellum ædiculæ ſeris obſirmatum reperiſſet, verumetiam aqua, qua aut manus lauaret, aut rem ſacram perficeret non haberet, Clericis neceſſaria pro diuino officio ſollicitè quærentibus, ecce Sacrariolum illud diuinitus apertum eſt, reuerſique miniſtri Sanctum Abbatem Auſtregiſillum orantem, & ante eum duos magnos crateres cum vino & aqua miniſterio Angelico prępparatos, quo quidem euidenter claruit gratum Deo fore eius obſequium & acceptabile ſacrificium. Interea decedente Beato Apollinare Bituricenſi Epiſcopo, idem Sanctus Auſtregiſillus in loco eius ab omnibus electus, conſenſu Regis Epiſcopus ſubrogatur. In quo gradu dignitatis, duodecim annis Eccleſiam rexit, ſicut ipſe Angelo reuelante cognouerat. Nam cum primum memoratæ vrbis eſſet fines ingreſſus, apud villam Germiniacum nocturnis incumbenti orationibus aſtitit Angelus Domini dicens, *Sacer Auſtregiſille, Dei cultor ſedule, felix Reges Bituros, annos octo bis ſenos.* Quod eadem nocte ipſe vocans Beatum Sulpicium Archidiaconem, qui eius ſucceſſor fuit, & Deſiderium alium Diaconem, eiſdem manifeſtauit. Adeptus ergo præſulatum ſeruus Domini Auſtregiſillus quid laudabiliter geſſerit, compendiosè dicatur. Erat quædam matrona nobili genere orta nomine Paterna, valde religioſa, quæ miſit ad hunc beatum Pontificem Epiſtolam pro quadam puella ſua lumine occulorum priuata. Qui accipiens oleum benedixit, & eo liniuit oculos puellæ. Quo facto illa apertis oculis, illicò viſum recepit. Alio quoque tempore, quædam illuſtris matrona, nomine Auſtroberta, relicto illuſtriſſimo viro nomine Crannophaldo prædicatione Sancti viri ſe Deo vouens & offerens in caſtitatis propoſito manebat. Hæc autem referebat, quod ipsâ præſente vnus de piſtoribus ſuis, nomine Lodomarus, morbo atrociſſimo vexatus, hoc modo ſit priſtinæ incolumitati reſtitutus. Eadem namque religioſiſſima fœmina habebat apud ſe repoſitum panem, quem memoratus Dei amicus Auſtregiſillus ei pro benedictione tanquam eulogias tranſmiſerat: ipſumque benedictum panem ad hoc reſeruabat, vt ſi quis videretur aliquo incommodo affici, cum integra fide ſumendum ei dare deberet. Apprehenſum igitur memoratum piſtorem præcepit buccellam illius benedicti panis in os eius immitti. Quod vbi non ſine violentia effectum eſt, & panem inuitè deglutiuit, miſer ille ſtatim euomuit omnem amaritudinem, qua vexabatur, & ſanus effectus deinceps multo tempore priſtinum officium alacer exercuit. Quidam etiam molendinarius eo tempore nomine Menulphus, die Dominico, temerario ſpiritu volens iuxta ſuæ artis induſtriam emendare molam accepto ancipiti ferro (quod vulgus ſcotum vocat) cœpit eam terere. Ex

quo peccato adhæsit manus eius ferri manubrio, adeò fortiter quod nullâ arte posset inde moueri. Adductus ergo ad hominem Dei rusticus ille, vbi ab eo tangi meruit, mox omni dolore fugato, receptâque integrâ sanitate, cum gratiarum actione lætus & alacer discessit. Præterea fuit procul ab vrbe Biturica iuxta vicum Briodorum puella quædam adolescentula parentibus amantissima nomine Friouola, quæ nequissimi spiritus apprehensione, crudeli cruciatu vexabatur, intantùm vt nec se, nec parentes cognosceret, sed diuersarum ferarum mugitus, & auium queruloſas voces ingenti vociferatione geminabat. Hæc tandem adducitur ad virum Dei Austregisillum, qui cum more solito, spiritales hostias offerens, mysticum conficeret corpus Domini: prius ipse percepit, ac inde dedit illud puellæ, quod illa deuotè accipiens, protinus à vexatione conticuit. Tunc vir Dei benedixit vestimenta eius, & eam velari parentibus religiosa veste præcepit, iniungens ei à carnibus & vino abstinere. Ex illâ ergo horâ fugato dæmonio, puella pristinæ sanitati restituta, postea visa est inter reliquas Dei famulas laudabili conuersatione degere in Monasterio nostræ Dominæ de Salis, sub sancta Abbatissa Berthoara, cuius exemplo plures aliæ Virgines erudiebantur. Cæterum dum idem Beatus Pontifex Austregisillus vt pius pastor semper curam Ecclesiæ ac plebis sibi commissæ sedulò gereret, & de dente lupi sæuientis fortiter liberare niteretur, ecce ex palatio Theodorici Regis Burgundiæ aduenit homo sæuissimus, Warnarius nomine, auaritiæ turpis lucri cupidus, & superbiæ nimis deditus, vt ciues Biturigenses Regi tributarios violenter faceret: Tunc ad tantæ rei nouitatem, tota conturbatur ciuitas, & omnibus ad beatum patronum Austregesillum confugientibus ac obnixè postulantibus, vt ipse pius pastor suis sanctis orationibus eos protegeret, atque obsisteret, ne suis temporibus pagum Bituricum censeretur sub tributo, Deo dignus antistes nimio zelo accensus, se murum validissimum pro domo Dei viriliter opposuit. Et primùm quidem ipse beatus vir se die noctúque in oratione prostrauit, vt diuina pietas ab inimico sęuiente plebem sibi commissam liberare dignaretur. Deinde surgens ab oratione, & ad portam ciuitatis intrepidus exiens obuiam impio exactori, eum non solummodo intrare non permisit, sed & confusum & inanem recedere diuina quadam potestate compulit. Quæ postquam gesta sunt, sanctus pater Austregisillus anno suu Pontificatus duodecimo, graui febrium dolore attenuatus feliciter moriens, migrauit ad Dominum decimo tertio Kalendas Iunij, Quo quidem tempore erat in ipsa ciuitate Biturica quidam pauperrimus iuuenis, nomine Leonastis, cuius plantæ ad poplites adhærebant. Hic autem feretrum in quo corpus sancti Austregisilli ferebatur ad sepulchrum tangens, statim laxatis membris, obsequium pedum virtute sancti corporis consecutus, deinceps rectus & alacer gradiebatur. Cum denique corpus venerandi ac glorioſissimi Pręsulis ex more componeretur in tumulo per beatum Rauracum Niuernensium Episcopum, ecce vidente reuerentissimo Ianuario Presbytero, astitit Angelus Domini in candidis vestibus & decoro vultu ad dexteram memorati Rauraci Episcopi, iuuans eum in exequiarum officio. Nulli dubium est quin Angelus custos ipsius Austregisilli fuit, qui cum illo vsque ad sepulchrum semper esse voluit. Interea Beatus Sulpicius Archidiaconus ab omnibus electus, opere & merito dignus, in eadem vrbe successor eius effectus, pontificale sumpsit officium. Cæterùm impostor Vvarnarius (cuius superiùs mentionem fecimus) à palatio reuersus, vt accepit Austregisillo successisse Sulpicium Archidiaconum hominem suapte naturâ lenem, benignum, & mansuetum: opus nequam, quod teterrimus hostis antiquus cordi eius plantauerat, exercere festinabat, vt videlicet pagum & vrbem Bituricam omnésque ibidem commanentes secundùm eorum personas tributarios faceret. At Beatus Sulpicius inuocato desuper Dei auxilio, crudelissimum exactorem cum lachrymis sedulo precatu hortabatur ab vrbe discedere, quia minime paterétur suos ciues seruituti exactionis iniustæ subdi, seu libertatem eorum quomodolibet violari, minui, & opprimi. Cuius admonitionem & preces superbus ille ac tumidus arroganter despiciens, venit ad locum, vbi sanctus Austregisillus miro decore quiescebat iam exhumatus. Et aspiciens sepulchrum eius auro & argento mirabiliter adornatum, inuidiæ flammâ succensus ait, Austregisillus debuerat aurum & argentum suum pauperibus erogare, & non super tumulum suum pro sæculi vanitate illud poni iussisse: Quo dicto vectis vnus, in qno vela pendebant, de alto ruens cecidit super cerebrum eius, & tali eum plagâ affe-

Digitized by Google

cit, quod cruor per oculos ad barbam tyranni defluens, etiam in terram copiosè laberetur. Tunc ipse miser voce magnà clamans, aiebat, hic Austregisillus dum adviueret, semper mihi contrarius fuit, & adhuc iam mortuus, morti vicinæ me tradidit; Sic infelix ille diuina virtute perculsus, nec facinus suum recognouit, nec veniam à sancto Dei postulauit; sed adhuc sua malicia exarsus ad Augustodunensem vrbem festinanter properauit ad affligendum loci illius Episcopum. Cumque non longè ab vrbe humanæ necessitatis causa in foricis sedendo obdormisset, subitò euigilans ministris quiei astabant, dixit, Austregisillus & Sulpicius vrceum aureum in ista hora mihi transiniserunt; Quis ex vobis hunc recepit? Vix ipsum sermonem scelestus homo compleuerat, & ecce quidam defectus eum dirè corripuit, ita vt omnibus intestinis eius per secessum cum stercoribus de corpore euulsis, spiritum in ipso sterquilinio turpiter exhalauerit. Erat ipsis temporibus homo in Biturica ciuitate, Lupus nomine, bonis moribus deditus, humilis atque sapiens, sobriam & castam ducens vitam. Hic ardenti desiderio orandi gratia perrexit ad vrbem Turonicam, cúmque diutissime in Basilica Sancti ac Beatissimi Martini Confessoris orasset, & pro peccatis suis veniam à Deo postulasset, surrexit ab oratione, stánsque, cum magna cordis compunctione contemplabatur memorati Dei Confessoris venerabile sepulchrum. Tunc vnus Dei seruus cùm vidisset eum diu orantem, mitem, atque honestum, accersiuit eum & dixit: Quod est tibi nomen, vel vnde es, aut pro qua causa huc aduenisti? Respondit Lupus vocor, Bituris maneo, & hic pro peccatis meis orandi gratia adueni. Ille respondit, habeo aliquid seruientibus Sancti Austregisilli dicere: ego enim istis diebus fui Bituris in spiritu, corpore verò nunquam. Et vt certiùs mihi credas, vtque errorem tollam penitus de corde tuo, audi quid dicam, est Ecclesia Sancti Sulpicij inter duas aquas, super ripam Vtrionis & Aueræ. Respondit, hic est, & ille, est autem Ecclesia Sancti Austregisilli contra orientalem plagam, vt luminaria de ipsâ Ecclesiâ possint videri à transeuntibus per viam quæ ducit ad Orientem, dixit, ita est: iterum hæc ait ille Dei seruus, crede mihi, quia ego istis diebus ad Ecclesiam Beati Austregisilli in spiritu fui, & quid ibidem viderim, narrabo tibi, vidi ante ipsam portam memoratæ Ecclesiæ Beatum Petrum Apostolum ad inuitationem beati Austregisilli stantem, & cum eo Beatum Martyrem Laurianum, atque Sanctum Confessorem Sulpicium, & multos alios Sanctos viros, qui in pago Biturico requiescunt corpore. Et ecce vidi ante eos à longe stare Adroaldum, Bladegisium, Suffronum, Guntaldum, & alios plures, qui Dei seruos, casis eorum destructis, deprædati fuerant. Dum autem ipsi ibidem starent, aspexi Beatum Austregisillum ad pedes Beati Petri prostratum iacere, & dicere, Fac nobis iustitiam de istis, qui Monasteria nostra & loca opprimunt, durè affligentes seruos Dei, qui eis die ac nocte diuinis operibus insistunt. Hæc Beato Austregisillo precante, mandauit Sanctus Petrus Apostolus, vt aliquos traherent cedendos fustibus, alios gladio truncarent, nonnullos verò ad supplicium vel ignem sulphureum deducerent. Nouissimè autem Apostolus virgà, quam manu tenebat, Adroaldum percussit in capite, vt eum morti traderet, Tunc Sanctus Sulpicius precatus est eum, vt ipsi Adroaldo vitam concederet, è contra Beatus Austregisillus tali est sermone locutus. Tu semper ad miserendum mollis fuisti, ô Sulpici, & in tali mollicie perseueras, non vindicans famulos tuos ad te die ac nocte clamantes. Quo dicto, visio illa ablata est oculis meis. Ipse Lupus auditis his omnibus, ad vrbem Bituricam regressus, indicauit omnibus fratribus Ecclesiæ Sancti Austregisilli, totius prædictæ visionis ordinem. Nec multo post memoratus Adroaldus febre correptus vitam finiuit. Cæteri verò, quos visus est Sanctus Austregisillus etiam accusare non diu vixerunt, vt reciperet vnusquisque sententiam proprij corporis, prout gesserat, siue bona, siue mala. Eo tempore quo Eudo Princeps Bituris residebat, quidam ex optimatibus eius, temerario ordine iussit vt destructis casis Monasterij Sancti Austregisilli, inde ignem sibi copiosum accenderent. Tunc Abbas ex ipso Monasterio eulogias ad præfatum hominem per Monachum direxit rogans & dicens, quòd alia ligna donarent, & domum Dei non dissiparent vel succenderent, sed quod petiuit, impetrare non potuit. Cùm autem dies inde tertius aduenisset, & ante focos quos de ipsis dom bus hyeme vrgente faciebant, ministri se calefacerent, Sanctus Dei Austregisillus Duci eorum in lecto iacenti ac dormienti apparuit dicens: Cur casas meas ita stultè succendis? Et hæc dicens, alapa eum in facie percussit, ita

vt cruor per aures & nares irrumperet. Statímque euigilans infelix, miniſtris ſuis valdè territus ait, in hac hora me Auſtregiſillus percuſſit continuo moriturum, quod vbi eſt locutus, ſpiritum exhalauit. Quamobrem inuaſit omnes non mòdicus pauor!, ſtatímque memoratus princeps Eudo mandauit omni exercitui ſuo, vt nullus de rebus Sancti Auſtregiſilli auderet contingere: Et ſic vſque hodie exuit fama glorioſi Confeſſoris, quod quicumque præſumptiuo modo res Monaſterij ſui temerè vſurparet, ſe illicò eſſe moriturum crederet. Quodam tempore homo quidam mutus ex Britanniæ partibus aduenies benignè ſuſceptus eſt à Fratribus Monaſterij Sancti Patris Auſtregiſilli, eorúmque eleemoſynis in victu & veſtitu alebatur ac fouebatur. Et licet idem mutus quid orare volebat, diſcernere non poſſet: tamen ipſe iugiter cum Monachis Dei ſeruis ad Eccleſiam quotidie conueniebat orandi gratiâ,, interea aduenientè Die feſto Beati Auſtregiſilli, ille ſtans & orans ante ſepulchrum glorioſi Archipræſulis cœpit per os abundè ſanguinem conſpuere. Quod cernens cuſtos Eccleſiæ increpauit eum dicens. Vt quid miſer, loci huius Sacratiſſimi pauimentum tam turpiter commaculas? Egredere foras, ne huc ad orationem venientibus tantum faſtidium producas. Tunc homo ille ſe diuinitus ſanatum eſſe ſentiens, clamare cœpit & dicere ſecundùm ſuam Britannicam linguam, libertinus ſum, libertinus ſum meritis glorioſi Auſtregiſilli almi præſulis. Deinde narrauit nomen ſuum, dicens quod in ſacro baptiſmate, fuerat Hemmo vocatus, qui poſtea ibidem Deo & Sancto Auſtregiſillo deſeruiens, pluribus vixit annis. Quædam fœmina nomine Feltrudis de Villa noua ſecus amnem Vtrionis cum eſſet iam longo tempore clauda, deuotiſſimè ad ſepulchrum Beati Confeſſoris tandem multo ſudore peruenit. Vt autem atrium Eccleſiæ ipſius introiuit: illicò adepta eſt ſanitatem. Quid moror? Illa poſtquam ſanitatis beneficium perſenſit, reuerſa ad propria, mox vt graui quodam reatu ſe commaculauit, eodem morbo eſt iterum attrita. Sciens ergo hanc calamitatem merito tanti facinoris ſibi accidiſſe, pœnitentiam egit, & ad ſuffragia Beati viri rurſus conuaſuit. Reliqua autem miracula, quæ poſt feliciſſimum obitum ſuum Sanctus Pontifex Auſtregiſillus feciſſe legitur (ne nos iſtud opuſculum iuſto longius dilatemus) reticenda eſſe duximus. Veruntamen Lectorem ſtudioſum ſedulò commonemus, ea ob virtutis exemplum quærere & legere in Eccleſia de Caſtro, vbi ſacratiſſimum corpus ipſius ab omni populo magnæ venerationis colitur honore Sedit autem (vt ſupra dictum eſt) annos duodecim, ab anno 616. ad annum Chriſti 628. Præſidentibus Romæ Deuſdedit, Bonifacio quinto, & Honorio, Imperante Heraclio, & regnantibus in Francia Theoderico, Theodeberto & Clotario ſecundo.

CAPVT XXXI.

De S. Sulpitio Pio trigeſimo primo Biturigum Archiepiſcopo.

TRigeſimus primus præfuit Sanctus SVLPICIVS huius nominis ſecundus, firmiſſimum planè columen Bituricenſis Eccleſiæ, præſulum flos nobiliſſimus, totius virtutis ſingulare ſpecimen, defenſor & pater patriæ. Cuius mira ſtemmata vitam, mores, & ingentia miracula tametſi illuſtres authores prope innumeri magnis percelebrent encomiis, tamen (vt ingenuè verum fatear) ea, quæ idem Sanctus Archipræſul laudabiliter geſſit, tanta ſunt, vt omnem hominum æſtimationem, omnemque laudem pro ſui magnitudine ſuperent. Quod ſi quis me in hac parte teſtem fortaſſis proclamet Cretenſem, autumans me patrono aſſentari, & eum ſupra meritum multiugis honoribus efferre, veterum ſcriptorum codices requirat, ac ſtudioſè reuoluat quinque libros de vitâ & miraculis ipſius, quos multis in locis, maximè autem in Archiuis Theſauri Cathedralis Eccleſiæ Bituris conſtat nunc vſque fideliter aſſeruari. Legat etiam Vincentium Beluacenſem, cap. 27. libri 24. Speculi Hiſtorialis, videat & Antoninum Florentinum, parte 2. ti. 13. § 6. Et tunc (vt ita dicam) noſtris dictis non eſſe Sibyllæ folia veriora comperiet. Verùm vt quod diximus elucefcat clariùs, & vt cupienti noſſe rerum geſtarum ſeriem egregiam, detur occaſio virtutis acquirendæ, operę pretium eſt huc adferre ſaltem eorum partem, quę de hoc Sanctiſſimo Patriarchâ, ſumma fide, magnáque diligentia tam elegan-

ter

tet & exquisitè digessent venerabilis pater Ioānes Phernandus Casalis benedicti quō-dam Monachus, vir certè vndecūq; doctissimus, & vt Ioannes Tritemius politissimè scribit in lib. de Scriptor. Eccles. Philosophus, Musicus, Orator & Poëta celeberrimus.

Inter electos Ecclesiæ Christianæ rectores, quibus & Apostolicæ vitę sancta imitari vestigia, & munificis affatim irradiare miraculis, amplifica summi Dei liberalitate collatum est, gloriosus imprimis enituit almus pater Sulpicius Biturigæ ciuitatis Episcop. Cuius egregiarum virtutum insignia vsque hodie longè latéq; manifesta plurimarum sanitatum exhibitione coruscat. Huic Biturigum vicus (cui Vastinio vocabulum est) natale solū extitit, genus autem illustre, ex optimatibus atq; primoribus ipsius prouinciæ viris. Eóq; tēpore floruit, quo Theodoricus primùm deinde Christianissimus Rex Clotarius II. felices Gallicani regni prudenter moderabatur habenas. Cuius inter aulicos aliquandiu versatus Sulpicius (erat enim aspectui Regio quamgratissimus) quū ab ipsa puerili teneritudine perpetuum carnis animique nitorem illæsum illibatumque conseruare omnimodis instituisset: intelligerétque difficile admodum id fieri posse si tumultuarium inquietæ curiæ strepitum, atque illecebrosas Regiæ comitiuæ delicias quotidie præsentes haberet: nec solidè constaturum cæterarum virtutum ædificium, si iam posita castitatis Angelicæ fundamenta nutarent, sagaci prudenter vsus consilio, exemit honestè sese periculoso discrimini; totúsque in opus Dei conuersus cœpit studiosus Cœnobiorum cultor existere, & quæ pauperiora cernebat, amplioribus, vt poterat, opibus locupletare. Porrò salutiferæ pœnitudinis, fructuosíque mœroris amicas exquirens solitudines, dulcibus arduæ contemplationis recessibus, atque deuotarum orationum intentioni vacabat. Delegerat autem seruus Dei huic rei locum idoneum ædem sacram, quæ collapsa dirutáque nullius cleri populíve frequentiâ visebatur. Quo maximè nocturni silentij tēpore duobus secum assumptis pueris, seculari veste polita, indutóq; pœnitētium amictu secretò se conferebat. Qua de re Christianæ religionis inimicus Belial consueta permotus inuidentia, quum nocte quadā athletam Christi feruentissimū, solito illic instantiùs orantem, & auidioris animi cupiditate totū in cœlestibus raptum intueretur, missis duobus spiritibus vultu teterrimo, pauefactos pueros de tēplo conatus est exturbare. Quos vbi præter solitū mœstiùs eiulantes audiuit Sulpicius exurgens ab oratione, larualē illam effigiem figno crucis oppositio, saluísque infantibus, dicto citiùs effugauit. Non enim ignorabat esse scriptū. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Quamobrem ab illius ædis continua frequentatione non modo non cessabat, verumetiam quotiens illò se recepisset, in id quod ceperat orandi, meditandi, contemplandi studium solito vehementiùs acriùs atque intensiùs incumbebat. Cæterum optimo Christi famulo non deerat flexanima suauiloquæ linguæ facundia, non aliunde qualibet arte quæsita, sed largiflua S. Spiritus infusione collata. Qua sic vsus est, vt & dura incredulorum pectora, salutiferæ crucis ad amorem conuerteret: & tepida credentium corda, ad bene beatéque viuendum salubriter erudiret.

Præerat tum Ecclesiæ Bituricensi vir egregius, Deóque amabilis Austregisillus, cuius ad aures quum B. Sulpicij fama percrebruisset, obtinuit facile à Principe Theodorico, vt sacris illum initiatū ordinibus prædicatorio muneri præficeret. Quod humiliter susceptum, quum non sine multarum animarum lucro gereret, placuit etiam Regi Clotario, vt in eo, quod ipse construxerat, Cœnobio fratribus Abbatis officio fungeretur. Placuit quidem illi rigidum Monasticæ conuersationis asperúmque schema, si tamen subesse licuisset potiùs quam præesse. Verum quum intelligeret vir Deo plenus non sine Christo regiam eò ferri voluntatem, paruit incunctanter, breuíque paucorum mensium spacio summos in eo viuendi genere viros tanta cum efficacia coæquauit, vt alterū vel Antonium vel Hilarionem in terris apparuisse putares. Qui quā fuerit omnipotenti Deo charus, tum liquidò claruit, quum incurabili morbo laborantem Regē, & lugentibus desperantibúsque vniuersis ad mortem vsque deductum continuo septimanæ vnius ieunio, sedulóq; precatu, pristinæ perinde restituit sanitati: ac si molestę priùs ægritudinis persensisset nihil. Ex eò itaque tempore cœpit per vniuersam prouinciam eximium Sulpicij nomen extolli, & ipse ex animo veherari ab omnibus, & Apostolicæ vitæ verus sectator haberi. Quo factum est, vt post administratum dignè ac laudabiliter Bituricensis Episcopatus officium, translato ad perennis vitæ gaudia viro Dei Austregisillo, quum de sufficiendo pontifice varias in partes cleri populíque anxiè nutarent sententiæ, essetque nihilominus vtrobique non minima pars, quæ dignissimum Episcopatu Sulpicium acclamaret, inuasit (vt creditur) instigante diabolo, quendam ex optimatibus pernicioſa sedis ambiendæ cupiditas: vsque adeo quidem, vt coadunatis sibi multa pollicitatione comitibus, ingenti prolato

auri pondere, lenes, benignasque pij Regis aures pulsaret, ambiret, solicitaret, quo nobilem imprimis atque honorificum Aquitaniæ Primatum ipse honoratus ac nobilis possideat. Ij verò qui Christo duce dignum Austregisilli successorem Sulpicium expetebãt, scientes quia cor Regis in manu Dei est, per hominem humili mitique præditum ingenio suam maiestati Regiæ postulationem simpliciter insinuare curarunt. Quam ille quidem annuenter admittere visus, murisque Sulpicium laudibus efferens, dissimulauit tamen & fului pellectus summa copiosa metalli, ad illustrem illum Ecclesiæ præficiendum laxata cupidę frena voluntatis inflexit. At verò Regina, cui iam probata Sulpicij sanctimonia cordi erat, vt animaduertit quòd diuinam in re, obliquo distortóque Rex calle procederet; recti iustique zelo succensa Regium audacter Secretarium interrupit, omnique procul abiecto metu, liberrimâ virum oratione corripiens, etiam istiusmodi verba subintulit. *Scilicet eò paupertatis atque inopiæ redactus est Rex, vt humano diuinóque iure confuso Episcopatum quoque venalem habere cogatur? Si ad æqui bonique consensum allicere te non poterat, quod indubitatus omnipotentis Dei sit amicus Sulpicius, vel hoc vnum te meminisse decebat, quod illo vigilus, orationibus, ieiuniis macerato, afflicto, cruciato, præsentis periculum mortis euadens optato bonæ valetudinis munere sis potitus.* Quibus ille verbis ingenua suffusus erubescentia, Sanctum Dei Sulpicium, licet plurimùm reluctantem, mitrâ pedóque venerabiliter insignitum, incredibili cum omnium fauore, conspicuum Aquitaniæ Primatem instituti procurauit. Qua tandem ille prælatione susceptâ, quantis, quam odoratis, quam eximiis, quam præcellentibus virtutum floribus augeri multiplicarique perrexerit, quis idonea valeat oratione depromere? In abstinentioris vitæ asperitate consummatum anachoretam, in hospitalitate, in eleemosynis elargiendis, in consolatione mæstorum, in captiuorum redemptione, in vniuersa denique operum misericordiæ summa virum sanè Apostolicum sese monstrauit. Cæterum diuinam cœlestémque doctrinam sacri verbi prædicatione profundens, Christiani nominis inimicos Iudæos (quibus Bituricensis ea tempestate ciuitas abundabat) sic ad sinceræ fidei sacramenta suscipienda persuasit; vt rarus admodum inueniretur qui non perenni baptismatis vnda purificatus, Sanctæ matris Ecclesiæ debita cum veneratione mysteria frequentaret. Verum quoniã non tam exculta laudatæ vitæ sanctitudine vir inclitus quàm manifesta coruscantium miraculorum gloria sublimis effulsit: quemadmodum in obtentâ regiâ sanitate ostensum est, ad ea quæ memoriæ prodita sunt miracula, compendiosè narranda, nostra se conuertat oratio.

Gonthoaldo cuidam viro haud ignobili filius erat decennis, cui quum illæsus perstitisset auditus, rigentior tamen adhęrens gutturi lingua, haud quaquam poterat dearticulatum efferre sermonẽ. At pater de medicorũ arte desperans, quum indubitata fide crederet eũ esse Sulpiciũ, qui suis à diuinâ bonitate precibus id facile posset obtinere medelæ puerũ offert, illius calamitatẽ, suamq; fidem exponens. Nec mora, fundit orationem vir Dei, sacratos in os pueri digitos infert, quorũ vt sensit ille virtutẽ, mox expeditæ beneficium elocutionis accepit, exultante nimirum, gratiasque agente patre quod tam benignum támque clementem erga se Pontificem fuisset expertus.

Dein macilentâ regionẽ duriter admodum premente fame, quidam extenuatus inedia ab optimo patre Sulpicio vt Episcopali in domo tantisper dũ pinguior tellus vberiorẽ afferret segetẽ, aleretur obtinuit. Qui magistro domus, ideſt œconomo cõmendatus, quũ ægrè tamen quæ victui necessaria forent acciperet, die quadã algoris ac famis impatiens, in obuiũ forte balneũ quod succensâ fornace calefieri sueuerat, sese miser iniecit. Verũ quũ solus minimè potuisset emergere, nec ei virtus esset vociferandi: supremũ illic suffocatus spiritũ exhalauit. Quæsitus aliquãdo ab œconomo, nec repertus tandẽ ab eo, cui succendendæ fornacis officiũ erat, exanime contractũq; cadauer inuentũ est. Quippe nouẽ ferme dies ignorantibus cunctis ibidẽ iacuerat. Indicatur Sulpicio res: ille supra, quã credi potest mœrore cõfectus, & apud districtũ iudicẽ mortis illius sese reũ proclamans: afferte (inquit) ad me corpus. Quod in medio allatũ, calida perfundi iubet aqua. Tum eiectis à se vniuersis, prolixa lachryma bundáque prece, vt intra corpusculum anima regrederetur Deo charissimus impetrauit. Ille autẽ plures deinde superstes annos, Sulpiciani nominis longè latéque vulgandi non mediocrẽ occasionẽ materiámque præbuit. Hoc quoque prætereundũ non est quod Virisionensi in territorio gurgitem quem olim pagani lustralem habuerant, quemque ob hoc in Christianorum inuidiam ita pessimus obsidebat dæmon, vt si quis eò transisset, suffocatum præcipitaret ac perderet, iniecto vir Dei Chrismate, quod modica diluerat aqua, Elizei Prophetæ vsus benedictione, meabilem esse reddidit atque pis-

Digitized by Google

tabilem. Quid autem illud ? Nonne etiam inter miracula recenſendum eſt : quod ab ædibus ſuis ſemel, ſemel ab horreo quodam, iterum ſemel à Cœnobio Virginum, edaces ignium flammas obiecto ſigno Crucis abegerit ? Sed iam in medium prodeat mortuus alter : In cuius ſuſcitatione diuinę bonitatis erga Sulpicium, promptiórque familiaritas liquidiſſimo quodam apparuit argumento.

Conſiſtente ſiquidem eo cum aliquot ex ſuis haud longè ab Vtrionis fluuij ripa, vt illic iucundum frugaléque ſumeret prandium : quiſpiam fortè ruſticus grauem quo laborabat æſtum natatu leuaturus, incautè ſatis in amnem deſiliens, mox infeſto (vt creditum eſt) illaqueatus à dæmone, mediis in fluctibus ſubmerſus interiit. Narratur illicò Sulpicio caſus, qui ne vultu quidem motus imperat ſublatum ex aqua corpus in menſa quadam ſub diuo deponi, donec refectus ipſe pergat ad locum. Poſt horas ſanè tres, eò ſe conferens, conceptâ toto pectore Spiritus Sancti virtute, intuetur eminus exanime cadauer; Dein expreſſo ſalutis ſigno, tacitáque ad dominum fuſâ oratione, inſpectantibus cunctis viuum hominem incolumémque reſtituit, non ſine admiratione plurimorum ex animo magnificas diuinæ maieſtati gratias agentium. Quod eo potirentur Epiſcopo, qui Apoſtolica tam Sanctitudine quàm miraculorum coruſcatione fulgeret.

Igitur quum agente tanto moderatore, Biturigum tum Eccleſia tum reſpuplica ſub ope Chriſti iucunda pace floreſceret : eſſétque cum Clero populus Omnipotenti Deo deuotus, ac proinde tota illa prouincia terrenæ feracitatis exuberantia copioſiùs abundaret, ecce antiquus ille Chriſtianæ pacis aduerſarius, totiúſque bonitatis inimicus acerrimus, cuiuſdam ex principibus (cui non leuis erat apud Regem auctoritas) miſerum pectus obſidens, ardentiſſimis auariciæ facibus inflammans, id genus ei cogitationis ingerit. Plurima videlicet opum locupletatione felices eſſe Biturigeſ, parúmque illis nociturum, ſed & Regiis non minimum facultatibus profuturum, ſi tam populo illi quàm Eccleſiæ pecuniarius quotannis cenſus indicatur. Nec mora, adit ille Regem. Quæ mente conceperat exponit. Placet Regi conſilium. Denique commiſſarium delegat proteruum hominem & inſolentem, qui tyrannici id operis diligenter exercens, indictum vndecumque cenſum ſtudioſè congerat atque corradat. Suſcepit ille geſtibundus imperium, & tanquam longâ confectus inediâ lupus inhians prædæ ciuitatem ingreſſus, vlla ſine diſcretione conditionis, peruicaciter obuios quoſque conſcribit. Turbatus inſueta ſubitæ rei nouitate populus, percellit Eccleſiam dolor & mœſtitudo : Stupefactus ingemiſcit clerus, vt qui calamitoſam violentæ ſeruitutis iniuriam pateretur. Quid plura ? Clamatur ab omnibus, vlulatur ab vniuerſis. Denique remedij ſpes omnis in vno defigitur patre Sulpicio, & ad paſtorem pallentes balantéſque ouiculæ confugiunt. Non potuit ille non condolere mœrentibus, non compati tribulatis. Verùm eos qui ad ſe venerant blandè conſolatus, ad ſolemne ieiunium, deuotámque purioris orationis inſtantiam recurrendum hortatur. Quippe fieri non poſſe, quin eo ſacrificio placatus omnipotens, turbatæ paci medeatur : & immutato corde Regis, antiquam in integrum reſtituat libertatem. Cæterum ipſe (quod in eo erat) auarum adorſus exactorem, permixto terrore blandimentis, qua potuit ſedulitate prǽmonuit, ne quid inconſideratiùs ageret in ſeruos Dei. Verum vt animaduertit ſuum nihil operari ſermonem, triſtis abiens, profuſis lachrymis ſuſpiria mittit ad cœlos, aduocánſque familiarem amicum Obregiſillum nomine, virum ſolitarium, Deóque deuotum ad regale palacium deſtinat. Qui totus Domini noſtri IESV-Chriſti fiſus auxilio, ſalutari ſeruone Regem vſque adeò conuertit ad gratiam : vt facilè pœnitens, nihil cunctatus per nuncium exactori præciperet ne deinceps indictum à quoquam exigat cenſum. Qui regia iuſſa non tam diſſimulans, quàm pro nihilo ducens, atque in incœptâ perdurans obſtinatione, mox vt vrbem eſt egreſſus, qua ſe indignum exhibuerat vita miſerè perfunctus occubuit. Et quidem his ita ſe habentibus, déque recuperata Sulpicij meritis pace ac libertate magnificè gratulante prouinciâ, maturè perpendens altioris ingenij vir ſe iam attenuati corporis paulatim viribus deſtitui, ſenſimque canam ingraueſcere ſenectutem, neque deinceps ſe tanto parem eſſe labori, (ſiquidem præter legitimum adminiſtrandi pontificatus officium curabat anxiè virgines illas ſacras, de quarum Cœnobio ignium flammas eum propuliſſe ſupra meminimus, curabat

pupillos & viduas, curabat etiam pauperes, eósque præcipuè, quos ingenuo suffusos rubore publicam rogare stipem non audere sciebat. Hæc igitur omnia quum non remittere solùm, sed nec intermittere quidem vellet, intelligerétque cum ipsa pontificatus administratione ad finem vsque vitæ solida se non posse perseuerationem peragere, modum excogitauit, quo citra priuatarum rerum (quas solo Deo teste gerebat) iacturam necessario debitæ solicitudinis auxilio, succrescens indies Ecclesia non caretet.

Erat inter primarios Clericalis ordinis viros, quidam Vulfolentus nomine, cùm nobilitate, tum egregiâ virtute sanctitudinéque conspicuus. Hunc itaque coacto clero statuens in medium glorioſus Pontifex Sulpicius, causámque omnem succincta quidem, sed graui oratione exponens, cum omnium pace atque concordia, creditæ sibi dispensationis coadiutorem esse constituit. Fuit autem onerum inter se partiendorum ista distributio, vt videlicet Ecclesiæ sacrosanctæ mysteria, diuinæ prædicationis munus, clericorum disciplina, atque alia, quæ salutarem morum institutionem concernunt, sedulus adimpleret Sulpicius. Vulfolentus verò in gubernando populo, in litibus dirimendis, in administrandâ iustitiâ, cæterísque exterioribus ordinandis pro data sibi gratia bonus Christi seruus prudenter atque fideliter inuigilaret. Non est facile dictu, quantum ex hac ordinatione quamque plenè tum Ecclesiæ, tum animo suo satisfecerit profuerítque Sulpicius. Cæterum ipse insistebat ardentissimè, quibus ab adolescentia magnopere delectatus fuerat, noctis profundæ vigiliis orationibúsque continuis. Quas non in vna Basilica tantùm, verùm per diuersas, vt animus ferebat, Ecclesias efficientissimè peragebat. Sed neque destitit sacratissimum illud, quod delectabiliter inhabitabat, templum Spiritus Sanctus assiduis illustrare miraculis. De quibus nos ducente gestorum serie, quæ superſunt enarrare pergamus.

Itaque non multò pòst familiaris quidam sed improbus, pontificali in secretario quæ malè concupierat, nocturno silentio suffuratus, quum celebrem attentaret egressum, nec aditum quo fuerat introgressus ei quoquopacto reperire liceret; ita vt erat onustus, donec illucesceret, errando, laborando, sudando permansit. Vir autem Dei (quem minimè latebant, quæ gerebantur) nonnullos de ministris secretiùs aduocans, locúmque designans, hominem ad se perduci iubet. Qui deprehensum se videns, nimióque rubore suffusus, antistitis præsentiam cum minimè sustineret, de manibus sese tenentum repente proripiens, expeténsque cursuram, insequentibus eum ministris, in repertum fortè profundum atque aridum insiliens puteum, præsentaneæ mortis periculum incurrere non dubitauit. At verò ministri iubente præsule submissis scalis ac funibus descendentes, quum viuum illum inuenissent atque valentem, mirati rogant vt tanto in præcipitio nulla penitus membrorum læsione fuisset affectus. At ille, *ego* (inquit) *vbi mentis impos præcipitem me dedi, vlterioris vitæ spe prorsus amissa, vale inquam, iucunda lux: verum miseræ huius animæ vmis infelicem exitum, optime pater Sulpici, tuæ, pietati commendo.* Tunc euidenti claruit indicio, Sulpicii meritis eum imminentem indubitatæ mortis euasisse necessitatem. Quem deductum ad se benignus Antistes, paucis quidem mansuetísque verbis, ne deinceps furto se implicaret, hortatus, data benedictione, liberum, quo vellet, abire permisit. Neque istud anteriori illo signo, quo ad Vtrionem fluuium mortuum suscitauit, leuiore dignum æstimatione putandum est. Quippe quum non minoris sit virtutis conscíscentem sibi sponte mortem in ipso mortis articulo conseruare, quam orationis instantia pristinam ad vitam iam mortuum reuocare. Vnde ne id quidem silentio supprimendum, quod quodam in loco quam succidi præceperat arborem, quum repentino suo casu quendam qui fortè negligenter astabat puerum cerneret oppressuram, edito contra salutiferę crucis signo, partem in alteram potenter impulerit, improuisámque subitaneæ mortis abeo miraculosè calamitatem auerterit.

Denique quispiam ex Diaconibus, quem nescio quo longiusculè proficiscendi titillabat affectata voluntas suppliciter abeundi potestatem ab antistite postulauit. Quâ non accepta (responderat enim Sulpicius in tempus aliud differendum) ipse tamen clam post foris occubitum rebellis & contumax iter instituit. Qui toto illo noctis spacio equum calcaribus vrgens, quum plurimùm se promouisse putaret, elucescente clarius aurorâ, eò se loci reperit, vnde vespere fuerat egressus. Et quidem

non sine vehementi rubore : quippe qui secum reputabat (quod verum erat) suum videlicet hunc errorem citra Sulpicii scientiam haud quaquam accidisse : Vnde nullam passus moram, sui pastoris genibus procumbens ex animo satisfecit, admissique reatus perfacilè veniam impetrauit.

Retulimus in superioribus adolescentulum adhuc Sulpicium, binis concitatum puerilis, deserta quadam in Ecclesia nocturnis in orationibus incumbentem, immundorum spirituum laruas duas ab iniuria puerorum signo Crucis abegisse. Verum quod ne à se quidem istiusmodi præstigias abstinuerit improbus tentator, præsens narratio declarat. Siquidem Episcopatus cum Vulfolenio (vt paulo ante iam expositum est) distributo onere, quum in baptisterio quod postmodum Sancti Ioannis Campestris nomen accepit, *sed verius in Ecclesia sancti Hippolyti, quæ tunc temporis baptisterium dicebatur, vt videre est in vita Sancti Vrsini, vt ad marginem non nemo obseruauit*, nocte quadam ex more orationum expleta serie, diui Martini Basilicam quod reliquum erat diurnarum laudum absoluturus expeteret ! Ecce obuiam se fert terribilis bubo, qui primum importuno geminarum alarum motu, præeuntis pueri lucernam extinguere, deinde vltro citróque circumuolantibus sese agens, ipsum quoque Sulpicium ab introitu Ecclesiæ nititur abarcere. Tunc ille indignabundus, *nihil inquit agis impura conspurcataque bellua ! Imperet tibi Dominus IESVS, qui ruentis te fulguris instar vidit de cœlo cadentem.* Cumque eleuatâ manu, salutare contra signaculum expressisset, inanis illa, vt erat, euanescens vmbra disparuit. Sulpicius verò templum ingressus psalmis hymnisque sacris ad consurgentem vsque luciferum deuotus atque alacer inuigilauit.

At qui minime destitit, quotidie gliscentis hostilis inuidentiæ furor. Nam per idem fere tempus nonnulla quæ tum fratribus, tum pauperibus ad victum erant vsui, per quendam Ansulsum nomine, mirâ simplicitate & animi puritate iuuenem, deferenda Sulpicius imperauerat. Qui iussis diligenter adimpletis, quum reditum maturaret, offendit medio in itinere quasi iudicem quempiam apparitorum comitiuâ stipatum : erant enim immundi spiritus, qui de iumento eum deiicientes, dirè flagellis cæsum, semineeem humi iacentem reliquerunt. Delatus domum ab amicis lecto decubuit, & oculorum lumine, & vsu linguæ, & artuum denique omnium officio destitutus. Cunctis verò metuentibus quod acciderat indicare Sulpicio, cognouit ipse per spiritum rei gestæ seriem vniuersam intimauítque fratribus decimo iam die puerum ea calamitate laborantem alimenti percepisse nihil. Præmissa igitur ad Dominum oratione deuota, panem & vinum benedixit ; pergénsque ad iuuenem, primum illius fronti signum Crucis imprimit ; dein eius ori madefactam vino buccellam immitti iubet. Quâ violenter illatâ, neque enim nisi reseratis ferro dentibus ingeri quitquam poterat, mox vt sensit vim benedictionis, recuperato vigore membrorum, in gratiarum actiones erupit dicens. *Benedictus Dominus qui me non dedit in captionem dentibus eorum.* Exploratissimúmque fuit tanto dierum spatio citra omnem alimoniæ sustentationem afflicto in corpore naturalis humoris non posse subsistere virtutem, nisi ad Sulpicii meritum & gloriam dilatandam diuina eum sic prouidentia conseruasset. Et quidem hæc ita gesta eiusdem Ansulsi relatione se cognouisse plerique testati sunt.

Sed & aliud quiddam aduersus Sanctum Dei virum adorsus Sanctorum omnium aduersarius improbissimus nullum suæ molitionis assecutus est effectum: Etenim interiecto non longi temporis interstitio, nocte quadam suis cum discipulis viro Dei persoluente nocturnarum vigiliarum munus, quum esset in psallendo cunctis & piæ deuotionis & gratioris harmoniæ mira dexteritas : nec audiretur in Ecclesiâ strepitus vllus, extemplo fragor horrisonus in morem crepitantium saxorum, inuicémque se collidentium, vsque adeo Clericorum perculsas attonuit aures : eóque terroris eorum abalienauit animos, vt abrupta sacrorum cantione psalmorum, nilul præter indubitatum expectarent interitum. Putabant enim vehementiori terræ motu columnis, fornicibúsque concussis omnem illam templaris ædificii machinam, subitæ ruinæ violentiâ dissoluendam. Sed armatus inuicto sinceræ fidei scuto Sulpicius, haud quaquam ambiguus hunc esse dæmoniacæ peruersitatis insultum, constanti voce cœptum opus continuauit intrepidus, increpauítque tenuem discipulorum fidem, vt quid larualibus illusionibus expauefacti, à cœlesti psalmodiâ (qua fideliter enunciata, spiritalis nequitiæ virtus omnis facile vacuatur) tam

pusillanimiter abstinuissent. Admirabantur sanè boni discipuli tantam in optimo pastore fiduciam, cui nullo genere tentamenti, qualibet à dæmonibus calliditate posset illudi. Et qui paulò ante penè amissis animis, patris suæque vitæ timuerant, iam pia confundebantur erubescentia, quod diuinum in opus, pari constantia non incubuissent.

Erat inter eos Legontius quidam vir integer & fidelis, plurimarumque virtutum partibus irrigatus, & Ecclesiasticæ disciplinæ zelator accuratissimus. Huic officium erat maiori in æde psallentium moderari choro: quo videlicet vocum paritate diuina enunciaretur psalmodia. Hunc (quoniam officere pastori neutiquam poterat) in sui viudictam hostis expetit, & id quidem non nisi absente Sulpicio, quo præsente minime dubitabat tenuis instar nebulæ vacuatum in quicquid fuisset attentare conatus. Itaque quum Ecclesiastici cuiuspiam negocii gratia discessisset ab vrbe Sulpicius, nocturnarum tempore vigiliarum ad Ecclesiam maturanti Legontio insidiatus à tergo dæmon inuentum prostrauit humi, prostratum dirè cecidit, cæsum plagis afficit, affectum plagis extremum penè trahentem spiritum, & qua potuit voce benedictum IESV-Christi Domini nostri nomen inuocantem, reliquit. Inuentus à clericis, quum mortuus putaretur, indicat tenui voce ab immundo spiritu id se contumeliæ fuisse perpessum. At verò reuersus pater Sulpicius intelligens in sui inuidiam cæsum à dæmone fuisse Cantorem Legontium, oratione fusa viuificam illi porrexit hostiam. Quâ illicò medicinâ sospes effectus, deinceps ampliori sanctitudine studuit enitescere: séque aduersus dæmonum insidias prouidentiori cautione munire.

Frendebat inter hęc ad nihilum redactus hostis, & velut efferatissima bestia quicquid obuium se ferret in prædam exposcens, hominem quendam & moribus & conditione rusticum eo furoris impulit, vt ipso Dominicæ Resurrectionis die, nullâ tantę festiuitatis habitâ consideratione, materiam dissecturus, manu securim arriperet. Quem illico diuina coarctauit animaduersio. Nam arefactæ manui securis adhærens, nulla vi, nulla potuit arte moueri. Quid faceret homuncio ille, quo se verteret manifesta cœlitus vltione perculsus? Metuebat egredi, quia delitescere scelus volebat, domi se continere non poterat, quia grauis vrgebat dolor. Tandem eiulatu clamoribúsque nimiis patefacto reatu, ita vt erat comprehensus, ad Dei virum adducitur. Cuius ille procũbens genibus, flens atque singultiẽs, rem omnem ex ordine pandit. Tum verò Sulpicius alta primum imo trahens corde suspiria, dein toruis hominem intuitus oculis: quænam (inquit) infelix te inuasit amentia, vt Christianis omnibus venerabilem sacro-sancti Paschæ non timueris opere seruili contaminare festiuitatem: Et si quemlibet dominicum polluisses diem, præsenti (quam pateris) vindicta dignus eras. An ignoras, stulte, Moysi præceptum à Domino, vt lapidibus obrutus interiret, qui ligna collegerat sabbato? Et qũis ego sum, vt audeam à te cælestem auertere pœnam? Veruntamen quoniam infinitæ clementiæ Deus noster est, nec quemquam vult de misericordia desperare: pœniteat ex animo te commissi facinoris, & pergens ad Ecclesiam, continuis illic quanto poteris affectu cordis compuncti lamentis insistito, si cui nimis iniurioſus extitisti, pius Saluator tuis meisque placatus orationibus in pristinam te restituat sanitatem. Paruit homo salutari consilio: & totã illam noctem maiore sub altari peruigilans nihil sensit sibi dulcioris leniminis aduenire. At vero Sulpicius qui & ipse propensiùs in amaritudine lacrymarum anxiáque continuatæ supplicationis instantia pernoctauerat, die insecutâ sacram ingressus ædem, in medium produci hominem iubet, & conglobata populorum inspectante caterua, cunctisque admirantibus arenti in manu securim, causam patefaciens omnem, de festiuitatibus debitâ cum veneratione celebrandis compendiosam quidem, sed omni seueritate plenissimam depromit orationem. Tum deinde Sacrosancta missarum aggreditur celebrare mysteria. Quę dum absoluuntur, aperta rustici manu, vidisses in terram cecidisse securim. Statim verò idem rusticus in gratiarum actiones erumpens, humili diluit confessione reatum & veniabili cum absolutione benedictionem accipiens, deinceps maiori cum cautione Ecclesiastica curauit instituta seruare.

Pluribus quidem & aliis modis incommodare Sulpicio conatus est hostis: Sed vbique cassolabore deficiens, hoc effecit vt quidquid nequiter attentaret: id omne celebriorem viri sancti proficeret ad gloriam crebrescentibus indies magis ma-

ed by Google

gíſque per vniuerſas longè latéque prouincias præclariſſimarum virtutum illius titulis, multipliciumque miraculorum inſignibus. Nam vt ſilentio prætereamus cæcos, mutos, ſurdos, leproſos, paralyticos, cæteróſque debiles, quibus omnibus præſente ſibi gratia Chriſti vir Deo amabilis ſanitatis contulit munera, nonne hoc planè Apoſtolicum eſt, quod collecta ablutis eius ex manibus aqua, cum variis morbis, tum præcipuè tertianâ quartanáque febre labrorantibus efficacem narratur contribuiſſe medelam? Cæterum quod ad vitam moréſque pertinet, tam omne fuit in illo examinatum, exactum, abſolutum, vt ad conſummatiſſimam omnigenæ ſanctitatis perfectionem, ei defuerit nihil. Quippe in terris Angelum viuens, quicquid ad exterioris hominis vel apparatum, vel oſtentationem facere videretur, ita procul abiecerat; vt qui neſciſſet eum eſſe Pontificem, ne ſalutatione quidem dignatus hominem præteriſſet; niſi quod genuina quædam venerandi vultus, inceſſus, & habitudinis grauitas honorabilem eum cunctis reddebat. Domeſtica verò ſuppellex Chriſtianam omnino pauperiem præ ſe ferebat. Neque enim erat illi abacus aureis argenteíſque vaſis onuſtus. Quin magis erant omnia vel teſtacea, vel lignea, vel certè vitrea. Et hæc quidem faciebat vir ſanctus non quod fuluum radianſque metallum abominaretur; ſed quod neceſſariæ egentium neceſſitati liberaliſſimè diſtribueret vniuerſa. Nam & Monachorum collegia non parua, quibus ipſe Monaſteria conſtruxerat, ſuis alebat impendiis, & quas intuebatur eſſe pauperiores Eccleſias, ampliori dote locupletabat. Vnde ipſius eleemoſynas meritò cum laude enarrat omnis Eccleſia Sanctorum.

Inter cætera quæ plurimo labore ſumptúque non paruo pius Pater erexerat Monaſteria, vnum præſertim in deliciis habebat, quod in ſuburbio Bituricæ vrbis ſitum, ac Deiparæ Virgini conſecratum, Nauis cognomento placuerat appellari. Illic probatiſſimos Monaſticæ conuerſationis viros habitare præceperat: quorum exactiſſima beatè viuendi norma ſuam ipſorum ſalutem operari cupientibus lucidiſſima præberet exempla. Diligebat ex animo fratres illos, quibus & Abbatem ſeſe exhibebat & ſocium. Et quoties ei vacare potuiſſet, cum ipſis ſuæ laſſitudinem ſenectutis ſpirituali cum alacritate leuabat, & quodammodo ſolabatur. Idcirco præcipua veneratione colebat Monachos, eorúmque conſuetudine crebriùs vtebatur: quod haberent os expurgatum, eſséntque ſanctâ quadam coaceruandarum virtutum inuidiâ perquam anxiè curioſi. At verò Sulpicius & dierum & electiſſimorum operum plenus, accepto cælitus nuncio, quod videlicet propediem eſſet à laboribus ſuis quieturus: vicinæ mercedis alacritate exultabundus, quaſi iam in ſe renouatam experiretur iuuentutem, ociùs exurgens, cognitis ſibi miſericordiâ ac liberalitate viris, quos impendio ſuſtentauerat, commendare pauperes, ſingula quæ extruxerat Monaſteria diligentiſſimè perluſtrare, cunctas ſuæ Diœceſeos Eccleſias ſingulatim paternâ ſollicitudine viſitare, Preſbyteros cum Diaconibus, omnemque clerum ad frugalitatem & caſtimoniam hortari vigilantiùs contendit.

Nec hoc ſatis viſum eſt paſtori vigilantiſſimo. Verùm ne vel parte ex aliqua deeſſe videretur Eccleſiaſticæ ſoliditati, totius Aquitaniæ Primatus vniuerſalem conſtituit Synodum. Probatam videlicet hanc vtilémque fideliter adminiſtratæ prælationis conſummationem ratus, ſi præſente ſuffraganeorum Epiſcoporum cœtu, ſuam in his partibus obeundis integritatem, fidem, innocentiam, curam, ſollicitudinem, inſtantiam ſincerè teſtatam coram omnipotente rerum arbitro, reliquiſſet. Nec mora: parent imperatis ex animo cuncti, maximopere cupientes haurire ſapientiæ aquam ex ore viri, quem liquidò conſtabat eſſe ſpiritu Dei plenum. Fit itaque in Eccleſia celebris Epiſcoporum ex more conſeſſus, & circunſiſtente denſa cleri coronâ, apparet omnibus honoratior venerabili ſenectute beatus Pater Sulpicius. Qui Angelicos attollens oculos, dilatato Sanctum in Euangelium ore, tanta cum omnium gratia fauoréque ſermocinatus eſt: vt audientium dubitaret nemo non tam Sulpicium, quàm ipſum eſſe Chriſtum qui loqueretur. At vbi ſe indicat proximè reſoluendum, ſuſpiratur ab omnibus, fletur ab vniuerſis, & incredibili quodammodo vna cunctorum optio, vnum deſiderium, vnum pari concordia votum, longęuos vitæ felicis annos à ſuperna maieſtate prorogatum iri Sulpicio, ne diuinum ad honorem gubernata luculenter Eccleſia mœrens lugénſque taceat tanto viduata parente. Poſt ſolutam vero Synodum paucis admodum exactis menſibus, Deo dignus Antiſtes, lentâ quidem ſed continuâ febre correptus, continuæ vacabat orationi: Sanctorúmque tranſitus qui ſe præceſſerant, iugi meditatione voluebat. Qui horam,

quâ dissoluendus erat, iam instare cognoscens, cilicium & cinerem sterni iussit, cunctósque, qui præsentes aderant, ore placido benedixit. Vt autem ille Christiano incubuit strato: cum lachrymis suspirans ad Dominum, inquit. *Sufficit mihi Domine Iesu: suscipe spiritum meum.* Sed & ipso (quo exiturus erat) mortis articulo, qua potuit voce cecinit dicens. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Quo dicto, felix illa anima carne soluta, cœlo recepta est decimo sexto Kalend. Februarij, anno Domini 648. & sui Pontificatus decimo tertio. At insigni viro, amico Dei, Christo supremum reddente spiritum, clerus ingemuit omnis, populus luxit vniuersus. Videres passim per vrbem viros, mulieres, senes, pueros cum lachrymis ad Dominum clamitantes, quasi cum Domino expostulantes, quod omnibus charum & vtilem, maturè nimis eis Pontificem abstulisset. Et quum esset omnium infinitus animi mœror, ea tantummodo inter singultus verba dolentium gemitus extorquebat. *Heu grex desolate quid ages? En amisso pastore dispergeris. Et quis vnquam te à luporum rabidis dentibus quiuerit liberare? In morte enim tua, ô pastor bone, omnes nos interisse quis ambigat?* Interea ventum est ad Basilicam, vbi hunc Dei Sacerdos, glorioso triumpho resurrectionis tempus expectans miro decore iacet. Quam quidem dudum ipse summo construxerat nisu: Cuius sacratissimum corpus dum Sepulchro illatum fuisset, plebs vniuersa pastoris absentiam sustinere non valens, vltra humanum modum mugitum pauimento prostrata reddebat. Lugebant quidem omnes quasi absentem, quem non amiserant: sed ad cœlum præmiserant, nescientes planè quod legatione pro ipsis fungi properarat ad Deum. Moriturus autem neque de condendo testamento (nam in opera misericordiæ distribuerat vniuersa) nec de subrogando Pontifice disponere quicquam voluit. Hoc tantum ordinans, ne quoquam nisi in Nauensi Monasterio sui corporis exuuiæ sepelirentur. Quod & summa cum deuotione ac magnificentia effectum est. Ille siquidem adhuc in humanis agens certissima reuelatione didicerat suum ibidem honorifica donandum sepultura corpusculum, séque loci illius posteritate perpetua tutelarem fore patronum. Sedit autem annis tredecim, præsidentibus Romæ Honorio & Seuerino, Imperante Heraclio. Et regnantibus in Francia Clothario secundo & magno Dagoberto.

Sequuntur quædam miracula ab eodem sanctissimo patre Sulpicio iam ad cœli gloriam translato diuinitus effecta.

Quemadmodum iuxta sententiam Apostolicam, in hac peregrinatione sancti viri (diuidente singulis prout vult Spiritu sancto) varia cœlestium gratiarum munera sortiuntur: ita calcato tandem triumphatóque sæculo, iam lucidas sedes adepti, diuersis vtilium virtutum beneficiis irradiantes, diuinas in laudes, inque honorificam suorum corporum venerationem, fidelium populorum ora cordáque conuertunt. Quod quidem abunde copioséque testatur glorioſi Præsulis Sulpicij lampas, de qua tot egressæ virtutes, tot accepta iucundæ sanitatis auxilia referuntur: vt dubium non sit, quin inter præcipuos superni moderatoris electos sanctus hic largiter æternæ beatitudinis felici gaudio perfruatur. Hæc, inquam, mirabilis lampas super extructum pij patris suspensa tumulum, decidente miraculosè excrescentis olei madore, substrati marmoris guttatim superficiem humectabat, quæ quodam die (mira dicturus sum) quum à solito lumine fortè vacua cerneretur, insistentibus ex more vespertinæ laudis officio fratribus, ecce repente superni fulguris ingrediens flamma, non sine cunctorum admiratione, extinctam lampadem accendit. Vnde sancti liquoris virtus eatenus aucta est quemcumque fideliter accedentem ægrotum desuper emanans stilla contingeret, illico petitæ sanitatis beneficia persentiscens, exultabundus ad propria cum gratiarum actione reuerteretur. Quod vbi vulgata fama compertum est; cœpit agminatim ab ægrotantibus locus ille frequentari, expectantibus non minori auiditate profluentis olei pinguedinem: quam in probatica Hierosolymorum piscina Angelicum aquæ motum variis affecti morbis quondam sunt præstolati.

Honestissima quædam erat eximiáque probitate mater-familias, Consortia nomine, quæ tum nobilioris claritudine generis, tum examinatæ sanctimonia vitæ eo vsque vniuersis populis commendabilis habebatur: vt ipsi quoque duo Sulpicio, quum adhuc in humanis ageret, intimo charitatis vinculo iuncta foret. Nam & Esonis spectabili plurimum viro (qui sua sapientia Massiliæ Prouinciæ præfecturam administrauerat) legitimo fuerat copulata coniugio. Hæc eadem in vrbe, latentis

ægri-

Digitized by Google

ægritudinis grauissimo languore corrupta, ad hoc vsque discriminis perducta est vt nihil aliud expectaret, quam vt præmortuos artus anhela iam anima corpus relictura citiùs egrederetur. Tum verò diuina, vt creditur, prouidentia quidam astans homo præ foribus nunciat Sulpicianæ ex lampadis oleo particulam in vase habere se reconditam. Nec mora intromittitur homo, profert oleum, perungitur matrona: & confestim tota cupitam cernitur accepisse salutem. Innotescit miraculum ciuitati, & vno omnium ore veneranda Sulpicianarum laudum præconia per vicos & compita perstrepescunt.

Mendicus quidam, Marinus nomine, qui teneris ab annis infœlicia molestæ cæcitatis damna pertulerat, audiens quæ de certa liquoris sacræ lampadis medela passim disseminabantur in vulgus, pia quadã vsus audacia. Experiar, inquit & ipse sortem meam. Neque enim crediderim cæteris læta subsidia reportantibus, vnum me beato viro fore despectiorem: Datáque manu ductori, quem præ nimiâ spe nancisci luminis cursu pene præibat, peruenit ad monumentum, fusáque cum lachrymis oratione, tenebrosos postulat oculos sancto liquore contingi. Quo delibutus illico consequitur alacer quod optabat, agénsque ex animo diuinæ maiestati, beatóque Sulpicio gratias, honestæ deinceps sese contradidit disciplinæ.

Hoc itaque gestum Diaconi cuiusdam attonitas percussit aures. Qui & ipse annos fermè triginta oculorum miseranda laborauerat orbitate. Hic pari motus intentione Sorbonium Monasterium quo habitabat egressus: sanctum expetit tumulum: vota concipit, depromit orationem, medicum liquorem exposcit & impetrat, nec suo fraudatus desiderio, amicâ luce recuperatâ, suum illuminatorem Sulpicium quoad vixit, miro est veneratus affectu.

Prodeat in medium sinceriori prædita fide virgo iuuencula, quam obductis perpetua cæcitate luminibus, ærumnosas temporalis vitæ in tenebras mater effuderat. Hæc quum modò vicinos, modò quoslibet prætereuntes magnalia diui Sulpicij recitantes audire non cessaret, internum, quo stimulabatur, viuendi desiderio vltra non ferens, in huiuscemodi verba stomachabunda erupit. Apparet (inquit) ô parentes (pace vestrâ dixerim) nec fide vos pollere, nec charitate. Nam si crederetis esse vera, quæ narrantur, & illud nimirum crederetis, tot videlicet vtriusque sexus personis communẽ diui Sulpicij virtutem ex animo postulantibus vobis, nec vestræ soboli, defuturam. Quod si creditis, & tamen æquo animo cæcitatis meæ damna patimini, liquet perspicuè parentelæ vos carere dilectione. Agite ergo, tollite moras, & ad glotiosum beati viri sepulchrum me perducite. At vbi subsequutus illuxit dies, nihil cunctati cũ filiâ properant ad sepulchrum, solo procumbunt, suspiria simul & lachrymas offerunt: sed longè puella vberiores. Quod intuens is, qui sacrario præerat, liquentis olei guttis humectato pollice, illius fronti Sanctæ Crucis signaculum imprimit, oculósque delinit. Quæ illico nouam & eatenus inexpertam admirata lucem, ædis illius amplitudinem omnem exultabili clamore compleuit: cum gratiarum actione summi clementiam auctoris in sancto suo glorificans.

Auxit autem miraculum hoc vir Antistiti (qui tum Aquitaniæ Primatum gerebat) & familiaris plurimum & amicus. Quem Biturigensium optimates haud mediocri beneuolentia prosequebantur. Hic cum diuturno quartanæ febris morbo laborans, fatigati corporis iam viribus exhaustis, præsentis vitæ spe destitueretur, eo ipso tempore, quo lumen oculorum puella recepit, & ipse salutis opem efflagitaturus assistens, eodem medicæ lampadis oleo perunctus, pristinæ valetudini restitutus abscessit.

Succrescentibus igitur in dies per illud sanctificationis oleum virtutum signis: cœpit etiam à diuersis Galliæ populis magnificum glorioso pontificis monumentum inuisi. Vnde factum est vt à Lemouicensi vrbe viri duodecim oculis capti aduenientes, Ecclesiam introgressi, non sine strepitu & clamore venerabilis Patris Sulpicij Sanctum inquirunt sepulchrum, inquirunt lampadem, vnctionem exposcunt, fidem si habere affirmant, illicò perspicuum cœcis oculis iubar infusum iri, modo sancti liquoris aspergine mereantur attingi. Admirati sunt autem, qui hæc audiebant promulgatis sui patroni magnalibus ex animo congratulantes. Hortantur interea Monachi viros, vt summi conditoris omnipotentiam reuerenter adorent, deuotè sanctum eius famulum Sulpicium sollicitent precibus. Optabant enim & ipsi, vt rutilantiori miraculo coruscante, ne vnus quidem desideratæ lucis abiret immunis.

Digitized by Google

Atque ita diuina fauente misericordia factum est. Mox namque vt tacitos finiere precatus, atque inuncti sunt singuli, extemplo videre singuli. Intuentur ergo mutuos ingenti cum hilaritate vultus, monumentum spectant, & lampadem, vniuersam denique conspicantur Ecclesiam, eximias supernæ clementiæ gratias agunt, amabilem Deo Sulpicium amplificis tollunt ad æthera laudibus.

Homo quidam penes alterum (quem fidelem existimabat) certam pecuniæ summam pacto cum fœnore deposuerat: quam ille pestilentis auaricię morbo correptus præfinito tempore reposcenti pertinaciter negare non dubitauit. Anxius quid ageret creditor, ad extrema confugiens, ad iusiurandum euocat: designato videlicet loco, beati Pontificis Sulpicij monumento. Accipit conditionem ille irrisor, sancti, Deique contemptor. Nec mora, designatam simul ambo proficiscuntur ad vrbem. Videns autem creditor obduratam hominis obstinationem, salutaribus eum aggreditur monitis. At ille qui iam Sathanæ mancipium sese dediderat: ore sacrilego respondens: proposuisti tu, inquit, conditionem, iusiurandum poposcisti: ego iurabo. His habitis sermonibus, vt tandem eò ventum est vbi spectari poterant vrbis mœnia: en ait creditor Basilicę sancti Sulpicij turrim: caue tibi, miser, si quid diuini timoris animum possidet tuum. Visa itaque turri procacibus oculis ilico periurus retroactus in terram cecidit, fractisque ceruicibus animam exhalauit.

Mulier quædam è superiori Germania nobilem ab illustri stirpe ducens originem, à teneris quidem annis oculorum cæcitatem incurrerat. Quæ diuino admonita oraculo, non absque plurima difficultate, sumptuque non paruo ad vrbem Biturigensium tandem profecta peruenit. Nauensis igitur Monasterij Basilicam (in quâ sepultus est eximius ille miraculorum effector Sulpicius) introgressa: & pluribus ad venerandi antistitis sepulchrum excubans diebus, ieiunus, orationibus, lachrymosisque suspiriis intenta, ne tenuissimam quidem exiguæ lucis scintillam est experta. Diffisa ergo super sanatione sua instantiùs obsecrabat, vt reliquiarum sibi quippiam impartiretur, quod secum in patriam ferens, sanctum Sulpicium cultu reuerentiori veneraretur. Existimabat enim posse fieri, vt vel domi visum reciperet. Cumque vna dierum Basilicam omnem lamentabili voce compleret, multo clamore ingeminans vt reliquiarum aliquid ab Abbate sibi concederetur: vnus è cæmentariis derisionis & contumeliæ spiritu concitatus, quid (inquit) tantopere clamas? Expande linteum gremiale: & ex his quas habemus reliquias tibi profundam. Acceptáque trulla temperamento (quod vernaculo sermone mortarium vocant) finum cæcæ mulieris impleuit. Quod illa digitis contrectans, plena fide concepta, obleuit eodem vtramque pupillam, & illicò (mirabile cogitatu!) reseratis obtutibus pium micantis diei iubar intuita est, conuersáque in gratiarum actiones, Deum omnipotentem, sanctúmque eius Sulpicium exultabunda gratulatione laudando glorificauit. Porrò cæmentum illud, vnde lucem acceperat, mulier recondi iubet, precioſis id pro reliquiis habens. Sicque tandem mira cum alacritate reuersa domum, diuulgato circa se patrato miraculo, tum ciuitatem, tum vniuersam circumiacentem prouinciam in B. Sulpicii venerationem, honorificentiámque conuertit. Denique vt in regionibus illis tantæ rei extaret perpetua posteritate memoria, construxit ingenti sumptu Cœnobium; quod (vt barbarè loquar) S. Sulpicium de mortario libuit appellari. Respexit autem ab alto pius pater Sulpicius locum, tutelarem patronum sese illi exhibens, illúdque cæmentarium reliquiare numerosis multiplicium sanitatum beneficiis clarificans atque colluſtrans. Sed iam nunc ad medicum illud sacræ lampadis oleum nostra se conuertat oratio.

Landegesillus homo plebeius, quum aliquando cum sociis aliquot suis similibus, per amœna camporum animi causâ spaciaretur: dumque indisciplinatis excursibus huc illúcque vociferationem augendo rotaretur (lamentabile dictu!) ecce repente aduersariorum spirituum atra legio miserum infelicis homuncionis pectus ingreditur. Expauefacti sodales, collecta rusticorum manu non sine multo labore, ferreis vinctum cathenis ad sepulchrum viri Dei plurimum obluctantem pertrahunt. Quò mox vt peruentum est, de cathenarum explicamentis sese expediens, tabulatum quod tumulo prominebat toto quidem annisu conscendere satagit. Verum à fratre qui sacrario præerat guttis olei delibutus, omni illa dæmonum spurcitia dicto citiùs expurgatur, demissóque capite, viam Domini diligentiùs edoceri, & quod reliquum est vitæ inter Monachos transigere concupiscit.

Digitized by Google

Vir alter non multo post de Baguriaco fundo cum vxore dæmoniacâ venerandum Antistitis sepulchrum inuisens, mox vt orationem finiuit, medico perfusam oleo sacrę lampadis saluam secum incolumémque reduxit.

Sed & pari facilitate per idem fere tempus adeptâ salute gauisus est homo alius: quem à Sesedono colonia fuisse commemorant. Hunc tanta violentia truculentus atróxque possederat dæmon: vt famelici more leonis, exasperatis vnguibus oréque rabido, inobuium quemque desæuiens vniuersos velocem conuerteret in fugam. Tandem ab electis quibusdam viris comprehensus, & ad sancti Præsulis tumulum multo cum sudore pertractus, quum vel vt humi procumberet, vel saltem genu flecteret, cogi vix posset, certus nequam spiritus ante medici liquoris efficaciam se non posse subsistere, cum impetu quodam hominem solo prosternens, simul vt oleo perlitus est, multo cum stridore egressus abscessit. Ille verò resumptis viribus, omnipotenti Deo laudes, sanctóque Sulpicio debita gratiarum vota persoluens, prorupit miranda in gaudia sanus. Succedit huic quod iuuenis quidam, quem annis fermè duodecim nequam obsidens spiritus, & auribus & linguæ priuarat officio, mox vt medicinali sacræ lampadis est oleo madefactus, & affligenti se dæmonio caruit, & auditus simul & vocis munus obtinuit. Sic tamen vt dearticulati sermonis eloquutionem necesse haberet more infantium edoceri. Nec sanè minori dignum est admiratione miraculum quod sequitur. Etenim ex Niuernensium ciuitate toto contracta corpore mulier, eo quidem pacto, vt genua, mentum, & nates attingerent plantæ non sine labore plurimo, suorum humeris ad vsque clarificum diui Sulpicij sepulchrum delata est. At illa flammantem apertis oculis attendens lampadem, expectabat anxia donec efficacibus guttis qualibet parte corporis inungeretur. Nec mora quod petit accipit, & illico paulatim sentit extendi crura, solidari plantas, cætera mirum in modum conualescere membra, vniuersum denique robustâ fortitudine reuiuiscere corpus. Exurgens alacriter in pedes, deosculatur altaria, sepulchrum amplectitur, & admirantibus cunctis, Deíque omnipotentis verè amicum Sulpicium proclamantibus, suis pedibus vnde fuerat delata reuertitur.

Recens adhuc ea clarioris miraculi virtus passim Biturigensium populorum in ore versabatur, & ecce homo leprosus è viro cui Sapangia vocabulum est, adipiscendæ curationis gratia sacram ingreditur ædem, ac plurima cum supplicatione, medicam impetrat vnctionem. Qua percepta (mirabile visu) dicto citiùs omnis illa maculosæ fœditas lepræ cum tanta deletur efficacia: vt quemadmodum de Syro Naamane sacra pandit historia, corpus eius vniuersum, carne pueri paruuli candidius atque nitidius appareret. Quinetiam illud memoratu dignum est, quod Aurelianis à finibus quidam religiosum præferens habitum, cuius horrida cutem omnem miseris modis lepra fœdauerat, eò deuota peregrinatione se conferens; statim vbi decenti cum humanitate fidéque indubitata, sacræ pinguedinis vnctionem accepit, tantam se carnis suæ mundiciam consecutum miratus est, vt arbitraretur se septennis recuperasse pueri iuuentutem.

Mulier quædam artubus vniuersis miseranda paralysi dissoluta in lectulo iacens, ad sacram vsque Basilicam plaustro vecta, & ante beati viri sepulchrum in eodem est grabato deposita. Quæ illicò mœstos ad lampadem deflectens oculos, tacito pectore vota supplex obtulit, & integerrimam extemplo reparati corporis incolumitatem salutiferâ sancti liquoris vnctione percepit.

Euenit interdum vt munificam petituri gratiam, ipsi quodammodo sibi obstaculo sint, ne dulcia præsentaneæ sanitatis experiri beneficia mereantur. Quod expositum subsequens miraculum argumento manifestiore probabit. Prugnius secundùm sæculum vir haud ignobilis, quum annis non paucis molestissimâ perculsi corporis dissolutione laborans, ne minimum quidem ab arte medicâ sibi perciperet afferri leuamen, tandem vel ab amicis admonitus, vel ne supernæ virtutis spreuisse remedia coargueretur, impositum plaustro sancti Pontificis ad sepulchrum deferri se iubet. Quo quum ægrè laborioséque peruenisset; orationis formam minimè deuotam, sed impatientiæ paruæque fidei specimen præseferentem enunciauit. Vnde factum est, vt continuorum sex mensium ibidem protracto, spatio, quum indies magis magisque vehementior acrioris doloris ingraueseeret intensio, tandem desperatâ salute, suos aduocat inquiens: Referte obsecro me domum, quandoquidem hic proficio nihil. Sublatus itaque suorum humeris, vt eò loci ventum est, vbi

venerabile ſancti viri corpus, quum efferretur ad momentum, ſubſtiterat, ibi ſenſim imminuto languore, plenam ſentit adeſſe ſoliditatem. Illicò de lecticâ deſiliens, conſtánſque in pedes, attonito pauidóque vultu ſurſum oculos leuat. Rogatus tantæ cauſam formidinis: eximia, reſpondit, omnipotentis Dei ſunt dona. Maiúſque eſt hoc miraculum, quam vt humano valeat ore proferri. Nec plura locutus ſuis pedibus ad tumulum redit, genu flexo reuerenter vnctionem petit & accipit, continuéque propriis, in quo iacebat, lectulum humeris baiulans, mediámque gradiens per vrbem, & amicum Dei Sulpicium magnâ voce glorificans, maiori quam abceſſerat fide, ab vniuerſo propinquorum agmine domi ſumma eſt cum lætitia, plauſúque ſuſceptus.

Quadam in obſidione viri circiter ſeptuaginta ferreis arctiùs implicati cathenis, ad vrbem Bituricam ſub omni celeritate perducti, crudeliter admodum carcerali cuſtodiæ mancipati ſunt, donec quanam animaduerſione puniendi Regia dictante iuſſione conſtaret. Multa igitur & carceris & famis conſumpti inediâ, iámque mortis diſcrimen effugere haud quaquam ſperantes, audito pii patris Sulpicij nomine, ſimul omnes eius adiutorium ſuppliciter implorarunt. Mox denique inuocato eius auxilio, repente compedes atque cathenæ miro modo diſſolutæ ſunt, atque in terram ingenti cum fragore proiectæ. Tum verò magnum beati Sulpicii nomen in commune omnes in cœlum attollere, magnis vocibus immenſas agere gratias cœperunt. Expergefactus his clamoribus carceris cuſtos, & veſano correptus furore, cæteros cuſtodes conuocat: paritérque hominibus illis compedes atque cathenas ſumma cum diligentia nectunt. Quid plura? Iam aderat dies quem audiendis illis atque diſquirendis ſeſſio prætoria deſignauerat. Et ecce paulò antequam effulgens aurora flauum efferret caput, illis ab alto ſubſidium expectantibus repente iterum cathenarum vincula ſoluta ſunt: ſed & ferreis obſerata vectibus omnia fuliginoſi carceris patuere oſtia. Sicque apertis ergaſtuli ianuis viciſſim egrediuntur omnes & ad ſepulchrum beati Sulpicij feſtinatò confugerunt. Cum primum à iudice reſcitum eſt ad Sulpicianæ libertatis præſidia confugiſſe vinctos: mittit apparitores qui fratribus regalia iuſſa exponant: eóſque commonefaciant, vt æquo animo patiantur abigi fugientes. Reſpondent Monachi nullum ſe fauorem præſtare malefactoribus. Verum proſpexerint ipſi potius ſibi, ne manifeſto miraculo derogantes diuinæ indignationis incurrant animaduerſionem. Quâ reſponſione iratus vnus apparitorum cæteris impudentior in vnum virorum illorum ſacrilegas iniiciens manus, cathenas ei implicauit, itidem in reliquos exercere conatus. Verùm eius ſtudium caſſo labore decidit. Nam inſpectantibus vniuerſis, diuina virtute ſolutæ in pauimentum effluxere cathenæ: vt liquidò cunctis daretur intelligi homines illos diuo impetrante Sulpicio, à quibuſcunque criminibus pleniter eſſe abſolutos. Agnoſcit denique Rex Hiſtoriam vniuerſam, miraculo credit, defert Sulpicio, & ab eorum quos ante damnauerat vlteriori perſecutione quieſcit.

Cæterum quod ſequitur audiant homines parum diſciplinati, qui ſanctorum celebritates ſeruilibus operibus haudquaquam attaminare verentur. Quum anniuerſariam natalicij beati Sulpicij ſolemnitatem legitimo cultu celebraret vniuerſa ciuitas, inuentus eſt homuncio, qui ſeruiliter agens aream virgâ excuteret atque mundaret. Obiurgatus à vicinis, procaciori voce reſpondit. Vnus eſt omnipotens Deus: cæteri homines, in quibus eſt & Sulpicius iſte, cui vos ociantes feſtum diem agitis. Mirabile dictu; vix loqui deſierat: & ecce continuò miſera manus arefacta, quam tenebat virgam, excutere minimè poterat. Properat itaque ad baſilicam homo ille flens & ejulans, atque ſancti pia ſuffragia deuotè implorans. Circumſtat interim populus ſuſpenſus, quo fine res clauderetur. Nec mora, ſacræ lampadis inunctus oleo, reuiuiſcit manus: ipſáque quæ illi adhærebat virga, in terram decidit. Tum verò ingenti clamore totam replet Eccleſiam, & magnis vniuerſorum vocibus manifeſta ſancti Præſulis Sulpicij gloria laudatur, extollitur, prædicatur.

Duo viri, alter Turonicus, Pictauenſis alter, concordi ſtatuerunt voluntate, vt glorioſum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſepulchrum inuiſerent. Sed antequam Gallicanos fines deſererent, diui Sulpicij venerandum adeuntes monumentum, ſeſe ſuorúmque cuſtodiam, eius protectioni deuotè commendarunt. Sciebant enim mare ſe tranſituros, & ab inquietudine periculoſa non minimùm pertimeſcebant. Quo factum eſt vt ſic felici pergentes itinere, deuenirent Maſſiliam. Cuius in portu paratam inue-

nientes nauim, dato naulo pelagi fluctibus diuinâ sub protectione se crediderunt. Cúmque dies aliquot freta prosperè sulcassent: ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Palleſcunt anxij trementéſque nautæ, statímq; ad superſticioſas quaſdam gentilium rituum cerimonias confugiunt. Tum verò exurgentes in medium duo (quos diximus) viri contubernales, indignabundâ voce: quid facitis, ô viri, (inquiunt) quid facitis, impiis iſtiuſmodi cerimoniis inſiſtentes? Ad Deum omnipotentem nimirùm leuanda ſunt corda, & admirabilis Biturigum Antiſtes Sulpicius magis inuocandus cuius tam ſunt ingentia, tam præclara, támque excellentia merita, vt non minora per eum, quàm olim per Apoſtolos optimus rerum conditor ſigna virtutum demonſtret. Cuius in commune ſi ex animo præſidium inuocauerimus, credimus omnino illum calamitati noſtræ minimè defuturum. Tunc pariter extenſis in cælum manibus, voces efferunt. Sancte Sulpici adeſto nobis, ſuccurre nobis, tuere nos. Mirabile dictu! confeſtim ceſſantes procumbere venti, freta conquieſcere, ſerenari cęlum, expanſis ſol arridere radiis, & tuta per æquoreos fluctus volitare carina. Cæterùm vt fieret manifeſtius quod non fortuitò, ſed diui Sulpicij præſente virtute, munus inſperatæ tranquillitatis accepiſſent, aliud longè mirabilius illicò ſubſecutum eſt ſignum, quod omnino quin Sulpicianum eſſet, inficias ire poſſet nemo. Inerat naui vitrea lampas, cuius fortè conſumpto luminari fomento, defecerat lumen. Quæ ſubito inuocato Sulpicij nomine, nullius hominis adhibitâ manu inuenta eſt perſpicuas iacere flammas. Tum verò lætabundâ cuncti voce eis gratias egerunt: qui tanti inuocandi ſalutare conſilium eis dediſſent. Denique poſt dies aliquot in Africanum littus ſaluis omnibus ſunt delati. Ibíque ſoluentes ereptori ſuo Sulpicio templum miro opere conſtruere curarunt. In quo non minoribus virtutum ſignis, quàm in propriâ Nauenſi baſilicâ mirabilem ſeſe atque munificum quotidie exhibet.

Cúmque his & aliis ſtupendis miraculis coruſcaret ſublimis Antiſtes Sulpicius: adeóque eadem vt non ſolùm per vniuerſam Aquitaniam eius opinio celebris haberetur: verumetiam (quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt) ad exteras vſque regiones protenſa, fideles quoſque in ſui venerationem adduceret: plebs deuota vltrà non ferens pij Patroni beata oſſa minùs decenter humi, marmoreóque tantummodò iacere in ſepulchro, inſiſtebat vt à dignis perſonis inde leuarentur: ac in eminentiorem eiuſdem Nauenſis Eccleſiæ locum tranſferrentur. Conducti ſunt igitur duo artifices, pictor videlicet & faber aurarius: qui pro ſuo quiſque ingenio alter bracteis argenteis aureiſque, alter variâ diſtinctione colorum capſam, in qua ponendum erat ſanctum corpus, ſubtiliter adornarent. Conuenientes itaque ad locum, dum ſtudioſiùs inter ſe facienda deſignant, incidunt in altiorem de viro ſancto confabulationem. Dúmque (vt fit) per eius magnalia diſcurrentes, mutua deuoti colloquia protrahunt, & offerentibus vltrò ſe rebus geſtis, maiora magnis, & maioribus maximè miranda ſuccedunt: corporeæ refectionis immemores, vicariâ relatione cum die noctem peruigiles ieiuniúmque continuant. At vbi vitreas penetrantes feneſtras orti iam ſolis radij diem alterum denunciant, iiſdem artificibus mirantibus, quòd tantâ ſub breuitate omne tempus illud tranſierit (neque id aliter poſſe fieri dictitabant, niſi præſens affuiſſet is, de quo loquebantur) ſolliciti de ſumendo corporis alimento, deuoti proſternuntur humi ſuppliciter orantes vt cuius opetante virtute, mirâ cum dulcedine ieiunaſſent, eiuſdem opitulante gratiâ reperirent, vnde prolixiori inediâ confecta corpora roborarent: ſurgentes igitur ab oratione, ecce conſpiciunt inter hiantes fiſſi parietis rimas aureum, in quo antiqui Cæſaris inſculpta agnoſcebatur figura. Tum verò vocatus Monaſterij pater cognito miraculo, illuc eum choro pſallentium fratrum accedens, tulit inde theſaurum, cuius æſtimato pondere, inuentum eſt quod ſatis ſupérque neceſſarium foret in ſumptu ipſorum artificum. Qui quidem miro opere capſam auro gemmiſque contectam ſagaci induſtria compoſuerunt, in quâ ſanctum beatiſſimi patroni noſtri Sulpicij corpus digno honore repoſitum à ſanctis Epiſcopis & Abbatibus cum ingenti Monachorum & totius cleri tripudio tranſlatum eſt ſuper maius altare eiuſdem Nauenſis Eccleſiæ. Vbi nunc vſque glorioſo triumpho beatæ reſurrectionis tempus expectans, ſignorum gloria variis modis refulget, largiente Domino noſtro IESV-Chriſto, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAPVT XXXII.

De Vvlfeodo, seu Vvlfolento trigesimo-secundo Biturigum Archiepiscopo.

TRigesimus secundus præfuit S. WLFEODVS vir genere & sanctitate præclarus. Iste est (ni fallor) Wlfolentus ille, quem superius Phernandus noster astruit ob varia virtutum genera, ac propter excellentem doctrinam à sanctissimo patre Sulpicio assumptum fuisse in consortem curæ pastoralis. Nam is circa Ecclesiasticæ disciplinæ soliditatem mirum in modum sedulus atque intentus erat. Vnde & eodem almo præsule Sulpicio iam ad perennis vitæ gaudia præmisso, clerus vniuersus (cui iampridem dicti Vvlfolenti virtus optimè cognita erat, probata fides, explorata modestia) eo nullum cæterorum magis idoneum existimauit tanti prædecessoris debere fieri successorem. Quod munus ille susceptit quidem & magna cum laude exercuit, miro pietatis affectu cunctis prodesse studens. Interea Rege Clodoueo huius nominis secundo procurante, Concilium Cabilonense celebratum est ab ipso sancto Patriarcha Vvlfolendo cum aliis totius fermè regni Gallicani sanctis Episcopis; vbi multa vtiliter ad Ecclesiæ reformationem ordinata sunt, è quibus pauca hæc subiucere dignum duximus. Priscis quidem canonibus cauetur institutis, vt Metropolitani cum eorum comprouincialibus per singulos annos debeant in Synodali coniungi (Deo propiciante) concilio. Sed nunc tam ex communi omnium voluntate quam ex euocatione vel ordinatione domini Clodouei Regis pro zelo religionis vel orthodoxæ fidei dilectione in Cabilonensi vrbe in Ecclesia Sancti Vincentij pariter conglobati, ipsius sancti Martyris intercessione poscentes vt longæuitatem supradicti principis suo suffragio mereamur, inspiratioñéque diuina interueniente, de canonibus significaretur, quod si fuisset aliquid prætermissum, vel per ignorantiam vitiatum, in pristinum statum (sicut dudum fuerat à sanctis patribus statutum) debeat auxiliante Domino Christo reformari. Itaque omnes inspirante Domino & conniuente, vno animo definiuimus, vt fidei norma, sicut in Niceno Concilio pia est professione firmata, vel à sanctis Patribus tradita, atque ab ipsis exposita, vel in postmodum à sancto etiam Calcedonen. Concilio firmata, in omnibus & ab omnibus conseruetur. Item seculares qui necdum sunt ad Clericatum conuersi, res Parochiarum vel ipsas Parochias minimè ad regendum debent habere regendas. De pœnitentiâ verò peccatorum (quæ est medulla animæ) vtilem omnibus hominibus esse censemus, & vt pœnitentibus, à Sacerdotibus factâ confessione indicatur pœnitentia, vniuersitas Sacerdotum noscitur consentire, &c. Reliqui Canones (gratia vitandæ nimiæ prolixitatis) hic positi non sunt, tamen operæ precium me facturum credidi, si (vt valeat cognosci per quos præsules tunc temporis regebantur Ecclesiæ Galliarum) singulorum (qui eidem Synodo interfuerunt) patrum nomina, huic opusculo insererem. Hi ergo fuere, Sanctus Gaudericus Lugdunensis Archiepiscopus, Sanctus Vvlfolendus seu Vvlfeodus Bituricensis Archiepiscopus. Sanctus Laudalenus Viennensis Archiepiscopus. Sanctus Audoënus Rothomagensis Archiepiscopus. Sanctus Armentarius Senonensis Archiepiscopus. S. Ætherius Ebredunensis Archiepiscopus. Sanctus Licerius Auscitorum Archiepisc. Sanctus Eligius Nouiomens. Episcopus. Sanctus Audo Aurelianensis Episcopus. Sanctus Rauracus Niuernensis Episcopus. Sanctus Aurelianus Ventiensis Episcopus Arricus Lausanensis Episcopus, Amlacarius Sagiensis Episcop. Berthoaldus Lugonen. Episcopus, Baudomeris Tharentasiensis Episcopus. Berthofredus Ambianensis Episcopus Bertho Foroiulien. Episcopus. Clarus Gratianopolis Episcopus. Claudius Regiensis Episcopus. Chatribonus Episcopus Constinen. Donatus Visontien. Episcopus. Deodatus Matisconen. Episcopus. Deocharius Antipolitanen. Episcopus. Ferreolus Augustidunen. Episcopus. Florentius Belicen. Episcopus. Gratus Episcopus Cabilonen. Insildus Valentinen. Episcopus. Leusius Trecasinen. Episcopus. Leborius Maurianen. Episcopus. Lauinobolis Lexouiensis Episcopus. Palladius Autisiodorensis Episcopus. Prothasius Sentien. vel Senen. Episcopus. Potentissimus Vapincen Episcopus. Petronius Vasionen. Episcopus. Ragnericus Ebroicensis Episcopus. Bertho Abbas pro Latino Turonensi Archiepiscopo. Chaddus Archidiaconus pro Salappio Nannetensi Episcopo. Grimoaldus Abbas pro Au-

doberto Parisiensi Episcopo. Paternus Abbas pro Felice Lemouicen. Episcopo. Chanoaldus Abbas pro Cadoaldo Cenomanensi Episcopo, Bertholdus Abbas pro Dariothero Redonensi Episcopo. Quæcunque autem ordinata sunt ab eisdem sanctis Patribus apud memoratam vrbem Cabilonensem, Lector studiosus inueniet apud Fratrem Petrum Crabbe Machinensem Ordinis diui Francisci de Obseruantiâ. Cæterum vt nostri instituti narrationem prosequamur beato Wlfeodo Bituricensem Ecclesiam cum laude egregiâ gubernante, Sancta Eustadiola nobilissima quondam matrona ob opinionem eximiæ sanctitatis celebris habebatur Bituris, hæc namque femina memorabilis glorioſissimo Patriarcha Sulpicio adhuc in humanis agente, iamque Dagoberto magno regnante, Ecclesiam Medii-Monasterii amplitudine & facie perspicuam intra eiusdem Biturigæ ciuitatis mœnia extruxerat. Atque ibidem ipsa, consentiente filio suo Thetradio viro multa probitate conspicuo, Monasterium deuotarum virginum instituit. Quibus sese Abbatissam & matrem exhibens, eas ad sæculi contemptum, ad formidanda damnatorum supplicia, ad ambienda æternæ vitæ præmia, denique ad Christum vnicè amandum monitis & exemplis iugiter inducebat. Siquidem eadem venerabilis matrona instar illius sanctissimæ Annæ quę (vt refert S. Lucas Euangelista) non discedebat de templo, ieiunus & obsecrationibus seruiens Deo nocte ac die, ieiuniis, vigiliis, sacris meditationibus, orationibus, & aliis spiritualibus exercitiis omne tempus vitæ suæ expendens, tandem feliciter consummato huius mortalis vitæ agone, sexto Idus Iunii ad præmium beatitudinis æternæ ab Angelis perducta est. Cuius Sanctum corpus pia fidelium deuotio humandum duxit ad Ecclesiam Prioratus diui Pauli Apostoli prope & extra muros Bituricæ ciuitatis. Vbi vsque in hodiernum diem, generalis resurrectionis gloriam expectans, in laudem Domini nostri IESV-Christi, multis coruscat miraculis. Sub idem quoq; tempus multi alii vtriusque sexus claruerunt in Galliis. Qui ad testimonium sanctitatis suæ, in ædificandis Deo Monasteriis operam suam sedulò impendebant. Atque inter cætera, Cœnobium Floriacense, vnde postea plures Abbates ad regimen Bituricensis Ecclesiæ fuere assumpti, fundatum est, & non multò pòst, corpus Sancti Benedicti Abbatis ex Italia per Aygulphum Monachum delatum, illic præcipua veneratione collocatur. Corpus verò beatę Scolasticæ Virginis sororis eiusdem diui Benedicti multa cum reuerentia & deuotione Cenomani exceperunt. Fertur his diebus cœlum maximo populorum terrore, decem dies fuisse visum ardere, tetrâ pestilentiâ breui pòst atrociter grassante, adeoquidem, vt ipsa maximam hominum partem lamentabiliter absumpserit. Nam plerisque in vrbe Roma (quod vix posteritas creditura est) noctu visibiliter apparebat bonus Angelus, quo annuente, spiritus nequam, qui eum sequebatur, quot ictibus venabulo ostium cuiusquam domus percussisset, tot mortui ex eadem domo efferebantur sequenti die sepeliendi. Verum licet ista videantur citra institutum huc à nobis adduci, tamen dum Præsulum nostrorum Catalogum prosequimur, rati sumus lectori nostro non minimum profuturum, nedum displicituruum, quòd res sub idem tempus præclarè gestas, seu quas prodigiosè accidisse constat, interdum referamus. Vt autem nostra ad rem recurrat oratio, glorioſus præsul Wlfeodus in omni virtutum plenitudine perseueranter proficiens, tandem vltima infirmitate correptus, sumpto salutari viatico, migrauit ad Dominum, quinto Kalend. Ianuarij anno quàm sedere ceperat vigesimo. Claruit ab anno Christi 641. ad annum 661. Præsidentibus Romę Ioanne IV. Theodoro I. Martino I. Eugenio I. & Vitaliano itidem primo: Imperantibus Heracleona & Constante, Regnantibus in Francia Dagoberto magno, & Clodoueo secundo.

CAPVT XXXIII.

De Adone seu Aldo trigesimo tertio Biturigum Archiepiscopo.

TRigesimus tertius præfuit dominus ADO, aliàs Aldus, qui non solùm ingenij acumine & vberi rerum scientia plurimum admirandus, verùm & singulari sapientia suminus suo tempore apparuisse memoratur; Cui tanta etiam inerat morum dexteritas, tantáque in conuersatione modestiæ suauitas: vt pro tam grato pontifice diutius Biturigæ ciuitati concesso, omnes incredibili gaudio exultantes, omnipotenti Deo magnificè gratias agerent. Sed heu quanto boni Præsules tunc temporis Ecclesiam vitæ ornamento lætificare studebant: tanto principes terreni iam malo

exemplo eam contristare pergebant, ita vt ex eo tempore regibus à solita virtute,& rei bellicæ gloria degenerantibus,& ocio ac torpedine omne voluptatum genus odorantibus vestigantibúsque regni Gallicani potentia per Maiores domus disponeretur. Sed & eandem sanctam matrem Ecclesiam graui mœstitudine affligebat damnabilis Monothelitarum hæresis. Qua deterius in dies pullulante (vt Poëtæ verbis vtar) *Regibus incessit magno discordia motu.* Cuius rei gratia, sexta vniuersalis Synodus Constantinopoli congregata est. Primus enim vniuersalis Præsulum conuentus (vt alio est à nobis significatum loco) Niceæ fuit habitus Constantini Magni temporibus. Vbi Arius (qui diuersas in Trinitate substantias asserebat) perpetui anathematis sententiam accepit. Constantinopolitanus alter ab eo, quem diximus, memoratur sub Gratiano principe, vbi resacta est in Macedonium & Eudoxium negantes Spiritum sanctum esse Deum. Tertius Ephesinus Theodosio imperante,in quo Nestorius Constantinopolitanus antistes impugnatus est, qui virginem Mariam hominis solum non Dei etiam matrem fuisse aiebat. Chalchedonensis quarto loco celebratur, Martiano imperante, vbi Eutyches condemnatus est,qui asserebat Christum post humanam assumptionem non ex duabus naturis consistere, sed sola diuina fuisse contentum. Quinto conuentu Theodorus est expugnatus Byzantij. Is enim dicebat Virginem Mariam solum hominem non Deum simul & hominem peperisse. Quamobrem in ea Synodo decretum est,vt Christi Mater diceretur Theotocos, id est Deipara. Sextus conuentus fuit etiam, vt supra dictum est, Byzantij celebratus aduersus Monothelitas qui sentiebant vnam in Christo fuisse voluntatem. Et ob hoc Monothelitæ dicti,confutati & anathematizati sunt in eodem concilio, anno Domini sexcentesimo octogesimo primo, qui erat vltimus annus Pontificatus Reuerendi Patris Adonis Bituricens. Archiep. Qui postquam cum laude eximiâ,& summâ ratione gregem Christi suæ curæ creditum aluisset, fouisset, tutatúsque fuisset annis 21. & mensibus sex, laudabilem vitam felici obitu finiuit octauo Idus Octobris: floruit autem ab anno Christi 661. ad 682. Præsidentibus Romæ Vitaliano, Adeodato,Dono & Agathone, Imperantibus Constante & Constantino III. Regnantibus in Francia Childerico II. Quo crudeliter occiso à Bodilone quodam effrenis audaciæ satellite,iterum Theodoricus (qui propter insolentiam suam fuerat dudum repudiatus à Francis,& apud Sanctum Dionysium Monachus effectus) regno restitutus est.

CAPVT XXXIV.

De Agoseno seu Adoleno trigesimo-quarto Biturigum Archiepiscopo.

TRrigesimus quartus præfuit dominus AGOSENVS aliàs Adolenus, vir equidem religione & pietate præcipuus, item doctus, lenis, humilis, in summâ, omnibus diuinæ gratiæ dotibus singulariter ornatus. Eo Bituris præsidente, S. Leodegarius Augustidunensis Episcopus ab Ebroino Regiæ domus Maiore homine sceleratissimo, superbo, arrogante, seditioso captus & in vincula coniectus post famem & carceris squallorem, post oculorum euulsionem, post plantarum, linguę, & labiorum excisionem, tandem cæso capite Christum fide & passione secutus, illustre martyrium duxit. Hac quoque tempestate claruit Sanctus Wandregisillus,qui Cœnobium Fiscanense construxit, vnde assumptus est dominus Anthonius Bohierus Bituricensis Archiepiscopus. Cæterum dominus Agosenus, postquàm præsulem nulla ex parte non egregium egisset annis quatuordecim, vitâ decessit vndecimo Kalend.Nouemb. Floruit autem ab anno Christi 682. ad 696. Præsidentibus Romæ Agathone, Leone II. Benedicto II. Ioanne V. Conone & Sergio: Imperantibus Constantino III.& Iustiniano, Regnantibus supradicto Theodorico, Clodoueo III. & Hildeberto.

CAPVT XXXV.

De Rocho trigesimo quinto Biturigum Archiepiscopo.

TRigesimus quintus præfuit Dominus ROCHVS vir apprimè nobilis & diuinarum scripturarum eminentissimâ cognitione insignis. Tametsi huius Antistitis tempore, apud Historiographos seu in veterum memoriis nil inueniatur fuisse gestum

gestum quod magnoperè collaudari possit: tamen quia (vt in vita beati Guillermi legitur) exploratum est nullum nisi dignum & sanctum virum sanctissima sede Bituricensi posse diu teneri: Atque idem Rochus per quadraginta annos in eadem Bituricensi cathedra resederit, manifestum relinquitur hunc non solùm fuisse virum omni genere virtutum consummatum, verumetiam in tam longo prælationis suæ tempore multa laudabiliter gessisse, quæ vt tunc præsentibus magnam præstiterunt ædificationem, ita & nunc nobis ac omni posteritati non mediocrem erant allatura vtilitatem, nisi vtique defuissent, qui ea litteris demandarent. Illa tamen ætas meruit habere venerabilem Bedam genere Anglum, qui tanquam stella quædam lucidissima, inter ceteros vitæ sanctimoniâ, & sacrarum litterarum doctrinâ nobiliter effulsit in templo Dei. Item ab hoc tempore memoria beati Michaëlis Archangeli cœpit frequentari in eminentissimo maris loco, sicut in monte Gargano. Cæterùm venerabilis Patriarcha Rochus anno sui pontificatus quadragesimo, humanis rebus exemptus quieuit in pace, Angelorum choris perenniter sociandus. Claruit autem ab anno 696. ad 736. præsidentibus Romæ Sergio primo, Leone III. Ioanne VI. Ioanne VII. Zosimo, Constantino, Gregorio II. & Gregorio III. imperantibus Leone III. Thyberio Absimaco, iterum supradicto Iustiniano, Philippo Bardanio, Anastasio, Theodosio 3. & Leone 4. Regnantibus autem in Francia Hildeberto, Clodoueo 4. Clothario 4. Hilperico, alias Daniele, & Theodorico 2.

CAPVT XXXVI.

De Sigino trigesimo sexto Biturigum Archiepiscopo.

TRigesimus sextus præfuit Dominus SIGINVS, perspicacis ingenij vir, & in Ecclesiasticis negociis valde sollicitus, vtpote qui tuendæ fidei Christianæ, & quidem augendo cultui diuino tam piè quàm deuotè incessanter nauarit operam. Temporibus ipsius, anno circiter octogesimo octauo, postquam Maiores domus Regiæ cœperant principari super Reges Francorum, Pipinus cognomento Breuis, patris sui Caroli Martelli gestarum rerum gloriâ accensus, ac eius virtutem æmulatus, Francorum rebus vt pater moderabatur. Huius itaque animi strenuitatem, & vitæ dignitatem amplexi Primores regni, perspectâ Regum Franciæ inertiâ, Zachariâ Romanorum Pontifice maximo (per Burchardum Wiriburgensem Episcopum, non autem per Dominum Richardum Bituricensem Archiepiscopum, vt insciter Robertus Guaguinus scripsit) priùs consulto: Regis appellationem Childerico adimunt, & eundem Pipinum Regem creant. Quo quidem feliciter regnante, sanctus Ambrosius Caturcensis Episcopus, vir vitæ sinceritate egregius claruit, cuius meminisse hoc in loco conuenit: vt Petrus de Natalibus ostendatur impendiò errasse in catalogo Sanctorum, capitulo 75. libri noni, vbi eundem Ambrosium ait egisse Præsulem Bituricensis Ecclesiæ. Denique studiosus lector, si historiam actuum dicti sancti Ambrosij in Breuiario Diocesano diligenter inquisierit, haud dubiò ipsum inueniet Caturcensem (vt diximus) duntaxat rexisse Ecclesiam. Huius autem glorioſi Pontificis corpus piâ fidelium deuotione veneratur in quadam Abbatiali Ecclesia Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini. Vnde (si quid in me iudicij est) eam ob causam memoratus Petrus de Natalibus eum existimauit inter Præsules Biturigæ ciuitatis esse numerandum. Verùm quia memoratæ Abbatiæ semel incidit mentio, operæ pretium est ad posteritatem transmittere ea quæ de ipsa in veterum memoriis legimus. Hęc enim ex eius archiuis deprompta sunt. Est quidam locus prope muros vrbis Biturigæ ad Septentrionalem plagam situs, Brisiacus nuncupatus, qui antiquitùs in magno honore constructus, & in honorem beati Petri Apostolorum Principis, ac sancti Ambrosij Pontificis sacratus, atque maximâ cæteruâ Canonicorum honorificè decoratus: Sed irruente persecutione infidelium, penè ad nihilum est redactus. Sed etsi destruxerunt domicilia, non tamen abstulerunt sanctitatem loci: Transacto namque multorum annorum curriculo, Gaufridus Vicecomes Biturigæ vrbis, cum consilio & adjutorio omnium Nobilium Bituricensis Ducatus magnificè reædificauit, anno ab incarnatione Domini milleſimo & duodecimo, villásque, & alios honores sancti Petri ac sancti Ambrosij, quos iniustè tenebat, ex præ-

Digitized by Google

cepto Regis Roberti, & Domini Dagberti Bituricensis Archiepiscopi reddidit, & de suis propriis ampliauit, omnésq; constitutiones Burgi eidem Ecclesiæ dimisit, &c.

In authentico autem instrumento supradicti Gaufridi subjecta inferuntur: *Concedimus illis Canonicis quantum numerum eis placuerit addere, vel à cœtu tollere propriæ Congregationis in ipsorum maneat iure vel potestate. Præbendas quoque ipsius loci eisdem Canonicis eâ lege concedimus, vt nullus Episcopus, nullus Abbas, nullus homo illas vnquam vendere, aut dare, vel tollere præsumat: sed vnusquisque Canonicus potestatem habet præbendam suam alteri Canonico dare, vel relinquere per consilium aliorum Canonicorum, qui in eodem loco pro ipsa deseruiunt, &c.* His sanè verbis manifestè datur intelligi primùm Canonicos sæculares fuisse apud sanctum Ambrosium Bituricensem constitutos: sed eorum deuotione paulatim frigescente, & malitiâ in deterius proficiente, secundùm illud Geneseos 8. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, quum iidem iam non circa Altaris officia dediti essent: sed (vt in secundo quoque Machabæorum libro scriptum legimus) instar perfidorum Iudæorum contempto Templo & sacrificiis neglectis festinarent participes fieri impiæ facinorosorũ conuersationis, essentque per suam dementiam Clericali ordini dehonestamento, illis expulsis, reuerendus in Christo Pater ac Dominus, Dominus Petrus de Castra Bituricensis Archiepiscopus, vir omnibus veræ sapientiæ dotibus cumulatissimus, illuc introduxit Canonicos Regulares, viros certè morum integritate insignes, & (vt ita dicam) ipsâ probitate meliores, anno Dominicæ Incarnationis 1151. quemadmodum idem Pontifex memoriæ prodidit in hæc verba: *Pastoris officii cura nos admonet sanctæ Religionis bonum fouere semper & diligere, eámque in Ecclesus à Deo nobis commissis sacerdotij nostri tempore Deo auctore in melius propagare. Ea propter ego Petrus Dei gratiâ Bituricensis Ecclesiæ Archiepiscopus, saluandis animabus in ciuitate Bituricarum aliquod volens ordinare confugium, vbi & mores corrigere, & dignos pœnitentiæ fructus multi valeant Deo exhibere, Ecclesiam sancti Ambrosii Brisacensis de multa enormitate ad normam & regulam Canonici ordinis perducere curauimus, & in ipsa Regularium Canonicorum ordinem secundùm regulam sancti Augustini tenendum amodò constituimus. Quod igitur piæ deuotionis intuitu à nobis salubriter est factum, religiosâ nihilominus est sollicitudine prosequendum. Proinde Canonicum ordinem secundùm regulam beati Augustini in præfata sancti Ambrosij Brisacensis Ecclesia perpetuò teneri, & obseruari auctoritate Bituricensis Ecclesiæ, & nostrâ statuimus, nostrósque successores vt sæpedictam Ecclesiam, & huius Religionis institutum fouere semper, & in melius laborent promouere, obnixè ac deuotè flagitamus, & ex parte omnipotentis Dei, & beati Stephani Protomartyris admonemus, &c.* Quæ, ne opus istud in immensum excresceret, resecauimus. At egregius Pontifex Siginus (qui suarum æmulatione virtutum subditos ad studia rei diuinæ semper cohortabatur) dignitate Pontificiâ efficacissimè administratâ, vigesimo quarto initi Pontificatus anno moriens, corpus terræ, spiritum cælo reddidit. Claruit autem ab anno 736. ad 760. præsidentibus Romæ Gregorio III. Zachariâ, Stephano II. & Paulo primo, imperantibus Leone IV. & Constantino dicti Leonis filio, regnantibus in Francia Childerico III. & Pipino patre Caroli, qui à magnitudine rerum fortiter gestarum, Magni postea tulit nomen.

CAPVT XXXVII.

De Landrario, seu Laudario trigesimo septimo Biturigum Archiepiscopo.

TRigesimus septimus præfuit Dominus LANDRARIVS, aliàs LAVDARIVS, homo certè diuino spiritu plenus, necnon litteris cùm humanis, tum diuinis haud mediocriter institutus. Primo ipsius Pontificatus anno, qui fuit humanæ salutis 760. Pipinus Francorum Rex, qui dicebatur Breuis, Bituricensem vrbem obsidione cinxit, cepit, atque muniuit aduersus Gayfirium Aquitaniæ Ducem, Sacerdotum redditus (vt author est Sigibertus) tyrannicè vsurpantem. Legitur in quibusdam Chronicis, quòd postquam idem Pipinus Aquitanos bello domuisset, Lemouicæ vrbis muris funditùs euersis, inde transtulerit ius Primatiæ ad Biturigas; sed quia in authorum receptorum voluminibus nulla super hoc inualescit memoria, illud fabulæ ascripserim. Constat enim Bituricensem Ecclesiam longè retro seculis super cæteras Aquitanicæ Prouinciæ Ecclesias gessisse primatum. Quod quidem defendi-

tur authoritate antiqui venerabilis Patris Sidonij Aruernensis Episcopi, qui trecentis vel pluribus annis Pipini Regis tempora præcessit. Hic sanè post obitum recolendæ memoriæ Domini Eulodij Archiepiscopi, Bituricas adueniens (vt iam superiùs est significatum) Cleri populiue decreto beatum Simplicium supremæ conditionis virum eligens in Pastorem, tunc ipsum suum esse Metropolitanum liberrimâ oratione, vt debuit, recognouit, atque inter cæteras Cathedrales Ecclesias Sedi Bituricæ subditas (quæ tunc temporis ob Gothorum infestationem propriis erant Pastoribus destitutæ, & eam ob causam Sidonium memoratum huc adegit necessitas, vt pro consecrãdo dicto sancto Simplicio Primate suo electo cogeretur alterius Prouinciæ Præsules conuocare) Lemouicenses nominatim designauit scribens ad Basilium Episcopum. Quamobrem ea, quæ præmissa sunt, de translatione Primatiæ à Lemouicis ad Bituriges, multò fabulis propiora esse manifestum est, quàm vt historicâ fide incolumi in litteras mitti debuerint. Præterea subit animum meum aliud proferre argumentum, vnde possit facilè colligi antiquum ius præeminentiæ Bituricensis Ecclesiæ. Enimverò decuit propensiore Diuinitatis consilio, vt apud Gallos ab ineunte Christianismo ij super omnes spirituali potestate præsiderent, qui ante Christi aduentum summam rerum tenebant. Ibi foret sedes Patriarchalis, vbi olim extitit ordinandi seu constituendi Regis potestas principalis; siquidem Titus Liuius historicorum Latinorum facilè princeps (quem ante Saluatoris nostri natiuitatem Romæ claruisse tradit Eusebius Cæsariensis, quémque diuus Hieronymus in Bibliorum liminari epistola scribit lacteo fonte eloquentiæ manare) sic ipse in quinto libro primæ Decadis ait: *Prisco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum (quæ pars Galliæ tertia est) penes Bituriges summa imperij fuit, ij Regem Celtico dabant.* Denique vbi Primiflamines antiquitùs erant, ibi postmodum Primates seu Patriarchas fuisse institutos per beati Petri Apostoli authoritatem commemorat sanctus Clemens in epistola quam ad Iacobum Apostolum fratrem Domini direxit: vbi autem Archiflamines illic similiter Archiepiscopos, & vbi Flamines, ibi Episcopos (sicut constituerunt sancti Apostoli) ordinatos ac positos esse idem sanctus Clemens euidenter ostendit. Et quia olim apud Ethnicos, vbi erat prima regni sedes, ibi similiter & Primiflamines (quorum vice Primates instituti sunt) residere, constat nullo refragante, quòd in Aquitania Ecclesiasticæ dignitatis suprema majestas inuiolabilis semper permansit Bituris. Cui rei haud mediocre momentum adfert Regia quædam epistola ex reconditis antiquarum rerum pandectis deprompta, cuius sequitur exemplar eiusmodi: *Sanctissimo in Christo Patri ac Domino Innocentio Dei gratia summo Pontifici Philippus eadem gratia Rex Francorum salutem, & debitam in Christo reuerentiam, Ecclesiæ Bituricensis, licet sit tenuis in facultatibus, inter alias tamen regni nostri Ecclesias existit nobilior, quum (sicut vestra plenius nouit paternitas) Primatiæ obtineat dignitatem, cuius honorem, nostrum & regni nostri proprium reputamus. Quum igitur Burdegalensis Archiepiscopus prædecessorum suorum non sequens vestigia, se adeò obedientem & deuotum Ecclesiæ Bituricensi exhibere non velit, sicut eidem prædecessores eius fecisse noscuntur, Paternitatem vestram cum quanta possumus deuotione rogamus, quatenus ius Bituricensis Ecclesiæ intuitu Dei, & precum nostrarum obtentu conseruare velitis, nec sustineatis quòd tantus honor regni nostri circa hæc in aliquo minuatur, quum sola Bituricensis Ecclesia in toto regno nostro Patriarchatus obtineat dignitatem: in cuius diminutione (quod Deus auertat) nobis & regno nostro non mediocriter reputaremus esse detractum. Actum Parisiis anno Domini 1210. mense Maio.* Præterea quòd eadem Bituricensis Ecclesia inter vniuersas Metropoles speciali gaudeat priuilegio dignitatis, testis est beatissimus Papa Gregorius nonus in vita sancti Philippi Bituricensis Archiepiscopi. Quia igitur secundùm Domini Saluatoris sententiam, *In ore duorum vel trium stat omne verbum*, tot testibus fide dignis in medium adductis, liquidò apparet Bituricensis Ecclesia quantâ præfulgeat dignitate. Cæterùm vt ad reuocantem nos ad se narrationis nostræ seriem reuertamur, venerabilis Patriarcha Landrarius, postquam miræ conuersationis exemplo, & eximiæ eruditionis efficaciâ multùm Ecclesiæ, cui authore Deo præerat, profuisset, bonorum plenitudine operum in Christo affatim ditatus, desiit in humanis esse anno quàm sedere ceperat quarto. Claruit autem ab anno 760. ad 764. præsidente Romæ Paulo huius appellationis primo, imperante supradicto Constantino, & regnante in Francia memorato Pipino.

CAPVT XXXVIII.

De Deodato trigesimo octauo Biturigum Archiepiscopo.

TRigesimus octauus præfuit Dominus DEODATVS. Hic si quidem animi integritate, mansuetudine, æquanimitate, & id genus reliquis virtutum dotibus diœcesim suam ita placidè gubernauit, vt ipsum haud secùs atque patrem cuncti vnicè amarent, summéque venerarentur. Sub idem tempus Rex Pipinus ad conficiendum Aquitanicum bellum conuentu habito Aurelianis, in Aquitaniam profectus, destructum à Gayfiro Duce Aquitano Argentonicum castrum reædificauit, dispositóque ibi, & in Biturica ciuitate Francorum præsidio inde reuertitur, Pascha Gentiliaci celebraturus, vbi & Synodum congregauit ob dirimendam quæstionem inter Latinos & Græcos obortam de Trinitate & Sanctorum imaginibus; quæ postquam gesta sunt, Gayfirus Dux Aquitaniæ, pacis studium assimulans, datis obsidibus, pacem à Pipino impetrauit, sicque inuictissimus Rex Pipinus exercitu suo in Franciam hybernatum misso, Bituricam reuersus, ibidem Natalem Domini celebrauit, anno salutis 766. At verò Gayfirus vbi compertum habuit Pipinum dimisisse exercitum, regnum subitâ vi adorsus, latè longéque fœda populatione euagatus est, priusquam iniuriæ obuiam iri potuerit. Tum Pipinus exercitum tumultuosè reparat, hostilísque perfidiæ vlciscendæ prouinciam Carolo filio cognomẽto Magno injungit: erat enim iam Pipinus grandis natu. Ingressus itaque Aquitaniam Carolus magnus, illustria cepit loca, hisque lætis initiis militare imperium auspicatus, nunc suo, nunc patris ductu vniuersam Aquitaniam, cuius caput est ciuitas Bituricensis, Francorum imperio subegit. Nec Pipinus multùm inde superfuit, vir adeò erga Dei Ecclesiam fidelis & deuotus, vt Legatis Constantini Imperatoris Ecclesiam Romanam grauiter opprimentis aliquando responderit, se non Constantino, aut cuiquam hominũ prętet quam Romanæ Ecclesiæ militaturum, eóque consilio se arma induisse, vt Apostolicam sedem ab omni mortalium iniuria vindicaret. Idem sanè Constantinus omnino à Deo auersus vtpote hæreticus, omnia suæ impietatis arma contra Ecclesiam Catholicam cõuertens, omnes suæ ditioni subjectos iurare coëgerat super sanctæ Crucis lignum, ne aliquam Dei Sanctorúmque imaginem venerarentur. Eos autem qui Dei genitricem inuocabant, & reliquias Sanctorũ penès se habebant, patrimoniis priuabat, & omnibus modis cruciabat; Monachos vt vxores, Sanctimoniales vt viros ducerent cogebat; quod multi vitantes, martyrij palmam adepti sunt. Fuit hęc quidem hæresis (quod negandũ non est) valde noxia, sed benè actum est tunc, quòd Dei iudicio quicquid hic fuit mali, eodẽ Constantino Imp. maximis diuinitùs cõsumpto cruciatibus sopitum est, priusquam satis primas terræ defigeret radices. Sed proh nefas! hoc idem nostris temporibus molitur Martinus Lutherus hæresiarcha, qui inter reliquos suæ vesanię nefarios conatus instar memorati Constantini continentiam Sacerdotum ab Ecclesia iam olim probè constitutam improbat, & iis qui sacros Ordines susceperunt, rei vxoriæ operam dare indulgentiore licentiâ concedit. Vnde huc accedit non leuis coniectura quòd vniuersalis iudicij dies proximè futurus sit, secundùm illud quod Dominus in Euangelio Matæhi 24. ait: *Sicut in diebus Noë erant homines ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit & aduentus filij hominis, &c.* Quod autem maximè omnium ob carnalis concupiscentiæ peccatum cataclysmus deleuerit vniuersum propè genus hominum, sacra testatur Scriptura Geneseos 6. vbi sic legitur: *Cúmque cepissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant, &c.* Qui, quæso, rectiùs designantur per filios Dei, quàm Clerici, Sacerdotes & Monachi, quos, proh dolor! non pudet, duce Luthero hæresiarcha, in quibusdam prouinciis vxores ducere, filios procreare, denique fieri patresfamilias, vt iam sicut populus, ita sit & sacerdos. Ij profectò populum Christianum irreparabiliter scandalizant, & puræ Religionis gloriam (quod in ipsis est) dedecorant, ac robur pusillorum lamentabiliter labefactant; & idcircò secundùm Apostoli sententiam: *Damnationem* meritò *sibimet acquirunt, quia mentiuntur Spiritui*

Sancto, primam fidem irritam facientes. Hîc appositè subjunxit Scriptura: *Dixit autem Deus, Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Item paulò mox addidit: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis, &c.* Et qui veriùs typo gigantum notantur, quàm ambitiosè superflui, qui fastu & violentiâ tot dignitates seu beneficia vndecumque congerentes, adeò sublimes efficiuntur, vt cæteri hominum illis comparati, quasi locustæ videantur. Quia igitur hæc & alia multa signa futuri iudicij nuncia nostris temporibus impleri cernimus, Iudicem ipsum in proximo venturum speramus.

Cæterùm, etsi longiùs diuagati sumus, quàm instituta operis præsentis breuitas patitur, non tamen arbitramur ea quæ diximus, inutilia fore legentibus. Nunc ad Dominum Deodatum redeundum est. Itaque hic pontificatus sui anno nono sanctè & piè moritur, magnum sui desiderium apud Bituriges relinquens, vtpote vir Deo gratus, hominibus amabilis, prudens, iustus, clemens; pauperum, pupillorum, ac viduarum necessarius patronus, & defensor opportunus. Claruit autem ab anno Christi 764. ad annum 773. præsidentibus Romæ Paulo I. Stephano III. & Adriano primo, imperante Constantino hæretico, & regnantibus Pipino & Carolo Magno.

CAPVT XXXIX.

De Segoleno vndequadragesimo Biturigum Archiepiscopo.

TRigesimus nonus præfuit Dominus SEGOLENVS, vir omnium eorum quæ ad curam gregis Christiani spectant obseruantissimus; vnde & famæ suæ nitore multùm splendoris muneri pontificio adjecit: denique idem Deo amabilis Antistes dum ipsi Deo immortali in mentis serenitate, & cordis puritate deseruiens, Ecclesiam suam miro Religionis feruore regeret, ac proueheret: etiam Rex Carolus Magnus, qui omnes Gallorum Reges antecessit gloriâ rerum gestarum, omnia dicta factáque ad pietatem & nominis immortalitatem referens, maximéque Christianam Religionem sanctè & piè colens, Ecclesias Dei omnimodis honorabat, & ornabat sacris vasis, & vestibus preciosis, edicens vt nec ianitoribus Ecclesiarum liceret communi habitu in Templo Dei ministrare. Porrò idem Christianissimus Rex honestati Ecclesiasticæ omninò intentus, legendi & psallendi disciplinam diligenter correxit. Nam offensus dissonantia Ecclesiastici cantus inter Romanos & Gallos, & iudicans iustius esse de puro fonte quàm de turbato riuulo bibere, duos Clericos Romã misit, vt antiquum cantum à Romanis discerent, & Gallos docerent. Et primò quidem per eos Metensis Ecclesia, & inde per illam omnis Gallia ad authoritatem Romani cantus reuocata est. Præterea sapientissimus atque perspicacissimus Princeps sciens regnum esse veluti corpus quoddam, & nunc isto, nunc illo incommodo iactari, nisi consilio & fortitudine velut quibusdam medicis sanitas accepta tutetur, Episcopos quidem modo, quo decuit, sibi primùm deuinxit: ordinauítque per totam Aquitaniam Comites, Abbates, deinde alios plures (quos Vassos vulgò appellant) ex gente Francorum, quorum prudentiæ & fortitudini nullâ calliditate, nullâ vi obuiare fuerit tutum; eísque commisit curam regni, finium tutamen, villarúmque regiarum ruralem prouisionem; & quidem Bituricæ ciuitati præfecit Humbertum, virum minimè in agendis rebus incuriosum, Pictauis Abbonem, Petragoricis Vvidbodum, sed & Aruernis Iterium, Tholosæ Corsonem, Burdegalis Siguinum. His itaque in regno Aquitanię ritè decretis, Carolus Rex nominis celebritate florentissimus, cuius beneficio cùm reipublicæ status pacatissimus erat, tum Ecclesiasticæ disciplinæ honestas reformata est, Ligeri trajecto, Lutetiam sese recepit. At reuerentissimus Antistes Segolenus quinto quàm sedere ceperat anno obiit, vir pro suo candore, suáque virtute nunquam sine honore nominandus. Floruit autem ab anno Christi 773. ad annum eiusdem Christi 778. sub Hadriano Pontifice maximo, imperante Constantino hæretico, & regnante Christianissimo Carolo Magno.

Digitized by Google

CAPVT XL.

De sancto Dauide quadragesimo Biturigum Archiepiscopo.

QVadragesimus præfuit Ecclesiæ Bituricensi Sanctus DAVID, vir summâ virtutum integritate spectabilis, totius formæ disciplinæ, atque conspicuum sanctimoniæ exemplar: qui quidem non immeritò à nobis tanto excipitur præconio, quandoquidem sicuti Regij Psaltæ nominis similitudinem non sine diuina prouidentia est sortitus; ita & vitæ ipsius perfectionem studiosè imitatus, in exercendis pastoralibus curis, gregis institutionem solertissimè procurabat. Ille siquidem Rex & Propheta de pascuis ad regnum Israëliticæ gentis moderandum diuinâ vocatione mirabiliter prouehitur; iste verò relictis huius vani sæculi curis, morem gerens vocationi Spiritus Sancti, regimen Bituricensis Ecclesiæ humiliter susceptum, deuotè efficacitérque administrauit. Ille funditor egregius lapide vno limpidissimo Goliæ superbiam ad terram dejecit, immò prostratum humi gigantem proprio ipsius ense truncauit; iste autem alter Dauid, tanquam pugil strenuus, gladio spiritus (quod est, teste Apostolo, verbum Dei) potestates aereas tenebrarum harum potenter debellans, victoriosissimè de eisdem triumphauit. Ille (inquam) Rex Israël inuictissimus, vt pacem suis pararet, & omne ditionis suæ imperium felici tranquillitate gaudere iugiter posset, allophylos viribus suis & armis sese iactantes frequenter superans, penitùs regno deturbauit; iste etiã sacratissimus Præsul suâ singulari prudentiâ, sollicitudine, vigilantiâ Dominicum gregem à luporum contutauit incursibus, omnem operam, curam, studium, ac tempus circa illius custodiam & institutionem accommodans. Quid multa? Nonne & istud cognitione dignum est, quòd videlicet sicut Israëlitici regni Monarcha Dauid filium suum Salomonem, & quidem sapientissimum Regem sedulò hortatus est, vt Hierosolymis Deo optimo maximóque solemne Templum illud toto orbe celebratum ædificaret; ita & iste Gallicani regni Patriarcha religiosissimum Regem Carolum Magnum ad præstruendum Bituris puellare cœnobium ad diui Laurentij, seu, vt alij dicunt, sancti Iacobi Apostoli memoriam, suis precibus facilè induxerit, siquidem inter cætera quæ prædictus Carolus secundùm Imperialem magnificentiam præclarè gessit, septem Ecclesias diuersis in locis magno sumptu extrui fecit, & amplificè dotauit; vnam videlicet in Gallicia, alteram Aquisgrani, tertiam Tholosæ, quartam in Vasconia, quintam Parisiis, sextam Coloniæ, septimam (vt dictum est) Bituris. Igitur quemadmodum filiis Israël à captiuitate Babylonica Deo propitio Hierusalem reuersis Zorobabelem eorum ducem inclytum ad instaurandam Dei domum, ore, manu adjuuerunt duo eximij Prophetæ, Aggeus & Zacharias: ita sanè duo reuerendi admodum, multaque sanctitate conspicui Antistites, Dauid Bituricensis, & Asclepius Claromontensis (seu vt aliàs habetur, Lemouicensis) orauêre, suasêre, institêre vsqueadeò, donec Christianissimus Rex memoratus supradictam diui Laurentij Ecclesiam ad summum fastigium perduxit. In quo quidem opere Ludouicus cognomento Pius, tunc Rex Aquitaniæ, patris sui cooperator extitit, & idcirco Aimoinus Monachus in libro 5. de gestis Francorum, cap. 8. eandem basilicam memorat inter cæteras, quas idem Ludouicus in Aquitaniæ regno dicitur extruxisse: in quo quidem loco sancta Eufrasia filia Regis Caroli Magni, statuto deuotarum virginum choro cum eisdem sub diui Patris Benedicti regula gratũ Deo virginitatis munus exoluit, sub cura & protectione amabilis Deo Antistitis Dauidis tunc miris & odoriferis virtutum floribus vernantis. Nam quamuis ille in infulis ageret, atque omnium Ecclesiarum totius Aquitani Primatus sollicitudinem impiger gereret: tamen prudenter complectens animo quàm debile, quámq; fragile sit femineũ genus, tantò sedulius ipsas sacras Deóq; deuotas sanctimoniales spiritualium deliciarum epulis refouebat, quantò difficilius easdem non sine diuinarum adminiculo consolationũ esse in sancto castitatis proposito permansuras cernebat; apud quas etsi idem sanctiss. Patriarcha Deo sacrificium laudis & orationum libamina frequenter offerre videretur, non tamen minùs efficaciter cętera quæ pontificiæ sollicitudini, curæ & administrationi competunt, exequebatur. Ardens námq; in Christi amore glorioſi Præsulis animus, & benignum atq; clemens ingenium bonis delectabiliter pascebatur operibus, imprimis clementia, quæ

Digitized by Google

Prælatos decorat maximè, éstq; subditis dulcissima, sibimet in ipso totum ius dominandi vendicarat. Deinde cùm ipse esset homo spectabilis sapientiæ, paratus ad omnem Dei voluntatem, diuina solerter seruans mandata, virtutibus renitens immensis, nomen sibi peperit æternum. Post hęc glorioſus Antistes Dauid senio confectus, trigesimo sui pontificatus anno obdormiuit in Domino: huius autem venerabile corpus conditum est iuxta ossa S. Asclepij, cuius suprà meminimus in D. Laurentij Ecclesia Bituris. Claruit verò ab anno Christi 778. ad ann. 808. prędidentibus Romæ Adriano I. & Leone III. imperantibus Leone, Irene cum filio suo Constantino, & glorioſissimo Christianissimóque Carolo Magno Francorum Rege.

CAPVT XLI.

De Berlano quadragesimo primo Biturigum Archiepiscopo.

QVadragesimus primus præfuit Dominus BERLANVS, homo vitâ honestus, & sapientiâ præclarus. Eo Bituris præsidente Carolus Magnus Imperator assumptis secum totius regni nobilioribus Principibus, & Lamberto Biturigum Duce strenuissimo, perrexit in Galliciam pugnare contra Aygolandum Sarracenorum Principem: quo deuicto, Galecianam D. Iacobi Apostoli ædem inuisit, & amplissimis donariis ditauit. Lambertus verò Biturię Dux, & memorati Caroli Imperatoris fidelissimus comes, multas & sanctissimas inde Diuorum reliquias secum adferens, easdem distribuit Ecclesiis suæ ciuitatis Bituricensis, inter quas dicitur quòd attulerit corpus S. Iuliani Cenomanensis Episcopi: sed huius rei fidem non facilè admiserim; quia id factum fuisse temporibus S. Gerontij probabiliter legitur in historia translationis B. Gildasij, vt infrà plusculis declarabimus. Cęterùm Dominus Berlānus Pontifex dignissimus dum nulla pietatis opera in tanto honoris supremi gradu prætermitteret, ac benè & beatè (vt bonum pastorem decebat) vitam duceret, anno sui sacerdotij duodecimo morti vitæ debitum soluit. Claruit autem ab anno Christi 808. ad 820. præsidentibus Romæ Leone III. Stephano IV. & Paschale I. imperantibus Carolo Magno, & Ludouico Pio.

CAPVT XLII.

De Ermenario quadragesimo secundo Biturigum Archiepiscopo.

QVadragesimus secundus præfuit Dominus ERMENARIVS, vir modestus, suauis, benignus, & omnibus bonis spiritualibus ornatus. Anno 4. pontificatus eius terræmotus factus est magnus, & multæ villæ ac domus cælesti igne crematæ sunt; sed & homines, animalia, & fruges ictu fulminum, necnon & lapidibus immensi ponderis è cælo cum grandine cadentibus miserè perierunt. Sequenti etiam anno in Gallia decidens mirę magnitudinis grando, pecora multa & nonnullos homines interemit; in qua tempestate glacies durissima pedum duodecim longitudine visa est è cælo cecidisse. Quæ quidem rerum portenta non tam hominum gladem quæ breui secuta est (quàm impium Lotharij facinus, qui Ludouicum Imperatorem patrem suum fraude captum hostiliter vinxit) quidam portendisse arbitrabantur. Sedit autem idem Ermenarius annis septem, ab anno Christi 820. ad 827. præsidentib. Romæ Paschale I. Eugenio I. & Valentino, imperāte Ludouico Pio Francorū Rege.

CAPVT XLIII.

De S. Stephano quadragesimo tertio Biturigum Archiepiscopo.

QVadragesimus tertius præfuit S. STEPHANVS, vir eruditione, fide, conuersatione, & moribus insigniter clarus. Fuit insuper tantæ innocentiæ & placabilitatis, adeóq; castus & pius, vt nihil non diuinum animo, mentéq; semper agitaret: denique sic vixit, vt post mortem inter beatos meritò censeri debuerit. Sed quàm glorioſis vitæ ipsius exemplis frustrata sit posteritas, negligentiæ scriptorum imputantes, videamus quantum gratiæ, decoris & gloriæ tunc temporis accesserit Ecclesiæ Dei, propter dispositionem & pietatem religioſi Imperatoris Ludouici, qui me-

Digitized by Google

ritò Pij cognomen ob morum manſuetudinem eſt conſecutus. Hic namq; (vt author eſt Aimoinus in lib. 5. de geſtis Francorum, c. 10.) generalem ſacerdotũ ſummorum atque procerum conuentum Aquiſgrani habuit, in quo quantum feruoris circa diuinum cultum pectoris geſtaret in arca, liquidò monſtrauit: congregatis enim ex omni parte Epiſcopis, & nobiliſſimo ſanctæ Eccleſiæ Clero, primùm condi iubet codicẽ de ordine & ritu Eccleſiaſtico, quem per ciuitates & ſuæ ditionis loca inſigniora circumlatũ, ab vniuerſo Clero exſcribi & ſeruari mandauit: deinde ſtatuit ne Antiſtes ſacerdósve vllus ſerico, purpurâ, cocco, aut gemmato annulo vteretur, præterquam in ſacrorum miniſterio; nec in cingulis, calceis, crepidis aurum haberent vel argentũ. Cœperunt ergo tunc ab Epiſcopis & Clericis exquiſitæ veſtes, calcaria aurata, & phaleræ deponi; monſtrum ſiquidem ducebat diligens pietatis cuſtos, ſi vir Eccleſiaſticæ deputatus familiæ conaretur aſpirare ad ſæcularis ornamenta gloriæ. Sed proh dolor! huic tam pio decreto abrogauit poſteritas; quo autem iure, hoc illi viderint quorum intereſt. Præterea, in tam celebri Antiſtitum conuentu idem Deo amabilis Imperator elegit ac deputauit quẽdam venerabilem Abbatem Benedictum nomine, & plures Monachos integerrimæ vitæ ac conuerſationis viros, mandans eis, vt omnia totius ſui Imperij cœnobia circuirent, & cũctis tam Monachis quàm Sanctimonialibus vniformem viuendi morem ſecundùm B. Benedicti regulam traderent. Quæ res magnum Eccleſiæ Catholicæ tribuit exultationis tripudium, & piiſſimo Imperatori nomen æternum peperit. At ſanctiſſimus Pontifex Stephanus (vt ad cum reuertar, in quo non minor Religionis cura quàm in pio Principe fuit) pro reformatione, defenſione, & exaltatione ſuæ Bituricenſis Eccleſiæ tantam ſollicitudinem gerebat, vt non quorumlibet minis vel blandimentis moueri poſſet. Cæterùm, inter reliqua pietatis opera ita erat profuſus circa pauperes, vt nihil ſibi, ſed omnia eis ſe exiſtimans poſſidere, non tanquam ſeruus diuitiarum eas cuſtodiret, ſed tanquam dominus egentibus fideliter erogaret. Cùm autem octauum ſui Pontificatus annum expleuiſſet, graui febrium fatigatus moleſtiâ, ſemper Deum orans, ſemper benedicens, ſemper ei Bituricenſem Eccleſiam cõmendans, aſtantibus pluribus tam de populo, quàm de Clero notabilibus perſonis, cæleſti Angelorum choro intereſſe deſiderans, quorum nunc feliciſſimo fruitur aſpectu & conſortio, emiſit beatũ ſpiritum Idibus Ianuarij. Denique innumera propemodum Cleri populíve multitudo, præteritarum ſancti viri virtutum ac piorum operum non immemor, ſacrum atq; precioſum theſaurum illum (dico venerandum corpus ipſius) in Eccleſia B. Auſtregiſilli de Caſtro recondendum duxit, ſacras eius exequias omni veneratione perſoluens. Claruit ab anno Chriſti 827. ad 835. præſidente Romæ Gregorio II. & imperante Ludouico Pio Rege Francorum.

CAPVT XLIV.

De Ermemberto quadrageſimo quarto Biturigum Archiepiſcopo.

QVadrageſimus quartus præfuit Dominus ERMEMBERTVS, vir ſummâ virtutum integritate ſpectabilis. Inter initia noui huius pontificatus, monente Gregorio Papa quarto, & omnibus Epiſcopis aſſentientibus, Ludouicus Imp. ſtatuit, vt ſicut Romæ, ita & in omni ditione ſua feſtiuitas omnium Sanctorũ in Kalendis Nouembribus celebraretur. Interea ſol paſſus eſt eclipſim, atque in tantum lucis receſſu tenebræ preualuerũt horâ diei nonâ, vt nihil à noctis veritate differre videretur. Quod quidem prodigium lamentabili exitu conſummatum eſt; portendebatur enim per hoc, maximum illud lumen mortalium, quod in domo Dei ſupra candelabrum poſitum omnibus lucebat, dico Imperatorem piiſſimũ, eſſe rebus humanis maturè ſubtrahendum, mundúmq; eius abſceſſu in tenebris tribulationum relinquendum. Itaque cùm talia vidiſſet idem religioſiſſimus Imperator, ait: Non alium timere debemus præter illum qui noſter & huius ſigni creator eſt, ſed eius clementiam non ſatis mirari & laudare poſſumus, quia noſtram inertiam, cùm ſimus peccatores & impœnitentes, talibus dignatur admonere indiciis; mutationem enim regni, mortémque Principis hoc monſtrari portento certum eſt. Quia ergo & me & omnes communiter tangit hoc oſtentum, omnes pro poſſe & ſapere ad meliora feſtinemus, ne fortè miſericordiam Deo prorogante, & noſtrâ impœnitudine impediente, nos illâ miſericordiâ inueniamur indigni.

Cœpit

Cœpit ergo Pius Imperator post hæc tabescere fastidio, & omni virtute corporali adeò destitui: vt per quadraginta dies ante mortem suam alium cibum præter Corpus Dominicum sumere non potuerit, ipso dicente cum gemitu: Iustus es Domine, vt qui quadragesimæ tempus non ieiunans exegi, saltem coactus, idem tibi ieiunium exsoluam. Instante autem migrationis suæ articulo, se benedici à sanctis Episcopis petiit. Quo facto conuersa facie ad sinistram partem, indignando virtute quanta potuit dixit. Abite hinc abite. Vnde patuit quod malignum spiritum vidit. Deinde eleuatis oculis in cœlum, quanto huc minacius, tanto illuc lætius intendebat, ita vt nihil à ridente moriens differre videretur. In talibus ergo, vitæ præsentis terminum sortitus, ad requiem sempiternam Ludouicus Pius Imperator feliciter migrauit xij. Kalend. Iunij anno Christianæ pietatis 840. Quo & dominus Ermembertus Biturigum Antistes fœlicia paradisi gaudia assecutus est, postquam quinque annis & tribus diebus, scilicet ab anno Christi 835. ad eiusdem annum 840. pastoralem curam administrasset, præsidente Romæ Gregorio IV. & Imperante Ludouico Pio.

CAPVT XLV.

De Ebroino quadragesimo quinto Biturigum Archiepiscopo.

QVadragesimus quintus præfuit dominus EBROINVS vir vita purissimus, atque præter diuinarum scripturarum mirabilem eruditionem, per singula virtutum genera consummatus. Optimum factu fuerit animaduertere hoc loci grauiter erratum fuisse in præsulum nostrorum supputatione annorum. Nam ab obitu S. Austregisilli (qui teste Sigeberto in Chronicis accidit Dominicæ incarnationis anno 627.) si singulorum ipsorum patrum pontificatus annos computando à scenderis vsque ad eundem Ebroinum, haud dubiè ipsum comperies in antiquo Catalogo cepisse anno Domini 840. Sed quia Sanctus Radulphus, qui post dictum Ebroinum secundus præfuit (vt authot est Ado Viennensis Episcopus) obiit anno Domini 866. Et in illo temporum interstitio, id est ab anno Domini 840. vsque ad annum eiusdem Domini 866. inclusiuè computantur anni viginti septem duntaxat. Ex quibus viginti quinque probabiliter attribuuntur Sancto Radulpho, vnus verò annus & aliquot menses beato Aygulpho. Constat nimirum huic Ebroino per errorem subscriptos fuisse annos pro diebus. Sedit igitur idem Ebroinus triginta dies tantummodo, anno Christi 840. Præsidente Romæ Gregorio quarto, quibus diebus tres filij Ludouici Pij Imperatoris ob imperij & regni paterni diuisionem inter se bellantes, multa hominum millia perdiderunt.

CAPVT XLVI.

De S. Aigulfo, siue Aiulfo quadragesimo sexto Biturigum Archiepiscopo.

QVadragesimus sextus præfuit S. AIGVLFVS alias Aiulfus, sanctus hic post mortem parentum suorum adhuc iuuenis existens, audita domini voce, quâ in Euangelio dixit. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & sequatur me: quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Illicò profusis mixta lachrymis suspiria cordis mittens ad cœlos, se Dominum nostrum IESVM-CHRISTVM vltro secuturum, ac eidem flore mundi calcato solerter militaturum proponens in abditissimum nemus secessit, dicens cum Propheta: *Ecce elongaui fugiens. & mansi in solitudine expectans eum qui saluum me fecit, &c.* Hic itaque magni Helyæ & Sancti Ioannis Baptistæ æmulator existens feruentissimus, in illa secreta Eremi vastitate die ac nocte cum summa animi voluptate, piam diuinarum scripturarum intelligentiam & sensum mente in Deum excitata meditans breui temporis spacio in omni virtutum genere perfectus euasit. At vbi clarescentibus tantæ sanctitatis insignibus beati viri nomen longè latéque enituit, vacante Aquitani Primatus sede, vnanimi cunctorum assensu, idem verus Dei cultor in Pontificem Bituricensis Ecclesiæ eligitur. Quod ille vbi veraciter perdidicit, se indignum tanto honore humilitatis gratia

æstimans, fugam iniit. Sed dum subterfugiens in interioris nemoris parte delitescceret, tandem ab eo (qui eidem literas electionis de se factæ adferebat) diuino nutu est inuentus. Contigit autem ipsum nuncium multis diebus in illa Eremo errando ad mortem vsque famis inopiâ pene deductum. Cum verò beatus Aigulphus, vt totus semper misericordiæ viscеribus affluebat, homini fame pereunti compassus, valdè affligebatur, quod vnde ei succurreret, non haberet. Verùm inter hæc ipse eleuans oculos, forte conspicatur ceruarum gregem haud procul transeuntem, extollensque vocem, vni earum sistere gradum iubet in nomine Domini, his vsus verbis *sta cerua*. Quâ quidem non sine magno miraculo subsistente, inclinauit se famelicus ille nuncius, & sugens ceruæ mammas vires illicò recepit: hinc eidem loco vocabulum impositum est (*sta cerua*) sed inde mos iuoleuit vt corrupto nomine (*Sagereia*) appelletur. Adductus igitur Sanctus Aygulphus, statimque consecratus, pontificali in throno solemniter collocatur. Verum quum curæ pastoralis pondus, maximéque hominum sæcularium inquietudinem ferre non posset: haud multò pòst desiderio vitæ solitariæ iterum ad eremum, vnde assumptus fuerat, conuolauit. Vbi quo sinceriorem Deo exhiberet famulatum, antiquos Patres Eremitas studio assiduæ orationis & diuinæ contemplationis gratiâ imitatus, quùm non sine miraculorum copia illustrem duceret conuersationem, tandem fœliciter moriens vndecimo Kalendas Iunij, aulam regni cælestis gaudenter intrare meruit. Cuius sacra ossa magno deuotionis affectu à Christianis fidelibus honorificè asseruantur in eodem loco, vbi in memoriam ipsius constructa est Parochialis Ecclesia, ex ipsius denominationis vocabulo appellata Gallicè (*Sainct Ay*, seu *Sainct Hon*) Sedit autem vnum tantummodò annum & aliquot menses ab anno 840. ad 842. Nam si (vt in veteri Catalogo scribitur) præfuisset annis viginti & sex, vtique peruenisse inueniretur vsque ad annum Dominicæ Incarnationis octingentesimum sexagesimum sextum. Quo quidem anno, teste Adone Viennensi, Sanctus Radulphus eius successor vitâ decessit. Est itaque in antiquo catalogo error adeò perspicuus, vt vel cæco appareat. Claruit hic sub Gregorio IV. Imperante Lothario, & Regnante Carolo Caluo.

CAPVT XLVII.

De S. Radulpho quadragesimo-septimo Biturigum Archiepiscopo.

QVadragesimus septimus præfuit S. RADVLPHVS vir quidem carnis origine valdè ingenuus, sed animi virtute magis strenuus; meritorum autem gratiâ præcipuus atque insignissimus, in quo sanè tam perspicua erat bonitas, tanta radiabat fides totius iustitiæ fundamentum, vt dubitare nephas fuerit omnium gratiarum largitione Spiritum Sanctum in illius pectoris sacrariolo delectabiliter habitasse; *vita dum præsens* ([illegible]io canitur) *vegetauit eius corporis artus*. Præterea ipsius virtutes cum laud[illegible]assim vulgatæ eundem cunctis reddebant admirabilem, charum, & c[illegible]ium. Immò (quòd ingenuè fatendum est) famæ suaueolennodo optabilem, sed & votis omnium mirè excolendum efficiebat. Den[illegible]na illi cura de litteris, sed maximè diuinis erat, nihil non perpensum prob[illegible]recipiens. In quibus eum magis occupauit medulla sensuum, quàm spu[illegible]erborum. Quod si ad subiectorum institutionis & correptionis modum quen[illegible]nuit veniatur: dociles quidem & proficientes non cessabat diuinarum scripturarum salutaribus documentis ad maiorem virtutis acquirendæ instantiam & laborem prouocare; peccantes verò, incorrigibiles & contumaces duriùs redarguendo stimulabat, eorúmque vicia graui verborum tonitruo terribiliter effulminabat. Cæterùm pia eius misericordiæ opera quis competenti præconio extollat? Qui videlicet conditionis humanæ per omnia memor, prius soleret indigentium pupillorum, viduarúmque respicere causas, quàm personas, præuenire manibus illum qui non valebat ad ipsum pedibus peruenire, quandoquidem ipse crebro non minus absentium pauperum verecundia, quàm præsentium querimoniâ mouebatur. Et hinc fuit quòd sæpe terserit eorũ lacrymas quorũ oculos non vidit. Tãta quippe extitit in pauperes gloriosi huius pontificis vigilãtia, cui tota actionũ suarũ intẽtio, finis, merces, gloria Christus

Digitized by Google

erat. Denique prætereundum non est, quod idem sanctus vir quemadmodum in veteribus memoriis scriptum inuenimus, templum nobile sub Douerensi nomine extruxerit, eique pari dignitate Monasterium addiderit. Sed & in territorio Lemouicensi Cœnobium Belli loci peculiari sumptu ędificauit, & magnis prædiorum redditibus amplificè dotauit, vt per ipsius testamentum (quod ibidem diligenter asseruari didicimus) dilucidè apparet. Sub idem verò tempus apud Saciacum vicum (qui nunc dicitur Capella-Gillonis) Sanctus Iacobus Confessor vir omni laudum cumulo, aggere, fastigio, pro Sanctissimæ vitæ merito efferendus eremiticam ducens conuersationem, Beatissimum antistitem Radulphum breui moriturum propheticâ voce prædixit, sicut actuum ipsius fidelis relator, vt facundè, ita & veracissimè his verbis protestatur, dicens: Interea vir domini Iacobus inter tot præclara bonorum operum exercitia, illustratus gratia diuina prædixit prophetico spiritu obitum præstantissimi Pontificis Rodulphi. Qui insitâ sibi prudentiâ, animi quoque nobilitate, suâ tempestate plebem sibi creditam optimè regens, merito patet patriæ à cunctis Aquitanicæ gentis primoribus dici poterat. Immaturâ hic sorte hominem exiens, penè ineuitabile excidium suæ intulit prouinciæ. Obiit autem xj. Kalend. Iulij anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo sexagesimo sexto, vt author est Ado Viennensis in Chronicis circa finem ætatis sextæ. Cuius verò sanctissimum corpus condignè traditum est sepulturæ in Basilica diui Vrsini primi Biturigæ ciuitatis Archiepiscopi, vbi magna deuotæ plebis veneratione excolitur. Quamobrem compertum habemus Vincentium Beluacensem impendiò erasse capitulo 35. libri 25. Speculi historialis, vbi eundem Sanctum Rodulphum asseueranter dixit iacere in Cœnobio Sancti Sulpicij Bituricensis. Cæterùm beatus Pontifex Radulphus sedit annis viginti quinque ab anno Christi 842. ad 867. Præsidentibus Romæ Sergio secundo (cui, quia Os suillum diceretur) ad obscenam appellationis vocem tollendam, datum est, vt aliud sibi nomen optaret; mansitque deinmos ad posteros, vt qui Pontifices crearentur, omisso priori nomine, eligerent sibi vnum aliquod ex prædecessorum nominibus, Leone IV. Ioanne Anglico (quem fuisse fœminam historiæ falsò tradunt) Benedicto III. & Nicolao primo. Qui ad ipsum Rodulphum scripsit ea quæ in magno habentur decreto, distinctione 23. cap. Præterea, &c. Et causa 9. quæst. 3. cap. Conquestus, &c. Item causa. 30. quæstione 2. cap. De his, &c. Item causa 33. quęstione 2. cap. Interfectores, &c. Et de consecratione, distinctione prima, cap. Porro, &c. Tunc temporis Lotharius primus, & post eum Ludouicus II. Imperium, Regnum verò Francorum Carolus cognomento Caluus strenuè moderabantur.

CAPVT XLVIII.

De S. Vulfado quadragesimo-octauo Biturigum Archiepiscopo.

QVadragesimus octauus præfuit Sanctus WLPHADVS nobilitate insignis, sanctitate clarus, doctrinâ præcipuus, diligentiâ ac sollicitudine tum in rebus diuinis, tum in humanis admiratione dignus. Iste (vt mea quidem fert sententia) apud sanctum Laurentium Bituris in diuorum Pontificum Dauidis & Asclepij conditorio visitur, venerationique ibidem habetur sub appellatione Sancti Florentij, idque tum coniectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur. Nam quum debeat ipse vt olim nominari populari lingua (*Sainct Vulphant*) nunc tamen per errorem, vt publica habet loquendi consuetudo, vocatur *Sainct Florent.* Tempore Pontificatus ipsius circa annum Domini 868. tragifera Normanorum irruptio sese intra Biturigum fines immisit. Postremò clarissimæ eiusdem vrbis capturam, ac sæua incendia Monasterij Sancti Sulpicij, quæ Sanctus Iacobus Eremita lugubri sermone prædixerat, in hunc constat tempestatem accidisse, licet tunc temporis in eodem Cœnobio adhuc proprij status decor vsus oblectaret humanos, normáque professionis regularis honestissimè reniteret. Interea locustæ Galliam depopulantur innumerabiles cæteris locustis maiores sena alarum remigia, sex pedes, duos dentes lapide duriores habentes, vt castrorum acies turmatim volantes: duces cum paucis itinere vnius diei mittentes ad metanda loca venturæ multitudini. Circa

verò horam nonam ad locum præuisum venientes, ibique in alterum diem solis ortum expectantes, per aërem volitabant, ipsum solis radium obnubilantes sicque ore lato, extenso intestino, omnia tam in herbis quàm arboribus vastabant, spacium diurni itineris extendentes. Hoc miserabili spectaculo vsque ad mare Britannicum peruenientes, tandem flatu ventorum in profundum maris sunt demersæ. Sed æstu Oceani ad littus reiectæ ex putredine suâ aerem corrumpentes, multos perire fecerunt. Secuta est etiam fames valida, quâ penè tertiam partem hominum consumptam fuisse legimus. Cæterùm Beatus Wlphadus, postquam sedisset annis nouem, & diebus duodecim, fructu Iusticiæ repletus & ad æterni possessionem regni, quod electis omnibus ante conditum mundum destinarat immensa Dei bonitas, inuitatus feliciter obiit sexto nonas Octobris anno Domini 875. Claruit autem ab anno 867. Præsidentibus Romæ Nicolao I Hadriano II. & Ioanne VIII. Imperante Ludouico II. & Regnante Carolo Caluo.

CAPVT XLIX.

De Frotario vndequinquagesimo Biturigum Archiepiscopo.

QVadragesimus nonus præfuit dominus FROTARIVS: hic dicitur rexisse Bituricensem Ecclesiam annis quatuordecim. Verùm secus ac legitur in veteri catalogo sese res habuit vt paulò mox perspicuè declarabimus. Quum enim idem Frotarius primùm esset Burdigalensis: ac inde Pictauensis antistes: postremo eò temeritatis peruenit: vt etiam inconsulto Pontifice Romano ambiret, arriperétque primam totius Aquitaniæ sedem. Hoc testatur Aimoinus Monachus in libro quinto de gestis Francorum capite trigesimo tertio, hoc modo inquiens: Anno Domini 876. Carolus Caluus Imperator Paschа Domini celebrauit apud Sanctum Dionysium. Quo accersiens legatos Apostolici Ioannem Tuscanensem & Ioannem Aretinum atque Ansegisum Senonensem Episcopum, illorum consilio mense Iulio generalem Synodum auctoritate Apostolica & sanctione sua apud Pontigonem indixit. Quo per Remos & Catalaunos peruenit. Igitur vndecimo Kalendas Iulij, indictione ix. Episcopis & cæteris quibusque clericis vestibus sacris indutis & in domo ac sedilibus palliis protensis atque in gremio synodi & prospectu imperialis sedis, lectorio seu analogio suppositis Sacrosanctis Euangeliis, venit Dominus Imperator Carolus Caluus in vestitu deaurato habitu Francisco, cum legatis Apostolicæ sedis in Synodum. Et cantoribus antiphonam *Exaudi nos Domine, &c.* cum versibus & *Gloria Patri* cantantibus post *Kyrie eleison*, & data oratione à Ioanne Tuscan. Epis. Legato, resedit dominus Imperator, & legit dictus Ioannes Tuscanensis Epis. Epistolas à D. Apostolico missas, cum quibus & legit Epist. de primatu Ansegisi Senonensis Epis. vt quoties vtilitas Ecclesiastica dictauerit siue euocanda Synodo, siue in aliis negotiis exercendis per Gallias & Germanias Apostolica vice fruatur, & decreta sedis Apostolicæ per ipsum Episcopis manifesta efficiantur, & rursus quæ gesta fuerint, eius relatione si necesse fuerit Apostolicæ sedi pandantur, & maiora negocia ac difficiliora quæque suggestione ipsius à sede Apostolicâ disponenda & enucleanda quærantur. Petentibus Episcopis, vt eis permitteretur ipsa legi epistola, quibus erat directa, non acquieuit Imperator, sed responsum quæsiuit ab eis, quid de his iussis Apostolicis responderent. Quorum responsio talis fuit. Vt seruato singulis metropolitanis iure priuilegii secundùm sacros Canones & iuxta decreta sedis Romanæ Pontificum, ex eisdem sacris Canonibus promulgata, domini Ioannis Papæ Apostolicis iussionibus obedirent. Sed quum Imperator & Legati Apostolici satagerent, vt absolutè Archiepiscopi responderent, se obedituros de Primatu Ansegisi sicut Apostolicus scripsit, aliud nisi (vt prædictum est) responsum ab eis extorquere non potuerunt, excepto quod Frotarius Burdigalensis Episcopus (quoniam à Burdegala ad Pictauos, indeque ad Bituricum fauore Principis contra regulas se contulit) per adulationem respondit, quòd Imperatori placere cognouit. Tunc motus Imperator præcepit Ansegiso vt supergrederetur omnes ante se ordinatos Remorum Archiepiscopo reclamante audientibus vniuersis hoc factum sacris regulis obuiare. Imperator tamen in sententiâ suâ permansit, & petentibus Episcopis vt liceret eis

Digitized by Google

vel exemplar sibi de epistolâ directâ sumere, nec hoc vllo modo impetrauere, & sic soluta est Synodus in die illa.

Pridie Idus Iulij, hoc eodem anno, conuenerunt Episcopi, & misit Imperator Vicarios Apostolici increpare duriùs Archiepiscopos & Episcopos, & lecta est à Ioanne Tuscanensi iterum epistola, iubente Imperatore pro Primatu Ansegisi, & quæsita est ab Episcopis denuò inde responsio. Tunc respondentibus singulis Archiepiscopis quod veluti sui antecessores illius antecessoribus regulariter obedirent, ita eius decretis vellent obedire, facilius est illorum admissa responsio quàm fuerat in Imperatoris præsentia. Et sic post multas contentiones de Presbyteris diuersarum Parochiarum reclamantibus ad Legatos Apostolici, lecta est proclamatio Frotharij Burdigalensis Archiepiscopi, quia non poterat consistere in ciuitate suâ propter infestationem paganorum, vt liceret ei Bituricensem Metropolim occupare. Cuius petitionibus vnanimitas Episcoporum nullatenus acquieuit. Sed nihilominus idem Frotarius, qui, vt prædiximus, fauore Principis potiebatur, Bituricensem Ecclesiam violenter inuasit ac possedit. Interea verò Imperatore morte consumpto, & Ludouico eius filio (cui Balbo cognomen fuit) in Regem Franciæ substituto, Papa Ioannes octauus in Franciam descendit, & (vt author est Robertus Gaguinus in libro quinto Compendij) apud Trecas magnum Episcoporum conuentum aggregauit, in quo conuentu cognito quòd prædictus Frotharius ex Burdegalâ Pictauam & inde ad Bituriges inconsulto Pontifice Romano transisset, Ioannes Papa proferri iussit sanctiones Sardicensis & Africani Concilij, quibus Episcopi ad alias Ecclesias, sua relicta, transire prohibentur. Recitatis autem vtriusque Synodi capitibus, Pontifex definit Sacerdotes, qui suis sedibus abiissent, ad eas reuerterentur. Quamobrem idem Frotharius compulsus est dimissa Bituricensi Ecclesia redire ad Pictauos. Hæc autem teste Aimoino inciderunt in annum octauum & septuagesimum supra octingentesimum humanæ salutis, septimo Idus Septembris. Estque euidentissimo specimine perspicuum, ipsum Frotarium tres duntaxat annos & quatuordecim dies nobilem imprimis Aquitanici Primatus sedem occupasse ab anno 876. ad 878. Cæterum licet iste Frotarius (seruata cæterorum tam reuerentia quàm pace Pontificum) ambitionis nimiæ grauiter foret inculpatus, tamen fuerunt alioqui in illo multa & varia laudabilis vitæ ornamenta. Atque inter cætera quæ magnificè ab eo gesta referuntur in tertia parte Annalium Aquitaniæ, Abbatia diui Cypriani dicitur fuisse eius opere ædificata Pictauis. Quo in loco ipse sepelitur.

CAPVT L.

De Adacio quinquagesimo Biturigum Archiepiscopo.

QVinquagesimus præfuit dominus ADACIVS vir imprimis doctissimus & Deo deuotissimus, quique eâ fide, beneuolentiâ, officio gessit pontificatum, vt & Deo valdè gratus, & omni populo esset venerabiliter acceptus. Verùm adeò perplexè & inconstanter res huius temporis sunt memoriæ proditæ, vt nec quid hoc sedente sit Bituris aut alibi gestum liquidò scribi possit. Nam vt Sabellicus scribit, mirum est quanta omnium bonorum artium obliuio per id tempus mortalium animis obrepserit, vt nec in Pontificibus quidem, cæteriscque principibus quicquam eluceseeret, quod vitam iuuare posset, non salubria instituta, non templorum reparationes, non vlla pietatis exempla, non liberalium artium affectationes. Sed stupor & amentia quædam, obliuióque morum inuaserat hominum animos. Cæterùm non tam vita tunc male culta est, quàm illa ipsa quæ per id tempus gesta sunt, inculte & perplexè monumentis literarum tradita, vt authoribus eius sæculi nihil minus curæ fuisse appareat, quam vt in iis quæ scriberentur, sibimetipsis constarent. Sedit autem venerabilis Pontifex Adacius annis XIX. mensibus octo, diebus septem, ab anno 879. ad 899. Præsidentibus Romæ Ioanne VIII. Martino II. Hadriano III. Stephano V. Formoso & Bonifacio VI. Imperantibus Carolo cognomento Grosso, & Arnulpho. Regnantibus verò in Franciâ, Ludouico Balbo, Ludouico & Carlono Ludouici Balbi ex scorto filiis: Item Ludouico qui ob inertiam Nihil-faciens appellatus est & Odone primo.

Digitized by Google

CAPVT LI.

De Maalberto quinquageſimo primo Biturigum Archiepiſcopo.

QVinquageſimus primus præfuit dominus MAALBERTVS vir potens in ſana doctrina, & efficax in totius boni operis exercitatione: Nam quæcumque fidelem Dei ſeruum decent, operibus geſſit & moribus. Fuitque præcipuus concordiæ & pacis amator. Vnde & cunctis prope ſui æui hominibus præferri honore meruit & amore. Hoc quoque tempore claruit Odo Cluniacenſis muſicen impenſe doctus. Siquidem Guillermus Dux Aquitaniæ (qui à ſingulari pietate Pij cognomen tulit) temporibus ſupradicti Adatij Pontificis Cluniacenſe Monaſterium inchoarat magnificentiſſimo materiæ & operis apparatu, attribuerátque redditus, vnde victus ſacra operantibus exhiberetur. Sedit autem dominus Maalbertus annos tres, menſes octo & dies decem, ab anno 899. ad 903. Præſidentibus Romæ Stephano VI. Romano. Theodoro II. & Ioanne IX. Imperante Arnulpho & regnante Carolo cui Simplici cognomen fuit. Vacat ſedes quatuor menſes.

CAPVT LII.

De S. Gerontio quinquageſimo ſecundo Biturigum Archiepiſcopo.

QVinquageſimus ſecundus præfuit Sanctus GERONTIVS inſignis reuerentię vir. Qui vt omnes ſui cordis amores in ſolum rerum omnium conditorem dirigeret, omnes carnales affectus velut hoſtes animæ fugiens, ſobrietatem, pudicitiam, pietatem, manſuetudinem, item cæteras id genus virtutes indefluxas animæ opes ſummo ſtudebat conamine acquirere & augere. Legimus in veteribus pandectis Cathedralis Eccleſiæ quod inter initia huius pontificatus anno Domini nongenteſimo tertio, die quâ Feſtum beati Clementis Papæ & Martyris celebrandum occurrit, Edmundus Abbas & Monachi Eccleſiæ Douerenſis (quæ quondam à Sancto Radulpho Bituricenſi Archiepiſcopo fundata eſt, ſed inde ob frequentes hoſtium direptiones deuaſtata & omni propemodum humano cultu deſerta) præſente & adiuuante venerabili Patre Geruntio, necnon cooperantibus dominis capituli Eccleſiæ Bituricenſis tranſlati atque collocati fuerint in caſtello Viriſionenſi, Theobaldi Comitis eiuſdem loci Domini ad id poſtmodum accedente conſenſu. Quique eis locum & Abbatiam (Monaſterio ſub tuitione & defenſione Canonicorum Sancti Stephani conſtituto) confirmauit. Inde eſt quod anno Domini 1236. Monachi de Viriſione recognouerunt ſe teneri nunciare Decano & Capitulo Bituricenſi mortem vel ceſſionem ſui Abbatis, & eligendi licentiam petere, & poſt electionem electum ſuum eiſdem Decano & Capitulo præſentare. Qui eundem electum domino Archiepiſcopo Bituricenſi repræſentant, & poſt benedictionem ipſum electum per ſe Decanus inſtallare habet, vt pluribus vacationibus occurrentibus deinceps conſtat fuiſſe obſeruatum. Interea verò ſanctiſſimo Patre Geruntio Bituricenſem plebem ſana doctrina & vitæ exemplo nobiliter erudiente atque paſcente, Eccleſia Romana valdè affligebatur Pontificum ambitione nimia. Siquidem Benedicto IV. ex hac luce ſubtracto, ceſſit Leoni V. Pontificia ſedes. Qui à Chriſtophoro Preſbytero ſuo captus in vincula conijcitur, vbi mœrore confectus, quadrageſimo initi honoris die morte conſumptus eſt. At Chriſtophorus Leone extincto Pontificatum inuaſit, ſed rem malè partam diu tenere non potuit. Enimverò ſeptimo menſe quàm eam dignitatem occupauit, vi in ordinem redactus, in Monaſterium obtruditur, & Sergius Pontifex creatus, mox in Galliam ad Lotharium Regem profectus eſt. Cuius amicitia fultus & Romam reuerſus Chriſtophorum in arctiorem cuſtodiam conjecit, Formoſi quondam Papæ acta pro irritis habenda pronunciauit, eiúſque cadauer iterum refoſſum & in ſede Pontificatus Sacerdotaliter indutum, tanquam ſic quoque pati aliquid atrocius poſſet, decolari præcepit, & tribus digitis abſciſſis, in Tiberim proici fecit, vt ſepultura & omni humano honore careret. Et quidem

Digitized by Google

non possum non multum mirari, vnde tragica hæc Pontificum fluxerint exempla, quæ dira pietatis obliuio eorum mentes irrepserit, vt neque personæ quam sustinebant ratio ab his vlla haberetur, neque loci quem tenerent, vt non immeritò aliquis suspicetur quicquid moderationis fuit & maiestatis in illis qui à Caroli Magni temporibus ad Gallici imperii exitum sedem tenuerunt, non tam suâ sponte quàm Regum & Imperatorum motu & reuerentia, in officio manserint: Nam nullo vnquam tempore in maiore fuit admiratione Pontificium nomen, nunquam à Regibus & cæteris mortalibus tantum Apostolicæ sedi tributum, vt dicere æquum sit (inquit Sabellicus) non magis Galliæ quàm Romanæ Ecclesiæ calamitosum fuisse quod in Francorum gente desitum esset imperari. Sed de his satis dictum sit: nunc iuuat ad alia stili cursum dirigere. Igitur, vt author est Sigibertus anno Domini 912. qui fuit duodecimus annus Pontificatus Domini Gerontij Bituricensis Archiepiscopi Berno Abbas Gigniacensis moriturus Odonem Musicum cuius paulò ante meminimus, constituit Abbatem primum Cluniacensis Cœnobii, ea conditione vt Cluniacenses soluerent annuatim Ecclesiæ Gigniacensi censum duodecim denariorum. Eodem quoque anno Normani adhuc gentilitatis errore impliciti postquam vniuersam prope Galliam per 75. annos rapinis, incendio, cædibus crudeliter vastassent, Christianam fidem amplexi sunt. Hæc enim gens barbara atque ferocissima non solum vrbes & opida funditus euertebat, verumetiam Deo dicatas Ecclesias & Monasteria Religiosis viris & ancillis Christi repleta solo tenus diruens, cultores, seu habitatores eorum variis & exquisitis suppliciis vitam finire cogebat. Quæ causa fuit plerisque Sacerdotibus & viris religiosis oratoria sua relinquendi & multorum Sanctorum corpora alio transferendi. Nam corpus Sanctissimi Martini Turonensis Autissiodorum translatum est & iuxta sepulchrum beati Germani honorificè collocatum. Corpus autem diui Benedicti à Floriacensi Monasterio ad Aureliam *apud* Sanctum Anianum constat fuisse transpositum. Corpus verò Sancti Mauri *discipuli* prædicti diui Patris Benedicti asportatum à Glannifolio in Burgundiam *transfertur* ad Fossatense Cœnobium quod construxit Sanctus Babolenus diui Columbani discipulus. Sed & corpus Beati Iuliani Cenomanensis primi Episcopi à propria sede ad Bituriges vsque delatum, & in Ecclesiam Sancti Austregisilli de Castro illatum, nunquam deinceps potuit ab eisdem Biturigensibus aufferri. Post multum verò temporis illustrissimus Princeps & Dux Bituricensis dominus Ioannes filius Regis Ioannis primi huius nominis, vir rerum magnificè gestarum fama & gloria percelebris preciosum hunc thesaurum à prædicta Castrensi Ecclesiâ sublatum condidit in Basilica Palatij quam ipse regio sumptu secundùm tanti principis magnificentiam Bituris extruxerat. Sub illa quoque persecutione quum fera gens Normanica nihil sibi obuium relinqueret integrum, sanctus Daocius Abbas Reuuisij Monasterij in Britannia minori fugiens cum suis Monachis Beatissimi Gildasii, ac aliorum sanctorum corporum reliquias secum deferens, Biturigensium fines tandem ingressus est. His autem diebus quidam nobilissimus princeps nomine Ebbo maximam partem territorij Bituricensis sub ditione sua tenebat. Qui quum esset armis strenuus, iustitia insignis, magnus gloria, magnisque rebus gestis, timore & amore Dei viros quosque religiosos vnicè diligens, eisdem Monasterium sumptuosissimum opus ædificauerat in suo Dolensi castro. Cuius famam audiens beatus Daocius lætus effectus Dolense castrum ingressus, accessit ad Principem, ac ipsum reuerenter comitérque salutatum alloquutus est dicens. Si tibi glorioso Princeps per ordinem euoluerem nostram calamitatem, forsitan prius dies quàm sermo deficeret. Verùm quoniam sapiens verbis innotescit paucis, ne diutius te protraham, oro breuiter audias nos pro tua clementia. Ego miser & socij mei per Dei misericordiam persecutionem Normanorum, Danorum, Hunorum & Wandalorum euasimus deferentes nobiscum calicem Dominicæ Cœnæ in quo vinum aquæ mixtum in veri sanguinis sui substantiam Christus permutauit dicens. *Hic est sanguis meus noui & æterni testamenti*, corpúsque eximij Confessoris Gildasii vtriusque Britanniæ Doctoris egregij. Item corpora Sanctorum Patricij Apostoli Hybernensium, Albani Martyris, Paterni Venetensis Episcopi, & Beatæ Brigidæ Scothorum Abbatissæ cum aliis multis pignoribus Sanctorum Martyrum, Confessorum atque Virginum. Rogamus ergo magnificentiam tuam ô glorioso Princeps, vt tantis hospitibus tibi à Deo transmissis locum mansionis & venerationis in terra tua tribuas, quatenùs eorum inter-

ceſſionibus perpetuam manſionem in cœlis habere merearis. Hæc audiens ſereniſſimus Princeps pro tanto theſauro ſibi & terræ ſuæ diuina diſpenſatione tranſmiſſo præ gaudio lachrymatus, immenſas Deo gratias retulit. Erat autem eo tempore nemuſculum è regione caſtri Dolenſis verſus Occidentalem plagam. In quo antiquitus fundata fuit Eccleſia in honore Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & iuxta eam manſiones olim ab Eremitis habitatæ, ſed tunc temporis vacabant habitatore. Porro religioſiſſimus Princeps eaſdem manſiones feſtinanter reſarciri, Baſilicam præparari, & ornari præcepit, in quâ Sanctuaria & prædictorum Sanctorum corpora quanta potuit reuerentia collocauit. Monachos autem in eiſdem manſionibus ponens, de redditibus ſuis, eis neceſſaria affatim prouidit. Expleto denique biennio vir alti conſilij, & eximiæ nobilitatis Princeps Ebbo in inſula quæ dictæ Eccleſiæ à Septemtrionali parte ſubiacebat, Monaſterium in honore Sancti Saluatoris mundi, atque officinas Monachis opportunas proprijs expenſis ædificare cœpit. Quod opus dum ad exitum perducere feſtinaret, illa (de qua aliquanto prius mentionem fecimus) nefanda & barbarica rabies iam depopulatâ vrbe Turonicâ, Bituriæ fines ingredi propoſuit. Tum his auditis præclaræ strenuitatis Ebbo, congregago exercitu copioſo, vſque ad Lochas caſtrum eis obuiàm perrexit, pontes diruit, nemora ſuccidit, vias & flumina obſirmans, eis terræ ſuæ ingreſſum viriliter denegauit. Interea verò ad Regem Franciæ legatos direxit, vt ſibi & ſuis feſtinatò ſuppetias ferret. Sicque inuocato mundi Saluatore & Beatis Apoſtolis Petro & Paulo, necnon & Beato Gildaſio cum ſuis ſociis, adiuncto ſibi Regis Franciæ exercitu hoſtes fortiter inuaſit. Porro barbari nullam ſibi redemptionem niſi mortem ſupereſſe cognoſcentes acriores in bello facti Ebbonem letaliter vulnerauerunt, qui ſtatim apud ciuitatem Aurelian delatus, quum dolore vulneris ad exitum propinquaret, Radulphum filium ſuum, & venerabilem Launum fratrem ſuum Bituricenſem Archidiaconem, necnon & dominum Geroncium eiuſdem vrbis Archiepiſcopum, cui iam dictus Launus ſucceſſit, accerſiens, conuerſuſque ad filium, ait: Fili dulciſſime, lumen oculorum meorum! noſti quod pro ſalute animæ meæ in caſtro meo Dolenſi Monaſterium ſtatui, & Ecce viam vniuerſæ carnis ingrediens affectu paternæ dulcedinis te obteſtor, vt prædictum Monaſterium conſilio foueas, defenſione conſerues, donis amplifices. Inſuper attentiùs te adiuro & obſecro, vt Monaſterium quod in honore Saluatoris mundi Sanctique Gildaſij cum officinis fratribus neceſſarijs ędificare cœpi, ſed conſummare nō potui, perficias, Sanctuaria quæ de Britanniâ allata ſunt, ibi decenter reponas, Daocium Sanctum Abbatem cum ſociis ſuis ibidem honorificè colloces, eiſque tantum de prædiis & redditibus largiaris, vt ſine murmure & querela in pace Deo ſeruiant. Poſt hæc ad S. Geroncium, & ad Archidiaconem Launum fratrem ſuum dixit. Tu domine Archiepiſcope pater ſpiritu, & tu frater carne, ſcitis quòd Monaſterium à me in Dolenſi caſtro fundatum commiſerim Apoſtolicæ tutelæ, ita vt in eo ſola Romana Eccleſia Iuriſdictionis habeat plenitudinem: Monaſterium autem quod in honore Sancti Gildaſij conſtruere cœpi, ô digniſſime Præſul! tuæ & ſucceſſorum tuorum ſpeciali trado poteſtati, quatenus tu & ſucceſſores tui ipſum priuilegiorum largitionibus augeatis, iuſtitiæ clypeo defendatis, & eundem locum quaſi propriam manſionem veſtram auxilio, conſilio, & beneficijs foueatis. His dictis per manum memorati Archidiaconi fratris ſui ordinato Eccleſiis & pauperibus teſtamento, cum magno animi dolore ſuorum migrauit à corpore cum Chriſto perenniter regnaturus, pro cuius amore, & fidei Chriſtianæ defenſione ſanguinem ſuum in ſupradicto bello fundere non metuit. Eius vero ſacratiſſimum corpus iubente Rege decenter & honorificè ſepultum eſt Aurelianis apud Sanctum Anianum. Cæterum vt ad Beatum Gerontium reuertamur, tametſi illa tempeſtate diuerſarum Diœceſeon & maximè Romanæ vrbis Præſules ambitione, auaritia, & ſeditionibus (vt ſuperius eſt ſignificatum) Sanctam Dei Eccleſiam confundendo, veris eius filis moleſtiæ tædiique plurimum intulerunt, tamen conſtat Bituriges multis nationibus fuiſſe longè feliciores, quod tunc eo potirentur Archiepiſcopo qui præcedentium patrum (apud quos virtus in precio fuit) fidem pietatémque imitatus, ad tantam perfectionem conſcendere meruit, vt quod ad omnigenæ ſanctitatis ſpeciem pertinet, ei defuerit nihil. Hunc autoritas Eccleſiaſtica iam olim diuorum Catalogo aſcripſit. Sedit autem annis quadraginta præſidentibus Romæ Benedicto IV. Leone V. Chriſtophoro, Sergio

Digitized by Google

gio III. Anastasio III. Lando, Ioanne X. Leone VI. Stephano VII. Ioanno XI. Leone VII. & Stephano VIII. Imperantibus Arnulpho, Ludouico III. Contado, Henrico primo & Othone primo. Et regnantibus in Francia Carolo Simplice huius nominis tertio, Radulpho, & Ludouico IV.

CAPVT LIII.

De Launo quinquagesimo tertio Biturigum Archiepiscopo.

QVinquagesimus tertius præfuit dominus LAVNVS vir certè genesis dignitate sublimis, vita quoque & conuersatione reuerendus, sed & singularis sapientiæ dono valdè famosus. Hic autem (vt in ordine antecessoris sui liquido claruit) erat frater glorioſi principis & Martyris Ebbonis quondam domini castri Dolensis. Post cuius felicem transitum, expletis exequiis, filius ipsius videlicet illustrissimus Princeps Radulphus cum magna' multitudine baronum suorum reuersus ad propria, castrum Dolense Deo & Beatis Apostolis Petro & Paulo ac Monachis ibidem Deo seruientibus secundum Patris sui præceptum & venerabilis Launi auunculi sui consilium concessit & dedit perpetuò possidendum. Indéque recedens, aliud castellum (quod nunc vsque ex eiusdem vocabuli appellatione vocatur Castrum-Radulphi) opere permagnifico condidit. Abbatiam quoque Sancti Saluatoris ab strenuissimo patre suo inchoatam ad summum perduxit fastigium. Vbi quum sacratissimum calicem Cœnæ Domini, & corpora Sanctorum Gildasij, Albani, Patricij, Paterni, & Brigidæ Virginis cum multis aliorum Sanctorum pignoribus præcipua veneratione collocasset, non multo post ad petitionem spectabilis Pontificis Launi patrui sui, tunc temporis adhuc sancti Gerontij Archidiaconi, caput & principalia membra Beati Paterni Venetensis Episcopi transtulit in castrum Exoldunense, vt sicut Castrum Radulphi sacris corporibus prædictorum Sanctorum decorabatur, sic & Monasterium Exolduni reliquiis Sancti Paterni nobiliter polleret. Tametsi istà omnia quæ retulimus contigerint, antequam idem dominus Launus Pontificatum inierit; tamen quia eius fauore & auxilio facta sunt, debuerunt ad id loci referri; quatenus dum ipse cuius studij fuit, ante susceptam prælationem palam innotuerit, etiam qualis eius vita pòst extiterit, rectè valeat æstimari. Nam reliqua huius laudatissimi viri præclara monumenta in genere ad nos minimè perlata sunt. Cætera præsul hic dignissimus, postquàm sedisset annis septem, ab anno Christi 943. morte absumptus est septimo Kalendas Iunij anno orbis redempti 950. Præsidentibus Romæ Stephano VIII. Martino III. & Agapito II. Imperante Othone primo, & Regnante in Francia Ludouico IV.

CAPVT LIV.

De S. Richardo I. quinquagesimo-quarto Biturigum Archiepiscopo.

QVinquagesimus quartus præfuit dominus RICHARDVS nobilis quidem & litteratus, sed (quod tam eminentis personæ dignitati ac maiestati haud parum obscuritatis adfert) diuitias perituras assulatim congregando, impensius æquo his inhiabat. Sedit autem nouem annis, ab anno Christi 950. ad annum 959. obiitque decimo tertio Kalendas Decembris. Cuius Pontificatus diebus Apostolicæ sedi præsederunt Agapitus II. & Ioannes XII. Summam verò rerum tenebat Otho primus. Et regnum Franciæ strenuè felicitérque moderabantur Ludouicus quartus & Lotharius eiusdem filius.

CAPVT LV.

De Hugone quinquagesimo-quinto Biturigum Archiepiscopo.

QVinquagesimus-quintus præfuit dominus HVGO præcedentis Richardi nepos, vir equidem in omnibus disciplinis graui auctoritate præpollens. In rebus præterea ad religionem & pietatem pertinentibus tanta diligentia & solertia vsus est, vt nihil earum rerum quæ Ecclesiæ Dei esse possent vtilitati & ornamento,

prætermisisse dicatur. Pro cuius rei clariori notitia operæ precium est huc adducere exemplar cuiusdam vetustissimi instrumenti Pandectarum ex archiuis Monasterij Sancti Sulpicij, vbi idem Pontifex huiusmodi verborum forma est vsus. *Anno Dominicæ Incarnationis 983. Indictione vndecima, quum in nomine Sanctæ Trinitatis, Ego Hugo Archiepiscopus in gremio matris Ecclesiæ residens vna cum fidelibus nostris vtriusque ordinis eiusdem Bituricensis Ecclesiæ exiguitati nostræ diuinitus commissa negocia, causas & rationes solicito animo pertractarem, ac prædecessorum meorum recta & vtilia facta ad memoriam reducens quæ ab eis canonicè & regulariter statuta sunt æquo libramine ponderarem atque inconcussa permanere dignum esse iudicarem. Inter cætera quæ auxiliante domino ipso tempore decreuimus, statuimus, & stabiliuimus, votum & voluntas atque humilis precatio fratrum totius congregationis Monasterij pretiosissimi Confessoris Christi Sulpicij per Abbatem Herbertum ad nostram delata est mansuetudinem, humiliter postulans quatenus modicitatem illorum in aliquantula, quæ possemus, re sublleuaremus. Quorum vota atque deuotionem libenter suspicientes, inspirante vt credimus Deo atque fidelium Dei monitione, & nostrorum hortatu facienda esse quæ postulabant decreuimus. Et vt stabiliretur dignum esse iudicauimus, reddentes & clementer consentientes, fauente omni clero congregationis Sancti Stephani nostræque concordante bonæ voluntati, quandam curtem nomine Bariacum cum Ecclesia in honore Sancti Aniani, & cum omnibus ad eam pertinentibus quæ est super fluuios Aueræ & Dadonnæ. Hæc omnia iniustè à prædicta congregatione Sancti Sulpicij à meo auunculo Richardo ablata sunt. Cuius peccati contagione meam culpam exinde faciens coram Deo & sanctis eius, præsenti altari vobisque senioribus præsentibus hactenus non carui. Quas culpas videlicet mei auunculi & meam purgari desiderans, hæc omnia iam dictis fratribus reddo. Reddo etiam tres Ecclesias, Giacum scilicet Aloniacum & Vassalaicum cum omnibus appendicijs suis. Si quis autem, quod absit aliquid horum irritum facere voluerit, & seruis Dei quibus pro remedio animæ meæ hoc concedimus aliquam molestiam intulerit, nostra auctoritate optamus irritum esse quod ille facere voluerit, &c.* Sedit autem iste amabilis Deo antistes annos viginti quinque, & obiit prima die Ianuarij, vt legitur in veteri Martyrologio Dolensis Monasterij. Claruit verò ab anno Christi 959. ad annum 987. sub summis Pontificibus Ioanne XII. Benedicto V. Leone VIII. Ioanne XIII. Benedicto VI. Dono II. Bonifacio VII. & Benedicto VII. Imperantibus Othone secundo. Regnante autem in Francia Lothario Ludouici filio. Vacat tum sedes annis tribus.

CAPVT LVI.

De S. Dacberto quinquagesimo-sexto Biturigum Archiepiscopo.

QVinquagesimus sextus præfuit Sanctus DACBERTVS vir profectò ætate vitæ venerabilis, dignitatis priuilegio summus, laude scientiæ insignis, & (quod pretiosius est, optabilius atque commendabilius) splendore optimæ conuersationis, bonæ conscientiæ dono, & doctrinæ præstantia decoratus. Hic itaque quum incomparabiliter omni virtutum genere polleret, maximéque omnium plenissimâ bonísque cœlestibus refertâ charitate fulgeret, Deum & proximum integrè, sinceróque affectu diligens, eos quos sua sollicitudine & vigilantia diuino nutu susceperat regendos, ita suo exemplo ad vniuersa pietatis officia prouocabat, & sanctę prædicationis pabulo eorum corda assiduè reficiebat, vt cunctis foret admirationi eius sedulitas, ipsêque ab omnibus effusissimè diligeretur. Denique ne religiosum cor ipsius mundano puluere sordesceret, exclusa omni contaminatione vitiorum, suapte sponte propensus adeò fuit ad cælestem patriam desiderandam, & illa supernorum ciuium gaudia medullitus contemplanda, vt (quod dignum auditu, dignúmque memoratu est) ardore quodam diuini amoris inflammatus, in cœlum frequenter spiritu rapi videretur, atque ob id nihilosecius quàm Angelus viuere iam in terris dignè existimaretur. Huius sanctissimi Præsulis temporibus, in pluribus Ecclesiis Bituricæ vrbis (quæ sicut testis est vniuersa antiquitas, Monasteria olim fuerant) collegia Canonicorum sæcularium instituta sunt. Cuius rei causas breuiter aperiam, quas mihi quidem curæ fuit diligenter indagare. Carolus Magnus Francorum Rex precibus Adriani Papæ primi huius nominis euocatus vt Ecclesiæ rebus, quibus euidens imminebat excidiũ, maturè subueniret, Italiam cum magno exercitu ingressurus tentauit

Digitized by Google

primum per legatos an Desiderius Longobardorum Rex qui violẽter & tyrannicè opprimere Romanam Ecclesiam nitebatur, mallet pacem quàm bellum habere. Sed quũ nihil pacis inde redderetur, tum Carolus imperat suis vt per æqua & iniqua sibi viam faciant. Galli haud secus ac iussi sunt, passim vi & armis occupant Alpium iuga Longobardorum præsidus cum cæde multa discussis. Ea vero potitus victoria Carolus Rex Romam pacato agmine proficiscitur religionis causa. Misit illi obuiam Pontifex maximus vniuersam ciuitatẽ cum clero, accepitque eum venientem in vestibulo Vaticanæ ædis qui multa veneratione est Pontificis pedes exosculatus. Inde ad aram maximam perductus perpetuam amicitiam cum Romanis sacramento sanxit. Cæterum octauo quàm Romam venerat die, à Pontifice digressus Ticinum rediit. Nec longior fuit inde obsidio. Sed prædictum hostem Desiderium terra & aquis clausum breui ad deditionem compulit & Lugdunum relegauit. Quamobrẽ in celeberrimo conuentu, qui centenum & quinquagenum antistitum frequentia fuit, Hadriano Papa authore, decretum est, vt idem Rex Carolus qui optimè esset de Romana Ecclesia & Italia meritus summum Pontificem eligeret, ac in Pontificia sede collocaret, essetque par illi potestas de patriciatu dando, & Episcopis prouinciatim eligendis, vt omnia demum irrita haberentur, nisi quæ Carolus probasset. Quo tamen priuilegio dum Principes eiusdem Regis successores gaudere ambirent, res tandem vsque ad tantam audaciã temeritatemque progressa est, vt etiam ipsi laici dignitates Ecclesiasticas & beneficia sibimet attribuere, & quasi iure hereditario vsurpare parum formidarent. Nam teste Aymoino in libro quinto de Gestis Francorum cap. 41. & 42. Comites Parisiorum Hugo magnus, Robertus, necnon filius eius Hugo Capetus, qui postea regnauit in Francia, cupiditate magis ducti quam curæ animarum solliciti Abbatiam Sancti Germani de Pratis possederunt, seque Abbates vocitari fecerunt. Hoc silentio minimè supprimendum duxit Robertus Gaguinus in libro quinto Compendij, vbi aliquanto ante mortem Ludouici Nihilfacientis ista subintulit. At quia de Hugone Abbate mentio incidit; illud non est obmittendum, hunc Hugonem atque Robertum Parisiorum Comitem, qui & Marchio dicebatur, primos fuisse, qui relicta Monachis & sanctimonialibus prædia, prouentúsque occupauerint, & ea sibi suisque militibus attribuentes, seque Abbates appellantes, atque impartientes Monachis prout volebant adhibito moderamine victus & vestimentorum. Quæ violentia ad Roberti Regis tempora perdurauit. Quum igitur temerarij homines non solùm bona Cœnobiorum passim diriperent, verumetiam religiosos viros non desinerent in contuitiis suis iniurijs afficere, eisdem probi loco impingentes glorioſum Monachi nomen & obhoc nullus iam sibi rectè constaturum arbitraretur sub hominis sæcularis potestate vota Monasticæ professionis emittere, plura nimirũ orationis loca contigit diuini cultus ministris destitui, & vacua relinqui. Sed ad tantum corruptissimorum hominum præsumptionem emouendam Apostolica auctoritas statuit, vt qui deinceps Episcopopatum vel Abbatiam, vel aliquod aliud beneficium à laico acceperit, nullomodo in Episcoporum, Abbatum vel Clericorum numero is censeatur, ne ve idem sub censura anathematis limina Apost. attingat, priusquàm locum ambitione & contumacia conquisitũ (quod est idololatriæ scelus) resipiscendo cõmutauerit. Eisdem quoq; censuris teneri voluit omnes qui res Ecclesiarum iniustè inuasissent & adhuc tenerent. Quò factum est, vt ipsi laici diuinum pertimescentes iudiciũ, omnibus quæ à se, vel à suis progenitoribus ablata fuerant à Monasteriis, vtcumq; restitutis, in religiosorum loco, Canonicos sęculares constituerint: quemadmodum quidam prodidere scriptores, & astipulantur veteres Pãdectę. Quarum prolixitate omissa, partes duntaxat necessarias in eisdem contentas huc adducere optimum factu fuerit. *In Dei nomine duo germani fratres Ebrardus videlicet & Ebrardus alter, filij Ebrardi nobilissimi, cognomine viridi, Bituricens. inspirante Domino saluatore nostro qui omnes homines vult saluare & neminem perire, pro remedio animarum nostrarum, omn umq; fideliter in Christo credentium, vt eos pius Dominus à cunctis peccatorum vinculis absolutos perducere dignetur ad regna cœlorum, destinamus ad Monasterium S. Petri Puellarum, quod est infra muros Biturigæ vrbis, & nostræ subiectum est potestati, ex rebus substantiæ eiusdem Monasterij quas antiquitus tenebant sanctæ Virgines in eo manentes, reddimus ad ipsum sanctum locum ex rebus suis ad tenendum in perpetuum, vt ecto tantummodo Canonici illic victum & substantiam habentes seruiant Domino, &c. Sigillum Dacberti Archiepiscopi. Sigil. Gaufridi Vicecomitis.* De institutione autem Canonicorum Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Salis legimus ea quæ sequuntur in Pandectis eiusdem Ecclesiæ.

Digitized by Google

Eo tempore quo iusto Dei iudicio Danorum gens impia & nondum sacro baptismate ablata occupauit Gallorum regna, in loco, qui dicitur Salarum, erat congregatio Monachorum, qui metu Paganorum derelinquentes locum, fugerunt in ciuitatem Biturigum deferentes secum omnia illius loci ornamenta, & illud pignus sanctissimum, quo manus Domini, quæ nos fecerunt, ligatæ ad columnam fuerant, habuerúntque hospitium in Sanctæ Mariæ Monasterium, cuius caput super vrbis est situm. Post multum verò temporis quædam nobilis fœmina sumpsit habitum sanctimonialium in dicto Monasterio Sanctæ Mariæ Salensis. Vbi à tempore Sancti Austregisilli Bituricensis Archiepiscopi [quo Sancta Bertoara Abbatissa eidem Ecclesiæ præerat] regularis obseruantia perseuerabat. Cui dedit ex propria hæreditate quandam Ecclesiam quæ nuncupatur Monasteriolum, &c. Dehinc succedenti tempore, quia locus magna ex parte declinauerat, placuit Gaufrido Vicecomiti mittere Canonicos in præfatam Ecclesiam, quorum nomina sunt hæc, Rainaldus Prior, Bernardus de Castelliolo, Giraldus de Monasterio, Giraldus Salensis, Theodoricus & Stephanus paruus. Actum in festiuitate Beatæ Mariæ Februarij mensis, Regnante Roberto Rege, & Constantia Regina, &c. Eadem quoque tempestate constat Ecclesiam Sancti Ambrosii fuisse reædificatam à supradicto Gaufrido Vicecomite, quæ irruente Danorum seu Normanorum adhuc infidelium persecutione detracta fuerat in ruinam. Sed & latifundia, agros, cæteráque omnia ad eandem Ecclesiam antiquitatis iure pertinentia restituit eidem Gaufridus Vicecomes, vt in quodam veteri instrumento legitur huiusmodi sub tenore: *Anni sunt transacti ab institutione Incarnationis Dominicæ vsque quo hæc carta acta fuit mille & duodecim. Dominus Deus Omnipotens per Sanctum Dauid Prophetam fideliter de eo vaticinantem dixit: Dominus de cœlo prospicit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum. Idcirco Deo omnipotenti gratias refero ego Gaufridus Vicecomes Bituricæ ciuitatis, qui me prospicere & videre fecit salutem animæ meæ, & honorem corporis mei, dum locum Sancti Petri Principis Apostolorum, & Sancti Ambrosii, qui in illius Ecclesia requiescit, in honore & stabilitate reducere volui. Ad ipsum enim locum Beati Petri Principis Apostolorum ex bona voluntate reddo ego Gaufridus & vxor mea Eldeburgis & filij mei Goffredus & Fratres meæ vxoris Odo & Ebbo, pro remedio animæ Patris meæ mulieris Rodulfi, & pro remedio animarum nostrarum, omniumque parentum nostrorum, annuente Rege Roberto, Episcopo autem Dacberto confirmante, terras quæ ad ipsum locum pertinent, & cætera.* His planè testimoniis perspicuum cuiuis esse potest, Laïcos (vt diximus) fuisse aliquo tempore Ecclesiarum rectores, immo inuasores & populatores, quod quidem nunc fieri cernitur, vbi plus malorum ambitio & auaritia valet, quàm bonorum virtus & grauitas. Sed vt ad beatissimum antistitem Dacbertum reuertamur, iste est cuius sepulchrum à mulieribus, causa prolis habendæ visitatur apud Sanctum Austregisillum de Castro, ad læuam ingredientium Basilicæ chorum; Ipsiúsque depositionis festum celebrandum venit decimo quinto Kalendas Martij. Sedit autem annis viginti quinque, mensibus octo, ab anno Christi 987. ad annum 1012. Præsidentibus Romæ Ioanne XVI. Gregorio V. Ioanne XVII. Siluestro II. Ioanne XVIII. Ioanne XIX. Sergio IV. & Benedicto VIII. Imperantibus Othone III. & Henrico II. necnon regnantibus super Francos Ludouico V. Hugone Capeto, & Roberto primo viro pietate, eruditione, iustitia, modestia, & fortitudine insigni. Qui & si rei militaris admodum studiosus esse videretur, tamen vbi per otium licebat, ita diuorum diligens cultor erat, vt clero admixtus hymnos caneret. Hinc itaque ferunt obsidione quadam quum ille ne tanto quidem negocio diuinorum institutum prætermitteret, fortéque diuinis intentus daret operam, hostium mœnia sua sponte collapsa, vrbemque sine duce à Gallis captam. Hoc erat verum Regem agere, non per libidines & auaritiam minus potentes iniuria afficere. Vacat tum sedes tribus mensibus.

CAPVT LVII.

De Gauzelino quinquagesimo-septimo Biturigum Archiepiscopo.

QVinquagesimus septimus præfuit dominus GAVZLINVS aliàs Wazlenus vir genere, pietate & doctrina insignis. Iste ab adolescentia sua apud Flo-

Digitized by Google

riacense Monasterium in Christi institutionibus enutritus, cum religione pura, tum etiam virtute animi & moderatione tantum profecit, vt eiusdem loci pastore è vita decedente, ipsum fratres diuina prouidentia sibi in Abbatem vnanimiter elegerint. Cuius admirandæ conuersationis fama quum ad plurimorum aures percrebuisset, defuncto etiam venerabili Patre Dacberto Biturigæ ciuitatis Archiepiscopo, ipse superni moderatoris vocatione magis, quàm electione humana, totius Aquitaniæ primatum iniit. Collocatus igitur in cathedra seniorum Pontifex, quum esset natura lenis, comitate affabilis, liberalitate munificus, & omni morum honestate decoratus, impossibile dictu est, quàm facile, quàm præclarè, quámque efficaciter sua sedulitate ad studia rei diuinæ & ad vitæ æternæ vtilitatibus conducentia subditorum animos induxerit. Postquàm verò idem Præsul nobilissimus Bituricensem Ecclesiam inculpatè rexisset annis decem & septem, mensibus quinque, diebus septem migrauit à sæculo xiij. Kalendas Decembris. Verùm in Martyrologio Dolensis Monasterij legitur obusse quarto Idus Martij. Claruit autem ab anno Christi 1013. ad 1029. temporibus summorum Pontificum Benedicti octaui, & Ioannis XX. sub imperio Henrici secundi, & Conradi secundi. Regnante feliciter diuo Roberto. Vacat tum sedes mensibus tribus.

CAPVT LVIII.

De Aymone quinquagesimo octauo Biturigum Archiepiscopo.

QVinquagesimus octauus præfuit dominus AYMO inter ceteros generis dignitate sublimis & vitæ sanctimonia præclarus. Huius frater vocabatur Archimbaldus strenuissimus Princeps & Comes Borbonienſis. Ad cuius instantiam idem venerandus Pontifex exhumauit corpus Sancti Leopardini Martyris apud Monasterium Viuariense, & illud decentius collocauit in eminentiori loco Ecclesiæ dicti Monasterij. Denique (vt in archiuis Abbatiæ Sancti Sulpicij inuenimus) habuit Concilium Prouinciale Bituris, quatenus Ecclesiis à tyrannis penitus desolatis suâ auctoritate succurreret. Quod vt legentibus magis sit in aperto, exordium cuiusdam vetustissimi instrumenti hic necessariò duximus esse ponendum. *Claret, & nullo refragante constat, quia dominus & Saluator noster Ecclesiam suam toto orbe terrarum diffusam ordini commisit Pontificali, eámque vocans regnum suum Apostolis tanquam seminario Sacerdotali commendauit, dicendo. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum. Quam commendationem dispositionis, ego Haymo Sacerdotum vel vltimus, alta mente considerans, & vehementer expauescens, vnde ad reformandam patrem, & res Ecclesiarum commodè disponere, consilio Regis Henrici & Episcoporum ad nostram sedem pertinentium decreuimus Concilium facere in Biturica ciuitate. Ideòque adiunctis Episcoporum vel Abbatum, Sacerdotumque atque cleri voluntatibus, bene aptauimus ac disposuimus res Ecclesiarum, prout clericatus ordo exigit, cooperante Spiritu Sancto. Deinde pacem toto nisu corroborauimus in tantum quantum diuina virtus facultatem nobis concessit. Et ita peractum, postmodum in eodem Concilio coram Episcopis, Abbatibus, Clericis, seu Laicis, nobilibus vel pauperibus, concessimus Domino Deo & Sancto Sulpicio & Abbati ipsius loci debitum Synodorum atque paradas ex omnibus Ecclesiis pertinentibus ad supradictum locum, quatinus à prædecessoribus nostris aliquando sancitum fuerat, videlicet Dacberto & VVazelino. Itemque hoc concesso manu propria hanc descriptionem adstipulauimus. Factum est hoc sub testimonio trium Episcoporum, Nomina quorum hic titulare iussimus. Scilicet Dominus Rinco Episcopus Claromontensis vir Apostolicus & sectator bonorum operum, atque Ecclesiæ huius sedis nostræ Decanus. Et dominus Hugo Episcopus Niuernensis, qui ex hoc bonus adiutor per omnia fuit, atque dominus Durandus Caturcensis Episcopus.* Cætera breuiandi studio desino meminisse. Sequitur aliud instrumentum mentionem faciens eiusdem Concilij. *In nomine Sanctæ & indiuidue Trinitatis Haymo Biturigensium gratia Dei & nutu Archiepiscopus. Quoniam quædam iuuencula nomine Matildis filia cuiusdam nostræ Ecclesiæ militis nomine Gimonis, cuius erat castrum, quod dicitur Sancti Satyri, necnon & Odo Comes Palatij, quem sibi eadem iuuencula sola sine fratribus inter cognatos & amicos emeritum elegit, quem sibi subrogaret viuens & mortua in ius hæreditatis, sanctorum necessitatibus communicantes, quendam locum in honore*

Sancti Petri Principis Apostolorum & Sancti Satyri, plurimorúmque Sanctorum Martyrum quorum nomina in cœlis scripta sunt antiquis temporibus multo honore dicatum, sed in multis iam destitutum & pene ad nihilum redactum restaurare cupientes, serenitatem nostram adeundo petierunt consensu & adstipulatione nostra fieri quicquid restaurationis & honoris pro remedio animæ suæ & parentum suorum eidem loco impendere voluerint. Denique imprimis prædictum locum honore præcipuo decorantes, officium clericorum mihi Canonicè viuentium consensu & actu eorum denotè constituimus. Et quia prædictam puellam & Odonem Comitem Palatij ita visitauit oriens ex alto, & non solum de his quæ ad eandem Ecclesiam pertinere videntur, sed etiam de suis propriis hæreditatibus atque de thesauris ad restaurationem loci multa donaria tribuerunt, ipsam Ecclesiam ac altare tum nouis & antiquis decimis, & quicquid ad Ecclesiam vel altare pertinere videtur (quæ omnia de iure matris Ecclesiæ Protomartyris Stephani in beneficio se habere testantur) precibus puellæ & Comitis Palatij Canonicis eiusdem loci conferimus immunem & liberam, ab hodierna die & deinceps. Statuimus præterea vt nullus successorum nostrorum contra hoc nostræ deliberationis scriptum agere contra ipsos Canonicos pertemptet excepto quod debitam subiectionem matris Ecclesiæ Canonicè exoluent, & in Inuentione Beati Protomartyris Stephani, quæ colitur tertio nonas Augusti, processionem & duas libras incensi persoluant. Vt ergo Canonici sancti Petri & sancti Satyri sentiant nostrum beneficium perpetuò & nostri temporis sit consolatio, & nostræ fragilitatis remissio, & firmum atque inuiolabilem teneat hoc instrumentum tenorem, manu propria in præsenti Synodo & Coëpiscoporum nostrorum auctoritati & Canonicorum ac militum assertioni stipulandum obtulimus. Datum regnante Henrico Rege.

Sub idem tempus Papa Gregorius sextus sedis Apostolicæ dignitatem negligentia priorum Pontificum labefactatam suâ auctoritate & animi magnitudine breui restituit. Nam ciuitates & possessiones, quæ ad ius Romanæ Ecclesiæ pertinebant, à tyrannis nobilibus tam Romanis quàm circumquaque positis ablatæ erant. Insuper viæ publicæ & stratæ ferè per totam Italiam à latronibus & prædonibus obsessæ erant, adeò vt peregrini nisi magnâ turbâ adunati Romam ad visitanda limina Apostolorum absque periculo venire non possent. Quare cessatum erat ab omni prouincia ad vrbem causâ deuotionis accedere. In ipsâ vero vrbe in medio foro sicarij vagabantur, & Principis Apostolorum Ecclesiam quis videre cupiens, si in id hominum genus casu incidebat, sine substantiæ vel salutis damno, minimè reuertebatur. His tantis malis Gregorius summus antistes primò leniter, vt decebat Pontificem, occurrere cœpit. Inuasores Ecclesiastici patrimonij mandatis & Epistolis inuitauit, vt aut indebita redderent, aut iure se illa tenere in senatu Romano probarent. Si neutrum facerent, se membra Ecclesiæ non esse cognoscerent. Sed talia frequenter concionatus nihil aut parum profecit. Tunc omnes excommunicauit qui talia agerent, & qui eis conuiuio aut colloquio participarent. Illi autem excommunicati econtra furere ac muros vrbis armis circumsonare cœperunt, adeò vt Papæ mortem intentarent. Tunc summus Sacerdos ferro abscissionis vtendum iudicans, arma & equos vndecumque conquisiuit, milites & equites congregauit. Ac primùm Ecclesiam Beati Petri occupans, raptores oblationum vel extinxit, vel fugauit. Occisis sibi resistentibus prædia & oppida multo tempore amissa in antiquum ius restituit. Romani interea raptu viuere assueti, sanguinarium illum vocabant & indignum qui Deo sacrificium offerret tot cædium conscius. Ipsi etiam Cardinales idem videbantur sentire & calumnias inferre, adeo vt quum ea valetudine qua defunctus est, decumberet, consilio inter se habito auderent eum admonere, ne se in Ecclesia Principis Apostolorum cum cæteris pontificibus sepeliri mandaret, vt pote qui tot hominum mortibus Pontificale fœdasset officium. Quo audito ille recollecto spiritu, torusque luminibus minax, hanc ad illos orationem fecisse dicitur. Si in vobis vel scintilla humanę rationis, vel scentia diuinæ auctoritatis esset, tam præcipiti suasione non conueniretis Pontificem vestrum, qui quandiù vixi, & patrimonium meum in vestra commoda effudi, & famam pro vestra liberalitate neglexi. Etsi alij quæ prætenditis attentassent, par erat eis vos obsistere, & opiniones stultorum interpretationibus melioribus delinire. Cui (quæso) thesaurizaui? quibus salutem, quibus restitui libertatem? At adorabar prius à populo, & liberè quæ volebam actitabam, applaudebatur mihi totis votis. Sed has laudes, hos applausus abstulit mihi vestræ tenuitatis intuitus. Ad vos fle-

xi animum & seueriùs agendum existimaui. Fortunarum vestrarum titulos impius prædo occupauerat. Vos inopem vitam agebatis. Illi de oblectationibus vestris preciosa sibi serica mercabantur, vos populari & dissuto amictu oculos mouebatis meos. Itaque quum hoc nequirem pati, bellum aliis indixi, vt damno ciuium, emerem gloriam clericorum. Sed vt modò experior in ingratos collocata beneficia perdidi. Nam morientem patrem filij de sepultura sua exagitant. Communem mortalium domum mihi negatis? Non arcetur ab introitu Ecclesiæ meretricula, non vsurarius, non latro, & vos Papam ingredi prohibebitis? Quapropter filij tam præruptæ audaciæ pœnitentiam agite! Stultè enim & amarè locuti estis. Sed ne sola me vinci auctoritate putetis, rationem accipite. Omnis actus hominum secundum rationem examinari debet, vt eò vergat facti iudicium, vnde processit faciendi consilium. Vt enim veritas dicit. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, &c.* Crebrò miserabilis interpellauit egenus, vt eius leuarem inopiam. Ego futurorum inscius non abnui solùm, sed & multa pecunia onustum dimisi. Discedens ille latronem offendit. Qui videns eum pecuniam portantem, occidit. Nunquid inde iudicandus sum, qui peregrino dederam vnde mortem incurrit? In legibus Ecclesiasticis & forensibus idem factum & laudatur & punitur diuersis respectibus. Animaduertitur in latrone quod hominem occidit in occulto, probatur in milite quod fuderit hostis sanguinem in bello. Itaque homicidium in isto laudabile, in illo vituperabile. Laudatus est olim prædecessor noster Hadrianus prædicandæ memoriæ, quòd inuestituras Ecclesiarum concessit Karolo Magno, ita vt nullus electus consecraretur ab Episcopo, nisi prius à Rege annulo & baculo insigniretur. Erat enim Karoli animus inuictus ad auariciam, nec facile quis tunc inuenisset aditum, nisi qui intrasset per ostium. Præterea per totterrarum intersticia requiri nequibat sedes Apostolica, vt vnicuique electo assensum accommodaret, dum esset prope Rex, qui nihil per auaritiam disponeret. Nunc omnia Regum Palacia luxus & ambitus occupauit. Quare merito sponsa Christi libertatem suam asseuerat, ne illam tyrannus ambitioso vsurpatori prostituat. Laudatur in nostri seculi Pontificibus quod has donationes Principibus abstulerunt. Certè non est Christi officium vt committi prælium iubeat, cæterum spectat ad munus Christi, vt si naufragium innocentiæ videat, manu occurrat & lingua. Ezechiel Sacerdotes accusat, quòd non steterunt ex aduerso, nec se opposuerunt murum vel clypeum pro domo Israël. Duæ sunt personæ, ab Ecclesia ad resecanda vitia constitutæ, vna quæ exacuat eloquium, altera quæ gladium portet. Ego vt vos mihi testes estis, non neglexi partes meas. Illum cui interest gladio rem agere Imperatorem scilicet, nuncio certificaui. Occupatum se rescripsit, rogans vt meis laboribus & suis expensis non grauarer latronum conciliabula deturbare. Si renuissem, quam excusationem Deo offerrem, quum imperator suas in me refudisset partes? Viderem cædes ciuium, damna peregrinorum, & dormitarem? Quisquis parcit latroni, innocentem occidit. Sed obiicitur non esse Sacerdotis, vt se cuiusquam cæde commaculet. Verum est. Sed non se inquinat, qui sontem premens, insontem liberat, immo, *beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.* Sacerdotes fuerunt amplissima laude famosi Phinees & Matathias, qui in delinquentes manu sua vlti sunt. Nam alter amplexus venereos pugione confodit, alter idolis immolantem immolatitio cruori commiscuit. Zacharias Sacerdos thurificantem Regem de templo expulit. Et proculdubio non dubitasset occludere, nisi illum Deus cædere accelerasset. Præuenit enim Episcopalem manum plaga diuina, vt illius cadauer depasceretur lepra, cuius animus vsurpasset illicita. Deturbatur regis deuotio, & non deturbabitur latronis cupido? Parum est quod excuso, etiam laudandum est quod egi ego. Contuli enim illis beneficium, quibus videor intulisse exitum, pœnam minui, dum mortem eis acceleraui. Hæc habui quæ pro me dicerem, vt vestras assertiones euacuarem. Sed quoniam & meæ & vestræ ratiocinationes falli possunt, diuino examini omnia committamus. Corpus meum antecessorum meorum more compositum, ante ianuas Ecclesiæ sistite: Ianuæ autem seris & repagulis obfirmentur. Si Deus voluerit vt ingrediar, applaudatis miraculo; sin minus, de cadauere meo quicquid placuerit agite. Sicque factum: mox enim mortui cadauer ante ianuas Ecclesiæ Beati Petri seris obclusas positum est. Quo facto, turbo ingens emissus diuinitus repagulorum obstaculum dirupit, & ipsas valuas repentino

impetu patefactas cum magno fragore ad parietes impulit. Omnes autem qui aderant miraculo stupefacti, cum magna reuerentia corpus Pontificis sepulturæ tradiderunt. Hæc longiore fortassis sermone quàm promissa breuitas patiatur, diximus. Sed ita facto opus fuit, vt ostenderemus quantum studij & laboris habuerint Pontifices illius temporis in resarciendâ Ecclesiastica libertate, quam, vt superius est significatum, sæcularis potestas tyrannicè vsurpauerat. Cæterum teste Roberto Gaguino in libro 6. Compendij, circa annum Dominicæ Incarnat. millesimum sexagesimum, qui erat pontificatus Domini Aymonis Bituricensis Archiepiscopi annus trigesimus primus, Biturigum Comes Harpinus vir strenuus & bellipotens in expeditionem, quæ illo tempore ad Hierosolymam primum, Duce quodam Eremita, deinde Godefrido Bullione parabatur, quum rei pecuniariæ indigeret, Biturigum principatum Regi Franciæ venalem exposuit. Quem sexaginta millibus nummùm ab Henrico emptum, Francorum ditioni adscripsit. Adiunxit præterea Vastinium ex huiusmodi causa. At nobilissimus antistes Aimo tandem moritur nonis Iunij, seu vt in Martyrologio Dolensis Ecclesiæ scribitur, tertio Kalendas eiusdem mensis. Sedit autem annis quadraginta, mensibus quinque, ac totidem diebus, ab anno Christi 1030. ad annum 1071. Præsidentibus Romæ Ioanne vigesimo, Benedicto IX. Siluestro III. Gregorio VI. Clemente II. Damaso II. Leone IX. Victore II. Stephano IX. Benedicto X. Nicolao II. & Alexandro II. Imperantibus Conrado II. Henrico III. & Henrico IV. Regnantibus vero in Franciâ supradicto Roberto, Henrico primo & Philippo primo.

CAPVT LIX.

De Richardo II. quinquagesimo nono Biturigum Archiepiscopo.

QVinquagesimus nonus præfuit dominus RICHARDVS qui secundus in ea dignitate id nomen tulit. Vir iste quum tantæ esset sapientiæ atque litteraturæ, vt quod ad perfectionem laudabilis hominis attinet parum illi defuisset, sumpto sanctæ religionis habitu, adeò cœpit vernantibus virtutum flosculis vita ipsius ornata atque nobilitata in precio haberi, vt per cessionem prædicti domini Haymonis, Aquitaniæ Primas meruerit ordinari. Suscepit autem sanctæ consecrationis munus Senonis in solemni Paschæ festo, nono Kalendas Maij, in eo salutis anno, qui millesimus septuagesimus primus fuit à sacratissimo Christi ortu. Pontifex igitur effectus omnia quæ ad honorem summi Dei pertinent, diligenter circunspiciens, verbis, exemplo, auctoritate tum sua, tum maiorum, vnumquemque ad bene beatéque viuendi studiũ cohortabatur. Denique libertatem Ecclesiæ viriliter tutatus est. Nam (vt in quodam veteri instrumento fideliter memorię proditum fuisse legimus) erat Ecclesiarum ac Monasteriorum acerrimus defensor & protector contra sæculares homines, qui (vt frequenter significauimus) redditus seruorum Dei vndecumq; corrodebant. Scriptura vero citati instrumenti ea est huiusmodi. *Quoniam in Synodis & Conciliis Romanæ Ecclesiæ tam à Beato Papa Leone nono, quàm ab alijs sanctissimis viris decretum fuit omnino Dei omnipotentis nutu & sanctorum eius auctoritate interdictum, & maximè in his partibus nostris à domino Richardo Biturigensium Archiepiscopo confirmatum, ne aliquis Laicorum Ecclesiam aliquam, aut res Ecclesiasticas inuadere, aut inuasas tenere præsumeret. Et si hoc quispiam faceret, extra sinum matris Ecclesiæ teneretur, quo vsque dimitteret, &c.* Præterea idem dominus Richardus inter plurima quę laudabiliter ac magnificè fecit, dicitur ædificasse, ac magnis redditibus dotasse Monasterium Plenipedense, in quo post laudabilis vitæ cursum plenus operibus bonis, extremum clausit diem 5. Kal. Maij. Sepultúmque est corpus ipsius prope sinistrum cornu summi altaris eiusdem sacræ Basilicæ, nullo genere honoris, quod impendi tanto Pontifici potest, non adhibito à clero & omni populo. Sedit autem vnum & viginti annos, ab anno Christi 1071. ad annum 1093. Præsidentibus Romæ Alexandro II. Gregorio VII. Victore III. & Vrbano II. Imperante Henrico IV. Atque super Francos regnante Philippo primo. Vacat tum sedes fere per annum.

CAPVT LX.

De Aldeberto sexagesimo Biturigum Archiepiscopo.

SExagesimus præfuit Dominus ALDEBERTVS, aliàs Hildebertus, homo equidem & vitæ perfectioris integritate, & præclaræ eruditionis gratiâ præstantissimus: qui vt pontificale officium efficaciter exequeretur, imprimis Ecclesiæ diligentiam habens, nihil horum quæ eidem forent vtilitati duxit negligendum; deinde in pauperum ac peregrinorum subuentione tam sedulus erat, tam benignus, tam misericors, tamque, vt ita loquar, prodigus apparebat, vt si vniuersa hæc quispiam dignus relator seriatim scribere cuperet (nisi id immensi esset laboris) profectò illa non minimùm fierent legentibus memoratu vtilia. Fuerat enim ante adeptum Episcopatum Abbas Dolensis Monasterij, vnde & religiosis viris impensè fauebat, præsertim fratribus Cœnobij Plenipedensis, quibus multas ædes sacras, & plura alia bona liberaliter contulisse legitur. Anno pontificatus ipsius tertio summus Pontifex Vrbanus II. habuit apud Clarummontem Aruerniæ ciuitatem Synodum, vbi de moribus Cleri multa instituit, quorum illud ante omnia est, ne à quouis Principe beneficiorum inuestituram Clericus recipiat. Præterea, vt author est Robertus Gaguinus, de cogendo aduersus Turcas exercitu longam orationem habuit: quamobrem plurimi adunati se cruce signarunt, atque imprimis Aymarus Aniciensis, id est, Podiensis Antistes, Godefridus Bulio, Princeps & Dux Lotharingiæ, necnon fratres eius Eustatius & Balduinus Comites, viri & animi constantiâ & corporis robore insignes. Fuitque copiarum numerus sexcenta millia peditum, & centum equitum, qui *in* Italiam trãsgressi, Romam peruenêre ad Pontificem, qui Concilio soluto, *ita* Italiam repetiuit, vt compositis eius terræ rebus, Italos ad id bellum hortaretur, sicque acceptâ à sanctissimo Papa Vrbano benedictione, duces belli, ne graues forent vrbibus & populis, per quos iter facturi essent, tripertito exercitu ex vrbe profecti sunt. Interea verò Dominus Aldebertus morte interceptus, viuendi finem accepit pridie Nonas Septembres, aliàs quinto Idus eiusdem mensis. Sedit autem annis quatuor, mensibus octo, & sexdecim diebus, ab anno Christi 1093. ad annum 1098. præsidente Romæ in Apostolica sede beato Vrbano huius nominis secundo, imperante Henrico IV. & regnante Philippo primo.

CAPVT LXI.

De Leodegario sexagesimo primo Biturigum Archiepiscopo.

SExagesimus primus præfuit Dominus LEODEGARIVS, vir adeò humilis, & tantæ moderationis, vt suis in schedulis se prætitularet humilem Biturigæ sedis ministrum. Inter initia huius pontificatus Cisterciensis Ordo inceptit, captáque est ciuitas Hierusalem à Christianis post annos circiter quadringentos sexaginta, ex quo possessa fuit à Sarracenorum gente perfida; quæ postquam gesta sunt, quidam nobilissimus ac strenuissimus Comes ab Hierusalem reuersurus in Franciam, vnde cum cæteris Christianis illuc fuerat profectus, Romam ingressus, facilè obtinuit à summo Pontifice sibi donari reliquias sanctorum Martyrum Cornelij & Cypriani. Tum verò impetratis etiam ex florentissima Monachorum congregatione Vallis vmbrosæ aliquot deuotis fratribus, quorum Prior vocabatur frater Andreas, vir maximâ conseruandæ religionis constantia clarus, illustrissimus Comes voti compos lætissimúsque ad suos penates regressus, amplificâ liberalitate prædictos religiosos viros curauit, dánsque illis optionem eligendi locum idoneum pro ædificando Monasterio infra suæ ditionis metas concessit, statuitque tanti operis impensas de suis facultatibus accipi. Quo quidem Cœnobio in Aurelianensi territorio celeriter magnificéque constructo, non solùm illud vir admodum nobilis sanctorum Martyrum Cornelij & Cypriani sacris reliquiis insignuit; verumetiam de suis redditibus ipsum locum munificè ac nobiliter dotauit, instituens vt deinceps idem Monasterium ap-

pellaretur Corneliacum. Iámque velut balsami fractum alabastrum admirabilis virorum Dei opinio mirè fragrans, breuî per totam Aquitaniæ prouinciam diffundebatur: quorum exemplo plurimi cuiusuis conditionis homines attracti & illecti contemptis ac spretis vani huius mundi illecebris se vltro suaui Christi iugo submittentes, ad brauium supernæ vocationis certatim contendebant. Venerabilis enim Pater Andreas, in quo totius religionis forma, necnon totius moderationis gratia renitebat, facilè inducebat singulos, qui ad se conuertebantur, suimet notitiam recipere, psalmis & hymnis vacare, terram sui cordis iugi cultu & exercitiis indesinentibus excolere, cælibem castámq; vitam omnibus mortalibus prę cipuè desiderabilem æmulari atque sectari. Quid multa? Ita breuî abrenunciantium sæculo coaluit numerus, vt in arido & squallenti campo videretur seges fœcunda, ac læta Domini Sabaoth vinea succreuisse, iam suas propagines longè latéque dilatatura. Vnde vir Domini Andreas plura diuersis in locis Monachorum Conuenticula, quæ nunc Prioratus vocantur, instituit, & erexit precibus quorumdam nobilium virorum vltrò ei offerentium ea quæ ad quietam Religiosorum vitam pertinent. Denique siluam quandam quercubus & fagis densissimam intra Bituricensis diœceseos fines reperiens, facto primùm ibidem tugurio, animo eius incessit hanc suæ peregrinationis vltimam facere mansionem: vbi sanè quicumque diuinitùs inspirati conuertebantur ab ipso secundùm diui Patris Benedicti regulam instituendi, sibimet casas circa magistri tuguriolum compingentes, rei effectu locum ipsum deinceps Casalebenedictum appellandum censuerunt. Qui tandem adjuti ope quorumdam Principum, ac deuotorum fidelium eleemosynis basilicam, & vniuersas Monasterij officinas, Deo auxiliante, consummauerunt. Quò Dominus Leodegarius Bituricensis Archiepiscopus venire dignatus, Ecclesiam quidem in honorem intemeratæ Virginis Mariæ Dei genitricis, ac beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli solemniter dedicauit. Ipsum verò Reuerendum Patrem Andream in Abbatem primum Casalisbenedicti confirmauit, ac benedixit. Deinde idem Pontifex apud Ecclesiam sanctæ Alieriæ de Carentonio Canonicos Regulares obtinuit per summum Præsulem Paschalem institui, inde sanctimonialibus propter minùs honestam conuersationem expulsis. Sed post eiusdem Leodegarij obitum, quidam Canonici B. Stephani, fugatis supradictis Regularibus Canonicis, sanctimoniales iterum illuc introduxerunt. Cęterùm iste dilectus Deo & hominibus Antistes, ob reuerentiam Spiritus Sancti, cuius ipse templum veraciter erat, fertur dedisse cuilibet Canonico Bituricensis Ecclesię in die sanctæ Pentecostes residenti ad Matutinas, sex libras ceræ nouæ reddituales. Contulit etiam Capitulo dictæ Ecclesiæ, Ecclesias de Mologis, & de Gideno. At postquam inter diuersa virtutum ornamenta mirè fulgens, pontificalia munia sedulò exequutus esset duos & viginti annos, menses octo, & duodecim dies ab anno Christi 1098. naturæ iura morti exoluit nono, aliàs vndecimo Kalendas Apriles, anno Domini 1120. Claruit autem præsidentibus Romæ Vrbano II. Paschale II. Gelasio II. & Calixto II. imperantibus Henrico IV. & Henrico V. regnantibus verò in Francia Philippo primo, & Ludouico VI. cognomento Grosso.

CAPVT LXII.

De Vvlgrino sexagesimo secundo Biturigum Archiepiscopo.

SExagesimus secundus præfuit Dominus VVLGRINVS, vir nobilis, doctus, facundus, in consilio prouidus, & omni virtutum decore ornatus. Tertio adepti pontificatus anno, idem Præsul Dominum Sugerium sancti Dionysij in Francia electum præsente Ludouico Rege benedixit in Abbatem apud eandem Dionysianam Abbatiam. Interea verò quum Girardus Engolismensis Episcopus, homo factiosus, & schismaticus Anacleti Antipapę (qui antea Petrus Leonis dicebatur) partes defensurus, grauem Ecclesiæ Catholicæ persecutionem pararet, atque quosdam Episcopos sibi resistentes, à propriis sedibus deturbare præsumpsisset, cæteri orthodoxi Præsules Aquitaniæ ad Patriarcham & Primatem suum Dominum Vvlgrinum tanquam ad asylum confugiendum consultò decreuerunt, scientes eum esse tantum ac talem, vt & violentos malorum conatus suâ authoritate facilè impedire posset, & (quod majus est) pro Ecclesiarum sibi iure Primatus subjectarum pace & salute libenter

cum Apostolo charitate superimpendi vellet. Plures igitur hac de causa ad eum epistolas direxerunt, quas huic opusculo inserendas esse in argumentum rei gestæ censuimus. Sequitur epistola Episcopi Xantonensis Ecclesiæ.

Vulgrino Dei gratia Bituricensi Archiepiscopo Domino suo charissimo Vv. Xantonensis Episcopus salutem & obedientiam. Sanctitati vestræ significamus quòd Girardus ille Engolismensis Ecclesiam Dei in partibus nostris adeò perturbauerat, vt iam quæreretur inter nos, cuius quis professionis esset. Et quia ipsius praue persuasioni nos & Comprouinciales Episcopi assentire nolebamus, Pictauensem & Lemouicensem fretus auxilio Principis nostri à sedibus suis expulit, & alios intrusit. Sed quia non habere poterat Episcopos, non consecrauit illos. Abbatem quoq; Angeriacensem in nostra diœcesi existentem, à Monasterio suo per manum Comitis ejecit. Inter nos etiam Principémque nostrum tantam seminauit discordiam pro eo quòd intrusos suos consecrare, immò execrare nolebamus, quod & nos & Canonici nostri à sede nostra, & ab vrbe & Ecclesia ob metum & minas Principis egressi sumus, derelictis domibus & possessionibus nostris iustitiæ gratiâ. Accidit autem ex diuinæ respectu pietatis, quòd iste tam nefandus & sceleratus præcursor Antichristi Gerardus Engolismensem quadam die cùm per Episcopatũ nostrũ transisset, ab Aimaro de Archiaco milite strenuo fororgio nostro captus haberetur, & captus modò tenetur. Cuius captio Ecclesiæ nostræ, & omni populo gaudium est & exultatio quammaxima. Vnde paternitati vestræ supplicamus vt Burdegalensi Ecclesiæ, quæ eum in Archiepiscopum sibi elegit, & Agennensi, & Petragoricensi, & Pictauensi, & Lemouicensi Episcopis, & nobis, & omni Clero & populo litteras vestras transmittatis, per obedientiam omnibus inhibendo, & præcipiendo ne in aliquo obediant Girardo, neque vllum ei honorem exhibeant, & quod à vobis excommunicatus sit, & quod Episcopi omnes eum excommunicent in eisdem litteris imprimatis. Electionem quoq; eius quam de ipso Burdegalenses Canonici violentia Comitis in Archiepiscopum fecerunt, quia sine electione & assensu omnium Suffraganeorum Episcoporum, immò contradicente Agennensi facta est, cassetis, condemnetis, & ipsum Girardum perpetuò deponatis. Illa verò qui Girardum ceperunt, gratiam & absolutionem vestram impartiamini. Et illos qui violentiam aliquam pro deliberatione Girardi illis à quibus captus tenetur, inferre tentauerint, excommunicetis. Insuper verò Auxiensi Archiepiscopo, & Burdegalensi Ecclesiæ, & eorum Suffraganeis per obedientiam præcipiatis, vt omnes illos publicè excommunicent, qui Duci Aquitaniæ auxilium impenderint, donec in hac Ecclesiæ Dei perturbatione permanserit. Coepiscopis quoque nostris præcipiatis vt Aimaro de Archiaco pecuniâ & muneribus, auxiliisque aliis subueniant, vt se defendere possit aduersus Principem nostrum & Engolismensem Comitem, qui pro deliberando Girardo ei minatur. Valete.

Domino suo sanctissimo & venerabili Vulgrino Dei gratia Primati Bituricensi. G. Petragoricensis Ecclesiæ humilis minister, salutem, & debitam obedientiam. Nouit paternitas vestra quanta persequutio in Burdegalensi Prouincia, & etiam in Bituricensi pro schismate Girardi Engolismensis exorta sit. Et ob hoc quòd nos qui in illa Prouincia sumus, maximam tribulationem sustinemus. Sed quia vos & Regem Francorum in obedientia Domini Papæ Innocentij firmiter perseuerare audiuimus, valdè gaudemus. Miramur tamen supra modum quòd vos qui Primas noster estis, necdum litteris vestris nos visitastis, nec in hac re confirmauistis. Maiestati igitur vestræ persuademus, quatenus nos & omnes Burdegalenses Suffraganeos de propositæ obedientiæ firmitate certificetis, & confirmetis, atque litteris vestris securos nos faciatis, vt in quamcumque partem res aliquo casu declinauerit, vos semper nos manuteneatis, nec de proposita obedientia sine nobis aliquid permutetis, sed vnà nobiscum omnibus ad certum finem perueniatis. Et quidem G. Engolismensem, qui se Burdegalensem Archiepiscopum sine nostro consilio fecit, & de obedientia nos impetit, respondeamus; oportet enim vt vos Primatem nostrum & caput sequamur. Et vos sicut filios vestros & membra vestra in protectionis vestræ gremio nos foueatis & protegatis. Date & operam, vt Dominus Rex Francorum nobis & omnibus Burdegalensium Suffraganeis litteris suis suum manutenium de hac re & promittat, & tribuat. Quoniam multò securiores ob hoc erimus & firmiores, litteras vestras & Regis nobis transmittite. Si possetis descendere vsque Cadurcium, & nos ibi conuenire, illud laudabile esset. Valeatis.

Domino suo & merito desiderabili Vulgrino Dei gratia Archiepiscopo. Vv. Pictauorum humilis sacerdos & exul propter iustitiam, salutem & benedictionem. Petitionibus filiorum vestrorum Suffraganeorum Burdegalensis Ecclesiæ, præsertim tantis paternitatis vestræ dulcedo facilem præbebit assensum. Postulant etenim omnes vnanimiter sanctitatem vestram supplicater orantes, quatenus Girardum Engolismensem hæresiarcham, sacrilegum, intrusorem sedis Burdegalensis, excommunicatum reexcommunicetis, & tam Suffraganeis quàm Clero Burdegalensi ne illum in Archiepiscopum recipiant potestate à Deo vobis tradita sicut Primas inhibeatis, &

tam ipsum quàm Petrum de Castro Aurardi vitulum inflatilem, & omnes eorum Coadiutores, quorum dux est Vv. Bocherellus, in die festivitatis sanctæ Mariæ Magdalenæ excommunicari & publicari faciatis: nos siquidem, quantum ad nos pertinet, tam nefandi sacrilegij inuasores Sathanæ tradidimus in interitum carnis, & ab Ecclesiasticis circumscripsimus honoribus & promotionibus. Quod vtinam & vos in Vv. Bocherellum in virtute Sancti Spiritus exerceatis.

Subiunguntur venerandi Patriarchæ Vvlgrini responsiuæ epistolæ, in quibus manifestè illucescit ad quantam ille peruenerit sapientiæ & doctrinæ perfectionem, quamque laudabili studio Ecclesiarum sibi diuinitus commissarum gesserit sollicitudinem.

I.

Vvlgrinus Dei gratiâ Primas Ecclesiarum Aquitaniarum, venerabilibus Fratribus, & Catholicis sanctæ Dei Ecclesiæ filiis Agennensi, Pictauensi, Petragoricensi, Xantonensi Episcopis, & Clero & populo Burdegalensis Prouinciæ salutem & benedictionem.

Mementote, dilectissimi Fratres, & mentibus vestris tenaciter imprimatur, quoniam hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Sancta Ecclesia Catholica quamuis plerumque concutiatur aduersis, tamen inuicta & immobilis in vnitate & veritate fidei perseuerat. Sæpè accidit vt machinatione hæreticorum, & tyrannide Principum à sedibus suis Catholici & Religiosi expellerentur Episcopi, nec tamen euerti potuit Ecclesia Dei; quia enim ædificata est supra petram, non possunt aduersus eam portæ inferi prænalere. Quia igitur in partibus vestris aperta est porta inferi, caueant omnes Catholici, ne per eam corruant, & ne descendant in infernum viuentes. Quo vtique corruunt & descendunt qui à Romana discedunt Ecclesia; Qui putant Romanam Ecclesiam parietes esse, vel marmora. Catholici Episcopi & Catholici Cardinales, qui cum Domino Papa Innocentio persecutionem patiuntur propter iustitiam, hi sunt Romana Ecclesia, non illi persecutores, qui sacram sedem violenter tenendo violant, nec illi schismatici, qui magis timuerunt hominem quàm Deum; qui adhærentes Petro Leonis, amisère petram iustitiæ, quæ conculcabit leonem & draconem, & citò conteret sub pedibus suis omnem Sathanæ potestatem.

Vos autem, Fratres, fundamento petræ, super quod ædificare cepistis, firmiter inhærete. Minas Principum, damna possessionum, vexationes corporum (charitate foras mittente timorem) contemnite, immò sicut disciplinam apprehendite, vt cum Apostolo confidenter, & exultando dicatis: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an persequutio, an gladius? Sed in his omnibus superamus, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Scientes igitur quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: Si aduersa patimini propter iustitiam, nolite terreri: sed & diuina clementia, quæ non patitur fideles tentari supra id quod possunt, statuet procellam in auram, & deducet suos in portum voluntatis eorum.

Exhortamur ergo fraternitatem vestram, vt conseruetis Romanæ Ecclesiæ vnitatem, & inuictâ virtute resistatis Girardo Engolismensi, qui manifesti schismatis ducem se & signiferum facit; qui modò à fructibus suis cognoscitur, quam Antistites Lemouicensem & Pictauensem catholicè & canonicè ordinatos, à sedibus suis indecenter expulerit, quam in cælum os suum posuerit, & euidenter impugnet Catholicam veritatem. Nos autem excommunicationis sententiam, quam super eum, & super fautores eius Dominus Papa promulgauit, annunciamus, & obseruari præcipimus. Electionem quoque, quam de eo iam excommunicato Burdegalenses Clerici fecerunt, improbamus, & ne quis ei obediat prohibemus, &c.

II.

Alia eiusdem Patris ac Patriarchæ Bituricensis in veteribus monumentis reperitur Epistola.

Vvlgrinus Dei gratiâ Primas Ecclesiarum Aquitaniæ, Venerabilibus ac dilectis in Christo Fratribus Catholicis Episcopis Burdegalensis Ecclesiæ Suffraganeis salutem & benedictionem.

Gratias agimus Deo pro vobis, dilectissimi Fratres, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Facti estis Ecclesiæ Dei exemplum & speculum virtutis & fidei. Re-

Digitized by Google

notata est in vobis sanctorum Martyrum fortitudo. Aliis curuantibus genua sua ante Baal, vos pro fide catholica fideliter dimicatis, & Deo præstante virtutem, inuenti estis in fide stabiles, & in opere efficaces. Vos estis qui fide creditis, & ore profitemini veritatem. Vos estis quos aduersitatum turbo non frangit, quos tribulatio vel angustia à Christi charitate non separat. Quod nos quidem, qui in regimine primæ sedis, authore Deo, constituti sumus, Domino Papæ Innocentio, sicut sanctæ Sedis Apostolicæ Præsuli, & Catholico vniuersalis Ecclesiæ Pastori sinceræ deuotione obedimus, nihilque est per quod ab eius obedientia dimoueri possimus. In hac vnitate nobiscum perseuerant Patriarchæ & Primates, Metropolitani & Episcopi innumerabiles. In hac vnitate permanet Dominus Rex Francorum, similiter & Rex Anglorum, Rex Alemanorum, Rex Hispanorum, & Rex Hierosolymorum, Duces ac Principes ferè totius orbis terrarum. Hæc est catholica, hæc est vniuersalis Ecclesia, quæ fulget in Oriente, & paret vsque in Occidentem. Illa autem conuenticula Girardi Engolismensis vrania sunt & perniciosa, & cùm seducant mulierculas oneratas peccatis, iustis viris ac verè Catholicis nocere non præualent: Quia necesse est hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant.

Vos igitur, Fratres dilectissimi, constantes estote in defensione Catholicæ veritatis. Confidite in eo qui dicit, In mundo pressuram habebitis; sed confidite, quia ego vici mundum. Sperate in eo qui imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, qui & vobis tranquillitatem dabit & pacem. Certi verò sitis & securi de consilio & auxilio sanctæ matris Bituricensis Ecclesiæ. Voluntarij enim sumus, & paratos nos exhibemus tribulationibus vestris compati, & supportare onera vestra in charitate. Quòd si Girardus ille, qui per inuasionem, Burdegalensis Ecclesiæ Archiepiscopum nominari se facit, obedientiam à vobis requirit, in promptu habet prudentia vestra quid ei respondeatis. Quam enim subiectionem vel obedientiam debeatis illi, quem Catholica Ecclesia in Remensi Concilio proschismate damnauit, & excommunicauit, & ab omni Ecclesiastico honore deposuit? Præterea, quem constat non esse Catholicum, constat non esse canonicè institutum.

His & aliis rationibus canonicis munita prudentia vestra falsitati impudenter obsistenti prudenter resistat, & Domini Papæ Innocentij innocentiam sequendo, in catholica vnitate sine vlla mutatione aut titubatione persistat, vt legitimè certantes, & vsque in finem perseuerantes, & salutem æternam mereamini & coronam: Quia non coronabitur quis, nisi legitimè certauerit: Quia non qui cepit, sed qui perseuerauerit, hic saluus erit. Desideramus colloquium fraternitatis vestræ, & cùm nobis Deus opportunitatem dederit, locum idoneum eligemus, & prænunciabimus vobis. Valeat in Christo sinceritas vestra, venerabiles ac dilectissimi Fratres.

Hæ epistolæ breues quidem sunt, sed (vt benevoli lectoris probatura est sedulitas) adeò graues existunt, & tantam dicendi maiestatem præ se ferunt, vt non nisi esse hominis Apostolici, verè sancti, ac diuino Spiritu pleni æstimari possint. Quibus sanè idem venerabilis Patriarcha qualis fuerit, facilè cognosci potest: Nam viuentem sui imaginem in illis relinquens, immortalitatem apud posteros suo nomini parauit.

Huius denique amabilis Deo Præsulis consensu atque authoritate, firmata est fraternitas & societas inter Canonicos Ecclesiarum sancti Protomartyris Stephani, & sancti Iterij Ajacensis; ad cuius rei fidem non abs re fuerit hîc partem cuiusdam veteris instrumenti inserere.

Quæ ad honorem & vtilitatem Ecclesiarum Dei constituuntur, memoriæ litterarum tradere religiosa præcedentium Patrum prouidè consueuit authoritas, ne rebus gestis in oblivionem labentibus à memoria excidant, quæ debent memoriter conseruari; & ne contentiones oriantur inter seruos Dei, quos litigare non oportet. Igitur ego Vvlgrinus miseratione diuinâ Bituricensis Archiepiscopus, memoriæ fidelium tam præsentium quàm futurorum volo præsentis scripturæ testimonio commendari, quòd Canonici sancti Iterij Aiacensis societatem Canonicorum matricis Ecclesiæ beati Stephani expetierunt, concedentes, & postulantes, vt deinceps Ecclesia Aiacensis & res ipsius in dispositione Canonicorum beati Stephani, ac protectione consistant in perpetuum. Atque inter eos communi assensu vtriusque parus societas hoc modo constituta est, vt vnus ex Canonicis beati Stephani in Priorem Aiacensis accipiatur, & per Capitulum beati Stephani eligatur. Eo quoque decedente, similiter alius substituatur & sic in perpetuum. Hoc quoque statutum est, vt in Ecclesia Aiacensi sint tantummodò Canonici sex, ipse Prior, & quinque alij. Et cætera.

quæ breuiandi studio, taciturnitatis iuri tradidimus vsque ad hunc locum. *In Ecclesia S. Stephani, & in choro, & in capitulo Canonici Aiacenses, & hi qui modò sunt, & illi qui substituentur, sedem habebunt quasi Canonici, &c.* Cæterùm Dominus Vulgrinus multa bona Ecclesiæ suæ Bituricensi contulit, atque inter cætera dedit Capitulo Ecclesias de Mornayo, de Tendrayo, & de Albingis. Huius quoque Pontificis illud opus est quod adhuc cernimus super maius Altare eiusdem Cathedralis Ecclesiæ, dico dorsale argenteum atque deauratũ, quod in solemnioribus festis apertum, ipsum Altare nobiliter exornat. Sedit autem ab anno Christi 1120. annos quindecim, menses octo, & dies sexdecim, sicque plenus operibus bonis quieuit in pace sexto Idus Ianuarij, anno Dominicæ Incarnationis 1136. ingruente. Iacet verò Bituris in choro maioris Ecclesiæ, ad sinistram partem pedum Domini Petri de Castra, prope sepulchrum marmoreum quod extructum est in medio choro. Floruit autem præsidentibus Romæ Calixto II. Honorio II. & Innocentio II. imperantibus Henrico V. & Lothario II. necnon in Francia regnante Ludouico VI. cognomento Grosso.

CAPVT LXIII.

De Alberico sexagesimo tertio Biturigum Archiepiscopo.

SExagesimus tertius præfuit Dominus ALBERICVS, vir quidem nobilis stemmate, sed nobilior vitâ & eloquio. Huius meminit Vincentius Beluacensis in Speculo Historiali, cap. 16. libri 28. dicens: Florebat hoc tempore Ecclesia Gallicana per viros religione ac sapientiâ illustres, Milonem Morinacensem Episcopum, humilitatis virtute præcipuum: Aluisium Atrebatensem, liberalitate atque consilio & facundiâ clarum, Godofridum Lingonensem, Hugonem Autissiodorensem, Ioslenum Suessionensem, Goffridum Carnotensem, Albericum Bituricensem Archiepiscopum, scientiâ litterarum atque consilij prudentiâ clarissimum. Inter hos & alios multos tunc claros scientiâ viros sanctus Bernardus Abbas Claræuallensis, vir opinatissimæ religionis, eminentissimè clarebat: Florebat & Magister Richardus de sancto Victore, Parisiensis Canonicus Regularis. & multi alij viri insignes. Porrò illis temporibus erat pulchra & decora facies Ecclesiæ diuersorum ordinum ac professionum circundata varietate, dum hinc Præmonstratenses, hinc Cistercienses, hinc & Cluniacenses Monachi; tum etiam diuersi habitus & professionis Sanctimoniales & mulieres Deo deuotæ in continentia atque paupertate, sub obedientiæ iugo regulariter viuentes, feruore religionis inuicem prouocarent, & noua certatim diuersis in locis Monasteria fundarent. Cum his etiam Monachi Cartusienses & ipsi paulatim pullulabant. Sed & Præsules Ecclesiarum ac Principes sæculi promptissimè annuebant, vel etiam sponte offerebant priuilegia, donationes, terras, prata, nemora, & cætera quæ Monasteriis ædificandis necessaria forent. Cæterùm quum ex antiqua consuetudine Abbas & Conuentus S. Satyri tenerentur singulis annis processionaliter venire ad primas Vesperas festi Inuentionis sancti Protomartyris Stephani apud Cathedralem Ecclesiam dicendas, idem Dominus Albericus eos ab hac Processione absoluit, hoc modo inquiens: *In Christi nomine, ego Albericus Dei dispositione Bituricensis Archiepiscopus, commendare volo memoriæ fidelium tam præsentium quàm futurorum, quòd postulante venerabili fratre Radulpho Abbate, aliisque Canonicis sancti Satyri, quorum tempore erat in eodem loco religio augmentata, Canonici B. Stephani religionis augmento congaudentes, & fatigationi eorum compatientes, dimiserunt Processionem quam solebant reddere annuatim Ecclesiæ B. Stephani in festiuitate Inuentionis. Et constitutũ est vtriusq; partis assensu, vt pro dimissione illius Processionis, Canonici S. Satyri Canonicis B. Stephani in eadem festiuitate reddant annuatim censum viginti solidorum Bituricensis monetæ, & duas libras incensi super Altare sancti Stephani, sicut antea reddebantur. Hoc ab vtraque parte in nostra præsentia collaudatum atque concessum est, saluo omni alio iure, & societate, & subiectione quam in Ecclesia sancti Satyri habuerat Ecclesia sancti Stephani, nostrà quoque authoritate confirmatum est. Et vt in perpetuum ratum & inuiolabile permaneat, sigilli nostri & sigilli Capituli impressione munitum est anno Dominicæ Incarnationis 1139.* Sedit autem idem almus Præsul Albericus tribus annis & nouem mensibus: qui postquam rebus excesserat humanis, sepulturæ locum habuit ante maius Altare insignis Basilicæ Monasterij

Loci-Regij, super cuius tumularem lapidem istud scribitur distichon:

Hic Albericus requiescit Bituricorum
Primas magnificus, modò maior in arce polorum.

Claruit verò ab anno 1136. ad an. 1139. sub Innocentio Pontifice maximo huius nominis secundo, imperantibus Lothario II. & Conrado III. atque regnantibus Ludouico VI. & Ludouico VII. cognomento Iuniore.

Vacat tum sedes per annum & menses tres.

CAPVT LXIV.

De Petro de Castra sexagesimo quarto Biturigum Archiepiscopo.

SExagesimus quartus præfuit Dominus PETRVS DE CASTRA, vir omni scientiâ insigniter instructus, ac multis virtutum floribus nobiliter ornatus. Guillermus de Nangis in Francorum historiis refert de illo ea quæ sequuntur. Ortâ dissensione inter Papam Innocentium & Regem Franciæ Ludouicum, Ecclesia Gallicana valdè turbabatur. Nam defuncto Bituricensi Archiepiscopo Alberico, missus est Petrus de Castra, castello Biturix oriundus, à Papa eiusdem Ecclesiæ Pastor consecratus: sed à Rege Ludouico repudiatus est, nec in vrbe recipitur, eò quòd sine eius assensu fuerat ordinatus. Ipse verò Rex concesserat Ecclesiæ Bituricensi libertatem eligendi Episcopum quem vellent, excepto dicto Petro, publicéq; iurauerat, quòd se viuente, non erat futurus Archiepiscopus. Qui tamen electus, Romam profectus, consecrari meruit per manum summi Pontificis Innocentij II. dicentis Regem puerum instruendum, & cohibendum ne talibus assueseeret. Et adjecit, veram non esse libertatem, vbi aliquis excipitur à Principe, nisi fortè docuerit coram Ecclesiastico Iudice illum non esse eligendum. Tunc enim auditur vt alius. Rex verò (sicut superiùs dictum est) Archiepiscopum excluſit redeuntem. Sed eum Comes Campaniæ Theobaldus recepit in terra sua, & ei omnes Ecclesiæ obediebant. Indignatus ob hoc Rex, concitauit omnes ferè Proceres suos, vt vnà cum eo bellum inferrent Comiti Theobaldo, cepitque Rex Vitriacum oppidum Comitis Theobaldi, vbi admoto igne incensa est Ecclesia, & in ea 1300. homines diuersi sexus & ætatis periêre. Verumtamen circa annum Dominicæ Incarnationis 1144. B. Bernardo Clareuallensi Abbate mediante, simultas quæ inter Regem Ludouicum Iuniorem & Comitem Theobalum incanduerat, sopita est. Hactenus verba Guillelmi de Nangis recensuimus. Cæterùm venerabilis Petrus Abbas Cluniacensis eundem Regem reconciliauit sanctissimo Papæ Innocentio, his ita verbis ad eum scribens: Pro Domino Rege Franciæ nobili & speciali filio vestro benignitatem vestram deprecor, vt quia non solùm Rex est, non solùm magnificus Rector populi Christiani est, sed etiam quia opus est manuum vestrarum, quem ad regnum prouexistis, quem sacris manibus vestris inunxistis, quem Gallis nostris potentiorem patribus Regem designastis, si quid fortè adhuc vt ætate iuuenis inconsultè egit, ei condescendatis, & eius errorem sapientiæ vestræ velamine contegatis. Est enim patris, vt filij, & maximè tanti, & errorem emendet, & honorem conseruet. Hoc pro dissidio quod inter ipsum & Dominum Bituricensem Archiepiscopum est, dico: Est enim, sicut sensi, res non leuis, & ne de graui incepto grauiorem vergat in exitum, multùm cauenda. Spiritus autem consilij, qui spirat vbi vult, qui per vos Ecclesiæ suæ per totum orbem diffusus assiduè consulit, etiam nunc per vos regno Franciæ non vili portioni Ecclesiæ suæ consulat, & tam de his quàm omnibus vnctio eius cor vestrum edoceat, &c. Præterea, vt puto, non inconuenienter addiderim, quòd ad hæc vsque tempora solemnis sit retenta consuetudo, vt Reges Aquitaniæ regiâ vnctione atque coronâ per Archiepiscopum Bituricensem Bituris insignirentur; quia peruulgati moris est Reges ante Christi Incarnationem iure constitui à Biturigibus secundùm illud Titi Liuij in libro quinto primæ Decadis: *Ij*, inquit (videlicet Biturigis) *Regem Celtico dabant.* Quemadmodum igitur Remensi Archiepiscopo iure competit Regem Francorum sacro chrismate è cælo quidem demisso inungere, sic ad Bituricensem Patriarcham antiquâ consuetudine pertinere dignoscitur Reges Aquitaniæ regio diademate coronare. Quod dum aliquando Romæ existente prædicto Domino Petro Archiepiscopo, Sanson Remensis Antistes temerè vsurpasset,

Digitized by Google

ſanctiſſimus Papa Eugenius vſum pallij ob hanc cauſam eidem Remenſi Archiepiſcopo interdixit. Quæ non fuiſſe mendacia ſequenti monſtrabimus inſtrumento fideliter ex ſuo originali, quod Bituris aſſeruatur, deprompto.

Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Sanſoni Remenſi Archiepiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Quantam ſancta Romana Eccleſia, noſtrique prædeceſſores felicis recordationis, videlicet Innocentius, Cæleſtinus, & Lucius pro pace Bituricenſis Eccleſiæ, & venerabilis fratris noſtri Petri eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopi laborauerunt, vniuerſus ferè mundus cognouit, & prudentiam tuam latere non debuit. Nunc autem quum per Dei gratiam, & eorumdem prædeceſſorum noſtrorum ſtudium ad portum quietis veniſſet, tu qui eidem fratri tuo congratulari debueras, verſa vice in ipſius iniuriam & perturbationem auſu temerario prorupiſti, & chariſſimum filium noſtrum Ludouicum illuſtrem Francorum Regem coronare in Bituricenſi ciuitate contra appellationem ad ſedem Apoſtolicam præſumpſiſti. Quod nec tu, nec aliquis prædeceſſorum tuorum feciſſe dignoſcitur. Sed Bituricenſes Archiepiſcopi, Leodegarius videlicet, Virgilius, & Albericus bonæ memoriæ, vſque ad hæc tempora quietè & pacificè obtinuiſſe noſcuntur. Nec profuit eidem Archiepiſcopo illud vltimum miſerorum refugium, Sedis Apoſtolicæ videlicet appellatio, nec hoc etiam quod ſanctam Romanam Eccleſiam matrem ſuam & noſtram præſentiam deuotione debita viſitauerit, & eadem die noſtro conſpectui aſſiſtebat, immò ad maiorem beati Petri & noſtrum contemptum, Bituricenſem Eccleſiam à diuinis officiis interdictam cum Goſſeno Sueſſionenſi Epiſcopo, & aliis Eccleſiæ tuæ Suffraganeis, Abbatibus quoque, & multis aliis tuæ Prouinciæ auſu ſacrilego inuaſiſti, & diuina ibidem officia celebrare, & oblationes aſportare temerè præſumpſiſti. Statuto etiam appellationis termino, nec ipſe veniſti, nec ſufficientes reſponſales, qui pro te reſponderent, ad noſtram præſentiam deſtinaſti: In quo quantum offenderis, quantumque matris tuæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dignitati derogaueris, ſi ſollicitâ conſideratione penſaſſes, nequaquam in tantam audaciam prorupiſſes. Quantò enim à matre tuâ ſancta Romana Eccleſia ampliorem conſecutus eſt dignitatem, tantò maiorem ei honorem & reuerentiam te decuit exhibere. Nec hoc etiam reticendum duximus, quòd idem frater noſter Petrus Archiepiſcopus à prædeceſſore noſtro fœlicis memoriæ Papa Innocentio ad ſacros Ordines in Romana Eccleſia promotus eſt, & ab ipſo ad Bituricenſis Eccleſiæ regimen deſtinatus. Vnde ſcire te volumus, quia ipſius & commiſſæ ſibi à Domino Eccleſiæ iniurias non alienas, ſed proprias, & tanquam nobis ipſis illatas deputamus. Quamuis itaque pro tanto exceſſu, & tam manifeſto contemptu grauiorem inte & complices tuos ex rigore iuſtitiæ poſſemus protuliſſe ſententiam, ex manſuetudine tamen ſedis Apoſtolicæ debitam ſententiam duximus differendam. Verumtamen ne tantum exceſſum diſſimulare licet, quaſi ſilentio præterire videamur, communicato fratrum noſtrorum conſilio vſum Pallij tibi interdicimus, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes atque præcipientes, quatenus infra xl. dies poſtquam præſentia ſcripta ſuſceperis, eaſdem oblationes, & præcipuè eoſdem cereos quos in eadem Eccleſia recepiſti, per idoneas & honeſtas perſonas ad Eccleſiam Bituricenſem cum integritate remittas, & ſuper ipſum Altare manifeſtè, ſicut manifeſta fuit iniuria, reſtitui facias. De tanto verò B. Petri & noſtro contemptu cum complicibus tuis, videlicet G. Sueſſionenſi, A. Atrebatenſi, O. Beluacenſi, T. Ambianenſi, S. Siluanectenſi, S. Nouiomenſi, & G. Catalaunenſi Epiſcopis: Bartholomeo Laudunenſi Theſaurario, & Boſone Remenſi, qui tibi in tanta præſumptione aſtiterunt proximus B. Martini obtatus reſponſurus & ſatisfacturus Apoſtolico te conſpectui repræſentes. Datum Sutrij vij. Kal. April. At idem Eugenius Pont. Max. ſuper hac re fuſiùs ſcripſit prædicto venerabili Petro Archiepiſcopo. Sed vt immenſo rerũ agmini cedam, his obiter omiſſis, aliud Apoſtolicum indultum magis cognitione neceſſarium referre præſtat. *Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri Petro Bituricenſi Archiepiſcopo, eiuſq; ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuam memoriam. Officij noſtri nos hortatur authoritas pro Eccleſiarum ſtatu paternam ſollicitudinem gerere, & earum quietiac paci, auxiliante Domino, ſalubriter prouidere. Iuſtum namq; eſt vt dignitatem Eccleſiæ vel perſonis Apoſtolicæ ſedis liberalitate conceſſam, nos quoq; authore Deo firmã & inuiolabilem conſeruemus. Tuam ergo, frater in Chriſto chariſſime Petre Archiep. deuotionẽ circa nos, & circa ſanctam Rom. Eccleſiam, cuius filius ſpecialis es, & in quæ ſacros Ordines ſuſcepiſſe dignoſceris, attendentes, nobilem Bituricenſem Eccleſiam, cui, Deo authore, præſides, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus. Præſentis itaque priuilegij pagina confirmamus, vt ſuper duas prouincias videlicet ſuper ipſam Bituric. & ſuper Burdegalenſem primatum obtineas, ſicut hactenus obtinuiſſe dignoſceris. Diœceſes verò illas quæ intra eandem prouinciam Bituricenſem ſitæ ſunt, in tua tuorumque*

ſucceſſorum

Digitized by Goog

successorum potestate ac subiectione persistere constituimus, videlicet Claromontensem, Lemouicensem, Rutenensem, Albigensem, Cadurcensem & Mimatensem. Et ipsarum ciuitatum Episcopi ipsam Bituricensem Ecclesiam matrem & magistram recognoscant, atq; tibi tuisque successoribus tanquam proprio Metropolitano obedientiam ac reuerentiam humiliter exhibeant. Porrò tibi tuisque successoribus vsum Pallij confirmamus. Atque ad maiorem reuerentiam per supradictas prouincias vexillum Dominicæ Crucis ante vos deferri concedimus, sicut etiam antiqua prædecessorum vestrorum consuetudo obtinuit. Præterea quascumque possessiones, quæcunque bona impræsentiarum iustè & canonicè possides aut in futurum liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poteris adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exponenda vocabulis. Infra ipsam ciuitatem Ecclesiam S. Vrsini, Ecclesiam S. Austregisilli, Ecclesiam S. Ambrosij, Ecclesiam S. Mariæ de Sala, Eccles. Medij Monasterij, Eccles. S. Petri Puellaris, Abbatiam S. Sulpicij, Abbatiam Monialium S. Laurentij, & S. Hippolyti. Extra ciuitatem Ecclesiam de Sancirgio, Ecclesiam S. Satyri, Eccles. de Firmitate Humbaudi, Eccles. de Magduno, Ecclesiam de Cella, Ecclesiam S. Aniani, Ecclesiam Plenipedensem, Ecclesiam S. Cirici Exoldunen. Abbatiam de Casalibenedicto, Abbatiam S. Gildasij de Castro-radulphi, Abbatiam Millebecensem, Abbatiam de Loco regio, Abbatiam de Chalaueio, Abbatiam de Fonte Morimaci, Abbatiam de Domo Dei, Abbatiam de Pratea, aliàs de Pratis, Abbatiam de Landeiso, Abbatiam de Bardelis, Abbatiam de Petris, Abbatiam de Bosco Dagberti, Abbatiam de Albiniaco, Abbatiam S. Dionysij Exoldani, Abbatiam de Vrsione, Abbatiam Maciacensem, Ecclesiam de Vastimo, Ecclesiam de Craciaco, Ecclesiam de Leproso, Ecclesiam de Castellione, Ecclesiam de Palluello, Eccles. de Noxonico, Eccles. Germani de Castra, Ecclesiam de Podio Ferrandi, Ecclesiam de Miseraico, Eccles de Verrucia, Eccles. de Chalmont, Abbatias sanctimonialium de Carentonio & S. Menulphi, ad hæc Ecclesiam de Charobrijs cum ipsa villa & omnibus pertinentijs suis, Ecclesiam de Stagegia, Eccles. de Borneio, Ecclesiam de Monte Meraldi cum decimis, Eccles. de Germiniaco cum decimis cæteris que pertinentijs suis, Eccles. de Vvroto cum decimis ceteris que pertinen. suis, medietatem castri S. Palladij & Turrim totam & alteram medietatem in casamento, castrum Magduni cum tota castellania in casamento, & oleum quod ex ipso in Cœna Domini annualiter vobis persoluitur, ligium hominium de Domino ipsius castri, & fidelitatem. Iurat etiam idem dominus singulis Archiepiscopus, quod quandocumque cum multis siue cum paucis ipsum castrum cum sua munitione petierint, eis tradet liberè. Terram de Borno cum pertmencijs suis, viginti solidos in furno S. Carterij, & alios viginti censuales quos Alardus Guilebaudi pro salute animæ suæ vobis concessit de castro quod Firmitas Humbaudi dicitur. Cereum vnum censualem sexdecim grossarum librarum in festiuitate Pentecostes, de singulis domibus quæ sunt in Bituricensi Parochia denarium vnum ad altare B. Stephani, iuxta antiquam consuetudinem. Obeunte vero te nunc eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopo vel tuorum quolibet successorum, nullius tibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem præfatæ Eccles. Canonici secundum Deum & statuta sedis Apostolicæ canonicè prouiderint eligendum. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam vel personam tuam temere perturbare, aut possessiones seu bona vestra auferre, vel ablata retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integra conseruentur vestris ac pauperum Christi vsibus omnimodis profutura, salua sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua tibi in futurũ Ecclesiastica sæcularisve persona huius nostræ constitutionis paginam sciens, contra eã temere venire temptauerit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sanctissimo Corpore ac Sanguine Dei & D. N. I. C. aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiæ iusta seruantibus sit pax D. N. I. C. quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, amen, &c. Datum trans Tyberim per manum Roberti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Cancellarij Idibus Martij, Indict. ix. Incar. Dominicæ anno mcxlv. Pontificatus nostri Dom. Eugenij III. Papæ anno secundo. Fateor ad compendiũ libri rectius fuerat supra dictæ scripturæ sensus cõplexione dicendus, sed res vt notior fieret, totam eiusdẽ priuilegij seriem simpliciter & apertè hic ponere necessarium putaui. Cæterùm cætera venerandi huius Patriarchæ laudabilia facta veniunt fideliter indicanda. Sic enim antiqui de eo scripturam nobis probatissimam in archiuis Cathedralis Ecclesiæ reliquerunt. *Notum sit omnibus præsentibus & futuris quod recolendæ memoriæ Petrus quondam Bituricensis Archiepiscopus, castello quodam Bituriæ Castra scilicet oriundus, Archiepiscopales domos quæ ante eius tempora pusillæ & Ecclesiæ dignitati minus congruentes & minus sufficientes erant*

Digitized by Google

propris sumptu & impensis ampliauit & extulit. Et quoniam ad sua vsque tempora, hæc mala consuetudo pernetrauerat, quod in obitu Archiep. Episcop. bonis omnibus spoliabatur à ministris domini Regis, ne successores sui hac iniuria afficerentur, magnanimi pectoris vsus consilio, Archiepiscopales domos ab huiusmodi seruitute redemit non sine magnis sumptibus, & magna libertate per illustrissimum Regem Ludouicum Iuniorem munire fecit, sicut in priuilegio sequenti plenissimè continetur.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego Ludouicus, Dei præstante clementia Rex Francorum Petro Archiepiscopo Bituricensi & successoribus eius in perpetuum, Supernæ Regis cuncta moderantis non immemores, de retributione quidem bonæ voluntatis & deuotæ actionis nihil dubitantes, ipsius Ecclesiam fouere & sanctum Sacerdotium honorare studuimus. Nostro siquidem tempore apud Deum & homines acceptus homo Beatæ memoriæ Petrus in primâ sede Aquitaniæ, videlicet vrbe nostra Bituris sedit: Ante cuius tempora Archiepiscopales domus pusillæ erant & indignæ, & modicæ facultates in sede pastorem retinere diutius, neque pascere poterant. Dominus verò Petrus tamquam à Deo in id prædestinatus, & gratiæ cœlestis munere, & temporalis abundans fortunæ, inclytæ nobilitatis erexit palatium, & domos celebres ædificans constituit grangias, terras acquisiuit, & vineas, & in grangijs copiosam posuit nutrituram. Quæ omnia volens prodesse successoribus suis, domorum & grangiarum à nobis depoposcit libertatem. Nouerint itaque vniuersi præsentes atque futuri, nos amore Dei & pro reuerenda prece iamdicti amici nostri Archipræsulis Petri, Ecclesiæ Bituricensi domos Archiepiscopales quittasse & in eisdem domibus liberasse quicquid de ligno est & ferro, ære quoque & vitro, plumbo & stanno, plumâ & corio, lana, cannabe & lino, mareſmos, & omnia domorum vtensilia. Liberas eidem Ecclesiæ concessimus grangias, & in eisdem grangijs bergerias, boueriας & portarias, & quamcumque nutrituram vbicumque eam habuerit, saluam esse quantum ad regiam spectat potestatem. De fructibus verò omnium terrarum & vinearum suarum anno obitus sui Archiepiscopo concessimus plenariam potestatem faciendi testamenti sui, & legandi vinum & annonam & legumina secundum quod voluerit, &c. Actum publicè Bituris anno ab Incar. Dom. mclxx.

Præterea idem Dominus Petrus Archiepiscopatum ampliauit & ditauit multis & magnis redditibus, quos propriis laboribus & sumptibus acquisiuit. Quâ ex re multum sibi fauoris accreuit, & posteritatem perpetuò deuinxit. Siquidem adiecit ad Archiepiscopales redditus Carobryas cum Ecclesia, & ibidem celebres domos ædificauit. Item Castellum de Nauis & Ecclesiam, Villam quoque quæ dicitur Bor, Ecclesiam de Villabret & decimam, Ecclesiam de Monte Meraldi & decimam, Ecclesiam de Cerilly, Ecclesiam de Tenoilha, Ecclesiam de Buxeria, Ecclesiam de Cona & decimam, Ecclesiam de Siluiniaco Comitali, Ecclesiam de Bugennilla, Ecclesiam de Niglen, Ecclesiam de Archinac, Ecclesiam de Teneyo, Ecclesiam de Magnizay, Ecclesiam de Brianta, Feodum de Belloforti in Aluernia, & feodum de Chaumonte in Aurelianensi territorio. Ecclesiam præterea Bituricensem variis & preciosis aureis & argenteis & sericis decorauit ornamentis. Dedit etiam Capitulo Bituricensi Ecclesiam de Croptis, & Ecclesiam Sancti Martini de Las, & quadringentas libras probatæ monetæ ad comparandos redditus die anniuersarij sui distribuendos. Verùm ne prolixiori commendatione piorum eius operum plus æquo turgescat pagina, quæ supersunt celeriter absoluamus. Alexandro Papa III. concilium Turonis congregante, quum Abbas Vindocinensis Sanctæ Priscę Cardinalis præsidere ambiret ante dominum Petrum Bituricensem Archiepiscopum & Aquitaniæ Primatem, idem dominus Archiepiscopus conuocans Archiepiscopum Burdegalensem & omnes suffraganeos Aquitaniæ prouinciæ rei differentiam eis communicauit. Qui & dixerunt quod non sine eo intrarent Concilium, & quod non deberet intrare, exiitque disceptatio illa in apertam discordiam. Denique ipse visitans prouinciam Burdegalensem, faciebat crucem deferri ante se, recipiebatúrque ab omnibus multa veneratione. Sed & suis sanctissimis prædicationibus vitia tam in capite quàm in membris reprimens, & virtutes in eorum mentes inseminans, acceptis ab eisdem procurationibus insignem multorum iudicio gloriam reportauit. Vixit autem in Archiepiscopatu triginta annis, diebus viginti subductis, sicque feliciter obiit anno Domini 1171. Kalendis Maij. Iacet verò in Choro Cathedralis Ecclesiæ Bituricensis sub laminâ æneâ sibi & Simoni de Soliaco communi, in qua legitur istud epicedium.

Claditur hic Primas stans nomine meritoque Petrus
Quem laudis famâ, facta latere negant.

Digitized by Google

Maior honore fuo, fortuna fortis in omni
Pertulit intrepidus damna, pericla, minas,
Oppida, templa, domus, quorum ſtructura ſuperbit
Auctorem facient inueterata nouum.
Reddituum duplicans numerum, via iuris, aſylum
Pauperis, exemplar religionis erat.
Vltima Primati Maij lux prima, prioris
Vitæ meta fuit, principiumque nouæ.

Anno Domini 1171.

Claruit ab anno 1141. Præſidentibus Romæ Innocentio II. Anaſtaſio IV. Hadriano IV. & Alexandro III. Imperantibus Conrado III. & Frederico primo. Regnante in Francia Ludouico VII. cognomento Iuniore.

CAPVT LXV.

De Stephano ſexageſimo quinto Biturigum Archiepiſcopo.

SExageſimus quintus præfuit dominus STEPHANVS quondam Abbas Dolenſis Monaſterij, vir certè nullo non afficiendus honore, quippe qui quum & animi nobilitate, & religioſa conuerſatione incomparabiliter fulgeret, ſemper Eccleſiæ Dei (cui diuino nutu præerat) tranquillitatem & pacem ante omnia inquiſiuit & fouit. Quietiam quantum eandem Eccleſiam ſua eſſet ſollicitudine illuſtraturus (niſi ipſum fera parca hinc maturius ſubtraxiſſet) tum aliquandò conſtici potuit, quum in ipſo ſuæ ordinationis exordio immunitatem ſeu libertatem totius ambitus Clauſtri Sancti Stephani à Rege Ludouico Iuniore impetraſſe dicatur. Verùm huius conceſſionis inſtrumentum datum fuit poſt eius fœlicem obitum, vacante adhuc ſede, quantum ipſius priuilegii datur noſſe contextu, vbi poſt aliquanta, Rex ita loquitur. *Hanc iterum prædictæ Eccleſiæ conceſſimus libertatem, vt quicquid infra ambitum clauſtri continebitur, ſaluum ſit & immune ab omni laica poteſtate. Similiter quiſquis ad clauſtrum confugerit, vt ſaluetur, ſaluus erit. Præterea omnes Archiepiſcopi homines per Archiepiſcopum iuſtitiabuntur. Similiter omnes homines Capituli per Decanum & Capitulum immunes erunt ab omni laica poteſtate. Nec vnquam in communiam recipientur, niſi de voluntate & aſſenſu dominorum ſuorum. Necnon ſeruientes Archiepiſcopi per Archiepiſcopum, & ſeruientes cuiuſlibet Canonici Beati Stephani per ipſum Canonicum iuſtitiabuntur, & non per alium, niſi fortè ad præſens foreſactum multri vel raptus extra clauſtrum fuerint publicè deprehenſi. Si verò de prædictis omnibus tam hominibus Archiepiſcopi & Capituli, quàm ſeruientibus Archiepiſcopi & Canonicorum duellum aut iudicium ſine quælibet alia iuſtitia euenerint, in Curia ipſorum dominorum ſuorum deducentur, & per ipſos finietur. Nulli enim laicæ poteſtati liceat pro aliquo forisfacto manum mittere in clericum vel religioſum, nec in res eorundem. Sed ipſi iuſtitiabuntur per Capitulum ſuum, vel per Archiepiſcopum, vel per miniſteriales eius. Niſi fortè ad præſens forisfactum multri vel raptus ita publicè fuerint extra clauſtrum deprehenſi, vt eorum delictum publicum ſit & notorium. Res tamen eorum infra clauſtrum contentas ſemper ſaluas eſſe præcepimus & immunes. Præter hæc Archiepiſcopus & Capitulum habeant liberè iura & conſuetudines & iuſtitias ſuas vbicunque ſolent eas habere. Pro hac tamen libertate ſibi à nobis indulta liberaliter conceſſit Eccleſiæ dictæ Capitulum, quod poſt obitum noſtrum ſolemniter pro nobis noſtrum anniuerſarium celebrabit, & pro anima Stephani quondam Bituris Archiepiſcopi bonæ memoriæ ſimiliter annuum anniuerſarium celebrabit. Hanc itaque libertatem ſuperdictæ conceſſam Eccleſiæ perpetuo firmam & inconcuſſam manere volentes, ipſam Eccleſiam per annulum aureum ſuper altare Beati Stephani à nobis oblatum ſupradicta munſtinimus libertate. Et vt eadem libertas deinceps inuiolabiliter obſeruetur, ſigilli noſtri auctoritate ſubter inſcripto nominis noſtri charactere fecimus confirmari. Actum publicè Bituris anno ab Incarnat. Domini mclxxiij. &c.*

Quòd igitur eâ libertate gaudeat Bituricenſis Eccleſia, immo tota patria, debetur venerabili Patriarchæ Stephano, qui, vt diximus, ſuæ gentis prouectionem & pacem augere conſeruareque toto ſtudebat animo. Sed nec illud quidem prætereundum eſt quod ordinatione ipſius & conceſſione, denus octonus Canonicorum numerus fuerit in Eccleſia S. Auſtregiſilli de Caſtro conſtitutus, a Canonicis ſub iuramenti proteſta-

tione receptus, & Romanorum Pontificum priuilegiis ad eius petitionem confirmatus. Sedit autem annis duobus, & diebus tredecim, ac defiit in humanis esse Idibus Februarij, aliàs septimo Kalendas eiusdem mensis, anno Domini 1173. Claruit verò ab anno 1171. Præsidente Romæ Alexandro III. Imperante Frederico primo, & regnante supradicto Ludouico Iuniore. Vacat tum Sedes duobus annis & nouem mensibus.

CAPVT LXVI.

De Guarino de Girardo sexagesimo-sexto Biturigum Archiepiscopo.

SExagesimus sextus præfuit dominus GVARINVS DE GIRARDO Abbas Pontiniacensis ordinis Cisterciensis, vir tam sapientia quam vitę sanctimoniâ & eruditione summa præditus. Iste constituit vt in Cathedrali Ecclesiâ certus deinceps esset præbendarum numerus, quemadmodum in antiquis eiusdem Ecclesiæ Pandectis leginus huiusmodi sub tenore vetus quoddam instrumentum. *Quum sit omnibus vitæ præsentis incertus exitus, & humanæ conditionis status instabilis, solerter præcauendum est ne ea quæ ad vtilitatem & pacem Ecclesiarum solemniter statuuntur, pari velocitate cum tempore transeant, sed nobis transeuntibus ipsa permaneant. Nouerint igitur præsentes & futuri quod ego Garinus Dei gratiâ Bituricens. Ecclesiæ Archiepiscopus, & Humbaudus Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Beati Stephani considerantes tenuitatem reddituum ipsius Ecclesiæ, multiplex insuper attendentes incommodum, quod non esset in ea certus numerus præbendarum, de communi consilio & assensu, numerum Canonicorum sub certo claudere fine curauimus, statuentes pro pace & vtilitate Ecclesiæ nostræ, vt in ea sint de cætero triginta tantum præbendæ, nec plures, nec pauciores, videntes redditus Ecclesiæ ad hoc mediocriter posse sufficere. Statuto hoc itaque numero prohibemus sub anathemate, ne quis vnquam à præscripti taxatione numeri resiliret, vel moliretur aliquomodo hanc constitutionem irritare, salua in omnibus auctoritate domini Papæ. Actum Bituris anno Domini 1178.*

Eodem quoque anno vt paulò mox clariùs eluceſcet, idem Pontifex concessit & constituit vt Canonici Ecclesiæ Medij Monasterij de cætero non cogerentur vnà cibum capere. Nam ad hæc vsque tempora, Collegiatarum Ecclesiarum Biturice ciuitatis Canonici communiter viuentes instar Monachorum simul edebant. Vnde mihi probè visum est hoc loco ad memoriam posteritatis scribere, quòd (exceptâ Cathedrali Ecclesiâ) in omnibus collegiis dictæ ciuitatis antiquitus fuerint constituta virorum seu fœminarum Monasteria. Verùm vbi seneſcente mundo charitas & deuotio in eorum cordibus refriguit, reiecto Monachi indumento, vt licentius vitam ducerent, sese in ritum clerici sæcularis deformarunt, viuentes tamen communiter sub obedientia, & castitatis proposito, vt in eorum continetur regulâ, vnde hæc quæ sequuntur excerpsimus apud Diuum Dionysium Carthusianum in primo tomo minorum operum eiusdem. Actuum capite 4. refert Beatus Lucas Euangelista, quemadmodum in exordio primitiuæ Ecclesiæ, misso desuper Spiritu-Sancto vniuersi fideles in Hierusalem congregati vixerunt in communi, proprium nihil habentes, diuidebaturque singulis sicut indiguerunt. Quæ vita tandiu durauit in illis, quandiu beatissimi Apostoli aderant, & ipsos fideles rexerunt. Diuisis verò Apostolis, & sacratissimo Iacobo Minore in Hierusalem primitiuæ Ecclesiæ præsidente, adhuc per tempus aliquod durauit deuotissima ac feruentissima illa vita communionis. Sed quum cœpissent per vniuersam Iudæam & Galilæam atque Samariam multiplicari credentes, & millia multa regenerari in Christo, non bene poterat vita illa communis ab omnibus obseruari. Feruor etiam primæ deuotionis paulatim refriguit, & calor sanguinis in corde credentium pro maiori eorum parte tepuit succesſiuè, ita quòd maior pars fidelium cœpit propria possidere, & obseruantiis præceptorum esse contenta. Veruntamen multi prioris deuotionis conuersationisque memores, desuper illustrati atque succensi à Spiritu Sancto, cum ingenti perfectionis amore ac paupertatis ardore vitam illam communem denuo assumpserunt, & Apostolicam institutionem reuocauerunt. Quam vt expeditiùs ac liberiùs prosequi possent, se subtraxerunt à turba fidelium propria possidentium, in duo genera diuisi. Quidam enim vitam & professionem assumpserunt Monasticam. Alij inter

homines sæculares permanserunt & deseruierunt Ecclesiæ sub sanctorum Episcoporum viuentes regimine. Sancti namque Episcopi, qui illis fuerunt temporibus, coniunxerunt sibi fideles deuotos & litteratos, vt essent eorum domestici, aut prope domos præsulum commorantes, & inter se vitam communem ac sanctam ducentes, iuxta præinductam Apostolicam constitutionem cum additionibus, obseruantiisque deuotis, quas eis Sancti tradiderunt Episcopi, quorum Clerici erant, & cum ipsis Episcopis laudibus Dei vacantes ac media nocte surgentes aut paulò pòst ad persoluendum matutinale officium. Hij itaque videntur fuisse inceptores atque primordia vitæ & vocationis Canonicorum sæcularium. Qui quum omnes cum Episcopis sanctis commemorari non possent, dispositi sunt in locis deuotis, quæ Collegia sunt vocata sub Episcoporum regimine, mediante Decano vel Priore. Quorum etiam loca Monasteria dicebantur, habebántque refectorium vnum & dormitorium idem, diuinis obsequiis diligenter intenti, omnésque incontinentiam summè vitantes. Hinc Clemens Papa in quartâ scribit Epistolâ. *Dilectissimis Fratribus & Condiscipulis Hierosolymitanis cum charissimo Fratre Coëpiscopo Iacobo cohabitantibus Clemens Episcopus, salutem. Communis vita omnibus (vt puta Clericis) est necessaria & maximè his qui Deo irreprehensibiliter cupiunt militare, & vitam Apostolorum, eorúmque discipulorum volunt sectari. Quapropter doctrinis & exemplis Apostolorum obedire præcipimus.* Hinc demum Diuus Hieronymus ad Nepotianum. *Clericus*, inquit, *talem exhibere se debet, vt & Deus possideat eum, & ipse possideat Deum, quum scriptum sit: Pars mea Dominus. Verbi gratia. Si aurum, si argentum, si possessionem aut variam supellectilem, cum his partibus Dominus eius pars fieri non dignatur.* Hinc rursus scribit Hieronymus. *Duo sunt genera Christianorum. Vnum quod mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare conuenit, vt sunt Clerici, & Deo deuoti, qui simplici victu & vestitu contenti nullam inter se proprietatem habentes, debent omnia habere communia: Alterum Christianorum genus rei secularis curam gerit.* A quo idcirco tanta sunt temporalia bona Ecclesiæ, vt quia laicis ipsis non vacat iugiter orationibus atque diuinis obsequiis immorari ac inhærere, ministri Ecclesiæ Canonici videlicet suppleant vices & imperfectum laïcorum orando & ministrando & satisfaciendo pro ipsis, quorum eleemosynis stipendiisque fouentur. Postremò sicut iam patuit, non solum tempore primitiuæ Ecclesiæ, sed & postea plurimis annis Clerici & Canonici propria habere non potuerunt. Immo eodem refectorio ac dormitorio vtebantur, quod postea per dispensationem, vel dissuetudine, aut aliis modis mutatum est, declinante ad deplorandam ruinam Ecclesia in capitibus suis ac membris. Quem vtinam ad pristinum modum, feruorem, ac institutum reducere dignetur omnipotens. Etenim quæ, quanta, & qualia vitia orta sint, atque quotidie oriantur ex illa vitæ communis, dormitoriique eiusdem relaxatione, experientia potius docuit & ostendit, quam lingua hominis explicare possit. Cæterùm ne quis fortè ista quæ de communi vita Canonicorum diximus fabulæ ascribendum existimet, hoc veteris cuiusdam instrumenti testimonio esse comprobandum censui. Sic enim legimus apud Ecclesiam Medij Monasterij. *Ego Gavinus Dei gratia Biturigensis Ecclesiæ Archiepiscopus scripta hac carta notum fieri volo tam futuris quàm præsentibus quòd nos commonentes Canonicos Sanctæ Mariæ Medij Monasterij præcipimus, vt ad vnam expensam collectis Ecclesiæ suæ facultatibus, vnà & simul comederent, & bona Ecclesiæ suæ sicut decet pari participatione perciperent, sicus hæc eadem Ecclesia & aliæ in Bituriâ constitutæ, in quibus Clerici constituuntur Canonici fecisse retro temporibus dignoscuntur. Illi vero obiecta nobis excusatione, prætenderunt facultates Ecclesiæ ad hoc nullatenus posse sufficere, ruinámque domorum suarum in Ecclesia sua communem impedire comestionem. Dixerunt etiam se non minimum incurrisse scandalum & intolerabile sibi fieri præiudicium si lex eis indiceretur quam matrix Ecclesia Beati Stephani nequaquam admitteret, cuius ex debito tenentur vestigiis inhærere. Quam etiam eadem matrix Ecclesia ab antiquo tenere consueuit. Quoniam verò super Ecclesiâ Sanctæ Mariæ Medij Monasterij preces Domini Papæ suscepimus, vt eius negotia benignè foueremus cuius euacuare preces nec possumus, nec debemus, eis satisfacientes, & ad euitandum scandalum indulsimus Canonicis eiusdem Ecclesiæ, & concessimus vt in hoc matrici Ecclesiæ se conforment. Si enim Canonici matricis Ecclesiæ vna comedant, Canonici Sanctæ Mariæ Medij Monasterij vna comedent. Si verò Canonici matricis Ecclesiæ simul non comedent, Canonici Medij Monasterij simul commedere non compellantur, &c. Actum Bituris anno Incarnati Verbi 1178. Episcopatus vero*

noſtri 4. Conſtat eundem venerabilem Patrem Guarinum viſitaſſe Burdegalenſem prouinciam iure Primatiæ, & vbique ab omibus non ſolum multa exceptum fuiſſe veneratione, ſed & procurationes recepiſſe, ac omnem iuriſdictionem exercuiſſe. Huius meminit Robertus Abbas de Monte in additionibus Sigeberti, ſub anno Dominicę Incarnationis 1176. & 1181. Sedit autem ſex annis, menſibus tribus, & diebus nouem, moritúrque xvj. Kalend. Aprilis in Quadrageſima. Cui ſuffectus eſt Magiſter Humbertus Archidiaconus Bituricenſis; ſed quia priuſquam conſecrationis munus conſequeretur, rebus excedit humanis, numero Pontificum excidit. Claruit ab anno Chriſti 1175. ad annum 1181. Præſidente Romæ Alexandro III. Imperante Frederico primo, & regnante adhuc Ludouico Iunore. A qua quidem tempeſtate ad hæc vſque noſtra tempora Reges Franciæ longam nutrire barbam deſierunt. Vacat ſedes duobus fermè annis.

CAPVT LXVII.

De Henrico de Soliaco ſexageſimo-ſeptimo Biturigum Archiepiſcopo.

SExageſimus ſeptimus præfuit dominus HENRICVS DE SOLIACO vir genere, ingenio, ſcientia, & vitæ dignitate clariſſimus. Hic erat nepos Domini Oſberni Abbatis Beccenſis hominis ſane varia morum honeſtate compoſiti. Sed & fratrem habuit dominum Odonem Pariſienſem Epiſcopum, & Cantorem Bituricenſis Eccleſiæ virum etiam plurimarum virtutum amplitudine inſignem. Antequàm verò ipſe dominus Henricus eligeretur in Archiepiſcopum, Venerabilis pater Guillermus Templierius Monachus Ordinis S. Benedicti, claudus quidem naturæ vitio, ſed vitæ merito & literarum opinione magna Burdegalenſis Archiepiſcopus, ſede Bituricenſi vacante vocatus à capitulo Bituricenſi, venit Bituricas vt ſubiectus Eccleſiæ Bituricenſis, & celebrauit ordines, benedixit Chriſma, atque omnia quæ pertinent ad officium Archiepiſcopi fecit. Denique per Bituriam capiebat procurationes ſicut Archiepiſcopus, de mandato Capituli Eccleſiæ Bituricenſis; necnon in ſolemni die Paſchæ idem Guillermus Burdegalenſis Archiepiſcopus diuinis celebratis, factóque ſermone populo conuerſus, ad eum dixit. Sciatis quod ego Archiepiſcopus Burdegalenſis, ſubiectus & obediens ſum Eccleſiæ Bituricenſi, & eidem debeo omnimodam ſubiectionem & obedientiam. Et ſuper hoc temporibus futuris (ſi opus fuerit) perhibete teſtimonium veritati. Præterea facta electione idem Burdegalenſis Archiepiſcopus iterum vocatus à Capitulo Bituricenſi, venit ad conſecrandum dominum Henricum electum menſe Septembri. Et primo ordinauit eum die Sabbati in Sacerdotem, deinde craſtinâ die Dominicâ exorta eſt altercatio non minima inter ipſum Burdegalenſem, & Claromontenſem, atque Lemouicenſem Epiſcopos ſuper conſecratione eiuſdem domini Henrici. Sed quum Burdegalenſis Archiepiſcopus obtinuiſſet, factâ conſecratione, conuerſus ad populum dixit. *Audiatis vos qui veniſtis ad conſecrationem iſtam: Ego Archiepiſcopus Burdegalenſis ſubiectus Eccleſiæ Bituricensi conſecraui Dominum & Primatem meum. Ius meum quippe eſt conſecrare eum, quia in omni Aquitania poſt eundem ego ſum perſona dignior, & altior omnibus alijs ad Ecclesiam Bituricenſem pertinentibus.* Hæc omnia inueniuntur ſcripta in quodam veteri inſtrumento Bituricenſis Eccleſiæ: ad quorum maiorem certitudinem accedit, quòd idem Burdegalenſis Archiepiſcopus moriens miſit Eccleſiæ Bituricenſi annulum ſuum in recognitionem & teſtimonium ſubiectionis. Ibidem quoque legimus ea quæ ſequuntur. *Ego Vuilermus præpoſitus, Vuiglermus Abbas, Girardus Decanus, & vniuerſum Claromontensis Eccleſiæ Capitulum notum fieri volumus tam præſentibus quàm futuris quòd nos quotienſcumque Epiſcopus noſtræ Eccleſiæ ceſſerit vel deceſſerit, ſecundùm antiquam & approbatam conſuetudinem tenemur domino & Patri noſtro Bituricensi Archiepiſcopo, vel Decano & Capitulo (ſi fortè ſedes vacauerit) ceſsionem vel obitum paſtoris noſtri priuſquam ſuffituendum eligere præſumamus denunciare, ita vt poſt denunciationem ſalua ſit in omnibus & per omnia Capitulo noſtro electionis libertas. Verùm quia contra hanc conſuetudinem & dignitatem matris noſtræ Bituricensis Eccleſiæ quandam præſumpsimus electionem celebrare, facta venerabili Patri Henrico Bituricensi Archiepiſcopo digna (ſicut iuſtum fuit) ſatisfactione, ne impoſterum similis*

præsumptio à nobis vel successoribus nostris attentetur, præfatam consuetudinem & dignitatem Bituricensis Ecclesiæ volentes illæsam conseruari, eam in scriptum redegimus & sigilli nostri fecimus auctoritate communiri, &c.

Idem recognouerunt capitula Ecclesiarum Cathedralium videlicet Ruthenensis, Caturcensis & Mimatensis. Denique nobilissimus Patriarcha Henricus visitationis officium exercens in Burdegalensi prouinciâ apud Xantonensem vrbem ab Episcopo eiusdem ciuitatis tanquam Primas honorabiliter receptus est. Deinde præsente supradicto Venerabili Patre Guillermo Burdegalensi Archiepiscopo Ecclesiam Cathedralem Xantonensem solemniter dedicauit, & procurationem in Episcopio habuit. Quo quidem tempore quum Helyas Cantor Lemouicensis violenter à quibusdam captus fuisset, idem dominus Henricus iniunxit quatuor Episcopis suffraganeis Burdegalensis ; videlicet Pictauensi, Engolismensi, Xantonensi, & Pictauensi, vt sub districtâ excommunicationis sententiâ teneretur terra illorum, in quâ tyrannicè memoratus Cantor detinebatur, donec ipse cum omnibus ad eum pertinentibus illæsus & incolumis ad propria rediisset. Nec multò pòst defuncto domino Guillermo Burdegalensi Archiepiscopo, Helyas via Spiritu Sancti electus, comprouincialium Episcoporum consilio accessit ad dominum Henricum Primatem suum, ab eo humiliter petens confirmari & in Archiepiscopum Burdegalensis Ecclesiæ consecrari. Quod quidem tam facile impetrauit, quàm sedulè popòscit. Interea dominus Henricus indulto Apostolico obtinuit sibi & successoribus suis ab Lucio III. & Vrbano III. & Cœlestino III. confirmari Primatum super duas prouincias, Bituricensem videlicet & Burdegalensem, sicut hactenus ipse & prædecessores sui obtinuerant. A quibus etiam Diœceses in Bituricensi prouincia sitæ videlicet Claromontensis, Lemouicensis, Ruthenensis, Albiensis, Caturcensis & Mimatensis sub eiusdem domini Henrici & successorum *eius* tanquam Metropolitanorum potestate & subiectione prout priùs erant *constitutæ* declarantur. Et eisdem vsus pallij, & vt vexillum Dominicæ Crucis coram se deferri faciant, sicut priscis temporibus consuetum fuerat, conceditur. Sed & ab Vrbano Papa III. obtinuit approbari laudabilem consuetudinem & institutionem quæ retro temporibus in Bituricensi Ecclesia obseruabatur, quam (quum esset indigna quæ delitescerem hoc loco simpliciter, & vt ingenuè fatear) barbarè, sicut in Pandectis Archiepiscopij legitur, rescripsi. *Omnes tam Barones quàm Milites & vniuersus Bituriæ populus coram Archiepiscopo nouiter ordinato pro bono pacis & communi vtilitate iurare debent treugam & communiam (quæ instituta est) se inuiolabiliter seruaturos. Isti vero sunt qui debent portare Dominum Archiepiscopum in aduentu suo. Dominus de Magduno cui (si præsens fuerit) competit habere annulum domini Archiepiscopi. Item dominus Sancti Palladij. Dominus de Albigniaco. Dominus de Monte Falconis. Vicecomes de..... Dominus de Linieris. Dominus de Castra. Dominus de Chantella. Dominus de Fontenayo. Dominus de Boemis. Et notandum quod dominus Archiepiscopus in Vigilia sui aduentus (vt hactenus est consuetudinis) solemniter recipi, & hac vice duntaxat in vita sua gratis procurari debet apud sanctum Sulpicium cum omnibus familiis & portitoribus suis. Ipse verò Dominus Archiepiscopus tenetur eisdem portitoribus expensas ministrare die sui ingressus. Cui etiam Fratres Sulpiciani probatæ consuetudinis iure debent Cathedram ligneam quâ ad Sancti Protomartyris Stephani Ecclesiam est inde magna populi exultatione mediam per vrbem deportandus.*

Quum ad hæc vsque tempora disceptatio non minima perdurasset inter Cantorem Bituricensis Ecclesiæ & Cantorem Abbatiæ Sancti Sulpicij super consuetudinibus fungendi Cantoriæ officij, die consecrationis noui Antistitis, Venerabilis Pater Henricus sua industria, sagacitate, & solertia pacem inter illos non reformauit solùm, verumetiam in monimentum fœderis sempiterni vtrisque partibus concessit & donauit quicquid auri vel argenti in prima solemni missâ Pontificis eidem à fidelibus (vt adhuc erat iste mos retentus) oblatum fuisset. Quod ne cui dubium sit; mihi præclarum videtur hic de verbo ad verbum inserendum esse quoddam vetus instrumentum ex archiuis supradictæ Sancti Sulpicij Abbatiæ depromptum hunc habens modum.

Ego Henricus Dei gratia Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniæ Primas notum facio vniuersis præsentibus & futuris, litem & controuersiam, quæ inter venerabiles in Christo

filios nostros Abbatem & Fratres Sancti Sulpicij Bituricensis, & dominum Cantorem Beati Stephani super oblatione & officio Missæ, quæ in Ecclesiâ Sancti Sulpicij ab Archiepiscopo, quum de nouo instituitur, antequam in maiori Ecclesia cantet, de antiqua & hactenus obseruata consuetudine celebratur vsque ad nostra tempora, sicut plurium proborum & antiquorum virorum testimonio accepimus duranerat indecisa) in hunc modum fuisse in præsentia nostra de vtriusque partis assensu & bona voluntate sopitam.

Sane cantor Beati Stephani in choro Sancti Sulpicij officium missæ decætero primus incipiet, & psalmum & secundum officium seriatim incipiendo cantabit. Cantor autem Sancti Sulpicij, Gloria Patri & vltimum officium incipiet. Quo peracto Cantor Beati Stephani primum versum de Kyrie eleyson incipiet, & cantor S. Sulpitij secundum. Quibus cantatis, cantor B. Stephani & cantor S. Sulpitij simul: Gloria in excelsis Deo, deferent Archiepiscopo, & in reditu cantor B. Stephani incipiet. Et in terra pax. Responsum verò cantabunt duo, quorum vnus erit Canonicus B. Stephani & alter Monachus Sancti Sulpicij. Et simul à duobus Canonicis & duobus Monachis Alleluya cantabitur. Prosa siquidem à Cantore Beati Stephani incipietur. Ad hæc Monachus Subdiaconus Epistolam & Monachus Diaconus Euangelium in vestimentis solemnibus Archiepiscopo assistentes decantabunt. Et Cantor Beati Stephani incipiet, Patrem omnipotentem, & Cantor S. Sulpitij Offerendam. Oblatio quæ à fidelibus Archiepiscopo offertur inter Abbatem & Cantorem beati Stephani æqualiter diuidetur, & de parte Cantoris beati Stephani Succentor medietatem habebit, &c. Actum anno ab Incarnati Verbi 1186. Pontificatus verò nostri anno 4.

Iste etiam admirabilis antistes (quod quidem à nobis præmitti debuit) anno primo sui Pontificatus constituit & determinauit numerum Canonicorum & Præbendarum Ecclesiæ Collegiatæ Beatæ Mariæ Medij Monasterij, accedenteque consensu Barbedauri tunc Decani & Canonicorum ibidem existentium, quum esset Præbendarum numerus indeterminatus, restrinxit ad xiiij. Præbendas, quarum Decanus duas, opus Ecclesiæ vnam, cæteras singuli Canonici perciperent; collatione tamen Canonicatuum & Præbendarum Archiepiscopo, Decani verò electione ad Capitulum decætero spectante. Cæterùm huius venerandi Patriarchæ non generis solùm altitudinem, sed etiam probitatem, elegantiam, & sinceræ deuotionis constantiam attendens dominus Vrbanus Papa tertius, primum quidem eum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem instituit, deinde eidem Apostolicæ Legationis officium commisit per totam Bituricensem prouinciam, excepto Dolensi Monasterio exequendum, vt in ea vice sua, quæ corrigenda essent, corrigeret, & euelleret quæ forent euellenda, ac plantaret quæ nosceret esse plantanda. Sed & apud Karrosium idem dominus Henricus prouinciale Concilium habiturus, ibidem fuit processionaliter receptus ab Archiepiscopo Burdegalensi, & à suffraganeis eiusdem exhibentibus ipsi omnimodam reuerentiam & obedientiam sicut domino Primati suo, & habuit ibidem procurationem, ministratoréq; eius sua feoda receperunt. Inde verò reuersus ad propriam sedem, dedit Capitulo Bituricensi quendam censum de Auguranda nuncupatum, quatenus festum Assumptionis glorioßissimæ Virginis Mariæ Genitricis fieret Cantoris in eadem Ecclesiâ. Idem sanè Pontifex multa alia bona contulit tam Cathedrali quam cæteris Ecclesiis Biturigæ ciuitatis, quæ hîc seriatim ponenda non sunt, ne citra necessitatem nos longiùs euehamur, & ne tædium ac molestia ex hoc breuitatis amatoribus generetur. Moritur autem tertio Idus Septembres, anno quàm sedere cœperat decimo septimo. Sepelitúrque in Abbatiâ Loci Regij cum domino Alberico quondam Bituricensi Archiepiscopo. In cuius tumulari lapide istud legitur epicedium.

Hic bonus Henricus vir nobilis & Patriarcha
Quondam Bituricus, tumuli iacet huius in arca.

Claruit verò ab anno 1183. ad 1199. Præsidentibus Romæ Lucio III. Vrbano III. Gregorio VIII. Clemente III. Cœlestino III. & Innocentio III. Imperantibus Frederico I. & Henrico VI necnon Regni Francorum moderamina strenuè felicitérque gubernante Philippo Augusto huius nominis secundo. Qui turribus & muris fortissimis circuncingi fecit arcem Bituricensem, anno Domini 1190. & ob hoc Cœmeterium Ecclesiæ de Salis fuit destructum, vt patet in Pandectis dictæ Ecclesiæ.

CAP.

CAPVT LXVIII.

De S. Guillelmo sexagesimo octauo Biturigum Archiepiscopo.

SExagesimus octauus præfuit Sanctus GVILLERMVS conspicuum virtutis exemplar, nobilitatis decus, patriæ lux, denique Bituricensis Ecclesiæ gloria specialis. Hunc Archesiis vico Niuernensis comitatus ex illustri prosapia ortum constat. Qui quum adhuc sub ipsâ puerili teneritudine ab vtroque parente diligenti curâ educaretur, nec eidem gratia Spiritus Sancti deesset, vitam eius omni morum honestate peromans: ille veritatem intantum dilexisse fertur, vt vel à simplici mendacio abhorreret. Inde verò poscente ætate, necnon procurante nobilissima genitrice sua nomine Maencia, auunculus ipsius videlicet dominus Guillermus Suessionensis Ecclesiæ Archidiaconus eum sacris literis erudiendum suscepit. Erat autem idem patruus eius vir apprime nobilis, multæque literaturæ, sed abstinentissimæ vitæ, ac tantæ austeritatis, vt ob id ipse obtinuerit vulgò appellari Guillermus Eremita. A quo posteaquam noster Guillermus tunc egregiæ indolis adolescens fuisset multâ ingenuarum disciplinarum scientiâ imbutus, in Parisiensi & Suessionensi Ecclesiis Canonicus effectus est. Cæterum ipse vt robur virile attigit, molestias sæculi ferre non valens, religionem ingredi deliberauit, quo incontaminatam vitæ integritatem ab ineuntibus annis susceptam tutus conseruare, & solam rerum cælestium meditationem commodius animo gerere posset. Non igitur generis illustris splendor, non diuitiarum affluentia, non florens ætas, non denique Ecclesiasticorum Beneficiorum ambitio valuit strenuissimum Christi athletam à sancto religionis ingrediendæ proposito dimouere. Sed vir pius statim mundo & omnibus concupiscentiis eius renuncians, ad Grandimontensem Eremum conuolauit. Vbi nimirum in tanta puritate conscientiæ vixit, vt cunctis simul conuersantibus magnæ foret admirationi. Interea verò in eadem Congregatione Grandimontensi, quadam turbatione suborta, Guillermus mente tranquillus ad Cistercienſium ordinem se vocante Spiritu S. transferens, in Monasterio Pontiniaco cum nouiciis deputari, & inter eos Christi infantiam iterum induere non recusauit, ab eodē Christo (quem non erubuit super terram) postea in cœlo & in terra magnificè glorificandus. Nouerat enim esse scriptū. *Nisi quis efficiatur vt parvulus iste* (Christus loquitur) *non intrabit in regnum cælorum.* Et iterum; *discite à me* (inquit) *quia mitis sum & humilis corde.* Ibi ergo Guillermus castissimos mores & disciplinam ab optimis parentibus (vt superiùs dictum est) acceptam in melius rediigens, non desinebat velut generosa & fertilis arbor in dies augeri, multiplicarique, ac nouos pietatis edere fructus. Ideo siquidē vniuersæ honestatis ac modestiæ elucebat species. Nulla penitus illi nisi sacrarum literarum lectio erat. Mens illius tota in cœlestium contemplationum campum diffundebatur, vitamque suam adeò continenter agebat, vt ex quo sæculum dereliquit quacumque infirmitate detentus carnes alicuius persuasione nunquam comedisse legatur. Denique præter orationum multiplicationem, vigiliarum assiduitatem, ieiuniorum frequentiam, solitudinis cæterarumque Monasticarum obseruationum arctitudinem, etiam virginitatis munus Deo studuit offerre. Nam (quemadmodum inquit vetus scriptor vitæ illius) carnem suam nullo tempore maculauit, sed tam sancta tamque syncera erat eius conuersatio, vt videretur in corpore mortali immortalium vitam ducere. O gregem felicem qui hunc sibi pastorem esset habiturus. Ideo voluit qui omnia sapienter gubernat Deus, vt magnum hoc lumen, quod accenderat, super erectum candelabrum, suis radiis vniuersam illustraret Galliam. Ac primum superna prouidente clementia Dei seruus apud Pontiniacum fit Prior Claustralis, deinde Abbas Monasterii Fontisioannis, postea itidem Abbas Caroliloci, demum Aquitaniæ primas. Ad cuius dignitatis apicem quonam modo meruerit conscendere, videtur in primis dicendum. Dormiente igitur cum patribus suis felicis recordationis Henrico Bituricensi Patriarchâ, qui dum in humanis ageret, laudabiliter conuersatus, erga vniuersum clerum & populum se semper mitissimum pastorem exhibuit, paucis postmodum transactis diebus Canonici matricis Ecclesiæ Bituricensis adhuc mœrore & luctu pro pii patris excessu confecti, ad eligendum futurum Pontificem die constituta conuenerunt.

Cúmque varia eligentium (vt in talibus fit negociis) studia essent, diuersæque

Digitized by Google

ſententiæ, tandem diuino nutu omnes vnanimiter ſtatuerunt, vt quem ex tribus Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis nominatim deſignatis Archiepiſcopum fieri debere adiudicaret venerabilis Odo Pariſienſis Epiſcopus & Cantor eiuſdem Bituricenſis Eccleſiæ in illum, nemine contradicente, omnium ſuffragia conſentirent. Tunc idem Epiſcopus, qui vt genere, ita & ſanctitatis præeminentia ſpectabilis habebatur, declinante iam die & profundiùs adueſperaſcente, noluit ſuper hac re quicquam præcipitanter agere, ſed in craſtinum totius negocij proceſſum diſtulit. Mane autẽ facto quum ad Eccleſiã S. Mariæ de Salis, humiliter ac deuotè Miſſam celebraturus acceſſiſſet, nomina trium Abbatum (quorum vnus erat religioſiſſimus vir Guillermus Caroliloci) ſeparatim ſcripta poſuit ſub palla altaris eiuſdem ſanctę Dei Genitricis, propónenſq; expletis Miſſarum ſolemnis illum ſine perſonarum acceptione declarare fore Epiſcopum, cuius nomen ab altari Deo volente extraheret. Aſſiſtebant autem venerabili huic præſuli duo viri ſcientia inſignes ac multa probitate conſpicui, quorum alter Turonenſis, alter verò Meldenſis Eccleſiæ regimen Dei prouidentia poſtmodũ ſuſcepit. Cum his ergo Deo dignus Antiſtes poſt Miſſam iterum proſtratus ad orationem fuſis lachrymis Domini noſtri I.C. ac piiſſimam eius Genitricem ſedulo precatu exorabat, vt qui B. Mathiam in Apoſtolatus officio, de quo præuaricatus eſt Iudas, ſorte eligi voluit miſericorditer oſtendere dignaretur quem vellet aſſumi ad tanti præſulatus faſtigium. Probatiſſimum ſiquidem tenetur, nec vlli dubium eſt ſedem Bituricenſem, ſedem Sanctorum eſſe, ſanctumque recipere, aut indignum citius abiicere. Denique oratione completa memoratus Odo Pontifex non immemor illius dominici promiſſi, *quodcunque petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis*, de Dei miſericordia confiſus ſurrexit, & ad ſchedulas (vt pręmiſſum eſt) ſuper altare poſitas manu iniecta vnam tantum accepit, cerámq; qua claudebatur inuoluta, frangens domini Guillermi Caroliloci Abbatis nomen ſcriptum inuenit, nulli hominum niſi memoratis duobus ſociis ſuis ſanctum patefaciens rei diuinitus geſtæ arcanum. Interea verò vniuerſi matricis Eccleſiæ Canonici conuenientes in vnum, miſerunt obuiam ei quoſdam de ſua congregatione, qui totius Capituli nomine Guillermum inſtantiſſimè poſtularent. Quod audiens ſanctus admodum Epiſcopus plurimum admiratus, non poterat præ immenſitate gaudij lachrymas continere; ſed conuerſus ad ſocios gratias agens & benedicens Deum, exclamauit, & dixit, *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Verè quod veritas ait (*vbicunque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*) modo oculata fide euidenter cernimus confirmatum. Eamus ergo, chariſſimi, ad confratres noſtros, eamus (inquam) manifeſtare vniuerſæ plebi voluntatem Spiritus S. quã ſuper hac electione nobis dignatus eſt reuelare. Iam enim ad tantę rei ſpectaculum innumerabilis prope confluxerat multitudo. Tum ille ingreſſus Cathedralẽ Eccleſiam, ſtánſq; ante altare S. Protomar. Stephani, inuocata Spiritus S. gratia, omnibus quemadmodum euenerant accurratè expoſitis, B. Guillermũ in Archiepiſ. Bituricenſem & totius Aquitanię Primatem in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis elegit, nominauit, declaráuitq; exultante nimirum omni populo, & magnificè Deo gratias referente, quod eum eſſet aſſequuturus Pontificem, à quo planè ſperare liceat, quicquid ab optimo paſtore expectandum ſit. At vbi S. Pater Guillermus hoc ipſum fama volante perdidicit, non in ſuperbiam eſt elatus, immò cœpit cõtriſtari & mœſtus eſſe, quod animum in cęleſtium contemplatione iugiter ſuſpenſum, circa curam temporalium & ſęcularia negocia gerenda oporteret eſſe ſollicitum, ſi ad Epiſcopalis apicẽ dignitatis ipſum aſcendere contigiſſet. Vnde quum ſolẽnes nuncij Eccleſiæ, cui erat præficiendus, eum inſtantiſſimè hortarentur quatenus electioni de ipſo factę iucundũ dignaretur præbere aſſenſum, humiliter reſpõdit, ſe ſui iuris non eſſe, ſed alterius imperio ſubditum, & idcirco non debere nec velle quicquã contra ſui ordinis ſtatuta præſumere. Adeo quidem vir ſanctus humilitate & obedientia profecerat. Verum hæc illo adhuc dicente mandatum Abbatis (cuius iuſſionibus iuxta ordinationes Ciſtercienſium patrum morem gerere tenebatur) præter ſpem accepit, ne diuinæ voluntati reſiſtens, vocationem Spiritus Sancti contemneret. Denique ad hæc acceſſit Legati Apoſtolicæ ſedis authoritas & imperium, quo in virtute ſanctæ obedientiæ velle cogitur quod humilitatis gratia & paupertatis amore nolebat.

Interea verò ad inungendum eum dominus Helyas Burdegalenſis Archiepiſcopus à Capitulo Bituricenſis Eccleſiæ vocatus incunctanter paruit, venitque Bituricas. Affuit etiam inter cæteros ſuffraganeos antiſtites dominus Epiſcopus Cla-

Digitized by Google

rõmontensis dicens sibi iure competere suum Metropolitanum sanctificationis oleo inungere, ac Pontificalibus infulis solemniter insignire. Sed (quemadmodum in quodam veteri instrumento memoriæ proditum legimus) Burdegalensis Archipræsul tanquam nobilior persona Aquitaniæ post Primatem, vnanimi cæterorum præsulum iudicio & assensu, ius consecrandi ipsum Primatem obtinuit. Qui consecrato Beatissimo Patre Guillermo, conuersus ad populum publicè tunc contestatus est se subditum esse Bituricensi Ecclesiæ ratione Primatus, & quod ad se pertinebat inungere seu consecrare Archiepiscopum Bituricensem dominum & Primatem suum. Cæterum Pontificali decoratus infulâ Guillermus, oblatæ sibi dignitatis oneri succubuit, non honori; atque ita plenus auctoritatis & gratiæ implebat Episcopi dignitatem, vt non tamen propositum Monachi, virtutemque desereret. Carnem consueto studio domans, spiritum roborans, qui cunctis carnis passionibus teneris ab annis bellum indixerat, nunc acrius certamen indicit cum Apostolo dicens. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar.* Sanè inter diuitias affluentes, inter rerum amplissimas facultates, inter honorum ac dignitatum præeminentiam (quæ sensum hominis sæpius euertunt) pauper esse spiritu semper studebat. Sed & inter mundanos strepitus, variósque (quibus iugiter perstrepit Episcopalis aula) tumultus, inter causarum litigia, & certaminum rixas pacem interius seruans, modestè loquebatur, & cum his qui oderant pacem, esse pacificus toto satagebat anniſu. Denique misericordiæ viscceribus affluens, pauperum manus eleemosynarum largitione præueniebat. Debiles & claudos (maximè illos à quibus iuxta Saluatoris vocem remunerari non posset) benignè excipiens, eisdem suæ opem sedulitatis affatim largiebatur. Infirmos & in carcere vinctos frequenter visitans, consolationis præstabat salubre remedium. Nam multi infirmi à tertianis & quartanis febribus correpti expectata cum gaudio eius præsentia humiliter rogabant eum, vt super illos manum suam sanctam in modum benedictionis extenderet, habentes fiduciam in Domino, quòd per eius virtutem & merita perfectè curari possent à langoribus suis. Verùm ille nolens, immo valdè erubescens appellari vel existimari sanctum, increpabat eos vt tacerent, & ne humanum (quod nullum est) sed diuinum tantùm in suis afflictionibus implorarent auxilium. Quùm tamen perseuerarent clamantes ac dicentes, Pater Sancte, si quid potes apud Deum, adiuua nos, ille vt erat mitis & humilis corde cum infirmis factus infirmus, & singulorum infirmitati compatiens, de Dei misericordia & virtute confisus imponebat manus super eos, sicque plures miraculosè ab eo pristinæ restituebantur incolumitati. Quibus tamen ipse præcipiebat ne se per ipsum sanatos fuisse cæteris hominibus intimarent. Tantùm enim vir Dei ab omni humanæ laudis desiderio abhorrebat: vt quantum cæteri sua maleficia, tantum ipse benefacta sua celare studebat. Inter orationum verò secreta, aut inter sacra Missarum solemnia, mirabilem compunctionis gratiam habere consueuerat. Alioqui ferè semper iocundus & hilaris fuit, quod multum displicebat austeris. Sed enim non potuit ille non læto esse animo, cuius interiorem oculum ad speculandam Dei gloriam mundicia cordis aperuerat. Non (inquam) potuit non gaudere & exultare in Deo salutari suo, qui nequaquam accusante conscientia per ambitionem, sed per solam Christi prouidentiam munia Episcopalia obiuit, qui nihil quod à subditis notanter reprehendi posset, commisit, qui iam mundo altior factus, non solùm eius gloriam mentis despectu calcauit, verumetiam, odia, minas, iniurias, & multas id genus persecutiones fortitudine, patientia, & longanimitate propter veritatem tolerauit, superauitque. Nam circa præsulatus ipsius primordia, iram & indignationem Philippi Augusti Francorum Regis, qui quum esset Christianissimus in eo tamen facto, fallente diabolo ignoranter peccauit, ob quasdam causas in præiudicium Ecclesiastici Iuris cedentes rationi, & veritati obuias, diu patienter sustinuit. Quæ sugillantium facibus accensa & exagitata, in dies acriùs cœpit incandescere.

Hinc etiam occasione sumpta multi optimates regni qui in prosperis videbantur esse amici, facti sunt ei inimici. Insuper & Satrapæ Regis plus hominis quàm Dei gratiam affectantes, primùm blandis persuasionibus instant, vt tam ingenuum principem iustè, sicut falsò asserebant, offensum vir sanctus placare non differret. Deinde si nollet petitionibus eorum acquiescere, bona ipsius confiscare, & ip-

sum tanquam reum læsæ Majestatis, à regni limitibus expellere comminantur. Sed stat immobilis columna Ecclesiæ, sciens quod magis oportet obedire Deo quam hominibus: Quid multa? Rursum ille, qui separauit hominem à Deo, amicum à proximo, inexorabiles discordias inter glorioſum hunc Præsulem & Clericos Cathedralis Ecclesiæ seminauit, adeò quidem vt nonnulli eorum ipsum grauibus contumeliis afficerent, & probrosis insultationibus impeterent. Verùm dominus qui pacis est autor, sedatis vtrarumque persecutionum fluctibus, sopitis hinc inde quæstionum discordiis, inter Regem & Sacerdotem, inter patrem & filios pacem & veram concordiam reformauit. Audito namque sanctitatis eius præconio princeps eum toto complectitur animo, mirúmque in modum cœpit esse maior erga illum Clericorum charitas, quam fuerat aperta simultas. At piissimus pater exemplo Beati Protomartyris Stephani (cui sincero pectore seruiebat) eos qui sibi rebelles antea extiterant, amplius veneratur & diligit. Nullam deinceps in Ecclesiâ contradictionem inuenit, omnia pro voluntate sua nullo resistente statuit & disponit. Tanta siquidem virtus diuinæ gratiæ erat in eo (vt pote quem plenum Spiritu Sancto pluribus ac certis constabat indiciis) vt eidem volenti aliquid facere vel constituere, si quis eo absente resistere cogitasset, in eius præsentia positus non valeret. Immò (quod admiratione dignum est) votis omnium Canonicorum non tam mirabiliter quàm miraculosè in vnum concurrentibus, ius conferendi Præbendas (quod vsque ad hæc tempora secundùm antiquam eiusdem matricis Ecclesiæ consuetudinem inuiolabiliter obseruatam vniuersitati eorum competebat) in ipsum, & gratiâ ipsius in successores eius canonicè substituendos vnanimiter transtulissent, si vir beatus consentire voluisset. Ipse enim præuidens in spiritu non minimum ob hoc damnum posse eidem Ecclesiæ inferri, licet multotiens rogatus ab eis, vt donationem istam sponte & liberaliter sibi oblatam admittere dignaretur, assensum præstare noluit, sed libertatem eorum plurimùm commendans, quòd eos deuotos & benignos inuenerat, vberiùs exultabat. Cæterum nobilissimus Patriarcha Guillermus ad omnia quæ pia sunt, gratáque oculis Dei, diuino actus spiritu, simplicitatem columbæ in Ecclesia seruat, in foro serpentis astutiam, bonis prudens, malis cautus iudicatur. Sermonem maximo temperamento cum colloquente dispensat, in quo non patitur aut vllam verecundiam externus, aut familiaris iniuriam. Si quis verò in eius præsentia alienam famam euaginata lingua mordicùs lacessere attentet, illico verba detractoria mutando materiam scindit, aut si verba persistant detrahentis, penitus abscedit, nolens ab his pollui audiendo, quæ numquam ipsum polluerant in loquendo. Notos & familiares habet quos sanctitatis opinio commendabat. Nec illos in vlteriorem familiaritatem admittit, de quorum communi conuersatione oriri posset dignitatis contemptus. Omnes tamen in Christo diligit, omnibus prodesse desiderat, pro salute omnium, animam suam ponere (instar illius optimi pastoris qui pro grege suo mori dignatus est) paratus.

Denique, vt semel dicam, vita glorioſi huius Præsulis tam sancta támque salubris, & vsque eò integra erat, vt vel ab inimicis eidem non deferretur solùm, sed & sanctus homo, sanctus pater, sanctus Archiepiscopus appellaretur. Verum quia sanctitatem quam merita faciunt, euidentiùs miracula produnt, operæ precium est magnalia illa, dico virtutum signa, recensere, quibus dominus seruum suum fidelem adhuc in humanis agentem clarificare dignatus est. Quadam igitur die dum iste pastor eximius more solito Diœcesim suam visitaret, omnia quæ ad curam dominici gregis spectant, sedulò perficiens, essétque apud Montem Falconis circa dedicationem Ecclesiæ occupatus: ecce quidam puer continuum tremorem capitis cerebro turbato iam per tres menses passus, eidem post Missarum solemnia præsentatur benedicendus. Cuius misertus ex animo pius Præsul, statim leuatis ad cœlum luminibus, totóque pectore concepta Spiritus Sancti virtute, quum paululùm orasset (mirabile dictu) sacras manus pueri capiti imponens, eidem sanitatis subsidium impendit. Non minorem sub idem fere tempus Deo dignus Antistes edidit virtutem, quâ incredibilis quædam de eius sanctitate percrebruit opinio. Enimverò hic Presbyterum quemdam nomine Geraldum Capellanum Sancti Germani de Podio Bituricensis Diœcesis (qui ita vsum sinistræ manus amiserat, vt per medium fere annum Missam celebrare non potuerit) audita

prius eius confessione pristinæ perinde restituit sanitati ; vt post tertium diem Presbyter ille non sine multorum admiratione incolumis & rectè valens rem diuinam peregisse dicatur.

Istud quoque nobis tam singulare miraculum pro gloria collatoris ad memoriam reuocandum est. Sanè quum alio tempore Sanctus Pontifex Guillermus, peracta cuiusdam Templi dedicatione, non mediocriter fatigatus, gratissimum pratum cum clericis suis paululùm cibi sumpturus intrasset, mulier quædam Humberga nomine prægnans, & partui iam vicina egressa est de domo sua prato contigua, valde desiderans perfrui sancti patris collocutione pariter & aspectu. Quæ quum accessisset ad eum : causam sui aduentus diligenter exponens, seque miseram, immo infeliciorem omnibus creaturis vocans, non sine cordis gemitu conquerebatur eidem, quòd numquam pepererat nisi fœtum mortuum, licet iam quater aut quinquies concepisset. Illa ergo tanquam deuotissima filia benignissimi patris humiliter expectante responsum : ipse primùm blandis persuasionibus eam ad confitendum peccata sua induxit, tum demum extensa manu, vterum eius veste contectum tetigit ac benedixit, dans ei de cibo & potu suo. Mira res. Reuersa domum mulier virtute benedictionis Sanctissimi Patriarchæ puerum viuentem enixa est, nec vltra abortiuit. Cæterum callidus hostis & infatigatus humani generis persecutor considerans glorioſum præsulem multiplici gratia, variisque virtutum floribus amœnè vernantem, ad antiquas & consuetas suæ fraudis artes recurrens, per varias & occultas suggestiones aduersus strenuissimum fidei propugnatorem dimicat, vt animum eius in cœlestibus radicatum inde retrahat & euellat. Siquidem (vt scriptoris antiqui verbis vtar) tentat miser, liuore tabescens inæstimabiles auferre ab eo paradisi delicias, quas ille superbus amisit. Tentat eum à sanctitatis statu deiicere, ipse à cœli fastigio fastu proprio deiectus. Tentat in abyssum culpæ demergere iam in profundum inferni proiectus. Quid ? Nunc idem fraudulentus deceptor, generosæ propaginis (quâ nobilis Antistes secundùm sæculi gloriam potenter fulcitur) lineam & progressum prætendit. Nunc Patriarchatus culmen & dignitatis apicem (quâ cæteris prælatis in tota Aquitania constitutis præeminet) proponit. Nunc etiam admirabilem innocentis vitæ perseuerantiam (qua Dei seruus Angelorum familiaritatem conquisierat) vt inde posset inaniter gloriari sæpius commemorans. Sed (quemadmodum inquit Sapiens) *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Incassum suas diabolus tendiculas parat ad decipiendum virum iustum, qui oculis cordis iugiter intuetur gloriam conditoris, qui cum Propheta dicere potest. *Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium.*

Sanè vir iste fortis & doctus ad spiritualem pugnam fraudes & versutias Sathanæ intelligens, inexpugnabile scutum humilitatis assumens, omnia sui tentatoris argumenta refellit, atque singulas obiectiones, quas ad perdendum eum autor perditionis inuenit, in suæ salutis vsum conuertit. Fit enim in exhibitione operum misericordiæ solitò propensior, confessiones subiectorum tam patienter quam sedulè audit, errantes ad salutis viam verbo sanctæ prædicationis reducit, inimicos suos Deo precibus reconciliat, horrendos carceres ad oues suas precio redimendas intrare non dedignatur, defunctorum funera sine personarum acceptione non prosequitur solùm ; sed & necessaria sepulturæ pauperum liberaliter impendit, susceptis hospitio peregrinis pedes lauat, mensam apponit, humiliter ministrat, in necessitatibus verò orphanorum, senum & viduarum subleuandis, & in eleemosynis faciendis tam profusus existit, quam vniuersæ suæ opes sufficere possunt.

Videns itaque impurus dæmon virum sanctum tentationibus minimè superari, sed maiorem accipere occasionem merendi, cuncta suæ fraudis molimina in iniuriam pastoris conuertit ad deceptionem gregis. Sed quid posset lupus rapacissimus aduersum eos quos vigilantissimus pastor per exteriorem custodiam glorioſis meritis & orationibus assiduis die ac nocte defendendos susceperat ? Sed nihilosecius hostis infensus periculum fecit, atque hoc quod dicturus sum, vulgo memoratur tunc commisisse. Quod tametsi nullibi scriptum legerim, tamen quia id venerabilis Antiquitas circa Sancti Patriarchæ mausoleum egregia sculptura effinxit, non minimum referre puto, si hoc ipsum, vt ego iampridem relatione

BIBLIOTECA DERECHO

quorumdam agnoui, inferam. Aiebant enim, si rectè memini, fuisse quempiam Bituris eò furiæ inuectum, vt vicatim discurrens, obuium quemque ad singulare luctæ certamen procaciter inuitaret. Tum diabolus occasionem se inuenisse ratus vlciscendi se de vigilantissimo Pastore Guillermo, si vel vnam hanc errantem ouiculam illo ignorante raperet, assumpta forma humana, hominem aggressus, adeò ipsum luctando fatigauit, vt penè animam (quod maximopere expectabat rapacissimus lupus) miserè exhalaret. Tandem Guillermo nunciatur casus, quo properante ad portam Gordonicam, vbi tam funestum gerebatur spectaculum impurus dæmon virtutem sancti viri persentiscens, eum minimè expectauit, sed tanquam latro, iudicis præsentiam formidans, homine dimisso, confusus vacuúsque discessit. Re verâ quomodo posset consistere spiritus immundus ante conspectum illius, qui Spiritum Sanctum corde gestabat? Quomodo tenebrarum princeps filij lucis præsentiam sufferret? Quomodo peccati auctor, generis nostri interemptor, virum iustum, suum iudicem futurum non extimesceret? Vniuersorum siquidem benignissimi conditoris dispensante gratia semper agitur, vt hi qui toto corde quærunt illum, non solùm aduersus omne peccatum viriliter repugnando efficiantur diabolo fortiores: Verumetiam Christum totius bonitatis fontem vnicè amando fiant ipsis dæmonibus formidabiles. Hinc tibi ô Beatissime Pater Guillerme de aduersario victoria cessit! hinc prouenit triumphus: hinc te miramur, magnificamus, & imitari gestimus. Verè felices illi, quorum oculi te viderunt in terris Angelicam vitam ducentem, feliciores autem qui sanctitatis tuæ vestigia sunt sequuti, felicissimi verò qui te patrocinante gloria paradisi tecum frui merebuntur. Tantam certè gloriam hoc loci meditari ardet animus, sed gestorum ordo ad se stylum reuocat. Eo igitur tempore vnitatem Catholicæ fidei soluere, & Christianum nomen prorsus extinguere machinabatur pestifera Albigensium hæresis, quæ intantum pullulando excreuit, vt satellites Sathanæ præcursores Antichristi tanquam locustæ operirent faciem terræ. Hi cuncta sibi licere publicè protestantes, impunitatem peccandi sequacibus suis promittebant. Iamque diuinus cultus ibidem pro maximâ parte perierat. Nam sacræ ædes velut stabula iumentorum vilescebant. Porro ad conuincendam malitiam eorum, ad sanandam insaniam, ad destruendam indoctam doctrinam missi sunt à Beatissimo Papa Innocentio tertio viri religiosi Cistercienses Ordinis sacræ legis mandata non mediocriter edocti, quos quum miseri & infelices hæretici multis iniuriis affectos turpiter à se repulissent, mox Sanctæ & Apostolicæ sedis Epistola ad omnes prouincias directa est, quatenus ad eradicandam hæreticorum perfidiam populus fidelium aduersus infideles pro fide pugnaturus insurgeret. Commoti itaque sunt vniuersi, parati vlcisci contumelias creatoris. Quorum primus inter Principes Sacerdotum Beatissimus Primas Aquitaniæ Guillermus inspectis sanctissimi Papæ litteris tanto iustitiæ zelo exarsit, vt pro defensione fidei, contra inimicos Crucis, cruce signatus processisset, nisi temporalis mortis obstaculo præpeditus fuisset. Nam quum itineri necessaria iam præparasset, peractis Natalis ac Circuncisionis Saluatoris nostri mysterijs, ab ipso sancto Præsule, sequenti Dominica quæ est ante diem Festum Epiphaniæ, febrili calore correptus se dissolui sensit. Tunc Ecclesia sanctissimi Protomartyris Stephani ingressus, vt more solito gregem suum verbo vitæ æternæ pascendo, maximè circa finem suum, eos ad studia virtutis cohortaretur, solidissimum intentionis suæ iaciens fundamentum ab illa Apostolica sententia sermonem inchoauit: *Scientes quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc autem propior est nostra salus quam cum credidimus.* Ecce bonus Pastor qui supra gregem vigilat, docet similes esse hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptiis, vt cum venerit & pulsauerit, aperiant ei. Docet ne qui prope est, recedat à nobis propter delicta nostra, & vita conuertatur in mortem, resurrectio in ruinam, in perditionem salus. Docet orandum quatenus salus nostra quæ prope est, propior & propitior venire dignetur: & si forte peccatis nostris exigentibus à nobis longiùs recessit, intercedentibus vitæ meritis ad nos rursum accedat, & per orationum pia suffragia reuocetur. Postquàm ergo sermonem compleuit Pater sanctus, data populo benedictione, vi febrium acriùs vrgeri cœpit, quia locus in quo manserat dum populum instrueret, omni vento erat expositus. Nullius tamen sustentatus auxilio

Digitized by Google

domum Episcopalem ingreditur, heu! de eadem domo & de tabernaculo corporis sui, breui egressurus. Sexta itaque feria quæ tunc occurrerat quinto Idus Ianuarij, quum iam omnibus ritè peractis, disposuisset domui suæ & testamentum assistentibus multis viris religiosis condidisset: fratribus super imminente dissolutione pij patris plangentibus, Extremæ-vnctionis Sacramentum humiliter ac deuotè suscepit. Deinde cœlesti pane refici instantissimè postulauit. Vt autem Dominum & creatorem suum ad se venire cognouit, illico resumptis viribus, de stratu suo prosiliens, tanquam relictis febribus conualuisset omnino, non sine stupore & admiratione circunstantium, cum iam ferè in extremis laboraret, & vix liquidum aliquid posset deglutire, gressu tamen concito procedit obuiàm Saluatori. O Religiositatem viri vnicè Deum amantis! Ipsum Dominum in cuius nomine debere flecti docuerat omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum, totus resolutus in lachrymis flexo poplite adorat, quem vt sæpius adoret, denuo erigitur. Cui agonem suum tota deuotione commendat, humiliter exorans, quatenus quæ in ipso restant purganda purgare dignetur, ne quid funestum in eo reperiat inimicus. Iam enim neruis linguæ contractis per biduum extremitates verborum tantum proferens verba media syncopabat. Igitur prostratus coram Domino (vt dictum est) orabat dicens. *Et vnde hoc mihi vt veniat Dominus meus ad me?* Ego potius ad te venire, ego te Dominum & Deum meum seruus tuus quamuis indignus adire debui. Fecisti Domine quod facere me oportuit, si non infirmitas obstitisset. Sed tu Domine, qui omnia nosti antequam fiant, tu scis impotentiam meam, tu scis imbecillitatem corporis, tu scis etiam desiderium cordis mei. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Domine qui dixisti, ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, pane isto cœlesti esurientem me refice, vt in me maneat vita æterna, & ego in ipsa permaneam. Inuita me ad conuiuium epularum in regno tuo. Vbi non est esuries, vbi epulantur amici tui ad æternas epulas inuitati. Dominè præuenisti me in benedictionibus dulcedinis misericordiæ tuæ: ideóque tibi gratias ago: & quoniam tempus meæ resolutionis instat, me in extremis laborantem dignare misericorditer visitare. Trahe me ad portum salutis æternæ, vbi vera tranquillitas, ne in æternam prædam pirata crudelis abducat. Veni Domine & noli tardare, suscipe me famulum tuum numero electorum tuorum ascribens, & animam meam quam redemisti, in sinu Abrahæ dilecti tui collocare digneris. Et nunc tibi Domine commendo quos tradidisti mihi, quos ministro tuo licet indigno regendos commisisti, commendo (inquam) tuæ gratiæ filios quos tibi virgo vera mater Ecclesia noua semper prole fecunda, sacro fonte baptismatis generauit. Hæc & his similia verba ipsius, quæ quamuis à circunstantibus semiplenè fuerint intellecta, tamen ille verus scrutator cordium non surdis pèrcepit auribus, sed secundùm promissum suum iustas eius petitiones impleuit. Cæterùm oratione Dominica & Apostolorum Symbolo, prout potuit præhibatis, expansis in crucem manibus, oculis subleuatis in cœlum, Corpus Domini sacratissimum cum fletu largissimo & corde contrito degustauit. Quo facto, lætior effectus confortatur in Domino, quem fortissimum adiutorem habet in prælio, ducem itineris, præmij largitorem. Continuò ad stratum rediens, cùm iam fatigatus ex itinere paululùm respirasset, cœpit fratribus suis innuere corpus suum exanime apud Carolilocum, vnde assumptus fuerat, velle deferri. Quia enim illius loci regiminii diu præfuit, ipsum sepulturæ suæ prælegit, vt potè quem cæteris amplius diligebat.

Aderant verò ibidem Fratres eiusdem loci, beati præsulis exitum expectantes, ad quorum fortassis petitionem, vt eorum voluntati satisfaceret, penes ipsos postulabat se sepeliri. At Canonici Cathedralis Ecclesiæ contradicebant dicentes: Absit à nobis Sancte Pater vt corpus tuum ad loca remotiora deferri & ab Ecclesia nostra subtrahi patiamur. Corporis tui præsentia carere nolumus quæ in nobis boni pastoris memoriam iugiter renouabit. Volumus namque & obnixè petimus vt plebem tuam, quam à malis omnibus imminentibus hactenus protexisti viuus, protegas & defunctus, quosque variis ac fortuitis malorum casibus eripuisti; dum viueres, etiam sepultus apud nos, tuis precibus & meritis digneris semper custodire. Sed nec his, nec aliis verbis flecti poterant, quin persisteret pius pastor cum lachrymis innuens & petens vt ad Monasterium memoratum corpus suum deferri absque

aliqua contradictione permitterent. Illis autem inuitè promittentibus, quod post obitum ipsius, Fratribus Monasterij Caroliloci corpus eius tollere volentibus se non opponerent, sanctus vir lætior effectus osculatus est vniuersos, incipiens à maioribus & senioribus Ecclesiæ, quibus supplicando innuebat vt pro se orarent, & vt filij pacis pacem & inter sese concordiam conseruare studerent. Omnes verò se sancti Patris orationibus commendantes, data ab eo benedictione, inualescentibus iam noctis tenebris ad propria redierunt. Abeuntibus illis assistebant ei pauci familiares & domestici secretorum eius conscij expectantes vt viderent finem. Ille autem non obstante infirmitate semper orationi intentus, spiritu sursum eleuato conuersabatur cum Angelis, quorum felici consortio flagranti ardebat desiderio copulari. Denique expectato tempore, quo dissoluendus erat, tanquam pontificalibus velit indui ad sacra Missarum solemnia celebranda, scrinia sua proferri in medium iubet. Quibus reseratis, vniuersa Antistitis ornamenta in conspectu suo singillatim reuoluuntur. Ex his autem preciosiora auro gemmisque contexta ad augendum diuinum cultum, Ecclesiæ Bituricensi in suo testamento legauerat. Illa verò ornamenta in quibus munus consecrationis suscepit, seorsum inuenta, præcepit produci & sibi mox tradi. Ex eâ quippe die, quâ in Antistitem fuerat consecratus, immutabile eius propositum extitit, quatenus eisdem indutus sepeliri deberet. Ideóque vsque in diem obitus diligenter ea custodiri imperarat. At vbi fuerunt sibi tradita studiosè considerans & reuoluens vniuersa, chirothecas sacris manibus cœpit aptare, aptatas postmodum extrahens cum reliquis Episcopalibus vestimentis seruandas vni de familiaribus suis commisit. Interea quum morbo inualescente horam solitam qua surgere consueuerat ad matutinale officium peragendum volens præuenire, ne ipsè hora mortis præueniretur, dato signo his qui sibi assistebant Fratribus vt laudes Domini inchoarent: labiis & pectori suo signo Crucis impresso, solum hæc duo verba (*Dominè labia*) balbutiendo pronuncians, reliqua formare non potuit; sed quidam venerabilis ac religiosus Sacerdos ab eisdem verbis cætera quæ sequuntur ordine debito aliis coadiuuantibus ad finem vsque perduxit. Tum verò sanctissimus Patriarcha ad terram se velle deponi voce & manu insinuat. Parent deuoti filij patris imperio, sparsóque cinere & cilicio super terram, eum illuc deponunt, & ecce Angelorum innumeræ legiones adsunt eidem occurrentes. Quos quum ille sibi applaudere lætissimo vultu intueretur, manu, prout potuit, eleuata, benedictionis signaculum adstantibus conferens, spiritum benedictum cum ipsa benedictionis gratia Sanctorum Angelorum manibus tradidit. Audito autem piissimi patris recessu subitò commota est vniuersa ciuitas. Passim omnis ætas & vterque sexus currit cum cereis & luminaribus ad Ecclesiam Beati Protomartyris Stephani, vbi corpus exanime cum hymnis & canticis psallentium ferebatur. Totam illam noctem aliis in psalmis & iubilo, aliis in planctu & mœrore protrahentibus, transegerunt. Illucescente autem die Sabbati, sparso circumquaque rumore, multitudo populi de vicinis locis tamquam ad diem festum conuenit. Domus & tuguria habitatoribus vacua, & sine custodia relinquuntur. Serui & ancillæ dominos suos, omni pauore depositio, rebus eorum, & suppellectili domi relictis, & quibuslibet ingredi volentibus expositis, aut sequi, aut præcedere, non formidant. Matres ad vbera lactantes paruulos gestant, vt funus pii Præsulis cum suis paruulis prosequantur. Quarum nonnullæ propriam moram arguentes dum sancti viri exequiis se non posse interesse existimant suorum paruulorum oblitæ, ostiis domorum patentibus, ipsos sine tutela relinquunt, mansuetis bestiis feriisque siluarum expositos. O rem verè dignam miraculo! Post exequiarum funus, immo triumphum, vniuscuiusque infans meritis sancti patris incolumis & illæsus inuenitur. Ad cuius rei insigne miraculum matres stupore & extasi repletæ conditorem omnium qui in sanctis suis semper est mirabilis incredibili laude prosequuntur. Cæterum & illi qui vt sancto corpori occurrerent, apertas domos nullo adhibito custode reliquerant in regressu suo, vniuersam rerum suarum substantiam absque aliquo detrimento inuenientes, admirabundi grata oratione sancti Guillermi laudes percelebrant. Dies enim ille ab omnibus solemnis habebatur. Nemine siquidem suadente nullius monitione præmissa, vniuersi ab omni seruili opere quiescebant, piâ exultatione cum hymnis & canticis spiritalibus sacras sui pastoris exequias agentes.

Sed putas quantis interim laudibus cælum ipsum resonabat, quanta exultatione replebatur sancta eius anima, quando deducentibus Angelorum choris, Ecclesiam triumphan-

triumphantem ingressa est? quando præsentem Dei vultum cernere illi primùm collatum est? quando congratulantibus Sanctis omnibus à Christo gloriâ & honore cõronata est? Dignum itaque erat Bituriges pro gloria tanti Patroni diem festum ducere cum Angelis: terrigenas cælicolis conformari, ac Ecclesiam militantem participare exultationi triumphantis. Nimirum quia sanctus Pater voluntatem Dei non solùm tenuit in votis, verumetiam operibus impleuit: inox vt obiit, debuit anima eius cælo recipi secundùm Domini nostri Iesu Christi certissimam promissionem, quâ ait: Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam. Ne terra de hoc ambigeret, cælum magnifico signo prodidit. Sanè eadem die circa horam vespertinam, cùm vniuersitas Cleri, & deuotæ plebis ad celebrandas pij Pastoris exequias (vt suprà dictum est) conuenisset, globus igneus in aëre suspensus supra sancti Protomartyris Stephani Ecclesiam, instar stellæ coruscantis per dimidiam ferè horam multis apparuit: dedit & ipse Sanctus gloriæ suæ euidentius indicium.

Puer quidam decem fermè annos natus, dirâ paralysis ægritudine tenebatur, ità vt iam per triennium nullo ad humanos vsus manuum atque pedum officio fungeretur. Hic audito sancti Guillermi obitu, instantissimè postulabat deferri ad Ecclesiam, vt sanctum corpus osculari mereretur. Mater verò petitioni ipsius satisfactura, accepto eo in vlnas suas, & vix præ turba illato in templum, mox vt ambo multâ veneratione osculati sunt manus & pedes beati Pontificis, audiente ipsa matre, tantus fragor ossium contracti pueri factus est, vt etiam posset à multis audiri, nisi circumstantis turbæ strepitus impedimento fuisset. Cúmque oratione completâ mulier cum sarcina sibi charissima domum reuerteretur, iam longiùs ab Ecclesiæ liminibus processerat, & ecce puer receptâ illic sanitate lachrymatus, præ gaudio Deum benedicens, sanctum Guillermum insigni laude efferens ait: O mater, verè iste Pontifex Guillermus erat indubitatus Dei amicus, maioráque sunt eius munera, quàm verbis concipi queant. Et nunc quid me portando vltrà onere tanto grauaris? Quid dulcissima genitrix, cor tuum tamdiu diseruciatur super afflictione tui nati nil iam tristitiæ habentis? Dimitte me (obsecro) abire, & videbis in me Dei virtutem per merita sanctissimi Patris nostri Guillermi magnificè operatam. Ecce enim ex quo sacratissimum corpus ipsius blando oris mei osculo tangere merui, fateor, sensi in meis membris sanitatis beneficiũ diuinitùs infundi, & nunc integrè restitutus incolumitati, non debeo benefactori meo ingratus existere. His dictis, statim deponitur à matre præ stupore vix sui compote effecta; qui puer firmatis gressibus, nullo iuuamine fultus, ad Ecclesiam properat, & quanto sit laudis honore excipiendus almus Pater Guillermus publicâ voce confitetur: Monachi autem Caroli-loci (qui sanctum eius corpus ad Monasterium suum curru & omnibus iam paratis deferre volebant) obstupefacti tantæ rei miraculo, simúlque videntes deuotionem populi erga Præsulem suum gloriosum, ipsum petere, seu tollere formidarunt: sed eo coram ipsis in eadem Bituricẽsi Ecclesia cum debitæ venerationis honore sepulto, vacui ad propria redierunt. Cæterùm quoniam enumerare longum est, nec omninò tacere non possumus ea quæ non solùm ad sepulchrum beati Guillermi, verumetiam in diuersis regionibus ad inuocationem sancti nomini ipsius fiunt miracula, non singula, sed genera singulorum paucis verbis transcurrimus. Porrò hydropici curantur, obsessi à dæmonibus liberantur, aperiuntur carceres, vincula soluuntur, lethali vulnere sauciati sanantur, mente capti frequenter ad sanum sensum reducuntur, muti loquuntur, surdi audiunt, cæci illuminantur, paruuli infantes etiam à lupis rapti inueniuntur mirâ Dei virtute, & sancti Guillermi intercessione cum ipsis luporum fœtibus illæsi. Nec mirum certè, quia iste Deo amabilis Antistes vnus illorum est, de quibus in Euangelio Veritatis ore dicitur: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Et idcircò tam stupenda miracula eius meritis fiunt, operante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, &c. Sedit autem nouem annis, ab anno 1200. ad annum Christi 1209. præsidente Romæ Innocentio III. imperante Philippo II. & regnante in Francia Philippo Augusto.

* *

CAPVT LXIX.

De Geraldo Vulgrini sexagesimo nono Biturigum Archiepiscopo.

SExagesimus nonus præfuit sanctus GERALDVS WLGRINI, priùs eiusdem Bituricensis Ecclesiæ Canonicus, vir equidem peritus scientiâ, virtute præcipuus, & opinione præclarus. Iste mox inito pontificatu reduxit numerum præbendarum Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Salis ad duodenarium: cui Prior & Capitulum collationem earumdem præbendarum commiserunt, quemadmodum subjuncto apertè constat instrumento.

Prior & Capitulum Beatæ Mariæ de Salis, vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem. Attendentes qua occasione donationis præbendarum, quæ ad nos pertinebat, multotiens inter nos esset zelus & contentio; & vbi deberet esse vnitas & dilectio, sæpiùs scissuræ & scãdala nascerentur, venerabili Patri nostro Giraudo Bituricensi Archiepiscopo, Volentes à nobis omnem contentionis materiam amouere, habito super hoc diligenti tractatu, de communi & libera donauimus voluntate, quòd ipse & successores eius in perpetuum, postquam præbendæ Ecclesiæ nostræ ad numerum duodecim præbendarum venerint (qui numerus est per ipsum & per nos in eadem Ecclesia constitutus) præbendas quæ vacauerint personis, quibus voluerit secundùm Deum conferat & assignet: Ita tamen quòd instituti ab eo, obedientiam facient Priori, & per eum iusticiabuntur eo modo quo ante constitutionem hanc fuerat consuetum. In hominibus verò & terris Ecclesiæ, & omnibus aliis Prior & Capitulum debitam & consuetam iurisdictionem habebunt. Vacante autem sede Bituricensi, si aliqua præbenda vacauerit in Ecclesia nostra; illam Prior solus poterit sine alicuius contradictione donare. Præterea Canonici Ecclesiæ nostræ, qui pro tempore fuerint cedente vel decedente Priore suo, habebunt facultatem liberam eligendi; & in hoc articulo gaudebunt eâ quâ & aliæ Ecclesiæ Bituricenses libertate. Has autem constitutiones nos in perpetuum seruaturos, tactis sacrosanctis Euangeliis firmauimus iuramento, anno Dominicæ Incarnationis 1209. Denique tertio anno pontificatus eiusdem Domini Geraldi (vt habetur in Pandectis Ecclesiæ Bituricensis) Ruthenẽses se non posse sibi eligere pastorẽ absq; permissione Bituricensis Archiepiscopi recognouerũt, hoc modo scribentes ad eumdem venerabilem Primatem suum. *Reuerentissimo Patri & Domino Geraldo Dei gratia Bituricensi Archiepiscopo, Aquitaniæ Primati, Capitulum Ruthenensis Ecclesiæ, & deuoti eius Clerici salutem, & debitum subiectionis famulatum.*

Licet in eo quòd contra Bituricensis *Ecclesiæ consuetudinem non denunciatâ cessione Patris & Pastoris nostri Hu... quondam Ruthenensis Episcopi, non impetrata eligendi licentia minùs cautè ad eligendum processimus, nos scimus & confitemur plurimùm deliquisse: tamen non desperamus de venia, cùm recurramus ad illam, quæ tanquam pia mater viscera pietatis vel semper exhibuit, nec consueuit in ira suas misericordias continere. Quum igitur in hac parte nostrum non excusemus, sed potius accusemus excessum (quamuis idem excessus simplicitati potius quàm dolo seu malitiæ possit & debeat imputari) pietati vestræ, Pater charissime, flexis genibus supplicamus, quatinus Ecclesiæ nostræ (quæ, sicut scitis, in dolore sedet & tristitia) compatientes angustiis, huic errori nostro (qui, vt dictum est, ex malitia non processit) veniam dare dignemini, maximè quum parati simus satisfacere de præterito, & in firmo habeamus proposito nobis in his cauere & prouidere. Quod etiam per præsentes litteras promittimus in futuro. Nos enim à vestigiis aliarum Ecclesiarum, quæ Bituricensi Ecclesiæ subiectæ sunt, nec debemus, nec volumus deuiare. Actum anno Domini 1211. mense Iulij.*

Cæterùm beatus Geraldus videns ad sepulchrum glorioſi anteceſſoris ſui Guillermi creberrimè fieri diuina miracula, Romam petiit acturus apud ſummum Pontificem vt idem Guillermus in Sanctorum numero referretur. Adierat etiam in illis diebus ſacroſanctam Apoſtolorum Principis ſedem quidam vir venerabilis Decanus de Boëmia, miſſus à ſuo Archiepiſcopo ob quaſdam conſuetudines in Eccleſiaſticorum virorum iniuriam, in illam prouinciam à ſuo Principe introductas, per Apoſtolicam iuſſionem, ſi quomodo fieri poſſet, eliminandas. Hic autem Decanus laudabile teſtimonium habens ab his qui eum nouerant, quamuis eſſet de barbaris nationibus oriundus, erat tamen iuſtus & timoratus expectans liberationem Eccleſiæ ſuæ, quæ ab iniquo illius prouinciæ tyranno valdè affligebatur. Quum igitur quodam ſero in Eccleſia beati Petri oraſſet, cauſamque ſuam potentiſſimo regni cęleſtis clauigero non ſine lachrymarum riuulis commendaſſet, ad hoſpitium reuerſus,

Digitized by Google

intránsque cubiculum, membra diurno labore fessa dedit sopori. Tum ecce vir quidam in somnis apparuit ei, cuius facies resplendebat vt sol, vestimenta verò illius candidiora niue cernebantur: qui hominem nomine quod ei ex officio competebat, vocans, ait, Decane, quid turbaris de negotio tuo? Acquiesce consiliis meis, & breuí expedieris. Dic sæpè in memoriam & honorem beati Guillermi Bituricensis Archiepiscopi illum Psalmum: *Iudica, Domine, nocentes me; expugna impugnantes me*, & cætera quæ sequuntur vsque ad finem Psalmi; quo dicto, diligenter, & attentè adde orationem illam: *Exaudi, quæsumus Domine, preces nostras, quas in sancti Confessoris atq; Pontificis Guillermi commemoratione deferimus, & qui tibi dignè meruit famulari, eius interredentibus meritis, ab omnibus nos absolue peccatis. Amen.* Decanus autem loquenti sibi videbatur huiusmodi dare responsum: Domine, nescio quis sit ille Guillermus de quo loqueris mihi, nec quidem nomen ciuitatis eius agnoui. At ille nihilominus præmissa verba ex ordine replicans, adiecit quòd ipse erat sanctus, qui infra triduum Sanctorum catalogo per Apostolicum examen debebat ascribi. Comminabatur etiam illi quòd nisi acquiesceret eius consilio, non sine confusione, negotio suo imperfecto ad patriam remearet. Denique expergefactus Decanus à somno, surgens sedit in lectulo aliquantulum ex ipsa visione turbatus, & Archidiaconum Ecclesiæ suæ (qui cum ipso pro eodem negotio Romam venerat) secretorum eius conscium excitauit, atque de visione subticens persuadebat ei vt ad matutinales horas decantandas consurgerent. Archidiaconus verò intelligens (ex eo quòd horam surgendi anticipare volebat) illum esse turbatum: scisitabatur ab eo interrupti soporis causam, & qualiter se haberet. Qui ad interrogata semiplenè respondens, ait: Visum est mihi quiescenti quendam apparuisse in candido habitu: sed vereor plurimùm ab insidiantis inimici phantasia me fuisse illusum. Scio namque me non esse meriti tam præclari, quòd Dominus ac Redemptor noster (cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur) mihi seruo suo indigno aliqua de secretis cælestibus reuelare dignetur. Cui Archidiaconus statim subjungens ait: Dormite Domine mi, & requiescite, quoniam non est visio, sed illusio. Cumque Decanus iterum obdormisset, ecce idem vir qui ei apparuerat, ipsa similitudine & eodem schemate, cum eorumdem etiam replicatione verborum secundò apparens, constanter asseruit malè illi cessurum nisi præmonita sollicitè impleret. Itaque memoratus Decanus post hæc euigilans surrexit, & vniuersa quæ audierat conferens in corde suo, Horis matutinalibus decantatis, summo mane adiit Pragensem Episcopum, virum discretum, prouidum, & honestum, quodam sibi vinculo familiaritatis astrictum; cui omnia quæ viderat, secretò intimans, inhibuit ne cuiquam visionem hanc diceret, donec necesse foret eam aliis reuelari. Accidit autem eisdem diebus Honorium III. Pontificem maximum cum Cardinalibus habere tractatum super negotio canonizationis sancti Guillermi: quorum consilium fuit, vt omnes Archiepiscopi & Episcopi, qui præsentes erant Romæ, vocarentur, quatinus cum maiori solemnitate, & maturitate consilij statueretur quicquid statuendum esse censerent.

Omnibus igitur supradictis Prælatis ad consilium admissis, dum glorioßissimi Patris Guillermi miracula legerentur, subiit mentem Pragensis Episcopi visio sæpedicti Decani; & intelligens quòd ea quæ in aure audierat, iam necesse erat prædicari super tecta, noluit amplius tacere: sed surgens stetit in medio eorum, & ea coram omnibus compendiosè narrauit, personam Decani ex antiqua sibi familiaritate agnitam valdè commendans. Sed quoniam delectabilius erat audire ex ore illius cui facta fuerat reuelatio secretorum cælestium: *Dulcius* namque *ex ipso fonte bibuntur aquæ*, accersitus est Decanus; qui cùm ingressus fuisset vultu rubore perfuso, humilem verecundiam præstante, primùm trepidans expauit, causam vocationis suæ ignorans; quem beatissimus Papa intuitus, propiùs accedere iussit. Deinde adiuratus ab eo per Catholicæ fidei vnitatem, cuius potentissimus Princeps Apostolorum primum iecerat fundamentum, & adhuc eiusdem gubernator existit, visionem ipsam semel & secundò sibi ostensam cœpit ex ordine propalare. Erat autem multitudo sanctorum Patrum attentis auribus audiens quæ dicebantur ab illo, & præ gaudio commoti ad lachrymas, mirati sunt vniuersi, gratias Deo agentes, qui sanctum suum Guillermum clarificare dignatus est. Tunc clementissimus Pater & Vicarius Christi (qui nec lachrymas poterat continere) surgens benedixit Deum, & ait: Scimus quidem, fratres charissimi, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in

bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Verè Dominus promissionum suarum non immemor, lucernam suam non permisit abscondi sub modio, sed statuit eam super candelabrum in medio domus suæ, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Ex his ergo quæ vestra meruit audire fraternitas, si dignum esse censetis, absque dubietatis scrupulo pronunciare possumus hunc beatum virum Sanctorum collegio annumerari debere, cuius merita sanctitatis tot & tanta miracula circumquaque prædicant & declarant. Qui cùm facilem & iocundum vnanimiter præbuissent assensum, summus Pontifex cum illo sanctissimo comitatu suo secessit à loco, ad alium locum spaciosum & ampliorem se transferens, in quo super arduis negociis diffinitiuâ solitus erat proferre sententiam. Cũque in sede majestatis suæ, congregatâ multitudine Cleri & populi, qui de diuersis nationibus conuenerant, indicto silentio, Inquisitorum litteras, & ea quæ super miraculis beati viri confecta fuerant scripta, iterum produci in medium, atque iterum in pleno iussit consistorio solemniter recitari. Quibus distinctè perlectis, gratias agens ac benedicens Deum, dixit: Verè laudandus ac glorificandus est vir iste verus Israëlita, in quo dolus non erat, quoniam factus est Angelorum conciuis, Apostolorum & Prophetarum consors, collega Martyrum, Confessorum simul & Virginum cohæres, Patriarcharum decus, & Præsulum gemma. Cùm igiur sanctitatem morum, & signorum eius virtutem ad fauorem petitionis (pro qua venerabilis frater Geraldus Archiepiscopus, & dilecti filij nuncij Bituricensis Ecclesiæ, vnà cum Episcopis & Prælatis eiusdem Prouinciæ, aliisque quamplurimis vehementiùs institerunt) occurrere videamur, diuinum & humanum sequuti iudicium, de fratrum nostrorum consilio, post multam deliberationem habitam cum eisdem, necnon Archiepiscopis & Episcopis existentibus ad sedem Apostolicam, quos ad consilium nostrum admisimus, de diuina misericordia, & eiusdem sancti Guillermi meritis confidentes, ipsum Sanctorum catalogo duximus ascribendum, statuentes vt in die depositionis ipsius, eiusdem festiuitas deuotè à Christi fidelibus annis singulis de cetero celebretur. Quo dicto, subleuatis oculis, manibusque ad cælum expansis, alta voce *Te Deum laudamus* inchoauit, circumstante Clero, exultantibus animis decantante, & eundem hymnum cum magnī clamoris iubilo finaliter prosequente. Deinde illam eandem orationem (quam præfatus Decanus de Boëmia à celesti nuncio edoctus fuerat, sicut superiùs diximus, in honore B. Guillermi dicendam) cum quanta potuit vocis exaltatione & mirabili deuotione subjunxit. His itaque hoc modo gestis, S. Geraldus ad propriam sedē reuersus, illicò conuocatis Prouincialibus Episcopis, quos Suffragancos vocant, necnon Abbatibus & Clero, sacratissimum B. Guillermi corpus è sinu terræ leuauit, leuatumque ac positum in sarcophago ex auro & argēto affabrè facto solemniter transtulit extra chorum Ecclesiæ Bituricensis, Nonis Maij, anno Domini 1217. Sequenti autem anno postquam idem venerabilis Pater Geraldus claritate fidei & meritorum adornatus virtute, per nouem annos & menses tres sacerdotium administrasset, rebus exemptus est humanis Nonis Iulij. Floruit ab anno 1209. ad an. 1218. præsidentibus Romæ Innocentio III. & Honorio III. imperantibus Othone IV. & Frederico II. tunc quoque Francis regnante Philippo II. Vacat tum sedes Bituric. mēsibus sex.

CAPVT LXX.

De Simone de Soliaco septuagesimo Bituricum Archiepiscopo.

SEptuagesimus præfuit Dominus SIMON DE SOLIACO, Cantor Ecclesiæ Bituricensis, nepos præcedentis Henrici Archiepiscopi, frater illustrissimi ac strenuissimi Principis Archēbaldi quondam Domini Capellę Gilonis, & (quod dignius est) consanguineus Philippi Regis Franciæ. Hic cùm non minùs esset humanus quā integer, non solùm subditos sermone & cohortatione perfectę & spiritalis doctrinæ ad omnes virtutes inuitabat, verumetiam suo exemplo contra hostes catholicæ fidei fortiter animabat. Vix enim quempiam hodie Prælatum inueniri in terris posse arbitror, qui pro Christianæ Religionis defensione tantum facere audeat, quantū illedum Prouinciam suam visitaret, collecta manu armatorum aduersus Albigenses hæreticos egisse perhibetur. Deniq; Honorius Papa III. eidem officium Legationis in Turonensi Prouincia & sua diœcesi commisit, vt Philippum Regem Francorum ad subsidiū Terræ sanctæ hortaretur ac induceret; qui & à Gregorio IX. postea Presby-

ter Cardinalis tituli S. Cæciliæ, necnon Legatus in toto Franciæ regno, & in partibus Transmarinis, cum amplissima authoritate ac potestate cõstitui meruit anno Domini 1229. Superiore autem anno, id est Dominicæ Incarn. 1228. conuocauit Concilium Prouinciale Bituris in Octauis B. Martini hiemalis, ad quod, cum Burdegalensis Archiepiscopus accedere curasset minimè, eundem de consilio suorũ Suffraganeorũ suspendit ab officio Metropolitano. Præterea ordinauit vt Cantor Bituricensis Ecclesiæ de cætero esset Prior S. Petri Puellaris, quod sequenti instrumento exactè fuit definitũ. *Archembaudus Decanus & Capitulũ B. Stephani Bituricensis, vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem. Nouerítis quia cum viri venerabiles Odo de Vetera Prior, & Capitulum S. Petri Puellaris Bituricensis super statu Ecclesiæ suæ in melius commutando, & super ordinatione eiusdem Ecclesiæ in venerabilem Patrem Simonem Bituricensem Archiepiscopum compromiserunt, ipse habito prudentium virorum consilio statuit & ordinauit in hunc modum, quòd quicũque Cantor erit Bituricensis, Prior erit S. Petri Puellaris, & habebit collationem præbendarũ Et erit ibi certus numerus 15 præbendarum, quarum Cantor, quoniam Prior erit, habebit duas, Fabrica Ecclesiæ vnam, reliquas habebunt 12. personæ, de quibus erunt 4. Presbyteri, 4. Diaconi, & 4. Subdiaconi; & cùm aliquem de 4. Presbyteris mori contigerit, Cantor alium substituet, qui Presbyter erit, vel talem qui intra annũ possit in Presbyterum ordinari, ni aliquis de 4. Diaconibus velit se in Presbyterum promoueri. Sanè Cœmeterium habebit Ecclesia S. Petri Puellarum in terra sua quæ est prope Ecclesiam; & Ecclesia de Fiscali adiunctã erit Ecclesiæ S. Petri Puellarũ cum ea libertate, quã priùs erat & tenuit Cantor. Et Capellanus de Fiscali poterit esse Canonicus S. Petri Puellarum, si Cantor voluerit ei dare præbendam. Obedientias siquidem Canonicorum S. Petri Puellarum habebit Archiepiscopus Bituricensis successiuè Capitulo S. Petri remanente in illa iurisdictione, in qua priùs erat, & sicut alia Capitula, videlicet Capitulum S. Austregisilli, vel Capitulum S. Vrsini. Ecclesias autem & Vicarias S. Petri Puellarum dabit Capitulum S. Petri Puellarum cum Cantore. Et Canonici S. Petri Puellarum pro negotiis Ecclesiæ suæ & pro suis negotiis propriis immunes erunt & nihil dabunt pro sigillatione sigilli Curiæ Bituricensis. Petitionem verò cuiuslibet Archiepiscopi in nouitate sua Cantor tenebitur exaudire semel super collatione vnius præbendæ; & si præbenda vacauerit in Ecclesia S. Petri Puellarum Cantoria vacante Archiepiscopus Bituric. infra xl. dies præbendam vacantem conferre poterit; & nisi contulerit elapsis xl. diebus reseruabitur præbenda donationi futuri Cantoris, &c.* Idem etiam Dominus Simon ampliauit redditus Succentoriæ qui tunc temporis adeò tenues erant, vt nullus valeret illius officij onera subire. Eo quoque Bituris præsidente accidit (vt fertur) in eadem ciuitate illud memorabile miraculum sacræ hostiæ ab equo suppliciter cultæ, cuius rei historiam Petrus Rosletus Poëta eximius carmine Heroïco eleganter digessit. Eiusdem opusculi argumentum, Iudæus nomine Guialdus apud Bituriges fœnerator locuples persæpè Christianos criminabatur, quòd sacram Eucharistiam tanquam rem diuinitatis expertem venerarentur. Diuus Antonius Paduanus discipulus B. Francisci Fratrum Minorũ Institutoris habitâ de gestis Christi concione, diutiùs cum Iudæo de fide disputauit. Oblatâ tandem conditione, equus cui sublatũ triduò pabulũ fuerat, auenam relinquens, sacram Eucharistiam adorat. E vestigio Iudæus ad fidem conuersus templũ D. Petro (cui ex ipsius Iudæi appellatione adhuc Guialdo cognomen est) sumptibus immensis condidit; atque in tantæ rei memoriam inoleuit consuetudo, vt singulis annis in festo Corporis Christi solemni pompâ sacratissimũ eiusdem Domini nostri Iesu Christi corpus mediam per vrbem portatum, vbi ad eundem locum ventum fuerit, ponatur super Altare Sacelli, de quo memoratus Rosletus canit:

Non procul hinc templum exiguum posuêre nepotes,
Et celso statuêre loco spirantia signa.
In foribus stat equus supplex ante ora dicati
Corporis effigies: cultus monumenta verendi.
Illic spreta fero calathis portatur auena.

Cæterùm venerabilis Pontifex Simon postquam 14. annis pontificij administratione incomparabiliter fulsisset, dormiuit in Christo, sexto Idus Augusti: cuius corpus iacet in Choro Ecclesiæ Bituricensis, sub lamina æneâ sibi & Domino Petro de Castra communi. Sequitur eius epitaphium.

Exuperans hereses Simon en in Præsule Præses:
Orator, castus, patiens, sine crimine fastus:
Deuotus Christo, tumulo requiescit in isto:

Bis sexcentenos octo quater egerat annos
Christus-homo cum sexto sextilis euolat Idus.

Claruit ab anno 1219. ad annum Christi 1232. præsidentibus Romæ Honorio III. & Gregorio IX. imperante Frederico II. atque regnantibus in Francia Philippo VIII. & Ludouico IX. qui ob sanctimoniæ cultum inter Sanctos meruit computari.

Vacat sedes annis 3.

CAPVT LXXI.

De S. Philippo septuagesimo primo Biturigum Archiepiscopo.

SEptuagesimus primus præfuit Ecclesiæ Bituricensi sanctus PHILIPPVS, gloria præcedentium Patrum, decus ac dignitas Pastorũ: Hic etiam ex parentibus non generis splendore solùm clarissimis, verumetiam piæ conuersationis studio præstantissimis originem duxisse fertur Turonis. Nam eius auus miles quidam secundùm sæculi dignitatem strenuus, postquam suo hortatu nobilissima ac deuotissima coniux ipsius apud Monasterium de Bello-monte religiosam vitam professa fuisset, ipse se ad Ordinem Militiæ Templi conuertens, aduersus Christianæ pietatis hostes fide, viribus, & armis multa præclarè gessit. Verùm antea quàm seipsum abnegans, propter spem futuræ beatitudinis collum impiger sanctæ Religionis iugo submisisset, genuerat ex eadem vxore sua filium formâ elegantem, qui paternarum existens æmulator virtutum, postea totius supradictæ Templariorum Militiæ Magister seu Princeps effectus est. Habebat etiam memoratus vir duas filias, nomẽ maioris Flandrina, minor verò appellabatur Mathea; quæ ambæ cum prole sua ob creditam sanctitatem in Diuorum numerum censeri meruerunt: siquidem dicta Flandrina cùm præter multas cruces & supplicia, quæ pro Christi amore libens susceperat, etiam deuotionis gratiâ nudis plantis Romam proficisceretur, & à latronibus comprehensa spoliaretur, illi videntes, & plurimùm admirantes quòd tam nobilis matrona portaret durissimam loricam super nudum corpus, non solùm pro iniuria quam eidem irrogauerant, veniam humiliter petierunt, sed & criminum suorum pœnitentes, meliorem posthàc vitam duxerunt. Eidem verò Flandrinæ vnica erat filia, quæ vouens se nunquam habituram sponsum alium præter Dominum nostrum Iesum Christum, relicto sæculo, Ordinem Cisterciensium Sanctimonialium intrauit, vbi religiosâ mentis & corporis puritate intantum profecit, vt spiritu prophetico plena, miraculis inclaruerit. At Matheam Flandrinæ sororem duxit vxorem frater B. Guillermi Bituricensis Archiepiscopi nomine Geraldus Berruerius, vir præter ingenitæ nobilitatis altitudinem, egregiâ virtute rebusque magnificè gestis clarissimus: Ex qua primùm duos liberos habuit, videlicet Archambaudum, & Geruasium; deinde eidem iam seni natus est Philippus suæ posteritatis flos nobilissimus. Dum autem ille moriturus à filiis sciscitaretur quale quisque institutum vitæ assumeret, ac duobus senioribus militiam sæcularem cõplexantibus, iunior Philippus adhuc puer ingenij mansuetudine insignis, neglectis terrenis, in diuina flagrans elegisset clericatum: tunc de tam egregio pueruli voto gaudens pater, quâ potuit pectoris dulcedine benedixit ei, sic inquiens: Quia seruire Deo iucundius duxisti, ô Philippe, tu tui ornamentum generis, tu parentum gloria, tu denique propinquorum lætitia, & familiæ decus! Esto igitur, ô nate, instar Prophetæ Samuelis sedulus in templo Dei, totos affectus conuertens in eum, vt, quod maximoperè cupio, optimus, maximusque ille Deus te electorum Sacerdotum suorum numero sociare dignetur. Vos autem qui id officij quo fungebar in sæculo, magis subeundum decreuistis, mandata Dei infatigabili obseruatione custodite, matrem quæ vos genuit honorate, pacifici estote: dico enim vobis me cum genitrice vestra permansisse quinquaginta annis sine querela, sine iurgio, sine aliqua diuisione. Ego itaque hinc mĩgraturus insigne hoc documentum, hoc exemplum vobis relinquo. Quod cùm studiosiùs obseruaueritis cum vxoribus quas sortituri estis (decet enim liberos quemadmodum facultatum, ita quoque virtutis paternæ hæreditatem suscipere) vos generi vestro plurimùm splendoris ac dignitatis adiicietis, idque fecisse magnopere iuuabit. His dictis, pius pater cum bonæ

conſcientiæ gloria quieuit in pace. Cuius exequiarum funus omni officio ac pietate illi ita ſunt proſequuti, vt nihil omitterent quod ab amantiſſimis filiis parenti optimo præſtari debuit. Eo igitur honorificè ſepulto, duo ſeniores fratres Archambaudus & Geruaſius paternæ admonitionis haud immemores, præceptorum Dei famulatum irremiſſâ lege cuſtodientes, & bona ſua in pauperum neceſſarios vſus liberaliter expendentes, tandem Cruce ſignati, & ad partes Tranſmarinas profecturi, ſe ſuaq; pro defenſione Terræ ſanctæ vltrò dederunt. Cęterùm venerabilis eorum mater repleta ſapientiâ, mox conuocatis vicinis ſuis in die feſto B. Gregorij Papæ acceptum puerum Philippum induxit in Eccleſiam, facienſque Miſſam celebrari, eum propriis manibus obtulit Deo in Altari: quæ poſtquam geſta ſunt, idem puer Philippus traditus ſtudio litterarum in celeberrima Pariſiorum Academia, non illecebroſis voluptatibus, quę plerumque etiam generoſos adoleſcentum animos alliciunt, frangunt, & eneruant, indulgens, ſed potiùs animo vincens ætatem, & ſuos eruditioni conatus deſtinans, tantum in litteris profecit, quantũ magno futuro Antiſtiti opus erat. Deinde proficientibus magis in eo gratiæ Dei incrementis cum diuinarũ ſcripturarũ ſcientia, & quotidianis virtutum exercitiis, vbi interim adoleuiſſet, reuerſus Turonos, illicò ob honeſtatem vitæ, & laudabilem morum compoſitionem, Canonicus Cathedralis Eccleſiæ efficitur, breuî Archidiaconus futurus. Interea verò Mathea eiuſdem Philippi mater, perfectis operibus plena, felici obitu decedens, celebri ſepulchro eſt honorata, & (vt fama canit) ob ſanctitatis opinionem, in beatorum ſortem relata. Vnde euidenti argumento eidem Philippo accedit laus inſignis, quòd genus ipſius non ſolùm celſæ generoſitatis, verumetiam magnæ ſanctitatis extiterit. Cæterùm ille (quod paulò ſuperiùs attigimus) poſt adeptum Canonicatum, licet etiam omnes Archidiaconatus gradatim conſcendere iuſſus ab Epiſcopo fuerit, nũquam tamen potuit qualibet perſuaſione induci ad poſſidendum duo ſimul beneficia: *nam* oblatum ſibi Cantoris officium Cenomanenſis Eccleſiæ, ac inde Turonen*ſem* Archiepiſcopatum acceptare noluit, vtilius ſuæ ſoliditati fore exiſtimans in illo ordine permanere, in quo plus otij ad ſeruiendum Deo, & piis inſiſtendum operibus poſſet habere: Igitur ſanctus vir Archidiaconij functione contentus, cùm lucrandarum Chriſto animarum vehementi zelo flagraret, ob id potiorem ſalutiferæ doctrinæ curam habendam cenſuit. Atq; ne aliis prædicans, ipſe reprobus efficeretur (dicente Apoſtolo, *Non in ſermone, ſed in virtute eſt regnum Dei*) vt facta verbis atteſtarentur, ſtatim corpori ſuo durum indicit bellum, cilicium clàm induit, ſomno & quotidiano cibo ac potu, quantum ratio permittit, detrahit; ſolitas orationes deuotiùs continuat; denique (quia nil ita homines vt exempla mouẽt) in vniuerſa miſericordiæ opera totus accingitur. Hinc diuinæ gratiæ luce in eo clarius atque impenſius radiante dum prædicaret, tanta cum attẽtione, deuotione, & voluptate à populo audiebatur (quippe qui ardet, facilè accendit) vt ipſum omnes turmatim de loco ad locum ſequerentur, vbique famam nominis ipſius cũ laude & honore vulgantes. Interea Manaſſes Aurelianenſis Eccleſiæ Epiſcopus, vir equidẽ non minùs ornamento vitæ quàm pontificio titulo clariſſimus, extremâ mortis ſorte affectus diẽ obiit. Quæ res illi ciuitati ingentis luctus cauſam & materiã præbuit. Sed licet pro amiſſo pio Paſtore tunc incredibili mœſtitudine afflicta langueret Aurelianenſis Eccleſia, ipſa tamen iacturam hanc credidit ſibi fore tolerabiliorem, ſi Deo pro ſe meliùs prouidẽte Turonenſis Archidiaconus (quem ſanctitate & ſapientiâ incõparabilem conſtans rumor ferebat) pateretur ſe in Pontificem aſſumi. Sed quia (vt aliquanto priùs diximus) ob iſtiuſmodi cauſam Aurelianenſes nouerãt Turonos à Philippo nuper tuliſſe repulſam, difficilè viſum eſt id ab eo poſſe impetrari: tamen Clericis (vt hactenus ſolemnis tenuit conſuetudo) pro electione celebranda ſtantibus, conſilium fuit vt inuocato Spiritus Sancti ſuffragio eundem Philippum omnes vnanimiter poſtularent, dictitantes fieri poſſe vt vel in perfecta iam ætate, quando eum ſpectata cunctis morum grauitas & maior virtus cõmendabat, ipſe precibus Eccleſiæ aſſentiret, ne gratiæ Dei pertinaciter reſiſtens, diuinam incurreret offenſam. Et quidem conſilio non defuit rei euentus, atq; vbi ipſe omnium ordinum fauore victus pontificatum ſubiit, mox ſuis precibus & lachrymis obtinuit à Rege vindictam fieri de quibuſdam temerariis Iudicibus, qui in contumeliam & graue ſcandalum totius Eccleſiæ aliquantos Clericos fœdâ nece ac miſerabili cruciatu interemerant. Quamobrem fuit ea tem-

porum malitia tam gratum Aurelianenſibus Pontificis munus, vt à Deo miſſum ſibi crediderint. Rexit autem idem ſanctus Pontifex Aurelianenſem Eccleſiam annis quatuordecim, quibus dignitatem pontificiam variis virtutum ornamentis conduplicans, & ſubditos æmulatione ſui ad omnia quæ verè pia ſunt, grataque oculis Dei cohortans, tantum inde nomen ſanctitatis eſt adeptus, vt Papa Gregorius nonus eum primæ ſedi Aquitanorum vltrò præficiendum duxerit. Cùm enim defuncto venerabili Patriarchâ Simone de Soliaco Bituricenſes Canonici inter ſeſe diſſidentes de Pontifice inſtituendo, non potuiſſent toto triennij interſtitio ad concordiam adduci, memoratus Pontifex Romanus Apoſtolicâ authoritate eidem Eccleſiæ ſic Paſtoris ſolatio deſtitutæ ſubuenire ſtuduit. Quod manifeſtum eſt ex ipſius literis quæ continentur in veteribus Pandectis Capituli Bituricenſis, vnde deprompſimus ea quæ ſubjecta ſunt. *Tantum*, inquit, *temporis eſt elapſum quod ad nos eſt Bituricenſis Eccleſiæ prouiſio deuoluta. Et volentes ei, quæ inter vniuerſas Metropoles ſpeciali gaudet priuilegio dignitatis, de tali prouidere perſona, quæ tanto congruat oneri & honori, venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Aurelianenſem, quem teſtimonia multorum fide dignorum, quæ quidem ſunt credibilia, commendabilem reddiderunt, præfatæ Eccleſiæ conceſſimus in Archiepiſcopum & Paſtorem. Et tranſeundi ad eandem Eccleſiam ſibi licentiam concedentes, plenam et adminiſtrationem tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus duximus committendam, &c.*

Hoc itaque modo factus Primas Aquitaniæ almus Pater Philippus (quod ſola Dei prouidentia factum miramur) deinceps ampliori ſanctitudine ſtuduit enitescere. Atque imprimis familiam incorruptæ famæ habere volens, ſi quempiam fortè captum prauis cupiditatibus noſſet, eum ſtatim à ſuo ſeruitio remouebat: Nam conſtat eum priuaſſe quoſdam ſacerdotes voluptarios ſuis Eccleſiis, quibus tamen (ne ipſi mendicare cogerentur) vitæ neceſſaria miſericorditer tribuit. Denique pro ſua virili ſemper habebat bonos & honeſtos Officiales, quibus iniungebat à iuſtitia nunquam declinare; pauperum tamen cauſas citiùs expedire, & muneta quæ, teſte diuina Scriptura, etiam ſapientium excæcant oculos, non concupiſcere. Ad beneficia verò conferenda tales eligens, quorum probata foret vita & eruditio, hortabatur eos ſemper eſſe pudicos, ſicque Deum timere, vt & ipſi ab hominibus timerentur. Huc etiam illud accedit, quòd videlicet illi curæ fuit plures ſecum aggregare viros doctiſſimos, vt eum poſſent iuuare in faciendis prædicationibus, ſeu confeſſionibus audiendis. Propterea fratres Prædicatores ad ciuitatem Bituricenſem venire fecit, quibus Oratorium & Clauſtrum (Duce quodam Borbonio, atque nobiliſſimâ filiâ Comitis de Ioigniaco, nomine Blancha, quondam Virzionis Domina, impenſas tanti operis liberaliter offerentibus) conſtrui fecit anno Verbi incarnati milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono. Sed & ipſe Pontifex cùm eſſet declamator omnium ſui æui celeberrimus, in prædicationibus adeò plebi acceptus erat, vt interdum alius magna cum deuotione paruulos ſuos tangendos ac benedicendos ei præſentantibus: aliis verò veſtimentorum eius fimbrias extrahentibus & oſculantibus, plures qui obſiſtente turbâ non valebant eidem appropinquare, locum in quo ille prædicando ſteterat, raderent, ac pretioſis id pro reliquiis haberent. Quæ tamen vir beatus prohibens fieri, & ſe nullo modo laudari permittens, eò magis ſuſpiciendus atque laudandus erat. Tantæ ſiquidem extitit moderationis, vt raro genere exempli, altitudinem ſuam humilitate ſublimaret: Nam pauperibus (erga quos animus eius inſitâ pietate commotus, miſericordiæ faciendæ ſtudio ardebat) ſe facilem, affabilem, & benignum ſemper præbuit.

Horum exempla æquè copioſa ac magna non deſunt: ſed quia tempus deficiet, ſi vniuerſa pietatis opera quæ ab eo ſunt egenis miſericorditer impenſa ſcribere voluerimus, ſaltem pauca, quæ maximè cognitu digna ſunt, celeriter abſoluamus: Aliquando mediâ hyeme, eodem venerabili Patre Philippo diœceſis ſuæ Eccleſias pro ſolemni conſuetudine viſitanti feminudus pauper ſeſe obuiam fert, algere ſe deplorans, atque petens ſibi aliquid munificâ ipſius largitione impendi. At itineris comites iam aliquantulum proceſſerant, quodam Archipreſbytero, & Briſtio Cubiculario ſimul ſubſequentibus cum Archiepiſcopo; qui ſtatim viſo paupere, miſertus illius, imperat eum ſubſiſtere cum dicto Archipreſbytero tantiſper dum reuertitur. Et ſeorſum ſecedens in quendam angiportũ, ſe induſiolo quo erat indutus ſpoliat, iuuante Cubiculario, & illud petenti egeno liberaliter tribuit. Quo quidem

Digitized by Google

dem ille vestitus in amplissimas gratiarum actiones prorumpens pertransiit. Inde alius mendicus viro Dei similiter occurrens & præ nimio frigore dentibus stridẽs flebiliter orabat, vt & sui misereri pius pastor dignaretur. Et quid tum ageret venerandus Archiepiscopus, qui iam vt verè pius verè misericors, se nudato, propriam tunicã alteri contribuerat? Enimverò paratus semper erat opem ferre omnibus, sed parum sibi videretur feciſſe, si quodcumque aliud præter indumentum erogans, membrum Christi in tanta algoris iniuria nudum à se remisisset. Conuersus itaq; ad vnum de suis ministris: Tu, inquit, vice mea pro amore Dei tunicam tuam huic misericorditer tribuito, meliorẽ à me haud dubio domi recepturus. Tum ille incunctanter paruit imperanti, & pauper magnificè consolatus recessit. Hæc non longè ab vrbe Virzionensium fuisse gesta referuntur. Alio quoque tempore virum quendam genere nobilem, qui à diuitiis in extremã egestatem deciderat, non solùm nouis induens vestimentis, sed & magnã pecuniæ quantitatem eidem tribuens magno exemit pudori. Si quando autẽ seruus ad quem Episcopalis domus administratio pertinebat, iniquo ferret animo, quòd vir sanctus tam propensus erat in pauperes, ille animum eius verbis clementibus mulcebat dicens. Noli quæso, fili mi, noli ex hoc contristari. Nam quia scriptum est, qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas similiter faciat, haud secus agere possum quàm à domino præceptum fuisse sancta tradunt Euangelia. Etenim meminisse debes diuinã scripturam alio dixisse in loco. Ex substantia tua fac eleemosynã, & noli auertere faciẽ tuam ab vllo paupere. Ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini. Quapropter sicut à me dudum constitutum est, volo generalẽ fieri eleemosynam Bituris in domo mea semel in vnaquaq; die, & in villis meis de Cornucia, Turliaco, & Malorepasto, ter in Hebdomada dum vixero. His dictis, lingua murmurantis, vt abscissam putares, obmutuit. Præterea aliquando regionẽ vi famis premente, & ad extremã rerum omnium inopiam Bituricensi ciuitate redacta, quum innumera prope multitudo contabescentis populi ad S. Patriarcham Philippum, vnicũ miserorum ob insignem pietatẽ perfugiũ, confluueret stipis petendæ gratia, ita vt quotidie non minus quàm quatuordecim triticei sextarij expenderentur apud ipsum in eleemosyna: supradicto Oeconomo conquerenti ac dicenti iam alimenta deficere, & idcirco tantã tritici distractionem diu durare non posse, tunc sanctus Pontifex grauiter admodum & cum seueritate respondit dicens. Ah miser! si de tuo hæc expensa fieret, quid ageres? Quid esses dicturus? qui vel quod tua minime refert, mussitãdo impatienter toleras? An non mihi licet facere bonum quod volo? An oculus tuus nequam est quia bonus fieri imitando Dominũ meum desidero? Nunc ergo audi quid posthac me iubente facto opus sit. Hoc enim mihi in animo est vt secundùm diuinum mandatum, omni petenti tribuam. Et ideo præcipio tibi vt non solum præter consuetam eleemosynã cuique pauperi plus panis eroges in domo mea Bituris, verumetiã vt in memoratis locis (donec pinguior tellus vberiorem afferat segetem) volo omnibus agapen petentibus prospicias. Quod si redditus Ecclesiæ minus suffecerint, mihi curæ erit ex patrimonio meo supplere quod defuerit. Vade igitur, & sub periculo animæ tuæ nihil horum quæ mandaui ducas negligendum. Maius est, certéque gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas thesaurizare. Hoc itaque modo iuuit pientissimus Pontifex vulgi inopiam. O incomparabile facti præconium! ô quam imitabile virtutis exemplum! O te felicem, ò te beatum, alme Pater Philippe! cui tantopere curæ erant pauperes, mẽbra Christi. Illa profecto, illa compassionis virtus in te tantùm polluit, tantum effulsit, vt ad patrẽ misericordiarũ, ad Deum totus consolationis facie ad faciem contemplandum te dignis pro meritis euexerit. O misericordia, salutis præsidium, fidei ornamentũ, propiciatio peccatorum, tu iustos probas, tu bonos conseruas, tu sanctos in gratia confirmas, tu denique eos ad cœlestis regni gloriã perducis. Verè quisquis sine te cũctis abundare videtur bonis, omnino dicere potest, seruus inutilis sum ego. Sed de his satis dictum sit. Glorioſus igitur Pontifex Philippus quantum alis largus & benignus, tantùm sibi parcus erat & austerus. Nampræter legit mã abstinentiæ obseruantiam, ieiunabat à decimo octauo Kal. Decemb. vsque ad Natalem Domini, vescebatúrque quadragesimalibus cibis, videlicet pulmento, leguminibus, & interdum haleciis, seu modico sepiæ, escarum lautiorem præparationem penitus reiiciens. Omnibus etiam sextis feriis & vndecim diebus ante Pentecostem ac vigiliis solemnitatum B. V. Mariæ solo pane & aqua contentus post protractum ad vesperum vsque ieiunũ solitarius domi reficiebat. Deinde dicto completorio, factáq; Sacerdoti confessione cum multarũ effusione lachrymarũ, non tunicam, non cingulum, non caligas dimittens in stratu suo cilicino vestitus quiescebat. Media autem nocte surgens, post frequentem pectoris percussionem, & dirã virgarum seu corrigiarum flagellationem, centies genua flectebat, móxq; surgens, iterũ humi prosterne-

batur pro se & vniuersa militanti Ecclesia Deo omnipotenti deuotarum orationũ munus offerens. At cilicium, quo super nudũ corpus vtebatur, tantæ asperitudinis fuisse dicitur: vt ipsum ad sanguinẽ vsque pungeret. Et tamen quando à familiari ministro afferebatur sibi nouum cilicium priore multo hispidius, magnificè exultans illud amplexabatur & deuotè osculabatur dicens. Si pro animæ meæ salute Deus & Dominus meus I. C. Crucis supplicium subiit, dignissimũ equidẽ est vt eius amore vel cilicium istud induam. Quod & si corpori inferat quantulũcumq; tormentũ, non minimum tamen parat animæ refrigerium. Quippe labor pœnitentiæ vitã promeretur æternã. Talis fuit religiosissimo Præsuli viuendi modus, donec aliquando dum fortè ex equo cui insidebat decidens in terrã ob grauem membrorũ collisionẽ improspera valetudine laboraret, D. Papa Innocentius IV. eũ coëgit quiescere super culcitrã & carnibus vesci, ne propter nimiã corporis debilitatem, oneri pastoralis curæ penitus succumberet. Tunc enim propter obedientię virtutem acquieuit sibi culcitrã supponi, sed nihilominus ipse vt erat vestitus iacebat: Appositas vero carnes, vbi se vidisset à suis ministris minimè posse videri, pauperibus, qui num. 30. corã illo semper discumbebant, latenter porrigebat. Et quia iterũ de pauperibus mentio incidit, operę preciũ est quedã adhuc breuiter dicere per quę euidentius ostendatur in eos pii Patris munifica liberalitas & benenolentia singularis. Etenim ipse mandauerat seruis suis, vt ab ingressu domus suæ non solũ non abigerent pauperes: verũetiã vt eis maximéq; iniuriã passis potius quàm diuitibus sẽper ad eum permitterent liberũ accessum. Cuius rei exẽplum manifestũ est. Aliquando quædã paupercula mulier eundẽ reuerentissimũ Archipræs. pro aliqua re interpellatura, curiã Bituric. intrauit. Aderat & D. Castri-Radulphi cũ multis aliis nobilioribus viris instantissimè petens, sua prius negocia expediri. Tum S. Pontifex pietatis intuitu considerans vetulã ex itinere valdè fatigatã, nudã pedes, totámq; lutosam misertus lassitudini illius, eam priorẽ suæ causæ cõpotẽ dimisit. Conuersus autẽ ad illustrẽ virũ: noli, ait, iniquo ferre animo quod à nobis sis vni mulierculæ postpositus. Quippe illa hodie est pedestris non sine multo labore villulã suã repetitura, tu verò equester copioso stipatus famulitio poteris celeriùs conficere iter, domúmq; tuam securiùs reuerti. Ita sanè plus apud præsulẽ valuit supplicatio pauperis quã adulatio potentis, plus Christi amor quã mundi fauor. Dum autẽ diœcesim suã frequenter perlustraret intrans domos pauperũ, infirmos requirere, visitare & necessaria quæ ad victũ pertinent eis præbere, ac humiliter ministrare non dedignabatur. Deinde confessionibus ipsorũ patienter auditis eos magnificè consolabatur, dataq; benedictione, quosdã diuinam per gratiã saluti pristinæ restituebat. Nam postea quã perfectam & absoluta virtus illũ maiore Dei familiaritate dignũ effecit, tanta ei data est diuinitus gratia virtutum: vt per eum signa Apostolica fierent. Quod vel ex consequentibus liquebit exemplis. Igitur eodẽ B. Patriarcha Philippo existente aliquando in Prioratu de Bleto ordinis S. Augustini, ecce in vigilia diui Gregorii post solis occubitũ, Prior eiusdẽ loci (cui nomen Guidoni erat) ex improuiso in tam graue genus morbi decidit, vt interceptis sensibus, immobilis, surdus, & mutus tota illa nocte permanens, etiam vsum rationis amiserit. Cúmq; iam esset terris redditus dies, Venerab. Archie. accedens ad iacentis lectulũ, vbi corpus eius suis sacris manibus contrectauit, & salutiferæ Crucis signum impressit, sciscitatus est ab illo an se videret & agnosceret. Cui protinus æger ad vocẽ ipsius recuperato sensu, liberrima voce respondens, tu (inquit) es verus pastor meus, cuius piis orationibus credo me luci huic hodie restitui. Statimque vt ab eo absolui confessione præmissã obtinuit, confirmatã valitudine, ad exoluendas Deo laudes de cubili suo alacer exiliuit. Hoc B. Philippi Archipræsulis principiũ, aliud maius signũ nobilitauit. Inuitatus aliquando vir beatus vt è sinu terræ leuaret corpus S. Seueræ Virginis, perrexit ad locum, & supplicatione ac ieiunio publicè indicto, magna populi multitudo cum Clericis & Monachis Pontificẽ secuta subiit diuæ Virginis templum. Cúmq; Monachi terrã altiùs effodissent vbi putabant sacras esse reliquias & nihil inuenirent, iubet sanctus Patriarcha vt se dimisso vniuersi ædẽ sacram egrederentur. At ille humi prostratus sedulo precatu diuinitatem Christi exorat sibi dignanter euidenti indicio ostendi quò loci iaceret memoratæ Virginis corpus. Et quia talis erat, tamque sancta erat eius conuersatio, vt ipse in eorum sortem merito censeri debuerit de quibus per os Isaiæ Prophetæ spiritus S. loquitur dicens, *Antequam clament ego exaudiam, & adhuc illis loquentibus ego audiam*, nondũ verba orationis compleuerat (mirabile dictu) & ecce audit ac videt lapillũ è fastigio tẽpli cominus cecidisse super pauimentũ. Túmq; probè intelligens illic esse quod tantopere optabat: vocatis his qui pro foribus simul orantes subsistebant, designans locũ sibi diuinitus monstratũ, fodite (ait) hic, & inuenietis thesaurum quem quæritis. Igitur ejecta inde humo, S. Seueræ mẽbra glorioſa inuenit cum literis, nomen & meritum eius eui-

Digitized by Google

denter prodentibus. Cum autẽ ſanctum corpus ab eodem Antiſtite magnâ cum deuotione, cumque ingenti omnium lætitia fuiſſet illinc ſublatum, atque in auguſtiorem Eccleſiæ locum reuerenter tranſlatum, celebrata in Deum gratiarum actione, vniuerſi mirantes ſuper his & obſtupefacti tãtæ rei miraculo, in propria redierunt. Multa quoq; aliorum Sanctorum corpora glorioſus hic Pontifex per omnem Diœceſim ſuam apertis eorum thecis viſitauit, & decentiùs collocauit. Sed videamus qualiter miracula reliqua magis magiſque proficientibus in eo diuinæ gratiæ inſignibus, his accumulauerit. Per idem tempus, aut certè non multò pòſt, quidam famulus Abbatis de Cella ob grauiſſimam ægritudinem lecto decubans, tanta quippe deformitate guttur & facies patentis intumuerat, vt iam oculis eius non apparentibus nil videret, vbi vulgante fama certiſſimè perdidicit almum præſulem Philippum illuc adueniſſe, credens indubitata fide illum tanti fore meriti, vt ipſe ſibi à Deo ſanitatem facilè poſſet impetrare, obnixè eum per ſuos neceſſarios rogari fecit, quatenus idem Pontifex pietatis affectu miſerabilem ſua viſitatione dignatus, eum tangeret, benediceret ac ſanaret. Sed quidem Venerandus antiſtes præferens humilitatis inſigne præcipuum, memórque Domini Saluatoris, qui ad Centurionis ſeruum ſe deſcendere promiſerat, cellulam in qua iacebat ægrotus, ingredi minimè erubuit. Sicque ſeruus ille potitus optato, poſtquam ab eodem viro ſancto benedictionis munus accepit, diuina expertus beneficia, incolumis ſurrexit. Neque in ſanctis huius miraculis prætermittam quod perinde clarum atque omnibus notum eſt. Igitur quum ad petitionem ſubprioris Abbatiæ de Petra Ciſtercienſis Ordinis nobiliſſimus Pontifex Philippus oraſſet Dominum ne permitteret perire quendam ex Fratribus qui inſtigante diabolo ſuæ profeſſionis oblitus tanquam canis ad vomitum redierat ad ſæculum (mirabile dictu!) idem Monachus eadem die qua pro ipſo pater ſanctus preces fudit ad Deum, pœnitentia ductus vt ad clauſtrum ſuum reuerteretur præſulis deuota Deo fides cœlitus promeruit.

Alio itidem die Monachus quidam Cluniacenſis Petrus nomine (quem ita podagra contraxerat, vt neq; incedere neque ſtare poſſet) dignus aliquando effectus viſitatione S. Patriarchæ Philippi, mox vt ab eo tangi ac benedici meruit, conualeſcere cœpit: & poſtero die ſublato omni dolore ſoſpes apparuit. Aliquantulum temporis fluxerat & vir domini Philippus flumine Girunda cum ſumma placidi æquoris quiete traiecto, conſiſtebat ſuper crepidinem aluei expectans Archipreſbyterum, qui cum altero clerico poſtremus enauigabat. Tum ſubito turbinibus exortis inclinante ſe iam nauicula & pelagus imbibente, illi pænè abſorbebantur. Quod vt vidit ſanctiſſimus pater, genibus flexis ſupplices manus tetendit ad Dominum. Nec mora ad primas rogantis lachrymas, diuinum affuit periclitatibus auxilium. Nempe tam facile ſæuientes procellæ ſunt placatæ, quam citò ille (vt diximus) puras manus in cœlum extẽdit. Cùm igitur eidem almo præſuli Philippo tantorũ afflueret ſignorum diuina largitio, & aliquando Lemouicenſẽ Diœceſim viſitaret, tunc Lemouici ſumino fauore plaudentes & videndi atq; tangendi eum deſiderio maximo æſtuantes, ſanctitatem eius vſquequaque præconijs cumulatiſſimis excolere contendebant, vſq; adeò, vt aliis pedes ipſius deuotè oſculantibus, aliis verò, qui præ turba appropinquare ei non poterant, paſſus equi quo vehebatur lambentibus, dicens in eo expreſſim impleri illud Iſaiæ. *Venient ad te curui & adorabunt veſtigia pedum tuorum.* Sed ſanctiſſimus vir à nullo clarificari homine deſiderans nullam tranſitoriã, ſed permanentẽ & (quæ à ſolo Deo eſt) gloriã appetens! ſemper illam viri ſapientis ſententiam meditabatur. *Quanto magnus es humilia te in omnibus & coram Deo inuenies gratiam.* Itaque quantò ſublimiùs eum mundus ob eximiæ ſanctitatis claritudinem extollebat, tantò longiùs ab omni ſupercilio faſtúq; ille aberat humilitatem geſtu, habitu, & equitatura ſemper præſeferens. Erat etiã in perſecutionibus aduerſariorum, & in iniurijs inuidorum, quibus nemo vnquam vir bonus caruit, tantæ patientiæ & ſuauitatis, vt nil expoſtularet. Vnde quũ aliquando ad Concilium prouinciale, ad mandatum eius Hugo Claromontenſis Epiſcopus non ſolùm venire contemneret, verumetiam modeſtiæ neſcius conuitiorum furore in Primatem ſuum hoſtiliter graſſaretur, & ob eandem rem ſummus Pontifex Innocentius IV. ipſum baculo paſtorali priuaſſet, non potuit hoc ſufferre benigniſſimus Pater Philippus. Sed proſtratus ad pedes domini Papæ rogabat hanc noxam obtrectatori ſuo dimitti, & ablatum pedum reſtitui, dicens: Hoc planè mihi imitandum reliquit Sanctus Protomartyr Stephanus Patronus meus, qui pro ſuis lapidantibus ſuppliciter orabat, hoc modo inquiens: Domine Ieſu ne ſtatuas illis hoc peccatum!

Digitized by Google

Tum verò liquidò elaruit quanto diuinæ charitatis ardore succensum cor gestaret almus Præsul Philippus, qui etiam vt posteritati suæ diligendorum inimicorum conspicuum relinqueret exemplum, virtutem exercens non iram, maluit potiùs persequentem se inultum relinquere, quàm pro delicto in se commisso vindicari. At obiter præteriuimus quòd superiore anno quàm hæc ita gesta sunt, idem venerabilis pater volens visitare Burdegalensem prouinciam priusquàm Pictauos adisset (à quibus incipere proposuerat) mandauerit Archiepiscopo Burdegalensi, vt ad suscipiendum Primatem suum non solummodo se (vt decebat) præpararet, verumetiam ad id suos comprouinciales Episcopos commoneret. Quódque Burdegalensis Archiepiscopus ad eum rescripserit epistolam hunc modum continentem. *Venerabili in Christo Patri ac speciali amico suo Philippo Bituricensi Archiepiscopo Primati Aquitaniæ G. diuina gratia Burdigalensis Archiepiscopus salutem, &c. Vestras nuper litteras benignè recepimus & deuotè. Nos verò quæ rogastis & postulastis facere properauimus, Domino concedente disponentes vos & vestros in omnibus honorare. Custodiat personam vestram Dominus in corporis & animæ sospitate. Datum anno Domini 1247. in mense Octobri, in festo Apostolorum Simonis & Iudæ.*

Itaque cum Burdegalensem prouinciam solemniter visitando peragraret sanctus Patriarcha Philippus gloriosè nimis multáque veneratione à cunctis excipiebatur, & (quod quidem per singula differere longum esset) apud ciuitatum præsules qua debuit magnificentia procurabatur. Quibus sanè in partibus hoc tam nobile tamque egregium suæ sanctitudinis insigne ostendit. Quum enim tunc temporis præ nimia siccitate segetes & virentia quæque perirent, ille rogatu plurimorum grata Deo sacrificia obtulit: & sequenti nocte, necnon postera die magna pluuiæ inundatio erupit. Procedente inde tempore huic almo Præsuli Albigensium Diœcesim itidem visitanti (lamentabile dictu) nunciatum est Bituricam ciuitatem sæuo conflagrasse incendio. Hæc autem inciderunt in annum Virginei partus quinquagesimum secundum supra millesimum & ducentesimum, in vigilia Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ. Cæterum vt quæ de vitâ & actibus beati Philippi adhuc supersunt breuiter absoluamus, & si iampridem illum semper misericordiæ visceribus affluentem & in custodia gregis Dominici solertem ac deuotum dixerimus, tamen ipse iam ad cœlum festinans operæ-pretium duxit posthac propensiore studio curare pauperes, alere egestate pressos, pupillos & viduas ab omni iniuria tegere, visitare incarceratos, circuire ægrotos, ac defunctorum funeribus (vt ab auunculo suo sancto Guillermo didicerat) libens interesse. Deinde quum inter Capitulum Bituricensis Ecclesiæ & Balliuum Regis fœdam contentionem graui ex causa exortam consopisset, ac eosdem suæ sapientiæ industria ad veram concordiam pacémque reduxisset, prænoscens se diuina reuelatione ab hoc sæculo proximè migraturum conuocatis ad se cunctis Matricis Ecclesiæ Canonicis qua potuit charitatis dulcedine eos alloquens ait: Charissimi mei, ecce iam vocor, iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Delibero declinare ad vnam de domibus meis nescius an sim vos vltra visurus. Et nunc, ô filioli! commendo vos gratiæ Dei, commendo vos summo ac vero pastori Christo qui propriam animam posuit pro ouibus suis, vt ipse prouideat hominem spiritu Sancto plenum, qui sit super Ecclesiam hanc, ne (vt inquit Moyses) sit populus Domini sicut oues absque pastore. Rogo autem vos vt, si quem vestrum aliquando offendi, mihi vestra benignitate ignoscatur. Tunc illis lachrymantibus, & dato osculo dominis Decano, Cantori, Archidiacono, & aliis per ordinem, vni qui denegauit ei osculum admirans dixit. Amice, quia enim me falsa suspicione arbitraris osorem tui fuisse, in felle amaritudinis & duricia cordis te proh dolor video esse: Sed cordium nostrorum verus inspector atque omnium secretorum ineuitabilis arbiter Deus ipse nouit, quòd nunquam te vel aliquem alium odio habui, quódque numquam cor meum tam vile fuit, vt ibi rancorem quiescere permitterem. Vnde impatientiùs tolero te tantæ ingratitudinis macula inuri, vt vel diligentis te vltimum vale, charitatis signum singulare dissimules audire, suscipere contemnas.

Attamen diuinitatem Christi exoro & hanc tibi iniuriam misericorditer donari. His dictis vir beatus omnibus benedicens secessit apud Turliacum, vt à ciuitatis strepitu, & ab hominum inquietudine separatus, soli Deo vacans se ad exitum præpararet. Tum verò orationi & contemplationi assiduè intentus, quotidie ad altare Dei & sacræ communionis mensam cum omni iocunditate & spirituali auidita-

Digitized by Google

te, quandiu potuit accessit. Postmodum ingraue scente morbo, cùm non posset celebrare vel sustinere quod ad sacellum veheretur, vt Missam audiret, iussit fieri altare in camera sua, & ibidem singulis diebus diuina peragi mysteria, necnon omnes Canonicas horas coram se alta voce decantari. Dominicâ autem die ante sextam feriam, qua expirauit, genibus flexis coram altari dicto symbolo, ac deuotissimè perceptis Corporis Domini nostri Iesu Christi Sacrosanctis mysteriis, omnibus qui aderant audientibus, dixit. Domine populum quem commisisti mihi, ex nunc in tua custodia relinquo, surgensque vbi inde lecto decubuit, vis morbi eum acriùs vexare cœpit. At ille flagellum Dei patientissimè tolerans, sursum leuatis oculis atque iunctis manibus clamabat dicens. Gratias ago tibi Domine Iesu Christe percutias me vt volueris, quia bene metui: Addebatque frequenter illa Diui Augustini verba: *Christe bone Iesu hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.* Denique orationes, psalmi, vel letaniæ nunquam ab illius ore recedunt. Inuocantur sancti, inuocantur Angeli, desideratur Christus, confunditur diabolus; & diuina scriptura impletur, quæ ait: *Timenti Deum bene erit in extremis.* Dum ergo cogeret conditio naturæ, vt iam resolueretur, sacræ vnctionis oleo delibutus allatum denuo sibi Corpus Dominicum venerabiliter adorans, ait: O dulcissime Domine Iesu, quanta est dulcedo deuotæ animæ tecum epulantis in conuiuio tuo, vbi ei non alius cibus manducandus proponitur, nisi tu vnicus dilectus eius super omnia desideria cordis eius desiderabilis? Testis es tu mihi Deus meus quod nulla potest me res consolari, nulla creatura quietare, nisi tu Deus meus quem desidero æternaliter contemplari. Quis mihi det Domine vt aperiam tibi totum cor meum, & fruar te, sicut desiderat anima mea? Habeo enim te in sacramento verè præsentem & volo in hac fide mori. Nunc igitur suscipe me cum hac sancta perceptione tui precioſi Corporis. Suscipe me, inquam, in laudem & gloriam nominis tui, qui Corpus tuum & Sanguinem in cibum & potum mihi parasti, & perduc me in vitam æternam, Amen. Hæc locutus mox percepto Corpore Christi, dicendo Psalmum: *Laudate Dominum de cœlis* expirauit quinto Idus Ianuarij. Postera autem die occurrebat sancti Guillermi Archipræsulis gloriosa solemnitas, & ecce Beatus Pontifex Philippus cuidam Monacho Cistercienſis ordinis sibi quondam familiaritate coniunctissimo eadem nocte cæteris Fratribus matutinarum laudum psalmodiam iam prosequentibus quiescenti adhuc in stratu suo astans leniter eum percussit in latere, & dixit: Surge Frater, nescis quia hodie festum est Sancti Guillermi Præsulis? En per vniuersum orbem terrarum hac hora Deo iubilant filij Dei, in cœlo exultant Sancti Angeli, & tu torpescens graui somno opprimeris. Surge igitur, lauda, & inuoca saluatorem tuum. Ad hæc ille expergefactus vbi neminem vidit credens se illusum rursus obdormiuit. Sed iterum affuit Sanctus Patriarcha eadem verba repetens. Cui religiosus vir ait: Quis es Domine? Et ille, ego sum (inquit) Philippus Episcopus amicus tuus qui migraui à corpore. Quibus dictis disparuit. Tunc Monachus rursus euigilans, stupefactúsque quum longè ab vrbe Biturica demoraretur, diem & tempus notauit. Et sollicitè requirens, eo die manifestissimè cognouit beatum virum transisse, quo secundùm supradictam visionem ille sibi apparuerat. Cæterum venerabile ac sanctum corpus huius glorioſi Archipræsulis sepultum est in medio Choro Cathedralis Ecclesiæ Bituricenſis sub lamina ærea, in qua exarantur versus sequentes: vide quales.

Mole sub hac lapidis sacrata sede sedentis
Philippi Bituris ossa beata iacent.
Clarus in orbe fuit; pauper sibi, pauperis altor
Carnem mirè domans, assiduus precibus,
Viuus humóque iacens medicamen præstitit ægris,
Est sibi nunc crebris Laurea pro meritis.

Huius meminit Guillermus de Nangis in libro de Gestis Francorum hoc modo inquiens: Anno Domini 1260. obiit Philippus Bituricenſis Archiepiscopus. Cuius sanctitatem post mortem ipsius Dominus diuersis signis & miraculis declarauit, &c. Sedit autem annis viginti quatuor, & mensibus quatuor vna die minus ab anno 1236. ad annum Christi 1260. Præsidentibus Romæ in Apostolica sede Gregorio IX. Celestino IV. Innocentio IV. & Alexandro IV. Imperante Frederico II. & feliciter regnante Sancto Ludouico. Præterea est operæ pretium magnalia illa virtu-

* *

tum quibus iam carne mortua spiritus almi huius Præsulis cum Christo viuens claruit recensere, ad laudem Dei omnipotentis, qui huiusmodi beneficijs sanctum suum mirificare voluit: vt daret intuentibus ostensionem quod sibi grata extiterint merita ipsius, dum vitæ austeritate & mentis puritate semper ei placere studuisset.

Igitur eodem anno, quo in æternam requiem plaudentibus Angelis sanctus Philippus Archiepiscopus translatus est, quædam sanctimonialis fœmina Egidia nomine in humero & brachio dextro, molestia (quam vulgo guttam vocant) laborabat: ita vt præ nimio dolore, per octo dies, nullo ad humanos vsus brachij sui officio fungeretur. Tandem vbi hortatu cuiusdam Sacerdotis, nomine Prudentis, venerandi auxilium beati Philippi implorauit: mox quâ tenebatur ægritudine liberata, candelam ceream propriis manibus formauit, eámque pro gratiarum actione ad sepulchrum eiusdem glorioſi præsulis offerendam transmisit. Tam singulare miraculum constat factum fuisse apud sanctum Hippolytum Bituris. Quo in loco tunc temporis religiosarum fœminarum multitudo sub Abbatissæ imperio degens, nihil magis præcipuum ducebat quàm suo exemplo populum exstimulare ad virtutes. Consequenti itidem tempore puer quidam paruulus duorum annorum Michael nomine casu cecidit in quoddam vas plenum aquæ, vbi submersus aliquantulum temporis iacuit extinctus. Tunc vterque parens & multi alij accurrentes quum extractum inde puerum (nullo vitæ signo in ipso apparente) iudicarent esse mortuum, matre pueri ac cæteris mulieribus quæ aderant, magna voce clamantibus ac dicentibus ô sancte Pater Philippe, ô Pastor glorioſe adesto nobis, ora pro nobis, fac nobis miraculum: vt per te glorificetur filius Dei (mira res!) puer viuus apparens clamare cœpit: & statim in ipsa hora portatus à matre ad sepulchrum sanctissimi Patriarchæ Philippi, vbi oblata pro se candela depositus est super pauimentum, currere cœpit per Ecclesiam, ita valens, ac si mali persensisset nihil.

CAPVT LXXII.

De Ioanne de Soliaco septuagesimo secundo Biturigum Archiepiscopo.

SEptuagesimus secundus præfuit dominus IOANNES DE SOLIACO nepos supradicti Simonis Archiepiscopi, fueratque ante initum Pontificatum Decanus eiusdem Bituricensis Ecclesiæ vir equidem propinquitate Regia, & omnium virtutum studio famáque clarissimus. Ipse conuocauit Concilium Prouinciale ad diem Lunæ post festum omnium Sanctorum, anno Domini 1263. Ad quod vocatus Burdegalensis Archiepiscopus nuncium suum cum litteris excusatorijs misit, quibus dixit se non posse adesse, quia in instantibus octauis Beati Martini Hyemalis Parisius interesse personaliter haberet citatus ad Concilium per Apostolicæ sedis Legatum ibidem celebrandum. Sequitur forma qua eundem Burdegalensem citauit.

Ioannes permissione diuina Bituricensis Archiepiscopus Aquitaniæ Primas venerabili Fratri & in Christo Charissimo N. Burdegalensi Archiepiscopo salutem in Domino. Quum malitia temporum exigat viros Ecclesiasticos circa suum officium vigilare, & circa ea potissimum quæ fidem & pacem respiciunt, sollicitudinem & diligentiam adhibere (maximè quum peccatis exigentibus) hinc hæreticis inde persecutoribus grauissimè concutiatur Ecclesia, pensato statu tam Bituricensis quàm Burdegalensis prouinciarum in quibus euidenter antiqui hostis malitia debacchatur, Fratres & Coëpiscopos nostros suffraganeos Bituricensis Ecclesiæ pro adhibenda morbo tam pestifero medicina, ad concilium decreuimus aduocandos. Quum igitur inter cæteros Burdegalensem Archiepiscopum nobilius membrum Bituricensis Ecclesiæ reputemus, & in quo plus consilij & consolationis nos inuenire speramus, auctoritate Primatiæ citamus vos & specialiter ad Concilium euocamus, mandantes & firmiter iniungentes, quatenus die Lunæ post instans festum omnium Sanctorum ad ciuitatem Bituricensem personaliter accedatis super negocio pacis & fidei & aliis tam nostræ quam vestræ prouinciæ negocijs nobiscum & cum alijs Fratribus & Coepiscopo nostris & alijs Ecclesiarum Prælatis, qui præsentes ibidem fuerint, diuina cooperante gratia tractaturi. Datum, &c.

Præterea ipse dominus Ioannes visitaturus Burdegalensem Prouinciam, anno Domini 1265. die Dominica in Octauis resurrectionis Domini Pictauensem ciuitatem Cruce præuia intrauit: atque in Ecclesia Cathedrali ab Episcopo & Capitulo

processionaliter, pulsatis campanis receptus, ad maius altare dictæ Ecclesiæ solemniter Missam cum pallio celebrauit, prædicauit, indulgentias dedit, & procurationem suam in domibus Episcopalibus cum Episcopo prædicto recepit. Postea verò plura Monasteria & Prioratus visitando, die Dominica subsecuta venit ad ciuitatem Xantonensem, vbi declinans ad Ecclesiam Cathedralem, per omnia egit vt in Ecclesia Pictauensi. Tandem Dominica proximè subsequente intrans Burdegalensem ciuitatem, eam ab interdicto (cui subiacebat) ob suum iocundum aduentum, primò absoluit, deinde omnia ibidem egit vt in Pictauensi Ecclesia. Huius autem venerandi Pontificis meminit Guillermus de Nangis in anno Dominicæ Incarnationis 1273. in hunc modum dicens. Ioannes de Soliaco Bituricensis Archiepiscopus obiit. Post quem Decanus Parisiensis, Gaufridu de Ponte-Cheuron electus, antequam confirmatus vel consecratus fuerit, defunctus est; & ideo non ponitur in numero Pontificum. Sedit autem dominus Ioannes de Soliaco annis vndecim, mensibus octo, ab anno 1261. ad annum Christi 1273. Præsidentibus Romæ Vrbano IV. & Clemente IV. & Gregorio X. Vacante Imperio. Regnante vero adhuc Sancto Ludouico & post eum Philippo III. Vacauit sedes tribus annis ac tot mensibus.

CAPVT LXXIII.

De Guidone de Soliaco septuagesimo tertio Biturigum Archiepiscopo.

SEptuagesimus tertius præfuit Dominus GVIDO DE SOLIAGO vir nobilitate sublimis, religione venerabilis. Hic erat Ordinis Prædicatorum, de quo Leander Albertus libro 3. de viris Illustribus prædicti ordinis in titulo de Patriarchis subiecta intulit. Guido de Soliaco vir mitis, lenis & præstans, tam nobilitate parentum, quàm morum honestate ad quæque agenda pro Christo intrepidus, constans, & magnanimus præfuit aliquando Cœnobio Parisiensi. Cognita verò ab Innocentio quinto Pontifice, maximi viri præstantia, Archiepiscopus primò Bituricensis, deinde Patriarcha, postremò Aquitaniæ Primas declaratus est anno Domini 1276. his enim tribus dignitatibus præeminens fuit. Ex hac luce subtractus est anno salutis 1280. hactenus Leander. Huius almi præsulis corpus humatum iacet in conuentu Beati Dominici ante maius altare, super cuius lapideum tumulum ista leguntur.

Hic iacet Frater Guido, nobilitatis speculum, cunctis exemplum fuit; in sæculo puer purus, in claustro morum grauitate maturus, Lector vtilis, Prior amabilis, in dignitate Præsul humilis, benignus omnibus, largus muneribus, sibi parcus. Obijt anno 1280. tertio Nonas Martij. Nonis eiusdem mensis sepelitur. Huius meminit Antoninus Florentinus parte tertia, ti. 23. Capitulo vndecimo, §. primo. Sedit autem annis quatuor, mensibus octo, & diebus viginti quinque ab anno 1276. ad 1280. Præsidentibus Romæ Innocentio V. Adriano V. Ioanne XXI. & Nicolao III. Imperante Rodulpho, & regnante Philippo tertio. Vacat tum sedes nouem mensibus.

CAPVT LXXIV.

De Simone de Bello-loco septuagesimo quarto Biturigum Archiepiscopo.

SEptuagesimus quartus præfuit dominus SIMON DE BELLO-LOCO in Bria, Carnotensis Archidiaconus, homo sanè non minus eruditione & bonis Litteris, quàm moribus & vitæ probitate clarus. Quo autem pacto ad apicem tantæ dignitatis conscendere meruerit non puto esse prætermittendum. Siquidem vacante sede per obitum supradicti Guidonis, dominus Decanus & Capitulum Bituricensis Ecclesiæ ad prouidendum de futuro Antistite congregati, compromiserunt in duos ex Canonicis Bituricensibus videlicet in Ioannem de Sancto Verano, & in Ioannem de Eculento. Quorum Ioannes de Sancto Verano vice sua & collegæ sui, Ioannem de Soliaco Canonicum Bituricensem elegit in Archiepiscopum & Pastorem futurum. Qui quidem Ioannes de Soliaco omne ius, quod ex huiusmodi electione sibi competebat, in manibus domini Martini Papæ (in cuius tunc præsen-

tia erat constitutus) liberè resignauit. Quam resignationem idem summus Pontifex admittens, & prouisionem ipsius Ecclesiæ hac vice de Fratrum suorum Cardinalium consilio dispositioni sedis Apostolicæ reseruans, Simonem de Belloloco magnis (vt præmissum est) scientiarum dotibus præditum, conuersationis laudabilis honestate decorum, morum elegantiâ redimitum, & aliis diuersis gratiis & virtutibus insignitum, supradictæ Bituricensi Ecclesiæ præfecit in Archiepiscopum x. Kalendas Ianuarij, Pontificatus sui anno primo. Iste nimirum in exercendis pastoralibus sarcinis animarum salutem & gregis institutionem solertissimè ac vigilantissimè obseruans frequenter omnem Diœcesim suam lustrando, gregem sibi diuinitus commissum non solum pabulo verbi salutaris vberum & magnificè pascebat : verumetiam (quum his diebus tanta annonæ caritas erat : vt panis qui alio tempore non valebat nisi vnum denarium, tunc nouem væniret denariis) largo suæ munificentiæ imbre aspergebat. Anno Domini 1284. visitauit Burdegalensem prouinciam. In cuius societate erat dominus Ioannes Abbas Monasterij Sancti Sulpicij Bituricensis, & alij plures viri cùm scientia tum moribus præditi. Die igitur Dominica post festum Beati Mathæi Apostoli & Euangelistæ dictus dominus Bituricensis Archiepiscopus veniens de Abbatia Fontisgombaudi Bituricensis Diœcesis Burdegalensem intrauit prouinciam & primum quidem visitatâ Diœcesi Pictauensi & sua cruce semper & vbique deportata ante ipsum, postea intrauit Xantonensem Diœcesim die Sabbati ante festum Beati Dionysii. Cui apud Xantonas eunti, Episcopus dicti loci, Decanus, Cantor, & plures Canonici Xantonenses, Prior etiam Sancti Eutropij, & prior de Sancta Gemma venerunt obuiàm per duo miliaria, sicque eo reuerenter salutato, recesserunt. Deinde quum idem dominus Bituricensis intrasset ciuitatem Xantonensem, Episcopus indutus cappa serica preciosa, mitram habens in capite, & anulum cum baculo pastorali in manu simul cum Canonicis ac cæteris Clericis indutis cappis sericis, Cruce præuia, portatis sacris Sanctorum reliquijs, textu Euangelij, thuribulis fumigantibus, cereis ardentibus, & campanis concrepantibus ipsum dominum Primatem suum reuerenter suscepit, atque eidem in introitu Cathedralis Ecclesiæ aquam benedictam humiliter obtulit. Sicque cum omni alia solemnitate (vt moris est) omnis chorus dictæ Ecclesiæ cantando versum *Smt Lumbi, &c.* eum ad maius altare perduxit.

Postea verò fuit ibidem optimè procuratus. Cæterum qualiter per alias eiusdem Burdegalensis Prouinciæ Diœceses exceptus vel procuratus fuerit licet maiores nostri, noluerint ignotum esse posteritati, immo ea omnia sint necessaria eorum diligentia literis demandata in ædibus Episcopalibus, tamen ne longior sim, ea desino particulariter meminisse. Præterea idem nobilissimus Antistes conuocauit Concilium Prouinciale apud Bituriges ad diem Mercurij post Festum Exaltationis Sanctæ Crucis, anno Domini 1286. Vbi pulcherrimas salubertimásque edidit constitutiones. Eodem quoque anno visitauit prouinciam Bituricensem, veniénsque ad maiorem Ecclesiam Claromontensem, fuit honorificè receptus processione sibi occurrente vsque ad gradus ante valuas maiores ipsius Ecclesiæ, conopeo super ipsum in quatuor hastilibus vsque ad maius altare portato, campanis pulsantibus & omnibus de Choro sericis cappis indutis. Quo facto intrauit cum Canonicis Capitulum, & post septem Psalmos & Litaniam, absolutione per ipsum dominum Bituricensem facta super Canonicos & assistentes, prędicauit Latino sermone, &c. Reliqua (si opus fuerit) requirantur Bituris in Archiuis Episcopalibus. Hic autem dimisso Bituricensi Archiepiscopatu, effectus est Cardinalis Episcopus Prænestinus, & tam in Regno Franciæ quàm in partibus Transmarinis legatus constitutus tandem obiit vij. Kalend. Septembres, aliàs legitur vij. Idus Octobris. Sedit annis quatuordecim, mensibus duobus, ab anno 1282. ad annum 1296. præsidentibus Romæ Martino IV. Honorio IV. Nicolao IV. & Cœlestino V. Imperantibus Rodulpho & Astulpho. Necnon regnantibus in Francia Philippo III. & Philippo IV.

CAP.

CAPVT LXXV.

De Ægidio de Roma septuagesimo quinto Biturigum Archiepiscopo.

SEptuagesimus quintus præfuit Sanctus ÆGIDIVS DE ROMA, vir certè omnium virtutum conscientia & fama iuxta beatus. Qui etiam diuino eloquio & sapientia incomparabiliter enitescens, multa suæ posteritati profutura scripta reliquit, de quo Guillermus de Nangis in anno Domini 1295. hoc quod sequitur scriptum reliquit. Frater Ægidius de Româ post Simonem de Bello-loco factum Episcopum Prænestinum per Papam Bonifacium Bituricensis Archiepiscopus est effectus. Hic de ordine Eremitarum Sancti Augustini in Pontificem assumptus plurimos libros super seriem Sacræ Scripturæ & Philosophiæ compilauit. Huius etiam meminit Ioannes Tritemius in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, hoc modo inquiens. Ægidius de Româ Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Prior Generalis, ac deinde Bituricensis Archiepiscopus Beati Thomæ Aquinatis quondam auditor, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in Philosophia Aristotelica nulli suo tempore secundus, ingenio subtilis, sermone Scholasticus, vita & conuersatione deuotus. Scripsit multa & pene infinita opuscula, &c. Item de eodem Iacobus Bergomensis in Supplemento Chronicorum præclarè & concinniter scripsit ea quæ subiecta sunt in anno Domini 1296.

Ægidius Romanus Ordinis Eremitarum Generalis Prior, & Bituricensis Archiepiscopus ac Primas Aquitanię declaratus his temporibus ob ingenij magnitudinem Theologorum princeps est appellatus. Quod quidem conijci potest si à curioso lectore eius volumina perspiciantur. Hic namque ex illustri Columnensium Romanorum familia natus quum longo tempore ordinem suum, omnemque Ecclesiam doctrina & moribus illustrasset, plurimóque labore præceptoris sui Sancti Thomæ Aquinatis opera apud Parisios defensasset, tandem miraculis clarus, beato fine quieuit. Qui sanctitatis merito beatus Doctor est appellatus. Qui & hæc quæ sequuntur edidit librorum volumina, videlicet. De Corpore Christi. De mensura Angelorum. De generatione Angelorum. De gradibus formarum. De esse & essentia. De generatione & corruptione. De formatione corporis humani. De peccato originali & prædestinatione & inferno. De resurrectione mortuorum. De distinctione articulorum. De fide Catholica. De officio Missæ. De regimine Principum. De renunciatione Papæ: Item super primum, secundum, tertium & quartum sententiarum. Compendium Theologiæ. Quodlibeta. Correctorium correctorij Beati Thomæ. Super tertium librum de Anima. Super octo Physicorum. Super omnes Aristotelis libros. Super librum Ethicorum. Hexameron libros duos. De intellectu possibili. De laudibus Diuinæ Sapientię. De carcere & bona fortuna. De subiecto Theologiæ. De Ecclesiastica potestate. Super Cantica Canticorum. Super Epistolam ad Romanos. Super primam ad Corinthios. Super omne quod in mundo, &c. Sermones præterea multos perutiles per totum anni circulum, & alia multa quæ videre non potui. Hactenus Bergomensis verba recensuimus. Denique quanta fuerit nominis huius glorioſi præsulis authoritas vel hinc licet conijcere quod antequam ascitus foret ad Pontificatus honorem: ob doctrinæ præstantiam & splendorem virtutis meruerit didascalus fieri adolescentis Regis Philippi IV. Quo certè impulsore librum de Regimine Principum non minus feliciter quã accuratè composuit. In quo siquidem quicquid ad animum cùm scientiis, tum virtutibus exornandum expedit, ita doctè, appositè, & perfectè disseruit, vt (quemadmodum superiùs dictum est) inter sui æui scriptores celeberrimus meritò æstimatus sit. Huncitaque doctissimum præsulem, doctorem clarissimum propter eruditionem & eloquentiam, vitæ quoque sanctimoniam oportet omnibus studiosis esse commendatissimum. Porrò vir iste admirabilis sicut in Chronicis ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini legimus, tempus suum fere totum in excelsis Parisiensibus gymnasiis consumpsit. De quo profectò non tantum librorum admiranda est multitudo, quantum sui acumen ingenij & tenacissimæ memoriæ donum stupendum, quòd in tot tantisque eius dictis in nullo vnquam sibi repertus est contradixisse: aut quod aliquid dixerit retractandum. Non enim tum hoc, tum illud,

Digitized by Google

(vt plerique faciunt) sed semper idem asseuerauit. Pectus in soluendis quæstionibus habuit amplissimum, fundamenta irrefragabilia, rerum exquisitor diligentissimus, in dicendo singularis. Et quidem ita clarus: vt hic omnium humanæ & diuinæ sapientię ex omnibus Doctoribus Scholasticis solus videatur dilucidasse arcana. Non me mendacem dicet qui fuerit eius in operibus exercitus Hactęnus Ambrosius Coriolanus in memoratis Chronicis. Cæterum idem beatus Ægidius dicitur interfuisse Concilio Viennensi cum Clemente V. Papâ, & Philippo Pulchro Rege Francorum. In quo Templariorum ordo finem excepit anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo. Hi enim Templarij, vt refert Guaguinus libro 7. Compendij, apud Hierosolymam fidei defensionem professi, cùm primùm religionis consideratione opulentissimos se effecissent: præclarissimis per orbem Christianum ædibus comparatis, Christo reiecto falsis se religionibus dediderunt. Erat enim illis simulachrum, cui pellem humanam superinduxerant, appositis ad oculos statuæ duobus fulgentissimis carbunculis, qui vice oculorum micarent. Et statuæ dum quispiam ad illos ingrederetur, ordinem vitámque Templariorum professurus, abnegato ante omnia Christo & Cruce eius calcata, sacrificium faciebat. His ergo atque huiusmodi criminibus Templariorum ordo (vt diximus) deletus est: Bona verò illorum atque loca partim Rhodijs, partim aliis religionibus concessa sunt. Hinc est quod sanctissimus pater Ægidius cupiens ordinem Eremitarum diui Augustini (quem professus fuerat) dilatari: facile impetrauit à Philippo Rege cognomento Pulchro donari eidem ordini locum & ædem Templariorum Bituris, vt inde fugatis peccatoribus atque prophanis, sancta Eremitarum religio ibidem floresceret. Tunc igitur euocati Fratres Eremitæ Sancti Augustini (qui in siluis extra oppida vitam religiosam ducebant) introducti fuerunt illuc per eundem Pontificem. Sicque ab eis locus ille ad hæc vsque tempora pacificè possidetur. Quibus sanè Fratribus venerabilis idem Patriarcha dicitur plurima bona, & maximè preciosa ornamenta & vtensilia contulisse, quæ omnia igne consumpta sunt die festo Beatæ Mariæ Magdalenæ, anno Domini 1487. Eo quoque Bituris præsidente anno Domini 1296. (quod quidem præmitti debuit) ædificabatur adhuc conuentus & Ecclesia Fratrum Minorum, licet ipsa Ecclesia fundata sit temporibus domini Ioannis de Soliaco quondam Bituricensis Archiepiscopi. Fundatorum autem ipsius Ecclesiæ seu conuentus hæc sunt nomina. Heruæus vir nobilissimus, dominus Virsionis, & domina Ioanna de Mazeris vxor illius. Quæ eo mortuo atque circa medium Chorum eiusdem conuentus honorificè sepulto, anno Domini 1270. ordinauit moritura ipsam Ecclesiam perfici de suis redditibus, quemadmodum in veterum scriptis (vnde hæc quę subiunximus deprompta sunt) memoriæ proditum est. Hoc itaque modo ipsa loquitur inter cetera hæc adiungens.

Item lego Conuentui Fratrum Minorum Bituricensium pro perficienda & consummandæ eorum Ecclesia in altitudine & latitudine Chori cum volta omnes sumptus necessarios. Et volo & præcipio quod dicti Fratres percipiant annis singulis ducentas libras Parisienses per manum exequutorum meorum de bonis meis applicandas in fabrica Ecclesiæ supradictæ, donec perfectè & integrè fuerit consummata. Item, volo & præcipio quod omnia quæ ratione dictæ Ecclesiæ ædificandæ amouebuntur seu mutabuntur vel deteriorabuntur, ad statum bonum & sufficientem de bonis meis reducantur. Item, volo & præcipio quod fiat pyxis ad reponendum corpus Christi in Ecclesia dictorum Fratrum Bituricensium de monili aureo quod porto, &c. Actum anno Domini 1296.

Verùm vt ad sanctissimum Patriarchum Ægidium reuertamur, ipse conuocauit Concilium Prouinciale Bituris ad diem Crastinum Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis anno Domini 1315. Sed morte præuentus rem infectam reliquit. Cardinalium quoq; Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cœtui asciptus fuit: sed minimè publicatus ipsâ morte impediente. Postremum non debent à nobis præteriri ea quæ de tanto Præsule scripsit Iacobus Baptista Alouisanus in quadam liminari Epistola libri prænotati: Quodlibeta domini Ægidij Romani. Ægidius (inquit) Romanus illustri Columnensi sanguine ortus in nostra familia censor optimè sese vltroneus miscuit. Adeò virtuti & summis disciplinis addictus: vt paulò post primario gradu post Augustinum insignitus fuerit. Et (vt scis) multa ex huius ingenio diuinitus emanarunt. Vt quæ ipse excogitarit adeò ingeniosè quadrant, vt ad vnguem cadant. Nouit & Prædicatoria academia, quantũ ingenio valuit: qui eorum (qui diuum Thomam taxabant) vt dilucidè per eundem Correctorium (quod satius Defensorium dicam his diebus in lucem missum) acerri-

Digitized by Google

mè extitit, refractarius. Nouerunt & Parisii vbi felicissimè vixit & sanctissimè obiit 5. Idus Augusti. Cui& inter alia sepulchro perpulchro sculptum vidi in conuentu Augustinianorum. *Iacet hic Ægidius Philosophiæ alumnus, &c.* Sedit autem annis decem & nouem, mensibus duobus, ab anno 1296. ad 1315. sub summis Pontificibus Bonifacio VIII. Benedicto XI. & Clemente V. Imperantibus Astulpho, Alberto, Henrico V. & Ludouico IV. Regnantibus verò in Francia Philippo IV. & Ludouico X. cognomento Hutino. Vacat tum sedes mensibus octo.

CAPVT LXXVI.

De Reginaldo de Porta septuagesimo sexto Biturigum Archiepiscopo.

SEptuagesimus sextus præfuit dominus REGINALDVS DE PORTA optimus sanè vir & multa commendatione dignus. Iste primò fuit Episcopus Lemouicensis, deinde Bituricensis Archiepiscopus, tandem Cardinalis Episcopus Hostiensis. Qui quum optimus foret Ecclesiasticæ disciplinæ censor pulcherrimas saluberrimásq; constitutiones edidit, quibus Clerum Bituricensis Ecclesiæ ad meliorem reduxit viuẽdi modum, vt sequitur: *Vniuersis & singulis has præsentes literas visuris & audituris, Reginaldus miseratione diuina Bituric. Archiep. salutem in Filio Virginis gloriosæ. Omnibus notum fieri volumus per præsentes quòd cum venerabiles & discreti viri Decanus & Capitulum nostræ Bituricensis Ecclesiæ super reformatione diuinorum officiorum, in quibus ob defectum & negligentiam seruitorum ipsius Ecclesiæ præsertim Canonicorum absentium euidentem & manifestam, Ecclesia ipsa quandoque patiebatur in officio diuino defectum: & ordinandi de fructibus vnius præbendæ tam in grosso quam in distributionibus, & distribuendi eosdem sicut nobis videretur, nobis plenariam dederint potestatem, sicut in instrumento inde confecto plenius continetur. Nos in Dei nomine amen, ad reformationem huiusmodi procedentes vt diuinus cultus in ipsa Ecclesia amplietur, & ne circa illam possit esse defectus, habita deliberatione super hoc diligenti, iuxta potestatem nobis datam cum venerabilibus & discretis viris Magistris Ioanne Thomæ Cancellario, Raynaldo de Duno Archidiacono de Sancerre, Ioanne Britonis Pœnitentiario nostro, & Guillelmo Billeron Canonicis in Ecclesia memorata, ordinamus quòd Canonici Sacerdotes in suo ordine quilibet suum Sacerdotale officium exequantur, tam in matutinis quàm in missa & in cæteris horis Canonicis. Et quicumque de præsentibus & absentibus Canonicis grossum præbendæ percipientibus hebdomadam suam per se, vel per alium Canonicum non fecerit pœnam quadraginta solidorum Turonensiũ incurrat. De qua nulla fiat, nec fieri possit remissio, sed pœna ipsa Capitulo applicetur, & de grosso præbendæ suæ, seu bonis suis alijs retineatur. Vbi verò præsens Canonicus defectum absentis vel præsentis Sacerdotis Canonici nolentis hebdomadam facere, supplere voluerit, volumus & ordinamus quod dictum defectum supplens quadraginta solidos Turonens. percipiat. Qui per capitulum in principio hebdomadæ offerentur & soluentur eidem. Rursus si Canonicus Sacerdos postquam hebdomadam suam vel alterius inceperit in missa defectum fecerit, pro singulis defectibus pœnam quinque solidorum Turonensium incurrat. Quos de summa quadraginta solidor. si pro alio, vel de propria bursa si suam hebdomadam fecerit Capitulo restituere & reddere teneatur, vel de præbendæ suæ fructibus seu distributionibus per Capitulum retineatur. Pro defectu verò matutinorum duodecim, pro defectu vesperarum sex, & pro defectu cuiuslibet aliarum horarum duorum denariorum Parisiensium pœnam incurrat modo simili Capitulo exoluendam, vel de dictis fructibus seu distributionibus per idem Capitulum retinendam, &c. Volumus insuper & ordinamus quod Diaconi & Subdiaconi Canonici in suo quilibet ordine officium suum cum omni diligentia & reuerentia, & omni tarditate repulsa exequatur, & per se, vel per alios Canonicos in festiuitatibus Cantoris & Succentoris & Anniuersarijs solemnibus mortuorum, & quando Archiepiscopus celebrabit in Ecclesia. In cæteris verò diebus & anniuersarijs per Diaconos & Subdiaconos idoneos exequantur suum officium & exsoluant. Et si defectum in Missa fecerint: pro singulis diebus quibus dictum defectum fecerint, pœnam quinque solidorum incurrant. Item quum secundùm statuta Ecclesiæ antiqua Canonicus qui interest matutinis, vel missæ, vel vesperis residentiam die illa reputetur egisse, videlicet qui integraliter non exeundo Chorum postquam intrauerint finem matutinorum seu missæ vel vesperarum in Choro continuè remanentes & assiduè expectabunt. Alioquin die illa pro residentia minime computetur. Hortamur tamen & monemus omnes canonicos & singulos eorundem quod abiectis consuetudine seu abusu ex leuitate quadam & instabilitate ac indecuotione damnabili introductis quem tenent aliqui intrando Chorum & statim postmodum exeundo, quum hoc non fit*

cantare Deo, sed potius irridere, Chorum continuent, & horis canonicis studeant personaliter interesse: vt eorum exemplo vicarij & alij seruitores Ecclesiæ ad assistendum & deseruiendum continuè prouocentur. Ordinamus etiam quod omnes Vicarij absentes per Capitulum intra octo dies reuocentur, siue habuerint licentiam à capitulo, siue propria lenitate seu temeritate recesserint, &c. Item ordinamus & iniungimus quod horæ deuotè, tractim, & cum debitis pausationibus dicantur & solemniter cantentur, &c. Per hanc ordinationem nostram non intendimus statuta auctoritate sedis Apostolicæ quondam in dicta Ecclesia edita super diuini reformatione officij in aliquo reuocare: sed adiectione pœnarum prædictarum ipsa volumus roborari, &c. Quæ præmissa omnia & singula per nos virtute potestatis nobis super hoc traditæ per Decanum & Capitulum memoratos, vt prædicitur, ordinata & pronunciata vt firma & stabilia maneant in futurum, præsentes litteras fieri fecimus sigillique nostri appensione vna cum sigillo dictorum Decani & Capituli communiri ad maiorem roboris firmitatem anno Domini 1319. 3. Kal. Nouembris, Præsidentibus ad hoc venerabilibus & discretis viris Fratre Guillermo Abbate S. Sulpicij, Magistro Thoma de Muto Priore Ecclesiæ B. Mariæ de Salis Bituricensis ac Ioanne de Sancto Sulpicio Canonico Cenomanensi testibus ad prædicta vocatis specialiter & rogatis, &c.

Idem verò Pontifex Bituricensem rexit Ecclesiam quatuor annis & mense vno, ab anno Domini 1316. ad annum 1320. Præsidente Romæ Ioanne XXII. Imperante Ludouico Bauario, atque regnante Philippo V. cognomento Longo.

CAPVT LXXVII.

De Guillelmo de Brocia septuagesimo septimo Biturigum Archiepiscopo.

SEptuagesimus septimus præfuit dominus GVILLERMVS DE BROCIA vir prouidus atque discretus, necnon in Ecclesiastico & Ciuili Iure apprimè peritus. Iste prius fuit Anicensis seu Podiensis Episcopus, deinde Meldensis, postea verò Bituricensis Archiep. Exhumauit corpus B. Austregisilli quondam Bituricensis Archipræsulis, & in eadem Ecclesiâ, in quâ iacebat, honorificè collocauit die Lunæ post Pascha anno D. 1324. Et eodem anno dedicauit Eccles. Bituric. die Dominica ante festum B. Nicolai æstiualis, vt habetur in quodam veteri libro dictæ Ecclesiæ. Fuit demum Archiepiscopus Senonensis. Præfuit autem Bituricensi Ecclesiæ decem annis, ab anno Christi 1320. ad 1329. Præsidente Romæ in sede Apostol. Ioanne XXII. Imperante præfato Ludouico, Regnantibus in Francia Philippo V. Carolo IV. & Philippo VI. cognomento Valesio.

CAPVT LXXVIII.

De Fulcaudo de Rupe Cauardi septuagesimo octauo Biturigum Archiepiscopo.

SEptuagesimus octauus præfuit dominus FVLCAVDVS DE RVPECAVARDI Lemouicus. Hic morum integritate & admirabili prudentia parique humanitate insigniter floreſcens quum aliquanto ante Nouiomensem rexisset Ecclesiam, demum totius Aquitaniæ Primatum adeptus, per 12. annos & 9. menses præsedit Bituricensi Ecclesiæ, atque obiit 7. Idus Augusti. Huius est illud permagnificum mausoleum marmoreum quod in medio choro Bituricensis Ecclesiæ duobus vel tribus cubitis à pauimento exaltatur. Iste assignatis redditibus Capitulo Bituricensi, fecit fieri Cantoris festum B. Ioannis Baptistæ in eadem Ecclesia. Sed & ad sepulchrum suum per singulos menses stationem esse processionaliter faciendam moriturus ordinauit. Claruit autem ab anno 1330. ad annum 1343. temporibus summorum Pontificum Ioannis XXII. Benedicti XII. & Clementis VI. Imperante adhuc Ludouico Bauaro, & regnante Philippo Valesio.

CAPVT LXXIX.

De S. Rogerio septuagesimo nono Biturigum Archiepiscopo.

SEptuagesimus nonus præfuit S. ROGERIVS vir omnium præcipuus & electus, gratiâ puræ humilitatis præditus, innocentia præclarus, vitæ quoque sanctitate mi-

Digitized by Google

rabilis. Fuit autem iste patriâ Lemouicus, ex Castro de Ternis originem ducens. Cuius Pater dicebatur Gaudefridus, cognomento Fortis, vir nobilissimus dicti castri dominus. Qui ex generosissima coniuge sua sorore reuerentissimi in Christo Patris ac D.D. Guillermi de Capella-Taillefer Epis. Tholosani atque S. Romanæ Ecclesiæ Cardin. genuit tres filios videlicet Odinetum, Dionysium, & Rogerium. Porro quum idem Gaudefridus homò sanè virtutum experimentis ipsa nobilitate clarior centum viginti prope esset annorũ, præsentis sæculi ærumnas dimittens, ad interminabilem perpetuę fœlicitatis diem peruenturus migrauit à corpore. Post cuius decessum prædictus Odinetus primogenitus miles inter cæteros viribus pollens, & animi magnitudine clarus regendę domus curam suscepit. Dionysius verò cùm esset etiam multa probitate conspicuus, non multum post in Sacerdotali ordine laudabilis vitę cursum maturius cõpleuit. At memoratus Cardinalis cernens Rogerium habere indolem virtuti musisq; natam, curauit tam nobilem pueri animum in florentissima Aurelianensi Academia liberalibus disciplinis imbuendum. Vbi ille quum bonis moribus ac scientiis vberrimè succreuisset in theatro litterario primis subsellis collocandus, vtriusque iuris Professor clarissimus euasit. Iamque ex eo tempore ad Ecclesiasticas dignitates, procurante præfato auunculo suo, conscendere meruit. Ac primum Archipresbyter Dauuracensis in Normannia, deinde Bituricensis Ecclesiæ Decanus, postea Aurelianensis Episcopus, demum itidem Episc. Lemouicensis; ad postremum verò Archipræsul Bituricen. effectus est. Quo autem pacto ad Episcopalis dignitatis apicem prouehi meruit, videtur non esse prætereundum. Sanè dum clerus omnis & populus vniuersus Aurelianensis ciuitatis pro sufficiendo nouo Antistite ad Ecclesiam die constituta conuenisset, affuit inter eos & B. Rogerius. Qui cernens plerosq; tam præcipitis animi, tamque pernicioseſſe, vt sacrosanctam sedem, dignitatémque affectare non reformidantes, sese non ingererent solùm, sed (vt nunc proh dolor! fieri audimus) violenter inferrent, cuidam Canonicorum, vt dicitur capitulum ingredienti ludens, ait. Et ego quidem optarem dominos electores pro hac re mei meminisse. Tum Canonicus vir faceto lepore solers, rem, vt erat, ad consistorium detulit. Quamobrem cunctis ioco annuentibus vt idem Rogerius Pontifex fieret: mox Capituli præsidens qui eius egregiam fidem, insignem doctrinam, ac prudentiam eximiam iam olim exploratam habuit diuino afflatus spiritu surrexit: & in medio consistentium stans: Viri Fratres [ingenuè ait] mihi certè testes sunt cœlum & terra, quod hodie vnanimiter elegeritis atque petieritis dominum Rogerium vobis in præsulem constitui. Sed & ego secundùm vestram sententiam in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti eundem pronuncio fieri debere huic ciuitati summum Sacerdotem, vt pote Angelici vultus hominem, sanctitate præditum, & cœlesti sapientia insignem. Denique oportet esse vobis persuasissimum sic visum fore spiritui Sancto cui resistere sine grandi peccato non poteritis. Igitur illo hęc ita perorante, omnes Canonici diuino nutu vnanimiter ipsum Sanctum Rogerium in Episcopum elegerunt. Qui tamen vt sensit super se sortem electionis futuram, territus tum oneris magnitudine, tum virium suarum, vt ipse putabat, imbecillitate, reclamans affirmabat, quod cùm id officij postulasset, se minimè fuisse seriò locutum; eos autem falsa opinione decipi, qui tantillum existimarent fore idoneum Pontificem. Sed, vt triuiali vtar adagio, plurium calculus vicit. Dumque ille probè aduerteret etiam totius populi suffragia in suam consentire personam, vix tandem persuasum habuit vt se pateretur consecrationis oleo inungi, & pontificali infula amiciri. Et quidem non humana industria, sed potius superna clementia ipsum constat ad id dignitatis fuisse prouectum. Vnde in hoc non queo satis admirari diuinitatis inscrutabile consilium, quæ vel tam iucunda, tamque lepida occasione sanctum suum mirificare voluerit, præueniendo eum in benedictionibus dulcedinis suæ. Cæterum operæ-pretium atque necessarium visum est mihi non solùm causam modúmque prouectionis eius scribere, verùm etiam admirabilem eiusdem conuersationem in lucem conspectúmque omnium vel ex parte prodere, ratus ex istiusmodi relatione plurimam venerando huic antistiti laudem, & nonnullam legenti ædificationem accessuram. Hic itaque ab adolescentia amorem rerum fluxarum prorsus despiciens, pudicitiam ac sobrietatem quod tam laudandum fuit in iuuene, quàm rarum, & quicquid ad animum cùm scientiis tum virtutibus exornandum expedit, impiger sectatus fuerat. Qui etiam post adeptum pontificatus honorem, antecessores suos ita factis æmulatus est: vt celebri per orbem fama non aliter quàm clarissima tuba virtutes ipsius prædicarentur.

Digitized by Google

Inter quas innumeras, hæ singulari omnium applausu excipiebantur. Quod videlicet mirum quendam pietatis ardorem iugiter spirans, salutifera doctrina blandè ac placidè monstraret omnibus æternæ fælicitatis viam. Quod nihil eorum prætermitteret quæcumque subditis posset in consilium adferre. Quod tam singulari beneuolentia, támque incredibili humanitatis suauitate exciperet omnes : vt ipsos quoque (si quos habebat) aduersarios gratiæ vi quadam alliceret, & ab eisdem veneraretur. Quod numquam petitionibus afflictorum solatium quod adhibere posset denegarit. Quod hospitalitate adeò insignis fuit : vt eius domus peregrinis ac pauperibus semper patuerit. Quod nudis specialius compatiens, eorum indigentiam soleret liberalissimè releuare. Quid multa ? Denique si quis sobrietatis nomine est commendabilis, hic omnium maximè. Erat enim cibi potúsque parcissimus. Vnde non prœteribo huic loco breuiter adiicere, quod perseuerante vsque ad hanc meam ætatem fama vulgatum accepi, licet ea parum sincera fide digna existimem. Fertur sanè, quod aliquando dum iuxta quandam popinam idem Pontifex Rogerius fortè transiens, recentis pastilli delectatus odore fuisset, ipsum pastillum sibi clam eo iubente allatum adhuc bullientem capiti suo instar pilei imposuerit, in sese vel leuem gulæ suggestionem tam crudeli exustione puniens. Quamobrem facile aduertitur ad quantam perfectioris vitæ eminentiam vir sanctus conscenderat, qui (vt diximus) vel tenuem naturæ appetitum minimè dimiserit fore inultum. Sed tanta cum seueritate ipsum damnare voluerit. Interea verò memoratus Odinetus Frater ipsius è viuis excedens, vnicum reliquit filium vocabulo Ioannem adolescentulum sanè cultissimis, puríssimúsque moribus pellucidè florentem, necnon sua eximia indole (nisi citâ morte præreptus fuisset) nemini non magna pollicentem. Dum enim ille philosopharetur Parisiis, & quadam die traducendi temporis gratia, iuxta ripam Sequanæ cum sodalibus spaciaretur, casu decidens in amnem, statim aquarum violentia suffocatus exhalauit spiritum. Quo ita lamentabiliter extincto Sanctus Rogerius vniuersam paternæ hæreditatis successionem solus pacificè possidens, illico vt cum Psalmista veraciter decantare posset, *Domus mea domus Orationis vocabitur*, decreuit Monasterium construere apud Ternas suæ natiuitatis locum. Quod commodiùs ad effectum vt perduceret, dimisso Aurelianensi Episcopatu, se ad regendam Lemouicensem Ecclesiam transtulit. Porro sic omne eiusdem Monasterij ædificium ordinauit, vt sacræ ædis maius altare in ipso (quo eum fuerat enixa sua genitrix) loco constituerit, ac propria manu consecrauerit. Sciendum verò est quod per idem tempus ordo Cœlestinorum miro Dei fauore pullulans, viros tum scientia, tum magnis virtutibus integerrimos mirabiliter producebat. Cuius institutor fuit dominus Petrus de Marrone, qui postea dictus est Cœlestinus quintus Pontifex Maximus, vir inter cæteros & sacræ religionis integritate, & vitæ innocentia, ac insigni sanctitate clarissimus. Quia igitur hunc in humanis cælibem vitam ducentem Rogerius in suâ iuuentute optimè nosse ac videre meruerat, singularem erga ipsum & eius Ordinem gerens deuotionem non nisi de eodem ordine viros religiositate insignes voluit inhabitare suum Monasterium de Ternis. Interea quum diuina prouidente clementia idem Aquitanorum Primas Bituris constitutus fuisset, Xenodochium quoque in Marchia fundauit : Vt videlicet dum semper in illo loco de redditibus (quos facta solemni donatione ibidem delegauit) peregrinorum ac pauperum necessitati pro Dei amore liberaliter subuentum foret, iustitia eius (vt canitur in psalmo) maneret in sæculum sæculi. O Pontificem dignissimum, nullo certe laudum genere non afficiendum ! Cui (re vera) non sufficit suis tantùm temporibus pauperum Christi inopiam misericorditer subleuare, nisi etiam in futuras longè generationes indigentiæ miserorum pia sollicitudine prouidisset. O vtinam ad illius formam præsules quamplurimi contenderent, à quibus præcipuè pendet totius reipublicæ disciplina. Id profectò si fieret, regnaret in nobis Christus, & sub illius vexillis fœlici tranquillitate frueretur orbis. At Pontifex sanctissimus Rogerius quum vnus esset ex optimis atque electis pastoribus, de quibus dominus per Hieremiam Prophetam ait, *dabo vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*, non minus doctrina quàm exemplo Ecclesiam Bituricensem ab omnibus vitiorum seu hæresum zizanijs (quæ synceræ pietatis lætissimam segetem vitiabant) repurgare vigilantissimè studebat. Attamen non defuere aliquanti tenebrarum filij qui dum vitâ suam ad lucidissimum exẽplar sanctæ conuersationis tanti præsulis componere debuissent, non so-

Digitized by Google

lùm salutaria ipsius monita parui pendebant. Verumetiã (quod extremæ dementiæ est) aduersum se inuicem contentionibus, zelo, liuore, superbia, inimicitiis atque odiis magis inflammati ipsum virum sanctum valdè affligebant. Quamobrem tantæ ingratitudinis mox pœnas luerunt, missa in eos cælitus lamentabili vltione. Anno siquidem Dominicæ Incarnationis 1353. vrbem Bituricensem (salua duntaxat Cathedrali Ecclesia & Episcopali domo) vorax ignis flamma absumpsit, atque ne cuiquam dubium fieret hanc diuini esse iudicij vindictam, dum ciuitatis pars vna penitus incendio consumpta fuisset, ventus vehemens sui flatus violentia ignium flammas integram partem vrbis exurendam reflectens, nullam omnino domum intactam reliquit. Quo peracto, beatissimus pater Rogerius duros corde & publicè peccantes arguendo atque durius increpando admonebat, vt qui Deum metuere, & eius mandata custodire in rerum omnium abundantia & temporum tranquillitate noluissent, saltem post flagella ab iniquitatibus suis salubriter resipiscerent. Igitur historiæ tradere licuit quod iusto Dei iudicio, & necessaria correptione Bituriges diuinam senserint manum.

Cæterùm vt semel finiam beatus Pontifex Rogerius dum inter cæteros doctrina, religione, ac insigni sanctitate clarissimus haberetur in plebe, esset̃que iam nonagenarius cælo dignus, terris ereptus ad immortales triumphos Angelicis manibus translatus est; moriturus autem ordinauit suas opes pueris studentibus tribui, & vt corpus suum in Monasterio de Ternis sepeliretur, sed quibusdam impedimentis superuenientibus quum non potuisset illuc inferri, apud Cathedralem Ecclesiam maximâ veneratione & celebritate humatum est. Ad cuius sepulchrum ob ingentia miracula, non ciues solùm; verumetiam rustici cateruatim concurrunt, vellera ouium aliâsve oblationes in testimonium sanctitatis apportantes. Hij versus in eius tumulan lapide leguntur.

De Ternis natus Rogerius intumulatus,
Noster prælatus iacet intus bene gratus,
Ter c. mille dabis, sex x. septem numerabis.
In prima feria (quem suscipe Virgo Maria)
Marci migrauit quia castè semper amauit.

Sedit annis viginti quatuor, mensibus sex ab anno 1343. ad annum 1367. Præsidentibus Romæ Clemente VI. Innocentio IX. & Vrbano V. Imperantibus Ludouico Bauaro & Carolo IV. Atque regnantibus in Francia Philippo VI. Ioanne primo & Carolo V. Bituris autem feliciter strenuéque principante Domino Ioanne Duce magno. Qui eodem anno (quo sanctus Rogerius migrauit ad Christum) datis Capitulo Bituricensi sex viginti libris perpetui redditus amortizatis fundauit illam Missam quæ singulis diebus in aurora ad pulsationem vnius magnæ campanæ dicitur cum nota ad altare sanctæ Dei Genitricis Mariæ retro altare Beati Guillermi in eadem Bituricensi Ecclesia. Quique sacram ædem Palatij magnis ædificauit sumptibus, vt paulò pòst à nobis accuratiùs dicetur. Vacat sedes sex mensibus.

CAPVT LXXX.

De Petro de Stagno octogesimo Biturigum Archiepiscopo.

OCtogesimus præfuit Dominus PETRVS DE STAGNO Ruthenis oriundus ac religiosus Ordinis Sancti Benedicti. De quo (in quodam paruo libro Monasterij Sancti Sulpicij Bituricensis hæc scribuntur. Anno Domini 1370. die Veneris septima Iunij Papa creauit duos Cardinales, videlicet Petrum Episcopum Florentinum, & Petrum de Stagno Archiepiscopum Bituricensem qui Bituricensis fuit creatus Vicarius Papæ & paulò pòst intrauit ciuitatem Perusinam vt Vicarius, ac eiusdem accepit possessionem. Rexit autem Bituris Ecclesiam annis duobus & vndecim diebus ab anno 1368. ad 1370. sub Vrbano V. Pontifice maximo. Imperante Carolo IV. & Carolo V:

CAPVT LXXXI.

De Petro de Croso octogesimo primo Biturigum Archiepiscopo.

OCtogesimus primus præfuit Dominus PETRVS DE CROSO vir cumprimis integer ac literatus. Iste tandem effectus est Cardinalis Arelatensis postquam Bituris sedisset quatuor annis, minus quinque Hebdomadis ab anno 1370. ad annum Christi 1374. Præsidentibus in sede Apostolica Vrbano V. & Gregorio XI. (qui antequam ad summum Apostolatus gradum proueheretur, fuerat Maior Archidiaconus Ecclesiæ Bituricensis) Imperante Carolo IV. & Regnante supradicto Carolo quinto.

CAPVT LXXXII.

De Bertrando de Chanaco octogesimo secundo Biturigum Archiepiscopo.

OCtogesimus secundus præfuit Dominus BERTRANDVS DE CHANACO Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Anno 1. Pontificatus ipsius, qui fuit Dominicæ Incar. millesimus trecentesimus septuagesimus quartus, Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo vrbem Bituricensem inhabitare cœperunt, ac primum ibidem Ecclesiam construere permissi sunt in loco qui tunc temporis vocabatur Gallicè Noyer, in possessione spectabilis viri Ioannis Pelourde ciuis Bituricensis. Hoc concedente & confirmante Gregorio Papa XI. anno Domini 1377. Non multo post schisma in Ecclesiâ Romanâ hoc quidem pacto accidit. Defuncto namque memorato Gregorio, Vrbanus sextus in de mortui loco suffectus sex simul Cardinales necari iussit. Quamobrem cæteri dolentes Pontificem contumacem delegisse, ab eo recessere, & conuentu facto Clementem elegere: Sicque duobus assumptis Pontificibus diuisa est Romana Ecclesia, & hoc schisma per nouem & triginta duraut annos. Quum autem supradictus Bertrandus suæ ditioni vellet subiugare Decanum & Capitulum Bituricense: eius inanes conatus idem Papa Clemens facilè repressit ac fregit ad petitionem illustrissimi Ducis Ioannis hoc modo scribens. *Clemens Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Regis pacifica, ipsius disponente clementia, vices gerentes in terris, in pacis obseruantia delectamur. Hinc est autem quòd opem quam possumus adhibemus & operam, vt dissensiones & iurgia remoueantur à subditis, ac optata quietis & pacis eis proueniant incrementa. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Decani & Capituli Ecclesiæ Bituricensis petitio continebat, quod orta dudum inter venerabilem Fratrem nostrum Bertrandum tituli Sanctæ Potentianæ Cardinalem tunc Archiepiscopum Bituricensem ex vna parte, & eosdem Decanum & Capitulum super eo quod Decanus & Capitulum se necnon Vicarios perpetuos Beneficiatos, Choralios, & Baccalaureos nuncupatos in eadem Ecclesia, ac pueros chori, & alios seruitores eiusdem Ecclesiæ à Iurisdictione eiusdem Archiepiscopi Bituricensis pro tempore existentis fore penitus liberos & immunes. Archiepiscopus verò prædictus præmissa non esse vera asserebat ex altera parte. Materia quæstionis & causa huiusmodi aliquandiu apud sedem Apostolicam ventilata, tandem idem Archiepiscopus tres definitiuas sententias reportauit. Cum autem (sicut eadem petitio subiungebat) attentis consuetudinibus & obseruantijs vicinarum & aliarum in partibus Gallicanis consistentium Metropolitanarum & Cathedralium Ecclesiarum, ex præmissis sententijs super omnia obseruarentur, possent inter partes easdem graues dissensionum materiæ, & plurima scandala exoriri, pro parte dictorum Decani & Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, vt prouidere super hoc de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque considerantes præmissa, & etiam quod dicta Ecclesia tredecim suffragaueas Ecclesias habet, & iura primatiæ dicitur obtinere, ac huiusmodi scandalis quantum cum Deo valemus obuiare: consideratione etiam dilecti filij nobilis viri Ioannis Ducis Bituricensis qui suam sepulturam in eadem Ecclesia se asserit elegisse, quique eandem Ecclesiam magnis redditibus & preciosis iocalibus honorauit & etiam amplius Deo propitio ampliare & honorare proponit, quique ipsam singularem deuotionis gerit affectum, nobis frequentius super hoc humiliter supplicauit, huiusmodi dictorum*

Decani

Digitized by Google

Decani & Capituli, & dictis supplicationibus inclinati in præmissis, prout sequitur, duximus prouidendum. Cùm autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorũ Decani & Capituli petitio continebat ab aliquibus reuocetur in dubium, an dicti Decanus & Capitulum, & aliæ personæ dictæ Ecclesiæ, & seruitores ipsorum debeant per statuta, ordinationes, & concessiones huiusmodi à dominio & potestate Archiepiscopi Bituricensis pro tempore existentis reputari exempti: Nos super præmissis etiam consideratione dicti Ducis nobis super hoc humiliter supplicantis prouidere, nosque dictos Decanũ & Capitulũ, ac personas ipsius Ecclesiæ singularibus fauoribus prosequi in hac parte volentes, vt eò magis Romanam Ecclesiam reuereri studeant, quo maiori fuerint per eam libertate donati, Ecclesiam ac Decanum & Capitulum, singularesque Canonicos ipsius Ecclesiæ & personas, dignitates, personatus, vel officia, aut alia beneficia curata, vel non curata obtinentes in ea, ac familiares ipsorum continuos commensales in numero infrà scripto, necnon Vicarios perpetuos, Beneficiatos, Choralios, & Bacchalarios nuncupatos in ipsa, & pueros Chori, & alios seruitores eiusdem Ecclesiæ, in ea continuè seruientes de Choro ipsius Ecclesiæ existentes, & habitum Chori deferentes ipsius, etiam ipsi vel eorum aliqui parochiales Ecclesias, quarum collatio ad dictos Decanum & Capitulum, seu aliquam personam particularem, vel in quibus dicti Decanus & Capitulum, aut aliquæ aliæ personæ dictæ Ecclesiæ ius patronatus habere obtineant præsentes & posteros, necnon claustrum & domos Canonicales ipsorum Decani & Capituli, ac Canonicorum in dicto claustro, vel extra illud consistentes, ab omni potestate, visitatione, ac domino venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Bituricensis, qui nunc est, ac successorum suorum Archiepiscoporum Bituricensium, necnon quorumlibet aliorum ordinariorum Iudicum de Apostolicæ potestatis plenitudine ex certa scientia prorsus eximimus, & totaliter liberamus; ac eosdem Ecclesiam & Capitulum prædictæ sedi Apostolicæ duntaxat immediatè subiicimus, & in perpetuum volumus & decernimus fore immediatè subiectos. Itaque dicti Archiepiscopus, aut successores, vel alij ordinarij Iudices, etiam ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua agitur, vbicumque committatur delictum, initi contractus, aut res ipsa consistat, non possunt in dictis Ecclesia, claustro, domibus & habitatoribus, ac in Decanum & Capitulum, Canonicos, personas familiares, Vicarios, Beneficiatos, pueros, & seruitores prædictos, aut eorum aliquem excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias fulminare, aut visitationis officium, legem, censuram, iurisdictionem, potestatem, aut dominium quomodolibet exercere, seu procurationes exigere ab eisdem, &c. Datum Auenioni sexto Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno tertio decimo. Porrò memoratus Bertrandus sedit annis duodecim, ab anno 1374. ad annum 1386. præsidentibus Romæ Gregorio XI. & duobus in schismate, videlicet Vrbano VI. & Clemente VII. imperantibus autem Carolo IV. & Wenceslao, necnon regnantibus Carolo V. & Carolo VI.

CAPVT LXXXIII.

De Ioanne de Rupe-Cauardi octogesimo tertio Bituricum Archiepiscopo.

OCtogesimus tertius præfuit Dominus IOANNES DE RVPE-CAVARDI, illustri prosapiâ ortus, atque vir incomparabilis prudentiæ, magnique consilij. Hic dimisso Archiepiscopatu Bituricensi, præficitur Ecclesiæ Arelatensi, & tandem ordinis Cardinalitij titulo clarus obiit. Sedit autem Bituris quinque annis, ab anno 1386. ad annum 1390. præsidentibus in Apostolica sede duobus in schismate prænotatis, imperante Wenceslao, atque regnante Carolo VI.

CAPVT LXXXIV.

De Petro Aymerico octogesimo quarto Bituricum Archiepiscopo.

OCtogesimus quartus præfuit Dominus PETRVS AYMERICVS, vir vitâ & eruditione probatissimus: quo nimirùm præsidente Dominus Ioannes Dux Bituricensis, Princeps sanè rerum gestarum magnitudine, & honorum atque vitæ dignitate illustris, sacram ædem (quam vulgus sanctam Capellam appellat) opus siquidem dignum narrari omnibus, qui sub sole sunt, indicibili propè tum impensâ, tum artis elegantiâ, polito lapide Bituris construxit, atque in solemni die Paschæ,

Digitized by Google

13. Kal. Maij, anno Domini 1405. in illam introduxit venerabiles Thesaurarium, Canonicos, Capellanos, Vicarios, & pueros Chori propriâ ipsius Ducis manu supparis, & almutiis inuestitos, præsentialiter astantibus Reuerentissimis in Christo Patribus Domino Petro Tholetano, sedis Apostolicæ in Francia tunc Legato; Domino Petro Aymerico Bituricensi, & Domino Vitale Tolosano Archiepiscopis; Domino Helia Aniciensi, seu Podiensi, & Domino Petro Aquensi Episcopis, ac Domino Bernardo sancti Sulpicij, & Domino Hemerico sancti Ambrosij Bituricensium Monasteriorum Abbatibus, cum aliis multis nobilibus præclarisque viris. Canonicorum autem ista sunt nomina: Venerabilis imprimis Dominus Arnulphus Belin, Consiliarius eiusdem illustrissimi Principis, primus in Canonicum præbendatum & Thesaurarium obtinuit promoueri. Secundus Canonicus præbendatus, D. Petrus Morini, alias de Rupe, vir apprimè eruditus. Tertius D. Guillermus Boisiaterius, vtriusque Iuris Professor eximius, qui & in Archiepiscopatu successit prædicto Petro Armerico. Quartus Dominus Simon Aligreti, Magister in Medicina, & Bituricensis Cancellarius. Quintus Dominus Nicolaus de Dumo, vir vt integer, ita doctus. Sextus Dominus Guillermus de Ruilhiaco sapientiâ atque doctrinâ insignis. Septimus Dominus Petrus Belonis, homo sanè gratiâ, comitate, ac munificentiâ tanto honore dignus. Octauus Dominus Petrus Berrandi, alias *Boyleau*, vir non minus probus quàm literatus. Nonus Dominus Firminus *le Vasseur*, vir etiam in literis egregius. Decimus Dominus Bernardus de Montignaco, homo propter summam eruditionem prouidentiâ singulari præditus. Vndecimus Dominus Helias de Coruo, vir egregiâ vitæ sinceritate conspicuus. Duodecimus Dominus Ioannes de Pomerolis, legitimâ scientiâ clarus. Decimus tertius Dominus Ioannes de Stampis, vir virtutum prope omnium amplitudine insignis. Nomina verò Capellanorum, Vicariorum, & puerorum (quæ seriatim legimus in Pandectis dictæ Ecclesiæ) subticere censuimus breuitatis gratiâ. Cæterùm vt hi ditarentur, præfatus Dux fundator eorum, plures Ecclesias dignitatibus, beneficiis, officiis, redditibus, necnon & Sanctorum reliquiis spoliauit. Nam eidem Palatij Ecclesiæ addixit Abbatiam sancti Hippolyti, fugatis inde Sanctimonialibus. Adjunxit etiam Ecclesiam sancti Austregisilli de Castro, cum omnibus collationibus beneficiorum ad eam olim pertinentibus: sed & corpus beati Iuliani, primi Cenomanorum Episcopi inde abstractum transtulit in ipsam sui Palatij Basilicam. Sub idem verò tempus, homo quidam nomine Guillermus *Sathanat*, locum tenens prædicti Ducis, aliquem Presbyterum comprehensum, atque criminis furti conuictum, in graue præjudicium Ecclesiæ libertatis, suspendio interemit. Quamobrem Reuerentissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Petrus Aymericus Archiepiscopus ipsum temerarium locum tenentem conuenit, & magna cum seueritate coëgit, vt idem cadauer defuncti Sacerdotis de patibulo ad Curiam Officialatus vsque processionaliter adducens in honesto Sarcophago sibi restitueret; quod & fecit genibus flexis, veniam humiliter petens, qui tamen pro tantæ temeritatis consequenda absolutione fuit ab eodem venerabili Patriarcha remissus ad Curiam Romanam: corpus verò defuncti delatum ad Ecclesiam Bituricensem, celebratis pro ipsius animæ remedio Missarum solemniis, sepultum est in Vicariorum eiusdem Ecclesiæ cœmeterio. Sed hæc in exemplum cauendi obiter dicta sint. Denique idem Dominus Petrus constituitur Patriarcha Alexandrinus, & Administrator perpetuus Ecclesiæ Carcasonensis; qui etiam multa bona procurauit & contulit Ecclesiæ Bituricensi, existens semper author pacis ipsius, quemadmodum legitur in quodam libro Chori sancti Protomartyris Stephani. Obiit autem 10. Kal. Martij, pro cuius anniuersariis Capitulum Bituricense recepit quingentas quindecim libras Turonenses. Eandem verò Ecclesiam rexit annis decem & octo, ab anno 1391. ad annum 1409. sub schismaticis Pontificibus Bonifacio IX. Benedicto XIII. Innocentio VII. & Gregorio XII. imperantibus Vvenceslao & Roberto Bauaro, necnon regnante in Francia Carolo VI.

Digitized by Google

CAPVT LXXXV.

De Guillermo Boisfraterio octogesimo quinto Biturigum Archiepiscopo.

OCtogesimus quintus præfuit Dominus GVILLERMVS BOISRATERIVS, natus Bituris patre Ioanne, matre verò Ioannâ, religiosissimis atque ditissimis eiusdem vrbis ciuibus: quorum diligenti curâ, teneris sub annis, moribus & literis efficaciter imbutus, vbi excessit ex ephebis, Bononiam tunc temporis scientiarum dominam studendi gratiâ petiit, ac ibidem intantum in quouis genere doctrinæ profecit, vt magisterium in vtroque Iure consecutus, legendi seu docendi efficaciâ omnibus pilam (vt dicitur) præripuerit. Inde verò ad suæ natiuitatis solum rediens, primùm ob vitæ integritatem & scientiæ claritudinem Canonicus Cathedralis Ecclesiæ efficitur, tum demùm viâ Spiritus Sancti etiam absens in Decanum eligitur. Quod quidem munus tanta cum humanitate, iustitia, & mansuetudine gessit, vt post Reuerentissimum Dominum Petrum Aymericum, Patriarcha & Primas Aquitaniæ diuinâ sit creatus prouidentiâ. Accepit autem possessionem Archiepiscopatus decima octaua die Maij, anno Domini 1410. atque quâ debuit veneratione fuit exceptus in vrbe. Cumque per hos dies Rex Carolus VI. in Britones expeditionem parans, furiâ actus, non satis bonâ valetudine esset, & patrueles eius Duces Biturix & Burgundus rerum administrationem sibi vendicantes, vterque in alterum simultates exerceret: Dux Burgundiæ, vir excelsi animi, & magnarum rerum appetens, assumpto secum prædicto Carolo Rege, atque Delphino, dum de obsidendis Biturigibus cogitat, Dunum regium imprimis capit, deinde postquam ad vnam Ciuitatis Biturigæ portam dies quadraginta frustrà consedit, alteram, quæ sancti Priuati dicitur, circumuallat. Sed vbi de aduentu Anglorum (qui tuendis nostri Ducis partibus appropinquabant) certum accepit nuncium, molitus est discordias componere, sicque re infectâ, Burgundi duntaxat sancti Sulpitij Monasterio destructo atque igni succenso, recesserunt. Tunc enim venerandi Pontificis Guillermi Boisfraterij munificentia insignis demonstrata est, quia pro reædificando dicto Cœnobio, non minùs quàm mille centum & septuaginta libras Turonenses tam liberè quàm deuotè obtulit. Interea verò magna Dei summi collatum est misericordia vniuersale Concilium celebrari. Quod incredibili penè Principum ac Prælatorum frequentiâ per tres annos durauit. Cui siquidem iste Reuerendus admodum Patriarcha non solùm interesse curauit, verumetiam ab his qui tranquillitati Ecclesiæ consultum volebant, vnus de electoribus futuri Pontificis Romani meruit deputari; quique cum Cardinalibus elegit in Papam Martinum quintum, priùs Ottonem vocatum, virum sanè non tam integritate morum, quàm non vulgari prudentiâ, & literarum cognitione celebrem; qui admotus gubernaculo nauiculam Petri schismatis & seditionum omnium fluctibus cassam, in portum salutis miro Dei fauore redegit. Sed his paucis de huius laudatissimi Papæ dotibus obiter prælibatis, nunc ad eum, de quo maximè causa est, reuertêtes, ad eius laudis cumulum, adhuc vnum eximiæ largitionis ipsius exemplum cumprimis adnotatu dignum subnectere non pigebit. Ipse enim quum erga diuum Clementem Apostoli Petri discipulum & successorem præ cæteris sanctis singulari teneretur affectu, vas insigne ex auro & argento interlucentibus gemmis miro artificio fieri atque componi fecit, in quo sacras memorati Martyris reliquias (quæ apud sanctum Illidium Claromontensem magna cum reuerentia reseruantur) collocauit, eo tamen pacto illud vas aureum dedit Ecclesiæ Illidianæ, vt de manu sancti Clementis duo digiti sibi à Monachis eiusdem loci permitterentur ad Bituricensem deferri ciuitatem: quorum alterum apud sanctum Sulpicium, alterum verò in sanctum Vrsinum, similiter auro & argento vestitum reposuit. Sed nec præterire conuenit quod ipse adhuc constitutus Romæ apud sanctum Sebastianum vulgariter, *aux grottes*, appellatum, magnifico opere exornarit sepulchrum beatæ Cæciliæ Virginis & Martyris, vt ibi legitur hoc modo: *Hic quondam reconditum fuit corpus beatæ Cæciliæ Virginis & Martyris. Hoc opus fecit fieri Reuerentissimus Pater Dominus Guillermus Archiepiscopus Bituricensis, anno Domini 1409.* Moritur autem 14 Kal. Augusti, anno Domini 1421. sepeliturq; in Choro Cathedralis Ecclesiæ sepulchro æneo his versibus notato.

Eloquio clarus, ſtudioque & floridus olim
Bononiæ leges doctor vtraſque legens
Guillermus Boiſraterij, qui nobilis vrbe
Natus, in hac Primas fulſit Aquitaniæ.
Qui Biturum Præſul, regni præſcriptus honorum
Geſtor, opem cunctis rebus & arte ferens.
Legis amans, inopumque pater, fideique ſacerdos
Carne ſubactus humo, ſidera mente rapit.

Sedit autem annis duodecim, & diebus quatuordecim, ab anno 1409. ad annum Chriſti Domini 1421. temporibus ſchiſmaticorum Præſulum Gregorij XII. Alexandri V. Ioannis XXIII. & Martini V. legitimi Pontificis maximi: imperantibus Roberto Bauaro, & Sigiſmundo religioſiſſimo ac ſtrenuiſſimo viro, necnon in Francia regnante Carolo VI.

CAPVT LXXXVI.

De Henrico Lauanguordo octogeſimo ſexto Biturigum Archiepiſcopo.

OCtogeſimus ſextus præfuit Dominus HENRICVS LAVANGVORDVS, vir inculpatis moribus ſpectabilis, & ſcientiæ doctrinâ inſignis. Promulgauit ſtatuta pro Curiæ ſui Officialatus directione non mediocriter conducentia, die 12. menſis Octobris, anno Domini 1431. quorum quidem ſtatutorum exemplar ad noſtras peruenit manus. Sed quia prolixiora ſunt quàm vt hic ſeriatim ſcribi debeant, proœmium duntaxat duximus huic opuſculo inſerendum, vt idem Pontifex quantos in ſapientiæ ſtudio fecerit progreſſus, liquidò poſſit agnoſci. *Henricus miſeratione diuinâ Bituricenſis Archiepiſcopus, Aquitaniæ Primas, vniuerſis præſentes literas, ſeu præſens publicum inſtrumentum inſpecturis, ſalutem in Domino. Quia cura paſtoralis ſollicitudinis, quæ noſtros premit humeros, nos ſubiectorum remediis inuigilare, eorumque periculis & ſcandalis obuiare compellit: hinc præſertim quæ Curiæ noſtræ ſpiritualis, & iuſtitiæ cultum concernunt; quia atteſtante Gregorio in epiſtola, ſummum bonum eſt in hac vita iuſtitiam colere; auditâ ſiquidem querimoniâ plurimorum de diuerſorum graduum officiariis, per quos Curia noſtra regi ſolet, quorum aliqui, vt aſſeritur, propter alias occupationes horis non conſuetis cauſas expediunt; alij propter malitiam, qui cùm poſſent breui tempore cauſas àeducere ad finem, ipſas plus debito cauillosè protendunt, ac reddunt quodammodo immortales, vt ampliores ſportulas inde habeant; vel quia cauſas fouent deſperatas, dubitantes ſi ad lucem venerint, confundi. Alij ſuis terminis non contenti, ferè volunt omnia amplecti officia, quum vix paucis exceptis vnum valeant ſufficienter expedire, non aduertentes quia ſingulis ſingula officia committi debent. Alij verò quibus nec literarum peritia, nec cauſarũ experientia, nec alia ſufficientia ſuffragantur, adiournari faciunt ad ſuam vel aliorum inſtantiam plures ſubiectos noſtros, & non venientes faciunt excommunicari, ipſoſque grauari & reaggrauari potiùs cauſâ pecuniæ extorquendæ, quàm iuſtitiæ procurandæ de die in diem ſine debito temporis interuallo, & ad multiplicandum expenſas faciunt iteratò citari ad docendum de abſolutione, licet ſint certi ipſos excommunicatos nullam abſolutionem habere, & non venientes excommunicari faciunt, aggrauari & reaggrauari, vt ſuprà. Iterum etiam ad finem expenſarum faciunt eoſdem vocari ad videndum taxari expenſas dictæ contumaciæ, & contrà non venientes procedi faciunt excommunicationem, aggrauationem, & reaggrauationem; vt ſuprà faciendo de minima cauſa, tres, quatuor, vel plures magnos & ſumptuoſos proceſſus, quorum expenſæ ſæpiùs longè plus aſcendunt quàm tota ſubſtantia illorum contra quos facti ſunt. Si verò adiournati poſt contumaciam veniant parituri Iuri, computant non ſolùm expenſas ſcripturæ & portum executionis literarum, ſed etiam ſigilli Curiæ & procurationis emolumentum, de quo nil ſoluerunt, nec eſt aliquid exigendum, & ſalarium Aduocati. Vbi tamen Aduocatus plerumque non interuenit, & ipſos ſimplices prodictis expenſis obligari faciunt ſub litera, niſi & ad opus, & ſub nomine proprio ipſorum, & non ad opus & nomen dominorum ſuorum, quorum cauſas fouent. Quia victus victori debet condemnari in expenſas, & non eius Procuratori. Et ſæpiſſimè penitus omiſſa cauſa principali domini ſui indefeſa, & pro derelicto habita, cum peccatis obligatus vigore dicti niſi, ipſos pro defectu ſolutionis faciunt excommunicari, faciuntque contra tales proceſſus nouos, vnum vel plures, de quibus prædiximus intantum quàm vix homo eis ſemel obligatus poteſt euadere manus eorum, donec perueniat ad omnimodam pau-*

pertatem. Sicque tales per vias obligatorias exhauriunt substantiam pauperum, quorum occasione plures dimittunt patriam in talium talia facientium animarum periculum, & litigantium detrimentum non modicum. Noueritis quòd propterea nos qui cum subditis gloriamur nostris temporibus quietem fouere & pacem, cupientes talia illicita, damnosaque, & vtilitati publicæ repugnantia reformare, & excessus exstirpare, & alias quantum cum Deo possumus prouidere in præmissis vt tenemur, de consilio sapientum, & de consensu maioris & sanioris partis prædictorum nostrorum Officiariorum dictæ Curiæ, hæc statuta in perpetuum valitura inconcussè obseruari decernimus & iubemus, &c. Cęterùm statuta illa postmodum per Dominum Guillermum Cambraïcum Bituricensis Ecclesiæ Cancellarium, virum equidem præter mores candidissimos, vtriusque literaturæ peritissimum, diluciori enodatione, cultiorique stilo in speciem redacta, atque Reuerentissimi Patris Francisci de Turnone tunc temporis Bituricensis Archiepiscopi decreto roborata, necnon emunctissimis typis ad amussim congesta, in lucem prodierunt. Præterea, idem Pontifex Henricus statuit vt Processio & abstinentia (quæ fit in die S. Marci Euangelistæ) posthac transferatur in secundam feriam, quando idem festum Dominicâ die celebrandum occurrerit. Decimo octauo anno pōtificatus ipsius, eo prȩsente, celebris Principum & Prælatorum Conuentus Bituris est habitus, in quo Rex Carolus septimus sanctiones atque Decreta Concilij Basilienſis complexus, eam in Parlamenti Senatu promulgari mandauit anno Christianæ pietatis quadringentesimo trigesimo octauo supra mille, Nonis Iulij. Sed vt ad memoratum Pontificem reuertamur, ipse anno Domini 1441. iure Primatiæ confirmauit Dominum Guillermum de Charpeignes electum in Episcopum Ecclesiæ Pictauiensis appellantem ab Archiepiscopo Burdegalensi. Notandum tamen quòd cùm haberetur suspectus de lepra, pontificium munus liberè cessit Domino Ioanni Cordis; sicque reliquum vitæ suæ tempus expleuit apud Monasterium de Nigro-lacu, Ordinis Cistercienſis, vbi super eius tumulum scribuntur sequentia. *Hic iacet defunctus bonæ memoriæ Dominus Henricus de Lauangour, quondam Bituricensis Archiepiscopus, Aquitaniæ Primas, qui obut die decima tertia mensis Octobris, anno Domini 1446.* Sedit autem annis viginti quinque, mensibus duobus, ab anno 1421. ad annum 1436. præsidentibus Romæ in Apostolica sede Martino V. & Eugenio IV. imperantibus Sigismundo, Alberto II. & Frederico III. regnantibus verò in Francia Carolo VI. & Carolo VII. qui Biturigensis Rex ab hostibus vocabatur, eò quòd eidem Bituriges tantùm parerent.

CAPVT LXXXVII.

De Ioanne Cordis octogesimo septimo Biturigum Archiepiscopo.

OCtogesimus septimus præfuit Dominus IOANNES CORDIS, homo equidem virtute, doctrinâ, comitate, gratiâ, liberalitate, ac munificentiâ clarissimus. Huius genitor vocabatur Iacobus Cordis, Regij Fisci Argentarius, vir sanè cùm ob ingenij perspicacitatem, tùm ob diuitiarum magnam affluentiam famosissimus; quique superbam illam structuram (dico egregiam domum toto regno celebrem, ac ex ipsius vocabuli appellatione vulgò denominatam) multo quidem ære, sed opere superfluo & ambitione plenā Bituris construi fecit. A quo memoratus Ioannes filius eius post prima literarum rudimenta (erat enim admodum doctrinæ & literaturæ cupidus adolescens) ad Aurelianense gymnasium missus, tanto studio & diligentiâ profecit, vt breui inter coętaneos virtute & doctrinâ pollens, etiam dicendi maiestate, & orandi præstantiâ clarissimus reputaretur. Quamobrem venerabilis eius antecessor se vltrò Primatus honore nudato, ipsum pōtificalibus infulis vestiuit: qui tametsi vix ætatis suæ vigesimum quintum attigisset annum, dum pontificatum iniit, ita tamen deinceps vixit in tam florida ætate, vt iuuentutem cum ipsa senectute commutasse videretur. Fuit enim vir integerrimæ vitæ magnæque constantiæ & seueritatis. Tantæ etiam prudentiæ extitit, vt toto suo pontificatu nil commissum sit quo meritò reprehendi gubernantis negligentia posset, immò cùm esset idoneus languentium curator animarum, non (velut nostri temporis complures Episcopi faciunt) per substitutas personas, sed per semetipsum diœcesim suam frequenter visitando, & oues dominicas tam in confessionibus audiendis, quàm in con-

cionibus publicis salutari doctrina pascendo, pastorale officium sedulò exequebatur, sicque in Deum mentem suam omnem conuertens, iustè atque integrè omnia ex animi sui sententia gubernabat. Denique tanta erat huius venerandi Præsulis liberalitas, tanta in diuinam culturam reuerentia, vt in tota Bituricensi diœcesi nullam propè Ecclesiam, nullum sacellum prætermiserit, quod non auxerit ædificiis, non vasis argenteis & crucibus ditauerit, non sacris exornarit indumentis. Beneficia autem Ecclesiastica non nisi personis tum vita, tum doctrina probatissimis conferre voluit. Vnde ad ipsius honorem ac laudem illud plurimùm accedit, quod referente venerabili Abbate meo D. Ioanne à Monte-majore didici, quodque se testabatur accepisse ex ore nobilissimi viri Domini Gabrielis de Castra, qui eo tempore rei bellicæ gloriâ valde inclytus erat. Hic itaque aiebat fuisse quorumdam adulatorum lenociniis suasum Regi Ludouico XI. quatenus ipse postularet ab eodem honorabili Præsule quendam curialium ministrorum muneri Archidiaconatus præficiendum. Tum dignissimus Antistes, cui hominis indignitas apprimè cognita erat, Nihil, inquit, ô Rex Christianissime, hac in parte per adulationem seu gratiam humanam agendum est: Vnde te & illum, qui id officij impudenter ambit, meminisse oportet Apostolici præcepti, quo ad Hebræos quinto capite iubetur ne quisquam sumat vltrò sibi honorem, sed qui vocatur à Deo quemadmodum & Aaron. Vbi etiam ab eodem Apostolo satis appositè subinfertur: Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, & cætera. Ille igitur hinc facessat ambitiosus, quia viuit Spiritus Sanctus, non nisi idoneus vir poterit meus fieri Archidiaconus. Quòd si te impulsore secùs actum foret, & id quidem apud homines tibi posset vitio verti, & nihilosecius à me in die iudicij facti huius ratio exigi. Ad hæc Princeps vehementer iratus (is quippe de quo res agebatur, eidem cordi erat) exitum Parisiacæ ciuitatis venerando Pontifici interdixit. Instabat autem quadragesimalis ieiunij tempus, quo frequentiùs ac deuotiùs omnes Christiani religiosâ consuetudine ad audiendum verbum Dei in Ecclesiam conueniunt. Petiuit ergo iste amabilis Pontifex sibi concedi apud sanctum Andream Parisiis verbum facere ad populum singulis quadragesimę diebus. (Erat enim declamator egregius atque orator disertissimus.) Quòd cum omnium magnifico gereret emolumento, affuit inter nobiliores Summates regni Capitaneus Francorum militiæ Salazardus nomine, vir (vt aiunt) manu strenuus, & bellator inuictus; qui in Præsule nostro & linguæ facundiam, & docendi efficaciam admiratus, Regem Ludouicum concito gradu adiit, ingenuè referens ei quæcumque viderat, adjecitque se nunquam audisse hominem diuinius ac magnificentiùs tractantem seu exponentem verbum Dei, & idcircò ipsum vtpote sanctissimum virum esse nulla cum iniuria remittendum. Quod & factum est: Nam ipsius Salazardi verbis placato Regis animo Bituriges ineffabili gestu lætitiæ applaudentes, proprium receperunt Pastorem. Accidit quoque sub idem tempus venerabilem Patrem Ægidium Milleti Abbatem sancti Sulpicij eandem incurrere lepræ contagionem, quâ aliquantò superiùs notatum fuisse diximus Henricum Lauaugordum, atque sicut ille Archiepiscopatum, sic & iste Abbatiam suam eidem Ioanni Cordis resignauit; qui mox desolationis eius ruinas toto conamine instaurans, primum quidem Ecclesiæ tectum opere testudineato, magnis suffulcientibus columnis fecit, chorum inde ab orientali parte (nisi mors interceſſisset) dilataturus. Domum quoque Abbatialem, antiquis fundamentis solutis, ac nouis impositis, ædificauit. Denique ad hanc se humilitatem coëgerat, vt cellam in dormitorio Fratrum Ecclesiæ contiguam sibi & successoribus suis Abbatibus restaurari fecerit, ea velut Monachus ob sæcularium negotiorum inquietudinem vitandam frequenter vsus. Quoties enim ad Ecclesiam eundum fuit, in ingressu Oratorij flexo poplite, factoque signaculo Crucis in puluere, terram ipsam humiliter tertiò osculabatur, illius memor Publicani Euangelici, qui tonso pectore aiebat, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Multi siquidem adhuc superstites sunt, qui se vidisse hoc quod dicimus ab eodem Præsule geri plena fide affirmant. Nec sanè prætereundum est quòd ipse ab omni pompa & inani gloria sese penitùs alienans, quinque aut sex equis contentus sit. Et quia rerum cælestium iugi contemplatione distringebatur, se & suos ministros tunicis aërei coloris semper vestiri volebat. Quasdam verò institutiones composuit, quibus Clerum ad meliorem cultum redegit: Eas (ne per incuriam aliquam exoleſcant) huic opusculo adjecimus.

Digitized by Google

Ioannes miſeratione diuina Bituricenſis Archiepiſcopus, Aquitaniæ Primas, in hac ſanctæ Synodo feſti Paſchæ, anno Domini 1451. ad ſalutem ſubditorum, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo decreuimus, & ordinauimus, necnon publicauimus conſtitutiones ſequentes: quas inuiolabiliter in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè obſeruandas, ac eiſdem ſubditis noſtris præcipimus obſeruare.

Et primò, quòd Synodus æſtiualis Mercurij & Iouis diebus poſt Dominicam quà cantatur in ſancta Dei matre Eccleſia pro Introitu Miſſæ, Quaſi modò geniti. *Et Synodus hyemalis Mercurij & Iouis diebus ſimilibus poſt feſtum beati Lucæ Euangeliſtæ ſemper celebrentur.*

Item præcipimus, vt omnes curam animarum habentes in noſtra diœceſi, compareant perſonaliter qualibet Synodo huiuſmodi, ſub pœna decem ſolidorum monetæ currentis, niſi neceſſitate vel iuſta cauſa fuerint detenti; quas diebus Synodorum prædictarum per nuntios idoneos & fideles Officiariis noſtris intimare debitè tenebuntur.

Item præcipimus, quòd Rectores Eccleſiarum noſtræ diœceſis reſidentes in eiſdem, & Capellani, ſeu Vicarij Rectorum cum noſtra licentia exiſtentes, diligenter inquirant in ſuis parochiis, & publicè in ſua Eccleſia ſingulis diebus Dominicis & feſtiuis ſi qui infirmi ſint in ipſa parochia, & eos viſitent, & quicquid eis neceſſe fuerit ad ſalutem animarum procurent.

Item, quòd dicti Rectores & Vicarij in eorum abſentia, dum itur ad Synodum noſtram, per Vicarios Presbyteros idoneos faciant parochianos prædictos infirmos debitè viſitari, &, vt ſuprà dictum eſt, procurari.

Item, quòd iidem Rectores & Vicarij eundo, ſtando, & redeundo ad Synodos noſtras prædictas, honeſtè ſe habeant, & à tempore pulſationis eiuſdem induti ſuppellicijs, necnon Abbates modo ſolito in loco vbi celebrabitur.

Item præcipimus quòd Rectores & Vicarij prædicti in eorum Eccleſiis parochialibus, ſingulis diebus Dominicis & feſtiuis ſolemnibus habeant docere populum ſibi commiſſum de articulis fidei, de ſeptem Sacramentis & operibus miſericordiæ adimplendis.

Item præcipimus quòd dicti Rectores & Vicarij circa Sacramentorum adminiſtrationem deuotè & mundè ſe habeant, corporalia & linteamina Altarium, indumenta Sacerdotum & miniſtrorum ſæpius abluantur: ampullæ quoque vini & aquæ ad miniſterium Altaris deputatæ, mundæ & integræ habeantur.

Item præcipimus, quòd ſingulis diebus Dominicis in eorum Eccleſiis aquam benedictam, & de quindecim diebus in quindecim dies habeant ſacramentum Euchariſtiæ renouare.

Item præcipimus & mandamus, quatenus clientes & officiarios ſæculares (qui de die in diem in Eccleſiis & earumdem cœmeteriis, ac aliis locis Deo dedicatis executiones inordinatas, & captiones quorumcunque bonorum in eiſdem locis exiſtentium facere non verentur, ſeu perſonas adiournare) ſingulis diebus Dominicis & feſtiuis in Pronis ſuarum Eccleſiarum eſſe excommunicatos denuncient.

Item præcipimus quòd iidem Rectores & Vicarij, dum ſciuerint aliquos excommunicatos publicè ac ſpecialiter denunciatos (quorum excommunicatio nullà poſſit tergiuerſatione celari) præſentes aſſiſtere in eorum Eccleſiis, diuina officia celebrare non præſumāt; donec ab ipſa Eccleſia exierint; ſed ipſos ab Eccleſia exire compellant omnibus viis & mediis poſſibilibus; quòd ſi recuſauerint, nobis aut Officiariis noſtris denunciare & notificare teneantur.

Item præcepimus & inhibuimus omnibus & ſingulis ſubditis noſtris Rectoribus Eccleſiarum parochialium noſtræ diœceſis, quatenus in ipſis Eccleſiis ſuis parochialibus perſonaliter reſideant, nec ſe abſentare habeant ſine noſtra licentia ſpeciali.

Item præcipimus omnibus & ſingulis Abbatibus noſtræ diœcesis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis centum ſolidorum Turonenſium per nos in pios vſus applicandorum, quatenus in dictis Synodis noſtris perſonaliter compareant; quos nos per præſentes fiatuimus & citamus, niſi legitimè fuerint impediti: de quo quidem impedimento nobis ſeu noſtris Vicariis fidem facere legitimam tenebuntur.

Item præcipimus Archipresbyteris noſtræ diœcesis, ac eorum locum-tenentibus, quatenus de caſibus noſtrum officium tangentibus nullatenus cognoſcant, neque ſuis in vſibus emendas applicent, nec etiam literas de non reſidendo, diſpenſationes matrimoniales tam ſuper ætate quàm aliis officium noſtrum tangentibus, ſcribere, facere, ſignare, concedere, ſeu cuiquam tradere præſumant.

Item præcipimus dictis Archipresbyteris & eorum locum-tenentibus, quatenus amodò diligenter & ſollicitè in ſuorum Archipresbyteratuum locis & confinibus ad inquirendum authoritate noſtra commiſſorum ſibi populorum tam Eccleſiaſticorum quàm ſæcularium mores & vitam intendant, facinoroſos iuxta ſtatum informationum ſuarum ad Promotorem & Procuratorem

Digitized by Google

Generalem noſtrum cum diligentia citando & tranſmittendo.

Item omnibus & ſingulis ſubditis noſtris ſub pœnis excommunicationis quam in eos & eorum quemlibet ex nunc, prout ex tunc ferimus in his ſcriptis, ac emendæ arbitrariæ per nos in pios vſus applicandæ, ac quam valemus diſtrictè prohibemus ne aliqui matrimonia contra interdictum Eccleſiæ vniuerſalis, laudabileſque conſuetudines noſtræ diœceſis contrahant ſine bannis ter in Eccleſia editis, clandeſtinè, aut aliàs, ne cum aliis alterius diœceſis perſonis contrahant matrimonia huiuſmodi, nec tam licitè quàm indebitè contrahendis conſenſum, auxilium, & fauorem præbeant, ſeu luam exhibeant præſentiam. Quòd ſi fecerint ipſos præſentis ſtatuti ſynodalis tenore declaramus prædictas excommunicationis & emendæ arbitrariæ pœnas ipſo facto incurriſſe.

Item ſtatuimus & ordinamus quòd Archipresbyteri noſtri & locum-tenentes eorumdem in ſingulis Synodis nomina & cognomina Eccleſiarum, Rectorum parochialium noſtræ diœceſis reſidentium in ſuis Beneficiis, & ſimiliter non reſidentium, necnon literarum non reſidendi dictis Rectoribus abſentibus per nos, aut Officiarios noſtros conceſſarum deſignationem ſpecialem nobis, ſeu Procuratori Generali in ſcriptis tradent, & cum effectu viginti ſolidorum per nos in pios vſus applicandorum.

Item ſtatuimus, & præcipimus, atq; mandamus, & tenore præſentis ſtatuti ſynodalis inhibemus omnibus & ſingulis Rectoribus & Vicariis Eccleſiarũ noſtræ diœceſis, ac aliis noſtris ſubditis, ſub pœna excommunicationis & emẽdæ arbitrariæ per nos in pios vſus applicandæ, ne aliquos extraneos aut intraneos Quæſtores indulgentiarum & reliquiarum portitores eorumve fautores, conſortes, & complices de cætero in ſuis Eccleſiis quouis modo recipiant, ſeu admittant, niſi ſuper hoc à nobis, ſeu Vicariis noſtris (dictis quæſtoribus & portitoribus conceſſis) habuerint ſpeciale. Quod quidem mandatum à nobis ſeu Vicariis noſtris conceſſum dicti Rectores & Vicarij, atque alij ſubditi noſtri, dum eis præſentatum fuerit, legere & viſitare tenebuntur, & formam tranſmiſſam ſine fraude implere.

Item inhibemus ſub excommunicationis & decem librarum in pios vſus conuertendarum pœnis, ne à cætero aliquis Curatus, Rector, ſeu Vicarius, Firmarius Eccleſiarum parochialium noſtræ diœceſis, ſuis parochianis alienæ diœceſis dent licentiam vel literas licentiæ extra dictam diœceſim noſtram matrimonia ſua ſolemnizandi.

Item ad obuiandum dubiis & quæſtionibus inter aliquos Curatos fiendis & oriundis, denuntietur & certificetur cunctis Curatis & Eccleſiarum Rectoribus quod de vſu & more Curiæ Bituricenſis literæ de niſi exequendæ ſunt, videlicet extra ciuitatem Bituricenſem, Dominica ante Ramos Palmarum. Et in Ciuitate Bituricenſi Septimanâ ſanctâ vſque ad zelus primarum Tenebrarum diei Mercurij ſanctæ, ſiue fit ad terminos, ſiue ad voluntatem, niſi terminus dictæ literæ exequendæ diebus Iouis, Veneris & Sabbati dictæ ſeptimanæ ſanctæ, aut aliqua ipſarum cadat, quia tunc ſigillari poteſt & exequi litera illis diebus, aliàs non vſque poſt Paſcha. Sed ſententia pro defectu diei non datur executioni à die Sabbati ante Dominicam Ramorum Palmarum vſque ad diem Lunæ poſt Quaſimodo.

Item ſtatuimus & ordinamus, quòd omnes & ſinguli Curati, Firmarij, ſeu Rectores Eccleſiarum parochialium ciuitatis & diœceſis Bituricenſis infra feſtum beati Ioannis Baptiſtæ proximè venturum habeant hæc præſentia ſtatuta ſynodalia integraliter penès ſe, eáque legant & perlegant ſemel in quolibet menſe; quodque ea ſecum afferant in qualibet Synodo, ſub pœnis centum ſolidorum Turonenſium per nos piis vſibus applicandorum.

Item ſtatuimus & ordinamus quatenus omnes Archipresbyteri de caſibus officium noſtrum tangentibus, quos in poſterum mittent ad Promotorem cauſarum Officij Curiæ Bituricenſis, habeant facere regiſtra penès ſe, in quibus declarent nomina & cognomina tam partium quàm teſtium, eáque regiſtra afferant in qualibet Synodo, ſub pœna arbitrariæ emendæ.

Item ſtatuimus & ordinamus, quòd baptizandis pueris omnes & ſinguli Curati, ſeu eorum Capellani de cætero in filijs maſculini ſexus duos admittant patrinos cum ſola matrina: Si autem filiæ fuerint, duæ matrinæ admittantur cum ſolo patrino. Si quis autem prædicti ſtatuti fuerit tranſgreſſor, & violator ſtatuti ſynodalis, incurrat amendam arbitrariam.

Hactenus venerandi Patriarchæ Ioannis Cordis ordinationes & ſtatuta recenſuimus, nunc ad ea quæ ſuperſunt narranda, noſtra ſe conuertat oratio. Cúmque duæ validiſſimæ peſtes, videlicet dira fames, tetráque lues, necnon alij peſtilentes morbi vrbem Bituricam abſque vlla miſeratione frequenter vaſtarent, iſte peruigil Dominici gregis obſeruator, & cuſtos indefeſſus, ſapienter cogitans opportunum fore remedium, ſi grex ſuus ſe protectioni ſanctæ Dei Genitricis ex animo committeret, coacto totius Cleri populíve cœtu maximo, habuit ſuper hac re concionem decimâ tertiâ die Iulij, anno Domini 1458. Cuius nimirùm ſedulo hortatu,

vniuerſa

vniuersa ciuium multitudo se religiosa pollicitatione deuouit festum Visitationis memoratæ Virginis velut Dominicum diem singulis annis celebre habituram, cum Missa & processione solemni. Quæ quidem consuetudo ad hæc vsque tempora penetrauit. Præterea temporibus ipsius celebre gymnasium Vniuersitatis Bituricensis institutum est, atque auctoritate Pauli secundi Pontificis maximi confirmatum, Sic enim idem Papa ex ea re scripturam nobis probatissimam reliquit.

PAVLVS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Et si à summo rerum omnium conditore, cuius inæstimabili prouidentia cuncta miro ordine disponuntur, & à quo omnium charismatum dona prouenium ad exequendum Pontificalis ministerij debitum licet insufficientes meritis deputati, de his quæ ad fidei Catholicæ fidelium que profectum conferant sedulò nos cogitare conueniat; de literarum tamen studijs, & virorum (qui incomparabilis thesauri diuinarum & humanarum rerum cognitionem apprehendere cupiunt) incrementis felicibus eo magis cogitare nos conuenit, quo ex his propulsis ignorantiæ nubibus, Domini nostri, & eiusdem fidei cultus prætenditur, iustitia colitur, publica quoque & priuata res vtiliter geritur, & omnis humanæ conditionis prosperitas adaugetur. Decet igitur pastoralem sollicitudinem non immeritò adhibere, vt huiusmodi studia vigeant, & continuò augeantur, per quæ sicut experientia teste comperimus, vniuersali Ecclesiæ cunctisque credentibus maior potest vtilitas prouenire. Quum itaque sicut nuper pro parte charissimi in Christo filij nostri Ludouici Regis Francorum illustris & dilecti filij nobilis viri Caroli Ducis Bituricensis ipsius Regis germani nobis fuit expositum, ipsi eiusdem reipublicæ vtilitati, & præsertim Ducatus Bituricensis ac etiam Regni Franciæ incolarum, necnon aliarum partium vicinarum habitatorum qui scientiæ margaritam adipisci desiderant laudabiliter intendentes in ciuitate Bituricensi, quæ inter alias Ducatus Aquitaniæ ciuitates primatum obtinet, tanquam in loco magis insigni & accommodo, liberalium artium Generale studium in qualibet licita facultate, vt ibidem fides ipsa dilatur & eruditantur indocti, seruetur æquitas iudicis, vigeat ratio, illuminentur mentes simplicium, & eorum ac quorumlibet intellectus, opitulante altissimo, illustrentur, erigi & stabiliri desiderant. Nos præmissa omnia ac etiam eximiam fidei deuotionisque constantiam quam ipsi Rex & Dux ad nos & Romanam gentem & Ecclesiam attenta meditatione pensantes, ac etiam cupientes, quòd ciuitas ipsa scientiarum muneribus decoretur, viroque producat consilij maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, & diuersarum facultatum scientijs eruditos, de quorum plenitudine hauriant vniuersi alij litterarum documentis imbui appetentes, eisdem præmissis omnibus & præcipuè dictæ ciuitatis, quæ ad multiplicanda sanæ doctrinæ germina magis congrua & accommoda fore perhibetur, idoneitate attenta, interna meditatione pensatis, non solùm ad ipsius ciuitatis, sed etiam Regni, Ducatus, ac regionum circa tacentium profectum paternis affectibus anhelantes Regis & Ducis prædictorum in hac parte supplicationibus inclinati, ad laudem diuini nominis, & propaginem fidei antedictæ, ipsorum quoque Regis & Ducis gloriam pariter & honorem, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus & etiam ordinamus, vt decetero in eadem ciuitate Bituricensi Generale studium per præsentes erigimus quod instar aliorum studiorum Generalium tam in Theologia & iure Canonico atque Ciuili, Medicina quoque & Artibus, quàm alia qualibet licita facultate vigeat, quòdque Doctores Magistri Legentes ac etiam Scholares studentes ibidem omnibus priuilegijs, libertatibus & immunitatibus tam Magistris in eadem Theologia ac Doctoribus legentibus & studentibus in Parisiensi, Tholosensi, Pictauensi & alijs dicti regni vniuersitatum studijs concessis, ac etiam concedendis vtantur & gaudeant. Cancellarius verò Ecclesiæ Biturigensis pro tempore existens (qui vt accepimus disponere Scholares dictæ ciuitatis ab antiquo consueuit) similiter Cancellarius vniuersitatis studij Bituricensis existat, possitque authoritate præsentium illis qui processu temporis adeò litterarum studio insudauerant, & in eo profecerunt quòd ad hoc idonei reputentur, quique in facultate, in qua studuerunt, gradum obtinere ac docendi licentiam, & vt alios erudire valeant, Magisterij seu Doctoratus honorem sibi concredi petierint, & per Doctores seu Magistros eiusdem facultatis, in quâ examinatio eorum facienda fuerit sibi vel eius vicegerenti (qui Doctor aut saltem Licenciatus & ipsius Ecclesiæ Canonicus sit) aut si Cancellaria eiusdem Ecclesiæ litigiosa fuerit, Vicegerenti per eiusdem vniuersitatis Bituricensis Magistros & Doctores deputato præsentati conuocatis tamen alijs Magistris atque Doctoribus in eadem facultate post eorum diligentem examinationem, si ad hoc sufficientes & idonei reperti fuerint licentiam huiusmodi tribuere ac etiã Magisterij & Doctoratus honorẽ liberè impartiri, ita tamen quod idẽ Cancellarius aut Vicegerens personis idoneis præsentatis & examinatis debitos, vt præfertur, gradus eis conuenientes denegare non possit, vel aliquid pro eo-

rum collatione recipere. Et si contra fecerit, sententiam excommunicationis incurrat. Examinati verò, vt præmittitur, approbati postquam in eadem ciuitate Bituricensi docendi licentiam atque honorem huiusmodi obtinuerint, extunc absque examine siue approbatione alia legendi & docendi tam in prædicto ipsius ciuitatis, quam in singulis aliis generalibus studijs, in quibus voluerint legere & docere, statutis & consuetudinibus quibuscumque contrariis Apostolica vel quauis alia firmitate vallatis nequaquam obstantibus plenam & liberam habeant facultatem. Et insuper quod Doctores Magistri & scholares Vniuersitatis eiusdem dummodo Regulares non sint, Leges publicè in scholis legere & audire, ac in eis gradus recipere possint, nullusque nisi Doctor aut Magister seu Licenciatus in eadem ciuitate in Medicina practicare debeat, nisi à Professoribus facultatis Medicinæ obtentâ licentiâ & per eos pro idoneo fuerit approbatus. Ipsique Doctores Magistri & Studentes litterarum studio in eadem Vniuersitate pro tempore commorantes fructus, redditus, & prouentus omnium beneficiorum Ecclesiasticorum quæ pro tempore obtinuerint, quotidianis tamen distributionibus duntaxat exceptis, cum ea integritate per septennium duntaxat percipere valeant cum qua illos perciperent si in Ecclesijs & locis in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, personaliter residerent. Nec ad residendum interim in eisdem compelli possint inuiti, dictóque septennio durante ratione beneficiorum eorundem se ad Presbyteratus ordinem promoueri facere minimè teneantur, dummodo infra annum ad Subdiaconatus ordinem sint promoti. Præterea Doctoribus, Magistris, Scholaribus & studentibus antedictis, vt extra muros dictæ ciuitatis Bituricensis aliqua quauis auctoritate ad iudicium euocari, trahi, aut conueniri nequeant, auctoritate præfata tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, erectionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1464. pridie Kalend. Decembris. Pontificatus nostri anno primo, &c.

Igitur anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quinto die ſeptima Martij præmiſſa Miſſa ſolemni de Spiritu Sancto in Eccleſiâ Metropolitana Beati Stephani Bituricenſis cum proceſſione generali ad conuentum Fratrum Prædicatorum initiata & introducta fuit Vniuerſitas eiuſdem inclytæ ciuitatis Bituricenſis. Cuius primam lecturam ſolemniter inchoauit in refectorio memorati conuentus Magiſter Ioannes Beguin primus Doctor ipſius almæ vniuerſitatis. Quæ poſtquam ita geſta ſunt, vrbs Bituricenſis ſæuiſſimo corripitur incendio in craſtino Aſcenſionis Domini, anno 1467. Ipſa autem incendij clades primo contracta circa Eccleſiam Sancti Bonitti in domo Simonis Tincturarij, per totam portam Gordianam & per magnum vicum, vſque ad ædem ſacram diui Ioannis de Campis progreſſa eſt, acinde vtramque partem piſcatoriæ cum vico de Corcellone attingens, non ſolùm templum Beati Petri Puellarum conſumpſit: ſed etiam in clauſtro cathedralis Eccleſiæ, nonnullis domibus horribili flamma abſorptis, ad Regium Palatium vſque cuncta irremediabiliter vaſtauit, deflagrauitque. De his prolixiùs fortaſſe diximus quàm inſtituta opuſculi breuitas pateretur, ſed quia venerabilis antiquitas ad poſteritatem tranſmittere illa curauit, non debuere à nobis prætermitti. Cæterum vt ad eum, à quo noſtra oratio ſumpſit exordium, reuertamur, compertum habemus eundem ſpectabilem virum Ioannem Cordis aperuiſſe ac viſitaſſe ſarcophagum Beati Vrſini Bituricorum primi Pontificis hac, vt fertur, cauſa. Conſtat ſiquidem Cathedralem Eccleſiam Lexouienſis Diœceſis eſſe diui Vrſini dicatam nomini, ac ibidem meritis ipſius diuina ſæpe fieri miracula. Quamobrem arbitrati ſunt Lexouienſes illic quieſcere ſacratiſſimum corpus memorati Archipræſulis. Verùm quum è diuerſo Bituriges illud apud ſe magna veneratione adhuc retineri conſtanter affirmarent, iámque propemodum res in contentionem vocaretur, Rex Ludouicus vndecimus egit cum venerabili Patriarchâ Ioanne, vt explorandæ veritatis gratia reſerare t capſam argenteam, in qua theſaurum illum fuiſſe olim reconditum vulgò hactenus creditum eſt. Quæ autem diximus, non eſſe mendacia ſequens comprobabit Inſtrum Cuius originale diligenter aſſeruatur in Baſilica ſupradicti ſancti Vrſini Bituris. *Anno gratiæ milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto, quinto Kalend. Martij, Nos Ioannes permiſſione diuina Bituricenſis Archiepiſcopus Aquitaniæ Primas: Et Ioannes eadem permiſſione Abrunicenſis Epiſcopus Regis Confeſſor, notum facimus, quòd ad inſtantiam Chriſtianiſſimi Principis domini Ludouici vndecimi Francorum Regis bonæ memoriæ Karoli ſeptimi filij,*

Digitized by Google

qui deuotionis causa ad visitandum Ecclesiam Beatissimi Vrsini primi Bituricensis Archipræsulis venerat, capsam argenteam super antiquum sarcophagum eiusdem beatissimi Vrsini positam aperuimus. In qua ipsius sacratum corpus olim ibi, anno scilicet Domini 1239. & decimo Kalend. Nouembris per Sanctum Philippum Bituricensem Archiepiscopum in sacculo corij albi honorificè collocatum inuenimus, prout ex litteris authenticis dicti sancti Philippi in dicto sacculo inclusis nobis constitit, &c. Hic tandem epidimiæ peste percussus lecto decubuit apud Sanctum Sulpicium. Vbi diuinis sacramentis more Ecclesiastico deuotè perceptis, fructu iustitiæ repletus,& ad æterni regni gloriam inuitatus, beato fine nos illuc præcessit 7. Kalend. Iulij anno Domini 1483. Cuius corpus magno honoris apparatu,& luctuosa pompa ad diui Protomartyris Sephani Pontificale templum deductum est, spectante ex fenestris tectisque vicatim innumera populi multitudine, excessum pij pastoris irremediabilibus lachrymis plangente. Iacet autem in Choro dictæ Ecclesiæ iuxta portam Occidentalem, super cuius tumularem lapidem nigri marmoris insculpta est imago mortis cum hac superscriptione. *Memorare quæ mea substantia.* Sedit autem annis triginta sex, nouem mensibus, & septem diebus, ab anno 1446. ad 1483. Romæ Præsidentibus Eugenio IV. Nicolao V. Calixto III. Pio II. Paulo II.& Sixto IV. Imperante Frederico tertio, atque regnantibus in Francia Carolo VII. & Ludouico XI. Post eius obitum electio futuri pontificis dilata fuit per annum & tres menses, Rege Ludouico viam electionis præpediente. Iámque dominus Petrus Cadoëtus suffragio ipsius Regis & auctoritate summi Pontificis Pontificatum administrauerat anno vno, antequam ad electionem faciendam se ingerere ausi fuissent domini Canonici Bituricenses. Qui tandem conuenientes simul ad Capitulum virum spectabilem,multáque commendatione dignum Guillermum Cambraicum Decanum eiusdem Cathedralis Ecclesiæ vnanimiter elegerunt in Archiepiscopum. Sed nihilominus idem Cadoetus,qui,vt diximus, propter claritatem vitæ Principis fauore potiebatur eo pacto sedem obtinuit,vt Cambraicus, retenta sibi aliqua reddituum Episcopalium portione, si superuixisset immediatè post illum, nullo obstante Pontifex fieret.

CAPVT LXXXVIII.

De Petro Cadoëto octogesimo octauo Biturigum Archiepiscopo.

OCtogesimus octauus præfuit dominus PETRVS CADOETVS Prior Ecclesiæ Collegiatæ Nostræ Dominæ de Salis, ac primarius Regis Ludouici vndecimi eleemosynarius, vir mansueti animi, misericordis, ac sanctæ æstimationis. cúmque rebus humanis subtracto piæ memoriæ domino Ioanne Cordis, idem venerabilis Petrus ad petitionem Capituli Bituricensis,eius solemnes nuncios, qui super negotio instituendi Pontificis petebant Regis assensum, introduxisset ad eum, & illis causa suæ Legationis humiliter resalutatis, Cadoëtum indice demonstrans: si, inquit, vultis me habere non solùm Ecclesiæ vestræ defensorem perpetuum, sed & priuatarum rerum fautorem benevolum, rogo vt omnium vestrum suffragia in istum consentiant. Num inuenire poterimus talem virum, qui summo dignus sit fungi Sacerdotio? Etenim vos minimè latet eum esse hominem boni testimonij, sanæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudentiæ, iustitiæ, constantiæ, religionis, modestiæ, sobrietatis, in summa consummatissimæ vitæ. Ite igitur, & nostræ serenitatis voluntatem confratribus vestris renunciantes neminem prętereum quem designaui, permittatis Ecclesiæ vestrę præfici. Cæterum quia ipse Rex, vt aiunt, adeò sibi fauebat, vt quod semel suo insedisset animo, nequaquam irritum irì pateretur, statim misso Romam cursore cum Epistolis, quod egerat obtinuit apud sedem Apostolicam ratum haberi. Sicque summi Pontificis assensu pariter & auctoritate præfatum Petrum Cadoëtum Pontificalibus insignitum infulis magna cum gloria excipi iubet in ciuitatem Bituricensem. Quæ quum in suæ libertatis graue præiudicium ger. cernerent Canonici,non obstantibus Regis prohibitionibus & minis, viam electionis prosequuti sunt. Nec ipsum Cadoëtum Pontificali in throno sedere permiserunt, donec (vt aliquanto antea diximus) rebus compositis, dominus Guillermus Cambraicus electus paceni cum illo firmasset. Erat autem iste Pontifex insigni liberalitate conspicuus: quippe qui indigentium non dico preces, sed vota quoque anticipare satagebat remediorum

impensis. Quasdam enim viduas honestas, iámque ipsa senectute venerabiles delegerat, quæ secundùm eius mandatum inquisitione facta de pauperibus parochiarum, eidem seorsum nunciarent singulorum necessitates. Et ille quidem miseratione permotus virgines nubiles matrimonio iungebat, cæterorum verò indigentium, maximè eorum (quos ingenuus pudor domi retinebat, ne ad publicum stipis petendæ gratia exirent) necessitatibus subleuandis secretò certam pecuniæ summam, hordeum, vestésque largiebatur. Denique Diœcesim suam visitaturus, vt semper ad manum suppeteret, quo algentes nuditatem eorum vestiendo refoueret, rhedam indumentis onustam secum ducere interdum illi curæ fuit. Nec mirandum sanè, quod post assumptum pontificatum in eleemosynis largiendis tam profusus extitisse dicatur: quum vel ab infantia creuerit cum ipso miseratio. Nouerat enim esse scriptum. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* Item. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Atque ideo vir iste (vt dictum est) largo suæ munificentiæ imbre aspergebat omnes. Iustum verò est & hoc gestorum eius non præterire bonum, per quod omnium gratiam sibi consiliauit. Anno siquidem Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo septuagesimo, quum idem venerabilis Petrus esset adhuc Prior Collegiatę Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Salis, & eius animus ardore cœlestis desiderij vehementer accensus diuinam augere culturam vnicè cuperet, locum quendam pro voto in Bituricensi vrbe comparauit, in quo Ecclesiam & conuentum sub nomine Sanctæ Claræ Virginis ædificauit, opus quidem structurâ humile, sed eximiæ sanctitatis gratia insigne. Hunc enim locum quasi tranquillum aliquem salutis portum effecit, & in eo deuotarum sanctimonialium statuit Chorum, quatenus gratissimum virginitatis munus Regi Christo, vero vtique sanctarum animarum sponso fideliter offerentes, non pro lus solùm quorum eleemosynis victitant, verumetiam pro omni populo Christiano die ac nocte ipsius misericordiam & gratiam implorent. Cæterum quum rei authorem fama clarior profecto virtutum & bonorum omnium famulatrix passim extolleret, ille primùm id officij apud Regem consequi meruit, vt eleemosynis largiendis præficeretur: deinde prouidentia illius (in cuius manu cor Regis est, & vt scriptum reliquit vir sapiens quocunq; voluerit inclinabit illud) Rex Ludouicus eum ad subeundum pontificale onus impulit. Sed quid hæc repetito, sermone protrahimus, Lectoris animum fastidientes? Si quid dignum relatu temporis Sacerdotij ipsius gestum est, prodeat in medium. Anno Domini 1487. in festiuitate B. Mariæ Magdalenes (quæ tum Dominica die occurrerat) populo in Ecclesiis circa vespertinarum laudum cantica deuotè occupato, ecce in vico S. Sulpicij cuiusdam pauperis fabri lignarij tuguriolum ignis vehemens casu incendit. Quinde mira velocitate hac illácque volitando, & domorum culmina vicatim conflagrando, totam penè ciuitatem ad fundamenta vsque horribili edacitate corrosit. Ista autem sunt insigniora ædificia, quæ in illa vastitate vorax flamma absumpsit, videlicet Abbatia S. Ambrosii, Abbatia S. Laurentij, Ecclesia & claustrum Augustinianorum. Ecclesia itidem & claustrum Carmelitarum. Ecclesia S. Petri de Foro. Ecclesia S. Iuliani. Ecclesia S. Quintini. ædes sacra diui Boniti. Basilica Fiscalensis. Prioratus S. Michaëlis cum sacello beati Mauricij. Verum quid miraculi tunc apparuerit nequaquam tacendum putamus. Quum enim (vt superius est significatum) illa incendij clades fomitem accepisset in Sulpiciano vico, nec quicquam remedij posset adhiberi, tum fortè cuidam astantium succurrit B. Sulpicium quondam exurentes ignium flammas virtute benedictionis tertiò potenter extinxisse. Quod vt desolatis iamque desperantibus turbis viuâ voce declarauit, curritur ad Monasterium, & per Abbatem preciosum caput sancti Pontificis allatum sistitur obuiam periculo, sicque violentus ignis quasi ratione vteretur, mira resteidem sanctissimo deferens Sulpicio, & in interiora vrbis sese extendens, reliquam partem penitus illæsam reliquit. Hæc ea vtique fide qua ad nos rei gestæ ordo peruenit, retulimus. Per id tempus aut certè non multò post, authore Spiritu Sancto, exordium sumpsit reformatio Congregationis Casalisbenedicti. Siquidem venerabilis Pater Petrus de Maso Abbas eiusdem Monasterij obseruantiæ regularis decus priorum ignauiâ labefactatum authoritate & animi magnitudine in pristinam dignitatem restituit. Cuius odorifera virtutum germina per directionem superni numinis adhuc in nos fructificare non cessant. Vnde quia tantus vir religioni suum tenorem suámque obseruantiam reddere nisus est, merito

Digitized by Google

æternæ hominum memoriæ venit commendandus. Sed neque ista arbitramur nos citra propositum huc adduxisse, quum siquidem supradicto Petro Antistiti (cuius gesta scribimus) laus non minima sit accessura: quod ipse nihil eorum prætermiserit quæcumque memoratæ reformationi posset in auxilium, fauorem, & consilium afferre. Postremò idem Pontifex pauperibus (quorum pater meritò & absolutè appellabatur) facta rerum suarum donatione, plenus dierum & meritis bonorum operum ornatus, sarcinam corpore molis exuit pridie Kalend. Septembres, anno Domini 1492. Et apud Deiparæ Virginis ædem Salensem, vnde fuerat assumptus, est appositus. Eo supremum Christo spiritum reddente, quidam cecinit dicens:

En Petrus Antistes Bituris vos pauit egentes,
Consilio, nummis, hospite, veste, cibis.
Ergo eius nomen ad cœlos vsque ferimus.
Corpore si moritur, nomine semper erit.

Sequitur eius Epitaphium.

Conditur hac petra Petrus simillima petra,
Firmus quique fide fuit affluus & pietate.
Hospitium pacis, mœstis solamen & ægris,
Nudorum vestis, quorum est plebs turbáve testis.
Quam zelator erat sacrarum religionum,
Conuentûs reserat, S. Claræ structura sororum:
Paucis contentus isdem cum paupere factus,
Plus tam pauperibus quàm diuitibus hilaratus.
O qui pauper ades, dum transit, quæ tibi clades?
Ergo pro se ores pastor iam postulat, ô grex,
Doctrina clarus, omnis iuris bene gnarus,
Omni poscenti lucrum aptans lege talenti
Villicus in cœlis, seruus, prudensque fidelis,
Namque alter Paulus fuit, omnibus omnia factus.
Annis quique decem Primatum Bituricensem
Rexit, terque decem Ecclesiam hanc prius ipse Salensem.
Mille quadringento ac octogeno duodeno
Augustique die postremo, Christe Mariæ
Fili, celsa petra Petrum tecum fer in æthra,
Adsis tuque pia pro se orans Virgo Maria. Amen.

Sedit autem annis decem, mensibus duobus & vij. diebus, ab anno 1483. ad annum Christi 1492. Præsidentibus Romæ Sixto IV. & Innocentio VIII. Imperante Friderico III. Atque regnantibus in Franciâ Ludouico XI. & Carolo VIII.

CAPVT LXXXIX.

De Guillelmo Cambraico octogesimo nono Biturigum Archiepiscopo.

OCtogesimus nonus præfuit dominus GVILLERMVS CAMBRAICVS vir siquidem in omnibus tam ciuilibus quam diuinis eruditionibus apprimè institutus, disertus, prouidus, & (vt ingenuè loquar) hominum qui, loci, populique sui ingeniosissimus. Quique ob singularem prudentiam Regius consul plusquam triginta annos existens in senatu sententiis ita grauis & circumspectus erat, vt sapientiæ eius fama clarescente, post excessum sanctæ recordationis domini Ioannis Cordis, iam ad Pontificatum peteretur. Atque id muneris tunc consecutus fuisset, nisi vt supradictus Petrus Cadoëtus Præsul institueretur regia auctoritas obtinuisset. Sed tandem Petro naturæ vltima persoluente Ecclesia Bituricensis spectabilem virum Guillermum meruit habere in pium patrem & pastorem. Hic sanè per omnes gradus Ecclesiasticos vsque ad Archiepiscopalem dignitatem peruenisse dicitur. Fuit enim primum Vicarius in eadem Bituricensi Ecclesiâ, deinde Canonicus, præterea Archidiaconus de Sigalonia, ad hæc Decanus, postremum verò ætatis suæ anno sexagesimo tertio, aut circiter, in Archiepiscopum est electus. Quod autem ad mores attinet, vix satis (vt opinor) exprimeretur verbis quàm fuerit iste in pauperes propensus, in amicos comis, in familiares iocundus, & in omni actione sua prouidus & modestus;

Inter hæc tamen contumaces & sanctæ religionis detrahentes habebat exosos perinde atque peccatum. Vnde quum sub idem tempus Monasterium S. Sulpicij esset reformandum & ad meliorem viuendi statum reducendum, atque quatuor ex ciuibus homines sanè praui ingenij pessimique consilij tam salutifero tamque pio operi resistere non reformidarent, intãtum in venerandi istius Antistitis pectore zelus domus Dei aduersus illos exarsit, vt tam vultus quàm animi constantia minax & terribilis eorum derogationis audaciam statim compescuerit, his propemodum verbis vsus. O factiosi & vtique diabolici aduocati: quæ nunc vos dementia cœpit vt supercilioso vultu audeatis resistere spiritui S.? Ecce prædico vobis quod omnium inspectorẽ oculum minime effugietis, sed dignas dabitis vestra temeritate pœnas. Cæterùm Patriarchæ formidabilis comminatio quantum ab illis debuit ponderari, rei probauit euentus. Omnes enim procedente tempore repentinâ clade præuenti miseram oppetiere mortem, nec ignoramus quin euidentior, & futuris lectoribus gratior hæc nostra foret narratio, si vocabula huiusmodi hominum licuisset inserere huic opusculo. Sed ne tristitiam vel scandalum patiantur eorum necessarij, neminem designare nominatim consilium fuit. Attamen quoniam de reformatione Sulpiciani Cœnobij mentio incidit, operæprecium facturos nos credimus si & rei gestæ ordinem literis mandemus. Igitur immediatè post dominum Ioannem Cordis dictæ Abbatiæ regimen susceperat Reuerendus Pater Guillermus Alabat, vir sanctæ conuersationis opere præclarus, atque (vt verum fatear) homo, velut alter Patriarcha Noë, in sua generatione Iustus. Quia nimirum vt ille iubente Deo archam parauit in qua cataclysmi tempore seruaretur nostri generis semen, ita & iste saluandis hominum animabus nauem suam, dico Monasterium diui Sulpicij cui Naui cognomen est, iam olim maris sæculi fluctibus & procellis concussatam, iamque periclitantem tradidit reparandam seu renouandam religiosissimo, necnon doctrina iuxta atque eloquentia pollenti viro domino Guidoni Iuuenalis Monacho Casalisbenedicti. Qui ex ipso Casalibenedicto assumptis secum duodeviginti vitæ integerrimæ Fratribus Bituricam ingressus ciuitatem perhumanè & clementer exceptus est hospitio à reuerentissimo præsule Guillermo, nil certe optabilius habente in votis, quàm vt suis diebus videret Monasticum reflorere ordinem, diuinum augeri cultum. Vnde nulla lingua, vt quidem sentio, sufficeret quolibet exprimere eloquio, cum quanta animi in Deum exultantis lætitia ipsum Guidonem Pontificali benedictione in Abbatem confirmatum introduxerit cum memoratis Fratribus in Sulpicianam Abbatiam. Hæc inciderunt in annum humanæ salutis millesimum atque quadringentesimum nonagesimum septimum in vigilia Natiuitatis Deiparæ Virginis Mariæ, nec multò pòst reformatum est etiam Cœnobium sanctimonialium diui Laurentij sagacitate supradicti Patris Guidonis. Hic equidẽ adiutus suffragio & auctoritate venerandi Pontificis Guillermi Cambraici, omnem operam, curam, industriam, atque diligentiam adhibuit, vt eadem sanctimoniales quàm optimis formaret institutis. Item tempestate hac hortatu eiusdem Antistitis constat conuentum puellarum de ordine Annunciationis S. Mariæ Virginis fuisse institutum ab excellentissima principe vulgariter appellata domina Ioanna de Franciâ filia Regis Ludouici XI. sorore Caroli VIII. & vxore Ludouici XII. Quæ, profectò, tametsi vultu esset adeò modesto vt nihil supra, eam tamen ob gibbum deformem Rex vir suus repudiauit, dato eidem in partem successionis Biturigum Ducatu. Quum igitur illo in tempore clerus magnifici Præsulis moderatione & sapientia, Monasticus ordo religiosissimi Abbatis Guidonis exẽplo & doctrina, rei verò sæcularis status illustrissimæ Ducissæ pietate & iustitia optimè regeretur: totius planè populi in Deum affectus prosperioribus incrementis in dies augebatur, ac propterea bene de Deo pro pietate, cultu & Iustitiæ obseruatione promeritus cœlestis dextræ euidenter fulciebatur auxilio. Verùm quia vt quidam non minùs eleganter quam veraciter ait, parcarum ordo stat immobilis, fatum ineluctabile, immutabilis rerum dispositio, proh dolor! infra vnius anni spacium hæ tres spectabiles personæ sæculo huic infelici subtractæ sunt. Et primùm quidem deuotissima Ducissa, quum vitæ esset continentissimæ, atque suas opes in vsus pauperum prodigeret, necnon omnibus Deo placitis operibus assiduè deseruiret, tandem feliciter moriens, pro terreno ac morituro sponso cœlestem atque immortalem Regem gloriæ D. N. I. C. promeruit. Sepultum est autem eius venerabile corpus Bituris in suâ Ecclesiâ de Annunciatione, vbi per merita ipsius, si attestationi deuotæ plebis creditur, diuina frequenter fiunt miracula. Deinde eam sequutus est Deo

Digitized by Google

dignus Archiepiscopus. Cui etiam inter cætera (dum adhuc in humanis ageret) curæ fuit scripto redigere stylum Iurisdictionis Ecclesiasticæ, quod opus in publicum typis editum vidimus. Sed & pro anniuersario suo & auunculi sui domini Stephani Cambraici, quondam Bituricensis Ecclesiæ Canonici, ac postmodum Episcopi Agathensis, legauit Capitulo summam centum scutorum auri, & duodecim libras Turonenses annui & perpetui redditus assignatas super dominium S. Palladij, ratione stagni, quod idem Archiepiscopus donauit suis successoribus Archiepiscopis ad onus soluendi dictas x. libras Turonenses. Nobilissimi verò Patriarchæ ossa iacent Bituris in Choro Metropolitanæ Ecclesiæ ante sedem domini Decani, sub lamina aenea insculpta imagine Archipræsulis. In cuius circuitu scribuntur hii versus:

Hic iacet exanimis patriæ lux, gemma decora
Guillermus, Bituris cuius origo fuit:
Regius hic Consul, Biturorum quique Decanus.
Post hinc Metropolis culmen honoris habens.
Qui sibi pro meritis hæredes fecit egenos,
Denique sumpturus gaudia vera poli.

Obiit vltima Augusti, anno Dominicæ Incarnationis 1505. Sedit autem annis tredecim, ab anno 1492. ad annum Christi 1505. Præsidentibus Romæ Alexandro VI. Pio III & Iulio II. Imperante Maximiliano, atque regnantibus Carolo VIII. & Ludouico XII. Vacat tum sedes quatuor mensibus.

CAPVT XC.

De Michaele de Buciaco nonagesimo Biturigum Archiepiscopo.

NOnagesimus præfuit dominus MICHAEL DE BVCIACO Parisiis oriundus, & [vt hominum fama canit] nothus Regis Ludouici duodecimi. Qui aliquando interrogatus à Rege qualis viuendi status ei foret gratior, id responsi fertur dedisse. Si, inquit, ô Serenissime Princeps, vestræ maiestati colliberet, maximopere cuperem sacris mysterijs & cultui diuino mancipari. Tum Rex in adolescentulo respondendi prudentiam admiratus, simul & ingenij lumen egregium in eo considerans elucescere, ipsum ad exquisitissimos doctores disciplinæ gratia mittendum curauit. A quibus ille omnibus exercitus quæ ad animi cultum pertinent, apprimè eruditus, interea vacante sede Bituricensi ad Regis petitionem vix duodeviginti annos natus in Archiepiscopum eligitur. Et primùm quidem Diaconij ordinatione susceptâ, per specialem summi Pontificis gratiam, consecrationis munus assecutus est. Deinde quum pubertatem supergressus fuisset, Presbyterij honore potitus, astante propemodum innumera populi multitudine, sacra Missarum solemnia Pontificalibus infulis gloriosè amictus celebrauit. Sed haud multò pòst mors immatura eum nobis abstulit viij. die Februarij, anno Domini 1511. Cuius corpus digno honore humatum est in choro matricis Ecclesiæ, ante sedem domini Cancellarij iuxta mausoleum marmoreum felicis recordationis domini Fulcaudi quondam Archipræsulis. Sedit autem annos sex, mensibus quinque, dies octo, ab anno Christi 1506. ad annum 1512. Præsidente Romæ in Apostolica sede Iulio II. Imperante Maximiliano, & regnante Ludouico XII. Post eius obitum venerabilis Decanus & Capitulum sedem Archiepiscopalem rexerunt per annum, menses quinque, & dies viginti duos.

CAPVT XCI.

De Andrea Formeno nonagesimo primo Biturigum Archiepiscopo.

NOnagesimus primus præfuit dominus ANDREAS FORMENVS vir honestate, humanitate, mansuetudine, cæterisque id genus virtutum ornamentis nobiliter decoratus. Hic ex Scotiâ nobili stirpe genitus primùm suę genti præerat antistes in sede Episcopali Morauiensi; Deinde pro ea gerens legationem in Francia & apud Regiam maiestatem singularis sapientiæ gratia insignem laudem adeptus, etiam ex animi Regis proposito postulatus à Capitulo, per summum Pontificem Primas Aquitanię creatus est. Posteà verò Romæ agens quum cœmeterium Calixti intrasset, ibidem in extrema par-

Digitized by Google

te ambitus, lapidem marmoreum antiquum obseruauit, in quo scriptum erat. *Guillermus Bituricensis Archiepiscopus hoc intrauit Cœmeterium, & inter alias reliquias Beatæ Luciæ Virginis & Martyris caput adinuenit.* Quod summi Pontificis permissu secum detulit ad Gallias. Istud autem Diuæ Luciæ caput auro gemmisque pretiosissimis magnificè redimitum asseruatur digno cum honore Bituris in Cathedrali Ecclesiâ. Cæterum Venerabilis Pater Andreas vbi compertum habuit Archipræsulem S. Andreæ de Scotia proximè cessisse fato, prouidè suarum rerum satagens, egit cùm apud Regem tum penes sedem Apostolicam, vt dimisso Bituricensi Archiepiscopatu domino Antonio Boiero, necnon data Cardinali de Syon Abbatia S. Audoeni Rothomagensis, quam idem Boierus tenebat, ipse nobilem imprimis atque honorificum totius Scotiæ Primatum possideat. Rexit autem Bituricensem Ecclesiam anno vno, mensibus quatuor, & diebus viginti septem. Præsidente Romæ Leone decimo; Imperante adhuc Maximiliano, atque Regnantibus Ludouico duodecimo & Francisco primo.

CAPVT XCII.

De Antonio Boierio nonagesimo secundo Bituricum Archiepiscopo.

NOnagesimus secundus præfuit D. ANTONIVS BOHIERVS, magni animi ac prudentiæ vir, item honestissimi nominis celebritate præclarus. Huic ab Aruernia oriundo clara propago fuit. Quem etiam fortunæ euentus magna ad fastigia extulit. Primum siquidem ex Monacho fit Abbas Sancti Audoeni Rothomagensis, deinde itidem Abbas Fiscannensis, præterea Bituricensis Archiepiscopus, nouissimè verò Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Anastasiæ. Hic (teste Roberto Guaguino, libro vndecimo Compendij super Francorum gestis) ante initum Pontificatum extitit vnus Præsidum ex primis, quos Rex Ludouicus duodecimus, Scacarij nomine in Parlamentum commutato, instituit Rothomagi anno Dominicæ Incarnationis quadringentesimo nonagesimo supra mille. Denique idem sumpto Pontificatu statim vbi maximi Biturorum Templi ruinas vidit ingentes, restaurationi illius animum adiiciens in primis, vt magnæ testudinis obduceretur cicatrix, pecunias, quantæ superabundare potuissent ad operis perfectionem, liberaliter largitus est. Considerans etiam nouam turrim qua insignior porticus fulcitur à læua ingredientium Basilicam, propter sui magnitudinem & pulchritudinem minimè adhuc potuisse vsque ad epistylia valuarum perduci, munificentia ductus datis profusis sumptibus præcepit dominis Canonicis, vt non negligerent, sed citius Ecclesiæ suæ ac ciuitatis ornatum erigerent. Postea eundem præsulem cura subiit auditorij funditus euertendi, vt operosius instauraretur. Sed ne eo soluto aliquid emergeret, & opus maneret imperfectum, omnem prius apparatum alacriter præparauit, sicque antiquis fundamentis effossis, noua imposuit, atque ingenti sumptu, & magnificentia singulari ipsum auditorium ad fastigium vsque prouexit. Nec vero in sola ædificia, sed & in vasa preciosa atque diuersam suæ Bituricensi Ecclesiæ supellectilem (quã operosum mihi videtur scientibus enumerare) studium suæ liberalitatis extendit. Præterea idem Archiepiscopus vt pro remedio animæ suæ celebretur Missa singulis diebus, perpetuis temporibus in eadem Bituricensi Ecclesiâ, legauit Capitulo sex mille libras Turonenses, ex quibus inter cætera emptum fuit dominium Sanctæ Radegundæ prope Dunum Regis. Nec satis visum est nobilissimo Antistiti suam Ecclesiam amplissimis, planéque regalibus exornare amplificaréque muneribus, nisi etiam quod ad morum honestatem pertinere videtur, solertissimè vestigans, & id obseruandum subditis tradens, vitia gregis reprimeret, virtutes inseminaret, denique ad studia rei diuinæ omnes cohortaretur. Siquidem constitutiones Synodales Patriarchatus Bituricensis edidisse fertur, atque eas promulgauit anno Domini 1519. decima sexta die mensis Augusti, vbi tam piè, quam eruditè disseruit de vitâ & honestate Clericorum, de fide Catholica, de præceptis Decalogi, de septem Sacramentis, de ieiunis obseruandis, de celebratione festorum, de testamentis, de sepulturis, de decimis & rebus Ecclesiæ non distrahendis, de sententia excommunicationis, de mandatis Archiepiscopi exequêndis, de quæstoribus eleemosynarijs, de non residentibus in suis beneficijs, de celebratione diuinorum officiorum & reuerentia Ecclesiarum, de officio religiosorum, & de officio Archipresbyteri. Cæterum licet eo tempore, quo ipse dignissimus Patriarcha in augustissimo illo & sanctissimo Purpuratorum Patrum senatu censeri meruit Monachi habitum exuerit

Digitized by Google

exuerit Cardinalitia toga vestiendus, sed nihilominus eius benevolentia in viros religiosos adeò propensa extitit, vt reformatam Casalisbenedicti Congregationem multis priuilegiis & gratiis, inde munierit. Adde quod quum virorum eruditorum genus illi quamplurimum placeret, benignitate & munificentia non vulgari suas opes quibusdam pauperibus Scholasticis, vt tranquillo possent animo in sacris musarum operari tribuendas censuerit. Ah Magno suo malo secutus Regiam comitiuam, haud multò pòst febre correptus Blæsis excedit sæculo. Vnde cadauer eius allatum, nullo genere honoris quod impendi tanto Pontifici par fuit, non adhibito à clero & populo humatum est in sua Bituricensi Ecclesiâ extra chorum inter columnam, in qua affixa est Imago Beatæ Mariæ de Bonis nunciis, & columnam proximè sequentem è regione nauis. Super cuius tumulum in lamina æneâ scriptum legitur istud Epitaphium.

Anthonius iacet hic Bohierus, origine quondam;
Aruerna eloquio vir meritisque grauis
A puero Monachus post hæc complicibus Abbas.
Dignus & hac celebri Præsul in æde fuit.
Tempore non multo plures sortitus honores.
Cardineo tandem schemate clarus obit.
Vigesima septima die Nouembris, anno Domini 1519.

Sedit autem annis quatuor, mensibus vndecim, ab anno 1515. ad 1519. Præsidente Romæ Beatissimo Papa Leone decimo, Imperante Carolo V. atque regnante Francisco primo. Tum vacat sedes mense vno, & diebus xiij.

CAPVT XCIII.

De Francisco Buellio nonagesimo tertio Biturigum Archiepiscopo.

NOnagesimus tertius præfuit dominus FRANCISCVS BVELLIVS filius Comitis Sacricæsaris, vir certè vt parentum nobilitate decoratus, ita morum suauitate, honestate vitæ, & zelo iustitiæ insignis. Iste siquidem antequam per ætatem adolescceret, tametsi fluxas mundi opes affatim præsentes haberet, iamque ad id dignitatis processisset, vt sacræ ædis Palatij Thesaurarius suffectus sit, diuitiarum tamen abundantiam, generis gloriam, & honorum iactantiam minimi faciens, nisi & his eruditionem, eruditioni modestiam adiunxisset, nimirum virtuti reique literariæ nauando operam, solertia ingenij adeo valuit, vt in Doctorum numerum & ordinem ascisceretur. Inde verò florens æstimatione Bituricensis Ecclesiæ Canonicatu honestatus, etiam quadragesimo quinto die quàm venerabilem Patrem Antonium Bohierum vita destituerat, Pontificatum subiit. Sed quia frater Guillermus Paruus Ordinis Prędicatorum, ascitus Regiæ maiestatis Confessarius fuerat à Rege postulatus, res in contentionem vocata est. Quæ dum ad sedem Apostolicam dirimenda referretur, tandem post annum & menses sex, facta diligenti examinatione super iure vtriusque partis, summus Pontifex factæ de domino Francisco electioni astipulatur, scribens ad eum in hæc verba. *Leo Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Francisco de Bueil electo Bituricensi, salutem & Apostolicam benedictionem. Apostolatus officium quamquã insufficientibus meritis nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini præsidemus, vtiliter exequi coadiuuante domino cupientes, solliciti corde reddimur & solertes, vt quum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores præficere studeamus, qui populum suæ curæ creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis formare, commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico & tranquillo velint & valeant duce domino salubriter regere & feliciter gubernare. Sanè Ecclesia Bituricensis, cui bonæ memoriæ Antonius tituli S. Anastasiæ Presbyter Cardinalis ex Apostolica dispensatione dum viueret præsidebat, per obitum eiusdem Antonij Cardinalis, qui extra Romanam curiam debitum naturæ persoluit pastoris solatio destituta, dilecti filij Capitulum ipsius Ecclesiæ Bituricensis habentes à sede Apostolicâ eligendi sibi Archiepiscopum, occurrente vacatione dictæ Ecclesiæ Bituricensis, priuilegium, cui non est in aliquo derogatum, pro futuri eorum & Ecclesiæ Bituricensis huiusmodi Archiepiscopi electione celebranda vocatis omnibus qui voluerunt, potuerunt, seu etiam debuerunt electioni huiusmodi commodè interesse die ad eligendum præfixa, vt moris est, conuenientes in vnum, seu eorum maior pars te Canonicum Bituricensem*

Digitized by Google

de nobili & Comitum genere procreatum, decætero Doctorem, Notarium noſtrum, ac in Presbyteratus ordine conſtitutum in eorum & Eccleſiæ Bituricenſis huiuſmodi Archiepiſcopum concorditer elegerunt. Túque electioni huiuſmodi, illius tibi præſentato decreto conſenſiſti, & deinde tu & Capitulum præfati, electionis huiuſmodi negocium proponi feciſtis in conſiſtorio coram nobis, petentes electionem ipſam Apoſtolica auctoritate confirmari in his omnibus ſtatutis à iure temporibus obſeruatis. Nos igitur qui electionem ipſam ac perſonæ tuæ idoneitatem & merita examinari fecimus diligenter. Et quia per eandem examinationem, electionem ipſam de perſona tua, cui apud nos de nobilitate generis, vitæ mundicia, honeſtate morum, ſpiritualium prouidentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, iuxta priuilegium ipſum Canonicè celebratam fore comperimus, electionem eandem de Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica præfata approbamus & confirmamus. Téque eidem Eccleſiæ Bituricenſi præficimus in Archiepiſcopum & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Bituricenſis, tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenariè committendo in illo qui dat gratias & largitur præmia, confidentes quod dirigente domino actus tuos, præfata Eccleſia Bituricenſis ſub tuo felici regimine regetur vtiliter & proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Iugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta deuotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter & prudenter, quòd Eccleſia ipſa Bituricenſis gubernatori prouidè & fructuosè adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam. Túque præter æternæ retributionis præmium noſtram & prædictæ ſedis benedictionem & gratiam exinde vberius conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo, Kalendas Iulij, Pontificatus noſtri anno nono.

His igitur literis Apoſtolicis dominus Franciſcus Pontifex admiſſus & confirmatus & declaratus, ac inde per manus antiſtitum conſecrationis oleo ſolemniter delibutus, ciuitatem Bituricenſem (vt eſt conſuetudinis) omnibus ineffabibili geſtu lætitiæ applaudentibus ingreditur. Tuncque nobilis & egregius vir incredibili plenus gaudio, ad laudem Sanctiſſimæ Trinitatis ac Beatiſſimi Guillermi pro gratiarum actione de ſuæ electionis dono fundauit die Dominica intra octauam eiuſdem beati Guillermi Miſſam de Sancto Spiritu in eadem Bituricenſi Eccleſiâ ſingulis annis ſolenniter decantandam. Qua finita etiam Pſalmum (*In exitu Iſrael de Ægypto*, cum Antiphona. *Nos qui viuimus*) in cantu paſchali dicendum inſtituit, datis huius rei gratia trecentis libris Turonenſibus pro emendis redditibus.

Verùm vbi Princeps accepit Canonicorum ſuffragia in eundem Buellium conſenſiſſe atque electionem ſummi Pontificis decreto valituram, rem iniquo tulit animo, ſtarimque confiſcantur omnes Pontificii redditus, vaſtantur prædia, poſſeſſiones diripiuntur, eóque flagitij excreuit res, vt nobiliſſimus Antiſtes multis diebus intra phani ambitum ſe velut turelarium compulſus ſit cohibere. Cæterum ille non immemor iſtius Euangelici præcepti (*orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri cœleſtis, &c.* Diuinitatem Chriſti ſedulò precaturus quatenus Regni negotiis maturiùs ſubuenire dignaretur: interim cito rogatúque ipſius vniuerſo clero & populo cum cereis, facibus, & vario gloriæ apparatu congregatis decima quinta Kalend. Nouembres, ſacratiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti Corpus honorificentiſſimè portans, ſolemnem illam ſupplicationis pompam clangentibus tubis deduxit ad Eccleſiam Beatæ Mariæ de Monte Carmeli. Atque ibidem ſacrificata Altiſſimo laudis hoſtia pro felici Eccleſiæ Regni ſtatu, pſallentium chorum ad Pontificium templum reduxit. Hæc ita ſe habere omnibus eſt in confeſſo & adhuc in ore vulgi publicè verſantur. Quibus ſatis appoſitè addiderimus, quòd quum idem præſul vitia gregis, & ſi qua reprehenſibilia fore viſa ſunt in Eccleſia corrigendum curaret, primum quidem durante celeberrima proceſſione diei Corporis Chriſti, commeſſationes & conuiuia poſthac exerceri prohibuerit, admonens ſubiectos vt benigniſſimi Redemptoris deſiderio flagrantes debitum honoris cultum eidem reddere non negligerent. Deinde quòd condemnaret errorem quo in feſtiuitatibus Sanctorum Martini, Nicolai, & Innocentium inoleſcente mala conſuetudine, pueri ſub Pontificis & Canonicorum ſchemate choro præſidebant, & è diuerſo Sacerdotes inter agenda diuina officia puerorum vices nimis irreuerenter ac pueriliter ſupplebant. Nempe quum ille ſuapte naturâ ingenui eſſet animi, nil indecorum, nilque incompoſitum fieri in Templo Dei patiebatur.

Digitized by Goog

Huc accedit quod ad decorem domus Dei multa bona adiecit in ornamentis auri & argenti ac sericarum vestium. Interea verò quum decimas ab Ecclesiasticis viris inhianter exigere conaretur sæcularis potestas, vigilantissimus pastor probè ducens negotium esse diuinæ prouidentiæ committendum, censuit vt per vniuersas suæ Diœceseos Ecclesias, in maiori Missa post Orationem Dominicam, genibus flexis diceretur psalmus 55. qui sic incipit, *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, &c.* Deinde libertatis Ecclesiasticæ mirabilis defensor opposuit se murum pro domo Dei, dignitatémque eius dum vixit pro sua virili tutatus est, ita vt prosperè cum Gallicanâ Ecclesiâ actum esset, si ille superuixisset. Pollicebatur hoc nobis spectata cunctis viri sapientia & ingens rectitudinis zelus. Qui non sinebat ipsum aliò spectare quàm ad gloriam Christi, ac profectum gregis sibi diuinitus commissi. At populus Biturix tanto Pontifice diu frui immeritus anno tertio, mense octauo, & die decimo quinto quàm fuerat eum in pastorem & sacerdotem summum adeptus, extrema mortis sorte affectum dolenter amisit. Verùm antequàm ea quæ de eo adhuc supersunt absoluamus, non abs re videri debet, si aduersos casus, qui in id tempus inciderunt, breuiter addiderimus. Anno itaque Incarnati Verbi millesimo quingentesimo vigesimo secundo, quarto Idus Iunij, feria tertia post Pentecostem circa septimam horam post Meridiem, ecce nube procellosa cum horrendo tonitruo & vento impetuosissimo exinsperato irrumpente, adeò immoderata fuit tempestas, vt in Bituricensi territorio vis ventorum plusquam quinquaginta ædium sacrarum pinnacula & agrestia ædificia prope innumera decusserit, atque (quod magis vel ipso auditu terrificum est) euulserit radicitus siluas multis passuum milibus. Verum Biturica ciuitas diuinitatis munere gratuito nihil aut parum detrimenti perpessa est ex hac procellosi venti insuetâ commotione. Sexdecim post hæc fluxerant dies, cum circa horam noctis vndecimam tellus horrendè commota magnum cunctis incussit timorem. Quarto quoque die ab illo terræ motu funestum atque terrificum scelus quod dicturus sum, infaustè perpetratum est Bituris in Parochia sancti Vrsini. Erant igitur in eadem Bituricensi ciuitate tres viri vanissimi atque superflui, quorum vnus post vxoris mortem indignè præsumpto Sacerdotij gradu numquam fecisse rem diuinam perhibebatur. Alij autem duo ingeniosi artifices videlicet vnus sculptor, & alter faber lignarius memorati Sacerdotis consuetudine delectabiliter vtentes, dum (quemadmodum de Athenienſibus prodit Actuum Apostolorum historia) ad nihil aliud vacarent nisi aut dicere aut audire aliquid noui, Deo permittente, quidam incantator nomine Goninus vana persuasione eò flagitii temerarios homines impulit, vt per artem quam vulgo Alchymiam seu Alquemiam vocant, arbitrarentur se infimi precij metalla in argentum & aurum transformare. Quod vbi noctu in secretiori loco subterraneo sine magnificæ artis doctore (nam eis perditissimus homo pridie illius diei quo hæc proh nefas acciderunt clam vrbem egressus aufugerat) experiri attentarent: ibidem detestabili exitio pariter interierunt. Quamobrem stupor ingens ciuitatem inuasit. Auxitque formidinem subita inundatio aquarum eodem anno in mensibus Octobri, Nouembri, & Decembri tumultu rapidissimo erumpentium. Siquidem eadem vis cataclysmi vias ad vrbem tendentes & suburbana ex improuiso occupans aliquot domus priusquam succurri potuerit demolita est. Præterea annus salutis humanæ vigesimus tertius super millesimum ac quinquagesimum voluebatur, quo Aquilone septem continuis diebus octauæ Sancti Martini, & ab Idibus Decembris vsque ad Natalem Beati Protomartyris Stephani impetu maximo exuflante, hyems citra omnem hominum memoriam asperior inhorruit, adeò quidem vt ridigissimo gelu vniuersa sata & quæque virentia dicantur radicitus periisse. Vnde & illa tempestate in Bituria, Borbonio, Burgundia, Turonia, & Normania prouinciis terra nullum fructum vel saltem exiguum inferente, grauiter est fame laboratum. Item consequenti tempore, videlicet tertio Nonas Iulij, instante hora sexta post meridiem sæuiente imbrium ventorúmque procella cum ingenti tonitrui mugitu, grando magnitudine oui anseris è cœlo deiecta, omnium ædificiorum Biturigæ ciuitatis lateres atque scandulas frustatim comminuens, damnum intulit vrbi maximum. Sed quid portenderunt vniuersa hæc prodigia, nisi mala quæ breui post erant Ecclesiam & Regnum oppressura? Vt enim morum corruptionem, hæreticorum infestationem, cleri contemptum, & ab eo bonorum ac electionum sub-

ſtractionem obiter taceamus, ad vltimum nobis adhuc ſollicitis, adhuc anxiis ob aduerſos caſus ſuperiùs memoratos, percrebuit rumor exercitum noſtrorum fuiſſe ab hoſtibus multâ cæde fuſum, captúmque Regem in Hiſpania ſeruari. Trepidè etiam nunciatur Franciſci Pontificis obitus. Dum enim ille ageret Pariſiis, decidens in lectum, tandem diluta & expurgata longo cuiuſdam infirmitatis examine conſcientia, in ſolemniſſima die ſalutationis Angelicæ vltimum fundens halitum, ob paſtoralem curam optimè adminiſtratam, magnum ſui deſiderium reliquit. Corpore autem eius inde Bituricas aduecto, & iuxta tumulum S. Philippire ligiosè humato, quidam iſtud Epitaphium facundiſſimè ſcripſit.

Franciſcus iacet hic à ſtirpe Buellius, idem
Sanguinis, idem animi nobilitate valens.
Biturigum Præſul qui pridem electus in æde
Inuito aſſeruit Principe iura ſua.
Hocque reluctante abs Romano præſule litis
Hinc inde excuſſæ iudicium obtinuit.
Poſt hoc ſæuitiam ....
Intrepido ſemper pectore ſuſtinuit,
In quæ iurarat ſemel vt ſeruaret ad vnguem,
Ordinis & cleri libera iura ſui.
Parca breues annos licet huic dedit inuida, virtus
Nomen inextinctum, perpetuúmque dabit.

Præfuit igitur idem dominus Franciſcus annis quinque, menſibus duobus, & diebus quindecim, computando à die ſuæ electionis; Sed numerando à tempore confirmationis, ſedit duntaxat annos tres, menſes octo, & dies quindecim, ab anno 1521. ad annum 1555. Præſidentibus Romæ Leone X. & Clemente VII. Imperante Carolo V. Regnantéque Franciſco I. Tum vacat ſedes duobus menſibus, & diebus x.

CAPVT XCIV.

De Franciſco Turnonio nonageſimo quarto Biturigum Archiepiſcopo.

NOnageſimus quartus præfuit dominus FRANCISCVS DE TVRNONE, vir, vt genere multum illuſtris, ita animo valdè nobilis. Hunc de clariſſimâ ſtirpe Turni filij Hectoris Troiani (cuius fortia facta per orbem adhuc celebrantur) fama prodit deſcendiſſe, cuius prima ætas quum manifeſtum iter ad virtutes oſtenderet, eſſétque ille non vulgari ingenij dexteritate conſpicuus, literis addictus, breui omnium liberalium artium peritia inſigniter effulſit. Tum demum eidem cultioris vitæ ornamento pollenti opportunè acceſſit Principum, maximè autem illuſtriſſimæ dominę Lodoicæ matris Franciſci Regis Chriſtianiſſimi propenſus fauor, quo mox plurimarum dignitatum infulas eſt aſſecutus. Et primum quidem Archiepiſcopus Ebredunenſis Eccleſiæ communi omnium ſuffragio conſtituitur, deinde Primas Aquitaniæ non abſque Domini peculiari voluntate ex diſpenſatione Apoſtolica eligitur, poſtremò Auxitanenſis Archipræſul dono Regis ſufficitur: itaque tantus vir quâ ratione nobilem imprimis Aquitaniæ Primatum obtinere meruerit jam attingendum putamus. Quum ſiquidem occulto quodam Dei conſilio Franciſcus Rex Chriſtianiſſimus apud Papiam à ſuis quibuſdam per diu conceptam proditionem nequiter deſertus, in manus Caroli Imperatoris veniſſet, ac eidem Regi noſtro iniquiſſimas pacis conditiones proponeret, & eo pacto Gallias circuncidere, pariter & imperium ſuum ita propagare cogitaret; vt Franciæ Regno plurimum detraheretur, tum Franciſcus à Turnone Regi vnicè charus, & nihilominus ob incredibilem morum comitatem, apud Cæſaream maieſtatem gratioſiſſimus, ad illum Legatus in Hiſpaniam miſſus, ita diuina quadam ratione & arte egit, vt cunctis inimicis formidoloſius Gallicum euaſerit imperium, reſtituto in id ſine bello ac fraude Rege Chriſtianiſſimo. Quæ dum ab eo tam ſapienter quàm feliciter gererentur, Franciſco Buelio rebus humanis exempto, necnon funere & exequiis multâ celebritate peractis, illi pro tantis beneficiis eſt iſta gratia repenſa, vt Bituricenſis ſedes (quæ vt in veterum memoriis ſcriptum legimus, inter vniuerſas Metropoles, ſpeciali gaudet priuilegio dignitatis) eidem pararetur, illuſtriſſimæ Principis Lodoicæ

Digitized by Google

(cuius supra meminimus) voto, postulatione, suffragio. Erat autem per id tempus pulchra valde atque decora facies Bituricensis Ecclesiæ, vt pote quæ viris illustribus cùm humana tum diuina scientia, & egregia morum honestate pollentibus abundans. Cui imprimis dominus Iacobus de Brolio Canonicus eiusdem Ecclesiæ & Archidiaconus Borbonius, vir quidem iam grandæuus, sed nulli cæterorum Canonicorum pietate, beneficentia, aut alio genere virtutis secundus, plurimum splendoris adiecit. Hic augendi diuini cultus studio sub inferiori testudine Matricis Ecclesiæ, loco ruderibus purgato Dominicam sepulturam ad veritatis similitudinem, magnificentissimo materiæ & operis apparatu effinxit. Vbi etiam sibimet sepulturæ conditorium sub introitus limine parauit: Est enim idem locus deuotioni accommodatissimus. Quamobrem vt illic iugis memoria preciosæ mortis piissimi nostri Seruatoris sedulò recolatur, idem vir insigniter liberalis præter nongentos aureos (quibus tam insigne & egregium opus consummauit) etiam pro Missa de Passione Domini ad altare è regione sepulchri constitutum, quartis & sextis feriis perpetuò celebranda, prouentus ex suis prædiis sufficientes adiecit. Sed nunc vt styli nostri cursus ad id vnde obiter digressus est, se referat, quum ad creandum nouum antistitem Nonis Iunii anno Domini 1525. celebris conuentus cleri cogeretur, sanè venerabilium Canonicorum altera pars præfatum dominum Iacobum de Brolio in Pontificem elegit, altera verò dominum Franciscum de Turnone magis fore vtilem Ecclesiæ æstimauit, ac itidem elegit. Sicque dum vtraque pars eligentium, eum in quem consensit, defenderet, & res summi Pontificis arbitrio dirimenda, ad sedem Apostolicam euocaretur, domino Iacobo per appellationem ad futurum Generale Concilium causam suam referente, dominus Franciscus iudicium obtinuit. Cuius electio per Papam Clementem septimum sexto Idus Ianuarij, eodem anno confirmata est. Distulit tamen suum iucundum aduentum in annum alterum ad penultimum diem Aprilis. Quo quidem tempore ingens vis aquarum, maximè autem insueta Vtrionis fluminis inundatio tanta erupit, quantam nullus seniorum nostrorum se vidisse recolit. Sed nihilo minore gloriæ apparatu, & ciuium congratulatione Pontifex fuit exceptus. Qui vbi incredibili rerum successu primum & excelsiorem Aquitaniæ thonum conscendit, Concilium Prouinciale (quod non tantùm laudi accessit, sed emolumento etiam maximo fuit) Bituris celebrandum tertio Idus Martii anno Domini 1527. indixit, in quo pleraque multa tum ad Dei Templorumque cultum, tum ad vitam moresque cleri decreta præclarè & sapienter instituit. In quarta autem sessione venerabilis Patriarcha veritus ne Lutheranæ hæresis venenum in plures serperet (iam enim non deerant qui huic errori temerè accederent) ipsum hæresiarcham cum suis fautoribus & sectatoribus magno omnium consensu condemnato eius peruerso dogmate anathematizauit. Sanxit ad hæc ne qui librarii codices infectos Lutheranâ hæresi & sequacium emant aut vendant. Si qui verò hoc præsenti decreto & eius promulgatione admoniti, sua stultitia perichitari maluerint, quàm orthodoxorum Patrum sapientia seruari, eosdem libros imprimentes, vendentes, ementes & detinentes, carceribus includendos & alia pœna arbitraria puniendos eos censuit. Item vt animarum saluti consulatur, pro prima contumacia literas excommunicationis non esse concedendas, sed tantummodo interdictum ab ingressu Ecclesiæ statuit: & vt Rectores Ecclesiarum ad maiorem Dei reuerentiam suo populo persuadeant faciendam genuflexionem tantisper & quoties audietur signum aliquod eleuationis Corporis Christi, & ne clerus aut plebs vagetur & deambulet per templa inter dicenda officia diuina, aut dum prædicatio siue mandatorum publicatio habetur. Et vt obseruetur statutum Concilij Constantiensis & Pragmaticæ Sanctionis de residentia Canonicorum & aliorum Ecclesiæ Ministrorum in diuino cultu, & etiam psalmodia lentè & cum certa morula facienda: Et vt parochialium Ecclesiarum Rectores cæteríque animarum curam habentes resideant in suis beneficiis, nec eisdem concedantur literæ de non residendo, nec ipsorum vicariis de regendo, nisi causa cognita. Qua legitima subsistente, & vicariis idoneis præmisso examine compertis teneantur prædicti animarum curam habentes sic per se, vel suos vicarios prouidere, vt debita hospitalitas, & pauperum subuentio obseruetur. Reliqua quę tunc hoc conuentu sunt decreta, à nobis consulto prætermittuntur: nam quod etiam idem nobilissimus Pontifex promulgauerit constitutiones Ecclesiastici fori Patriarchatus Bituricensis, alio est loco proditum. Cæterùm

Digitized by Google

vt maior adhuc ipsi accederet maiestas, puniceo insignitus galero, inter supremi ordinis Patres (quos vulgò Cardinales appellant) interuentu Regis Christianissimi, & illustrissimæ Principis matris eius suffragio est ascriptus. Per id tempus, aut certè non multo post, in crastinum Pentecostes, triumphalis ludus Actuum Apostolorum (spectaculum planè ad hæc tempora Christiano orbi insuetum) est Bituris celebratus. Fuit humanæ salutis annus quo hæc ita gesta sunt, trigesimus sextus supra millesimum & quingentesimum. Quo quidem elapso & aliquot interjectis mensibus, dominus Franciscus noster hactenus Pontifex vltrò cessit Primatu domino Iacobo *le Roy*, & ad regendam Aussiorum Ecclesiam transmigrauit, nobis sui desiderium ob modestiam & mansuetudinem (quibus virtutibus omnes sibi amicitiâ deuincire illi curæ fuit) relinquens. Quem precor vt Christus optimus maximus Ecclesiæ & reipublicæ iuuandæ diu seruet incolumem. Præfuit autem Bituricensi Ecclesiæ, eam in cunctis clementer fouens duodecim annis, mensibus quatuor, & octodecim diebus, ab anno 1525. ad annum 1536. Præsidentibus Romæ Clemente VII. & Paulo III. Imperante Carolo V. ac feliciter regnante Francisco primo.

CAPVT XCV.

De Iacobo Regio nonagesimo quinto Biturigum Archiepiscopo.

NOnagesimus quintus præfuit D. IACOBVS LE ROY, vir apprime nobilis, vt pote quem Druidum Comitum (qui Regio semine sati referuntur) constans fama ferat clarissimæ esse propaginis: huic Sauiniacum castrum, & natale solum, & legitimum patrimonium extitit.

Hactenus Anonymus Sancti Sulpicij Bituricensis Monachus, quem quidam Benedictum Vernier, dictum fuisse suspicantur, infirma admodum, quantum hactenus deprehendere potui, coniectura. Cuius autographum exemplar, certè ab ipso Auctore ante centum ac viginti propemodum annos correctum, auctum, ac locupletatum, ex Monasterio Sansulpiciano subductum iampridem, possidebat anno 1608. D. Ioannis Iacobi de Cambray *successor D. Claudius de Beauxoncles Decanus Bituricensis, quando eius amplissimum indicem contexuit digestique D. Carolus* de la Saussaye *Decanus Aurelianensis, eóque idem ipse vsus est in describendis vitis Beatorum Philippi Berruerij & Rogerij Fortis Aurelianensium primò, deinde Bituricensium Antistitum. Illud idem exemplar postea in Bibliothecam Ioannis Chenutij Bituricensis Caussidici siue emptione, siue quacumque alia ratione translatum est, atque inde in manus Marci Antonij Dominicy Cadurcensis I. V. Doctoris atque in Alma Biturigum Vniuersitate Professoris deuenit: post cuius mortem à V. C. D.* de la Berchere, *tunc Libellorum supplicum Magistro, nunc verò in suprema Allobrogum Curia Primo Præside meritissimo in Collegium Soc. IESV Claromontanum (quæ summa eius fuit humanitas) ad me delatum est, satagente scriptisque literis perurgente Illustrissimo ac Reuerendissimo D. D. ANNA DE LEVI VENTADORIO Patriarchâ, Archiepiscopo Bituricensi, Aquitaniæ Primate. De quo, eiúsque reliquis Decessoribus præter ea, quæ Ioannes Chenutius, Claudius Robertus, ac doctissimi Sammarthani annotarunt hactenus, nonnulla quoque Deo dante, pro instituti nostri ratione obseruabimus in Promptuario Bituricensium Antiquitatum. Is verò sibi successerunt hac serie.*

XCVI. ANTONIVS VIALART Parisiensis, ab anno 1572.
XCVII. REGINALDVS DE BEAVNE Turonensis, ab anno 1576.
XCVIII. ANDREAS FREMIOT Diuionensis, ab anno 1603.
XCIX. ROLANDVS HEBERT, Claromonte Bellouacorum ortus, ab anno 1622. ad 1638.
C. PETRVS D'HARDIVILLIERS Parisiensis, ab anno 1643.
CI. ANNAS DE LEVI ex Illustrissima Ducum Ventadorientium stirpe.

Promptuarium Antiquitatum Bituricensium, nostráque in Anonymum Obseruationes & castigationes rejecimus ad calcem huiusce Voluminis, quo res Aquitanicas, Deodante, ornatum imus.

CHRONICON
ADEMARI CHABANNENSIS
MONACHI SANCTI EPARCHII
ENGOLISMENSIS.

A Principio Monarchiæ Franciæ ad annum CIↃXXIX.

Descripsi ex MS. Codice antiquissimo Bibliothecæ Thuanæ & contuli cum MSS. Exemplaribus V. C. Hadriani Valesii I. C. Collegij Claromontani Parisiensis Societ. IESV, aliisque.

CAPVT I.

PRINCIPIVM Regni Francorum, eorumque originem vel gentium illarum ac gesta proferamus. Est autem in Asia oppidum Trojanorum, vbi est ciuitas quæ Ilium dicitur, vbi regnauit Æneas. Gens illa fortis & valida: viri bellatores atque rebelles nimis inquieta certamina objurgantes, per gyrum finitima debellantes. Surrexerunt autem Reges Græcorum aduersus Æneam cum multo exercitu, pugnaueruntque contra eum cæde magna, corruitque illic multus populus Trojanorum. Fugit itaque Æneas & recluſit se in ciuitatem Ilium, pugnauerúntque aduersus hanc ciuitatem annis decem. Ipsa enim ciuitate subacta fugit Æneas tyrannus in Italiam locare gentes ad pugnandum. Alii quoque ex Principibus, Priamus videlicet & Antenor, &c. *quæ edita sunt tum in Corpore Historiæ Francicæ Hanoniæ anno 1613. sub isto titulo Gesta Regum Francorum Epitomata, tum Tomo 1. Collectionis Duchesnianæ Scriptorum Historiæ Franciæ à pag. 690. Si quid scitu dignum occurrerit erudito Lectori pro more non inuidebimus. Ac primo obseruabimus Ademariani Chronici contextum propiùs accedere ad Historiam ex MS. Codice Ecclesiæ Cameracensis à Duchesnio editam, quàm ad editionem Marquardi Freheri.* II. *cap. 2. & 3. pro Alamannis in Codice Thuano haberi* Alanos, *& pro paludarum*, Paludum: *pro exactoribus*, exactores, *vt similia ad minutias Grammaticas spectantia silentio premam, nec diuersis lectionibus ad Historicam veritatem nihil aut parum conducentibus molestiam occupatis creem.* Cap. 5. *pro Dispargo* Disparco, *& pro Summam* Sonnam, *& pro Egecio seu potius Ætio* Ægidium Patricium Romanorum, *& pro Tursomodo, seu Thorismundo* Tursomum. Cap. 10. *pro vrsum* vrceum percusserat. Cap. 11. *pro Godomarus* Gotmarus, *pro matricolam* matriculam.

Sub finem cap. XII. *hæc adduntur post Deum Omnipotentem qui est in cœlis adores*: Eo tempore Sanctus Eparchius natus est patre Comite Petragorico, nomine Felice, qui postea plenus sanctitate patronus Egolismæ ciuitatis factus est. Cap. 15. *pro Remidio aut Remedio* Remigio, *sub finem cap. 16.* Deinceps omnes Ecclesiæ Dei cum auctoritate Apostolici Romani hoc exemplum agentes vsque ad præsens ipsas letanias triduanas vbique celebres recolunt ante Ascensionem Domini. Cap. 17. *post ipsam vrbem apprehendit*: omnemque terram illã subjugauit: In ipsa ciuitate consecrare fecit in Episcopatu venerabilem virum Aptonium Capellanum suum expulso Pruno Episcopo

Arriano Gothorum de eadem ciuitate : & tam in ipsâ Egolismâ, quàm in Sanctonico, vel Burdegala Francos præcepit manere ad Gothorum gentem delendam, &c.

Cap. 18. *pro Ragnacharius* Regnacarius, *pro baltheos & armellas* bratteas & armillas. *pro æramen & cuprum erat deauratum sub dolo factum*, æramen ciprum erat & foris deauraum subdolè factum. Cap. 19. *pro Cochilago*, Cochelaico. Cap. 20. *pro Colomna* vico, Columpnæ vicus. Cap. 22. *pro Theudebertus*, Theodebertus. Cap. 23. atque eam in tantum verberabat vt sanguine inlitum sudarium suum fratre suo transmitteret dicens: Indignamini dulcissimi Fratres laborem & iniuriam meam Domini carissimi. Cap. 24. Hæ sunt forpices & hic est gladius: sic mandant filij tui: si vis tonde, aut gladio perime. Cap. 25. in syluam confugit in Arelanno, fecitque combros, &c. *Post ad propria sunt reuersi*: per idem tempus Sanctus Eparchius Pater Egolismensis migrauit ad Christum die primo mensis Iulij. Cap. 26. *pro Spaniam* Hispaniam. Cap. 27. in superiores Francos & Austrasios Theodoaldus, cum magno psallentium apparatu, Radegundis male pro Heregunde seu Charegunde Ingundis sorore ponitur. Cap. 28. *pro Cuneberto*, Conobro Rege Britannorum & *pro Vuillesario* Wilecarius. Cap. 29. spiritum exhalauit anno quinquagesimo primo regni sui.

Sub finem capitis 30. Eo tempore S. Gregorius Archiepiscopus Turonensis magnis virtutibus fulgebat: per idem tempus S. Germanus Parisiorum Episcopus missus à Rege Chariberto Egolismam ciuitatem, consecrauit Basilicam S. Eparchii, vbi ipse nuper sepultus fuerat: adfuit cum eo venerabilis Gregorius Episcopus Turonensis, & in ipsa Basilica multa pignora reliquiarum B. Martini Episcopi collocantes dedicauerunt eam in eiusdem B. Martini honore. Denique in altari ipsius ab eodem S. Germano atque Gregorio consecrato Sanctæ Crucis hactenus apparent impressa signacula. Item in honore S. Petri consecrauerunt Ecclesiam sedis Episcopalis quã Clodoueus Rex supradictus à nouo inchoari iusserat destructa priori sede quam Gothi Ariana maculatione fœdauerant, in honore Sancti Saturnini, ordinauerúntque in ipsa ciuitate Episcopum nomine Mererium, qui in Francia Capellanus Regis fuerat. Aptonius enim nuperrimè obierat in Christo.

Cap. 33. *mittens nuncios Dunensibus* : misitque nuncios Bituricensibus vel Turonicis vt contra Theodobertum ire deberent. Quod illis dissimulantibus Rex Godegiselum & Guntramnum Duces in capite direxit. Qui commouentes exercitum aduersus eum, pergunt contra Egolismam vbi residebat propter fortitudinem murorum. Ille quoq; derelictus à suis cum paucis remansit, sed tamen ad bellũ ire non dubitat. Venientesq; ad pugnam octo millibus ab Egolisma iuxta fluuium Carantam secus siluam Buxam Theodobertus deuictus prosternitur, mortuusq; ibi ab Aunulfo quoq; Duce collectus Egolismam ciuitatem portatus ibidẽ sepultus est apud S. Eparchium. Cap. 34. per consiliũ Fredegundis in cuncto regno suo fieri iussit. Erat enim illa ancilla nequissima, sed propter pulchritudinẽ vultus eã Rex nimis amabat, & mala consilia semper audiebat ab illa, & eam credebat super omnes consiliarios Francorũ: pro quibus descriptionibus malis multi relinquentes villas ciuitates vel possessiones proprias, &c. Cap. 35. *pro Canelone* Caulono. Landricus quoque tunc erat Majordomus Palatij vir ingeniosus & vtilis, *pro de stabulo* de staplo equorum : *pro sammo noctis vespere obtenebrante crepusculo*, clauso iam die ad noctẽ venerit, mittamus qui eum interficiat & proclament quod Childebertus Rex Auster insidiatus ei est : *pro ad merata sua*, ad mansiones suas, &c. Cap. 36. *pro vsque Trucciago*, vsque Truciam peruenerunt. Cap. 37. *pro Michitanum castrum* Malitonense, *& pro scionà fiscionam vicum*. Cap. 38. *pro Ribuarinsem terram*, Riboariensem: *& in fine post interfecit additur* : & minorẽ in albis ad petram percusso cerebro elisit.

Cap. 40. Brunechildis cultu regali ornata venit ad eum ad castrum vel fluuium Tiroa : qui cum eam vidisset dixit: Inimica Dei cur tanta mala perpetrasti & tantam genealogiã Regalem interficere ausa fuisti ? In camelo leuata & tota hoste girata, &c. Cap. 41. *cum gannio* cachinno, *vile iumentis* Blace vinte ? *nisi & gladius: suus (quod spatam vocant) per longum habebat*, nisi quantum gladius suus, quem spatam vocant, per longũ habebat. Cap. 42. ipse enim eleemosynarum copiam de fisco Palatij per Ecclesias Sanctorũ primus distribuere iussit, &c. Tunc Audoënus Episc. exortus enituit. Tunc Heraclius Imperator Crucem Domini defuncto Cosdroe quod erat in Perside victor detulit in Hierusalem & Exaltatio S. Crucis in suam ciuitatem facta est. Eo tempore piissimus Imperator Heraclius Dagoberto munera misit, & rogauit vt baptizari compelleret omnes Iudæos qui erant in omni regno eius, quod & factum est.

Tunc

Digitized by Google

Tunc defuncto Gundolando Majoredomus, &c. cap. 45. *pro Bacio*, Baciuo villa. cap. 46. *pro Frchorego*, Ercreco villa: *super vacuas capsas*, causas. cap. 48. Post hæc Pipinus Theoderico Regi cepit esse in principali regimine Majordomus. cap. 49. ex Regina Crochilde. Item *pro Northerto*, Nordebertus. & *pro Grimoaldo*, Grimaldus. & *pro Theudaldo*, Theodebaldus: Calpiadem quoque vocat aliam vxorem Pipini, Caroli Martelli matrem, quæ passim appellatur Alpais. cap. 5. *pro Teutsinda*, Theotsinda filia Ratbodi: *pro Landeberto*, Lanbertus. *pro Leodosio*, Leudicum. *pro Rantharto*, Ratgarius.

Cap. 51. Eo tempore Pipinus Breuis supradictus, pater Drogonis, & Grimaldi, & Caroli Martelli, correptus febre valida, mortuus est. Et postquam mortuus est supradictus Pipinus Vetulus vel Breuis, qui fuit proauus domni Karoli Imperatoris Magni, Franci in Francos inuicem irruunt in Cosia silua, &c. Tunc Plectrudis vxor Pipini Vetuli, cepit per ingenium Karolum Martellum filium Pipini supradicti de alia vxore Calpiade, qui dum sub custodia teneretur, auxiliante Domino, vix euasit. Cap. 53. *pro Vinciago*, Vinciaco. Regemque sibi statuit Clotarium consanguineum suum, filium Clodouei, qui fuit filius Dagoberti. Chilpericus itaque & Raenfredus Eudonem Ducem Aquitaniæ expetunt in auxilium, & munera multa ei tribuunt. Ille hoste Vvasconorum & Aquitanorum commoto, contra Carolum Martellum perrexit. At ille constanter occurrit ei intrepidus. Eudo territus resistere non valens, fugit, & reuersus est fugiendo vsque Parisius. Inde Sequanam fluuium transiit, & ad vrbem Aurelianis venit, & Chilpericum cum thesauris regalibus adduxit secum, & vltra Ligerim accedens, vixque euadens terminos regionis suæ cum Chilperico penetrauit. Carolus persecutus eum vsque Turonis, non reperit, & reuersus est. Eo anno Clotarius Rex consanguineus eius obiit. Sequenti anno Karolus legationem ad Eudonem direxit, & amicitias cum eo fecit, Chilpericum mandans vt redderet. Eudo Chilpericum ei reddidit cum multis muneribus, & Karolus Martellus Chilperico recepto, Regem eum constituit, oblitus cunctorum quæ in eo fecerat malorum, sed cum Raënfredo amicitias facere noluit. Rex Chilpericus vrbe Noutomo veniens morbo obiit, & regnauit annos sex. Franci verò Theodericum filium Dagoberti iunioris in Monasterio Cala enutritum, super se Regem statuunt, consensu Karoli Martelli. *Desunt in MS. nostro codice verba ista*: Qui vsque nunc in regno subsistit, *quæ gesta Regum Francorum à Frehero & Duchesnio edita claudunt. Sequuntur verba Ademaro, quæ ad Carolum Martellum & Pipinum eius filium pertinent, ac maximam partem ex Chronico Fredegarij edito à Duchesnio pag. 770. & sequentib. Tomi primi desumpta sunt.*

Karolus verò Princeps Raënfredum insecutus, Andegauis ciuitatem obsedit, & vastata regione eadem, cum plurimis spoliis reuersus est, & Majordomus effectus est ipse Karolus Martellus in regno Francorum. Sequenti anno Andegauis ciuitatem fortissimè debellans cepit, & Raënfredo interfecto, reuersus est.

Per idem tempus rebellauerunt Saxones, & Karolus Princeps contra eos hostem commouit, ac debellans eos, victor reuersus est. Euoluto anni circulo, coactâ agminum multitudine Karolus Martellus Rhenum transiit, Alamanniam & Sueuiam penetrauit, & vsque ad Danubium accessit, & transmeato Danubio, fines Baugarenses occupauit; & sublatâ regione illâ cum multis thesauris & vxore patris sui Plectrude, quæ timore eius illuc fugerat, & cum nepte sua Sonichilde victor in Franciam reuersus est. Per idem tempus Eudo Rex à iure fœderis recessit: quo comperto per internuncios Carolus Princeps commoto exercitu Ligerim fluuium transiit, & fugato Eudone, thesauris multis ab eo acceptis, & populatâ ipsâ terrâ, remeat ad propria. Tunc Eudo Dux cernens se superatum atque derisum, gentem perfidam Saracenorum ad auxilium conuocat contra gentem Francorum: qui egressi de Hispania cum Rege suo nomine Abderama, Garonnam transeunt, Burdegalam vrbem perueniunt, Ecclesias concremant, populos consumunt gladio, & vsque Pictauis profecti, basilicam sancti Hilarij igne concremant, & ad domum sancti Martini Turonis euertendam properant: contra quos Carolus Princeps audacter aciem ministrauit, & super eos irruens, non longè à Pictauis tentoria eorum subuertit, & cunctum exercitum eorum sternens, in ore gladij Regem eorum Abderama peremit, & victor Franciam rediit, & ex tunc omnes ceperunt eum cognominare Martellum; quia sicut martellus cunctũ ferrũ subigit, sic ipse Domino adjuuante, cuncta prœlia frangebat,

Sequenti anno idem egregius bellator Karolus regionem Burgundiæ sagaciter penetrauit. Fines regni illius leudibus suis probatissimis viris illustribus ad conterendas gentes rebelles in fide statuit, & pace patratâ, Lugdunum ciuitatem suis fidelibus tradidit, & firmatis fœderibus iudiciariis, reuersus est victor fiducialiter agens. In illis quippe diebus Eudo Dux mortuus est. Quod audiens Karolus Martellus, inito consilio Procerum suorum, denuò Ligerim transiit vsque Garonnam & Burdegalam ciuitatem, & castrum Blauia cepit obsidione, & totam illam regionem subjugauit cum vrbibus ac suburbanis, & victor cum pace remeauit. Deinde ad crudelissimam gentem Frisonum maritimam nimis crudeliter rebellantem nauali euectione certatim properauit, & altum mare intrãs, penetrauit insulas eorum Amniam, Strachiam, & Astracham, & super Buronem fluuium castra ponens, Bebonem Ducem illorum fraudulentum Consiliarium interfecit, & omnem exercitum Frisonum gladio prostrauit. Fana eorum idolatra contriuit, & combussit igne, & cum magnis spoliis & præda victor reuersus est in regnum Francorum. Iterum commoto exercitu Burgundiam dirigit, & de Lugduno vsque Massilienscm vrbem, vel Arelatum cuncta in suam potestatem subegit, & cum magnis thesauris & muneribus in sedem Francorum remeauit. Item contra Saxones paganissimos rebellantes, qui Rhenum fluuium consistunt, strenuus vir Karolus hostem commouit Francorum, in loco vbi Lippia fluuius Rhenum intrat: quo transmeato, maximam partem regionis illius prostrauit, & gentem illam sæuissimam tributariam fecit, & plures obsides ab eis accepit, sicque victor opitulante Domino remeauit ad propria.

Eo tempore gens fortissima Hismaëlitarum, quos Saracenos corrupto vocabulo nuncupant, irruperunt Rhodanum fluuium, consentientibus infidelibus Christianis, & per dolum & fraudem cum Rege suo Maurcneo Auenionem vrbem munitissimam ac montuosam ingrediuntur, & collecto multo agmine Saracenorum, vastabant per circuitum omnes regiones. Tunc vir egregius, Karolus Dux germanum suum Childebrandum Ducem, virum industrium, cum reliquis Ducibus & Comitibus, cum apparatu hostili illuc direxit: qui properè ad eandem vrbem peruenientes, tentoria instruunt vndique circa ipsum oppidum, & suburbana præoccupant, & aciem instruentes, munitissimam ciuitatem obsident: & Karolus belligerator mox insecutus est eos cum fortiori hoste, & prædictam vrbem aggreditur, muros circumdat, obsidionem coaceruat. Tunc iubente Domino, in modum Hierico cum strepitu Francorum & sono tubarum, cum machinis, & restium funibus muros arripiunt, & mox mœnia corruunt, & vrbem munitissimam ingredientes succendunt, omnes Saracenos trucidant, & in suam ditionem cuncta restituunt. Victor igitur atque bellator insignis Karolus Rhodanum fluuium transiit, Gothorum fines penetrauit, & Narbonam celeberrimam, & metropolim vrbem eorum obsedit super Adicem fluuium, & munitionem in gyro in modum arietum construxit, & Regem Saracenorum nomine Atimot, cum satellitibus suis ibidem reclusit. Hæc audientes majores natu & Principes Saracenorum qui commorabantur in regione Hispaniarum, coadunato exercitu hostium cum alio Rege, Amorre nomine, viriliter armati consurgentes, præparant se ad prælium contra Karolum Martellum: contra quos Karolus occurrit super fluuium Birram in Palatio Valle Corbaria, illisque mutuò confligentibus, Saraceni deuicti atque prostrati sunt, & cernentes Regem suum interfectum, in fugam lapsi terga verterunt, & qui euadere potuerunt, cupientes nauali euectione fugere, in stagnum maris natando mutuò se cohortantes insiliunt, & mox Franci cum nauibus præoccupatis iacula armatoria super eos proiiciunt, & suffocatos in aquis interimunt; sicque Franci triumphantes de hostibus, prædam magnam & spolia capiunt, & captâ multitudine Saracenorum captiuorum, Carolus regionem Gothicam depopulat, & ciuitates famosissimas Narbonam & Nemausum, Agatem & Beteris funditùs destruunt, mœnia & muros confringentes, & igne supposito concremant Franci, & omnia castra & suburbana ciusdem regionis exterminauerunt, & deuicto aduersariorum agmine, Christo in omnibus præsule, qui est caput salutis & victoriæ, salubriter remeauit Karolus cum Francis in solio principatus sui.

Sequenti anno, mense Februario, prædictum germanum suum Karolus cum plurimis Ducibus & Comitibus, commoto exercitu in partes Prouinciæ direxit, & postea insecutus est eum ad vrbem Auenionem accedens, cunctam regionem vsque lit-

Digitized by Goog

tus maris magni dominationi suæ subdidit; & fugato Rege Saracenorum, nomine Aronto, in interioribus tutissimis rupibus maritimis, omni regione acquisitâ, Karolus victor regressus est, nullo contra eum rebellante. Et reuersus Karolus in Franciam, ægrotare cœpit in villa Vermeria super fluuium Iseram. Tunc mortuus est Theodericus Rex, filius Dagoberti iunioris, & Karolus Martellus in ipsa infirmitate sua iussit eleuare in Regem Hildericum fratrem Theoderici, qui vecors erat, sicut & frater eius fuerat, sed meliorem illo non poterant Franci inuenire de prole regali.

Eo tempore beatus Gregorius Papa secundus misit Karolo Principi claues venerandi sepulcri sancti Petri, cum vinculis eiusdem Apostoli, & cum muneribus magnis & infinitis per legationem; quod antea in nullis temporibus visum aut auditum fuit, eo pacto vt Romanos defenderet de Langobardis, qui multa mala in terra S. Petri faciebant. Ipse itaque Karolus mirifico honore ipsam legationem recepit, & per Missos suos, id est, Grimonem Abbatem Corbonensis Monasterij, & Sigebertum Reclusum Basilicæ sancti Dionysij Martyris, ad limina SS. Petri & Pauli, misit multa munera pretiosa cum ipsis Legatis Gregorij Papæ. Igitur Karolus consilio Optimatum suorum expetito, filiis suis regna diuisit, & primogenitum suum Carlomannum sublimauit in Alamannia atque Toringia: Alterum Pipinum misit in Burgundiam & Neustriam, Franciam & Aquitaniam.

Ipso anno Pipinus Rex commoto exercitu cum auunculo suo Childebrando Duce, & multitudine satellitum Francorum Burgundiam dirigit, & fines regionum præoccupat. Interim (quod dici dolor est) noua signa in Sole & Luna & Stellis apparuerunt, & ordo sacratissimus Paschalis turbatus est per multas regiones per errorem & ignorantiam Calculatorum, qui benè nesciebant terminum Paschalem reperire, & per multas ciuitates celebratum est Pascha vel in Martio, vel in Aprili, vel in Maio. Tunc Karolus Martellus basilicam S. Dionysij Martyris Parisius muneribus multis ditauit, venienſque Carisiaco villa Palatij super Iseram fluuium, validâ febre correptus obiit in pace anno 741. ab Incarnatione Domini. Et retrò in alio anno, dum turbatio fuit de Paschа, debuit esse Dominicus dies Resurrectionis Christi octauo Kalendas Maij, quod fuit in vltimo anno Cycli Decennoualis, fuitque terminus Paschæ Dominica Osanna xv. Kalendas Maij. Regnauit autem Karolus annis xxv. sed non est vocatus Rex, quia ipse non permittebat se Regem vocari, nisi Ducem Francorum, quia pueris Regibus deferebat honorem nominis Regalis, Theodorico videlicet & Childerico, quamuis ineptis, prudentiâ & sensu carentibus. Obiit xi. Calendas Nouembris cunctis in gyro regnis acquisitis, sepultusque est in basilica sancti Dionysij Martyris. Pipinus autem vetulus pater eius regnauit xvii. annis in puerorum Regum fidelitate.

Igitur postquam Karolus Martellus Majordomus mortuus est, filij eius Carlomannus & Pipinus Pius Majordomus duxerunt exercitum contra Hunaldum Ducem Aquitanorum, ceperuntque castrum quod vocatur Loccas, & in ipso itinere diuiserunt regnum Francorum inter se, in loco qui dicitur Vetus Pictauis, sicut pater eorum præordinauerat eis. Eodemque anno Carlomannus Alamanniam vastauit: deinde ipsi duo fratres inierunt pugnam contra Odilonem Ducem Bajoariorum, & prostrauerunt omnem exercitum eius cum ipso. Et Carlomannus in Saxonia cepit castrum Hoseoburg, & Theodericum Ducem eorum cepit. Item alia vice cum Pipino perrexit in Saxoniam, & omnia subjugauit in sua potestate. Tunc à Deo inspiratus Carlomannus, confessus est Pipino germano suo quòd voluisset sæculum relinquere, & in eodem anno nullum fecerunt exercitum, sed præparauerunt se vterque, Carlomannus ad iter suum, & Pipinus quomodo germanum suum honorificè direxisset cum muneribus. Tunc Carlomannus Romam pergens, ibi se totondit, & in Sirapti (Sorapte) monte Monasterium ædificauit in honorem sancti Siluestri: ibique aliquandiu stetit, & inde propter inquietudinem sæculi, & Principum Francorum, qui ad eum veniebant, ad sanctum Benedictum in Casinum vsque peruenit, & ibi Monachus effectus est.

Eo tempore Grifo Dux fugit in Saxoniam, & Pipinus Pius iter faciens per Toringiam in Saxoniam, introiuit vsque ad fluuium Missala, in loco, qui dicitur Scannigi: & Grifo fugiens in Bajoariam venit, ipséque Ducatum sibi subjugauit, Hiltrudem cum Tassilone adquisiuit, & Suitger in solatium Grifonis venit. Pipinus autem cum exercitu iter faciens illuc, totam Bajoariam sibi subjugauit, Grifonem secum addu-

xit & Lanfredum, & per ſuum beneficium Taſſilonem collocauit in Ducatu Bajoariorum. Griſonem verò in Neuſtriæ partes miſit, & dedit ei duodecim Comitatus. Inde iterum Griſo fugiens, Vaſconiam petiit, & ad Vaiferium Ducem Aquitanorum peruenit. Tunc dolentes Franci quia non habebant prudentem Regem, ſed iam per multos annos ſuſtinuerant de regali prole inſipientes viros, voluerunt eleuare in Regem Pipinum Pium, qui noluit adquieſcere, ſed adunatis cunctis Primoribus Francorum, ex parte eorum miſit Romæ Burcardum Vvirzeburgenſem Epiſcopum, & Folradum Capellanum ſuum ad Papam Zachariam: qui ex parte Francorum interrogauerunt de Regibus in Francia, qui propter ſuam amentiam illis temporibus non habebant regalem poteſtatem, ſi benè fuiſſet, an non. Et Zacharias Papa cum conſilio nobilium Romanorum mandauit Francis, vt meliùs eſſet vocari Regem illum, qui haberet prudentiam & poteſtatem, quàm illum qui ſine regali poteſtate, ſolo nomine Rex erat. Et vt non conturbaretur ordo regalis, iuſſit per authoritatem Apoſtolicam Pipinum fieri Regem, qui erat de ſanguine regali Francorum. Tunc Pipinus Pius filius Karoli Martelli à cunctis Francis vnanimiter gaudentibus electus eſt inuitus ad Regem, & vnctus per manus ſanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiſcopi, & eleuatus eſt in regnum Sueſſionis ciuitate. Childericus verò qui falsò Rex vocabatur ſolo nomine, tonſuratus eſt, & in Monaſterium miſſus.

Pipinus igitur Rex in Saxoniam iter fecit, & Hildegarius Epiſcopus eius occiſus eſt à Saxonibus in caſtro Viberg, & Pipinus victor extitit, & peruenit vſque ad locum qui dicitur Rimia. Ipſo anno Griſo qui in Vaſconiam fugitiuus erat, à germano ſuo occiſus eſt in dolo. Tunc Stephanus Papa venit in Franciam, adjutorium & ſolatium quærens Pipino Pio pro iuſtitia S. Petri. Similiter & Carlomannus Monachus, germanus ſupradicti Regis, per iuſſionem Abbatis ſui Franciam venit, vt reportaret in Caſſinum corpus ſancti Benedicti. Stephanus verò Papa confirmauit Pipinum vnctione ſancta in Regem, & cum eo inunxit duos filios eius, Karolum poſtea Imperatorem, & Carlomannum in Reges, & domnus Bonifacius Archiepiſcopus in Freſia verbum Dei prædicans, factus eſt Martyr Chriſti. Et Pipinus Rex per Apoſtolicam inuitationem in Italiam perrexit quærendo iuſtitiam B. Petri Apoſtoli. Aiſtulfus Rex Longobardorum ſupradictam iuſtitiam vetando, Scluſas Longobardorum petiit, & obuiam Pipino Regi venit, & inierunt bellum, & Domino auxiliante, & B. Petro Apoſtolo intercedente, Pipinus Rex victor extitit cum Francis. Eodemque anno Stephanus Papa reductus eſt ad ſanctam Sedem per Miſſos domni Regis Pipini. Incluſus verò Aiſtulfus Rex Papiâ ciuitate, iuſtitiam S. Petro pollicitus eſt ſe facere. Vnde Rex Pipinus obſides quadraginta recepit, & cum ſacramento firmatis reuerſus eſt in Franciam. Carlomannus autem Monachus Viennâ ciuitate remanſit vnà cum Bertrada Regina infirmus, & languebat per dies multos, & obiit in pace. Dum autem Rex Pipinus proſpexiſſet ab Aiſtulfo Langobardorum Rege ea non eſſe vera quæ antea promiſerat de iuſtitiis ſancti Petri, iterum iter peragens in Italiam, Papiam obſedit, & Aiſtulfum incluſit, & magis magiſque de iuſtitiis ſancti Petri confirmauit vt ſtabiles permanerent, ſicut promiſerat, & inſuper Rauennam, & Pentapolim, & omnem Exarchatum conquiſiuit, & ſancto Petro tradidit. Et reuerſo Pipino Rege in Franciam, cupiebat Aiſtulfus nefandus mentiri, & irrumpere ſacramenta quæ iurauerat, & quadam die in venatione ſubitò percuſſus iudicio Dei mortuus eſt.

Interea miſit Conſtantinus Imperator Regi Pipino cum aliis donis organas mirificas, quas in Francia poſuit. Tunc Rex Pipinus habuit placitum cum Francis in Compendio, ibique Taſſilo Dux Bajoariorum in Vaſſatico ſe commendans per manus ſuas ſacramenta iurauit multa ſuper reliquias Sanctorum manus imponens, & fidelitatem Regi promiſit Pipino & filiis eius domno Karolo & Carlomanno, ſicut vaſſus dominis ſuis eſſe debet, ſic confirmauit ſuper corpora ſanctorum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, ſancti Germani, & ſancti Martini, vt omnibus diebus vitæ ſuæ ſic conſeruaret, ſicut ſacramentis promiſerat. Similiter homines eius maiores natu iurauerunt, & ipſo anno Natalem Domini & Paſcha celebrauit in Corbonnaco. Deinde in Saxoniam per virtutem intrauit in loco qui dicitur Sitnia, & multas ſtrages de Saxonibus fecit: & tunc Saxones polliciti ſunt contra Pipinum facere omnes voluntates eius, & honorificè ſe præſentare per ſingulos annos in placito ſuo, vſque in equos trecentos. Et natus eſt Regi Pipino filius, cui nomen ſuum im-

Digitized by Goog

posuit, qui in tertio anno postquam natus est, mortuus est ipse puer, celebrauitque Natalem Domini in Longo-lare, & Pascha in Iopila.

Tunc Rex Pipinus cernens Waiferium Ducem Aquitaniæ non consentire iustitiis Ecclesiarum, & partibus Francorum, consilio inito cum Francis, venit in Aquitaniam vsque ad locum qui dicitur Tedoat. Quod videns Waiferius, timore plenus misit Otbertum & Cladinum Comites Regi Pipino, deditque ei obsides Adalgerum & Iterium Comites, vt omnia redderet, quæ Rex Pipinus quærebat in causis Ecclesiasticis, & celebrauit Natalem & Pascha in Carisiaco Rex Pipinus. Tunc Vvaiferus Dux minimè cogitans de obsidibus, vel de sacramentis suis supra Pipinum Regem, exercitum commouit quasi vindictam, venitque vsque ad ciuitatem Caualonum. Et dum Rex Pipinus synodum suam teneret in villa quæ dicitur Dura, nunciatum est ei quòd Vvaiferius in omnibus mentitus est. Tunc cum Carolo filio suo primogenito veniens in Aquitaniam, cepit Castella quorum nomina sunt hæc: Burbonnis, Cantella, Clarmontis: ista per pugnam cepit. Et in Aruernis multa alia castella cepit per pugnam, & multa castella per placitum se subdiderunt in eius dominio, & propter iram Vvaiferij Ducis desertando supradictam prouinciam, peruenit vsque Lemouicas; & quia non eum susceperunt Lemouicenses in pace, fortiter expugnans cepit ipsam ciuitatem, & muros eius destruxit, & celebrauit Natalem Domini & Pascha in Carisiaco villa.

Tertiò veniens Rex Pipinus in Aquitaniam, cepit ciuitatem Bituricam, & castrum Toarcis, & celebrauit ipso anno Pascha in Gentiliaco villa. Tunc habuit placitum suum in Niuernis, & quartò iter faciens in Aquitaniam, vastando peruenit vsque Cadurciam, & reuertendo per Lemouicas, contulit S. Martiali bannum aureum quod ceperat in prœlio Vvaiferij, simulque donauit villam de sancto Valerico Canonicis sancti Martialis, & Canonicis sancti Stephani dedit villam quæ dicitur Salanniacensis, & remeauit in Franciam, & celebrauit Natalem & Pascha in Longolari.

Tunc Tassilo Dux Bajoariorum postposuit sacramenta, & omnia quæ promiserat Regi Pipino, & per malum ingenium se inde subduxit; & dum Pipinus Rex esset in Aquitania, ipse Tassilo per ingenia fraudulenta se subtrahens, Bajoariam petiit, & nunquam ampliùs faciem supradicti Regis videre voluit. Tunc Pipinus habuit placitum suum ad Vvarmatiam, & ipso anno in Francia resedit pertractans quid faceret contra Vvaiferium & Tassilonem, & celebrauit Natalem & Pascha in Carisiaco villa. Sequenti anno placitum suum habuit ad Attiniacum villam, & nullum aliud iter fecit, & celebrauit Natalem & Pascha in Aquis villa. Alio anno Rex Pipinus perrexit quinta vice in Aquitaniam, & placitum suum habuit in Aurelianis ciuitate, & castrum Argentomum, quod Vvaiferius destruxerat, restaurauit, & Francos ibi misit, qui continerent Aquitaniam. Similiter in Bituricas Francorum Scaram collocauit, & celebrauit Natalem Domini in Salmontiaco villa, & Pascha in Gentiliaco.

Rex verò Pipinus in Gentiliaco habuit placitum & synodum magnam inter Romanos & Græcos, & Aquitanicos & Francos de fide Sanctæ Trinitatis, & de Sanctorum imaginibus quæ ponuntur in Ecclesiis, & postea contra Vvaiferium pergit in Aquitaniam, cepitque pugnans Narbonam, & Tolosam, & Albiensem, atque Gualdanum, & reuersus est in Franciam, & celebrauit Pascha in Vienna ciuitate. Eodem anno, mense Augusto, iterum sexta vice properat Aquitaniam, & Bituricas tenuit synodum suam cum omnibus Francis more solito in campo. Inde iter peragens vsque Garonnam peruenit, & multas rocas & speluncas conquisiuit, & reuersus per Lemouicas cepit castrum Scoralliam, & Torennam, & Petruciam, & celebrauit Natalem Domini in Bituricas.

Sequente anno domnus Pipinus Pius septima vice pergit in Aquitaniam, & cepit Remistannum castrum, & peruenit vsque Santonas ciuitatem; & ibi captâ matre Vvaiferij, & sorore eius, & nepte eius in Capitolio, inde perrexit vsque ad Garonnam, in locum qui dicitur Montis. Ibi Eroïcus Princeps adduxit & aliam sororem Vvaiferij captam, & celebrauit Pascha Rex Pipinus in castro quod dicitur Sels. Octaua vice Rex Pipinus cum Bertrada Regina pergens Aquitaniam, & in Santonas ciuitate dimisit Reginam cum familia sua, & ipse Petracoricas perrexit: vbi commisso bello cum Vvaiferio, occisus est Vvaiferius, & victor extitit, Domino iu-

bente Rex Pipinus, & cum triumpho victoriæ reuersus est Sanctonas, ibique per aliquot dies commorans, ægrotare cepit, & per partes Turonorum reuertens, ad S. Dionysium peruenit, & ibidem obiens finiuit: planxeruntque eum Franci planctu magno, & regnauit Carolus Magnus filius eius pro eo.

SEQVITVR IN EODEM CODICE MS.
VITA CAROLI MAGNI FRANCORVM REGIS ET IMPERATORIS.

ILLAM ex hoc ipso MS. Bibliothecæ Thuanæ codice, quem olim, vt ex adscripto in prima pagina nomine compertum esse cuilibet potest, cum pluribus aliis calamo exaratis membranis possederat, edidit V.C. Petrus Pithœus anno 1588. in Collectione XII. coætaneorum scriptorum Historiæ Francicæ ab anno Christi 708. ad annum 990. & postea Tomo II. Historicorum Francicorum recudit à pag. 68. ad 88. nunquam satis pro merito laudandus Andreas Duchesnius hoc initio.

A PRIMO Rege Francorum dicemus prosapiam domni præcelsi Regis Magni CAROLI, quem Deus amauit, & exaltauit, &c.

SVBIICITVR VITA LVDOVICI PII REGIS FRANCORVM ATQVE IMPERATORIS.

IGITVR postquam Christianissimus glorioſus Imperator Carolus mortuus est, nunciatum est Ludouico filio eius in Aquitania apud Teodoadam villam, vbi ipse tunc hiemabat à pluribus nunciis. Tricesimo autem die obitus patris Aquisgrani venit, &c. *quæ ex Annalibus Plebeiis, Egmardi, Bertinianis, aliisque deprompta sunt. Nos ea duntaxat deinceps seligemus, quæ singulare quid, & ad Res Aquitanicas maximè pertinens, complectentur.*

Ad finem anni DCCCXVI. completisque ibi viginti diebus Aquisgrani ad hiemandum profectus est, vbi habito Concilio, id est indictione decima, anno Imperij sui tertio, ab Incarnatione 816. iussit fieri regulam Canonicis excerptam de diuersis Patrum scripturis, decreuitque eam obseruandam à Canonicis, vt sicut Monachi respiciunt ad librum Regulæ sancti Benedicti, sic perlegant Canonici inter se librum Vitæ Clericorum: quem librum Amalerius Diaconus ab Imperatore iussus collegit ex diuersis Doctorum sententiis. Dedit ei Imperator copiam librorum de Palatio suo, vt ex ipsis ea quæ viderentur congrua excerperet, & ita cum decretis Episcoporum qui ibi fuerunt, vita Clericorum roborata est. Scripsit eidem Imperatori supradictus Amalerius librum de Officiis Diuinis, & de Varietatibus eorum, & de Ordine Psalmorum iuxta Clericorum vsum antiquum.

Anno DCCCXVII. Nam vigesima die Nouiomago venatu se exercuit: vnde reuersus, generalem Synodum Aquis more solito habuit, vbi Abbates regni sui conuocauit, & vt Regulam sancti Benedicti obseruarent admonuit, & Abbatias omnes in sua manu reuocauit, vt nemo Comitum vel Episcoporum eas inquietare potuisset, & Abbates inter se quædam Capitula decernentes descripta recitauerunt coram Imperatore, quæ ipse manu propria roborauit cum Episcopis qui aderant. In eodem conuentu filium suum primogenitum Lotharium coronauit, &c.

Anno DCCCXVIII. Paucis diebus post Pascha iudicati sunt conjurati cum Rege Bernardo capitalem sententiam subire. Rex Bernardus cùm impeteretur vt oculis priuaretur, ense stricto se defendens, quinque Francorum fortissimos occidit, & ipse vulneribus confossus mortuus est. Alij autem exorbati fuerunt; Episcopos synodali decreto depositos, Monasteriis mancipari iussit, &c. Vviomarchus postea dicitur aliis vulgò appellatus Mormanus, qui quod tyrannidem sibi vindicasset, ab Imperatore occisus est.

Anno DCCCXIX. Similiter Lupus Vvasco qui cum Berengerio Tolosano, & Vvarino Aruernis Comitibus conflixerat, & victus fratrem in bello amiserat, ab ipsis Comitibus valdè accusatus, cùm se non posset purgare, exilio deputatus est, &c. Vvelpi Comitis filiam nomine Iudith duxit vxorem. Imperatori ipsi porrexit li-

Digitized by Google

brum valdè mirabilem de Theologia sanctæ Crucis Rabanus Magnentius, Monachus doctissimus, Magister (imò discipulus) Alcuini. Beda enim docuit Simplicium, & Simplicius Rabanum, qui à transmarinis oris à domno Imperatore Carolo susceptus est, & Pontifex in Francia factus, Alcuinum docuit, & Alcuinus Smaragdum imbuit. Smaragdus autem docuit Theodulfum Aurelianensem, Theodulfus verò Heliam Scotigenam Engolismensem Episcopum, Helias autem Heiricum. Heiricus Remigium & Vcbaldum Caluum Monachos hæredes Philosophiæ reliquit. Conuentus apud Ingeneleim Palatium, &c.

Anno DCCCXXII. Lotharium filium suum misit in Italiam, cum quo Vvalaum Monachum, consanguineum suum, fratrem videlicet Adhelardi Abbatis, & Gerungum Hostiario Palatij Magistrum simul direxit, qui ei consilium præberent ad vtilitatem regni. Pipinum autem in Aquitaniam direxit, datâ ei vxore filiâ Theòtberti Comitis Matricensis.

Anno DCCCXXIII. Mense Maio conuentum suum (in Franconofurd) tenuit, vbi fuerunt vniuersi nobiles Franciæ, Saxones, Bajoarij, Alamanni, Burgundiones, Aquitani, & qui sunt iuxta Rhenum, & multæ aliæ Prouinciæ. Ibi fratres Vvlzorum controuersiam inter se de regno habentes, &c.

Accusatus est ibi coram Imperatore Ceadragus Dux Abodritorum, quia infideliserat Francis; & quia vocatus ad mallum Imperatoris, contempsit venire per semetipsum, sed Legatos ei miserat. Tunc Imperator direxit ad eum epistolam vt veniret, quod ille per Legatos promisit se facere citiùs.

Drogonem fratrem (suum) Canonicum Metis cum electione ciuium ordinauit Episcopum.

Hoc anno, ante Missam sancti Ioannis Baptistæ, solstitio æstiuo ante quinq; dies, in territorio Augustidunense subitò mutatus est aër, & magna fragmenta ex glacie ceciderant de nubibus, & grando terribilis. Fragmenta glaciei erant longitudine *15.* latitudine 7. crassitudine duorum pedum.

Anno DCCCXXVI. Eroldus cum vxore sua, & magnâ Danorum multitudine veniens ad Imperatorem Moguntiaco, & apud S. Albanum, cum his quos secum adduxit, baptizatus est, fuitque filiolus Imperatoris de fontibus: & multis muneribus abeo donatus, per Frisiam, quâ venerat, reuersus est: In qua Prouincia dedit ei Imperator in filiolatu vnum Comitatum, qui Driusti vocatur, &c.

Anno DCCCXXIX. Ante Pascha verò quatuor diebus Aquis terræ motus factus est noctu, & ventus vehemens ortus, qui Basilicam magnam Dei Genitricis, quam vocant Capellam Caroli, totam denudauit de plumbeis tabulis, de quibus cooperta erat, & omnes in circuitu domos subuertit, & Imperator ibi moratus vsq; Kal. Iulias propter diuersas occupationes, & ad generalem conuentum Wormatiam profectus est mense Augusto. Ibi nunciatur, &c.

HINC EXORDITVR MS. EXEMPLAR V. C. HADRIANI VALESII: QVOD CVM THVANÆO, ET CLAROMONTANI PARISIENSIS SOC. IESV COLL. CODICIBVS DILIGENTER CONTVLIMVS, SVPPLEVIMVS, CORREXIMVS.

POSTQVAM autem Ludouicus Imperator, filius Caroli Magni Imp. tenuit conuentum generalem Aquis, quo ipso anno Capella Caroli, videlicet Basilica Dei Genitricis terræ motu & vento nocte discooperta est tota; vbi nuntiatum est ei Nortmannos velle inuadere fines Francorum à parte Saxoniæ, & ipse transito Reno contra eos processit, & vanum esse comperit. 829.

Nortmanni anno sequenti cùm timerent Saxoniam intrare, reflexis nauibus ad mare Aquitanicum appellunt, & Herio insulam incendunt mense Iunio, & destituta est à generali Monachorum habitatione. Ibi fecerat dominus Imperator Carolus Monasterium S. Philiberti. Tunc Ludouicus conuentum generalem tenuit in Palatio Iogentiaco in Lemouicino, & cum gloria magna dedicare iussit Basilicam Saluatoris regalem mense Octobri, & leuatum corpus sancti Martialis, anno Incarnationis Domini DCCCXXX. Eodem mense positum est post Altare Saluatoris ad cryptam maioris vitreæ, præsente ipso Imperatore. Tunc hiems asperrima fuit, & reuersus Imp. Franciam, post modicum tempus captus est in traditione à tribus Regi-

bus, filiis suis, Lothario, Ludouico, & Pipino, & à Lothario missus est in carcerem apud sanctum Medardum, deinde apud sanctum Dionysium, & exspoliatus est ab imperialibus indumentis, & nigra veste indutus; & dum paruo post tempore Lotharius Viennam diù demoraretur, aggregati Franci Ludouicum à custodia carceris iuxta aulam S. Dionysij ejecerunt, & inuitum in Regem iterum eleuauerunt; & ab eo die quo D. Martialis corpus positum est vbi suprà, in Basilica Saluatoris, vsque ad eum diem quo Imperator restitutus est in regnum mediâ Quadragesimâ, post aspertimam hiemem incessanter diluuia aquarum & pluuiæ nimiæ increuerunt: ab ipso die restitutionis serenitas in Francia reddita est: sed in Aquitania pluuiæ non defecerunt, quousque corpus B. Martialis sepulcro pristino iterum reconditum est. Tunc Odo Aurelianorum Comes, qui fauebat partibus Ludouici, & frater eius Vvillelmus, cum Lamberto Nannetensium Comite qui Lothario fauebat, congressi, occisi sunt cum multis Principibus Neustriæ. Lotharius à Vienna reuersus, voluit apud castrum Blesense cum patre suo confligere; sed impar viribus, supplex venit ad eum, & indulgentiam meruit, & restitutus est honori pristino. Similiter Ludouicus & Pipinus indulgentiam à patre acceperunt, & restituti sunt dignitati solitæ.

Verùm post annos 5. Rainaldus Comes Arbatilicensis, mense Septembri, cum Normannis in Herio insula dimicat, & trucidatus est. *In MS. Thuano*, fugatus *dum ixat dicitur.*

Anno sequenti corpus S. Philiberti de insula Herio effoditur 7. Idus Iunij, & Burgundiam à Monachis perfertur.

Post alios duos annos Pipinus Rex Aquitaniæ, filius Imperatoris obiit, sepultus Pictauis apud S. Radegundem. Hic iussu patris fecerat Monasterium S. Ioannis Baptistæ Angeriaco, Monasterium S. Cypriani Pictauis, Monasterium Brantosinense, & transtulit canonicalem habitum in Monasterium S. Eparchij Engolismæ: quibus Monasteriis præfecit Abbatem Martinum. Tunc luctuosa mors Ludouici figurata est in aere: nam sicut astra in initio regni eius lætitiam, ita imminente morte eius triste portentum nuntiant. Dum enim in Aquitania primò inciperet regnare, viuente adhuc Carolo patre eius, apparuit in Luna plena signum Crucis, in circuitu resplendens, feriâ 5. primâ aurorâ incipiente, pridie Nonas Iun. eodem anno apparuit corona mirabilis in circuitu Solis Dominica die, horâ 4. 3. Sept. Hâc significabatur propagandam Christianam Religionem, & adornandum Christi cultum per ipsum Imp. Anno verò vltimo regni sui eclipsis Solis insolitùm fuit vigiliâ Ascensionis Domini, & stellæ visæ sunt, sicut per noctem, diù. Quod significauit maximam lucernam Christianitatis, id est, ipsum Imperium exstingui, & morte eius Sancti traditum tenebris tribulationum inuolui. Idem Imperator, audita morte Pipini filij sui, decreuit filium eius Pipinum paruum educari penès se in Francia. Emeno verò Comes Pictauinus contra voluntatem Imperatoris voluit eleuare in Regem Aquitaniæ filium Pipini. Hac de causa Imp. motus irâ Pictauis venit, & inde Emenonem expulit, & fratrem eius Bernardum, & Ramnulfum filium Girardi Comitis Aruernensis, nepotem Willelmi fratris Girardi, Comitem Pictauis præfecit: Turpionem verò Comitem constituit Egolismæ, & Raterium Comitem præposuit Lemouicæ. Emeno quoque ad Turpionem fratrem suum se contulit; Bernardus verò ad Rainaldum Comitem Arbatilicensem. Imperator quoque filium suum Carolum Caluum in Aquitania regnare fecit, & Pipinum paruulum secum adduxit in Franciam ad nutriendum. Idem Imperator monetam Egolismensem & Santonicensem suo nomine sculpere iussit. Burdegalæ quoque Comitem Siguinum, & Santonico Landricum præfecit. Eodemque anno, quo eclipsis contigit supradicta Solis, Imperator apud Moguntiam ciuitatem ægrotans obiit 12. Cal. Iulij, & Lothario coronam Imperia-
840. lem, & ensem aureum dimisit; sepultusque est Metis apud sanctum Arnulfum, anno ab Incarnatione Domini IↃCCCXL.

Remanserunt tres filij eius, Lotharius Imperator Italiæ, Ludouicus Rex Germaniæ, Carolus Caluus Rex Franciæ & Burgundiæ; qui pro regno Aquitaniæ & Franciæ inter se discordantes, bellum committunt inter se in Fontanetico campo, qui est in Burgundia: Lotharius ex vna parte cum exercitu Italiæ, Carolus & Ludouicus ex altera cum Germanis & Francis & Aquitanis. Actum est hoc prælium anno se-
841. cundo post mortem Ludouici patris eorum, id est, IↃCCCXLI. anno ab Incarnatione Domini,

Domini, & innumerâ ſtrage peractâ, victor extitit Lotharius: ſed ſubitò Vvarinus Dux cum Prouincianis & Toloſanis ſuperueniens, ſuper Lotharium irruit, & ingrauatum eſt prœlium, fugatuſque eſt & victus Lotharius. Carolus & Ludouicus regnum æquo libramine partiti ſunt ſibi, & Carolus nepotem ſuum Pipinum ad nutriendum ſecum retinuit in ſupradicto prœlio, occiſis Raterio & Girardo, qui vterque erat genere *, Aruernis extitit Vvillelmus Comes, Lemouicæ verò Raimundus.

Poſt duos annos prœlij memorati, Iudith Imperatrix, mater Caroli Calui, Turonis obiit, ſepulta apud ſanctum Martinum. Ipſo anno Rainaldus Arbatilicenſis Comes, cum Lamberto Namnetenſi Comite congreſſus, occiſus eſt. Britannia enim à filiis Ludouici ſe ſubduxerat: ideò Franci & Aquitani cum Britonibus confligere ceperunt, Namnetis quoque ciuitas eo anno à Vvefaldingis capta eſt. Tunc Carolus Caluus primò Britanniam ferro & igni vaſtauit. 843.

Sequenti anno Bernardus frater Emenonis, & Arueus filius Rainaldi, congreſſi cum Lamberto Namnetenſi Comite, ambo occiduntur. *In Codice Thuano, Bernardus dicitur*, Comes Pictauinus. 845.

Alio anno ſequenti, Siguinus Comes Burdegalenſis & Santonicenſis, à Nortmannis captus & occiſus eſt, & Santonas vrbs à Nortmannis concremata eſt, theſauris eius optimis exportatis. Carolus iterum Britanniam pergens, cum Nomenoio Duce dimicauit, & victor extitit: ſed Nomenoius fugâ lapſus eſt. 846.

Anno ſubſequenti, Nortmanni Herio inſulam menſe Iunio concremarunt, & his temporibus diffuſi ſunt per Aquitaniam; quia duces eius inter ſe bellis ceciderant, nec erat qui eis reſiſteret, & maximè quia noſtri claſſem non habebant ad tutelam oræ maritimæ, & concrematus ab eis menſe Maio Lucionnus, & menſe Iunio ſancti Florentij Monaſterium. Deinde concrematæ ſunt ab eis Namnetenſis ciuitas, Monaſterium Deas, Burdegala, Santonas, Egoliſma, Lemouicas, Pariſius, Turonis, Beluagus, Nouiomagus, Aurelianis, Pictauis, & innumera Monaſteria & caſtella deſtructa. 847.

Poſt mortem verò Domini Ludouici Imperatoris, anno octauo ab Incarnatione Domini octingenteſimo quadrageſimo octauo, Ainardus Princeps de Baſilica ſancti Martialis cum aliis omnibus Canonicis Deo inſpirante, proiiciunt arma ſæcularia, & de Canonicali habitu in Monachorum habitum ſeipſos mutant in eodem Monaſterio. Carolus enim Caluus conuentum ſuum generalem habuit tunc Lemouicæ tempore Quadrageſimæ cum Epiſcopis Aquitaniæ, & Primoribus eius. Porrò reſidente Carolo Caluo in throno regali, Ainardus & omnes Canonici ſancti Martialis proſtrauerunt ſe ſubitò ad pedes eius, poſtulantes dare ſibi licentiam ſe fieri Monachos in eodem loco. Rex verò Deo gratias agens, cum magno gaudio petitionem eorum adimpleuit, & omnes Epiſcopos & Primores eorum voluntati inclinauit. Sed Stodilus Epiſcopus Lemouicenſis cùm hoc grauiter ferret, & inflexibilis ſolus maneret, tandem Rege cogente conſenſit, victus muneribus; & Canonici ex ſeipſis Abbatem noluerunt ad præſens habere, ſed præpoſuerunt ſibi Odonem ſancti Sauini Abbatem. Iosfredus verò Theſaurarius nolens relinquere ſæculum, conductus à Stodilo Epiſcopo Monaſterium ſancti Iuniani, & Eccleſiam Cairoënſem deprædatione & malo ingenio à iure & dominatione ſancti Martialis ſubripuit, & hâc occaſione deſciſcere fecit. Quâ tempeſtate Monachi ſancti Martini Turonis, nemine cogente, ante corpus eiuſdem, abjecto Monachi ſchemate, ſchema induunt canonicale, ſacramentis hoc firmato ſuper corpus beati Martini, & carnibus refecti, mox peſte correpti, mane facto in lectis reperti ſunt mortui omnes à maiore ad minorem, & de reliquo locus ipſe à Canonicis habitatur. 848.

Igitur Carolus tertiâ vice Britones ferro & igni perdomuit, & dum in Aquitaniam regreſſus eſſet, Nomenoius Dux Redonas & Namnetis ciuitates capiens, deſtruxit muros & portas earum, & Britanniam regreſſus eſt. 849. vel 850.

Anno ſequenti, iubente Deo, Nomenoius ab Angelo percuſſus interiit. Tunc Carolus quartò Britanniam ingreſſus, cum Eriſpoio filio Nomenoi dimicat vndecimo Kalendas Septembris, & victor extitit: ſed magnam partem exercitus ſui 851.

cum Vimino, seu Viuiano Duce amisit. Postquam verò reuersus est, procedenti
852. anno Lambertus Comes Namnetensium à Gauzberto Cenomanensium Comite in bello Kal. Maij occiditur.

Eodem anno, mense Septembri, Carolus quinta vice Britanniam deuastauit, & Pipinum nepotem suum, quem insidiis Britanni ceperant, acquisiuit, & occiso Erispoïo, Britanniam sibi subjugauit.

Ramnulfus quoque Comes Pictauensis, & Raino Comes Arbatilicensis consanguineus eius, cum Nortmannis in Briliaco villa dimicauerunt, & victi fugâ liberantur. Tunc Gauzbertus Comes Cenomannensis insidiis Namnetensis circumuentus occisus est.

855. Carolus verò Rex decimo quinto anno post prœlium Fontaneticum, viuente Lothario Imperatore fratre suo, vnctus est (*Errat hic Ademarus noster; neque enim Carolus Caluus, sed Carolus eius filius anno 855. in Regem solius dumtaxat Aquitaniæ vnctus & coronatus est Lemouicæ ab Aquitanis, vt docent Annales ex codice Cœnobij sancti Bertini ab Andrea Duchesnio in lucem publicam emissi.*) Lemouicæ in Regem supra Franciam, & Aquitaniam, & Burgundiam in Basilica Saluatoris, quæ Regalis appellatur. iuxta Basilicam sancti Petri, vbi corpus sancti Martialis tumulatum est, & inde ingressus est Franciam.

Post quatuor deinde annos (meliùs in Thuano, post paucos dies) Lotharius Imperator ægrotans, factus est Monachus in Prumia Monasterio, pro eo quod fratrem de Imperio ejecerat, & carceratum tenuerat: quo mortuo, de anima eius altercatio visa est à fratribus inter Angelos malignos & benignos. Sancti Angeli dixerunt: Nos non misit Dominus ad Imperatorem, sed ad Monachum; vos accipite Imperatorem, nos nobiscum ducemus Monachum. Angeli sancti secum duxerunt animam, dæmones acceperunt corpus, & violenter à domo extrahere cunctis videntibus ceperunt, sed orationibus Fratrum fugati euanuerunt.

876. Non multo pòst tempore Ludouicus frater eius obiit, & Carolus in Imperatorem eleuatus est. Quo tempore grauissimè Nortmanni Aquitaniam afflictabant, & Helias Scotigena Egolismensis Episcopus defunctus est. Monasterium quoque beati Eparchij à Nortmannis desolatum est, itavt nullus Monachorum inibi degeret, & hac de re Canonicalis ordo ibidem regrederetur, qui nuper exierat.

Turpio verò cum Rege Carolo Franciam ingressus, & inde reuersus, non post multos dies cum Nortmannis congressus, occidens eorum Regem nomine Maurum, ab eo ipse occiditur, & Emeno frater eius, dudùm Comes Pictauinus, tunc Egolismæ Comes extitit; & ipse post biennium cum Landrico Santonicensi Comite confligens, interempto Landrico, in castrum Runconiam reducitur saucius, & octauo die moritur, sepultus iuxta Basilicam sancti Eparchij, & reliquit filium paruulum Ademarum nomine.

Carolus hoc comperto, Vulgrinum propinquum suum, fratrem Alduini Abbatis ex Monasterio sancti Dionysij, direxit in Aquitaniam, & præfecit eum Comitem Egolismæ simul & Petragoricæ, & Oolibam statuit in Episcopatu Egolismensi. Hic Vulgrinus sæpè à Carlomanno, & demùm à Carolo Magno Imp. fratre eius missus fuit in Aquitaniæ vrbes vnà cum Raimburgis (*qui alibi Rachimburgij vel Racemburgi dicuntur Comitum Assessores & Iudices, iidem Scabini vel Scabinei sæpiùs nuncupati*) propter iustitias faciendas, eratq; iam senex, quando eum Carolus Caluus fecit Comitem supradictarum vrbium. Venerunt cum eo à Francia duo filij, Alduinus & Vvillelmus, Aginnum quoque vrbem habebat, quam assumens vindicauit propter sororem Vvillelmi Tolosani, quam in matrimonium acceperat. Tenuit principatum in his tribus ciuitatibus per 17. annos. Hic multis prœliis laborauit cum Nortmannis, & hac de causa ædificauit castrum Martiliacum & Mastacium, vt esset munimentum contra Paganos, misitq; in Martiliaco Rotbertum legis doctũ, & cum eo Rannulfum, qui cum eo venerat, quem fecit Vicecomitem; qui Rannulfus habuit tres filios, Lambertum, & Arnaldum, & Odolricum. Quo tempore, defuncto eodem Vulgrinno 5. Nonas Maij, & sepulto iuxta Basilicam S. Eparchij, quinto anno post eum Oliba Episcopus diem clausit, & Anatolus in loco eius Pontifex ordinatus, tertio anno vitã finiuit. Reliquit verò Vulgrinus filiis suis, Alduino quidem Egolismam, Vvillelmo verò Petragoricam, & Aginnum.

Ex MS. Thuano & Clarom. His temporibus Frodebertus Episcopus Franciæ veniens ad sanctum Eparchium, construxit ibi Ecclesiam in honore Saluatoris: sed corpus beati viri leuare non potuit, quod volebat transferre in eadem Ecclesia, ipsoque consecrationis die post peractum sacrificium placidâ morte ante Altare Saluatoris obdormiuit in Domino, & ibidem ante Altare humatus est ab Oliba Episcopo.

Interea Carolo Caluo de sæculo migrante, regnauit pro eo in Francia filius eius Ludouicus Balbus, nec vltra imperium accepit aliquis de Regibus Franciæ. Tunc Bajoarij & Alamanni ex gente eorum creauerunt sibi Regem Otonem: Langobardi similiter ex gente sua Regem Adalbertum, deinde Arduinum; & Romani de Senatoribus suis eleuauerunt in regnum Albericum, cuius frater Octauianus Papa ordinatus est.

Defuncto Rege Ludouico, regnauit pro eo filius eius Carolus, cognomento Insipiens, vel Minor. Tunc Franci coniurantes contra Carolum Insipientem, eiiciunt eum de regno, & Odonem Ducem Aquitaniæ in regno eleuauerunt. Hic Odo fuit filius Raimundi Comitis Lemouicensis, & primò in Aquitania Rex ordinatus est apud Lemouicam, cuius ciuitates monetam nomine suo sculpere iussit, quæ anteà nomine Caroli scribebatur. Constituit in ea vrbe Vicecomitem Fulcherium, industrium fabrum in lignis, & Lemouicinum per Vicecomites ordinauit, similiter & Bituricam, & secundo anno in Francia Rex eleuatus est. Quibus diebus Rodulfus Rex Burgundiæ cum hoste fortissimo Lemouicinum appulit rogatu Odonis Regis: nam ipse Franciam tutabat. Congregati sunt contra Rodulfum innumerabiles Nortmannorum hostes, commissoque certamine in loco, qui dicitur, ad Destricios, vsque ad internecionem prostrati sunt Pagani, qui exinde potuerunt euadere, fugientes non vltrà fiduciam præsumpserunt veniendi in Aquitaniam. Rodulfus autem gratias Deo, pro cuius amore animam posuerat suam, referens, cum magno triumpho regressus est, & Nortmannorum aliæ cohortes Franciam superiorem deuastantes, primùm cum Duce Bareto, deinde cum Rege Astenco oras maritimas desertantes, postquam desolauerunt terram vicinam Franciæ, prostrati sunt à vicinis Ducibus Franciæ, deinde cum alia multitudine Nortmannorum Rodomum vrbs, & vicinæ sibi ciuitates inuentæ vacuæ, vindicatæ sunt ad habitandum à Ducibus eorum, qui eleuauerunt super se ex eorum gente regem, nomine Rosum, qui sedem sibi in Rodomo constituit. Postea vero factus Christianus à Sacerdotibus Francorum, imminente obitu in amentiam versùs, Christianos captiuos centum ante se decollari fecit in honore, quæ coluerat, idolorum, & demùm centum auri libras per Ecclesias distribuit Christianorum in honore veri Dei, in cuius nomine baptismum susceperat.

Ramnulfus quoque Pictauensis, & Ademarus filius Emenonis inimici erant pro vrbe Pictauis, quam Ademarus nitebatur sibi vindicare pro patre suo Emenone. Hic verò Ramnulfus ex coniuge legitima cùm non haberet prolem, suscepit ex concubina filium Eblum nomine, summamque habuit amicitiam cum propinquo amico suo Vvillelmo Comite Aruernis, & cum Roso Principe Rodomi pactum firmauit propter metum Ademari. Hac de causa à Rege Odone potiùs timore quàm amore honorabatur, dúmque regalem aulam assiduaretur, veneno necatus, in extremis sancto Geraldo ibidem præsenti paruulum filium suum Eblum commisit tutandum. Vvlgrinus autem Aginnum vindicans propter sororem Vvillelmi Tolosani, ex qua supradictos duos susceperat filios, Egolismam & Petragoricam rexit perstrenuè, Aginnum per viginti sex annos, Egolismam & Petragoricam per quin- 871.
decim annos, & decimo sexto anno post mortem Lotharij defunctus est. Ademarus autem filius Emenonis, filiam Vvillelmi filij Vvlgrinni Santiam in coniugio copulauit sibi, & ab Alduino & Vvillelmo familiariùs fouebatur, & à Rege Odone magno honore in Palatium habitus, post mortem Ramnulfi prouectus est Pictauis Comes. Regressusque à Palatio sanctus Geraldus, clàm subductum filium Ramnulfi à Pictauis, Vvillemo Duci Aquitaniæ Comiti Aruernis credidit nutriendum, cui 910.
consanguineus erat.

Eo tempore ipse Vvillelmus cùm non haberet prolem, Cluniacũ Monasterium in fundo proprio, quod est in Burgundia, à nouiter fecit, qui cùm sororem suam in ma-

Digitized by Google

trimonio desideraret coniungere cum Geraldo, nullatenus quiuit: qui cælibem vitam semper ducens, cùm sæpè ad copulam suaderetur amore filiorum, respondebat sanctus Geraldus: Vtilius est, inquit, mori sine filiis, quàm relinquere malos heredes. Eratque Ademarus Comes Pictauinus amator Ecclesiæ, cúmque prolem nec ipse exciperet, prospiciens sibi vna cum vxore sua Sancia de futuro sæculo, concessit quædam ex iure proprio Ecclesiis Christi prædia, S. Carrofo quidem Voertam, S. Martiali Moltonnum, S. Ioanni Neriacum, S. Hilario Corcolmum, sancto Eparchio Godoruillam.

917. Eo tempore Ebo Bituricus cepit ædificare Cœnobium Dolense in honore Dei Matris, quod postea integrauit Radulfus filius eius, vbi magnam cohortem Monachorum congregauit regulariter degentem.

His diebus Oto Rex Bajoariorum subegit sibi regnum Langobardorum, defunctis Regibus Adalberto & Arduino. Simili modo, defuncto Alberico Rege Romanorum, consensu Octauiani Papæ Romam aggressus est, & clausa est ei ciuitas, prælium que ingens extitit inter Bajoarios & Romanos, & Oto victor ingressus vrbem, coronatus est ab Octauiano Papa, & Imperator Romanorum promotus est: quo defuncto, imperauit filius eius item Oto.

Francorum verò Rege Odone obeunte, regnauit pro eo filius eius Arnulfus pauco tempore, & mortuus est. Iterum Carolus minor suscepit regnum, vnxitque eum Arbertus Episcopus; contraque iteratò Francorum Proceres conspirati, eum regno pellentes, Rotbertum Ducem Francorum pro eo inuitum constituunt Regem. Nam congregati in campo more solito ad tractandum de publica regni vtilitate, vnanimi consilio, pro eo quod ignauæ mentis erat idem Rex, festucas manibus proiicientes, rejecerunt eum, ne esset eis vltrà Senior, & solum eum in medio campo reliquerunt, separati ab eo; cúmque simul inter se coissent, superuenit Comes Vgo amicus Regis, ignorans causam, quâ compertâ, dixit Francis: O fortissimi Franci non bonum consilium egistis, quare Seniorem vestrum inhonestè dereliquistis? est cum eo pars magna Franciæ, & necesse est, si ita eum dimittimus, venire malù super nos: sed aggrediar ego eum, & confodiam ferro; melius enim est vt occidatur, quàm missus puniat nos, & citato equo, quasi occideret eum, mox vt ad eum peruenit, tale consilium dedit ei, dicens: Ero nuntius tuus ad hos Francos ex parte tua, & vsque vnum annum tantùm sint adhuc sub tua ditione, & si in hoc spatio non te viderint meliorati, discedant à te vituperatione tui. Quòd regressus confirmauit cum Francis, & iterum redierunt ad Regem, & per illum annum amicos sibi Rex associauit, cum quibus post annum fiducialiùs se agere potuit, permanentibus Primoribus in sua sententia: Eleuato enim Rotberto in Regem, Carolus cum valida amicorũ manu Lemouicam peruenit, & perui gil nocte prope fenestram S. Martialis perstitit in orationibus, quotquot potuit de Aquitania secum fortissimorum bellatorum abduxit, & per Burgundiam ad Otonem Imp. abiit, propter auxilium. Franci autem diuisi sunt inter se, verùm maior pars Rotberto fauebat. Carolus denique, accito ab Otone Imperatore auxilio, cum multo exercitu partim de Teodisca gente, partim de Aquitania & Francia, regressus est Franciam, & commisit cum eo Rotbertus bellum: Caroli erat signifer Fulbertus Comes. Rotbertus autem ipse vexillum sibi ferebat, dejecta barba canitie plena extra loricam, vt cognosceretur. Carolus Rex Fulberto interminando ait: Caue, ô Fulberte; & inde prouerbium exit, Caue Fulberte. Fulbertus Rotbertum Regem per medium cerebri diuidendo confodit, & exercitus Rotberti victus est, & finito bello peruenit Vgo filius Rotberti, cognomine Capetius, cum mille equitibus, & Carolum cum exercitu lasso fugauit, & postmodum suppliciter ad eum veniens, voluntati Regis assensit. Nam Carolus regnum recuperauit, & ipsi Vgoni Capetio ducatum permisit, sicut solitus erat regere pater eius Rotbertus. Postea verò de spoliis, quæ ceperat Carolus, S. Martiali, sicut vouerat, direxit quædam, id est de Capella Rotberti Regis Euangelium ex auro & argento, Dalmaticam pretiosam ex veste serica, Falcestalium argentatum, vestimentum integrum sacerdotale pretiosum, 11. libros diuinæ historiæ, librum pretiosum de computo, vexillum ex veste auro texta vnum.

Ipso verò Carolo Rege migrante, Ludouicus filius eius pro eo strenuè regnauit: quo tempore Nicephorus Imperator Basilium & Constantinum paruulos educans,

Sarracenorum ditionem inuasit, & Antiochiam, aliasque fortissimas ciuitates vsque Tripolim expugnans vi cepit, & Christianis Græcis restituit: quem Imperatrix mater Basilij metuens ne super filios suos tyrannidem ageret, dolo euocatum, dum Tripolim obsideret (mandauerat enim ei per epistolam Barbaros Constantinopolim obsedisse, quod falsum penitùs erat) dum in Basilica Palatij Constantinopoli genua curuando Sabbato S. preces Deo funderet, gladiis eum à 4. seruis suis transverberari iussit, & omnibus Proceribus Græcorum simulauit eum subito morbo exstinctum; quod factum diù latuit, donec suspecti Satrapæ Græcorum, monumentum eius egerentes, diuerberatum cadauer frameis repererunt. Tunc Ademarus Comes Pictauensis defunctus est, & Pictauis iuxta Basilicam S. Hilarij 4. Nonas April. sepultus. Guillelmus quoque Dux Aruernis mortuus est, & filius Ramnulfi Eblus Manzer Aruernis & Pictauis simul Comes promotus est à Carolo Rege supradicto, acceptáque in coniugium Adala, filia Rosi Rotomagensis Comitis, genuit ex ea Vvillelmum Caput-stupæ. Post mortem siquidem Vulgrinni filius eius Alduinus 30. annos vixit: hic muros ciuitatis Egolismæ restaurare ceperat. Quo tempore Oliba pontificatum adhuc agente, repetentes Nortmanni crebras irruptiones per Aquitaniam exercebãt: vnde factum est vt Monachi S. Carrofi, adhuc viuẽte Vulgrinno Comite, pretiosum lignum Crucis ad custodiendum Egolismæ deferrent, cum diuersis Ecclesiæ ornamentis, & cessante infestatione Nortmannica, Alduinus in ciuitate sua retinere tentauit omnibus diebus supradictum S. lignum, nolens reddere commendatum. Hac de causa adhibitis à Francia architectis iussit ædificare Ecclesiam in honorem Saluatoris, foris muros in capite Basilicæ S. Eparchij, vbi S. lignum deputaret, simul & corpus S. Eparchij ibidem transferret, & vocato à Francia Fredeberto Episcopo cõsanguineo suo, fecit ipsam Ecclesiam dedicare in honore Saluatoris, corpus verò B. viri leuare non valuit, quod volebat transferre in eadem Ecclesia, ipsoque consecrationis die post peractum sacrificium solemne Missaque finita, placidâ morte ante Altare Saluatoris obdormiuit in Domino, & ibidem ante Altare humatus est Episcopus Fredebertus ab Episcopo Oliba, qui & ipse post modicum obiit, vt iam dictum est. Alduinus verò Comes per multos annos languore corporis multatus est, & in populo eius ita fames vehementissima grassata est, vt (quod hactenus incompertum fuit) de vulgo vnus alterum ad deuorandum exquireret, & multi alios ferro perimentes, carnibus more luporum humanis inuicem vescerentur. Quibus actus Alduinus necessitatibus remisit Carrofo pretiosum lignum per manus Vvillelmi filij sui cognomine Sectoris-ferri, vno ante mortem suam anno, cum capsa aurea, quam ipse cum gemmis construi imperauerat, vbi contulit Lubeliaco villam, & mox cessauit plaga, & ipse post annum defunctus 7. Kal. April. iuxta patrem tumulatus est: post cuius mortem 4. anno occisi sunt à Bernardo in vltiopem Sanciæ sororis suæ, quam occidere conati sunt, Lãbertus Vicecomes Martiliacensis, & Arnaldus frater eius. Vvillelmus autem Sector-ferri honorem eorum restituit Odolrico fratri eorũ, qui minor natu erat, fuitq; sibi Vicecomes, sicut Rannulfus fuerat Vulgrinno. Hic denique Bernardus, mortuo patre suo Vvillelmo, qui fuit frater Alduini ex Vvlgrinno, Comes Petragoricensis effectus est, Vvillelmus verò Sector ferri Egolismæ principatum obtinuit, & communem habuerunt totum honorem eorum ipse & Bernardus consanguineus eius. Ademarus tamen supradictus, qui sororem Bernardi Sanciam vxorem habuit, 10. annos superuixit Alduino; Sancia quoque vitam terminans 11. Non. April. humata est iuxta Basilicam S. Eparchij.

Eo tempore Gumbaldus Episcopus decedens, successorem habuit Fulcaldum. Tunc Vvillelmus Sector-ferri, & consanguineus eius Bernardus, aggregato Conuentu Nobilium, iterum restituerunt Monasticum habitum in Basilica Beati Eparchij, præficientes eidem Monasterio Mainardum Abbatem, qui in fronte Basilicæ beati Eparchij construxit elegans Oratorium in nomine sanctæ Resurrectionis, & multa Reliquiarum pignera, quæ ab Hierosolymis asportauerat, ibi recondidit. Tunc Domnus Vvillelmus Sector ferri per testamentum concessit ad eumdem locum beati Eparchij hoc donum, Ecclesiam sancti Hilarij in Petragorico, sitam in Vicaria Piliacense, Ecclesiam sanctæ Eugeniæ sitam in Santonico, in Vicaria Pedriacense; Curtem Fradoreuillam, & villam Deiraco, villam Aluiniaco, villam Romanoreuillam cum ipsa Ecclesia, mansum vnum in Godoruilla. Quod testa-

mentum confirmare iussit, & firmauerunt manibus propriis, quorum nomina hæc sunt: Bernardus Comes, Arnaldus filius Bernardi, Odolricus Vicecomes, Ademarus Vicecomes, Arnaldus filius Willelmi, Ademarus filius eiusdem Willelmi. Sancto Martiali dedit nihilominus Cantreciacensem Ecclesiam in Egolismensi, pariterque Manauco Ecclesiam in Lemouicino, cum omnibus adjacentiis & massis: non enim habuit prolem ex legitima coniuge, nam supradicti Arnaldus & Aëmarus ex concubinis ei nati sunt; Item Iterio fideli suo, Principi de villa Boënsi, dedit cellam Fruinensem in Egolismensi cespite.

Interea defuncto Eblo Comite Pictauino, filiorum eius alter Comes, alter Episcopus factus est; Eblus enim, annuente Rege Ludouico, Pontifex Lemouicæ factus est. Vvillelmus verò cognomento Caput-stupæ, à Rege supradicto Aruernis, Vellauis, Lemouicæ, & Pictauis Comes prouectus, Dux Aquitaniæ extitit. Hic germano suo Abbatiam sancti Hilarij ac sancti Maxentij, cum nonnullis aliis possessionibus in Pictauensi solo præbuit. Fuit idem Eblus bonus Pastor Ecclesiæ, & castellum sancti Stephani Lemouicæ sedis, quod Turpio Episcopus antecessor eius magna ex parte à solo construxerat, hic ad perfectum integrauit. Construxit à nouo castellum Hilarij & Canonicos ibi disposuit, quia infestatione Nortmannorum idem locus à Monachorum prisca habitatione desciuerat. Restaurauit & Monasterium sancti Michaëlis, quod vocatur ad Eremum, & multa alia laudabilia in opere Dei egit. Restaurauit Monasterium sancti Maxentij, & castellum in circuitu perfecit, qui defunctus, sepultus est in Basilica supradicti Monasterij sancti Archangeli: Antecessor verò eius Turpio, genere clarissimo, auunculus Rotberti Vicecomitis Albucensis, in rebus Dei magnificus fuit, & Odonem Abbatem Cluniacensis Cœnobij summè excoluit: Qui Odo reuerentissimus, Turpione rogitante, vitam sancti Geraldi edidit, & librum de contemptu mundi perutilem composuit. Idem Episcopus in vita sua multis claruit miraculis; & defunctus, Albutione sepultus est in Basilica sancti Valerici. Eblus autem xxxix. à beato Martiale Episcopus fuit, & ad onus episcopale sufferendum, ordinauit sub se Chorepiscopum Benedictum, quem ipse à puero nutriuerat: qui captus ab Helia Comite Petragoricæ, oculis priuatus est, & propterea Eblus nimio dolore afficiebatur vsque ad diem mortis suæ: ipsum enim post se voluit relinquere successorem. Idem Helias, filius Bosonis vetuli de Marca, commisso prœlio cum Geraldo Vicecomite Lemouicensi, & filio eius Vvidone, victor extitit, qui demùm cũ fratre suo Aldeberto in deceptione captus à Vvidone, in castro Montiniaco custodiæ injectus est. Sed cùm Vvillelmi suasu oculis priuandus esset propter supradictum Chorepiscopum, Deo propitio custodiâ euasit, & non multo pòst in via Romæ peregrinus in Dei opere obiit. Aldebertus verò frater eius plurimo tempore in turre Lemouicæ vrbis custoditus, tandem solutus est, acceptâ in coniugio sorore Vvidonis Vicecomitis, ex qua filium habuit Bernardum.

Illis diebus, adhuc viuente Turpione Episcopo, Teotolo & Odo supradictus, dum essent Canonici sancti Martini illustriores, adimplentes Euangelicum præceptum, derelictis omnibus, pauperes pauperem Christum secuti sunt, & Cluniaci sancto habitu ac vitâ induti sunt. Vnde postea Dei nutu Odo Abbas præfuit secundus à primo Abbate eiusdem; fuit enim primus Berno, & secundus Odo. Teotolo iubente Abbate suo, Archiepiscopus inuitus consecratus est Turonis. Hic sanctissimus Odo & literis apprimè liberalibus eruditus, & Dei amore flagrantissimus, exemplo & doctrinâ regulæ Apostolicæ, quæ est Monachorum, exstitit restaurator industrius. Tunc Roso defuncto Comite Rodomense, filius eius Vvillelmus loco eius præfuit; hic fuit à pueritia baptizatus, omnisque eorum Nortmannorum, qui iuxta Franciam inhabitauerunt, multitudo fidem Christi suscepit, & gentilem linguam omittens, Latino sermone assuefacta est. Vvillelmo eodem ab Arnulfo Flandrensi Comite dolo interempto, filius eius Ricardus succedens, Christianissimus factus ædificauit in ea Nortmannia, quæ anteà vocabatur Marcha Franciæ & Britanniæ, Monasterium sancti Michaëlis de Monte, vbi Monachos ordinauit; itemque Monasterium Fescanum in honore Summæ Trinitatis, vbi sepultus est ipse, vbi & Monachos posuit.

Francorum interea Rege Ludouico vitâ exeunte, regnauit pro eo Lotharius filius eius, ex Girberga Regina progenitus. Quo tempore Fulcaldus Episcopus

Egoliſmenſis, poſtquam præfuit duodecim annis, defunctus eſt, & ſepultus iuxta Baſilicam ſancti Eparchij, & ſucceſſit in Epiſcopatu Ebulus, qui & ipſe duodecim annis præfuit, & tumulatus ſecùs eum in beati Eparchij Baſilica. Vvillelmus quoque Sector-ferri (qui hoc cognomen indeptus eſt, quòd commiſſo prælio cum Nortmannis, & neutrâ parte cedente, poſterâ die pacti causâ cum Rege eorum Storim ſingulari conflictu deluctans, enſe curto nomine Duriſſimo, quem Vvalander faber cuſerat, per media pectoris ſecuit ſimul cum thorace, vnâ percuſſione) pòſt clauſit diem, & ſepultus eſt iuxta Baſilicam ſancti Eparchij, & per triginta annos pro eo principati ſunt Bernardus Comes Petragoricenſis, deinde filij eius Arnaldus, cognomento Bouratio, pro eo quòd cum ipſa veſte lupum diabolicum homines deuorantem appetiit in campo loricatus & galeatus, & manibus geſtans militibus occidendum præbuit; deinde Vvillelmus Talerandus, poſtmodum Rannulfus Bomparius, tùm Ricardus inſipiens. Arnaldus quidem ſubtrahens ſancto Eparchio villam Salacenſem, & conferens Heliæ Duci, villâ Boënſi ab Angelo percuſſus hac de cauſa interiit, & in fine ſancto Eparchio villam Ajarniacenſem contulit pro emendatione, & ſepultus eſt iuxta eiuſdem Baſilicam, & mortuo fratre eius Vvillelmo, Rannulfus bello exſtinctus eſt ab Arnaldo Manzere, filio Vvillelmi Sectoris-ferri, qui pro patre ſuo in Principatum Egoliſmæ ſucceſſit, & Ricardum inſipientem expulit. Hic cepit in conflictu Gauzbertum Clericum, fratrem Heliæ Comitis, quem reddidit Vvillelmo, filio Vvillelmi Capitis ſtupæ Seniori ſuo, & pro vltione Benedicti Chorepiſcopi oculis priuandum conſenſit: Defuncto enim Vvillelmo Capite ſtuppæ, & ſepulto apud Eccleſiam ſancti Cypriani, Dux Aquitaniæ pro eo extitit memoratus filius eius Vvillelmus, qui filiam Tetbaldi Campanenſis, vocabulo Emmam, vxorem accepit, genuitque ex ea filium Vvillelmum.

His temporibus Aimericus, non Monachus, Abbas S. Martialis, ſucceſſor Gonſindi, moritur, & in fine Monachus exſtitit, quia Rex Ludouicus timens eius tyrannidem, honorem S. Martialis ei commiſerat, ſacramentis acceptis vt Monachus eſſet futurus. Hic Aimericus Geraldum Vicecomitem Lemouicæ, & Boſonem Vetulum de Marca in manibus ſuis habuit commendatos. Hic conſtruxit caſtrum Ronconium. Hic iuxta Cambonenſe Monaſterium deſtruxit caſtellum vi expugnatum Cambocarem, eò quòd erat moleſtum Monachis. Rex autem Lotharius Lemouicam adiit, & tempus aliquantum in Aquitania exegit, vnde reuerſus, veneno à Regina adultera exſtinctus eſt, filiúmq; reliquit Ludouicum, qui vno tantùm anno ſuperuiuens, & ipſe potu maleficij à ſua coniuge Blanca nomine eſt necatus. Regnum pro eo accipere voluit patruus eius Carolus, ſed nequiuit, quia Deus iudicio ſuo meliorem elegit. Nam Epiſcopus Aſcelinus Montis-Laudunēſis vrbis hebdomadâ ante Paſcha poſt conuiuium in lecto quieſcentem eum dolo cepit, & conſenſu plurimorum Vgo Dux, filius Vgonis Capetij, in Regem eleuatus eſt: At verò Carolus in carcere vſque ad mortem retentus eſt Aurelianis, vbi genuit filios Carolum & Ludouicum, & expulſi ſunt filij eius à Francis, profectique ad Imp. Romanorum, habitauerunt cum eo. Sanè Dux Aquitanorum Vvillelmus reprobans nequitiam Francorum, Vgoni ſubditus eſſe noluit, vnde factum eſt vt Vgo, exercitu Francorum admoto, vrbem Pictauis obſidione fatigaret, dúmq; fruſtratus receſſiſſet cum Aquitanorum manu, Vvillelmus inſecutus eſt eum vſque Ligerim, vbi in graui prælio decertantes, Francorum & Aquitanorum animoſitates, multo ſanguine alternâ cæde fuſo, ſuperiores Franci extiterunt, & ſic reuerſi ſunt. Pacem poſtmodum Vvillelmus cum Vgone & Rotberto filio eius fecit, & Rex Vgo cogitans erga ſe Dei gratiam, quaſi vicem rependens, defenſor clementiſſimus Eccleſiæ Dei exſtitit. Nam ob hanc cauſam creditur progenies Caroli reprobata, quia iamdiu negligens Dei gratiam, Eccleſiarum potiùs neglectrix quàm auctrix videbatur. Beati igitur Dionyſij Cœnobium, quod iam priſtinam Monaſticam corruperat normam, Rex Vgo regulari honeſtate, ſicut in Dei oculis rectum erat, honeſtiùs reſtaurauit per manus venerabilis Odilonis Abbatis, & alia nonnulla Sanctorum Monaſteria in decorem diſciplinæ priſcæ renouare curauit.

In Codice Thuano. Nam Franci inito conſilio eum abiiciunt, & Hugonem Ducem filium Hugonis Regis eligunt. Hac de cauſa Epiſcopus Montis Laudunenſis Aſcelinus, hebdomada maiori ante Paſcha, in qua eſt Cœna Domini, velut Iudas Chriſtum

& ipse tradidit Carolum. Qui Aurelianis in carcere trusus adusque ad mortem, ibi genuit filios Karolum & Ludouicum, & mortuus est; & expulsi sunt filij eius, & cætera.

Per illos dies sanctus Maiolus Cluniacensis Abbas, successor sancti Odonis, migrauit ad Dominum in Monasterio Siluiniacensi, quod est in Aruernis territorio, & ibidem sepultus, miraculis fulsit, & successit inuitus pro eo electus tam ab ipso Vgone, quàm à cuncta Congregatione Odilo supradictus.

Eodem tempore grauissimum bellum inter Vvillelmum Ducem, & Iosfredum Andegauensem Comitem peractum est: at Iosfredus necessitate coactus, Vvillelmo Duci se subdidit, séque ei in manibus præbuit, & ab eo castrum Losdunum, cum nonnullis aliis in pago Pictauorum pro beneficio accepit.

Eâ tempestate, Otone secundo mortuo, Oto filius eius, tertius actu & nomine, Imperio potitus est, qui Philosophiæ intentus, & lucra Christi cogitans, vt ante tribunal Iudicis duplicatum redderet talentum, Dei voluntate populos in circuitu idolis deditos, ad Dei cultum conuertere studuit. Etenim erant ei duo Reuerentissimi Episcopi, sanctus videlicet Adalbertus Archiepiscopus de ciuitate Praga, quæ est in Prouincia Beuehem; sanctus etiam Brunus Episcopus de ciuitate Osburg, quæ est in Prouincia Bajoariæ, consanguineus eiusdem Imperatoris. Nam sanctus Adalbertus paruus staturâ, sanctus Brunus procero corpore erant, & quandocumque sanctus Adalbertus in aula Imperatoris intererat, nocte intempesta solus ad siluam abiens, ligna propriis humeris, pedibus nudis deferebat, nemine sciente, ad hospitium suũ; quæ ligna vendens, victum præparabat sibi. Quod cùm post multos Imperator comperiens dies, eum pro sancto duceret, die quadam solitò locutus cum eo, dixit iocando: Talis Episcopus, sicut vos estis, debuisset pergere ad prædicandum Sclauorum gentes. Mox Episcopus pedes Imperatoris deosculatus, ait se hoc incipere; nec postea Imperator eum auertere potuit ab hac intentione; & rogante ipso Episcopo, ordinatus est pro eo in vrbe Pragâ Archiepiscopus, quem elegerat ipse, & libenter Imperator assensit: tùm præparatis omnibus necessariis, pedibus nudis abiit in Pollianam Prouinciam, vbi nemo Christi nomen audierat, & prædicare cepit Euangeliũ. Quod exemplum eius secutus Brunus Episcopus, petiit Imperatorem, vt pro eo iuberet consecrari in sede sua Episcopum, quem elegerat, nomine Odolricum. Quo facto & ipse humiliter abiit in Prouinciam Vngriam, quæ dicitur Alba Vngria, ad differentiam alterius Vngriæ nigræ, pro eo quòd populus est colore fusco, velut Æthiopes.

Sanctus denique Adalbertus conuertit ad fidem Christi quatuor istas Prouincias, quæ antiquo Paganorum errore detinebantur, scilicet Pollianam, Sclauaniam, Waredoniam, Cracouiam; quas postquam fundauit in fide, abiit in Prouinciam Pincenatorum, vt eis prædicaret Dominum. Illa gens nimiùm idolis effera, post octo dies quàm ad eos venerat, & Christum eis annuntiare ceperat, nono die reperientes eum orationi incumbere, missilibúsque ferreis confodientes, Christi Martyrem fecêre, deinde secto capite, corpus eius in lacum magnum demerserunt; caput autem bestiis in campum projecerunt. Angelus autem Domini accipiens caput, posuit iuxta cadauer in vlteriorem ripam; ibi immobile, & intactum, & incorruptum permansit, quousque negociatores nauigio per illum lacum præterirent, qui auferentes sacrum thesaurum, patefecerúntque Sclauaniam. Quo comperto Rex Selauaniæ nomine Boleslauus, quem ipse sanctus Adalbertus baptizauerat, datis magnis muneribus, caput & cadauer excepit cum honore, & Monasterium in eius nomine maximum construxit, & multa miracula fieri ceperunt per eundem Christi Martyrem. Passus est autem sanctus Adalbertus vigesimo-tertio die mensis Aprilis, id est nono Kalendas Maij. Sanctus autem Brunus conuertit ad fidem Vngriam Prouinciam, & aliam, quæ vocatur Russia; Regem Vngriæ baptizauit, qui vocabatur Geitz, & mutato nomine in baptismo, Stephanum vocauit, quem Oto Imperator in natali Protomartyris Stephani à baptismate excepit, & regnum ei liberrimè habere permisit, dans ei licentiam ferre lanceam sanctam vbique, sicut ipsi Imperatori mos est, & reliquias ex clauis Domini, & lanceâ sancti Mauritij ei concessit in propria lancea. Rex quoque supradictus filium suum baptizare iussit, sanctus Brũno imponens ei nomen, sicut sibi, Stephanum. Postea verò ipsi filio eius Stephano Oto Imperator sororem Henrici postea Imperatoris in coniugio dedit. At verò S. Brunus

cùm

cùm ad Pincenatos properauisset, & Christum prædicare cæpisset illis, passus est ab eis, sicut passus fuerat S. Adalbertus. Nam Pincenati diabolico furore sæuientes viscera omnia ventris per exiguum foramen lateris ei extraxerunt; & fortissimum Dei Martyrem perfecerunt. Corpus eius Russorum gener magno pretio redemit, & in Russia Monasterium eius nomini construxerunt, magnisque miraculis coruscare cœpit. Post paucos dies quidam Græcus Episcopus in Russiam venit, & medietatem ipsius prouinciæ, quæ adhuc idolis dedita erat, conuertit, & morem Græcum in barba crescenda & ceteris exemplis eos suscipere fecit. Odolricus autem, qui S. Bruno successerat, ad dominum migrans magnis virtutibus clarere meruit, ideoque Monasterium foris ciuitatem Osburg eius nomini construxit Episcopus, item Brunus successor eius, frater Henrici Imperat. Eadem verò vrbs apud Romanos vocabatur Valentina ab Imperatoris nomine, qui eam condidit primus.

Quibus diebus Oto Imp. per somnium monitus est, vt leuaret corpus Caroli M. Imper. qui Aquis humatus erat, sed vetustate obliterante ignorabatur locus certus, vbi quiescebat, & peracto triduano ieiunio, inuentus est eo loco, quem per visum cognouerat Imper. sedens in aurea cathedra, intra arcuatam speluncam infra Basilicam B. Mariæ, coronatus corona ex auro & gemmis, tenens sceptrum, & ensem ex auro purissimo, & ipsius corpus incorruptum inuentum est, quod leuatum, populis demonstratum est. Quidam verò Canonicorum eiusdem loci Adalbertus, cum enormi & procero corpore esset, coronam Caroli quasi pro mensura capiti suo circumponens, inuentus est strictiori vertice, corona amplitudine sua vincente circulum capitis: crus proprium verò ad cruris mensuram Regis dimetiens, inuentus est breuior, & ipsum eius crus protinus diuina virtute contractum est, qui superuiuens annis XL. semper debilis permansit. Corpus verò Caroli conditum in dextro membro Basilicæ ipsius retro altare S. Ioannis Baptistæ, & crypta aurea super illud mirifica est fabricata, multisque signis & miraculis claruisse cœpit. Nontamen sollemnitas de ipso agitur nisi communi more anniuersarium defunctorum. Solium eius aureum Imper. Oto direxit Regi Botisclano pro reliquiis S. Adalberti Mart. Rex autem Botisclauus, accepto dono, misit Imperatori brachium de corpore eiusdem sancti, & Imperator gaudens illud excepit, & in honore Sancti Adalberti Martyris Basilicam Aquisgrani construxit mirificam, & Ancillarum Dei congregationem ibi dispositi; aliud quoque Monasterium Romæ construxit in honore ipsius Martyris.

Girbertus verò natione Aquitanus, ex infimo genere procreatus, Monachus à pueritia Sancti Geraldi Aureliacensi Cœnobio, causâ sophiæ primò Franciam, dein Cordubam lustrans, cognitus à Rege Vgone Remis Archiepiscopatu donatus est; & iterum cognitus ab Imperat. Otone, Archiepiscopus Rauennæ factus est, derelicto Remorum Archiepiscopatu. Procedenti tempore cùm Gregorius Papa frater Imperatoris decessisset, idem Girbertus ab Imperatore Papa Romanorum sublimatus est obtentu Philosophiæ, mutatúmque nomen eius pristinum, & vocatus est Siluester, & Præfectus Romæ Crescentius, cùm contra Otonem Imperium Romanum vellet accipere, tandem in turre, quæ vocatur Intercœlis, diu euasit, verùm expugnata turre, captus est insidiis suæ coniugis, & patibulo suspensus, iubente Imp. & pro eo planctus magnus Romæ factus est.

Tunc Vgo Rex Francorum, amator Sanctæ Ecclesiæ, & seruantissimus æqui mortuus est, & regnauit pro eo Rotbertus filius eius, vir claræ honestatis, & magnæ pietatis, ornamentum Cleticorum, nutritor Monachorum, pater pauperum, assiduus verbi Dei cultor, in humilitate similis Dauid Regi, Rex non tantùm populorum, sed etiam morum suorum.

His dem temporibus rebellantes Bulgari Græciam valde exasperauerunt, & Basilius Imperator super eos nimis irritatus, voto se obligauit Deo Monachum futurum, si Græcis gentem Bulgarorum subderet, & per annos XV. cum hoste super eos laborans, duobus magnis prælijs victus est, ad vltimum Regibus Bulgarorum Samuele & Aaron nequaquam publico prœlio, sed astutia Græca interfectis, omnem terram eorum obtinuit, & fortissimas ciuitates & castella confregit, Græcorumque præsidia contra eos vbique ordinauit, & populum Bulgarorum maxima ex parte captiuauit, & sicut voto promiserat, habitum Monasticum Græca

figura subter indutus in reliquum est omni vitæ suæ tempore, à voluptate & carnibus abstinens & imperiali schemate extrinsecus circumdabatur. Deinde Iberiam repugnantem per annos VII. ita edomuit, vt omnia ad nutum eius fierent.

Obiit quoque Ricardus Rotomagensis, sepulturæ traditus apud Fescanum, & pro eo successit Ricardus item filius eius. Hic prudentissimus, & glorioſus in omnibus, & dilector Ecclesiarum extitit. Oto verò Imper. haustu veneni in partes Beneuenti perit, sine filiis, & pro eo consanguineus eius Henricus Imperium susceptit. Otonis autem corpus delatum est Romam, & ibidem sepultum. Arbertus siquidem Archiepiscopus Coloniæ sceptrum & coronam cum lancea sancti Mauricij secum ab imper. defuncto in Baioariam detulit, & consensu omnium Episcoporum Henrico tradidit. Stephanus etiam Rex Vngrię, bello appetens Vngriam Nigram, tam vi quàm timore & amore ad fidem veritatis totam illam terram conuertere meruit. *In Cod. Th. habetur.* Arbertum expirante Otone in partes Capuæ sceptrum & coronam cum lancea sacra secum detulisse & ab Henrico insidiis circumuentum captúmque Imperatorijs ornamentis priuatum fuisse.

Quibus temporibus Aldebertus, Comes supradictus Petragoricensis, filius Bosonis vetuli ex sorore Bernardi supradicti nomine Emma, ad vrbem Pictauis bellum intulit, & victor exstitit, multa strage peracta, pro eo maximè quòd inconsultò, antequàm deberent, ciues ei bellum intulerunt. Vrbem quoque Turonis obsidione affectam in deditionem accepit, & Fulconi Comiti Andegauensi donauit: sed ille ingenio doloso Vicecomitis & ciuium amisit postpaullùm, & iterum sic eam Odo Campanensis Comes recuperauit, qui cùm eam obsideret, nequaquam Rex Franc. ausus est eum prouocare ad certamen, sed hoc ei mandauit. Quis te Comitem constituit? & Aldebertus remandauit ei: Quis te Regem constituit? Dux verò Vvillelmus in Monastico habitu, sæculo derelicto, humatus est apud Monasterium S. Maxentij, & principatum pro eo strenuissimè administrauit Vvillelmus filius eius, & Aldebertus, Gentiaco castro destructo, iterumque à Vvillelmo Pictauino reædificatum dum id ipsum obsedisset, vt secundò destrueretur, & securus, quasi iam victor nudus armis circumequitaret ictu sagittæ mortuus & S. Carrofo conditus est, & surrexit pro eo Boso Comes frater eius. Tunc Vvillelmus accepta in matrimonio Adalmode, coniuge supradicti Aldeberti, Rotbertum Regem accersiuit ad capiendum castrum Bellacum, quod tenebat Boso. Constructerat ipsum castrum Boso Vetulus in Marca Lemouicina: omnis Francia bellatrix eò confluxit, & Aquitania, sed frustrata, post multos dies cum suo Rege recessit.

Ipsis temporibus dum obsessum esset Vvidonis Vicecomitis Brocia castrum à Duce supradicto, & aliis IV. Comitibus cũ manu valida, Vvido cum Lemouicinis obsessores bello appetit, & ex eis plurimam dedit stragem victor, obsidionémque disrupit. Arnaldus autem Comes Egolismensis pro Dei timore facto Monasterio Buxensi S. Amantij, & ibi misso reuerendo Abbate nomine Francone, factus Monachus in aula S. Eparchij sepultus est 4. Nonas Martij, iuxta matrem suam. *In MS. Th. iuxta patrem suum.*

Tunc Episcopus Aldegerius Lemouicæ, successor Ebli, cum pretioſioribus indumentis Sacerdotibus de aula S. Martialis, abiit Franciam, & ibi vita priuatus, & sepultus est apud S. Dionysium, & pro sepultura sua obtulit pretiosa, quæ asporrauerat à S. Martiale ornamenta. Successit Pontifex Alduinus frater ejus, per manum Vvillelmi Ducis, consecratúsque est Egolismæ ab Archiepiscopo Burdegalensi Gumbaldo, & à Fronteno Petragoricensi, & Abone Sanctonicensi, & Vgone Egolismensi, qui eum Lemouicæ inthronizauit primò in Cathedra vectatoria apud Ecclesiam Sancti Gerardi, deinde in sede S. Martialis. At verò Arnaldus supradictus successorem sibi Comitem reliquit Egolismæ Willelmum filium suum. Præterea Fulcaldus Episcopus per XII. annos viuens Ranulfum successorem suum accepit quo Episcopo existente per VIIII. annos, & mortuo ac sepulto iuxta Basilicam S. Eparchij, quemadmodum Fulcaldo, supradictus Vgo Episcopatum per XX. annos obtinuit, & ipso sepulto apud S. Eparchium in Monastico habitu, post eum fuit Grimoardus, deinde Roho Episcopus glorioſus Egolismæ refulsit.

His temporibus pestilentiæ ignis super Lemouicinos exarsit. Corpora enim virorum & mulierum supra numerum inuisibili igne depascebantur, & vbique planctus terram replebat. Iosfredus ergo Abbas S. Martialis, qui successerat Vvigoni, & Alduinus Episcopus, habito consilio cum Duce Vvillelmo, triduanum ieiunium

Digitized by Google

indicunt. Tunc omnes Aquitaniæ Episcopi in vnum Lemouicæ congregati sunt, corpora quoque & reliquiæ Sanctorum vndecumque solemniter aduectæ sunt ibi, & corpus S. Martialis Patroni Galliæ de sepulchro sublatum est, vnde lætitia immensa omnes repleti sunt, & omnis infirmitas vbique cessauit, pactúmque pacis & iustitiæ à Duce & Principibus vicissim fœderata est. Alduinus autem Episcopus Monasterium Sancti Stephani Agentense, quod Aldegerius ornatè dispositerat in magna caterua Monachorum, antequam moreretur per triennium suadente diabolo destruxit, & ibi Canonicos restituit. Hac de noxa Lemouicam intra vrbem Monachorum in Ecclesia S. Martini regulæ subditos aggregare curauit. Sæpe idem Alduinus pro rapina militum & deuastatione pauperum nouam obseruantiam constituit, scilicet Ecclesias & Monasteria cessare à diuino cultu, & sancto sacrificio, & populum quasi paganum à diuinis laudibus cessare, & hanc obseruantiam, excommunicationem censebat. Idem Antistes, dum populus in quadragesima Euauno sua diœcesi fame periclitaretur, ne mortem pro fame incurreret, indixit esum carnium, & ab omnibus illius oppidi pro esca sumtæ sunt carnes, quibus pœnitentiam Antistes ipse postmodùm suasit. Frater verò eius Vvido, supra memoratus, Vicecomes Lemouicensis, dum Comes Boso Romam abiret, nacta occasione castrum nouum extruxit contra Brantosmense Monasterium, nec mora reuerso Bosone, commissóque prælio in campo Carracio, Boso victor castrum destruxit, multúsque sanguis inibi fusus est, & Vvido vulneratus, fuga lapsus est.

His diebus Episcopus Grimoardus, datis muneribus à Vvillelmo Comite Monasterium S. Eparchij expetiit, & sibi vindicauit, & per multos annos sine Abbate manere fecit, & plures possessiones eiusdem Monasterij parentibus suis & aliis sæcularibus donauit, & à loco alienauit. Omnes enim Comites Egolismæ à temporibus Childeberti Francorum Regis, quo ipse locus fundatus est, Aduocati eius & defensores extitisse noscuntur, & prouisores, habentes pro officio defensoris in beneficio Villam Ranconiam. Verùm tunc memoratus Episcopus Aimerico germano suo Duci Moxedanensi donauit in possessionem Monasterium Tomolatense, quod hactenus semper fuerat in dominio Cœnobii Egolismensis, sitúmque in territorio Petragoricensi, habens Ecclesiam in honore Genitricis Dei, vbi in proprio quippe iure paterno sepulti sunt felix Aureolus Petracoricensis, Pater S. Eparchii & Principia mater eiusdem Confessoris : *additur præterea in Cod. Th.* Post non multos annos supradictus Aimericus ipsum locum dedit in beneficio Ducibus suis qui vocantur infernales, & ita penitus ipsa possessio alienata est à iure antiquo S. Eparchii.

Processu temporis Vvido Vicecomes, capto Grimoardo Episcopo pro Monasterio Brantosmense, quod ab eo in munere exposcebat, tenuit eum in turre Lemouicæ, qui dimissus per conditionem Romam abiit, & Girbertum PP. interpellauit. Ibi Vvido vocatus est ad iudicium coram Papa: & cùm ipso sanctissimo die Paschæ causa ventilata esset, & à Senatu prolata sententia iudicatum esset, vt quicũque Episcopum capit, ad colla indomitorum equorum pedibus ligatus distrumpatur, & demũ à feris dilaceretur, traditus mox est Episcopo Grimoardo ad custodiendum, post III. diem tradendus ad pœnam. Verùm interim interim hi duo concordantes, amici facti sunt, & ante diem condictum clàm Roma egressi, reuersi sunt ad propria.

Henricus verò Imp. cùm Langobardos sibi reperiret contrarios misso Radulfo Rege Burgundiæ *nepote suo*, Papiam obsedit, & incendio tradidit, & palatium in ea sibi ædificans rebellantes sibi subdidit. Duces quoque Græcorum cùm partes Imperii eius inuaderent, ordinata expeditione oras Apuliæ penetrans, tot dies, expugnando ciuitates eorum, ibi exegit, vsquequò pestilentiâ eius exercitus laboraret, sicque reuerterunt. Hic in terra Theodisca à nouo ciuitatem ædificauit vocabulo Baenburg, quam Benedictus PP. in honorem Dei Genitricis consecrauit, & Parochias in circuitu ex Paganorum vicis & opidis dum conuerterentur, attitulauit ad illam. Hic Cluniacensi Cœnobio contulit dona sceptrum aureum, Sphæram auream, vestimentum Imperiale aureum, coronã auream, Crucifixum aureum pensantia simul libras centum, & alia multa, & cum Odilone Abbate eiusdem loci crebriùs conloquium familiare exercebat, & in aula Palatij sui cum primoribus ducebat.

Per hæc tempora Ermengaudus Comes Irgeldensis, post copiosos triumphos de Mauris & Sarracenis, prælio inito vltimo innumerabilem stragem Sarracenorum perficiens, dum victor regreditur, alium exercitum Maurorum offendit venientem,

Digitized by Google

quem cum paucis suorum lassis persequens, multos eorum occidit, & ipse concidit: caput eius Saraceni pro magno thesauro secum asportauerunt, quod aromatizatum Rex eorum auro cooperuit, & secum in præliis semper ferebat causa victoriæ.

Interea summæ Philosophiæ Abbas Sancti Benedicti Floriacensis super Ligerim loci, nomine Abbo Vasconiam iter faciens, per Egolismam transiens, mense Nouembri in Monasterio S. Eparchij hospitatus est, veniénsque ad S. Petrum Regulatensis Ecclesiæ, quæ est possessio S. Benedicti Francorum Cœnobij, ibi tumultu Vasconum occisus est, ibique sepultus, miraculis claresceere cœpit: Virga eius pastoralis remissa est Franciam. Bernardus Vasconiæ Dux necem tanti viri de interfectoribus eius puniuit, alios suspendio, alios flammis tradens, & omnem illam possessionem Regulatensem cum Ecclesia Sancti Petri, quæ antè in lite inuadentium erat, sine lite deinc Monachis Francis S. Benedicti parauit vindicandam. Rex autem Rotbertus pro defuncto ordinauit Abbatem Gauzlenum, licet repugnarent Monachi, nolentes sibi præesse filium scorti. Eratenim ipse nobilissimi Francorum Principis filius Manzer, à puero in Monasterio S. Benedicti nutritus, quem etiam Rex suprascriptus Archiepiscopum Bituricensibus fecit postea, defuncto Dacberto Archiepiscopo. Sed & ipsi, quinquennio, seditionem agentes, noluerunt eum intra vrbem recipere, clamantes vna voce: Non decet dominari Ecclesię filium scorti. Postmodum sequestro Odilone Abbate, Regis voluntas præualuit, & Dei nutu in sedem susceptus est. At Bernardo intidus muliebribus, maleficis artibus corpore fatiscente, vita priuato, Sancius frater eius, Dux Vasconum extitit, & defuncta coniuge Vvillermi Ducis Pictauensis, ex qua susceperat filium Vvillelmum, idem Dux sororem Sancii Briscam in vxorem copulauit sibi, quæ ei Odonem filium genuit.

Per idem tempus mortuo Iosfredo Abbate S. Martialis, & succedente pro eo Adalbaldo regularis meriti, & Vvidone ac Alduino Episcopo fratre eius reuertentibus properè ab Hierosolymis, sepulchrum S. Eparchij clarere innumeris cœpit miraculis plus solito, & Dei visio manifesta patefacta est Fulcherio Abbati Sancti Carrofi & Monachis, vt sanctum lignum Crucis ad tumulum deferrent B. Eparchii, quod conuentu solemni peractum est, & Abbate Rainaldo Egolismensi procurante, exceptum est S. lignum in Basilica B. Eparchii, in die eius festiuitatis die primo, mensis Iulii. Porrò adimpletis, quæ ordinauerat diuina pietas, Monachi S. Carrofi valedicentes fratribus Egolismensibus, cum S. ligno gloriosè remearunt. Denique hoc Crucis lignum de Cruce Dominica exstat, quam Hierosolymorum Patriarcha Regi magno Carolo direxerat, & idem Imperator in eadem Basilica, quam condidit Rotgerius Comes Lemouicensis in honore Saluatoris, reposuit. Locus autem antiquo sermone Gallorum Carrofus vocitabatur propter carrorum confinia, id est vehiculorum publicorum, & deinceps pro reuerentia Crucis S. Carrofum appellari placuit.

Comes præterea Egolismæ Vvillelmus, copulata sibi in coniugio Girberga, sorore Comitis Andegauensis Fulconis, filios ex ea suscepit Alduinum & Iosfredum. Dux verò Aquitanorum & Comes Pictauinus, iam dictus Vvillelmus, glorioßissimus extitit & potentissimus, cunctis amabilis, consilio magnus, prudentia conspicuus, in dando liberalissimus, defensor pauperum, Pater Monachorum, ædificator & amator Ecclesiarum, & præcipuè S. Ecclesiæ Romanæ, cui à iuuentute consuetudo fuit, vt semper omni anno ad limina Apostolorum Romam properaret, & eo quo Romã non properaret anno, ad S. Iacobũ Galliciæ recompensaret iter deuotum; & quocumque ageret, vel conuentum publicum exerceret, potiùs Rex quàm esse Dux putaretur, honestate & claritudine, qua affluebat honoris. Non solùm verò omnem Aquitaniam suo subiecit imperio, vt nemo contra eum leuare auderet manum: verum etiam Francorum Regem amicissimum haberet, præ ceteris Ducibus in eius palatio honorabatur. Immò Hispaniæ Regem Adefonsum, Regemque Nauarræ Sanctium, nec non & Regem Danamarcorum & Anglorum, nomine Canotum ita sibi summo fauore deuinxerat, vt annis singulis legationes eorum exciperet pretiosis cum muneribus, ipséque pretiosiora eis remitteret munera. Cum Imperatore Henrico ita amicitijs copulatus est, vt muneribus alterutrum se honorarent. Intermultiplicata denique munera Dux Willelmus ingentem ex auro purissimo ensem direxit ei, in quo litteræ signabantur legentes. Henricus Imperator Cæsar Augustus,

Digitized by Google

Romani Antiſtites eum venientem Romam ſic reuerenter excipiebant, ac ſi eſſet eorum Auguſtus, omniſque Romanus Senatus Patrem eum ſibi acclamabat. Cúmque Comitem Andegauis Folconem in manibus ſuis commendatum haberet, conceſſerat ei pro beneficio caſtrum Loſdunum cum aliis nonnullis in Pictauorum ſolo; Sanctonas quoque vrbem cum quibuſdam caſtellis. Idem Dux ſi Clericum ſapientia ornatum videret, ſummè eum excolebat. Vnde Rainaldum cognomento Platonem, Monachum pro ſapientiæ ornatu præfecit Abbatem Cœnobio S. Maxentij. Epiſcopum quoque Carnotis Fulbertum, ſapientia comptum, à Francia euocatum donauit Theſauraria S. Hilarij, & penes ſe reuerendum exhibuit. Aliquando eſſe vix inuenebatur ſine aliquo Epiſcoporum. Monaſterio Lemouicenſi B. Martialis dedit Eccleſiam in Alnienſi, quam & pater eidem Monaſterio dederat antè, ſcilicet Aneſio, quæ eſt in honore B. Petri: Cœnobio Cluniacenſi, & Cœnobio S. Michaëlis, ad Eremum & ad Cluſam in Italia, & multis aliis per Burgundiam & Aquitaniam Monaſterijs Dei, iuxta horam maritimam plura in reditibus dona terrarum ad copiam ſupplementi ſeruorum Chriſti delegauit. Amplectebatur maximo affectu honoris regulares Monachos & Abbates, & eorum conſiliis nitebatur in adminiſtratione regni. Vnde & memoratum domnum Odilonem, Cluniaci Abbatem copioſis muneribus ſibi attraxit, contemplatus in eo templum Spiritus Sancti, séque ei in manibus commendatum tradidit, & Cœnobia ſuæ ditionis nonnulla eiuſdem magiſterio tradidit. Item Dux à nouo fecit Cœnobium Malliacenſe egregium in territorio Pictauenſi, itémque nobile Cœnobium Burgulienſe in ceſpite Andegauenſi, in fundo proprio, vnà cum matre ſua Emma, ſorore Odonis Comitis Campanenſis, in quibus Cœnobiis regulares Monachos aggregauit plures, qui die noctúque Deo laudes perſoluerent, eiſque ordinauit feruentiſſimum in ſancto propoſito, & diſciplinæ cœleſtis fortiſſimam columnam Abbatem Teelinum, ſeu Theodelinum, qui ex Iudæis conuerſus fuerat. Sanè multoties, qui Comiti eidem rebellare conabantur Aquitanici Primores omnes vel edomiti, vel proſtrati ſunt. Hinc dum obſideret Rocameltim caſtrum vicinum ſancto Carrofo, Comes Boſo, cum multitudine fortium, in eum aciem ſtruxit, & commiſſo bello primùm Boſo, deinde Willelmus vicit, & repetita obſidione, ac Boſone fugato, vi caſtrum cœpit. Habebat ſecum magni conſilij virum, Comitem Egoliſmæ Willelmum, cuius præſertim conſilio pendebat: qui ita ſe inuicem dilexerunt ſemper, vt eſſet eis in duobus corporibus anima vna. Blauiam denique caſtrum cùm expugnaret obſidione Comes Egoliſmenſis, Ducem ipſum ſecum habuit, & magna fortitudine ipſum caſtrum cœpit & à Duce ipſo accepit illud in beneficium cum his rebus ſcilicet Vicecomitatum Mellenſem & Oenacenſem & Rocacardenſem, honorémque Cabannenſem & Confolentis, Roſiacum quoque, & multa alia, ſimúlque in Alnienſi plura.

His temporibus Alduinus Epiſcopus, adducto ſecum Duce Vvillelmo, exſtruxit caſtrum Belloiocum ſecus Monaſterium S. Iuniani contra Iordanum Principem Cabanenſem, reuerſóque Duce, Iordanus properauerat cum electis vel ad caſtrum expugnandum, vel ad Epiſcopum debellandum. Epiſcopus, aggregata armatorum immanitate, habito in auxilio fratre Vvidone, occurrit, & graue ortum eſt prælium tempore durioris hiemis, plurimus ſanguis effuſus, fugati Lemouicini cum Epiſcopo & Vicecomitibus ſuis. Victor Iordanus cum pluribus Principibus captis reuertitur, iámque ſecurus caſu à milite, quem ipſe proſtrauerat, à tergo in ceruice percuſſus interijt, & qui à ſuis capti tenebantur, mox pro eo confoſſi ferro, animas cum ſanguine depoſuerunt, pro quibus grauior luctus exſtitit, quàm antea pro in bello proſtratis fuerat. Iordanus quoque Manzer frater defuncti poſt modicum captum fratrem Epiſcopi Aimiricum tamdiu vinculatum tenuit, quouſque caſtrum memoratum dirutum eſſet. Per hos dies Iosfredus, Abbas S. Martialis, ſucceſſor Adalbaldi, accito Boſone Comite, cum militari magna manu noctu Montanam abiens corpus Sancti Valerici ab Eccleſia, quam incolæ principes Sancto Martiali abſtollebant, ſecum detulit Lemouicam, vbi tamdiu reliquias eiuſdem Confeſſoris in Monte Gaudio tenuit, quoad Principes malefactum recognoſcerent, & exhiberent reſtitutionem S. Martiali. Sicque poſſeſſione non ſine magna redemptione recuperata, reſtitutum eſt ſanctum corpus ſupradicto loco, & in præſentia Ducis Vvillelmi & Girardi Epiſcopi Lemouicenſis Monaſtica ibi ordinata eſt diſciplina,

His diebus Vicecomitissa Lemouicæ Emma circa festiuitatem Apostolorum & S. Martialis oratum abiit ad Sanctum Michaëlem ad Eremum, & noctu ibi à Normannis captiuata, per tres annos exsul trans-mare est retenta. Ex thesauris Sancti Martialis infinita argenti & auri pondera pro redemtione eius data sunt, simúlque imago aurea S. Archangeli, & alia copiosa ornamenta, quæ omnia Normanni auferentes, mentita fide mulierem nequaquam reddiderunt. Donec post multos dies Ricardus Comes Rodomi eam ingeniosè per legatos vltramarinos adquireret, & viro suo Vvidoni liberam redderet.

Interea Bosone Comite veneficiis vxoris suæ necato, & Petragorica vrbe sepulto, ipsáque vrbe à Vvillelmo Duce capta, tutor filiorum eius & nepotis fuit idem Dux, & filio Bosonis Eliæ concessa vrbe Petragorica, Bernardo filio Adelberti reddidit Marcham, & donec viriles annos attingeret ætas Bernardi, iniunxit marcham regendam fortissimis Principibus, duobus germanis, Petro Abbati Scotorien-sium Canonicorum, & Vmberto Druto, quorum Pater Abbo Drutus castrum Bellacum contra Regem Rotbertum fortissimè defendit. Hic Abbo consensu Aldeberti Comitis castrum Mortemarense construxit in fundo proprio, à quibus duobus fortis-simè defensa est Marcha, quousque Vmbertus obiret. Petrus Abbas, singularem principatum obtinens, habebat secum fidelissimum profundissimi consilij Ainar-dum, præpositum ex Monasterio Sancti Petri Scotorien-si. Qui Ainardus habuit duos fratres Abbonem, & Raimundum, strenuissimos Duces, corpore robustos, animo bellicosos, quorum trium sororem Aldeardem accepit in matrimonium Raimundus Cabannensis, abnepos tam supra-scripti Turpionis Episcopi, frater Adalberti Decani inclyti & Præpositi ex Monasterio S. Martialis. Habuit ex ea fi-lium Ademarum Egolismensem Monachum, qui hæc scripsit. Viuente enim Ai-nardo, Abbas Petrus Remp. optimè administrauit, & inuidos gloriæ suæ compres-sit. Nam eo Romæ mortuo, & Raimundo fratre eius Hierosolymæ defuncto, & Abbone infirmitate grauato, inclytus Petrus, neminem fidelem consiliarium ha-bens, dum ad suum temere omnia facit arbitrium, & inter suos terribilis, vt leo videtur, castrum proprium Mortemarense concremat, contradicente consilio suo-rum, & huius rei occasione propinquis eius & principibus Marchionibus, cum Bernardo Fratre Comite & Willelmo Duce, quasi qui tyrannidem præsumeret, in eum insurgentibus paullatim ex potestate Marchionum electus est, qui reuersus ab Hierosolyma, apud Basilicam Sancti Stephani Lemouicæ sedis pristinum honorem continens, & Ecclesiarum ac Villarum multa possessione ex paterna fruens hereditate, ac magnæ cateruæ militum, qui eius beneficia habebant, imperans, à curis sæcularibus, magna ex parte ereptus, & liberiùs Deo vacat, & maiori quàm ante securitate & gloria pollet.

His temporibus signa in astris, siccitates noxiæ, nimiæ pluuiæ, nimiæ pestes, & grauissimæ fames, defectiones multæ Solis & Lunæ apparuerunt, & Vigenna flu-uius per tres noctes aruit Lemouicæ per duo millia, & supradictus Monachus Ade-marus, qui tunc cum auunculo suo inclyto Rotgerio Lemouicas degebat in Mona-sterio Sancti Martialis, experrectus intempesta nocte, dum foris astra suspiceret, vi-dit contra Austrum in altitudinem cœli magnum Crucifixum quasi confixum in cœlis, & Domini figuram in cruce pendentem, multo flumine lacrimarum plorantem: qui autem hoc vidit, attonitus nihil aliud agere potuit, quàm lacrimas ab ocu-lis profundere. Vidit verò tam ipsam crucem, quàm figuram Crucifixi colore igneo & nimis sanguineo totam per dimidiam noctis horam, quousque cœlo sese clau-deret, & quod vidit, & semper in corde celauit, quousque hic inscripsit, testisque est dominus, quòd hæc vidit.

MX. Ipso anno Alduinus Episcopus Iudæos Lemouicæ ad baptismum compulit, le-ge prolata vt aut Christiani essent, aut de ciuitate decederent, & per vnum mensem Doctores diuinos iussit disputare cum Iudæis, vt eos ex suis libris reuincerent: & tres vel IV. Iudæi, Christiani facti sunt. Cætera multitudo per alias ciuitates diffu-giens cum vxoribus & liberis festinauit. Quidam seipsos ferro iugulauerunt, no-lentes baptismum suscipere.

MX. Ipso anno Sepulcrum domini Hierosolymis confractum est à Iudæis & Sarace-nis III. Kalendas Octobris MX. ab Incarnatione eius. Nam Iudæi Occidentales & Saraceni Hispaniæ miserunt epistolas in Orientem, accusantes Christianos, &

Digitized by Google

mandantes exercitus Francorum super Saracenos Orientales commotos esse. Tunc Nabuchodonosor Babyloniæ, quem vocant Admiratum, concitatus suasu Paganorum in iram, afflictionem non paruam in Christianos exercuit, deditque legem, vt quicumque de sua potestate nollent fieri Saraceni, aut confiscarentur, aut interficerentur. Vnde factum est, vt innumerabiles Christianorum conuerterentur ad legem Saracenam: & nemo pro Christo morte dignus fuit præter Patriarcham Hierosolymorum, qui varijs suppliciis occisus est, & duos adolescentes germanos in Ægypto qui decollati sunt, & multis claruerunt miraculis. Nam Ecclesia Sancti Gregorij, quæ hactenus à nullo Saracenorum potuit violari, tunc destructa est cum alijs multis Ecclesijs Sanctorum, & peccatis nostris promerentibus, Basilica Sepulcri Domini vsque ad solum diruta. Lapidem verò monumenti cùm nullatenus possent comminuere, ignem copiosum superadiciunt, sed quasi adamas immobilis mansit & solidus. Bethleemiticam Ecclesiam, vbi Christus natus est, cùm niterentur destruere, subitò apparuit eis lux fulgurans & omnis multitudo Paganorum corruens exspirauit confestim, & sic Ecclesia Dei Genitricis intacta remansit. Ad Monasterium quoque Montis Sinaï, vbi quingenti & eo amplius Monachi sub imperio Abbatis manebant, habentes ibidem proprium Episcopum, venerunt Saracenorum x. millia armatorum, vt Monachos perimentes, habitacula eorum cum Ecclesijs diruerent. Propinquantes autem, à IV. ferè millibus conspiciunt totum montem ardentem & fumantem, flammásque in cœlum ferri, & cuncta ibi posita cum hominibus manere inlæsa. Quod cùm renuntiassent Regi Babylonio, pœnitentia ductus tam ipse quàm populus Saracenus valdè doluerunt de his, quæ contra Christianos egissent! & data præceptione iussit reædificare Basilicam Sepulchri glorioſi, tamen redincepta Basilica, non fuit amplius similis priori pulchritudine vel magnitudine, quam Helena mater Constantini regali sumtu perfecerat. Móxque eueſtigio super omnem terram Saracenorum fames incanduit per tres annos, & innumerabilis eorum multitudo fame necata est, itavt plateæ & deserta cadaueribus omnino replerentur, & fierent homines cibus & sepultura feris & auibus. Secuta est eos gladij vastitas: nam gentes Arabiæ super terram eorum diffusæ sunt, & qui remanserant, fame, & gladijs interierunt. Captus est ab eis Rex Babyloniæ, qui se contra dominum erexerat in superbiam, & viuus, ventre dissecto, visceribusque extractis, impiam animam ad barathrum proiecit. Venter eius, lapidibus oppletus, consutus est, & cadauer, ligato plumbo ad collum, in mare demersum est.

Eo anno Radulfus Petragoricæ Episcopus, Hierosolymis, rediens retulit, quæ viderat ibi, infanda, & obiit Petragoricæ, succeſſitque pro eo Arnaldus qui apud S. Benedictum Nantolio consecratus est diebus quadrageſimæ à Siguino Burdigalæ Archiepiscopo, à Grimoardo, & Illone Episcopis. Tunc Gauzbertus Princeps castri Malamortensis, captus ab Eblo Vicecomite Combornis, retrusus in castro fortissimo Melurensi, Deo volente à suis rusticis in frunalibus quodam mane subitò expugnato & mox captus castro ereptus est, & castrum flammis datum est, qui Hierosolymam pergens defunctus est in reuertendo, & miraculis clarescere cœpit; erat enim valde Ecclesiasticus, & honestè se egit.

Circa hoc tempus Alduinus Episcopus, acceptis pretioſioribus S. Martialis ornamentis & vestimentis, & multa affluentia argenti, quia in manu sua habebat Abbatiam emtam à Widone, properauit ante quadrageſimam cum Willelmo Duce Romam, & in tristitia Monachos S. Martialis reliquit: mox eo recedente, plurima ad sepulcrum Beati Martialis cœperunt coruscare miracula, quæ lætitiam Monachis & cunctæ Aquitaniæ plenam ingesserunt. Nam Aquitanorum nobilissimi & Francorum Principum atque Italorum eo anno Lemouicæ Pascha cum frequentia S. Martialis gloriosè celebrauerunt. Reuersus Episcopus Basilicam sedis Sancti Stephani, quam sanctus Martialis dedicauerat, destruendam & amplificandam disposuit, lineasque ad fundamenta iecit, vt post dies xv. insisteret operi, inde abiens ad supradictam Ecclesiam Agento, vnde Monachos extruserat, spiritum ibi exhalauit. Delatum est corpus eius Lemouicam, & apud sedem vigilijs obseruatum, in Ecclesia Sancti Martini sepultum est, & succeſſit pro eo reuerentissimus Geraldus, nepos eius, & consecratus est Pictauis apud S. Hilarium, mense Nouembri pro omnibus gradibus Ecclesiasticis à Gisleberto Episcopo, & in gradu Pontificali à Siguino Monacho, Archiepiscopo Burdigalensi. Non enim adesse potuit Gauzlenus Bi-

turicensis Archiepiscopus, quia necdum receptus erat in sede Biturica. Habuit tamen ibi missos suos ex sancti Benedicti Monachis. Simul interfuerunt Episcopi Gislebertus Pictauensis, Arnaldus Petragoricensis, Illo Santonicensis, Grimoardus Egolismensis. Post benedictionem, quæ Dominica die peracta est, comitati sunt eum Lemouicam vsque Arnaldus & Grimoardus Episcopi. Primò ad S. Martialem venerunt simul & recepti sunt à Monachis: inde Monachos duxerunt, cum Antiphonis ad Ecclesiam Carolensem: ibi in cathedra sedit, & humeris populi vectus, Canonicis Antiphonas concinentibus textum Euangelij à Grimoardo Episcopo legendum sumsit, & ita legens, & assiduè dextrâ benedicens, ad ostium Basilicæ Sancti Stephani sedens cum gloria deductus est. Grimoardus tradidit ei portas Ecclesiæ, Arnaldus chordas signorum, & ambo in sede Sancti Martialis inthronizauerunt eum & alta voce, *Te Deum laudamus*, Arnaldus Episcopus intonuit. Episcopum sedentem osculati sunt omnes. Deinde Missam celebrauerunt de Martyrio Sancti Theodori, cuius ipso festiuitas die agebatur. Per dies VII. inductus processit stola sanctificata & indumentis cum quibus benedictus fuerat, & cum cappa Romana, absque colobio tamen & casula, & per eosdem continuos VII. dies per stationes vrbis Missas celebrauit. Non debemus prætermittere, quod per XV. dies altercatio fuit Pictauis pro eo, contradicentibus Episcopis omnibus non esse auctoritatem Patrum ordinationes graduum ab Ostiario vsque ad Presbyterum fieri debere, nisi per ieiunia IV. Temporum anni, & totâ Quadragesimâ per dies Sabbatorum vsque in Palmis. Sed voluntas Vuillelmi Ducis prævalens auctoritatem debitam oppilare non timuit. Per hos dies Iosfredus Basilicam regalem maiori opere cœpit renouare. Quadragesimâ verò mediâ ad nocturnas vigilias multitudine populi in eadem Basilica ad tumulum B. Martialis intrante, viri cum mulieribus plus L. inuicem conculcati intra Ecclesiam exspirauerunt, & die crastina sepulti sunt. Tum Episcopus Girardus abierat Romam idcirco per Arnaldum missum est Episcopum, qui post III. diem cum aqua Episcopali Ecclesiam reconciliauit.

Pauco post tempore per Aquitaniam exorti sunt Manichæi, seducentes plebem, negantes Baptismum S. & Crucis virtutem, & quidquid sanæ doctrinæ est, abstinentes à cibis, quasi Monachi, & castitatem simulantes, sed inter seipsos luxuriam omnem exercentes, quippe vt nuntij Antichristi multos à fide exorbitare fecerunt.

Per hoc tempus Vuillelmus, cognomine Bucca-vacca, Comes Matisconæ, quod est in Burgundia, castrum extruxit contra Cluniacense Monasterium propter superandum supradictum Vgonem Comitem, proqua re diuinitus mox percussus est, vt nullomodo deinceps erectus gressum ageret. Verùm paucis interpositis diebus Vgo Comes subitò ipsum castrum vi cepit, & solo coæquauit.

Defuncto quidem Iosfredo Abbate, Vgo ei successit, cui Episcopus Girardus aduersus exstitit, zeli causa recusans dare consecrationem, quia non potuerat sibi vindicare Abbatiam, ideoque per biennium non minima seditio fuit ciuilis, donec ratione Episcopus erubescens domno Vgoni assentiret, & ipse quia Thesaurarius Sancti Hilarij erat, cùm iret Pictauis ad festiuitatem omnium Sanctorum, ægrotans in sancto Carrofo, intra dies XV. obiit, & ibi sepultus est. Ad caput eius tabula plumbea posita est scripta. *Hic requiescit Giraldus Episcopus Lemouicæ, obijt III Idus Nouembr. præfuit eidem sedi VIII. annis.* Post eum verò succedit Iordanus Episcopus.

Per hos annos Odo, Princeps Dolensis, vi & ingenio cœpit castrum Argentomum, & ex eo Vicecomitem Widonem extrusit. Idem Odo secus Masciacum Monasterium ædificauit castrum, quod Rex Rotbertus expugnans capere nequiuit, & sic frustratus recessit.

His temporibus Basilica Sancti Martini Turonica ab Arueo Thesaurario magno cultu inchoata ad finem perducta, & corpore S. Martini sublcuato cum gloria magna consecrata est in honore XII. Apostolorum.

His etiam temporibus Ecclesia S. Petri sedis Egolismensis dedicata est à III. Episcopis, videlicet Seguino Monacho Burdegalensi, Grimoardo, & Illone fratre eius, quibus temporibus Ecclesia Sanctæ Resurrectionis ante Basilicam S. Eparchij ruina subita subuersa est, & ibidem mox clocarium inceptum est. Gisleberto quoque Pictauino Episcopo reuerendissimo diem claudente, & Malliacensi Monasterio humato, succedit Isembertus Episcopus.

His diebus in die Parasceues post Crucem adoratam Roma terræ-motu & ni-

mio

mio turbine periclitata est, & confestim quidam Iudæorum de Scholâ Græcâ intimauit Domino Papæ, quia eâ horâ deludebat Synagoga Iudæorum Crucifixi figuram. Quod Benedictus Papa sollicitè inquirens & comperiens, mox auctores sceleris capitali sententia damnauit, quibus decollatis, furor ventorum cessauit. Quo tempore Vgo, Capellanus Aimerici Vicecomitis Rocacardensis, cum eodem Seniore suo Tolosæ adfuit in Pascha, & colaphum Iudæo, sicut illic omni Pascha semper moris est, imposuit, & cerebrum illicò & oculos ex capite perfido ad terram effudit, qui Iudæus statim mortuus, à Synagoga Iudæorum de Basilica Sancti Stephani elatus, sepulturæ datus est. Quo tempore Cordubenses Mauri per mare Gallicum subitò cum multa classe Narbonem per noctem appulerunt, & summo diluculo cum armis in circuitu ciuitatis sese effuderunt. Et (sicut ipsi nobis retulerunt postea captiui) sortilegium eorum eis promiserat prosperè acturos, & Narbonem capturos. At Christiani quantocius Corpus & Sanguinem Domini à Sacerdotibus accipientes communicauerunt, & præparantes se ad mortem, bello inuaserunt Agarenos, & victoria potiti sunt, omnésque aut morte, aut captiuitate cum nauibus & multis spoliis eorum retinuerunt, & captiuos aut vendiderunt, aut seruire fecerunt, & Sancto Martiali Lemouicæ viginti Mauros corpore enormes transmiserunt dono muneris. Ex quibus Abbas Iosfredus duos retinuit in seruitute, ceteros dimisit per Principes peregrinos, qui de partibus diuersis Lemouicam conuenerant. Loquela eorum nequaquam erat Saracenica, sed more catulorum loquentes, glatire videbantur.

Eo tempore infinita multitudo Nortmannorum ex Dannamarca & Iresca regione, cum classe innumera appulerunt portum Aquitanicum, & sicut parentes eorum egerant, conati sunt omnem Aquitaniam desertare & captiuare. Itaque Dux fortissimus Willelmus mandat vbique per Episcopos, vt suaderent plebem Domini auxilium cum ieiuniis & Letaniis implorare. Ipse verò congregata manu valida electorum, mense Augusto, & imminente iam nocte circa litus maris secus eos castra disposuit. Pagani cernentes Christianorum multitudinem, terrore compulsi tota nocte minutas scrobes circumquaque foderunt, cespitibus operientes, vt ignorantes equites ibi ruerent. Itaque mane primo incautus exercitus, cum Duce prima frontis acie, præcurrente equo, super Paganos fræna laxauit, mox per scrobes delabitur, & ruentibus equis cùm sessoribus armorum pondere prægrauatis, Pagani multos capiunt: & nouissimi exercitûs, tandem cauentes dolum, equis desiliunt. Ipse Dux, equo scrobem offendens, in præceps venit, & oneratus armis iamiam deciderat in manus aduersariorum, nisi Deo, qui semper eum custodit, robur & mentem ei administrante, magno impetu saltum daret, & ocyssimo cursu sese redderet suis. Mox intermissum est bellum causâ captorum, ne interimerentur: Erant enim ex nobilioribus.

Cùm eo die ab vtrisque nutaretur, sequenti nocte plenitudine maris inuitante, cum captis hominibus Pagani nauibus insiliunt, & auxilio pelagi liberantur, nec amplius fines illos inquietarunt. Dux autem pro captiuis infinita pondera auri misit & argenti, & vnumquemque hominem pensauit argento, & sic redemit omnes. Fuit Dux iste à pueritia doctus litteris, & satis notitiam Scripturarum habuit: Librorum copiam in Palatio suo seruauit, & si fortè à frequentia causarum & tumultu vacaret, lectioni per seipsum operam dabat, longioribus noctibus elucubrans in libris, donec somno vinceretur. Hoc Ludouicus Imperator, hoc Patet eius magnus Carolus assueuerant. Nam & Octauianus Cæsar Augustus in aula Palatij non modò legendo, verùm & scribendo creberrimè gesta & alia quæque non segnis scribebat. *In MS. Thuano*: Theodosius quoque victor Augustus in aula Palatij non modo legendo, verùm & scribendo creberrimè exercitabatur. Nam Octauianus Cæsar Augustus post lectionem propria manu prælia sua, gesta Romanorum, & alia quæque non segnis scribebat.

His temporibus Nortmanni supradicti, quod patres eorum numquam perpetrasse ausi sunt, cum innumera classe Hiberniam insulam, quæ Irlanda dicitur, ingressi sunt vnà cum vxoribus & liberis & captiuis Christianis, quos fecerant sibi seruos, vt Hirlandis extinctis, ipsi pro ipsis inhabitarent opulentissimam terram, quæ XII. ciuitates cum amplissimis Episcopatibus, & vnum Regem habet, ac propriam linguam, sed Latinas litteras: quam S. Patricius Romanus ad fidem conuertit, &

ibi primus præfuit Episcopus, quæ insula vndique mari circumcincta est: Ibi Solstitialis brumalis dies vix duarum est horarum, & Solstitialis æstiua nox eiusdem paruitatis. Consertum est ergo prælium per triduum incessanter, & Nortmannorum nullus euasit viuus. Vxores eorum cum paruulis suis sese cunctæ in mare præcipites suffocauerunt: qui viui capti sunt, feris ad laniandum proiecti sunt. Vnum ex captis dimisit Rex viuere, quia Christianum captiuum fuisse cognouit, eúmque muneribus donauit.

Rex verò Canotus de Danamarca paganus mortuo Adalrado Rege Anglorum, regnum eius dolo cepit, & Reginam Anglorum in coniugium accepit, quæ erat soror Comitis Rodomensis Ricardi, & factus Christianus, vtraque regna tenuit, & quotcumque potuit ex Paganis de Dana-marca ad fidem pertraxit Christi. Patet eius Paganus, nomine Asquec, solum regnum de Danamarca tenuit. Ricardo verò Comite Rotomagi, filio Ricardi, Nortmannos gubernante, multitudo eorum vnà cum Radulpho armati Romam, & inde conniuente Papa Benedicto Apuliam aggressi, cuncta deuastant, contra quos exercitum Basilius intendit, & congressione bis & tertiò facta victores Nortmanni fuerunt: quarto congressu à gente Russorum victi & prostrati sunt, & innumeri ducti Constantinopolim, vsque ad exitum vitæ in carceribus tribulati sunt. Vnde exiuit prouerbium: Græcus cum carruca leporem capit. Tunc per triennium intercluſa est via Hierosolymæ: nam propter iram Nortmannorum quicumque inuenirentur peregrini à Græcis, ligati Constantinopolim ducebantur, & ibi carcerati affligebantur. Item Nortmanni, Duce Rotgerio, ad occidendos paganos Hispaniam profecti, innumeros Saracenorum deleuerunt, & ciuitates & castella ab eis abstulerunt multa. Et primo suo aduentu Rotgerius, Saracenis captis, vnumquemque eorum per dies singulos, videntibus ceteris, quasi porcum per frusta diuidens, in caldariis coctum eis apponebat pro epulis, & in alia domo simulabat se comedere cum suis reliqua membra. Perculsis omnibus hoc modo, nouissimum de custodia quasi negligens permittebat fugere, qui hæc monstra Saracenis nuntiaret, ita fabulam Thyestis veram adimplens. Qua de causa timore exanimati vicini Saraceni, pacem cum Rege suo Museto à Comitissa Barcilonensi Ermensede petunt, & annuum tributum persoluere spondent. Erat enim hæc vidua, & Rotgerio supradicto filiam suam in coniugio sociauerat. Tumque pace inita, cum vlteriori Hispania Rotgerius decertare cœpit, & die quadam vnà cum Petro Episcopo Tolosæ & XL. solummodò Christianis Saracenorum quingentos electos in insidiis latentes offendit, cum quibus confligens, fratrem suum Manzerem amisit, tertióque acies aduersarias irrumpens, plus centum hostium extinxit, & cum suis propria reuisit, nec ausi sunt Ismaëlitæ persequi fugientem.

Per hos dies dignatur dominus clarificare fidelissimi Ducis Vuillelmi tempora: nam tunc in Basilica Angeriacensi, in saxea theca instar pyramidis turrita, inuentũ est caput S. Ioannis ab Alduino clarissimo Abbate, quod sanctum caput dicunt esse proprium S. Ioannis Baptistæ. Tunc Vuillelmus Dux, post Paschales dies Roma regressus, hoc audito, repletus est gaudio, & sanctum caput populis ostendendum decreuit. Erat reconditum ipsum caput in turibulo magno argenteo, vbi deforis litteræ leguntur. *Hic requiescit caput Præcursoris Domini*, à quo tamen, vel quo tempore, vel vnde huc delatum fuerit, vel si Præcursoris Domini sit, haud quaquã fideliter patet. In Gestis enim Pipini Regis, cùm de minoribus legatur rebus, ex hac, quæ ex maximis est, causa reticetur, & scriptura ex eo facta nequaquam non futilis ab eruditis diiudicetur. In hac enim friuola refertur pagina, in diebus Pipini Regis Aquitaniæ, quemdam Felicem detulisse ab Alexandria per mare in Aquitaniam caput S. Ioannis Baptistæ, & tunc temporis Alexandriæ præfuisse Theophilum Archiepiscopum, cuius Lucas in principio Actum Apostolorum meminit dicens. *Primùm quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile*, & peractum esse prælium in Alnensi pago inter Pipinum Regem, & Vandalos, ipsúmque caput super quosdam interfectos satellites suos impositum à Rege, & eos mox resuscitatos esse. Verùm non exstitit Pipinus in diebus Theophili, nec tempore Vandalorum: nec aliquando caput Præcursoris Domini Alexandriæ habitum legitur. Legimus in antiquorum legendis primò inuentum caput Sancti Præcursoris à duobus Monachis per reuelationem in eo quo * ventum est: deinceps autem à Theodosio Imper. delatum in ciuitatem regiam Constantinopolim, ibidémque venerari. Itaque vt ad propositum redeamus, dum inuentum osten-

Digitized by Google

deretur caput S. Ioannis, omnis Gallia, Italia & Hiſpania ad famam commota, ibi accurrere certatim feſtinat. Rex quoque Francorum Rotbertus, & Regina, Rex Nauarræ Sancius, omnéſque dignitates eorum confluxerunt. (MS. Th. inter cæteros numerat Ducem Vaſconiæ Sancium & Odonem Campanienſem, additque Comites, Principes, Epiſcopos, Abbates, omnéſque dignitates terrarum.) Vbi omnes offerebant munera pretioſa diuerſorum generum. Nam ſupradictus Rex Francor. oblata gabata ſeu concha ex auro puriſſimo penſante libras xxx. pretioſis veſtibus holoſericis & auro textis ad ornatum Eccleſiæ, à Willelmo Duce ſuſceptus condignè, per Pictauis reuerſus eſt Franciam. Quid dicam, quod vltra omnem felicitatem & gloriam videbatur concurſus pſallentium cum reliquis Sanctorum ex Monachis & Canonicis, qui vndecumque ad memoriam ſancti Præcurſoris feſtinabant: inter hæc feſtiua, reliquiæ corporis Principis ſummi, qui pater eſt Aquitanorum, & primus Galliarum ſpermologus, videlicet B. Apoſtoli Martialis, ſimul cum reliquis S. Stephani Lemouicæ ſedis, illuc deferebantur. Protractis itaque S. Martialis in vectorio ex auro & gemmis pignoribus foris Baſilicam propriam, mox omnis Aquitania, quæ iamdiu nimis pluuiarum inundationibus laborauerat, aduentu patris ſui lætatur, ſerenitate reddita. Cum eiſdem equidem pignoribus Abbas Iosfredus atque Epiſcopus Giraldus cum Principibus numeroſis & omni populo innumerabili diuerterunt, eundo in Baſilicam Saluatoris S. Carroſi, exierúntque eis obuiam Monachi cum omni plebe foris milliario vno, & cum apparatu honorifico diem feſtum agentes, antiphonias denique excelſa voce intonantes, deduxerunt eos vſque ad altare Saluatoris, & miſſâ celebratâ, ſimili modo proſecuti ſunt eos, cúmque in Baſilicam S. Præcurſoris intrarent, celebrauit ante caput S. Ioannis miſſam Epiſcopus Giraldus de natiuitate eiuſdem ſancti Baptiſtæ, cùm eſſet menſis October. At Canonici S. Stephani cum Monachis alternatim tropos ac laudes cecinerunt feſtiuo more, & poſt miſſam Pontifex cum capite S. Ioannis benedixit populum. Sicque de miraculis ſancti Martialis, quæ per viam contigerant, valdè lætantes, v. die ante feſtiuitatem omnium Sanctorum reuerſi ſunt.

Ea tempeſtate S. Leonardus Confeſſor in Lemouicino, & S. Antoninus Martyr in Caduicino miraculis cœperunt coruſcare, & vndique populi eò confluxerunt. Pòſt verò Glorioſus Dux, recogitans Dei honorem, accerſito ſanctiſſimo Odilone Cluniacenſi Abbate, in S. Ioannis Monaſterio regularem renouauit diſtrictionem, vbi Odilo Abbatem Rainaldum diſpoſuit, defuncto nuper Alduino Abbate; & Rainaldo poſt aliquot annos ſpiritum Deo reddente, Aimericum pro eo domnus Odilo Patrem præpoſuit; Item dum reliquiæ ſacræ B. Eparchij procederent ad S. Præcurſorem, delatus eſt pariter baculus eiuſdem Confeſſoris: eſt ipſe baculus paſtoralis in ſummitate culminis curuatus, ad cuius modum ſuper reliquias eiuſdem ſancti horis nocturnis vſque Sole Oriente, reſplenduit in cœlo ignea virga, curuata nihilominus in faſtigio, quoad ventum eſt ad caput S. Ioannis, & miraculis claris à S. Eparchio ſuper infirmos ſanatos peractis cum lætitia regreſſum eſt. Canonicis etiam S. Petri ſedis Egoliſmenſis procedentibus cum reliquis, cùm ſubuectores earum, induti ſacris tunicis, per profundum fluuium quendam tranſiſſent, nequaquam ſenſerunt aquam, verùm ac ſi per aridam ambularent, nullum ſignum aquæ ſuper eos, vel ſuper veſtimenta vel calciamenta eorum apparuit. Inter ea caput S. Ioannis, poſtquàm ſatis oſtenſum eſt populis, reſeruatum eſt iuſſu Willelmi Ducis, & reconditum in pyramide priſtina, vbi interius thymiamaterio argenteo quod pendet catenulis argenteis, incluſum retinetur. Pyramis autem ſaxea, ſuperveſtita eſt tabulis ligneis deargentatis vndique, ex oblatione copioſi argenti quod Rex Nauarræ Sancius obtulit B. Præcurſori.

Quodam verò tempore poſtquàm hæc acta ſunt, contigit homines S. Ioannis & Vuillelmi Ducis in Angeriaco vico tumultuari, & vulneratus eſt Præpoſitus Ducis ad mortem, ibique aula ducis diruta. Tunc à Primatibus adulantibus maliuolis, & ante omnia à Folcone Comite, qui tum in ſeruitio Ducis Pictauis erat, tempore Quadrageſimæ, ſuadebatur ei deſtruere locum S. Ioannis, & inde Monachorum Senatum eijcere, & Canonicos ibidem immittere. Et licet Sereniſſimus Princeps furore graui commotus eſſet pro iniuria ſua, tamen & ſuam iram, & impiorum conſilia vicit, & regali more cum pietate & prudentia rationis cauſam pacificauit, ſemperque fuit ſeruorum Dei defenſor, & ideò Deus ei in omnibus adiutor. His tẽporibus Cometes velut enſis latior & longior contra Septemtrionem apparuit plurimis æſtiuis noctibus, & per Gal-

liam & Italiam cuestigio ciuitates & castella & Monasteria igne cremata sunt plura: inter quæ S. Carofum casu flammâ combustum est cum Basilica Saluatoris. Ecclesiâ quoque S. Crucis, sedis Aurelianensis, & Monasterium S. Benedicti Floriacum, & alia multa flamma deuorauit. Tunc etiam casu ciuitas Pictauis combusta est, & Dux sedem S. Petri, ceteráſque Ecclesias, suúmque palatium maiori decore ampliauit.

Post mortem verò supradicti Girardi Episcopi, decertabant Principes Lemouicenses pro Episcopatu, cum Simoniaca hæresi pontificatum vindicare conati. Tunc populus vrbis Letanias cum Monachis & Canonicis propter hoc peregit, & Dux prudentissimus cum suo Consiliario Vvillelmo Comite Egolismensi apud S. Iunianum placitum habuit ex hac causa. Adfuit ibi Vvido Vicecomes, & omnes Principes Lemouicini. Ibi Dei nutu elegit in Episcopatus honore Iordanum Præpositum Ecclesiæ S. Leonardi, magnæ nobilitatis & simplicitatis virum, surgénsque manè à Monasterio S. Iuniani, cum duobus Episcopis Islone & Isimberto, & multitudine Principum, deuenit Dux ad vrbem circa horam VI. Cui obuiam processit omnis ciuitas gaudens, & mox properat ad Basilicam Regalem, receptus à Monachis, vestibus albis & cappis holosericis amictis, cum textu Sanctorum Euangeliorum, & Thymiamaterio, candelabris quoque, & aqua benedicta, sicut semper ab eis ipsè Dux solet excipi. Inde ad tumulum S. Martialis missam audiuit: & iuxta illud Monasterium eo die regaliter hospitatus est, die crastino barbam electo benedici iubet ac detondi, & sic ad sedem S. Martialis in aulam S. Stephani Iordanum deduxit, & cum baculo pastorali ibi cum gratis honore Pontificali vestiuit, eratque finis Ianuarij mensis, & reuersus est Pictauis. Quadragesimâ superueniente, Dux Romam abiens filio suo, prudentissimo adolescenti, Vvillelmo imperauit, vt reuertens ordinatum reperiret Episcopum, quod ille adimplere curauit, & Sabbato mediæ Quadragesimæ Angeriaco ante caput Sancti Ioannis Diaconus & Presbyter ordinatus est, & crastinâ Dominicâ consecratus est ab Islone Episcopo Sanctonensi & Coadjutore Archiepiscopi Burdigalensis & Roone atque Arnaldo: necnon & Isimberto Episcopis. Pòst verò à clarissimæ indolis Vvillelmo Comite, & Arnaldo Petragoricensi Episcopo Lemouicam deductus inthronizatus est in sede S. Martialis. Archiepiscopus verò Bituricensis Gauzlenus, ad cuius Diœcesim Lemouica pertinet, *quia pecuniam requirebat pro impositione manuum, contemptus est* (verba hæc absunt à MSS. Codd. Thuano & Claromontani Collegij) & quia sine sua auctoritate consecratus est Episcopus, facta synodo in Francia, coram Rege Rotberto, vbi VII. Archiepiscopi adfuerunt die Pentecostes cum suffraganeis Episcopis, totum Lemouicinum excommunicauit, præter locum S. Martialis & quæ propriè ad eum pertinebant, ipsumque prohibuit ab officio suo Episcopali, *qui cum rationem reddere posset, & sese purgare à culpa, si vellet, coram Papa Romano, scilicet contemnisse Archiepiscopum proprium causa Simoniacâ*, (hæc etiam absunt à supradictis Codicibus) tamen satisfaciens, nudis pedibus, cum centum Clericis & Monachis, omnibus similiter discalciatis pedibus, Bituricam sedem adiit, vbi Archiepiscopus cum clero eis processit obuiam, & honorificè eos deducens, quod ligauerat absoluit. Dux quoque Vvillelmus, semper cogitans Dei voluntatem, regularem disciplinam restauravit in S. Carrofo, electo Petro, Abbate potentissimo sæculari, qui per Simoniacam hæresim prælationem obtinuerat, & sæculariter & insipidè locum administrabat, & subrogato pro eo Gumbaldo regulari & Dei seruo Abbate S. Sauini, recta fecit, quæ placebant in oculis Domini. Electus vero Petrus, ad S. Augustinum in Lemouicino Monasterio mansit percussus paralysi longissima vsque ad mortem.

Eo tempore x. ex Canonicis Sanctæ Crucis Aurelianis, qui videbantur aliis religiosiores, probati sunt esse Manichæi. Quos Rex Rotbertus, cùm nollent aliquatenus ad fidem reuerti, primò à gradu Sacerdotij deponi, deinde ab Ecclesia eliminari, & demum igne cremari iussit. Nam ipsi decepti à quodam Rustico *Petragoricensi* (vox hæc abest à Codicibus Th. & Claromontano) qui se dicebat facere virtutes, & puluerem ex mortuis pueris secum deferebat, de quo si quem posset communicare, mox Manichæum faciebat, adorabant diabolum, qui primò eis in Æthiopis; deinde Angeli lucis figuratione apparebat, & eis multum quotidie argentum deferebat, cuius verbis obedientes, penitus Christum latenter respuerant, & abominationes & crimina, quæ dici etiam flagitium est, in occulto exercebant, & in aperto Christianos veros se fallebant. Nihilominùs apud Tolosam inuenti sunt

Manichæi, & ipsi destructi, & per diuersas Occidentis partes nuntij Antichristi exorti, per latibula sese occultare curabant, & quoscumque poterant viros, & mulieres subuertebant. Quidam etiam Sanctæ Crucis Aureliarensis Canonicus Cantor, nomine Theodatus, mortuus erat ante triennium in illa hæresi, vt perhibebant viri religioli & Hæretici ipsi, cuius corpus, postquàm probatum est, euectum est de Cœmeterio iubente Episcopo Odolrico, & proiectum in inuium. Qui autem flammis iudicati sunt supradicti x. cum Lisoio, quem Rex valde dilexerat propter sanctitatem, quam eum habere credebat, quasi securi, nihil ignem timebant, & flammis se inlæsos exire promittebant, etiam ridentes in medio ignis ligati sunt, & sine mora penitus in cinerem redacti sunt, vt nec de ossibus residuum inueniretur eorum.

His diebus quidam è Principibus Egolismensium Gardradus, cùm filium non haberet, ædificauit in Santonico pago à nouo in honore Sancti Stephani Protomartyris, Cœnobium Baiacense, vbi regulares Monachos aggregans, venerabilem Ainardum Abbatem præfecit. Dedicauit ipsum locum Grimoardus Egolismensis, & frater eius Ilo Santonicensis Episcopus. Quem locum Gardradus, facto testamento, attitulauit Rom. Basilicæ S. Petri, vt omnibus semper annis tributum v. solidorum argenti exsoluatur super corpus S. Petri.

Quo tempore Aimericus Princeps Ronconiensis, contra Seniorem suum Vuillelmum Comitem Egolismensem, dum ipse Vuillelmus Romæ esset, castrum Fractaborum in Santonico exstruxit per dies Resurrectionis: promiserat ei fidelitatem super reliquias sanctarum Caligarum seu Calceamentorum S. Eparchij, & quoniam periurus contra ipsum fuit, post paucos dies à Iosfredo filio Comitis supradicti obuiante, ferro confossus animâ sine mora reliquit. Comes verò Willelmus cum Alduino filio castrum obsedit diu, & fortiter expugnatum capiens destruxit, & post multum tempus iterum reædificauit, & filio suo Iosfredo commendauit. Vuillelmus verò Vicecomes Martiliacensis, & frater eius Odolricus graui discordia decertabant cum Alduino fratre eorum, propter castrum Rofiacum, multo tempore. Vnde factum est, vt à Guillelmo Comite inter se pacificarentur, & pacem ipsam pactúmque conditionis super corpus S. Eparchij eidem iurarent. Quod inter se mentiti, & periurio rei, alter excæcatus est, alii duo omni honore priuati sunt. Nam Vuillelmus & Odolricus dolo ad se accersientes Alduinum hebdomadâ primâ Paschæ in traditione, postquam cum eis cœnauerat, & in eorum hospitio dormierat, antequàm à lecto surgeret, capiunt, & linguam ei amputant, & oculos effodiunt, & ita Rofiacum recuperant. Regressus itaque Româ Vuillelmus Comes, tantam impietatem vindicare decreuit, & accito Duce Vuillelmo Martiliacum obsidens, desolauit igne comburens, & traditoribus vitam & membra concessit, sed omni eos honore priuauit, & Alduino cæcitate multato Rofiacum concessit. Verùm post aliquot annos, iubente eodem Comite, Alduinus filius eius Martiliacum reædificauit, & ad suum opus retinuit. Idem quoque Alduinus, iubente patre Montiniacum castrum à nouo extruxit.

Quo tempore duo Monachi S. Martialis ex primoribus, valde religione conspicui, sanctitate præclari, sapientia fulgidi, sacerdotio sublimati, qui se inuicem præ omnibus diligebant, & omne Monasterium duæ columnæ sustinebant, veluti etiam duo candelabra irradiabant, atque iuxta se ad mensam sedebant; Rotgerius Cantor inclytæ generositatis, frater Decani glorioſi Adalberti, & Æmarus (in MS. Th. aluíque & Aldebertus Armarius) in die Sancto Paschæ ambo per visum viderunt se vocari à Christo, & ipsa Hebdomada laudabilem finem vitę acceperunt correpti breui & acri languore, tertius Monachus sanctitate probabilis Fulcherius, & mox Abbas Vgo, dilectione Dei fortissimus, eos ad cœlestia subsecuti sunt, & succedit Abbas Odolricus, prudentia insignis, quem consecrauit Iordanus Episcopus.

Quibus diebus, mense Ianuario, circa horam vi. eclipsis Solis accidit per vnam horam. Luna quoque frequentiùs laborem passa est, nunc sanguinea, nunc deficiens. Duæ quoque stellæ visæ sunt in Austro, in signo Leonis, inter se pugnantes per totum Autumnum, maior & clarior ab Oriente, minor ab Occidente. Cursitabat minor quasi irata, & timens vsque ad maiorem, quæ eam sibi non sinebat approximare, sed crine radiorum longiùs percussam repellebat Occidentem versùs.

Tempore subsecuto defunctus est Benedictus Papa, cui succedit Ioannes. Clausit diem Basilius Imperator Græcorum, & imperauit pro eo Constantinus frater

eius. Excessit hominem Arbertus Episcopus Coloniæ, miraculis post mortem claresceus. Henricus quoque Imperator mortuus est, sine filijs, & sacra Imperialia moriens reliquit fratri suo Bruno Episcopo vrbis Osburc, & Archiepiscopo Coloniæ, necnon & Archiepiscopo Moguntiæ, vt ipsi eligerent post se Imperatorem. Qui Episcopi, adunato Regno, indixerunt Letanias & ieunia ad Dominum pro hac causa. Tunc populi elegerunt Cononem nepotem Henrici Imperatoris defuncti. Episcopi verò saniori consilio elegerunt alterum Cononem, qui neptem Henrici in coniugium habebat, pro eo quòd esset fortis animo, & rectissimus in iudicio, quem ordinauerunt consecrationis oleo in regali gradu apud Mogontiam ciuitatem & tradiderunt ei sceptrum & coronam, & lanceam S. Mauricij. Aduentente vero Pascha Romam cum innumero exercitu tendit, & quia Romani ciues noluerunt ei aperire, nec ad effectum perueniendum sine plurimo hominum sanguine fuso erat, noluit Conon Imper. Paschalem festiuitatem cruore humano perfundi, & hac de re Rauennæ sese continuit. Ibi Dominus Papa attulit ei coronam Imperij, & eum die sancto Paschæ in Imperatorem Romanorum manibus suis coronauit. Alio verò anno in ipso sancto Paschæ die Aquisgrani filium suum domnus Conon Imperator consecrare iussit in Regem. Eratque idem consecratus Rex ætate pusillus, nomine Henricus. Ibi interfuerunt tam de Italia quàm de Gallia LXXVII. Episcopi, & ita domnus Conon, suadente Papa Rom. Ioanne & omnibus Episcopis & Principibus Regni, quia iustitiæ libram præmonstrabat, Imperium assumsit. Iunior autem Conon, qui iudicio titubantis populi electus fuerat ciuili dissidio contra eum agere cœpit, sed Imperator præualuit in tantùm, vt eum vinum caperet, & in custodia, quantum sibi visum fuit, retineret. Hæc profectò indicio stellarum videbantur maioris & minoris inter astra signari. At verò Longobardi fine Imperatoris gauisi, destruunt palatium Imperiale, quod erat Papiæ, & iugum Imperatorium à se excutere volentes, venerunt multi nobiliores eorum Pictauam vrbem ad Vvillelmum Ducem Aquitanorum, & eum super se Regem constituere cupiebant, qui prudenter cauens, cum Vvillelmo Comite Egolismæ Langobardorum fines penetrauit, & diu placitum tenens cum Ducibus Italiæ, nec in eis finem reperiens, laudem & honorem eorum pro nihilo duxit. In reuertendo sanè nuntiatur ei Vvidonem Vicecomitem obiisse, tum intercedente Vvillelmo Comite Egolismensi, præfecit Lemouicæ Vicecomitem Ademarum in loco patris sui defuncti.

Per hæc tempora Arueus, sanctitate insignis Thesaurarius sancti Martini Turonis obiit in Christo sepultus in atrio Basilicæ mediæ, ad pedes Crucifixi. Hic Turonis à nouo constructit Oratorium in honore Genitricis Dei, vbi Sanctimonialium congregationem sub regulæ magisterio Deo seruire constituit.

Tunc temporis Comes Andegauensis Folco, cùm manifestè nequiret superare Arbertum Cenomannis Comitem, filium Vgonis, dolo adduxit eum secum in Capitolium Sanctonæ vrbis, quasi in beneficio vrbem ipsam ei concederet, & incautum nihilque mali suspicantem, inclusum Capitolio, nefanda eum capere non veritus est traditione, primæ Hebdomadæ Quadragesimæ secundo die: vxor verò eius vxorem Arberti dolo tentauit capere ipso die, antequam audiretur inter ipsos traditio Arberti, sed ad eam quidam anticipauit prodere cautelam. Ideò Folco Principes Arberti & vxorem eius timens, non est ausus eum interficere, sed biennio carceratum diligentissimè custodiuit, & à manibus eius dominus innocentem eripuit. Eodem verò anno correptus est languore corporis idem Comes vsque ad mortem. Quo anno Sanctonas vrbs (quod dici dolor est) cum ipsa Basilica S. Petri sedis Episcopalis ab impiis Christianis concremata est.

Quo tempore glorioſissimus Ricardus Rotomagensis Comes obiit, sepultus apud Fescanum Cœnobium in Basilica sanctæ Trinitatis. Et successit pro eo Ricardus filius eius, & ipse non longo pòst tempore veneno extinctus est, succeditque pro eo Robertus frater eius.

Quæ an fulis inclusa sunt desunt in MS. exẽplari V. C. Hadriani Valesij.

[Eotempore Willelmus Egolismensis Comes per Bajoariam iter egit ad sepulcrum Domini. Comitati sunt eum Odo Bituricus Princeps Dolensis, Ricardus Abbas Virdunensis, Ricardus Abbas Sancti Eparchij Egolismensis & Princeps eius & consiliarius eius Giraldus, Fanesinus & Amalfredus postea Abbas & magna caterua nobilium. Stephanus Rex Vngriæ cum omni honore eum suscepit & muneribus ditauit. Cœpit iter agere mensis Octobris primo die & peruenit in sanctam ciuitatem,

prima Hebdomada menſis Martij, reuerſuſque eſt tertia Hebdomada menſis Iunij ad propria. Diuertit per Lemouicam reuertens, vbi omnis multitudo Monachorum S. Martialis ſplendore feſtino obuiam exeuntes exceperunt eum. At vbi rumor aduentus eius Egoliſmam peruenit, omnes Principes non ſolùm Egoliſmenſium, ſed etiam Petragoricenſium & Sanctonum, omniſque ætas & ſexus ad eum occurrit gaudio perfuſa eum cernere deſiderans. Clerus verò Monaſticus Sancti Eparchij in veſtibus albis diuerſisque ornamentis cum magna multitudine populi & Clericorum ſine Canonicorum gaudens proceſſit obuiam ei extra ciuitatem milliario vno cum Laudibus & Antiphonis. Et omnes in excelſum vociferantes *Te Deum laudamus* deduxerunt eum, vt moris eſt.

Tunc Amalfredum Monachum qui cum eo fuerat, elegit Abbatem ex Baſilica Sancti Eparchij. Nam Abbas Ricardus in Selombria ciuitate Gratiæ citra Conſtantinopolim in eundo obierat, & ibi ſepultus eſt Vigilia Epiphaniorum. Ordinauit ſupradictum Abbatem Roho Epiſcopus, vbi ipſe Comes & Abbas S. Martialis Odolricus ſtipatus dignitate Monachorum & Abbates vicini & maxima nobilitas Principum præſentes adfuerunt.

Eodem verò anno correptus eſt languore corporis idem Comes vſque ad mortem: quo anno Sanctonas vrbs ab impiis Chriſtianis concremata eſt cum ipſa Baſilica S. Petri ſedis Epiſcopalis, & diu permanſit deſertus ipſe locus à diuino cultu. Et hanc injuriam Dei Comes ſupradictus vindicare volens paulatim cœpit viribus corporis deſtitui, & in vrbe Egoliſma ſecus Eccleſiam Sancti Andreæ propter officium Diuinum iubet ſibi domum præparari, in qua ægrotans decumbere cœpit: vbi inceſſanter è diuerſis partibus cuncti Principes & nobiles eum viſitabant. Cúmque dicerent nonnulli maleficis artibus eum ægrotare; ſolebat enim robuſto & ſano corpore vigere, tunc verò nec more ſenum, nec more iuuenum corpore fatiſceret, detecta eſt quædam malefica mulier artes maleficas contra eum exercuiſſe. Quæ cùm non confiteretur, iudicio Dei commiſſum eſt, vt quod verum latebat euentu victoriæ inter duos campiones probaretur. Factis ergo ſacramentis decertauerunt inter ſe diu multúmque, Miſſus Comitis Stephanus, & defenſor maleficæ Willelmus. Stephanus victor ſine damno ſui corporis fuit: alter capite quaſſato, ſanguine coopertus, ab hora tertia vſque nonam in pedibus ſtans viuus in manibus deportatus longo tempore lecto decubuit.] *Reliqua ex Codice Valeſiano.*

Permanſit Stephanus verò, & exſiliens corpore inlæſus, eadem horâ venit' currens pedibus gratias Deo referre ad tumulum B. Eparchij, vbi nocte præterita peruigil excubauerat, & deinde equitans reuerſus eſt in ciuitatem, vt reficeret. Malefica verò, multis tormentis ignorante Comite mox excruciata, nec ſic confeſſa eſt, & à diabolo corde obdurato, nullum verbum vel vocem ex ore proferebat, à III. verumtamen mulieribus, quæ cum ea interfuerant his maleficiis, conuicta eſt teſtimoniis, quaſdámque phantaſticas ex limo imagines deſubtus terra eædem mulieres extraxerunt coram omnibus, iam putrefactas diuturnitate. Comes ergo pepercit maleficæ mulieri, nec ſiuit eam tormentari vlteriùs, & vitam ei piè conceſſit. Narrat Hieronymus in Expoſitione Danielis Antiochum Epiphanem phantaſiis maleficorum verſum in amentiam, & quibuſdam terroribus oppreſſum interiſſe. Nec mirum ſi Deus permittit Chriſtianum præſtigijs maleficorum corpore ægrotare, cum Beatum Iob ſciamus à diabolo percuſſum graui vlcere & Paulum ab Angelo Sathanæ colaphiſatum, nec timenda ſit corporis perituri ægrotatio, grauiórque ſit animarum quàm corporum percuſſio. Igitur Comes ab Epiſcopis & Abbatibus pœnitentiam accipiens, omniáque ſua diſponens, & inter filios ſuos & coniugem ſuam nominatim, prout ſibi viſum eſt, honorem ſuum ordinans, reconciliatus & abſolutus eſt, & toto Quadrageſimæ tempore miſſas & cultum Dei frequentauit, quouſque prima Hebdomada maiori ante Paſcha oleo ſancto & viatico muniretur, tum ligno Crucis adorato & deoſculato, ſpiritum in manibus Epiſcopi Rohonis & Sacerdotum redderet Deo, laudabili fine & memoria. Per biduum obſeruatum eſt corpus eius à Clericis in Baſilica ſedis Petri Apoſtoli. Tunc Dominicâ Sanctâ Oſanna cum ramis & floribus delatum eſt corpus ad Baſilicam Sancti Eparchij, & ibi ſepultum ante altare S. Dionyſij. Sepelierunt eum duo Epiſcopi Roho Egoliſmenſis, & Arnaldus Petragoricenſis. Ad caput eius iuſſit filius eius Alduinus poni tabulam plumbeam ita ſcriptam. *Hic iacet Domnus & amabilis Vul-*

Digitized by Google

lelmus Comes Egolismæ, qui ipso anno, quo venit de Hierusalem, obijt in pace VIII. Idus Aprilis vigilia Osanna. MXXVIII. anno ab Incarnatione, & tota sua progenies iacet in loco S. Eparchij. Interea iussu Alduini, flammis exustæ sunt mulieres maleficæ extra vrbem. Postquàm verò Comes sepultus est, mox processerunt Episcopi cum Clero & populo ad Sanctam processionem Dominicam & stationem solemniter peregerunt. Successit pro Vvillelmo Alduinus filius eius, principatu Egolismæ, & præclarum lætitiæ signum in initio principatus eius ostensum est, cùm de dolore sepulturæ transiit populus ad lætitiam, obuiam Domino exclamans: Osanna in excelsis. Benedictum regnum patris nostri Dauid, & præferens victoriæ psalmos, ramos securitatis, & flores suauitatis. Obtulit supradictus Vvillelmus pro sepultura sua S. Eparchio diuersa & pretiosa munera tam in terris quàm in filis, auro & argento multo, (In MS. Thuano additur & vurpuit Vasnacum boscum & laxauit duo candelabra argentea p:nsantia trecentos solidos, & laxuit vnam crucem auream cum gemmis processionalem) aliisque rebus: interea donaria obtulit crucem auream cum gemmis pretiosis, pensantem libras VII. candelabra argentea Saraceniscа fabrefacta, pensantia libras XV. Crastinà verò post sepulturam eius die Blauia castrum dolo subtractum est Comiti Alduino à Iosfredo fratre eius. Mox Comes Alduinus cum virtute militari illuc tendit, & citò ipsum castrum capiens in deditionem accepit, & missa illic custodia militum Egolismam regreditur ad celebrandum Pascha. Quo regresso, frater eius Iosfredus per dies fortissimos Parasceuæ, sepulturæ, & Paschæ contra Blauiam extruxit aliud Nouum castellum. Hoc comperto Alduinus nequaquam intermisit opus Dei, sed cum magna gloria & lætitia sanctum Pascha celebrauit, & post diem tertium festiuitatis, comminoto electo exercitu ad bellum committendum exiit: audiuerat enim fratrem suum velle cum eo confligi & exercitum aggregari. Itaque castrum nouiter munitum obsedit ilico, & prælium præstolatur feroci corde, sed nequaquam frater eius præsumsit eum lacessere ad pugnam, videns robustam eum habere manum. Et post dies octo, expugnato & capto castro supplex venit ad eùm, cui protinus Comes Alduinus ignouit & pacem consensit, & facti sunt amici. Verumtamen in beneficio tres partes Blauiæ Comes concessit fratri suo Iosfredo, quartámque sibi retinuit, & conditionibus congruis, pacificati sunt amore precipuo. Tunc Iosfredus filium suum commendauit in manibus fratri suo Alduino Comiti propter castra duo, quæ sunt in Santonico, scilicet Archiacum & Botam-villam, quæ semper attinent ad Comitem Egolisinensem. Qua tempestate Odolricus, S. Martialis Abbas, vigilantissimæ honestatis, Egolismam venit ad Alduinum Comitem. Ipse verò tunc donauit S. Martiali Ecclesiam Sanctæ Mariæ in territorio Burdegalensi cum insula magna Dornoniæ, in qua est sita: abéstque ipsa insula vel Ecclesia vno plus milliario à castro Fronciaco, quod erat in dominio proprietatis supradicti Comitis cum omnibus in circuitu vicis & castellis, quam possessionem retinebat ex iure hæreditario vxoris suæ nobilissimæ, Alaiziæ Comitissæ. Pater verò Alduini Vvillelmus reuersus ab Hierosolymis, multis nobilibus, mediocribus, & pauperibus, bonum fuit incitamentum. Confestim enim Isembertus Episcopus Pictauinus, & Iordanis Episcopus Lemouicus, & Comes Fulco, plurésque primatum, & infinita multitudo mediocrium & pauperum ac diuitum Hierosolymam tendunt.

His diebus Concilium aggregauit Episcoporum & Abbatum Dux Vvillelmus apud S. Carrosum, propter exstinguendas hæreses, quæ vulgò à Manichæis disseminabantur. Ibi adfuerunt omnes Aquitaniæ Principes, quibus præcepit pacem firmare, & Ecclesiam Dei Catholicam venerari.

Siguino verò Burdegalensi Archiepiscopo defuncto, & Acio post eum ordinato, & non longè pòst vitâ priuato, Dux Aquitaniæ Vvillelmus, & Dux Vasconum Santius, aggregato conuentu apud Blauiam, constituerunt Archiepiscopum Gotefridum natione Francum, moribus honestum, qui ibidem apud S. Romanum consecratus est à suffraganeis Episcopis. Nam Illo Episcopus Sanctonicensis, qui Archiepiscopatum ipsum susceperat viuente & rogante Atio paralysi damnato, spontaneè dereliquit secundùm Canonum instituta.

Tunc Rex Nauarræ Santius, adhibitis secum Vvasconibus, super Saracenos exercitum duxit, & deuastatâ Hispaniâ, cum multis spoliis & magno triumpho remeauit.

Ipso

Ipso denique anno Rex Gallicianus Adefonsus Saracenos populatus est magna infestatione, & quadam Hispaniæ ciuitate per obsidionem pene sese tradente ei, dum ipse armis depositis, furentes extrinsecus Christianos à certamine sedaret Paganorum, ab aduersariis, quibus parcere deliberauerat, ictu sagittæ foris muros vulneratus interiit, & sic exercitus eius, non sine magno dolore, gressum suum vertit, lugens principem suum fortissimum.

Explicit Chronicon Ademari in annorum quidem notatione confusum, sed optimum, præsertim in his, quæ ad Aquitanicas res spectant.

CONVENTIO INTER GVILLELMVM DVCEM AQVITANIÆ ET HVGONEM CHILIARCHVM.

Subijcitur Chronico Ademari in Codicibus Thuano, Collegij Parisiensis, & alijs.

AQuitanorum Comes vocitatus GVILLELMVS conuentum habuit cum HVGONEM CHILIARCHVM, vt dum eueniret finis Vicecomiti BOSONI honorem eius mitteret ei in commendam. ROHO vero Episcopus vidit & audiuit, osculauitque brachium Comiti. SAVARICVS autem Vicecomes tollebat HVGONI terram quam de WILLELMO Comite tenebat, & mortuum Vicecomite ipso, promisit Comes VGONI, vt non cum RADVLFO fratri supradicto mortuo nullum conuentum aut finem ageret, vsquequo terra soluta esset. Hæc dixit coram omnibus, sed postea latenter illi eam dedit. Pro terra vero ista, siue pro alia maius, vel res alias, habuit conuentum HVGONI cum Vicecomiti RADVLFO, vt filiam eius acciperet in vxorem. Vt audiuit Comes, iratus est valdè, properauitque ad HVGONEM cum humilitate, & dixit ei; Noli accipere RADVLFI filiam in vxorem; ego dabo tibi quocunque petieris mihi, meusque eris amicus super omnes præter filio meo. Fecitque Vgo quod præcepit ei Comes & propter eius amorem fidelitatemque mulierem in occulto dimisit. Eo tempore accidit vt finiretur de castro PARTENIACO IOSCELINVS; dixitque Comes, vt honorem & mulietem eius Hugoni traderet, vel etiam si hæc nollet recipere, minimè se fideret in eo. Vgo vero pro hac re nihil amonuit vel precauit Comitem pro se nec pro alio. Considerans ergo se dixit ad Comitem; Omnia faciam quod mihi iusseris. Comes autem agens placitum cum Comite Fulconi, promisit ei de sua propria beneficia dare illi. Fulco promisit vt hæc quod à se pertinebat daret Hugoni. In hunc vero conuentum, mandauit Comes pro Vicecomite Radulfo, dixitque ei; Conuentum quod habet tecum Hugo nil illum faciet, quia ego illi prohibeo: Sed etiam ego & Fulco conuentum habemus vt demus illi honorem & vxorem Ioscelini, faciamusque pro tua confusione, quod non es mihi fidelis. Vt audiuit Radulfus, dolens fuit valdè; & dixit Comiti: Pro Domino sit tibi, non hoc facias; & Comes ait; Fac mihi fiduciam vt non des illi filiam tuam, nec conuentum ei adtendas, similitérque faciam vt honorem, nec vxorem Ioscelini possideat. Ita & fecerunt Vgoni, vt nec vna vel alia. Abiit Radulfus ad Willelmo Comite qui in castro Mosteriolo erat, nunciansque Vgoni vt inuicem fabularentur: ita factum est. Dixitque Radulfus Hugoni; Hæc in fide tibi pronuntio, vt non mihi discooperies; fiduciam da mihi vt me adiuues contra Willelmo Comite, teneóque tibi tuum conuentum, & tibi iuuabo contra omnes homines. Refutatque omnia Vgo pro amore Guillelmi Comiti: partiti sunt Vgo & Radulfus tristes. Cepitque Radulfus litigationem cum Comite Guillelmio, & Vgo pro amore Comiti cum Radulfo: recepitque damnum Vgo valdè. Defuncto ergo Radulpho rogauit Comitem Vgo, vt terram, quam Radulphus ei tulerat, redderet ei. Comes autem dixit Vgoni: Ego finem non faciam cum IOSZFREDONI Vicecomite qui Nepus fuit Radulfo, neque cum hominibus de Toarcinse castro vsquequo terram tuam reddam & nil hoc factum: sed abiit Comes, fecitque finem cum Vicecomite Ioszfredo, & cum

hominibus Toarcenſe, nihilque finem fecit, Hugoni, & ſua terra Hugo non habuit & pro malifacto quem fecit Hugo pro Comite, accepit Ioſzfredus contentionem cum Vgoni, & incendit caſtro Moſolio, & cepit caballarios Vgoni, & incidit manus illorum, & ſatis alio facto. Comes vero nihil iuuauit Vgoni, nec finem bonam fecit inter eos, ſed adhuc ſuam terram Vgo perditur: & alia terra qua in pace tenebat pro Comite amittit. Et vt vidit Vgo quod non haberet terram, cepit de Caballarios Toarcinſe XLIII. ex meliores, potuiſſetque habere pacem & ſuas terras firmas, & iuſtitiam de malefacto, & ſi accipere voluiſſet redemptionem potuiſſet capere ſol. XL. milia. Vt autem audiuit Comes (cum) lætus eſſe debuiſſet, fuitque triſtis, & tranſmiſit per Hugonem dicens ei: Redde mihi homines. Reſpondit ei Hugo, mihi hæc quare Domine? Ego nihil perdo niſi per fidelitatem tuam. Comes vero dixit. Non eos tibi interrogo propter tuum malum, ſed etiam per hoc quod meus tu es ad facere voluntatem meam. Et vt omnes ſciant per conuentum ergo talem homines recipiam vt tibi finem faciam, & terras tuas firmas, malique facto emendato aut homines ipſos reddam tibi. Fac hoc ſine dubitatione ad meam creditam fidemque meam, & ſi deprehenderit tibi malè, ſcire poteris quod ego traditionem tibi factam habeo. Miſitque Vgo in Dominum & in illo, reddiditque homines ipſos Comiti per talem conuentum. Poſtea Vgo homines non habuit, nec rectum, & terram ſuam perdidit. Habuerunt inter ſe conuentum Comes Pictauorum, & præſul Giſlebertus cum Ioſcelino auunculo Hugoni. Fuitque de caſtro vocitato VICVEDONI, vt poſt diſceſſum Epiſcopo Giſleberto eſſet caſtrum Ioſcelini, & in vita ſua fecit Epiſcopus commendare homines de ipſo caſtro ad Ioſcelinum, reddiditque ei turrem, & poſt mortem amborum, fecit Comes conuentum inter Epiſcopo Yſemberto & Vgoni vt eſſet pars media de caſtro Vgoni, medietaſque de cauſa Dominicata, & duæ propter de feuo vaſſalorum. Propterea fecit Comes commendare Vgonem ad Epiſcopo Yſemberto: modo verò tollit curtem meliorem ad eos.

Quidam tribunus nomine Almericus, abſtrahens caſtrum vocitatum SIVRIACVM Bernardo Seniori ſuo, & hoc caſtrum vtendo erat Hugoni ſicut fuerat patri ſuo, pro ira quam tenebat Guillelmus Comes aduerſus AIMERICVM, amonuit Vgonem vt fieret homo ſupradicto Bernardo per ipſam partem de caſtro qui fuerat patri ſuo, & vt ambo acciperent litigationem cum Aimericum. Fuit autem contrarium Vgoni vt eſſet homo Bernardi, facere noluit. Hanc iſtam ammonitonem Comes vno anno tenuit, & quod amplius iraſcebat, tanto maius ammonebat Vgoni, vt fieret homo Bernardi. Tranſacto anno veniens Comes ad Vgonem quaſi iratus dixit ei: Quare non agis conuentum cum Bernardo? Tantum ex me tu es, vt ſi dicerem tibi ruſticum facere in Seniori, facere debueras. Age quid dico, & ſi tibi malè deprehenderit, require mihi. Credidit eum Vgo & homo fuit Bernardi propter quartam partem de caſtro ſupradicto. Dedit autē Bernardus Comitem in pleuione Vgoni, & IIII. hoſtaticos: Dixit Comes Vgoni: commenda mihi hos hoſtaticos: per talem conuentum quod ſi Bernardus, per fidem non attenderit tibi tuas conuenientias, ego eas tibi reddam in captionem, & per fidem ſim tuus adiutor. Sic etiam fortiter promiſit Comes Vgoni, quantum ipſe benè ſit. Miſitque Vgo in credentia Seniori ſuo, cœpitque contentionem validam propter caſtro ſupradicto, & recepit damnum valdè de ſuos homines vel de multas res alias & incoauit illi Comes caſtrum vnum quod vocitatur COACVS, & ei nihil finiuit, ſed fuit locutus cum Aimerico & dimiſit caſtro, nihilque iuuauit Vgoni. Poſtea vero conteſtauit ſe maius Comes cum Aimerico propter caſtro vocitato KASIACO, quem adprehenderat Aimericus, & ſteterunt inſimul Comes & Vgo in contentionem contra eum. Obſedit autem caſtrum quod vocitatur MALAVALLIS pro malefacto, quem faciebat ei Aimericus & cœpit eum, iuuauitque ei Vgo vt potuit. Antequam ſepararet Vgo de Comite, promiſit ei Comes, ſicut debet Senior promittere ſuo homini, rationem, vel finem, vel ſocietatem cum Aimericum non haberet ſine Vgone, & Malauallis factus non fuiſſet ſine ſuo conſilio. Fecitque Comes finem cum Aimerico, & promiſit ei facere Malauallem ſine conſilio Vgoni. Quam diu vixerit Aimericus de res ſupradictas nihil fuit Vgoni. Poſt mortem Aimericum creuit cum filio Aimerico & Vgone magna contentio. Eodem tempore venit Vgo ad Comitem, dixit ei: Male eſt modò mi, ſenior meus, quia de fiſcum, quem feciſti mihi adquirere, nihil habeo. Reſpondit ei Comes.

Digitized by Google

Habeam placitum cum illis vt ſi optimè fecerint ſit bonum : ſin autem, faciam caſtrum quod ego inchoaui. Factumque eſt caſtrum per conſilium Bernardi, qui adhuc adiuuabat Hugoni de contentionem. Homines autem de SIVRIACO vt viderunt oppreſſionem quam faciebat eis Vgo non valentes ſuſtinere, fecerunt finem cum Bernardo & reddiderunt ei caſtrum, recepitque illum ſine conſilio Vgoni. Fuerunt ambo Bernardus & Aimericus in contentionem aduerſus Hugonem, & ipſe ſolus contra eos. Veniens Vgo ad Comitem, dixit ei : Senior meus valde eſt mi malè, quia ſenior quem feci propter tuum conſilium modo mi tollit meum fiſcum. Precor te & ammoneo per fidem quam ſenior adiuuari debet homini ſuo, aut placitum bonum aut fiſcum meum fac mihi habere ſicut impleuiſti aut hoſtaticos meos quos ego tibi commendaui, redde mihi, & inſuper adiuua me, ſicut mihi pleuiſti. Comes autem nihil adiuuauit, nec finem non fecit ei, nec hoſtaticos ſuos non reddidit, ſed abſolutos illos reddidit Bernardo. Et poſt hæc creuit contentio inter Bernardum & Aimericum, & Vgonem. Et quomodo vidit Vgo quod Comes nihil adiuuabat ei, perrexit requirere conſilium Geraldo Epiſcopo Lemouicas, abieruntque ambo in MARCHA ſuper Bernardum Geraldus & Vgo, & ædificauerunt caſtrum vnum. Comes autem qui adiuuare debuerat Vgoni, tulit ei caſtrum, & igne ſuccendit. Præcepitque ipſe & filius eius à cunctis ſuis hominibus vt nemo adiuuaret Vgoni, niſi voluiſſet mori, accepitque conſilium Bernardus cum ſuis hominibus vt malum faceret Vgoni per concilium Comiti, & acceperunt terminum à quindecim dies. In ipſos quindecim dies apprehendit Comes dextras inter Bernardum & Vgonem. Infra treuas tres dies verò direxit ſecum Comes Vgoni in hoſtem ad ASPREMVNDO caſtro, fuitque citiùs caſtro placitatus. Dehinc ambulauit Comes ad BLAVI ad placitum quem habere debebat cum Comitem SANCONEM, duxitque Vgonem vt iſſet cum eo. Reſponditque: Vgo Domine quomodo vocas me ire tecum? Tu ipſe ſcis quo in breue ſunt dextras quas habeo cum Bernardo, & ipſe minat vt mihi faciat mala. Ait ei Comes : noli hoc timere, quandiu mecum eris vt tibi faciant quicquam. Ad vim & ſine voluntate eius duxit eum ſecum. Et dum morarentur ad placitum audierunt homines Vgoni, quod Bernardus ſuper eum veniebat: nunciauerunt Vgoni vt veniret. Vgo vero dixit Comiti, Bernardus ſuper me venit, & dixit Comes. Nolite timere hoc vt auſi ſint ſuperuenire : & iam opus tibi hæc fuiſſet vt venirent, ego confunderem eos, & tibi auxiliarem. In ipſa autem hora tranſiniſit Comes per viros ſuos, direxitque Vgoni in antea, & ſecutus eſt eum. Quando fuit VGO ad LIZINIACO, erat Bernardus ad CONFOLENTIS caſtrum, & captum habebat burgum & barrium, & habebat omnia incenſa, accepta ſpolia, & viros captos, fatiſque alio malifacto. Cucurrit nuntius ad Vgonem, dixit ei. Bernardus obſeſſam habet vxorem tuam in caſtro vetulo qui ſuperat ab igne. Veniens ergo ad Comitem dixit ei : meus ſenior nunc mihi adiuua, quia obſeſſa eſt modo mulier mea. Comes vero nihil ei adiutorium, nec conſilium dedit. Reuerſuſque eſt Bernardus & ſui operati ſunt malum Vgoni & viris ſuis quantum nec accipere poteſt per quinquaginta milia ſolidorum. Et hoc damnum recepit Vgo infra dextras quas præbuit ei Comes ad BLAVIA.

Poſt non multum tempus iuit Vgo ad caſtrum GENTIACO & incendit eum, & cœpit viros ac mulieres, & duxit ſecum omnia. Pergenſque ad Comitem, dixit ei : Domine da mihi licentiam, vt faciam caſtrum, quem ſuccenſum habeo : Dixitque ei Comes : Tu es enim homo FVLCONI, quomodo facias caſtrum ? Ipſe enim tibi requirat, & non valebis tenere quo ei non reddas. Ait Vgo ; Domine quando ego homo fui Fulconi, dixi illi, quod homines ſui tollebant mihi rectum meum : & ſi ego valebam ad eos tollere, feciſſem ; ſed tantum in ſua fidelitate tenuiſſem, quod ego ſic facere volo, & Fulco dixit mei, ſi tu tollis ad eos, mihi tollere noli. Vt audiuit Comes quod talem conuentum habuiſſent Fulco & Vgo, placuit ei. Dixitque Comes Vgoni, fac caſtrum per tale conuentum, vt ſi ego valeo acaptare cum Comite Fulconi de pretio meo & de tuo, vna pars ſit mea, & alia tua. Et fecit Vgo caſtrum. Requiſiuit eum Fulco Comiti, Reſpondit ei Vgo : quando ego fui homo tuus, dixi tibi, quia ſi ego valebam ad inimicos meos tollere caſtellos, tuliſſem, & tenuiſſem in tua fidelitate, & ſic volo facere : quia iſtum caſtrum quem tu requiris ad conſanguineos meos fuit, & rectum habeo meliùs, quàm illi qui tenebant. Et ait Fulco ; Tu qui meus es, quomodo teneas hoc quod ego non dedi tibi

extra meo grado? Requisiuitque Vgo Comiti consilium : Comes verò dixit ei : Si fiducias vult dare tibi vt inimici tui castrum non habeant, non poteris eum tenere. Sin autem tene eum : quia non poterit te accusare. Vgo verò interrogauit hostaticos vt daret ei Fulco, & nullum dedit ei, sed dixit: Ego requiram Comiti, & ad illum dabo hostaticos, & ipse det tibi de suos, versusque est placitus in ira. Requisiuit Fulco castrum ad Comitem Vgoni. Iam non reddam ait Vgo sine fidentia. Dixit ei Comes, Ego faciam fiduciam, & dixit mihi (l. ei) quales? Ait Vgo: Accipe quales volueris ex Comite Fulconi, & da mihi hoc quod requiro : Da mihi illum qui custodit turrem ex METVLO, vt si Aimericus habuerit castrum sine meo consilio, & malum mihi aduenerit, ille homo reddat mihi turrem. Dixit ei Comes, Hoc non faciam, quia non possum : Hugo dixit, si de illam non velis facere, fac de KASSIACO, per conuentum supradictum. Comes autem nec tua, nec alia facere noluit. Visum fuit Vgoni & ad suos vt male tractaret ei Comes. Et partiti sunt in iram. Misit Vgo omnia necessaria in castrum, & voluit eum tenere contra omnes si fiducias non darent ei. Exiuit Comes, extra ciuitatem, rogauit Vgonem ad se veniret, & mandauit ei pro Guillelmo Comite de ENGOLISMA vt mitteret in sua mercede, quia non poterat mutare vt non adiuuaret Fulconi, & timebat perdere aut Fulconem aut Hugonem. Misit se Vgo in credenda & in amicitia Comiti senieri suo, & feciisset pro eius amore, quia ipse erat securus de Fulconem quod male non fuisset ductus. Et ait Comes, Faciat Vgo pro me, & ego portam illi fidem sicut senior portare debet homini suo. Et si malè deprehenderit ei, sciat quod ego traditum habeo eum, & iam amplùs mihi non credat. Et Vgo ait: De multas res habet mihi dictum senior meus similiter, vnde habet me seductum : & non habuit Vgo vllum hominem qui hoc ei consiliaret, vt mitteret in credendam Comiti. Comes autem rememorauit Vgoni omnia bona quæ fecerat ei, & distringens eum cum suo amore, & deprecatione, vel coniuratio, dixit ei: Omnia mittam in tua credentia, tamen caue te ne malè feras me; quia si feceris iam non ero tibi fidelis, neque seruiam tibi, & fidelitatem te non portem ; sed propterea quod ero separatus à te, & fiducias non vales mihi dare, volo vt des mihi feuum meum in hostaticum, quod iam tibi non seruiam, & absolue mihi de illa sacramenta quam tibi habeo facta: dixitque Comes : Voluntarius. Reddidit Vgo castrum Comiti extra voluntatem hominibus suis per talem conuentum, vt Aimericus eum non haberet sine consilio suo, & malum ei non eueniret. Per istas mescredentias auditas, accepit Vgo feuum suum in hostaticum, deditque ei Comes per talem conuentum, quod si ei maleducebat ei de istum conuentum, de GENTIACO nihil seruisset ei iam amplius. Et absoluit eum de sacromentos, vt iam illi re nulla feciisset; propter eos sine vlla maliuolentia reddidit Comes Gentiacum sine consilio Vgoni, pecuniámque accepit, & terram Dominicam: Male ei euenit de interfectos homines, & incensas mansiones factásque prædas, & terras inuasas, & mala multa quæ pro veritate non potest dinumerare. Post istum terminum transactum, dedit Comes respectum Vgoni, & promisit vt benefaceret ei, aut de sua rectitudine, aut de alia quæ illi placuisset. Et transactum terminum nihil illi fecit. Sed mandauit illi, noli adtendere, quia tibi nihil faciam. Et si omnis mundus erat meus, tantum quantum tenet digitus meus, non te dedissem pro hac re. Cum autem audiuit Vgo hoc, iuit ad curtem Comiti, & misit eum in ratione de sua rectitudine, & nihil illi profuit. Contristauit se Vgo, & defidauit Comitem de se, misi de ciuitate sua, & de corpore suo audientibus cunctis, antequam Vgo vel sui homines nullum malum fecissent, adprehenderunt homines Comiti beneficium hominibus Vgoni per nomen de guerra. Vt vidit Vgo perrexit ad castrum KASSIACVM quæ fuit auunculo suo quam Petrus tenebat iniustè, vnde damnum Vgoni veniebat, cepit turrem, & proiecit homines PETRONI : fecitque Vgo pro hoc quia cogitauit habere rectum, quia fuerat patri suo, vel ad aliis parentibus suis quem perdebat. Vt autem audiuit hoc Comes, contristauit se valdè, & mandauit Vgoni, vt redderet ei turrem, quam habebat abstultam PETRONI. Mandauit Vgo Comiti quod redderet honorem patri suo, & alia quæ fuerant parentibus suis vbi ipse rectum habebat, & ipse ei reddidisset turrem, vt omnia quæ intus fuerant adprensa, & totam illam honorem quæ fuerat Ioscelino, quæ Comes ei dederat. Considerauit se Comes, & leuauerunt placitum inuicem. Dixitque Comes Vgoni, Non reddam tibi illas honores quas mihi requiris,

Digitized by Google

sed istam honorem quæ fuit auunculo tuo, castrum, turrem, & omnem istum honorem dabo tibi per talem conuentum, vt amplius mihi non requiras illam honorem quæ fuit patri tuo, vel quod aliis parentibus tuis, neque alias causas, quas per rectum tuum requiris. Vt autem audiuit Vgo, dubitauit valdè Comitem, eò quòd per malum ingenium eum in retro habebat in multis deductum, dixit ad Comitem. Non sum ausus facere hoc, quia timeo vt malum me minasses, sicut habes factum de multas alias res. Dixit Comes Vgoni. Ego faciam tibi tales fiducias, vt amplius me non discredas. Dixit ei Vgo; Quales? Dixit Comes; Pro vno seruo tibi ostendam vt portet tibi iudicium, vt non discredas quod illam finem quam fecerimus inter nos bona & firma sit, & pro omnibus causis quæ de retro fuerunt damnum tibi amplius iam non eueniet, sed finis sit adtenta firma sine vllo malo ingenio. Vt audiuit Vgo quod ita dicebat Comes, dixit. Tu es meus senior, non accipiam de te fiduciam, sed tantum mitto in misericordiam Domini, & in tua mercede. Dixit Comes Vgoni; Relinque mihi omnes querelas de retro qnas requirebas, & iura mihi fidelitatem, & filio meo, & dabo tibi honorem auunculo tuo, aut contra concampium tibi valente: Et dixit Vgo: Senior precor te per Dominum & per istum sanctum Crucifixum, qui in figura Christi factus est, vt non mihi facias facere, si in antea tu & filius tuus vultis mihi minare per malum ingenium. Dixit Comes: Ita faciam per fidem ego & filius meus, sine malo ingenio. Dixit Vgo. Et quomodo habuero iuratam fidelitatem; tu requiras mihi castrum Cassiacum; & si non reddidero tibi, tu dicas quod non est rectum vt tibi vetem castrum quæ de te habeo, & si tibi reddidero, tu autem & filius tuus tolletis mihi, quia vos non habetis mihi fiduciam factam, nisi de Domino, & de vestra mercede. Dixit Comes, non faciemus: Et si nos requisierimus tibi, tu noli nobis reddere. Per nomen autem de tali conuentu, vt sicut fini, locuta fuerit, quod Comes & filius suus fidem portasset Vgoni sine malo ingenio receperunt Vgonem ad hominem in fide & in credentia. Et fecerunt Vgoni relinquere omnia quæ de retro requirebat. Et iurauit illis fidelitatem & dederunt illi hononem Ioscelini auunculo suo sicut ipse tenebat illam vno anno, antequam moreretur.

Finis conuentiinter Comitem & Vgonem.

Sequitur in Codice Thuano Vita & Conuersatio glorioſiſſimi Imperatoris CAROLI-MAGNI, *Auctore Ainardo seu Eginharto, quæ sæpe sæpius prælum experta est, nec ad res Aquitanicas pertinet.*

SANCTI MAXENTII
IN PICTONIBVS CHRONICON,
QVOD VVLGO DICITVR MALLEACENSE.

AD ORBE CONDITO AD ANNVM CHRISTI MXLI.

Descripsimus ex Codice membranaceo MS. qui fuit olim Viri doctissimi Ioannis Besly, nunc verò visitur in Bibliotheca V.C. Iacobi Puteani.

INCIPIT Prologus Iulij Flori de Historijs siue de Ætatibus sæculi.

HVIC operi argumentum ideò scribimus, vt ibi attentos & auidiores Lectores faciamus. Quoniam sunt nonnulli desidiosi & pigri & etiam negligentes, nullumque studium nec perseuerentiam legendi habentes, qui cùm accipiunt librum intus & foras aspiciunt, aliquando superficiem deforis, & nihil aliud, & ibidem relinquunt. Aliquando certè, nec nomen auctoris nec caput libri sciunt. Hoc vituperandum est omnibus sapientibus & nos blasphemamus & reprehendimus. Sed hoc rogamus & quærimus cum fortè arripuerint, vel istum, vel alium librum saltim vnam paginam, aut duas vel tres legant & postea clarius & solubilius de eo loquentur. Hunc IVLIVS FLORVS Auctor siue Collector vocauit Flores Historiarum; idcirco quia eundem ordinauit à Nino primo Rege Assyriorum & ab Abraham vsque ad Natiuitatem Christi. Sed quia abhinc vsque ad nostrum tempus collectus est, Chronicum omnium temporum vocitamus. Primus Tomus est de ciuitatibus quibus auctoribus, vel quibus temporibus conditæ sunt, & quot prouinciæ in mundo, vel nomina Episcoporum Hierosolymorum, siue Antiochenorum, Alexandrinorum seu Romanorum sublimium descripta sunt. Ideo posuimus hunc primum quia omnis liber exinde locuturus est. Secundus Tomus complectens duas ætates ab Adam vsque ad Abraham difficiliores quæstiones in Genesim declarat ab initio mundi vsque ad Ismaël. Tertius Tomus continet tertiam ætatem de Patriarchis & regnis & Regibus quomodo rexerunt. Quartus amplectens quartam ætatem de Templo Domini ædificato & Prophetis & quomodo Roma incœpta est. Quintus cingens quintæ ætatis omnia præcipua vsque ad interitum Alexandri magni. Sextus habens præterita quæ fuerunt vsque ad Hyrcanum & Aristobolum fratres: Octauus descendens vsque ad Natiuitatem Christi. Nonus narrat passiones Apostolorum & Martyrum & quomodo Imperatores successerunt; Decimus quomodo Christianitas creuit & pax sanctæ Ecclesiæ venit, & quomodo sancti Doctores & Confessores vixerunt. Vndecimus monstrat in numero & in scripto quomodo defecit mundus. Duodecimus recitat qualiter perrexerunt in Ierusalem liberandam. Tertius decimus docet quomodo liberata est Ierusalem & aliæ plurimæ. Quartus decimus monstrat qualiter defecit mundus & in quantam vilitatem venimus & nihil iam superest nisi vt ad finem mundi & iudicium Domini velimus nolimus, veniamus. Finit prologus; incipit Historia.

HISTORIA est narratio rei gestæ, &c. *Quæ ex Isidoro Hispalensi Episcopo descripta sunt.*

Digitized by Google

INCIPIT Tractatus IVLII FLORI.

CERNENS in mundo, ex quo primus homo creatus est diuersos casus & plurimas calamitates seu bella, atque multa mala propter inuidiam euenire: de quibus omnibus innumeri scriptores & Historici & Tractatores diuersa volumina & multis modis tractauere: vltimus omnium & minimus magno studio & nimio labore atque ingenio volui vnum volumen compendiosè adunare: qualiter qui omnia non potest legere vel habere, quia non sunt libri & multi iam vetustate & obliuione deleti sunt, saltem in hoc paruo opusculo possit multa colligere quæ possint sibi satisfacere & mentem suam ad humilitatem & vilitatem informare & componere. Sed antequam curiosiùs eos legat auctores, ex quibus hæc decerpsimus.

Te duce, CHRISTE, via facilis est ire per omnes
Quod natura negat, varios fessósque labores:
Das qui ausus fragili das grandia vincere posse
Parvula mens trepidat hominum quæ tangere dura
Miraretur tetigisse quidem, gaudet superasse
Si quod enim fuerit dignum laude memorandum,
Nec sibi sed Domino tribuat quæ gesta videntur.
Qui dedit ingenium stolido, qui cuncta gubernat
In cœlis, terris, perque omnia sæcula semper.
Cuius nam auxilio iutus non viribus æquis
Arripui celsos secli transcendere colles,
Quæ vt fuerat calamo pingit per tempora prisca
Æternos replicare dies, ingentia Regum
Tempore quo fuerint vbi talia facta per orbem,
Quique viri fortes, portenta, fames, mala mundi,
Quas dederint clades populis ciuilia bella,
Triuerit externas gentes infanda cupido,
Quos casus regnis tribuit improuida cura:
Hæc cecini breuiter memorans, venerande Sacerdos,
Non ignota canens veterum, sed dicta priorum.

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI.

Primum: De eo quod pene omnes Historiographi texere suas cœperunt historias à Nino Assyriorum Rege.

Secundum: Cur homo nouissimus in creaturis editus sit.

Tertium: Quomodo ad imaginem & similitudinem Dei homo sit conditus: *& cætera omnia, quæ quia vulgò sunt cognita, & ex ijsdem, quos præ manibus habemus, auctoribus, Eusebio, Iosepho, Orosio, alijsque consarcinata sunt, volentes libentes prætermisimus, atque in ijs duntaxat describendis immoramur, quæ singulare nonnihil, atque ad Francicam Historiam accommodatum continent.*

FRANCO & Vasso defunctis Franci Marcomirem & Somnodem de ipsa generatione nobiles sibi Principes constituerunt. Eo quoque tempore multa spolia de vicinis regionibus detraxerunt. Erant autem fanatici & pagani dæmonia muta & surda adorantes. Mortuo autem Marcomire atque Sennone acceperunt inter se consilium, vt sibi Regem sicut aliæ gentes constituerent. Constituerúntque sibi Regem Crinitum Pharamundum filium Marcomiri. Principes tunc temporis & legem habere cœperunt. Tractatores qui eis iudicia iusta iudicarent, & haberent legem, sicut & aliæ gentes. Hi sunt Tractatores eorum his nominibus: Guisouastus, Guisogastus, Arbogastus, Selegastus in illis quæ vltra Renum sunt, id est in Botagain, Selegam & Guidecam.

Mortuo autem Pharamundo Rege Clodionem filium eius Crinitum in regnum statuerunt, ab illo tempore Reges crinitos habere cœperunt. Eo quoque tempore peruenerunt in finibus Toringorum in regionem Germaniæ. Ob hanc causam Germania nomen accepit, eo quòd immania corpora immanésque nationes sunt, id est indomitæ, sæuissimæ, duratæ, prauisque moribus ac ferocissimo corde. Quorum fuisse centum pagos tradidit scriptura inter Renum fluuium & mare. In illo

Digitized by Google

tempore in his partibus circa Renum vsque Ligeris fluuium Romani habitabant. Rex autem Clodio Camararum ciuitatem expugnauit & cœpit Tornacúmque obtinuit vrbem, Romanos neci tradidit & à terrâ ejecit. Tum multis interjectis hæc ex Aimoini libro primo subjungit:

Regem sibi instar cæterarum eligentes nationum Faramundum Marcomiri solio sublimant regio. Cui filius successit Clodio crinitus. Finitimos bello lacessendo Toringorum qui Germaniam incolunt fines depopulantes, castellum quoddam Dispargum nomine occupanti in quo ædem sui constituit regni. Rex augustos regni fines dilatace capiens exploratores à Dispargo trans Reum mittit, & ipse cum exercitu subsequutus Camaracum ciuitatem obsidens expugnauit & cepit. Carbonariam siluam ingressus Tornacum vrbem obtinuit, quoscumque Romanorum obuios habuit neci tradidit. Poststæc Clodione Rege vita decedente, Meroueus eius affinis regni Francorum gubernacula suscepit. Qua tempestate Hunni Galliam vastabant. Erat tunc temporis Præsul Auianus admirabilis Aurelianensi ciuitati cuius meritis & orationibus Hunnorum phalanges Christi omnipotentia prostrauit.

Merouco autem Rege Francorum defuncto Childericus filius eius solio sublimatur regio. Initio regni sui odiosus extitit Francis expulsus ab eis diu exulatus est apud Bissinum Thoringorum Regem. Vnde reuersus restitutúsque in regno consilio Guinomadi Ducis. Bissina filia Bissini Regis abjecto eo à Childerico in matrimonium assumpta est. Ex qua habuit filium nomine Clodouæum qui vt ætate in dies sic etiam morum crescerat probitate.

Interea Childericus Rex dum per 24. annorum curricula Francorum strenuè gubernasset regnum, ex hac vita discessit Huic hereditario iure successit Clodoueus virtutibus bellicis strenuus, &c. *De quo eiusque posteris multa sparsim ex Gregorio Turonensi, Aimoino Monacho, aliisque, quæ non est opus pluribus persequi; cum cuiuis obuia sint.*

Rex inclytus Francorum Dagobertus anno quintodecimo glorioſa functus regni administratione defunctus est, cuius animam quidam solitarius Iohannes nomine de Sicilia vidit eripi de manibus inimicorum à sanctis videlicet Dionysio, Mauricio necnon Sancto Martino.

Regnauitque Clodoueus filius eius pro eo. Huius temporibus extitit Ansoaldus defensor Pictauis Ecclesiæ qui postea Præsul effectus est, Audoenus, Landericus Parisiacæ Præsul, Eligius, Rado & Ado fratres filij Authadi præcellentissimi viri, Germanus Abba, Philibertus, Iudicael qui ambo tempore Dagoberti fuerunt Anno tertio regni Clodouei Ega Præfectus Palatij Clippiaco villa febre vexatus moritur. Post cuius discessum Errhinoaldus Dagoberti Regis ex genitrice consanguineus Majordomus in Neustria est constitutus. Pipinus in Austrasiis euoluto anno defunctus est cui successit Grimoaldus filius suus.

Eo tempore fundatus est locus Floriacensis à Leodebodo Abbate S. Auiani & à prædicto Rege Clodoueo. Qui adunatis nobilibus quibusque viris Domino seruire cupientibus Abbatem instituerunt nomine Rigomarum qui quinquennio expleto ex hoc sæculo transiens successorem accepit nomine Mummolum. Hic quendam innocentis vitæ virum vocabulo Aigulfum Blesensi castro oriundum ad Beneuentanam direxit prouinciam, vt sancti Patris Benedicti corpus exinde transferret in Gallias cunctis mortalibus reuerendum. Cuius ille præcepto haud segniter paruit & sanctissima membra iamdicti Patris cum ossibus sororis eius Scholasticæ Gallijs intulit. *Iterum paullo post*: Circa hæc tempora cum in castro Casſino vbi beatissimi Benedicti sacrum corpus requiescebat ab aliquantis iam annis elapsis vasta solitudo existeret, venientes de Cenomannorum vel Aurelianorum regione Franci, dum ad venerabile corpus pernoctare simulassent, eiusdem venerabilis Patris paritérque eius Germanæ Scholasticæ ossa auferentes, in suam patriam asportauerunt, vbi singillatim duo Monasteria in vtriusque honore Beati Benedicti & sanctæ Scholasticæ constructa sunt.

Anno quarto regni sui Clodoueus cum Nautilde matre sua Aurelianis caput Burgundiæ petiit: vbi aduenientes Pontifices ac optimates generis ipsius & se dominio Clodouei tradentes Nautildis humanissimè tractauit, vtque filio suo fidem seruarent admonuit. Eo anno Nautildis Regina est defuncta, atque in Ecclesia S. Dionysij in eodem quo Dagobertus sepulchro, posita.

Anno

Digitized by Google

Anno quartodecimo ſuſcepti regiminis Clodoueus Rex argentum quo genitor ſuus abſidam ſuper ſepulchra Martyrum Dionyſij, Ruſtici, ac Eleutherij prominentem operuerat, auferre mandauit, & Aigulfo loci illius Abbati tradidit, vt ipſe illud in ſuis & neceſſitatem patientibus, quia fames eo tempore totam penè occupauerat Franciam, diſpenſaret. Viſionem poſtea S. Furſeri, qui adjutoribus Clodoueo Rege, & Patricio Erchinaldo, Monaſterium, quod Latiniacus dicitur, ædificauit, pluribus exponit, ac ſubdit: Cuius corpus idem Erconaldus Patricius accipiens ſeruauit in porticu quadam Eccleſiæ, quam in villa ſua, cui nomen eſt Parrona, faciebat, donec ipſa Eccleſia dedicaretur; quod dum poſt dies viginti ſeptem eſſet factum, ita corpus inuentum eſt illæſum, ac ſi eâdem horâ de hac luce fuiſſet egreſſus.

Igitur Clodoueus filius Dagoberti ex genere alienigenarum Reginam accipiens nomine Baldechildem, prudentem atque elegantem, genuit ex ea tres filios, Lotharium, Chidericum, & Theodericum: habebatque Majorem domus Palatij, virum ſtrenuum atque ſapientem, nomine Erchonoaldum. Clodoueus itaque in regno pacem habuit abſque bello. In extremis vitæ annis amens effectus eſt, vitáque caruit, regnauitque annis decem & ſeptem. Franci quoque Lotharium eius maiorem filium in regno ſtatuunt cum præfata Regina matre. Eodem quoque tempore mortuus eſt Erconoaldus Major domus Palatij.

Franci autem in incerto vacillantes, accepto conſilio, Ebroïno huius honoris curam & dignitatem tradunt. His diebus Lotharius Rex à valida febri correptus, obiit in iuuentute, regnauitque annis quatuor.

Tempore illo quo Lotharius Rex Francorum defunctus eſt, beatiſſimus Leodegarius præcipuus Martyr Auguſtoduno præerat Epiſcopus, ſicut in paſſione ipſius legitur: qui habito conſilio cum Francis de Rege, Childericum eius fratrem regnantem ſuper Auſtraſios, in toto Frãcorum ſublimauerunt regno. Quod videns Ebroïnus, qui Theodericum iuniorem in regno cupiebat leuare, ſuum conſilium retrorſum ſcilicet abiiſſe, Luxouium Cœnobium petiit, vbi & Monachus effectus eſt. Childericus Rex poſtquam quatuor annis regnauit, defunctus eſt: cui ſucceſſit in regno Theodericus frater germanus, qui Ebroïnum abſtrahens à Monaſterio, Majorem Palatij ſub ſe in loco Ercouoaldi conſtituit. Hic eſt Ebroïnus infeliciſſimus, qui beatum Leodegarium per inuidiam poſt amiſſionem oculorum, & poſt abſciſſionem linguæ & poſt multa tormenta quæ ei fecit, gladio decollari iuſſit. Sanctum quoque Gairenum fratrem eius ante eum lapidare fecit. His diebus Aigulfus Monachus, qui corpus ſancti Benedicti in Gallias adtulit, martyrio coronatus eſt. Anſoaldus Pictauienſis Epiſcopus, & beatus Philibertus Abbas claruerunt. Audulfus quoque Abbas Cœnobij beati Adjutoris Maxentij, qui corpus beati Leodegarij Martyris in idem adtulit Monaſterium.

Beatus Vandregiſilus ex illuſtri proſapia ortus, cuius pater Galgiſus, conſobrinus Dagoberti Regis, atque cæterorum Regum extitit, Comes Palatij conſtitutus eſt: ſed terrenæ nobilitati atque Palatinæ renuntians adminiſtrationi, ſponſam ſuam Virginem ipſe virgo permanens, Chriſto ſubarrhauit, ſicque ſanctæ Religioni mutato habitu ſeipſum delegauit, & ad Fontanellæ locum Regi atque Optimatibus eius ignarus, Deo factore perueniens, inuenit eundem locum ſentibus atque ſpinis tanquam ſiluam conſitum; quæ omnia vir ſanctus, Domino cooperante, breui tempore deſtruxit, atque habitabile reddidit. Denique poſt multiplices in ſancta deuotione labores, Fratribus, quos inſtituerat, quorum numerus erat trecentorum, valefaciens, militiâ cæleſti apparente, ad æternam migrauit requiem vndecimo Kalendas Auguſti: cui ſucceſſit venerabilis Lambertus, qui poſteà pro merito Lugduni Archiepiſcopus creatus eſt. Huic in Abbatia ſucceſſit ſanctus Anſbertus, Cubicularius Regis Dagoberti, qui etiam poſteà Præſul Rotomagenſis vrbis efficitur, cuius natalis celebratur quinto Idus Februarij. Eodem tempore Wlfrannus Senonum Pontifex, eius auxilio perrexit verbum Dei prædicare genti Freſiorum, cui præerat Rabodo Dux. Floruerunt eo tempore Hilbertus ſucceſſor Anſberti, Baïnus Epiſcopus de ciuitate Terüanæ, Gando.

Theoderico regnante, viſio terribilis apparuit, quam antiquus hoſtis geſſit in vrbe Biturica, id eſt, anima Baronti Monachi à corpore tranſlata eſt, & reuerſa: Memorare vobis volo, Fratres cariſſimi, per ordinem, quid præſente anno contigit in Monaſterio ſancti Petri Apoſtoli, qui eſt in ſolo Biturico, in ſilua Briona, quem ſanctus Si-

girannus construxit, qui vocatur Languritus. Frater quidam nobilis progenie, Barontus nomine, nuper conuersus venit ad Monachatus ordinem: qui cùm matutinas laudes Deo redderet in Ecclesia cum Fratribus deuotè, mox vt ad lectum suum rediit, repentinâ febre correptus peruenit ad extremum funus. Tunc statim conuenerunt Fratres vt pro eius vita Deo obnixè preces effunderent. Cùm autem ingressi in domum fuerunt vbi Frater æger iacebat, cepit ipse pugnis capillos suos tundere. Stupefacti Fratres ceperunt se signare, & eum frequenter, bis, ter, quater appellare: sed omninò ille nihil potuit loqui, & digito suo eis gulam suam monstrabat, quia tantùm tenuis flatus remanserat in eius corpore. At illi vt viderunt, ceperunt lacrymas indesinenter Deo fundere, & pro eo firmas orationes componere; sicque psallentium Fratrum totâ die nunquam interrupit, vsque dum venit vespertinus ordo, in quo cùm laudes Deo more solito in Ecclesia componerent, ipse Frater sic statim prædefecit in corpore, ita vt iam nullus qui eum videbat, de eius vita temporalem fiduciam habere posset. Sed hæc serui Dei vt viderunt, psallere fortiùs ceperunt, & pro eius anima cælestem rogare conditorem, vt qui eam de Ægypto tollebat, collocaret in æternam regionem. Sic pernoctantes in psallendo peruenerunt ad pullorum cantus: in qua hora, mira ibi apparuit virtus Christi ostensa. Illis psallentibus, expergefactus excitauit se, oculosque aperuit, bis, térque laudes Deo reddidit, & primum verbum ex ore edidit, Gloria tibi Deus, Gloria tibi Deus, Gloria tibi Deus. E contrà, Fratres vt viderunt, gratias Deo agere ceperunt, qui sic suum seruulum reddidisset in corpore viuo. Tunc penè omnes pauore exterriti ceperunt eum interrogare vbi fuisset, & quid vidisset. Ille verò quasi de graui somno euigilans ait: Quando me vidistis hesterna nocte matutinas laudes Christi vobiscum consonare, mox ad proprium stratum reuersus fui: tunc subitò somno adgrauatus obdormiui, & statim in ipso sopore venerunt duo tetri dæmones, quorum aspectus ferre non poteram. Affuit mihi in adjutorium sanctus Raphaël Archangelus in splendore claritatis fulgidus, qui cepit illis prohibere ne in me ampliùs sæuè agerent, & rapido cursu venimus supra Monasterium qui nuncupatur Millebeccus, & ego respexi in ipso Monasterio, & cunctum gregem celebrantem vespertinum Officium, & vnum de Fratribus vidi deportantem olera virentia ad coquinæ officium. Sed & ipse Abbas præfati Monasterij Licodaldus asserebat dicens, quia illâ horâ quando ipse Frater se dixit cum sancto Raphaële ibidem affuisse super ipsam Basilicam, ille æger iacens, & multùm in pectore grauatus vidisse se sanctum Raphaëlem, & ab illa hora de sua infirmitate sanatum. Post illa omnia acta dicit Barontus vt ipsum Monasterium pertransiuimus, occurrerunt nobis alij quatuor dæmones, &c. Facta sunt hæc omnia octauo Kalendas Aprilis, quinto ânno, regnante Theoderico Rege Francorum.

Apud Francorum gentem Pipino vitâ exuto, eius filius Carolus licet per multa bella & certamina de manu Raginfridi principatum sustulit. Nam cùm in custodia teneretur, diuino nutu ereptus, apud Ioienciacum (f. Vinciacum) eum (non) sine magno superauit certamine: cui tamen vnam, hoc est, Andegauensem ciuitatem ad habitandum concessit: cunctam verò Francorũ gentem ipse gubernandam suscepit. Pipinus pater ipsius Karoli, vetulus & breuis appellatus est. Karolus filius eius senior vocatus est & Martellus. Tudites enim mallei dicuntur fabrorum, quorum ictibus cuncta atteritur durities, propterea Karolus Martellus dictus est, qui genuit Pipinum Pium, qui de illa linea generationis eleuatus est primus à Francis in Regem, euacuata linea de genere Faramundi. Pipinum verò Pium sanctus Stephanus Romanus Pontifex consecrauit & vnxit in Regem. Iste genuit Carlomannum & Carolum glorioſum Cæsarem, quem Leo Romanus Pontifex consecrauit & vnxit in Imperatorem in Ecclesia beati Petri Apostolorum Principis, die natali Domini nostri Iesv Christi.

Pipinus per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto Palatij Rex constitutus, cùm per annos quindecim, aut eò ampliùs Francis solus imperaret, finito Aquitanico bello quod contra Gaiferum Ducem Aquitaniæ ab eo susceptum per continuos nouem annos gerebatur apud Parisium morbo intercutis aquæ diem supersititibus liberis Carolo atque Carlomanno, obiit.

Post Caroli Magni acta ex Eginarto atque Ademaro, hæc subiiciuntur: Iste Rex magnus ædificare fecit Cœnobium Carrosum, & cepit anno ab Incarnat. Dom. DCCLXIX. & Rotgerius Comes cum eo in honore sancti Saluatoris. Ædificauit & alia sex, ad

Digitized by Google

similitudinem septem Ecclesiarum quæ in Apocalypsi leguntur; Cœnobium Rodonense, Cœnobium Villæ-lupæ, vbi quando aliquis Frater obierit, tabula percussa à pluribus auditur, &c. *Sequuntur nonnulla de eodem Rege ex Adrevaldo, Ademaro, aliisq;* Errat verò turpissimè in istis: Carolus iste duos filios habuit ex Hildegarde Regina. Primogenitus eius fuit Drogo, qui factus est Metensium Episcopus: alter Ludouicus, qui ei succedit in regno, &c. Hilbodus & Frobertus Abbas sancti Florentij fuerunt Ludouici tempore.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCXVI. Domnus Ludouicus Imperator, Indictione x. anno Imperij sui tertio Aquisgrani habito Concilio iussit fieri Regulam Canonicis, vt sicut Monachi respiciunt ad librum Regulæ sancti Benedicti, sic perlegant Canonici inter se librum vitæ Clericorum: quem librum Amalarius Diaconus ab Imperatore iussus collegit ex diuersis Doctorum sententiis; dedit ei Imperator copiam librorum de Palatio suo, vt ex ipsis ea quæ viderentur congrua, exciperet, & ita cum Episcoporum decretis qui ibi fuerunt, vita Clericorum roborata est. Scripsit eidem Imperatori Amalarius librum de diuinis Officiis, & de varietatibus eorum, & de ordine Psalmorum ad Clericorum vsum antiquum.

In illo tempore Rabanus Magnentij Monachus doctissimus, Magister (*immò discipulus*) Alcuini, Imperatori ipsi porrexit librum valdè mirabilem de Theologia sanctæ Crucis. Beda enim doctus à Benedicto Abbate & nutritus docuit Simplicium, & Simplicius Rabanum, qui à transmarinis oris à Domino Imperatore Carolo susceptus est, & Pontifex in Francia factus. Item Rabanus docuit Alcuinum, & Alcuinus Smaragdum imbuit; Smaragdus autem docuit Theodulfum Aurelianensem Episcopum, Theodulfus verò Heliam Scotigenam Engolismensem Episcopum. Helias autem Henricum. Henricus Remigium & Vobaldum eiusdem Monachos heredes Philosophiæ reliquit. *Verùm pleraque ex iis, præsertim quæ de Rabano dicta sunt, à vero prorsus abludunt.*

Visio subsequens apparuit fratri Guetino in Monasterio sito in regione Alamannorum gentis, vocabulo eorum Auua, temporibus Francorum Ludouici Principis nomine Gubernatoris etiam Romani Imperij, sub Abbate prædicti Monasterij Heidone, pridiè ante transitum Francis prænominati, &c. De quodam etiam Geraldo Comite dixit idem Angelus, quòd in requie esset gloriæ meritum adeptus. Zelo, inquiens, in defensione sanctæ Ecclesiæ infidelium turbis congressus temporalis vitæ dispendia est passus, ideò æternæ vitæ est particeps factus, &c.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCXXX. Basilica sancti Hilarij Nobiliaco dedicatur, & corpus sancti Iuniani illuc transfertur à Mariaco villa. Quam translationem fecerunt Abbas Godolenus, adjuuante Sigibranno Episcopo, & Fulcone Abbate sancti Hilarij. Huic Sigibranno Episcopo succedit Ebroinus Episcopus. Verùm piissimo Augusto Ludouico carnis onere spoliato, regnum Francorum quod ex diuersis nationibus solidum corpus fuerat effectum, trifariè diuiditur atque à tribus eiusdem Imperatoris filiis ad regendum suscipitur, & maior quidem natu Clotharius Franciam cum Italia, Ludouicus Saxoniam, omnémque Germaniam, Karolus autem iunior Burgundiam cum Aquitania accepit. Sed vt de regnis taceam, bellisne attrita decreuerint, in pace continua aliquanto floruerint, nostræ partis ærumnas breui eloquio excurrere libet.

Karolo regni non minimam assequuto partem, infortunium iunctum rempublicam maximo profligauit damno. Ac primò Marchisis Britannici limitis inter se grauiter per duellionem dissidentibus, bellum oritur lugubre vtrique parti. Quamuis Rainaldo decumbente victor Lambertus extiterit, non adeò tamen victricia ab hoste retulit signa, dum millia suorum prospexit oppetisse satellitum, atque aduersus Erueum repetens primum natorum Rainaldi arma ob vindictam paternæ necis resumentem, eundem malè depugnantem, deiectum, telisque confossum neci tradidit. Hoc dissidij genere bellatoribus vtrumque pereuntibus, penè omnis illa regio defensoribus nudata, præda gentibus patuit externis. Brictonum siquidem natio limitem transgressa antiquum, Namneticam regionem, Andegauensem quoque in Meduanam vsque fluuium, vastando cædibus atque incendijs redegit potestatem. Obstiterat quidem Lambertus iam pridem id admittentibus: sed iussu Regis loco cedens Britonibus explere conatus permisit barbaricos.

Præterea Normani gens Aquilonaris nostro generi plus æquo percognita, non

Digitized by Google

iam piraticâ exercendo, sed liberè terras nullo resistente peruadendo, omnem oram maritimam pessumdedit, atque, vt veriùs dicam, in vastam redegit solitudinem. Fuerunt eorum pessimi conatus sæpè à Ducibus illarum regionum sibi succedentium frustrati, Lamberto scilicet, atque Rotberto, necnon Ranulfo: sed illis variâ sorte pereuntibus, omnis ferè Neustria, quæ à Gennabi vrbe per transversum Lutetiam vsq; Parisiorum pertingit oppidum, Normanicæ patuit feritati. Irruptionibus namque creberrimis cuncta vastando circumeuntes, primò pedites quidem, eò quòd equitandi peritia deesset, deinde equis euecti more nostrorum peruagantur. Interea stationem nauium suarum, ac si asylum omnium periculorum in insula quadam S. Florentij subpositâ, componentes: mapalia quoque instar ædificare burgi, quo captiuorum greges catenis astrictos adseruarent, ipsique pro tempore corpora à labore reficerent expeditioni illicò seruitura. Ex qua inopinatos discursus agitantes, modò nauibus, modò equis delati, totam circumquaque deleuêre prouinciam.

Et primò quidem aduentantes vrbem Namneticam, incendio cremauerunt: deinde Andegauensem percurrentes regionem, ipsam quidem ciuitatem concremant. Pictauorum castella atque vicos, omnémque patriam à mari vsque ad eandem Pictauim vrbem populantes vastant, cædibus replentes omnia.

Sequenti tempore nauigio Turonum veniunt, eámque de more stragibus opplentes, ad postremum ignibus tradunt, populatâ circumquaque regione. Haud longè post superiora Ligeris amnis nauibus expetentes, Aurelianis perueniunt, captámq; vrbem auro distrahunt.

Egio tunc temporis Præsulatum præfatæ vrbis gerebat, sicque ad tempus recedentes secundo aduentu prædicta ciuitas combustione dissipatur ab eis, matre dumtaxat Ecclesiâ, quæ in honorem sanctæ Crucis, iubente Constantino Augusto, à B. Euertio Præsule sacrata erat, studio bonorum hominum remanente.

Quid deniq; solius Neustriæ cladem memorando stilũ protrahimus, aut solæ quatuor memoratæ vrbes excidij damna sensêre? Quid Lutetia Parisiorum nobile caput prætendens quondam oppidi, fertilitate soli, incolarũ quietissima pace, quam non immeritò Regum diuitias impiorũ dixero populorum, non magis ambustos cineres, quàm vrbem nobilem potis est cernere? Quid proinde Bellouagus? Quid Nouiomacum, & ipsæ quondam Galliarum nobilissimæ vrbes, nonne & ipsæ Normanicis irruptionibus concidere? Piget referre Cœnobiorum nobilissimorum, tam virorum quàm feminarum Deo deuotè seruientium excidia, stragesque, non ignobilium plebium captiuitates, matronarum & virginum ludibria, ac cuncta quæ victores inferre valent tormentorum genera.

Quid Aquitaniæ ingentem referam afflictionem? Quæ olim bellorum nutrix, nunc frigidam bello præfert dextram, suisque optimos quosque genitalis soli in sese elidens patet nunc præda gentibus alienis. Ab ipso quoque, vt ita loquar, Oceani littore Orientem versùs Aruernum vsque clarissimam veteri tempestate Aquitaniæ vrbem nulla libertate retineri valuit regio, non oppidum, aut vicus, aut denique ciuitas, quæ non strage ferali conciderit Paganorum. Testatur id Pictauis quondam fœcundissima vrbs Aquitaniæ: hoc Santonicum: hoc Engolisma: hoc Petragoricum: hoc Lemouicas: hoc certè Aruernus terminus eius barbarici gladij, ipsumque Auaricum caput regni Aquitanici proclamant: nullâ scilicet bellica obuiante manu hostili grauiter sese concidisse incursu.

His itaque huiuscemodi malis per triginta ferè annorum curricula Galliis non absque piaculo quorumlibet detritis, cultus quoque diuinæ Religionis quomodo processerit, vtrum necne floruerit, in promptu est cuilibet, licet tardioris ingenij mortalium persentiscere. Hæc de excidio iocundissimæ patriæ breuiter literis mandasse libuit.

Rege iam dicto Carolo regnante, fames admodum grauis vniuersas occupauit Gallias: clades etiam ex infectatione Paganorum non modica totam Oceani incolentem littora attriuit gentem. Sed vt tertiam, iuxta Prophetam, orbis experiretur plagam, graues immissæ sunt bestiæ, quæ famem cladémque effugientes barbaricam, hianti ore exciperent.

Igitur Pipinus Rex Aquitaniæ filius Ludouici Imp. obiit, sepultus apud sanctam Radegundem Pictauis. Hic iussu patris fecerat Monasterium S. Ioannis Baptistæ Angeliaco, in quo Monasterio translatum est caput sancti Ioannis Baptistæ, cum

Digitized by Google

tribus Innocentibus. Quod cùm euenisset, libet breuiter narrare.

Regnante Pipino Rege Francorum, Patricio Romanorum, Stephano Papa residente in sede Apostolica, cuidam viro religioso Sacerdoti ac Monacho nomine Felicio, qui orationis gratiâ in illis diebus Hierosolymam ab occidentali parte adierat, Angelicâ visione dictum est: Felici, surge, concitus perge ad ciuitatem Alexandriæ, & inuenies ibi Ecclesiam in honore sancti Ioannis Baptistæ consecratam, vbi caput eius cum tribus paruulis Innocentibus reconditum est: quod accipiens, transfer in partibus Galliarum, in regione Aquitaniæ, in loco quem tibi ostendero. De qua visione certus expergefactus reuerendus senex, gaudio amplissimo repletus, pergens vico vbi iussus fuerat, cuncta reperiens, rectori sui itineris grates innumeras rependit, properansque ad locum, thesaurum sibi à Deo destinatum accipiens in vnius sportellæ concluſit sinu, statimque retrò iter arripiens, iunctis sibi sociis Fratribus suis qui cum eo abierant septem, vallansque regionem omnem illam, clàm perueniens ad littus maris, inuenit nauem cum remigiis ac gubernaculo à Deo paratam. Illicò ingressus est cum thesauro, & magni pretij margaritis; nauiganteſque prosperè, & Domino ordinante peruenerunt ad portum qui appellatur Engolinse. Quo tempore in pago Alnisij pugnauerat Pipinus cum Gandalis: in quo prœlio perdidit de nobilibus viris viginti. Qui admonitus per visionem vt pergeret obuiam sanctis Reliquiis, mox cum exercitu & mortuorum corporibus perrexit. Qui simul cum omnibus Dominum deprecatus est, vt sui, quos perdiderat, meritis Sanctorum, quorum ossa deportabant, resuscitarentur; quod & factum est. Dehinc beatus Felicius & socij eius, cum venerando Rege Pipino, inter cætera Dominum deprecabantur, vt eis salubre consilium suggereret ad sancta membra locanda; ædificanteſque Basilicam, & in ea ciborium cum sex columnis lapideis mirifici operis benè compositis non longè à Wltumnis littore passus (vt arbitror) centum: in quo cum aromatibus & plurimis bonorum odoribus condientes caput sancti Ioannis Baptistæ almi Præcursoris Christi, & beatorum Innocentium in hoc ciborio concluserunt.

Construxit quoque idem Rex Monasterium S. Cypriani, quod est in prospectu Pictauis: Monasterium Brantomense, & transtulit canonicalem habitum in Monasterio S. Eparchij Engolismæ; quibus Monasteriis præfecit Martinum.

Circa hæc tempora constructum est Monasterium S. Pauli Cormaricensis ab Alcuino, & cæteris sanctis Canonicis.

Anno DCCCXXIII. Abbo Abbas, & Gudacher Prior præerant Abbatiæ S. Maxẽtij.

Prœlium factum inter Carolum & Clotharium fratres apud Fontanetum, anno ab Incarn. Dom. DCCCXLI. abhinc Caroli Calui regnum.

Anno DCCCXLIII. ciuitas Namnetica à Normannis capitur vice prima, prodente eam Lamberto perfido Comite, qui à fidelitate Francorum Regum ad Nomenoïum Britonem se contulerat: qui etiam ipsius consilio in Britannia regnum vsurpare ausus est.

DCCCLI. Nomenoïus Britannorum tyrannus potiùs quàm Rex, cælitùs percutitur, cui successit vsurpatiuo in regno Erispoïus filius eius.

Anno ab Incarn. Dom. DCCCLV. Lotharius moritur, filius Ludouici Imperatoris, qui fuit filius Caroli Magni, priùs factus Monachus in Monasterio Prumiæ S. Saluatoris, ob peccatum persecutionis paternæ.

Anno DCCCLVII. Herispoïus filius Nomenoij Rex tyrannicus Britonum, à Salomone occiditur.

Anno DCCCLVII. Dominus Herardus ordinatus est Turonẽsium Archiepiscopus.

Anno DCCCLVIII. Hic generali Synodo in ciuitate Turonica habitâ, quædam necessaria SS. Canonum capitula excerpsit, quæ firmiùs custodienda sanxit XVII. Kalendas Iunij.

Anno secundo post mortem Ludouici, Carolus & Ludouicus regnum partiti sunt sibi, & post duos annos venit Imperatrix mater Caroli Calui Turonis, obiit, sepulta apud sanctum Martinum.

Ipso anno Rainaldus Comes Arbatilicensis cum Lamberto Namnetis Comite congressus, occisus est, & Namnetis eo anno à Winfaldingis capta est. Et Carolus Caluus primò Britanniam ferro & igne vastauit.

Sequenti anno Bernardus Comes Pictauinus, & Arueus filius Rainaldi, con-

greſſi cum Lamberto Comite, occiſi ſunt.

Alio anno Siguinus Comes Burdegalenſis & Santonicenſis à Normannis captus, & occiſus eſt, & Santonas à Normannis igne concremata eſt, theſauris eius optimis exportatis. Karolus iterum Britanniam pergens cum Nomenoio Duce dimicat, & victor fuit, Nomenoio fugato.

His temporibus Normanni diffuſi ſunt per Aquitaniam, quia Duces eius inter ſe bello diſſidebant, nec erat qui eis reſiſteret, & concremata eſt ab eis Hero inſula (*846 menſe Iulio*) & Monaſterium Deas, Burdegala, Santonis, Engoliſma, Lemouicas, Pariſius, Turonis, Beluagus, Nouiomagum, Aurelianis, Pictauis, & innumera Monaſteria, & caſtella deſtructa poſt mortem Ludouici Imperatoris.

DCCCLI. Karolus tertia vice Britanniam igne & ferro vaſtauit, & dum in Aquitaniam reuerſus eſſet, Nomenoius Dux Redonas ciuitatem, & Namnetis capiens deſtruxit eas, & in Britanniam repedauit.

Anno ſequente, iubente Deo ab Angelo percuſſus interiit, & Karolus Caluus quartò Britanniam ingreſſus cum Eriſpoio filio Nomenoij dimicauit (vndecimo Kalendas Septembris) victor extitit: ſed magnam partem exercitus ſui cum Viuiano Duce amiſit.

Et ſequente anno Lambertus Comes Namnetenſium (Kalend. Maij) à Gaubertо Comite Cenomanenſium in bello occiditur, & Karolus quinta vice Britanniam vaſtauit, & Pipinum nepotem ſuum ibi politum adquirens, Britanniam ſibi ſubjugauit, occiſo Eriſpoio.

Ramnulfus Comes quoque Pictauenſis (pridie Nonas Nou) & Ramo Comes Arbatilicenſis conſanguineus eius cum Normannis in Briliaco villa dimicantes fugati ſunt, & Gaubertus Dux Cenomanenſis (menſe Martio) inſidiis Namnetenſium circumuentus occiſus eſt.

Karolus verò 15. anno poſt prælium Fontaneticũ in Regem Lemouicæ vnctus eſt in Baſilica S. Saluatoris, & inde ingreſſus eſt in Franciam. Poſt paucos dies Lotharius Imp. Monachus factus eſt, quia patrem in carcerem ejecerat: quo mortuo, de anima eius altercatio viſa eſt inter Angelos nequam & ſanctos: dæmones autem fruſtrati ſunt. Paruo poſt tempore Ludouicus filius eius obiit, & Karolus Caluus in Imperatorem eleuatus eſt, qui conſtruxit Monaſterium ſancti Petri Parciacenſis.

Temporibus Salomonis Regis & Ducis Cornubiæ, corpus S. Matthæi Apoſtoli tranſlatum eſt in vrbem Legionenſem, & conditum in Eccleſia S. Pauli Epiſc. Inde poſt quadraginta & octo annos tranſlatum eſt in Lucaniæ partibus.

Anno ab Inc. Do. DCCCLV. Normanni milliario prope Pictauum interfecti ſunt.

Anno 9. poſt hoc, id eſt, DCCCLXIII. Pictauis à Paganis vaſtata eſt, & Baſilica ſancti Hilarij igne cremata eſt.

Sequente anno Stephanus Comes Aruernorum à Danis interfectus eſt. Eodem anno, id eſt, DCCCLXIV. cùm nomen gentis Normannicæ apud noſtrates nec auditum foret, repentè de vagina ſuæ habitationis exiens, cuncta per piraticam à mari Britannico depopulata eſt loca: nauibuſque longis alueum ingreſſa Ligeris, Namneticæ properat ad mœnia vrbis ſpeciem præferens multitudinis negotium exercentis. Dies tunc feſtiuus cunctum ad Eccleſiam inuitarat populum; nam erat ſancti Præcurſoris natiuitas, nec erat ſuſpicio bellici tumultus, & intrabatur portis ſemper patentibus. Sanctus etiam Gouardus Pontifex in Eccleſia B. Petri Apoſtoli ſuper aram Ferreoli Martyris, quæ eſt ad læuam eiuſdem ædis, reuerenter ſacris inſtabat Miſſarum ſolemniis. Igitur nullo prohibente ingreſſi Normanni, ſub veſtibus arma celant, gladioſque ſub vmbra: intranteſque Eccleſiam, enſes denudant, ipſumque Pontificem *ſurſum corda* dicentem, iuxta ſacram victimam obtruncant: bacchantéſque per populum nulli ætati parcendum putant, ipſáque vrbe vaſtatâ, Eccleſiáque incensâ, cum grandi captiuorum multitudine, & pretioſa captiuitatis ſupellectile naues conſcendunt, & in inſulam quandam contubernium faciunt. Inde eruptionibus crebris maritimis, ind. fenſis oris, multâ formidine preſſos incolas, ignotas cogunt perquirere terras.

Sequenti anno (hoc eſt DCCCLXV.) Pictauis igne ſuccenſa eſt.

Anno ab Incarnatione Domini DCCCLXVIII. (*lege* DCCCXLV.) beatiſſimi Majoli corpus iuſſu ſereniſſimi Regis Karoli in Monaſterium ſanctæ Dei Genitricis & ſemper Virginis Mariæ, beatiq; Petri Principis Apoſtolorum, quod antiquitùs Foſ-

Digitized by Google

ſatenſe appellatur, digno cum honore tranſlatũ eſt. Quod ſanctus Pontifex Æneas in ipſo Monaſterio ſuſcipiens, in arca ferrea ad hoc ipſum prę parata recondidit officio. Eodem anno pridiè ante ſanctam Pentecoſtem, tertio Kalendas Iunij ordinatus eſt famulus Dei Gauzlinus primus Abbas poſt reſtaurationem Monaſtici ordinis in Cœnobio S. Mauri, in Eccleſia S. Saluatoris, ante Altare quod ipſe ædificauerat in honore individuę ac viuificæ Trinitatis, à ſummo Pontifice Turonicæ vrbis Orſmaro, aliiſque duobus Epiſcopis: quem etiam ipſo anno primùm quidem Ebroïnus Antiſtes in Eccleſia Pictauienſi ad ordinem Diaconatus, Dodo autem Epiſcopus in Eccleſia Andegauenſi ad Preſbyterij promouerat dignitatem gradus.

Quo tempore grauiſſimè Normanni affligebant Aquitaniam, & Helias Scotigena Engoliſmenſis Epiſcopus defunctus eſt. Monaſterium quoque beati Eparchij ab infeſtantibus Paganis deſolatum eſt, itavt ibi nullus Monachorum habitaret, & hac de re Canonicalis habitus ibi reuerteretur, qui nuper exierat.

Turpio verò abiens in Franciam cum Rege Carolo, & inde regreſſus non poſt multos dies cum Normannis congreſſus, occidens eorum Regem nomine Maurum, ab eo ipſe occiditur; & Emeno frater eius Engoliſmæ Comes extitit, & ipſe poſt biennium cum Landrico Comite Santonenſi confligens, interempto Landrico, in caſtro Ranconia reducitur ſaucius, & octauo die moritur, ſepultus iuxta Baſilicam B. Eparchij, & reliquit paruulum filium Ademarum nomine. Et Carolus hoc audito, Vulgrinum propinquum ſuum, fratrem Aldoïni Abbatis ex Monaſterio S. Dionyſij direxit, & præfecit eum Engoliſmæ, & Petragoricæ, & Olibam ſtatuit in Epiſcopatu Engoliſmæ.

Anno DCCCLXVII. Ludouicus filius Caroli Aquitaniam venit.

Anno DCCCLXIX. Lotharius filius Ludouici (lege Lotharij) Imperatoris obiit. Sequenti anno fuit Vienna Carolo data.

Anno DCCCLXVIII. Carolus Bituricas vaſtauit fame.

Anno DCCCLXXII. Cluſenſe Cœnobium ſancti Michaëlis inceptum eſt.

Anno DCCCLXXV. Eclipſis Solis facta eſt mirabilis horâ nonâ.

Anno DCCCLXXVI. Fames valida per omne regnum Franciæ incubuit. Cometa viſa eſt menſe Iulio, & eclipſis Solis fuit mirabilis quinto Kal. Nou.

Interea Carolo Caluo de ſæculo migrante, eodem anno regnũ in Francia pro eo filius eius Ludouicus Balbus accepit: nec vltra Imperiũ accepit aliquis de Regibus Franciæ. Tunc Bajoarij & Alamanni ex gente eorũ creauerunt ſibi Regem Othonem (*imò longè pòſt*) Anno DCCCLXXVII. Langobardi ſimiliter ex gente ſua Regem Adalbertũ, deinde Arduinũ; Romani verò de Senatoribus eleuauerunt in regno Albericũ, cuius Frater Benedictus Papa ordinatus eſt poſt Sergiũ, qui Ioanni ſucceſſit. His ita euenientibus deſtructa Monaſteria erant, de quibus libet aliqua memorare. Monaſteriũ S. Martini Vertauenſis, quod ipſe primus ædificarat, euerſum erat. Monaſteriũ S. Martini Turonenſis, quod ipſe S. Martinus incepit, deſtructũ erat. Cœnobium S. Mariæ Lucionenſis, quod Lucius quidam Imperialis incepit, & poſteà S. rexit Philibertus, deſtructum erat. Cœnobium S. Michaëlis ad Eremum, quod S. Anſoaldus Pictauenſis Epiſc. ædificauit, deſtructum erat. Monaſterium S. Hilarij, & Cœnobium ſanctæ Crucis, quod beata Radegundis Regina conſtruxit, deſtructa erant. Cella S. Benedicti Quinciaci deſtructa. Cœnobium S. Sauini, & caſtrum in quo eſt, quod Carolus Magnus iuſſit ædificari, inuiolabile manſit ſolum, cæteris multis deſtructis, quæ non occurrit nominare.

Anno DCCCXC. Ramnulfus Comes Pictauinus obiit.

Anno DCCCXCII. Viſa eſt Cometa in cauda Scorpij per dies fermè 80. quam ſubſecuta eſt validiſſima ſiccitas toto Aprili & Maio. Quarto autem Idus Maij, & 17. Kal. Iulij ita immenſa gelu vineas & ſigalum decoxit, vt per omnem Franciam, Burgundiam, Neuſtriam, ac partem Germaniæ modicum quid colligeretur.

Anno DCCCC. Obiit Hecfridus Epiſc. Pictauenſis, cui ſuccedit Froterius.

Anno DCCCCII. Pictauis nocte ingreditur Eblus. Erat Abbas apud S. Maxentium Ademarus.

Anno DCCCCIII. Baſilica S. Martini Turon. quam S. Perpetuus olim ædificauerat, cremata pridie kal. Iulij, quam poſtmodum noſtrâ ætate Herueus Theſaurarius reædificauit. Recapitulatio verborum ſupradictorum.

Anno DCCCXXXVIII. Pipinus Rex Aquitanorum obiit ante Ludouicum patrem ſuum Imp.

Tunc eclipsis Solis fuit, & Dominus Ludouicus obiit 12. Kal. Iunij an. DCCCXL. sepultus Metis apud S. Arnulfum. Remanserunt tres filij eius, Lotharius Imp. Ludouicus Rex Germaniæ, & Carolus Rex Franciæ & Burgundiæ: qui pro regno Aquitaniæ inter se discordantes, bellum committunt in Fontaneto, quod est in Burgundia: Lotharius ex vna parte cum exercitu Italiæ, Carolus & Ludouicus ex altera cum Francis & Aquitanis.

Anno DCCCXLI. fuit hoc bellum post mortem Ludouici, & primùm quidem Lotharius victor fuit: sed subitò Garinus Dux cum Tolosanis & Prouincianis superueniens, bellum restaurauit, & fugatus est Lotharius.

Anno DCCCXLIV. claruerũt Sergius Papa (cui Leo succedit, Benedictus, Nicolaus, Adrianus, Ioannes) Amalricus Turonus, Dodo Andegauinus, Godo Pictauinus, Bernardus Lemouicus, Amardus Petragoricus, Autbertus Engolismensis, Actardus Nãnetensis. Vicesimo anno ex quo Episcopi Britanniæ sese à Turonica Metropoli diuiserunt, perrexit iste Actardus Romã transmissus à Synodo Suessionica, pręsente Herardo Archiep. Turono, intimare cupiẽs Papæ Nicolao tertio à Leone, qualiter non solùm Episcopi supradicti Turonensem Archiep. nequaquam recognoscerent Metropolitanum, verumetiam Princeps eorũ Herispoius colla de sub iugo Caroli Calui filij Ludouici omninò excussisset. Hunc Actardum deposuit Nomenoius Princeps Britannicus de sua sede, & in loco eius Gislardum substituit. Quam ob rem à Leone Papa epistolis & verberibus plenis (fortè verbis acribus) vehementer increpatus est. Sanctus Gujardus trucidatus est à Normannis in ciuitate sua Namnetica.

Posteaquam isti Normanni ciuitem Namneticam ceperunt, non paruo tempore in ea habitauêre, & exinde egressi, proximas regiones vastando prædauerunt; superueniens verò alia classis Normannica, vbi audiuit eos in ciuitate ipsa residere, omnesque Prouincias circumquaq; quasi in proprium ius vindicasse, misit nuntios suos ad Erispoium Britannicum Principem, mandans ei vt congregato exercitu veniret, iunctique simul supradictos Normannos à ciuitate expellerent. Herispoius hæc audiens, Namnetum pergens, & adjuuantibus sibi Normannis iam dictæ classis ciuitatem obsedit. Illis autem deintus haud segniter se defendentibus, pugna grauis vsq; ad noctem deducitur, sauciatusq; est in illo certamine Sidric Comes prætatæ classis. Nocte verò sequente pacem fecerunt inter se Normanni cum insulanis. Insulanos ideò dico, quia in insula quadam Becia nomine, sub ciuitate Namnetica sua magalia exstructa habebant. Mane autem facto, mare ingressi, per Sequanam fluuium superiores Franciæ partes agere cupientes petierunt: sed nefandissimi eorum conatus omninò frustrati sunt; nam à Carolo Caluo ibi congressi, & vsque ad internecionem omnes deleti sunt. Eo anno apparuit in Francia stella, quæ dicitur Cometes, diebus viginti, & fames tritici horribilis per Franciam, Burgundiam & Aquitaniam, itavt non essent qui sepelirent cadauera morientium, sed se inuicem homines manducarent.

Anno DCCCLXVIII. Reædificatum est Monasterium S. Mauri, & primus ibi ordinatus est Gauzlinus Abbas à summo Pontifice Orsmaro Turonensi.

Anno DCCCLXIII. Corpus S. Vrbani Papæ translatum est.

Anno DCCCLXVIII. Cœptum est Cœnobium S. Michaëlis ad Clusam. His diebus inceptum est Monasterium S. Pauli Cormaricensis, vbi primus extitit Iacob.

Defuncto Rege Ludouico regnum pro eo filius eius Carolus cognomento Insipiens, vel Minor, accepit anno DCCCCXIII. (lege DCCCXCIII.) & Remis factus est Rex. Hic fuit follus, qui postea à Rotberto dejectus est regno Francorũ: nam Franci coniurantes eum eiiciunt de regno, & Odonem Aquitaniæ in regno eleuauerunt.

Quo tempore Rodulfus Rex Burgundiæ cum fortissimo hoste Lemouicinum appulit, & congregati sunt contra eum innumerabiles hostes Normannorum, & commisso prœlio in loco qui dicitur, ad Destricios, vsque ad internecionem deuastati sunt Pagani, & exinde fugientes, non vltra fiduciam præsumpserunt veniendi in Aquitaniam. Rodulfus autem Deo gratias retulit, pro quo animam suam posuerat, cum magno triumpho regressus est, & Normanni reuersi, terram vacuam reperientes, sedem sibi in Rotomago constituunt cum Principe suo Rollo; qui factus Christianus, qui captiuos plures antè decollare fecit in honorem Deorum quos coluerat, & deinde infinitum pondus auri per Ecclesias distribuit Christianorum in honore veri Dei, in cuius nomine baptismum susceperat.

Ramnulfus

Rannulfus quoque Comes Pictauensis habuit filium nomine Eblum. Qui Rannulfus consanguineus erat Willelmi nobilissimi Comitis Aruernorum, summamque amicitiam cum eo & cum Rollo Principe Normannorum habuit. Et quia pugnator fortissimus erat, à Rege Odone valdè honorabatur & dum regalem aulam assiduaretur, veneno necatur. In extremis Geraldo ibi tunc præsenti paruulum filium suum Eblum commisit tuendum. Ademarus autem filius Emmenonis Sancia in coniugio copulata Alduino Comiti Engolismensi, & Vvillelmo Petragoricensi familiarissimus existens honore eorum ac si frater potiri videbatur. Qui à Rege Odone vocatus ad palatium prouectus est Pictauis Comes. Regressusque à palatio sanctus Geraudus clam subductum filium Rannulfi Vvillelmo Aquitaniæ Duci Comiti Aruernis credidit nutriendum, qui propinquus erat.

Recapitulatio istorum verborum supradictorum.

Anno DCCCLXXVII. Carolus Caluus Imperator Romanorum & Rex Francorum obiit, & filius Ludouicus regnum susceptt & eclipsis solis mirabilis facta est hora nona.

Anno DCCCXC. Ramnulfus obijt.

Anno DCCCXCII. visa est Cometa.

Anno DCCCXCIII. Odo Rex Pictauis venit.

Anno DCCCC. Obijt Heefridus Episcopus Pictauinus & Froterius ordinatur.

Anno DCCCCII. Eblus Pictauis nocte ingreditur.

Sequenti anno erat Abba Ademarus S. Maxentij, Basilica S. Martini Turonensis quam sanctus Perpetuus olim ædificauerat, cremata est prid. Kal. Iulij quam postmodum nostra ætate Herueus Thesaurarius reædificauit. Constituit enim Cœnobium Monachorum S. Petri Pruliaco castro, vbi primus Abbas fuit Amblardus.

Anno DCCCCX. Vvillermus Dux Aquitanorum constituit Cluniacum Monasterium in fundo proprio, quod est in Burgundiâ nouiter fecit, qui cùm non haberet prolem & sororem suam in matrimonio desideraret sancto Geraldo coniungere nullatenus quiuit qui cœlibem vitam ducens semper, cùm ad copulam suaderetur amore filiorum, respondit: vtile est, inquit, sine filiis mori, quàm relinquere malos hęredes.

Erat etiam Ademarus Comes Pictauinus amator sanctæ Ecclesiæ, cúmque & ipse prolem non haberet cum vxore sua Sancia de futuro sæculo prospiciens sibi, concessit quædam ex iure proprio Ecclesiis Christi prædia: sancto Saluatori Karrofo Noertam, sancto Martiali Vvltonnum, sancto Ioanni Neiriacum, sancto Hilario Corcolmum, sancto Eparchio Godorullam.

Eo tempore Ebbo Bituricus cœpit ædificare Cœnobium Dolense in honorem Dei Matris. Quod postea integrauit filius eius Rodulfus, vbi primus Abbas fuit Berno, cui successit Odo, Frambertus, Rannulfus, Arbertus, Bernardus, Emeno.

Similiter Sanctus Geraudus Comes Aureliaco suum Cœnobium constituit in proprio iure vbi iterum primus Abbas fuit Berno. Vvillelmus Comes Cluniaco sanctum Bernonem primus Abbatem instituit, qui postquam subditis suis bene ministrauit, in eo Monasterio defunctus est ac sepultus.

His diebus Otho Rex Bajoariorum Langobardorum regnum sibi subegit. Similiter defuncto Alberico consensu Benedicti Papę Romanorum Imperator promotus est. Quo defuncto imperauit filius eius Otho.

Francorum verò Rege Odone obeunte regnauit pro eo filius Arnulfus pauco tempore & mortuus est. Itemque Carolus minor regnum susceptt vnxitque eum Arbertus Episcopus. Contra quem iteratò Francorum proceres conspirati cum regno pellentes Rotbertum Ducem pro eo constituunt Regem. Tunc interse diuisi sunt Franci; sed maior pars fauebat Rotberto. Recapitulatio verborum.

Apud Carnotum anno DCCCCXI. prælium est die Sabbati contra Paganos per Ricardum & Robertum Duces, & perempti sunt fortissimi Paganorum sexies mille & septinginti.

Anno DCCCCXVII. Rainaldus Abbas Nobiliaco obiit, & Rottardus ordinatur.

Anno DCCCCXVIII. Willelmus Dux Comes Aruernorum obiit.

Anno DCCCCXIX. Karolus follus à suis relinquitur. Postea accito auxilio ab Othone (melius Henrico) Imperatore, cum multo exercitu, partim de Bajoariâ, partim de Franciâ, regressus Franciam, conserto prælio Rotbertum interfecit, regnúmque recuperans Hugoni filio Rotberti Ducatum permisit regendum.

UNIVERSIDAD DE SEVILLA BIBLIOTECA DERECHO

Anno DCCCCXXI. Ricardus Dux obijt.

Anno DCCCCXXIII. (*errat vt in multis alijs locis, scribendum* MXXIX) obijt domnus Fulbertus Episcopus Carnotensis Ecclesiæ mirabilis Doctor modernorum temporum tertio Idus Aprilis.

Anno DCCCCXXI. Ricardus Dux obiit & Rotbertus Dux Franciæ vnctus est in Regem à Galterio Senonum Episcopo (*falsum*) qui eodem anno occisus est à militibus Karoli Lotarienſibus & Rodulfus Dux Burgundiæ vnctus est in Regem Franciæ à supradicto Archiepiscopo. Temporibus huius fuit septimo anno Abba Ermenfredus Sancti Maxentij.

Karolo migrante, Ludouicus Vltramarinus filius eius regnum susceptt: quando Rotbertus tyrannus occisus est à Lotarienſibus militibus. Eo tempore Hungari in Burgundiam venerunt.

Ipsis diebus Ademarus Comes Pictauinus defunctus est, & Pictauis iuxta Basilicam Sancti Hilarij quarto Kalend. Aprilis sepultus est.

Interea Vuillelmo Duce mortuo Eblus filius Ramnulfi Aruernis & Pictauis simul Comes commotus est; Acceptáque in coniugio Adela filia Rolli Rothomagensis genuit ex eâ Vuillelmum Caput-stupæ & Episcopum Ebulum. Eblo Duce defuncto, filiorum eius alter Episcopus factus est. Ebulus enim annuente Ludouico Rege, Pontifex Lemouicæ ciuitatis factus est, Vuillelmus verò Caputstupæ Aruernis, Vellatis, Lemouicæ & Pictauis Comes prouectus Dux Aquitanorum & Consul extitit. Hic germano suo Ebulo Abbatiam sancti Hilarij & sancti Maxentij, cum nonnullis possessionibus in Pictauensi solo præbuit. Fuit enim Ebulus bonus Pastor Ecclesiæ, ædificauitque castellum Lemouicæ sedis, castellum sancti Hilarij & Canonicos ibi disposuit, quia infestatione Normanorum idem locus à pristinâ Monachorum habitatione desciuerat. Restaurauit Monasterium sancti Maxentij & castellum in circuitu perfecit. Restaurauit Monasterium Sancti Michaëlis ad Eremum & multa alia laudabilia in opere Dei egit. Qui defunctus sepultus est in Basilica supradicti Angeli. Fuit autem successor Turpionis Episcopi auunculi Rotberti Vicecomitis Albunensis. Fuit autem Ebulus à sancto Martiale trigesimus nonus.

Eodem tempore adhuc viuente Turpione Odo & Teuthelo Canonici S. Martini, illustrissimi adimplentes Euangelicum præceptum derelictis omnibus suis pauperes pauperem Christum secuti sunt, & Cluniaco sancto habitu & vita induti sunt. Vnde nutu Dei Odo Abba præfuit sanctissimus sicut in sequentibus dicemus. Teuthelo iubente Abbate suo Archiepiscopus inuitus consecratur Turonis quinquagesimus primus à sancto Gariano, successit Herbertus Episcopus.

Recapitulatio verborum.

Anno DCCCCXV. Berno Abba suscepit curam Cluniacensis Cœnobij quam tenuit XI. annis. Obiit autem Idibus Ianuarij, regnante Ludouico Rege. Anno Ludouici Regis sexto, erat Garbertus Abbas sancti Maxentij.

Eo tempore DCCCCXXVI. anno instante & Ludouico regnante, Odo Abbas Cluniacum Monasterium suscepit regendum.

Anno DCCCCXXXVI. Erat Ebulus Episcopus & Abbas sancti Maxentij.

Anno DCCCCXXXVII. Ordinatus est Albinus Episcopus Pictauis.

Tempore illo Rollo defuncto filius eius Vuillelmus loco eius prefuit à pueritiâ baptizatus, omnisque multitudo quę iuxta Franciam habitabat, fidem Christi suscepit, & gentilem linguam omittens Latino sermone assuefacta est.

Guillelmo ab Arnulfo Flandrensi Comite interempto filius eius Ricardus succedens Christianissimus factus ædificauit in ea Normannia, quæ antea vocabatur Marcha Franciæ & Britanniæ, Monasterium sancti Michaëlis de Monte, vbi Monachos ordinauit. Item aliud Monasterium Fiscanum in honore Sanctæ Trinitatis, vbi sepultus est, vbi quoque Monachos posuit, & Vuillelmum Abbatem eis prepositt, cui successit Ioannes, & alius Vuillelmus.

Ipsi quoque Principi Ricardo filius eius Ricardus, & huic alius Ricardus: huic quoque Robertus frater eius, qui Vuillelmum genuit ex eâ, quæ fuit filia Pelletarij Burgensis. Eo tempore inceptum erat aliud Monasterium de sancto Michaele de Clusâ à sancto Ioanne Episcopo & Eremita, vbi primus Abba fuit Arueus. Quæ duo Cœnobia Monachorum Angelica iussione facta sunt, & creberrimè ab Angelis nimijs & fulguris & miraculis simul illustrantur.

Digitized by Google

Eo quoque tempore constructum est Monasterium Sancti Florentij in Salmuro castro ab initio regni Karoli filij Ludouici. Quo regnante, facta est destructio Monasterijs Florentij: à Nomenoio Britone vsque ad Abbatem Fredericum, qui illud Monasterium reædificauit & apud Salmurum alterum quod nunc est nouum constituit, computantur anni CLXXXIII. Illud in Salmuro castro institutum est hortatu & iuuamine nobilis & præcellentis Tetbaudi, in quo cum magno populorum ambitu idem Comes transtulit sanctissimum Florentium Confessorem, ac propriis rebus, tam de alodis, quàm de aliis monilibus facultatibus honorare curauit. In quo etiam Monasterio quendam Sancti Benedicti alumnum Amalbertum nomine Abbatem constituit. Iste Tetbaudus pater fuit Odonis Comitis & Hugonis Archiepiscopi. Huic Amalberto dedit idem Comes locellum Sancti Lupantij, adjuuante Arduino Archiepiscopo Turono, cui Abbati successerunt Rotbertus, Audebertus & Giraudus, qui in via Sancti Sepulchri decollatus est.

Anno DCCCCXXXVIII. Obijt Odo Abbas Cluniacensis (cuius temporibus claruit Turpio Episcopus) decimoquarto Kalend. Decembris atque Turonis sepultus est in Monasterio sancti Iuliani duodecim annos in Abbatia existens. Eodem anno succedit Aimarus humilis Abbas, Ludouico regnante.

Anno DCCCXLII. apparuit Cometa in Orientali parte cœli, mense Octobri per viginti duos dies sub obscuro capite longam faciem velut funem trahens post se, paulatim ad meridianam partem tendens contra Subsolanum.

In sequenti anno subsecuta est pestis boum ingens per totam Germaniam, Franciam, Burgundiam, Italiam, quæ diu non tenuit.

Tertio verò anno tertio Kal. Maii vineæ exustæ sunt à gelu: eodem tempore venerandus Abbas Aimo S. Ioannis Baptistæ Monasterii, sanctique Cypriani, quod est situm in prospectu ciuitatis cum Rainaldo Monacho familiari suo transtulit corpus S. Reuerentii à Noiastro castro Pictauis in Monasterio S. Radegundis: cui Aimoni successit ipse Rainaldus in Abbatia & postea eundem sanctum transtulit cum consilio Vvillelmi Ducis Aquitanorum in supradicto Monasterio S. Ioannis Baptistæ Angeriaco. Quod Cœnobium ipse Dux multũ diligebat & magnis honoribus ditauerat.

Francorum interea Ludouico Rege vita exeunte regnum pro eo Lotarius filius eius ex Gerberga Regina progenitus suscepit. Iste Lotharingiam calumniatus est. Cuius expeditionibus Gosfridus Comes Andegauorum pater Fulconis vltimi interfuit, nostræque ætatis multi viri.

Eo tempore corpus Sancti Matthæi Apostoli & Euangelistæ Salernum à Lucaniæ partibus tempore Gisulfi Regis translatum est.

Recapitulatio verborum supradictorum.

Anno DCCCCLIV. corpus Sancti Matthæi translatum est. Eodem anno obiit Ludouicus & Lotarius regnare cœpit.

Sequenti anno obsedit Pictauis ciuitatem cum Hugone Duce. Ipso anno mortuus est Hugo (*Niger*) Dux (*Burgundiæ.*) In tertio obiit Hugo Dux (*Francorum*) & Abbas Sancti Martini, filius Roberti pseudo-Regis.

Anno DCCCCLXI. Regnante Lothario erat domnus Ebulus Episcopus & Abba Sancti Maxentii regens Abbatiam.

Hoc tempore extructum est Cœnobium Sanctæ Mariæ & Sancti Vincentii sanctique Leodegarij Martyris, quod est situm super Seuera. *S. Lydaure sur Seure.* Eodem tempore Cœnobium Sancti Leodegarij Aruernis Ebrolii Cœnobij, vbi Abbas fuit Amblardus, cui successerunt Bernardus, Emmo, Raimundus, Girbertus, Vvillelmus, Gosfredus, Teptardus. Nobiliaco Fulco Abbas ordinatur.

Ipso anno Majolus Abbas sexto anno ordinationis suæ suscepit curam Cluniacensis Cœnobii.

Sequenti anno obiit Alboinus Episcopus, cui successit Petrus.

Interea Vvillermo Duce cognomento Caput stupæ effecto Monacho apud sanctum Cyprianum, Ducem pro eo filium eius Vvillermum habuit Aquitania, qui filiam Tetbaudi Campanensis, vocabulo Emmam, siue Emelinam, accepit vxorem, genuitque ex ea filium, iterùm nomine Vvillermum. Quæ nobilis Comitissa extruxit Monasterium in dote sua Burgulium in honore Sancti Petri Apostoli, vbi primùm Abbas extitit Girtbertus.

Willelmus Comes Caput stupæ reliquit Monasterium, & veniens apud sanctum

Digitized by Google

Maxentium, obiit ibi in pace. Vvillelmus verò filius eius cognomento Fera brachia succeſſit ei.

Recapitulatio annorum ſupradictorum.

Anno DCCCCLXII. obiit Alboinus ſucceſſor Froterij.

Anno DCCCCLXIII. Obijt Vvillelmus apud Sanctum Maxentium, vbi erat Odo Abbas.

Anno DCCCCLXVIII. Erat Ramnulfus Abbas poſt Odonem.

Anno DCCCCLXVIII. Erat Conſtantinus Abbas Sancti Maxentij poſt Ramnulfum.

Eo tempore Idibus Maij in maxima parte huius regni, in omnibus ferè villis, in quibus Eccleſiæ ſunt, cęleſtis ignis ſine tonitruo ac turbine non hominem neque pecus lædens cecidit, & in quibuſdam locis dęmones in forma luporum ad imitationem caprearum balantes apparuerunt.

Anno DCCCCLXXIII. Erat Girbertus Abba Sancti Maxentij, qui multa acquiſiuit.

Anno DCCCCLXXV. Obijt Petrus Epiſcopus Pictauinus, cui ſucceſſit Giſlebertus Epiſcopus.

Anno DCCCCLXXVIII. Otho Imperator apud Pariſium fuit, ſed Franci fugauerunt eum.

Anno DCCCCLXXXIII. Obijt Otho Imperator, cui ſucceſſit Otho tertius filius eius & nomine & actu.

Sequenti anno tres Apoſtolici apud Romam mortui ſunt.

Anno DCCCCLXXXV. Obijt Hugo Bituricus Archiepiſcopus.

Sequenti anno Lotharius Rex Lemouicam adijt & tempus aliquantulum in Aquitania egit. Vnde reuertens veneno à Regina ſua adultera extinctus eſt, Ludouicúmque filium reliquit qui vno tantùm regno ſuperuiuens, & ipſe potu malefico necatus eſt. Iſte puer adhuc Blanchiam accepit vxorem: in quo etiam Reges defecerunt de familia Magni Karoli, & Karolus Patruus Ludouici pro eo Regnum Francorum accipere voluit, ſed non potuit, quia Deus iudicio ſuo meliorem elegit. Nam Franci inito conſilio eum abiiciunt, & Hugonem Ducem filium Hugonis Regem eligunt cum filio ſuo Rotberto.

Recapitulatio annorum ſupradictorum.

Anno DCCCCLXXXVI. Obijt Andegauinus Gosfredus Comes, pater Fulconis vltimi, duodecimo Kalendas Auguſti, in obſidione Marſonis ſuper Odonem Rufinum factâ, & ei ſucceſſit Fulco.

Anno DCCCCLXXXVIII. Igne ſuccenſus eſt Karrofenſis.

Anno DCCCCXCIII. Bernardus Abba emit Curtam de Marriaco.

Anno DCCCCXCIV. Sanctus Majolus obijt Siluiniaco peracto vitæ ſuæ curſu felici: ibi ſepultus eſt in Monaſterio Apoſtolorum Petri & Pauli, & fuit ſucceſſor Beatus Odilo non diſpar virtutibus & merito vitæ, vixitque in Abbatia feliciter triginta & tribus.

Eo tempore apud Majus Monaſterium Turonis poſt reſtaurationem Normannorum & poſt Sanctum Majolum qui eum regebat, primus Abba fuit Guitbertus, cui ſucceſſerunt per multorum annorum curricula Bernerius, Goſbertus, Siegardus, Eurardus, Audebertus, Bartholomeus.

Anno DCCCCXCVI. (*fortè ſcriptum erat* DCCCCIIIXC.) Hugo Dux cum filio ſuo Rotberto leuantur in regno. Hac de cauſa Epiſcopus Montis Leudonenſis Aſcelinus maiori Hebdomada ante Paſcha in quâ eſt Cœna Domini, velut Iudas Chriſtum, tradidit Karolum. Qui Aurelianis truſus in carcerem vſque ad mortem, ibique genuit Karolum & Ludouicum, & mortuus eſt, & expulſi ſunt à Francis filij eius, & profecti ſunt ad Imperatorem Romanorum, & habitauerunt cum eo.

Sanè Dux Aquitanorum Vvillermus reprobans nequitiam Francorum Hugoni ſubditus eſſe noluit: vnde factum eſt, vt Hugo exercitu Francorum adunato vrbem Pictauim obſidione fatigaret, dúmque fruſtratus abſceſſiſſet cum Aquitanorum manu Vvillermus inſecutus eſt vſque Ligerim, vbi in graui prælio Franci decertantes & Aquitanorum animoſitates multo ſanguine alternâ cæde fuſo ſuperiores Franci extiterunt, & ſic reuerſi ſunt. Pacem poſtea habuit Willelmus cum Hugone, & filio eius Rotberto.

Digitized by Google

Rex Hugo cogitans erga se gratiam Dei quasi rependens vicem, defensor clementissimus extitit Ecclesiæ Dei. Nam ob hanc causam creditur progenies Karoli reprobata, quia iamdudum Dei gratiam negligens Ecclesiarum potius neglectrix quàm erectrix videbatur. Beati ergo Dionysii Cœnobium, quod iam pristinam normam Monasticam corripuerat, Rex Hugo regulari honestate, sicut in Dei oculis rectum erat, honestans, restauravit per manus venerabilis Odilonis Abbatis, & alia Sanctorum nonnulla Monasteria in decorem pristinæ disciplinæ revocavit.

Eo tempore gravissimum bellum inter Vvillermum Ducem & Gofredum Andegavensem Comitem peractum est. Sed Gaufredus necessitatibus actus Vvillermo Duci se subdidit, séque in manibus præbuit, & abeo Losdunum castrum cum nonnullis aliis in Pictavensi pago beneficio accepit.

Ea tempestate Otho Imperator tertius cogitans lucra Christi, vt ante tribunal iudicis duplicatum redderet talentum, Dei voluntate populos Hungariæ vnà cum eorum Rege ad fidem Christi convertere meruit.

Girbertus verò natione Aquitanus, Monachus Aureliacensis Sancti Geraldi Ecclesiæ, causâ Philosophiæ primò Franciam, deinde Cordubam lustrans cognitus ab Imperatore Archiepiscopatu Ravennæ donatus est: procedente tempore, cum Gregorius frater (cognatus) Imperatoris decessisset, iste Girbertus ab Imperatore Papa Romanorum sublimatus est propter Philosophiæ gratiam: mutatum est nomen eius pristinum & vocatus est Silvester. Girbertus enim docuit Fulbertum Carnotensem Episcopum qui post Leobinum extitit Episcopus. De quo multa scripta, vel in pagina, vel in cantu Sanctę Ecclesiæ remanserunt. Hic iterum Fulbertus docuit Berengarium Canonicum Sancti Martini. Qui item Brunonem Remensem & alios multos heredes Philosophiæ reliquit. Bruno quidem perfectus Philosophus Monachus factus & Eremita apud Calabriam multorum Monachorum pater obiit in Christo.

Præfectus Romæ Crescentius cum contra Othonem Imperatorem vellet imperium arripere Romanum, tandem coactus in turre quæ vocatur in Cella diu evasit, sed expugnata ipsa turre captus est insidiis suæ coniugis, & patibulo suspensus, & pro eo planctus magnus factus est.

His ita evenientibus Turonis Arduino Episcopo mortuo succedunt Archimbaudus & Hugo. Similiter Lemovicæ civitati Audoino Episcopo succedunt Geraudus, Iordanus, Willermus atque Vvido. Eodem modo Engolismæ Gundaberto subrogati sunt Fulcaudus, Ebbo atque Ramnulfus.

His diebus supradictis apud Burgulium Cœnobium in quo diximus primum patrem Monachorum esse Gaubertum, cui temporum spatijs successerunt Beno, Rainaudus, Teudo, Raimundus, Ioannes, Balduinus atque Guitbertus. Simili modo Girberto Abbati (Sancti Maxentij) successit Bernaudus, qui recepit donum ab Aldearde Vicecomitissa de Cœnobio Sancti Leodegarij quod erat antiquitus iuris sancti Maxentij post sepulturam mariti sui Arberti Vicecomitis & pro anima sua & filij Aimerici.

Hugo quoque Rex Francorum amator Sanctæ Ecclesiæ & servantissimus æqui, mortuus est, & regnum pro eo filius eius Rotbertus vir claræ honestatis & magnæ pietatis, ornamentum Clericorum, nutritor Monachorum, pauperúmque pater assiduus, verè cultor Dei, Rex non tantùm populorum, sed etiam morum suorum.

Similiter Otho Imperator haustu veneni periit sine filiis, & pro eo consanguineus eius Hinricus imperium suscepit. Siquidem Arbertus Coloniæ Archiepiscopus, expirante Othone in partes Capuæ, sceptrum & coronam auream cum lancea sacrâ secum afferens ab Hainrico circumventus insidiis captus est & Imperatoris prævenientus honoribus. Hainricus verò in imperio confirmatus cum Langobardos sibi reperisset contrarios, misso Rodulfo Duce Burgundiæ Papiam obsedit, & incendio tradidit, & palatium in ea sibi ædificavit & rebellantes sibi servire coëgit. Duces quoque Græcorum cùm partes eius invaderent, ordinata expeditione, partes Apuliæ penetrans tot dies expugnando eorum civitatem ibi exegit, vsquequo pestilentia exercitus eius laboraret, sicque reverteretur. Hic in terra Theodisci à novò civitatem ædificavit vocabulo Baemburg, quam Benedictus Papa in honorem Dei Genitricis consecravit, & parochias in circuitu ex Paganorum vicis & oppidis, dum converterentur ad illam, attitulavit. Hic Cluniacensi Cœnobio contulit dona, sceptrum aureum, coronam auream, sphæram auream, vestimentum Imperiale, Cruci-

fixum aureum, penſantia ſimul libras centum & alia multa : & cum Odilone Abbate eiuſdem loci crebrius colloquium familiare exercebat, & in aula palatij ſui eum præ omnibus diligebat. Huic conjuncta fuit in matrimonium Alaidis nobiliſſima quæ conſtruxit Monaſterium Paherne in honore Dei Genitricis Mariæ ſemper Virginis. Ex qua habuit filium quem vocauit nomine ſuo Aimricum. Anno milleſimo obiit Alaidis Imperatrix.

Anno milleſimo tertio primum donum fuit Malliaco Cœnobium conſtruendi à Vvillermo Comite.

Anno milleſimo quinto Gaufredus Comes cognomento Martellus filius Fulconis Comitis Andegauorum natus eſt pridie Idus Aprilis.

Anno milleſimo decimo Romæ præſidente Sergio Papa & Rotberto Francorum Rege regnante, Vvillermus Dux Aquitanorum conſtrui præcepit Cœnobium in honore ſublimium Apoſtolorum Petri & Pauli quod vocatur Malliacum. Quod pleniſſimè, vt decuit, ditauit magnis reditibus, multiſque poſſeſſionibus, & quod maius eſt, excellentibus reliquiis Sanctorum. Dehinc pluribus adunatis fratribus regulariter viuentibus præfecit eis Abbatem nomine Theodelinum, deditque ſancto Maxentio quandam villam quæ vocatur Celeſium, quando corpus Sancti Maxentii delatum eſt Pictauis ad concilium ſexto Idus Martii, tempore Bernardi Abbatis & Giſleberti Epiſcopi Pictauorum.

Interea defuncta coniuge Vvillermi Ducis Aquitanorum, ex quâ ſuſceperat Vvillermum, idem Dux ſororem Sancii Ducis Gaſconiæ Briſcam nomine in vxorem copulauit ſibi quæ ei duos filios genuit Odonem & Tetbaudum videlicet, qui puer mortuus eſt ; & alter nomine Conſul & Dux Gaſconiæ eleuatus eſt. Amore iſtorum filiorum & pro remedio animæ ſuæ dedit item ſancto adiutori Maxentio aribannum in villa Sancti Maxentij tempore Rainaldi Abbatis.

Anno MXIV. Obijt Conſtantinus Abbas Sancti Iuniani Nobiliaci, cui temporaneus extitit Letaudus Abba, & alij multi, ſed inter alios præcipuus Muſicus & Cantor : huic Conſtantino ſucceſſit Imo.

Eo tempore Theodelinus Abba MXIV. tranſtulit oſſa Sancti Rigomeri Preſbyteri à Cenomanico pago temporibus Fulconis & Hugonis Comitum.

Anno MXVI. Fuit prælium Ponteliuis inter Hugonem & Fulconem Conſules pridie Kalend. Iulij, & victoria penes Fulconem fuit.

Anno MXX. Monaſterium Sancti Nicolai apud Andegauum fundatum eſt.

Anno MXXIII. Obijt Hugo Archiepiſcopus Turonenſium quarto Idus Maij, cui ſucceſſit Arnulfus nepos eius.

Interea defuncta Sancia conjuge Guillermi Ducis duxit tertiam nomine Agnetem, ex qua iterum ſuſcepit geminos filios, Petrum cognomine Acerrimum, & Gaufredum qui & Wido vocatus eſt.

Anno MXXV. Captum eſt Salmurum caſtrum à Fulcone & Gelduinus fugatus eſt. Tunc Fredericus Abba quarto anno ordinationis ſuæ & fratres qui cum eo erant, rapuerunt de medijs ignibus libros & quædam ornamenta Eccleſiaſtica, & accipientes corpus Sancti Florentij & reliquias ceterorum ſcriptas, pergunt ad Eccleſiam Sancti Hilarij, ibique per aliquot annos in paruis tugurijs more hoſpitum degentes Eccleſiam iſtam nouam ædificare cæperunt. Quæ cum perfecta fuiſſet, conuocauit venerabilis Abbas Fredericus Arnulfum Epiſcopum Turonenſem & Humbertum Epiſcopum Andegauenſem, Iſembertum Pictauenſem atque Gauterium Namnetenſem, & dedicatum eſt ab eis Idibus Octobris.

Eo tempore apud Caſtrum Liziniacum habuit quædam nobilis matrona nouem filios tempore Hugonis Bruni domni ipſius Caſtri, filij Hugonis Albi, qui fuit genitus Hugonis Kari, qui extruxit primus caſtrum.

Per hæc tempora Ermengaudus Comes Hildergenſis, poſt triumphos copioſos de Mauris & Saracenis prælio inito vltimo innumerabilem ſtragem Saracenorum interficiens, dum victor regreditur aliam exercitum Maurorum offendit venientem. Quem cum paucis ſuorum laſſus perſequens multos eorum occidit & ipſe cecidit. Caput verò eius Saraceni pro magno theſauro ſecum aſportauerunt : quod aromatizatum Rex eorum auro cooperuit & ſemper ſecum in prælijs ferebat cauſa victoriæ.

Anno MXXIV. Obijt Hainricus Imperator.

Anno MXXVI. Ordinatus est Gulferius post Rainaldum, qui vnum annum solum viuens obijt & Amblardus successit ordinatus ab Isemberto Episcopo successore Gisleberti.

Anno MXXVIII. Sacrosanctæ Ecclesiæ Dei sceptrum regente Rotberto Rege & Guillermo Duce in Aquitania orta est tempestas inaudita apud nos magna in Sabbato octauo Idus Iulij.

Eodem anno Guillermus & Gaufredus Vicecomes Toarcensis quosdam seruos & ancillas dedit sancto Maxentio in Celescio villa supradicta.

Sequenti anno post multa & laudabilia facta ipse Dux Guillermus Monachus factus apud Malliacum plenus dierum in senectute bona obiit in pace pridie Kalendas Februarij. Vixit autem septuaginta & vnum annos.

Anno MXXXII. Combustio ciuitatis Andegauæ prima nostrorum temporum est facta quinto kalendas Octobris. Eo tempore, vt ferunt, Fulco filius Gaufredi ædificauit Monasterium supradictum sancti Nicolai ciuitatis Andegauinæ. Quod similiter, vt diximus de Malliaco bene ornato, & multis fratribus adunatus ibidem primus Abba extitit Hildinus. Huic quoque succesſit Emmo, Airaudus, Nathalis, Lambertus atque Ioannes.

Per hæc tempora, defuncto Benedicto Papa successor ei extitit Nicolaus, in cuius consilio Berengarius fuit accusatus de fide Christianâ, & post accusationem iurauit se credere, sicut fides Catholica habet. Huic succesſit Alexander & sedem Romanam regendam feliciter suscepit. Cui similiter respondit & de fide sua rationem reddidit.

Eo tempore fuit Concilium factum Pictauis de fide Catholicâ, Rege Rotberto concedente, vt per omnes ciuitates fierent Concilia. Inter cætera ergo accidit, vt in Pictaua vrbe, sicut diximus modò, Concilium ageretur. Duce nobilissimo Vvillermo videlicet & Isemberto vrbis illius Episcopo; Iordane Lemouicensium Præsule atque Arnaldo Petragoricensis regionis, & diuersorum ordinum Christianorum Abbatibus videlicet Monachis & Clericis, necnon & fidelibus populis. Cum igitur de pluribus tractarent, statuerunt vt si quis homo res sanctæ Dei Ecclesiæ fraudulenter ac violenter possideret, quas iniustè rapuerat, cum summo studio restitueret, & vt terras Monachorum integras liberásque persoluerent.

Fulco Comes pergens in Ierusalem in eadem via defunctus est, sicut dicitur. Huic succesſit Gosfredus filius eius in Comitatu.

Igitur Guillermo Duci sæpedicto Guillermus Pinguis filiorum eius major natu succeditin principatu. Qui quarto anno post mortem patris habens certamen cum Gaufredo Martello, conuenerunt in prælium simul: vbi vtriusque exercitus conueniens ad prælium iuxta Monasterium sancti Iouini ad Montem Cœrium magnis animositatibus certatum à Pictauis & Andegauinis. Tandem Guillermus Dux traditur & capitur duodecimo kalendas Octobris.

Anno MXXXIII Aimricus post mortem Rotberti leuatus est in Regno.

Anno MXXXV. (supra MXXXIII.) Vvillermus captus est in prælium.

Anno MXXXVI. Imo Abbas sancti Iuniani obiit & succedit Ricardus.

Eodem anno ciuitas Andegaua combusta est igne.

Isembertus Episcopus Pictauis fecit Synodum, vbi magnam pacem firmauit. Qui cum Eustachia vxore Guillermi Comitis aliquantulum expoliauit Monasteria auro & argento, vnde redimerent eum. Qui postea paucos dies viuens finem vitæ sortitus est. Vxórque eius similiter defuncta, ipsa quidem apud Sanctam Mariam Pictauis sepulta, & ipse cum patre apud Malliacum humatus est. Isembertus quoque Episcopus postea pergens Romam, obiit in via apud Paueiam ciuitatem peregrinus.

Anno MXXXVI. kalendis Octobris ciuitas Andegaua horribili conflagrat incendio. Nihil enim in ea intra muros vrbis incombustum remansit. Nec ipsa manet Ecclesia sedis Episcopalis. Sed de suburbio cum toto Monasterio sancti Albini maxima deperijt: imo nihil quoque eius euasit præter pauculum quod alijs Monasterijs hærebat, vt ignis ardere non posset.

Anno MXXXVII. Dedicatio Ecclesiæ Carnotensis Sanctæ Mariæ fuit facta decimosexto Kalendas Iunij.

Vvillermo Comite mortuo, Pictauenses in magno angore & anxietate positi de

morte principis sui sicut ōues siue pastore relicti Odonem Comitem germanum eius ex patre supradicto ab Gasconia conuocauerunt.

Eodem tempore Gastinenses Germundum castrum construentes auxilio Andegauorum Guillelmo Partiniacensium in eodem castro Principe.

Per hæc tempora Gaufredus Martellus duxerat vxorem supradictam (Agnetem) causa Pictauiensium, vt haberet sibi subditos adhuc duobus filiis suis, scilicet Petro & Gaufredo paruulis.

Interea Odo Comes veniens à Gasconia voluit capere Germundum castrum, sed non potuit. Inde reuersus Mausiacum quem pari modo reperit repugnantem expugnare cœpit, vbi inhiando (f. hiemando) cum cœpisset adtendere, occisus est. Cuius corpus sepultum est Malliaco, vbi pater & frater erant humati.

Anno MXL. Erat Amblardus sancti Maxentij Abbas & post eum Emmo. In Nobiliacensi Cœnobio Rikardo successerunt Petrus atque Vmbertus.

Eodem anno dedicatum est Monasterium sanctæ Trinitatis Vendocini, vbi primus, sicuti de aliis diximus, præfuit ibidem Domino seruientibus Monachis Odericus Abbas, & post eum Rainaldus. Eodem anno obiit Fulco Comes vndecimo Kalendas Iunij Monachus factus apud sanctum Nicolaum.

His diebus supradictis Hisio præerat Sanctonensibus, cui successerunt Arnulfus & Boso.

Anno MXLII. vt dictum est regnum Francorum post Rotberti mortem obtinebat Hinricus filius eius. Cuius diebus eclipsis solis fuit pridie Kalendas Iulij, quam fames miserabilis sequuta est per totam Galliam, quæ maximam partem plebis inaudito mortium horrore consumpsit. Eodem anno fuit dedicatio nouę Ecclesię sancti Florentij Salmurensis Idibus Octobris.

Anno MXLII. Fuit eclipsis solis pridie Kalendas Iulij in natale Apostolorum Petri & Pauli quando eorum Martyrium ab omni Ecclesia honorabiliter toto orbe celebratur.

Anno MXLIII. Beatus Rotbertus cœpit ædificare Monasterium suum Casæ Dei in honorem Sanctorum Agricolæ & Vitalis quod ipse primus extruxit & rexit quindecim annis, qui quantę vitę quantique meriti fuerit miracula testantur. Obiit autem in pace plenus sanctitate octauo Kalendas Maij, & ei successit Durandus Monachus, eiusdem Ecclesię, qui postea Aruernorum datus est Episcopus. Huic quoque Episcopo viuente Seguinus successit eis tertius, & hoc mortuo Pontius sequutus est. Hoc quoque Episcopo Podiensi facto Aimericus successit. Hoc quoque Episcopo Aruernorum iterum facto successit Stephanus.

Anno MXLIV. Fuit magna fames grandisque mortalitas, ita vt homo aliquis satiatus pergeret quingentos passus, iterum mox esuriret & desideraret manducare, itáque satiatus moriebatur, aut vix euadebat mortis periculum.

Quo tempore Agnes Comitissa veniens Pictauis cum duobus filijs suis, Petro atque Gaufredo, vnáque cum vitrico eorum Gaufredo Martello suóque marito cum omnibus Pictauorum optimatibus fecerunt placitum. Deinde vnum eorum Pictauorum Ducem ordinatum, alterum in Gasconiâ transmissum & Comitem factum. Vtrique magna & fortia gesserunt. Habuitque Gaufredus illuc vxorem suam Audeberti Comitis Petragoricæ filiam, quam postea reliquit causa parentelæ.

Eodem anno Tetbaudus filius Odonis à Gaufredo Comite Andegauorum captus est duodecimo Kal. Septembris qui post triduum ciuitatem Turonorum reddidit.

Anno MXLV. Obiit Theodelinus Abba quem supradiximus Abbatem esse Malliaco qui præfuit triginta & septem annis. Huic successit Humbertus quindecim annis præsidens in Abbatia.

Anno MXLVI. Hildegardis Comitissa Andegauorum obiit bona & religiosa & apud sancti Nicolai Monasterium sepulta est, vbi & maritus eius. Interea mater Comitum Agnes cum suo marito Gaufredo Andegauim reuersa est, vbi, vt fertur, construere fecit Cœnobium in honore sanctæ Trinitatis.

Eodem tempore inceptum est Monasterium Sanctæ Mariæ Nucariensis, vbi primus Eurardus, Gaufredus, Stephanus, Gauterius. Similiter in Britannia minore & in prouincia Cornubiæ Monasterium Sanctæ Crucis Diemperelensis (seu Kemperlensis) inchoatum est. Illud quoque Sanctæ Crucis Talemonensis eodem tempore inceptum est à Domino ipsius castri. Monasterium Sancti Benedicti Nantolij similiter

Digitized by Google

militer à Domino castri Rufiaci in istis diebus cœptum est.

Anno MXLVII. Fuit dedicatio Monasterij sancti Saluatoris apud Carrosum. His diebus post Clementem Papam Damasus succedit. Cui Leo nonus Papa succedit. Qui dedicationem præcepit fieri & altare sacratum misit. Quam fecerunt Archiepiscopi & Episcopi numero tredecim circumquaque viciniarum. Quam non solùm nobilitas Monasterij, sed etiam omnium ordinum multitudines Christianorum celebrem & nobilem vsque in præsenti commemorant. Extitit autem temporibus Leonis Papæ & Isemberti Episcopi, Iunioris Guillelmi Acri Comitis Pictauorum & Audeberti Comitis Marchiæ, qui fuit filius Bernardi, qui fuit Audeberti, qui fuit Bosonis, qui Suspic. qui fuit Gosfredi primi Comitis de Karrofo. In eodem Cœnobio erat tunc Abba Hugo, qui successit Fulcherio. Cui per multorum annorum curricula successerunt Fulcaudus, Petrus, Fulcaudus. Eodem anno post benedictionem combustum est Monasterium cum villa.

Ipso quoque anno consecratum est Monasterium S. Michaëlis ad Eremum, in quo tunc præerat Ascho Monachus eiusdem Cœnobij, cui similiter successerunt Theadus, Audebertus, Willelmus, Ioannes, Garinus atque Ioannes.

Anno MXLVIII. Obiit Odilo Abbas Cluniacensis sanctitate vitæ & merito præcipuus ad Dominum Kalendas Ianuarij. Dormiuit autem in senectute bona plenus dierum in pace. Nam vixit septuaginta sex annis, ex quibus vnum & quinquaginta stetit in Abbatia. In cuius locum iussu suo & electione omnium fratrum ordinatus est Hugo nobilis pastor, vitæ merito non dissimilis.

Anno MXLIX. Kalendis Nouembris dedicatum est Monasterium S. Hilarij Pictauensis, cui consecrationi interfuerunt Archiepiscopi & Episcopi circa tredecim. Extitit autem hæc dedicatio admirabilis amore patroni nostri Beati Hilarij. Istud Monasterium magna ex parte constructum erat Regina Anglorum per manus Gauterij Coorlandi. Agnes Comitissa, quæ eum iussit dedicare, plurimam partem construxit. Quæ Domina si in multis Dominum offendit, iterum in multis eum placauit. Nam ædificauit duo Cœnobia sacratum virginum: vnum Andecauis in honore Sanctæ Trinitatis: alterum Sanctonas in veneratione semper Virginis Deique Genitricis Mariæ. Constructit illud supradictum Vendocini in honore Sanctæ Trinitatis, quod multis diuitiis & magnis cartis ditauit. Illud etiam Pictauis in honore S. Nicolai, necnon & domum eleemosynariam quæ est in foro ante eandem Ecclesiam.

Per hæc tempora Aimricus duxerat Alam (Agnetem) Comitissam supradictorum Comitum sororem genitam ex Agnete, filiam Guillermi senioris Comitis Pictauorum, ex qua susceepit filium, quem vocauit nomine suo Aimricum.

Anno M L. Aimrico Imperatori filius natus est & à domno Leone Papa baptizatus est, qui eodem anno excommunicauit Gaufredum Martellum propter Geruasium Episcopum quem tenebat captum.

His diebus fuit consecratio facta Monasterij S. Ioannis Engeriaci quam Agnes Comitissa fecit facere, & alii Seniores: in qua fuerunt quatuor Episcopi Bruno Andegauensis, Guillermus Engolismensis filius Gaufredi & frater Fulconis, Isemberbertus Pictauiensis & Arnulfus Sanctonensis. Huic Cœnobio præerat Monachus Arnaldus cui successit Gosfredus.

Aimricus Rex Francorum duxit vxorem Scythicam & Rusam. Tunc quoque Guillelmus Pictauorum Dux & Comes duxerat vxorem nomine Ermensendim.

Anno MLIII. Leo Papa Normannos Apuliam per tyrannidem tenentes bello aggressus est & superauit.

Anno MLIV. Obiit Leo Papa decimotertio Kal. Maij, & successit ei Victor Papa.

Anno MLV. Synodus facta est Turonis. Eodem quoque anno obiit Beatus Fredericus Abbas Cœnobij S. Florentij Salmurensis, quod ipse à nouo ædificauit post captionem ipsius castri à Fulcone factam Comite Andegauorum, & primus rexit Deo donante & Monachis ibidem Deo militantibus præfuit triginta & tribus annis. Hic dignè Deo semetipsum offerens laudabilem vitæ cursum glorioso fine compleuit. Cui in regimine pastorali successit Sigo tertio Kalendas Nouembris non minor virtute & merito sicut adhuc fratrum fideli narratione noscitur. Floruit namque multa sapientia & scientiâ apud Deum & homines viuens in Abbatia quatuordecim annis. Hic iterum plenus sanctitate in pace quieuit quinto Idus Iunij. Cui successit Guillelmus nobiliter natus & nobilius viuens quadraginta & octo annis viuens in Ab-

batia & plenus dierum obiit in pace tertio kalendas Iunii.

Anno MLVI. defunctus est Ainricus Imperator Romanorum, cui successit Ainricus filius suus actu & nomine tertius.

Anno MLVII. Obiit Victor Papa Romanorum: cui successerunt Stephanus, Benedictus, Nicolaus, & Alexander secundus.

Eodem anno ciuitas Namnetica Gaufredo Comiti ab Hoel Comite reddita est, qui non bona vsus fide auferre eam illi tentauit. Sed vix quadraginta dies retentam turpiter amisit. Ipso anno Rex Francorum Ainricus Andegauam venit.

Anno MLVIII. Vvillermus, qui & Petrus, cognomento Acer, adunato exercitu vallauit Castrum Salmurum simul & Gaufredum Martellum inclusit in eo, vbi inhiando dum aptaret ad bellum exercitum, dolore dysenteriæ morbis percussus reuersus est infirmus, ex qua infirmitate mortuus est relinquens terrenum regnum. Huic fuit coniuncta in coniugio Ermensendis quæ amore illius vouit se viduam & castam permanere vsque ad mortem. Huic quoque successit in regno Gosfredus, qui iam Gasconiam acquisierat armis & industria. Qui relinquens filiam Audeberti Comitis vxorem suam causa parentelæ, aliam Mateodam vocatam accepit in coniugio, de qua tantummodo vnam filiam habuit, quæ fuit vxor Hildefonsi Regis filij Freelandi & nepotis Garsii.

His diebus ita euenientibus apud Hispanias gestum fuerat horribile bellum inter Freelandum & Garsionem supradictos fratres, qui pro regno Hispaniæ inter se inuidentes magnum certamen habuerunt & regnum sanguine fuso superante Ferelando deformiter diuiserunt. Nam Garsio occubuit, & ei omnia nolens reliquit.

His diebus erat Imperator Constantinopolitanus Romanus cui successit Diogena, qui captus est traditione ab Alexio fratre suo, qui & oculis eum priuauit, & in mare præcipitauit.

Per hęc tempora in consilio Nicolai Papæ Berengarius fuit examinatus de Fide Catholica.

Anno MLIX. Corpus Beati Maxentij Adjutoris ostensum est, & conditum ei istud sepulcrum nouum & dedicatum sexto Nonas Octobris, temporibus Ainrici Imperatoris, & nihilominus Ainrici Regis Francorum & Gosfredi Comitis atque Isemberti Pictauensis Episcopi & Archimbaudi Archiepiscopi Burdegalensis & Abbatis Cœnobij Adjutoris Maxentij.

Per hæc tempora Poncius Comes Tolosanus acceperat Almodim vxorem sororem Audeberti Comitis de Marcha, quam dedit ei Hugo Pius de Liziniaco qui eam reliquerat causâ parentelæ, quique ex ea geminos filios habuit & post Raimundo Barcinonensi eam dedit in vxorem. Vocati sunt autem filij Pontij, Raymundus de S. Ægidio & Guilllemus de Tolosa, ex quibus vnus extitit Tolosanus Comes, alter Prouincianus. Qui Guillelmus apud Burdegalam occidit circa centum milites nobiles per traditionem qui erant de exercitu Gosfredi Ducis. Qui traditionem ipsam non potuit diu sustinere: sed cum omnibus optimatibus suis calumniatus est eam veniens ad Tolosam & vastauit eam in circuitu & cœpit.

Anno MLX. Gosfredus Dux Pictauorum habens guerram cum Hugone Liziniaci atque obsidens in castello suo, & expugnans & vastans omnia in circuitu. Quadam die milites Comitis forte ad portam castelli occiderunt eum octauo Idus Octobris. Hugo filius suus huic successit natus ex supradicta Aumode, qui Diabolus vocatus est.

Eodem anno obiit Ainricus Rex Francorum anno ordinationis suæ XXIX. Gosfredus quoque Comes filius Fulconis decimo octauo Kalendas Decembris feria tertia hora dici prima Monachali habitu prius susceptо ab Airaudo Abbate Sancti Nicolai. Huic successerunt nepotes eius filij Alberici Contracti Comitis de Gastina Gosfredus & Fulco Rechin. Ainricus quoque Rex duos filios habuit Philippum Regem & Hugonem Ducem magnum vocatum, ex quibus Philippus successit patri.

Anno MLXI. Gosfredus & Fulco habentes certamen cum Gaufredo Duce propter Sanctonas venientes cum magno exercitu, pugnauerunt cum eo in bello etiam in Aquitania. Vbi è contrario Pictauorum exercitus adunatus est, & ab vtrisque partibus magnis animositatibus pugnatum est: sed traditores belli & alii signiferi vexillis projectis exercitum Pictauensium in fugam verterunt, quapropter vulnerati multi sunt & plurimi occisi atque nonnulli capti. Vnde quidam versibus eam confusionem ita describit, dicens:

Cum de Pictauis bellum sit & Andegauinis,
Inque die Martis fuit & sancti Benedicti,
Circa forte caput Vulcanæ contigit esse
Annus millenus tunc sexagesimus vnus.

Anno MLXII. Gosfredus Dux obsedit Sanctonas ciuitatem castris in circuitu positis & fame & gladio vastauit, vsquequo Andegauenses & ciues qui in ea erant se cum suis omnibus in manibus tradiderunt. Inde abiens in Hispaniam cum multis Normannis Barbastam ciuitatem nomini Christiano cunctis, qui in ea erant, prius perditis adquisiuit. Eodem anno Luna obscurata est Kalendis Augusti.

Anno MLXIV. Benedictio Sancti Petri Aureæ-vallis fuit de crucifixo. Tunc primum Canonici cœperunt esse ibi.

Anno MLXVI. Stella Cometes apparuit. Vvillermus Comes filius Roberti supradicti Comitis Normanniæ transiens mare conflixit cum Airaudo pseudo-rege Anglorum. Quem deuicit cum ipsa gente & terram eandem in suam ditionem recepit. Fertur habuisse in exercitu suo quatuordecim millia hominum. Fuitque in mense Octobri pridie Idus ipsius mensis & fecit ibi Monasterium, vbi bellum fuit, in honore S. Martini Monachorum. Aliud quoque constitui iussit in honore sancti Stephani Cadomi & ibi Monachos iterum posuit.

Anno MLXVII. Herluinus fundauit suum Monasterium nobile & aptum Monachis. Eodem anno traditio Salmuri castri facta est Fulconi fratri Gaudefredi Comitis Andegauorum prima Dominica die quadragesimæ quinto Kalendas Martij & ipsum fratrem suum tenuit & inclusit captum vsque ad mortem.

Anno MLXVII. Stella Cometa apparuit.

Anno MLXVIII. Iudicio Dei iustè omnia iudicantis castrum Salmurum horribili incendio combustum est à Guidone Comite Pictauorum cum Ecclesia S. Florentij, sanctique Ioannis Baptistæ & Sancti Petri Apostoli: nihilque penitus remansit de toto suburbio eiusdem castri cum domibus extra & intra murum degentibus, quod non incenderetur quinto Kal. Iulij.

Eodem anno obiit Aimericus Abba sancti Maxentij & sancti Leodegarij, cui successit paruo tempore Archimbaudus: sancto Leodegario super Seuerim Hugo nepos Aimerici erat Abba.

Per hęc tempora duxit vxorem Guido Comes Aldeardim filiam Rotberti Ducis Burgundiæ & neptam Ainrici Regis Francorum, relicta Matode supradicta. Tunc cepit castrum Lucionense & Monasterium Sanctę Mariæ Virginis quod est in eodem castro combussit, multósque homines ac fœminas in eo extinxit.

Anno MLXVIIII. Cœnobium Sanctæ Mariæ de Karitate inchoatum est quod Giraudus Monachus nobilis & religiosus primus extruxit. Monasterium nouum Pictauis inceptum iussu Gaufredi Comitis. Monasterium S. Seuerini Canonicorum in Nemore Argenti & Cœnobium S. Vincentij quod Niolium vocatur.

His diebus Hildefonsus Rex Hispanorum duxerat filiam Guidonis Comitis Ducis Aquitanorum quam habuit de Mateode vxore supradicta. Pro qua re extitit causa & contentio de lege Romana. Quam Legem Romanam voluit introducere in Hispaniam & Toletanam mutare: & ideo fuit factum bellum inter duos milites & falsitate fuit victus miles ex parte Francorum.

Anno MLXX. Domnus Gauterius Abba & Canonicus Ecclesiæ Sancti Petri Stirpensis dormiuit in pace æterna, quinto Idus Maij. Eodem anno Benedictus Abba ordinatur & benedicitur apud Sanctum Maxentium quinto Nonas Octobris. Quo tempore apud Sanctum Ioannem Engeriacum erat Odo Abbas & apud Malliacum Goderannus Episcopus (Sanctonensis) & Abbas qui successor Vinberti.

Anno MLXXI. Ortus est Guillermo Duci vndecimo kalendas Nouembris Guillermus filius qui consobrinus germanus Ainrici Imperatoris & secundus Philippi Francorum Regis ex supradicta coniuge. Nata post hunc filia quam desponsauit Petrus filius Sancii Regis Aragundiæ. Ferunt eo tempore eclipsim Lunæ fuisse in mense Octobri. Petrus Igneus fecit iudicium per rogum ardentem.

Anno MLXXIV. Obiit Alexander Papa & in eius loco ordinatus est Aldebrandus & mutatum est nomen eius Gregorius VII. ad distinctionem aliorum. Defunctus est & Goderannus Episcopus octauo Idus Augusti, cui successerunt in Episcopatu Boso, & Drogo in Abbatia qui relinquens postea Abbatiam, inclusit se Cluniaco, vbi & bo-

nâ morte obiit. Eodem anno reliquię inuentę sunt & demonstratæ preciosę apud Nobiliacum.

Anno MLXXV. Pictauis fuit Concilium quod tenuit Giraudus Legatus de Corpore & Sanguine Domini in quo Berengarius..... fermè interemptus est. Fueratque aliud Concilium apud Sanctum Maxentium septimo Kalend. Iulij in quo erat major Goscelinus Archiepiscopus Burdegalensis qui Archimbaudo successit, Willermus Petragoricus & alij multi. Istud primum fuit 7. Kal. Iulij, & aliud Idibus Ianuarij.

Eodem anno donatum est Monasterium nouum, quod esse Pictauis supra diximus, Hugoni Abbati Cluniacensi, in quo Cœnobio primum Abbatem Guidonem constituit, Monachis ibidem Domino seruientibus. Cui successerunt Giraudus, Letbaudus, Giraudus, Marquerius.

Similiter Dolensi Cœnobio Raimundus erat Abba, cui successerunt Petrus, Ioannes, Garmundus, Gauterius, Audebertus, Giraudus, Ioannes, Hugo.

Anno MLXXVI. Rex Philippus fuit hoc anno Pictauis fortè.

Anno MLXXVII. Giraudus cœpit ædificare Cœnobium S. Mariæ Siluæ maioris.

Anno MLXXIX. Hugo Episcopus Lugdunensis & Legatus Romanæ Ecclesiæ tenuit Concilium Pictauis primo die apud Sanctum Petrum & alio die ad S. Hilarium.

Anno MLXXX. Fuit Concilium Burdegalæ, in quo Berengarius reddidit fidei suæ rationem & Hugo Abbas S. Leodegarij fuit depositus: cui successerunt per ordinem Philippus, Arnaudus, Otbertus, Tetbaudus. Eodem anno Ansegisus ordinatus Abba S. Maxentij tertio Kal. Octob. Ipso tempore sanguis fluxit de panibus in multis locis. Hoc anno perfectus est introitus Monasterij, sicut scribitur in versibus:

Arcu circarum celatur tempus earum.
Anni tunc mille Christi sunt octuaginta,
Ipsam confratres aulam Domino facientes
Ad Christum precibus ducat Maxentius almus.
Qui prius Adjutor baptismi ęge vocatur,
Post ne noscatur Maxentius vltro vocatur.

Anno MLXXXII. Ignis combussit villam istam sancti Adjutoris Maxentij: vnde quidam dolens versibus describit combustionem illam, ita dicens:

Mirificis signis fuit intolerabilis ignis,
Maxenti villæ comburens atria mille
Cuncta Monasteria combussit intus & extra
Vrbani festi fuit ignis nocte sequenti,
Anni tunc Christi mille octuaginta duo sunt.

Eo anno apud Karrofum fuit consecratio cuiusdam altaris, & demonstratæ sunt pretiosæ reliquiæ Monasterij eiusdem & Concilium factum in ipso Monasterio, tertio Idus Nouembris. Fuit eclipsis Lunæ. Eo quoque anno Monasterium S. Petri Malleacensis exustum est, in quo Monasterio electus est Gaufredus Abbas modò sancti Michaëlis de Cluſa. Similiter Vendocini post Rainaldum fuit Dauid, cui successerunt Bernerius, Guillermus, Gaufredus. Eodem modo Cormaricensi Cœnobio Wido post Bernardum. Ex quo Monasterio vidimus quendam Monachum nomine Literium mirę abstinentiæ, qui per decem annos, nec vinum bibit, nec aquam nisi in sacrificio.

Anno MLXXXIII. Sanctonas extitit Concilium in quo Ramnulfus eidem vrbi ordinatus est Episcopus & Simon Canonicus S. Hilarij Agenno post Rainaldum: cui successit Giraudus nepos, Isardus, Audebertus.

Lugduno Galliæ fuit Episcopus Gebbo cui successit Hugo ante nominatus Rotlandus, Humbaldus. Eodem anno terræ motus factus est magnus decimoquinto Kalendas Nouembris in die natalis S. Lucæ. Pars ciuitatis Pictauis magna cum Ecclesia Sanctæ Radegundis combusta est.

Anno MLXXXV. Locustarum multitudines visæ sunt insolito.

Anno MLXXXVI. Obiit Guido qui & Goffredus Comes Pictauorum cui successit Guillermus filius eius quindecim annorum existens. Defuncti sunt Goselinus Archiepiscopus Burdegalensis, & Isembertus Pictauinus Episcopus, quorum vnus sepultus est in Sancto Cypriano, alter in Sanctæ Mariæ Lucionensis.

Anno MLXXXVII. Ordinatus est Episcopus Pictauiensis Petrus octauo Kalendas Martij, & Adam Abbas pridie Kalendas Martij.

Eodem anno translata sunt ossa Beati Nicolai Barrum ciuitatem temporibus Alexandri Papæ & Vrsonis Archiepiscopi Canusinæ ciuitatis & Barinæ vrbis septimo Idus Maij, eo quod Myrrhæ ciuitas & multæ aliæ iam diuersis terris inuasæ sunt & tentæ à Turcis & paganis.

Ipso quoque anno Hildefonsus mandauit per omnes partes Franciæ, vt sibi & suis iuuarent, qua de causa multi perrexerunt in Hispaniam & adunati sunt ad Tutelam ciuitatem & castellum Stellæ ceperunt. Inter quos vnus Guillermus nomine Major ceterorum interfuit, quem vidimus, & erat Normannus. Eodem anno obiit Victor Papa.

Anno MLXXXVIII. Ordinatus est Vrbanus Papa. Eodem anno obijt Audebertus Comes de Marchia, cui successit Boso filius eius. Ipso anno inceptum est Cœnobium quod vocatur Casale Sancti Benedicti in Burgundia (*scribendum erat in Bituriâ*) vbi primus Abbas Andreas fuit, & post eum Giraudus.

Anno MLXXXIX. Amatus tenuit Concilium Sanctonas quarto Nouembris, in quo idem eleuatus est Archiepiscopus Burdegalæ. Ipso anno obiit Giraudus Hierosolymita sepultus ante portam Monasterij quinto Nonas Maij. His diebus capta est Valentia in Hispaniâ à Roderico Comite.

Anno MXC. Petrus Episcopus Pictauorum ordinauit multos inter quos H. ordinauit cum multis aliis, qui ad benedictionem cuiusdam Ecclesiæ ad castra cecidit de fabrica vnde faciebat sermonem.

Anno MXCI. Boso Comes de Marchia occisus est Confollento castro. Huic succedit Aumodis soror sua quæ habuit de Rotgerico Comite duos filios. Obijt Odo Abbas S. Ioannis cui successerunt Ansculfus & Aimricus. Similiter obiit Bertrandus Abbas Sancti Iuniani: cui successit Gaufredus: huic Radulfus. Eodem anno inceptum est Cœnobium Sanctæ Mariæ quod vocatur Fons Gombaudi in confinio Pictauis & Biturigæ ciuitatum à Beato Petro Abbate cognomine Stellæ. Item obiit Ansegisus Majori Monasterio, Guido Monasterii Noui, Goffredus Lucionensis cui successerunt Rainaldus, Daniel, Giraudus, Girbertus. Eodem anno benedictio fuit Cœnobii sancti Petri Stirpensis & festiuitas Beati Gauterij instituta est celebrari de transitu.

Anno MXCIII. Germundum castrum factum est causa contentionis Gelduini & Ebbonis fratrum à Guillermo Comite & eodem Gelduno. Eo anno Monasterium B. Adjutoris Maxentij cœptum est à fundamento nouum, adiuuante Domino & concedente in pulcriori opere & meliori decimoquinto Kal. Iulij. Ipso anno Rotbertus reliquit Abbatiam & Garnerius ei successit & apud Burdegalam fuit Concilium.

Anno MXCIV. Germundum castrum destructum est & Guillermus duxit vxorem Philippam nomine filiam Willermi Comitis Tolosani & neptem Raimundi de S. Egidio. Eodem anno Vrbanus Papa Placentiæ tenuit Concilium.

Anno MXCV. Obiit Giraudus Abba bonæ memoriæ Siluæ Majoris octauo Idus Aprilis cui successerunt Guillelmus, Alerannus, Gaufredus, item Goffredus. Eadem nocte quâ defunctus est visæ sunt stellæ cadere de cælo in modum facis. Eodem anno fuit magna siccitas ab octauo Kalendas Aprilis vsque decimumseptimum Kalendas Septembris, quam sequuta est sterilitas terræ & penuria panis & omnium fructuum. Visa & audita signa multa & sonitus aquarum sunt.

Vrbanus Papa tenuit Concilium tertio Idus Nouembris & inde Lemouicas veniens deposuit Vmbaldum Episcopum eiusdem vrbis. Item eodem anno cœpit locus Sanctæ Mariæ ad Cellum florere miraculis. Cœpit & Radulfus Monachus sancti Iouini suos & sua loca instruere.

Anno MXCVI. Vrbanus Papa veniens ad festiuitatem S. Hilarij fuit Pictauis & benedixit Monasterium Nouum sexto Kalendas Februarij. Post hæc perrexit Andegauis & benedixit Monasterium Sancti Nicolai. Inde abiens Turonis tenuit Concilium in Monasterio Sancti Martini: in quo inter alia restauraut Abbatiam Sancti Mauri & præcepit habere Abbates, & primus fuit Giraudus. Huic successerunt Petrus & Ramnulfus. Inde reuersus est Sanctonas ciuitatem & celebrauit ibi sanctum Pascha: & inde remeauit Romam: & in eundo remeauit Nemausum ciuitatem; vbi item tenuit Concilium & reconciliauit Philippum Regem Francorum. Vbicumque fuit, præcepit Cruces facere hominibus & pergere Ierusalem & liberare eam à Turcis & aliis gentibus.

Ipso anno apparuit signum Crucis in cœlo septimo Idus Augusti quod multi docuerunt: & iussu ipsius Papę multi nobiles & ignobiles, diuites & pauperes de omnibus terris vnam eandémque voluntatem habentes perrexerunt in viam Sancti Sepulcri & cœperunt omnia relinquere. Inter quos ex ipsorum numero qui nobis noti fuerunt, hi præcipui extiterunt: Raimundus Comes Sancti Ægidij, & Episcopus Ademarus Podiensis, Hugo Magnus & Dux frater Regis Philippi, Rotbertus Comes Normanniæ & Comes Stephanus & Comes Flandrensis Raimundus (lege Rotbertus) & Dux Godefredus & Comes Eustachius frater eius, necnon Bauduinus eorumdem germanus, aliique Comites & Barones multi. Gasto Gasconus & ceteri quos mihi nominare non occurrit.

In Hispania ipso anno subacta est Osca ciuitas & Rex Petrus Aragundiæ pugnauit cum quinque millibus militum & viginti millibus peditum contra centum millia peditum Moabitarum & nouem millia militum. Fuerat enim possessa ciuitas cum aliis ciuitatibus Hispaniæ trecentum annorum & eo amplius. Hoc bellum & victoria Domino donante facta est mediante Nouembri mense.

Hoc eodem anno deuicerunt Moabitæ Hildefonsum Regem Hispaniæ & nonaginta milites occiderunt. Eodem anno obiit Audebertus Bituricus Episcopus & ei Leodegarius successit in Episcopatu. Sanctonas fuit Concilium vbi imperatum est omnibus vigiliis Apostolorum ieiunare.

Anno MXCVII. Amatus Episcopus consecrauit Oscam ciuitatem ad opus Domini & Paganorum Synagogam ad Pascham quæ fuit illo anno Idibus Aprilis. Eo anno fuit ipse captus à Comite & fuit magna nebulatio frumentorum in mense Maio. Item acta sunt tria bella in via de Ierusalem cũ Turcis, in quibus Christianos vsque ad internecionem persequuti sunt occulto Dei iudicio. In primo bello Lumbardi seu Langobardi & Alamanni cum Rainaldo Domino suo perierunt in castro quodam Exeregorgo in die Dedicationis Sancti Michaëlis: in secundo Petrus Eremita & Gauterius intrantes Cinitot quod est supra Nicænam ciuitatem, confestim venerunt illic Turci & omnes occiderunt; solus Petrus euasit, & hoc factum est in mense Octobri. Hæc facta sunt in præcedenti anno millesimo nonagesimo sexto ab Incarnatione Domini. Deinde in sequenti anno MXCVII. alij principes venerunt Constantinopolim & in Sclauia, & fuerunt in magna persecutione. At Boamundus & Tancredus & Guillermus frater eius & multi postquam acceperunt cruces persequuti sunt Turcopolos & Pincinnatos & vicerunt & superauerunt in quarta feria quod est Caput ieiunij. Deinde in alio bello Turci & Pincinnati & Comani & Slaui, Visi & Athenasi omnes contra Christianos erant, & quodam die Episcopum Podiensem acceperunt, & per vim perdiderunt, & à Christianis superati sunt.

Tandem ergo Kal. Maij concordes & vnanimes effecti cum Imperatore Alexio causa sanctæ expeditionis. Collecti itaque Principes & consociati firmiter mediante Maio, pugnauerunt apud Niceam ciuitatẽ cum Turcis & interfecerunt innumerabilem multitudinem Turcorum, ipsamque, quæ est caput totius Romanæ vrbis & multa alia cœperunt, fuerúntque in obsessione illa per septem Hebdomadas & in die Ascensionis pridie Idus cœperunt primum inuadere. Fuerúntque vulnerati multi & martyrizati: quas inter duas pugnas ceciderunt tredecim millia Christianorum & ducenta millia Turcorum. Eodem anno apparuit stella Cometa pridie Nonas Octobris per septem noctes, fuitque terræ motus tertio Idus Octobris. Mense Nouembri fuit magna perditio seminum partim ex vermibus partim ex pluuiis, & flumina creuerunt magna, & castella, & vicos, & homines necauerunt, maxime pedites. Fuitque bellum aliud primo die Iulij contra trecentos & sexaginta millia Turcorum Saracenorum, Publicanorum, Persarum & Agulanorum, in quinque generalibus bellis Deo opitulante triumphauerunt, acceperúnt quadraginta & vnam principales ciuitates & ducenta castra in Romania & Suria & post hæc omnia duodecimo Kal. Nouembris obsederunt tres partes ciuitatis Antiochiæ.

Anno millesimo nonagesimo octauo, fuit bellum cum Turcis, quinto Kalend. Ianuarij & Idibus Februarij, fueruntque Christiani septingenti & Turci viginti quinque millia. Fuit & aliud bellum vbi Amiralij duodecim sunt occisi post Pascha, quod fuit isto anno v. Kalend. Aprilis. Acta sunt hæc mense Aprili & Maio. Subacta est Antiochia intrante tertia die mensis Iunij in die Iouis. Tertia die post hæc obsessa est ciuitas à Curbalando, qui adduxit trecenta sexaginta quinque millia, excepto Amiralio

Hierosolymitano qui fuit cum sua gente, & Rege Damasci cum suis,& Rege Aleph similiter cum suis; & ita fuit exercitus circa Antiochiam per vndecim dies. Tandem visione Domini IESV & Sanctæ Mariæ sanctique Petri Apostoli confirmati & visione & reuelatione simul sancti Andreæ Apostoli & repertione lanceæ Domini nostri IESV-CHRISTI, acceptis pœnitentiis & processionibus actis construxerunt acies suas Principes Christiani contra Curbalam, & illam innumerabilem gentem Turcorum, Arabum, Saracenorum, Publicanorum, Azymitarum, Curtorum, Persarum, Agulanorum,& aliarum multarum, quæ nominari nec numerari poterant. In prima acie fuit Hugo Magnus,cum Francigenis & Frandrensi Comite. In secundâ verò Dux Godefredus cum suis. In tertiâ Rotbertus Normannus cum suis. In quarta autem Ademarus cum lancea & cum exercitu suo & exercitu Raimundi S Ægidij. In quinta Tancredus & Gasto cum Aquitanis. In sexta fuit Boamundus cum suo exercitu, Episcopi & Clerici reuestiti simul cruces in manibus tenentes. Septimam aciem fecerunt ex aliis coacti, quam duxit Raimundus Comes. Postquam venerunt sancti Martyres Demetrius, Georgius & Theodorus, quos Dominus promiserat mittere in auxilium eorum cum sancto exercitu versi sunt in fugam & fugerunt inimici Dei victi; & hoc bellum factum est quarto Kal. Iulij. In illa fuerunt inclusi per viginti & septem dies & obsederunt per octo menses, & post captionem requieuerunt per quinque menses & dimidium.

Ad festiuitatem Omnium Sanctorum adunati cœperunt viam S. Sepulcri. Acceperunt prius Abbariam, postea Mairam tertio Idus Decembris. In qua iterum ita anxiati sunt, vt carnes Turcorum manducarent, & ibi morati sunt per vnum mensem & quatuor dies. Inde venerunt ad castrum Capharda: deinde quarto Idus Ianuarij exierunt inde, & deuenerunt in castrum quoddam & de villa in villam vsque ad festiuitatem Purificationis B. Mariæ quam celebrauerunt in quodam castro. Vbi venerunt de Camela & de Tripoli ad Raimundum Comitem S. Ægidij. Inde venerunt sexto kalendas Martij ad Archas, vbi fuit iudicium de lancea Domini septimo Kalendas Aprilis, & inde Tortosam & Maraclea quas possederunt. Alii Dux Godofredus & Flandrensis Comes cœperunt Gibellum. Eodem anno inuentum est corpus sanctæ Pecinnæ. Cælum apparuit rubicundum sexto Kalendas Octobris. Terræ motus tertio Nonas Octobris fuit, & Lunæ eclipsis fuit tertio Idus Decembris.

Anno MXCIX. beati Agapii corpus inuentum est in Ecclesia S. Saturnini Martyris, in qua idem S. Agapius cum suis Monachis & Beatus Adiutor Maxentius Deo militauit Abbas post ipsum, sicut in vita eius clarius legitur, noua effecta à fundamentis, hoc eodem tempore fuit sacrata Idus Martii Raimundus Comes S. Ægidii exiuit de ciuitate Maira Idibus Ianuarii & venit ad castrum Capharda ibique iunxit se cum eo Comes Rotbertus Normanniæ. Rotbertus Flandrensis & Dux Guodefredus venerunt vsque Liciam (Laodiciam) ciuitatem sequentes Raimundum S. Ægidii. Ibique Boamundus separauit se ab aliis & reuersus est Antiochiam. Indéque tendentes venerunt Tripulim & ibi pugnauerunt contra Turcos & maximam partem occiderunt: alio die equitauerunt vltra vallem Ediſſem & inde ad castrum Archę. Quod tenuerunt obsessum per tresmenses vno die minus, ibique Pascha Domini celebrauerunt tertio Idus Aprilis: Fecerunt placitum cum Rege Tripuli & discesserunt à castro & peruenerunt in sexta feria quarto Idus Maij. Postea discesserunt à ciuitate, venerúntque ad castrum Betholon, deinde Gibelon (Biblum) & inde ad ciuitatem Barut, & de illa ad Sagittam (Sidonem) & de Sagitta ciuitate ad ciuitatem Sur (Tyrum) de ciuitate autem Sur ad Acram ciuitatem & de Acra ad Caiphas, in déque peruenerunt ad ciuitatem Cæsaream, ibique Pentecostem celebrarunt quarto Kal. Iunij, vnde venerunt ad ciuitatem Ramam,& ibi ordinauerunt Episcopum: & inde venerunt lætantes Ierusalem septimo Idus Iunij eámque robustissimè prope muros ciuitatis obsederunt. Robertus Normannus obsedit eam à Septentrione & iuxta eum Flandrensis Comes Rotbertus, à meridie Comes Raimundus S. Ægidij. Quinto Idus fecerunt bellum: quarto Idus aggrediuntur ciuitatem & minoré murum strauerunt,& vnam scalam ad majorem erexerunt,& super suis ensibus ac lanceis cominus pugnabant. Fuerunt in illa obsidione per decem dies in magna siti & fame & fecerunt processionem circa ciuitaté,& postea fecerunt duo lignea castra & 7. Idus deportauerunt ad ciuitatem. Sexto Idus & quinto & quarto aptauerunt machinas & pridie aggrediuntur mirabiliter ciuitatem vsque in noctem. Sexta feria summo mane vndiq;

aggrediuntur eam & nimis ſtupefacti erant, vſque venit illa hora in qua Dominus noſter IESVS-CHRISTVS paſſus eſt in ipſa ciuitate mortem. Tunc expugnata eſt & ſubiugata, quamuis pugnaſſent fortiter niſi per voluntatem Dei intrauerunt. Primus qui intrauit miles extitit Letot: Secundus Guodofredus Dux: tertius Euſtachius Comes frater eius. Octauâ poſtquam ciuitas capta fuit, celebrauerunt feſtiuitatem ereptionis per omnem ciuitatem Ieruſalem, & legerunt Principem Guodefredum qui expugnaret Paganos & cuſtodiret Chriſtianos. Similiter in loco Patriarchæ elegerunt Arnulfum jn feſtiuitate S. Petri ad Vincula. Aliud bellum fecerunt apud Aſcaloniam pridie Idus Auguſti, cum Amirauiſſo Babyloniæ, vbi nonaginta (nongenta) ſexaginta millia erant: ſic dictum fuit, & tamen nemo ſciuit numerum niſi ſolus Deus.

Eo anno fuit factum Romæ Concilium quod nouiſſimè tenuit Vrbanus Papa ſeptimo Kalendas Maij, in quo confirmauit viam ſancti Sepulcri Domini noſtri IESV-CHRISTI, & decreuit in ipſa Synodo omni feria ſexta ieiunare pro peccatis ſuis omnibus Chriſtianis, & maximè pro illis quibus non confeſſi ſunt immemores. Eodem anno obiit ipſe tertio Kalendas Auguſti, & ei ſucceſſit Paſchalis ſecundus.

Pictauis Eccleſia Beatæ Radegundis in qua ipſa iacet humata, decimo quinto Calendas Nouembris dedicata eſt. Caſibus Vicecomitis Eccleſia Sancti Nicolai ſimiliter ſacrata eſt. In Hiſpania apud Valentiam Rodericus Comes defunctus eſt de quo maximus luctus Chriſtianis fuit & gaudium inimicis Paganis. Willelmo Comiti natus eſt filius æquiuocè Guillermus vocatus ex ſupradicta coniuge. Habuit quoque quinque filias, quarum vnam deſponſauit Vicecomiti Toarcenſi. Nouiſſimè genuit apud Toloſam vterinum videlicet Raimundum qui poſtea regnauit in Antiochia.

Anno milleſimo centeſimo ignis qui venit in Ieruſalem in Sabbato Paſchæ extinxit & poſt paululum miſerante Domino, veniens iterum lætificauit Chriſtianos, quos extinctione triſtauerat. Eodem anno allatæ ſunt reliquiæ de Ieruſalem in pluribus locis & apud nos à quodam nomine Petro Faſin.

Ipſo anno obiit Guodefredus Dux de Ieruſalem, & ſucceſſit Bauduinus frater eius: obiit Vvillelmus Rex Anglorum cognomento Rufus, & ſucceſſit ei Ainricus frater eius iunior. Simon Epiſcopus Agennenſis obiit, & ſucceſſit ei vnus poſt alium Giraudus nepos eius, Iſaardus, Raimundus. Obiit quoque Rainaldus Abbas S. Cypriani, cui ſucceſſit Bernardus, qui reliquit Abbatiam. Huic ſucceſſit Petrus & alius Petrus poſt eum Guaſconus. Item obiit Bernardus Majoris Monaſterij, cui ſucceſſit Ilgodus Vvillermus.

Guillermus Conſul Pictauorum accepit apud Lemouicas Crucem, & cum eo multi alij ſuorum procerum. Similiter Petrus Rex Aragundiæ cœpit Barbaſtam & multa caſtella, & pugnauit cum Moabitis apud Oſcam, & vicit, & ſubjugauit ciuitatem decimoquinto kalendas Nouembris. Pridie Kalendas Nouembris fuit ſacrata Eccleſia S. Petri Aureæ vallis.

Tertiodecimo Kalendas Nouembris fuit concilium quod tenuerunt duo Cardinales Ioannes & Benedictus: in quo decreuerunt vt omnis Eccleſia iura ſua & feuda potuiſſent redimere auro & argento Eccleſiæ. Vni eorum Ioanni apparuit ſanctus Hilarius, & dixit ei confirmando: Ioannes noli timere, viriliter age, eras ero tecum: & excommunicauit Regem Philippum in ipſo Concilio. Petrus Burdegalæ Decanus electus eſt Lemouicæ Epiſcopus ciuitati poſt Vvillermum.

Eodem anno Rotbertus Magiſter cœpit dignoſci apud nos, & incœpit locum, Fontis-Euardi ædificare & fratres & Monachos adiuuare in pluribus locis, qui ſub diſciplina ſua religioſè viuunt, & tenent ordinem eo viuente & mortuo apud Tucum, apud Podium, apud Calfurnum, apud Raretum, apud Girundia, apud Lopias, apud Landum, Aurelianis, villa ſale, Vrſinia, Brierias.

Anno milleſimo centeſimo primo fuit ſanctum Paſcha vndecimo Kalendas Maij & ignis qui venit in Sabbato Sancto, non venit vſque in ipſo die Paſchæ, & tunc tribus vicibus venit. Vvillermus Dux & cæteri Principes abierunt in viam Ieruſalem vt deuouerant. Tertiodecimo Kalendas Maij fuit combuſtio gelu maximè in vineis & aliis ſeminibus. Rex Bauduinus pugnauit apud Ioppem cum Paganis Idibus Octobris & vicit. Rex Petrus Aragundiæ pugnauit cum Moabitis decimoquinto Kalend. Nouembris & cœpit Boleam caſtrum. Vvillermus Dux & alij Principes itinerantes Ieruſalem pugnauerunt cum Solimanno & Turcis & deuicti ſunt.

Sextodecimo

Sextodecimo visæ sunt stellæ cadere de cælo. Eodem anno Amatus obiit Archiepiscopus, & successit Arnaldus ordinatus.

Anno millesimo centesimo secundo Principes Christiani ceperunt ciuitatem Tortosam duodecimo Calendas Maij, & apud Ioppem iterùm Rex Bauduinus impugnauit sexto Calendas Iunij, vbi deuicti fuerunt, & apud Ramam ciuitatem inclusi, & duodecim Consules capti cum aliis multis, & ipse Rex euasit. Postea recuperauerunt, & Dei adjutorio deuicerunt infestissimam gentem inimicorum, fuitq; magna vbertas, Deo tribuente, de omnibus bonis, vt obliuioni traderetur perditio anni præteriti. Quarto Nonas Augusti ceciderunt fulgura in multis locis, & maximè Turonis, vbi spiritus maligni visibiliter visi sunt.

Anno millesimo centesimo tertio fuit magna tribulatio, & nummi argentei pro æreis mutati & facti sunt. Eodem tempore florebant vitâ & conuersatione sancta Roscelinus & Vitalis, duo sancti viri: vnus in Aquitania, qui conuiuia magna pauperibus tribuebat: alius in Normannia & terra Anglorum. Tertius quoque Monachus in Britanniæ & Turoniæ finibus florebat Rainaldus.

Anno millesimo centesimo quarto sunt visa & audita multa signa. In Palæstina subactæ sunt Accaron & Geth ciuitates. Rex Petrus Aragundiæ defunctus est, & ei successit Ildefonsus frater eius. Multa incendia fuerunt in castellis Toartij, Niorti, Beluerij. In Pictaua ciuitate oppressio bellorum: nam præparatum fuit maximum bellum inter Willermum Comitem Pictauorum, & Guosfredum Martellum filium Fulconis Andegauorum, sexto Nonas Nouembris, apud Partiniacum: sed Dominus per bonos & sanctos viros placitauit, & pluuiam magnam vbertim per duos dies & noctes assiduè cadere permisit.

Eodem anno erat quidam Presbyter Aliprannus nomine sanctus, qui contra Simoniacam hæresim odium habens causa probandi Mediolanensis Archiepiscopi, transiit per immensum ignem fornacis: sicut Petrus Igneus, qui transierat per rogum ardentem tempore Alexandri Papæ, contra Episcopum Petrum Florentinæ ciuitatis. Ita & iste Paschalis Papæ tempore transiit illæsus; & post Romæ voluit facere immensum iudicium, vt super Tiberim fluuium in cappa sua transiret de ripa in ripam.

Anno millesimo centesimo quinto, decimo quarto Calendas Februarij, fuit gelu nimium, & nix quæ coxit vineas, & lauros, & multa alia. Idibus Aprilis terræ motus. Quinto decimo Calendas Iunij nobiscum tempestas magna, & pluuia magna, quæ corpora mortuorum ex sepulturis ejecit. Bellum apud Palæstinos inter Christianos & Turcos.

Anno millesimo centesimo sexto Ecclesia sancti Georgij dedicata est. Cometa apparuit mensibus Februarij & Martij, per lxx. dies luxit. Goffredus Martellus occisus est. Septimo Calendas Iunij Pictauis Concilium fuit, in quo interfuit Boamundus Dux, quem Bruno Legatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ adduxit, & tenuit Concilium, & viam sancti Sepulchri confirmauit. Fuit aliud in Italia quod ipse Papa rexit. Ainricus Imperator Alamannorum obiit, & successit Ainricus filius suus cognomento Carolus. Aliud bellum coadunatum est inter Fulconem Comitem Andegauensem, & Willermum Ducem, quod Philippus Rex concordauit. Eodem anno obiit Garnerius Abbas die Natalis Domini.

Anno millesimo centesimo septimo apud Trecas in Francia fuit Concilium, quod tenuit Paschalis Papa, in quo decreuit, vt per nullam guerram incendia domorum fierent, nec oues aut agni raperentur. Ipso anno Goffredus Abbas ordinatur Calendis Iulij, & mense, & quarto Iulij eclipsis Lunæ fuit. Eodem anno Bernardus Abbas, quem sancti Cypriani diximus, in Pertico cepit suum Cœnobium ædificare in loco, qui vocatur Tiro, in honore sanctæ Mariæ, vbi plus centum Monachorum insimul habuit.

Anno millesimo centesimo octauo Tripolis ciuitas subacta est à Christianis mense Maio. Rex Francorum Philippus obiit, sepultus apud S. Benedictum, & Ludouicus filius xxxv. (rectius xxvii.) annorum existens, successit ei. Obiit quoque Fulco Comes Andegauorum, & Fulco iunior filius suus successit.

Anno millesimo centesimo nono Hugo Abbas nobilis Cluniacensis obiit tertio Calendas Maij, anno ætatis suæ octogesimo quarto, ordinationis suæ sexagesimo, & celebratum Pascha cum Domino, quod vltimum fuit septimo Calendas Maij. Huic successit Pontius filius Comitis Murguliæ, qui stetit duodecim annis; postea

pergens in Ierusalem, successit ei alius Hugo, qui vix vno viuens anno, successorem habuit Petrum Monachum eiusdem Ecclesiæ. Obiit quoque Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ ciuitatis Anglorum, & ei successit Radulfus Abbas sancti Sagij. Obiit & Hugo Archiepiscopus de Diis. Item obiit Hildefonsus Rex Hispaniarum, & remansit Euracha filia eius in loco suo, quia filius suus, quem suprà diximus, obierat.

Anno millesimo centesimo decimo extincti sunt homines in foro. Obiit Hugo filius Hugonis Bruni, qui fuit Albi, qui fuit Cati, qui fuit Hugonis Venatoris. Item Lunæ eclipsis fuit, & Cometa apparuit. Mortalitas & fames magna, & sal carus nimis, & guerra inter Vvillermum Comitem & Hugonem Brunum incepit, quæ diù durauit. Epistolam ferunt descendisse in Ierusalem de cælo, de die Dominica, & obseruatione eius.

Anno millesimo centesimo vndecimo Ainricus Imperator cepit Paschalem Papam in sede Apostolica. Ipso anno obiit Boamundus, & quidam Andreas Canonicus S. Petri Pictauensis, reuertens de Ierusalem, obiit in territorio Hastæ ciuitatis, ad cuius tumbam multa miracula fiunt. Andegauini fuerunt in exercitu castello Campolinario. Capella de S. Sebastiano cepit illustrari miraculis. Obiit Petrus Santonas Episcopus, & successit Rainaldus.

Anno millesimo centesimo duodecimo, iterùm nummi mutati sunt, & cum granis alij facti. Viennæ Concilium fuit, vbi contradictum est iusiurandum Apostolicum. Cœnobium S. Michaëlis de Periculo maris igne combustum est diuinitùs.

Anno millesimo centesimo decimo tertio Giraudus de Sala Monasteria duo, Cadonio & Bornet incepit. In Italia, villa Magneruns terræ motu subuersa est. Rex Bauduinus fecit bellum apud Ascalonam. Petrus Episcopus sacrauit Altare sancti Ægidij Nonis Decembris, & captus est à Comite.

Anno millesimo decimo quarto cepit excommunicatio super Comitem. Obiit Petrus primus Abbas Fontis Gombaudi morbo arpeta, id est, igni inextinguibili, sine se consumens: cui successit Guillelmus, & post eum Airaudus. Cœnobium S. Launomari Blesi castro igne consumptum est. Rex Baudoinus victus est in Tiberia. Ad Ierusalem venerunt Ascalonitæ vsque ad Ecclesiam S. Stephani. Ad Barbaras insulas subjugandas perrexerunt Principes Marchisi, Raimundus de Barcinona, Vvillelmus de Narbona, Vvillelmus de Monte Pesserio. Eodem tempore fuit homo nomine Ioannes, qui pedem morbo arpeta perdidit, & posteà sancta Maria Dei Genitrix ei restaurauit.

Anno millesimo centesimo decimo quinto obiit Dom. Petrus Caluiniaco castro, & sepultus apud S. Cyprianum Pictauis, epitaphio super eum descripto:

Captio, vincla, minæ, census, domuumque ruinæ,
Nunquam Pastorem flexère, fauumve vigorem:
Immò magis fortis instanti tempore mortis
Nulla relaxauit quæ iure liganda ligauit.

Qui sedit in Episcopatu viginti & nouem annis, & vnum mensem. Majorica & Minorica insulæ subactæ sunt à Christianis. Ainricus Imperator à Saxonibus deuictus est. Item fuit bellum inter Turcos & Antiochenos.

Anno millesimo centesimo decimo sexto Romæ fuit Concilium, quod tenuit nouissimè Paschalis. Obiit Rotbertus de Abrissello, Fundator Fontis Euraudi, sexto Kalendas Martij. Eodem anno obiit Bernardus Fundator Cœnobij Tironis, quod est in Pertico, septimo Kalendas Maij. Huic successit Hugo Monachus eiusdem Cœnobij. Dominus Rotbertus præcepit vt Abbatissa regeret sua loca. Ignis combussit Ecclesiam S. Saturnini, cum centum domibus, quarto Nonas Iulij.

Anno millesimo centesimo decimo septimo sanctum Pascha fuit octauo Kalendas Aprilis. Quarto Nonas Ianuarij fuit terræ motus per multa loca in Italia, & finita fuit excõmunicatio Comitis. Sexto decimo Kalendas Iulij fuit eclipsis Lunæ. Vvillelmus & Petrus ordinantur Episcopi; vnus Pictauis, alter Santonas. Obiit Vvillelmus Abbas S. Florentij, & successit ei Stephanus. Burdegalæ natus est infans totus pilosus, & barbatus, & vocatus est Brictius; hoc enim videatur incredibile, quod multi affirmant ita esse; sicut ante annos septuaginta fuerunt duæ fœminæ in vno corpore de ventre inferiùs, & vna ante aliam mortua est.

Anno millesimo centesimo decimo octauo, duodecimo Kalendas Februarij obiit

Digitized by Google

Paſchalis Papa, & ſucceſſit ei Gelaſius. Quinto Nonas Martij fuit Eccleſia S. Symphoriani ſacrata à Rotberto Coriſopatum Epiſcopo, & Altare S. Stephani ab Aimerico Aruernorum Epiſcopo, decimo quarto Kalendas Aprilis. Tholoſæ fuit Concilium, in quo confirmata eſt via de Hiſpania; & Engoliſmæ aliud, vbi Archiepiſcopus Turonenſis, & alij duo Epiſcopi confirmati ſunt: vnus eorum Audebertus ciuitatis Agenno. Bauduinus Rex de Ieruſalem obiit menſe Aprili, & ſucceſſit alius Bauduinus conſanguineus. Obiit & Arnulfus Epiſcopus de Ieruſalem, & ſucceſſit ei Garmundus. Item obiit Alexius Imperator Græcorum, & ſucceſſit ei Ioannes filius ſuus. Tertio Idus Iunij ſubactum eſt caſtrum iuxta Cæſarauguſtam. Octauo Idus Decẽbris fuit bellum in Hiſpania inter Hildefonſum & Reges plures, & Aucaëtas, & contra innumerabiles Moabitas. Rex Marroch fuit vnus: Rex Granada vnus: Rex Tamit frater alij qui fugit, & omnes alij victi, & capti, & occiſi ſunt in bello. Tertio Idus Decembris ſubacta eſt Cæſarauguſta, & poſt eam reddiderunt ſe aliæ ciuitates octo, Tudela, Vauterra, Autais, Aragun, Terracona, Sarranuna, & plurima caſtella. Comes pugnauit cum Simone Partiniacenſi & auunculo ſuo Hugone, quinto Idus Auguſti euicit eos, & Simonem cepit cum multis aliis.

Anno milleſimo centeſimo decimo nono obiit Gelaſius Papa, tertio Kalendas Februarij, & ſucceſſit ei Guido Viennenſis Archiepiſcopus, & mutatum eſt nomen eius, & vocatus eſt Calixtus ſecundus; qui ipſo anno tenuit duo Concilia, vnum Tholoſæ, & alterum Remis, in quo anathematizauit Regem Teutonicorum. Apud Antiochiam Dux Rotgerius pugnauit cum Turcis, qui victus eſt, & occiſus cum nouem millibus Chriſtianorum. Item Rex Bauduinus de Ieruſalem reſtaurans bellum, pugnauit cum eis, & occidit ex eis quatuordecim millia hominum impiorum.

Anno milleſimo centeſimo vigeſimo Giraudus de Sala obiit. Quinto decimo Kalendas Iulij Comes Vvillermus, & Dux Aquitanorum, & Rex Aragundiæ pugnauerunt cum Abraham & aliis quatuor Regibus Hiſpaniarum in campo Cotancię, & deuicerunt, & occiderunt quindecim millia Moabitarum, & innumerabiles captiuauerunt: duo millia camelorum ceperunt, & de aliis beſtiis ſine numero, & plurima alia ſubjugauerunt caſtella.

Eodem anno mel pluit de cælo. In Ieruſalem venit ignis, ſicut in Paſcha, in die Aſſumptionis ſanctæ Mariæ. Giraudus Hoſpitalis de Ieruſalem eodem anno obiit in ſancta conuerſatione. Eodem tempore inchoata ſunt plurima Cœnobia de inſtitutione ſancti Geraudi de Sala. In territorio Tholoſæ eſt vnum Cœnobium in honore ſanctæ Mariæ, quod vocatur Maior-ſilua, vbi primus Abbas fuit Stephanus. In pago Agennenſi eſt aliud Cœnobium vocatum Gundum (*Condom*) in honore ſanctæ Mariæ, vbi primus Abbas fuit Bernardus. In territorio Petracoricæ ciuitatis eſt alterum, quod vocatur Cadunenſe, in honore beatæ Mariæ, vbi primus Abbas fuit Helias. In pago Engoliſmenſi & aliud quod vocatur Bornet, ſimiliter dedicatum, vbi primus Abbas fuit Vvillelmus. Eſt aliud in territorio ciuitatis Pictauæ, quod vocatur Alodus, vbi primus Abbas fuit Petrus & pòſt Giraudus. In territorio Santonicæ Fons dulcis, & aliud eſt quod vocatur Tenale, ambo Abbates Vvillelmi vocati. Item aliud quod Abſida vocatur, vbi Petrus Abbas primus fuit. Eſt & aliud quoq; quod Caſtellarium nuncupatur, vbi primus Abbas Aimericus. In nemore Gaſtinenſi eſt aliud ad ſanctum Benedictum de Pino vocatum, vbi primus Abbas Guillelmus fuit. Aliud eſt in nemore Bonæ-vallis nomine. In pago Lemouicino eſt aliud Dalum vocatum, vbi primus Rotgerius Abbas fuit. Eſt aliud Cœnobium Caſtrenſis, vbi primus Abbas fuit Guillelmus. Eſt alia Domus-Dei in Lemouicenſi pago, quæ vocatur Caſtalienſis, vbi Prior Goffredus primus fuit. Alia quoque Domus-Dei Corbaſim vocata ſanctæ Mariæ, & ſancto Nicolao ſacrata, vbi Prior Bernardus primus fuit.

Vndecimo Kalendas Auguſti Monaſterium ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Vizeliaco combuſtum eſt cum mille centum viginti & ſeptem hominibus & fœminis. Similiter incenſum eſt Monaſterium ſancti Fontonis, ciuitatis Petragoricæ, cum multis hominibus & fœminis. Menſe Nouembri mutati ſunt nummi.

Anno milleſimo centeſimo vigeſimo primo Eccleſia ſanctæ Mariæ Lucionenſis fuit ſacrata decimo tertio Kalendas Maij. Ignis combuſſit Eccleſiam ſancti Martini. Simon mortuus eſt Partiniaco, morte ſubitaneâ. Eccleſia ſancti Lazari igne diuinitùs ſuccenſa eſt.

Digitized by Google

Anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſecundo fuit ſanctum Paſcha ſeptimo Kalendas Aprilis, & hiems fuit clemens, & annona fuit leuiùs vendita quàm multis annis præteritis: circa duos ſolidos fuit ſextarius ſigillæ, & ſextarius frumenti per tres ſolidos. Tertio Kalendas Aprilis ſubactum eſt caſtrum Partiniacum à Vvillelmo Comite. Eodem menſe combuſtum eſt caſtrum ſancti Martini, & Monaſterium eiuſdem Turonis, vbi corpus eius humatum eſt, & Girardus Monachus ſancti Albini magnificus in vita ſua claruit. Sexto Idus Iunij Toarciaco caſtro tempeſtas inaudita fuit pluuiæ, & ita inundauit pluuia totâ æſtate, vt dimidia pars annonæ periret & fructuum & vini. Kalendis Septembris Monaſterium & caſtrum ſancti Michaëlis igne diuinitùs exuſtum eſt.

Anno milleſimo centeſimo vigeſimo tertio, Nonas Aprilis viſæ ſunt ſtellæ cadere de cælo. Concilium Romæ octauo Kalendas Aprilis. Bellum inter Ildefonſum & Comitem. Rotomago Iudæi fecerunt rem quandam deteſtabilem de imagine cerea. Obiit Vvillelmus Epiſcopus, cognomento Giſlebertus, & ſepultus eſt Fontis-Evrardi. Menſe Aprili Baudoinus Rex iterùm captus eſt. Menſe Iulij bellum apud Ioppen fuit. Menſe Octobri mare creuit apud nos inſolitò. Pridie Nonas Nouembris obiit Girardus Monachus ſancti Albini, qui per decem annos nec manducauit, nec bibit aliquid coctum igne; fuitque alius Guillelmus Monachus ſanctæ Mariæ Karitatis, valdè ſanctiſſimus.

Anno milleſimo centeſimo vigeſimo quarto fuit Concilium Carnoti. Guillermus Epiſcopus ſacratus eſt Kalendas Iunij. Tempus earum nimis, itavt frumentum venundaretur triginta & ſex ſolidis, ideóque fuit mortalitas magna. In ſtellis ſigna viſa ſunt, & viſiones multæ. Tyrus ciuitas capta eſt in menſe Auguſti, fuitque aliud Clermundo Concilium, & aliud Beluago: alterum quoque Viennæ.

Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo vigeſimo ſexto obiit Vvillermus Dux Aquitanorum quarto Idus Februarias, & Pictauis ciuitate, apud Nouum Monaſterium ſepultus eſt. Hic virtute ſæcularis militiæ ſuper omnes mundi Principes mirabiliter claruit: cui ſucceſſit in principatu Guillelmus filius eius, qui obiit peregrinus apud ſanctum Iacobum in Hiſpania. Eſt quoque ſepultus in Eccleſia eiuſdem Apoſtoli, in qua & obiit, honorificè ab Archiepiſcopo loci illius. Fuit autem obitus eius die Paraſceue, quo tempore Paſcha celebrata tertio Nonas Aprilis apud nos: apud Iudæos autem Kalendis Aprilis, id eſt feriâ ſextâ, quo die obiit. Hic erga hoſtes ſuos fortis extitit debellando, ſubiiciens ſibi omnes rebelles terræ ſuæ quos inuenit. Huic ſucceſſit illo anno, quo obiit, Ludouicus Rex iunior, filius Ludouici ſenioris, Regis Francorum, anno ſcilicet ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo, accipiens filiam eius maiorem vxorem, pro qua obtinere meruit totum principatum terræ illius. Peractâ igitur apud Burdegalam ſacratione eorum, & nuptiis celebratis, profectus eſt cum omni comitatu ſuo in terram ſuam, ſtatuens Præpoſitos terræ ſuæ.

Huius Regis tempore mortuus eſt Epiſcopus Pictauenſis Eccleſiæ Vvillelmus Adelelmi anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo in menſe Octobri, pridie Nonas ipſius menſis: cui ſucceſſit Domnus Grimoardus Abbas Alodiorum, vir benè religioſus, eodem anno, qui Paſcha apud ſanctum Maxentium celebrauit primo ordinationis ſuæ anno, ſacrauitq; chriſma feriâ quintâ Cœnæ Domini, vti decebat, cum honore & reuerentia. Hunc ergo locum elegit Domini famulus Grimoardus eſſe dignum tantæ conſecrationis, ob honorem & reuerentiam almi Confeſſoris Maxentij, & Fratrum loci. Hic itaque à Rege ſupradicto poſt conſecrationem ſuam non conceſſus. A die autem conſecrationis ſuæ, qui fuit vigeſimus ſextus dies menſis Ianuarij, vſque Pentecoſten, propriam ſedem non tenuit, neque ſeſſum habuit, donec Rex præciperet, & apud ſanctum Maxentium clementiam ſuæ conceſſionis in literis oſtenderet, ac præcipiendo propriæ ſedi reditum daret. Eodem itaque die meruit ſacrari apud Engoliſmam, quo die fuit Septuageſimæ initium.

Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo trigeſimo quarto, ſupradicti Vvillelmi Adelelmi tempore, quinto Idus Ianuarij obiit Domnus Gaufredus bonæ memoriæ Abbas Monaſterij ſancti Maxentij. Hic in conſtructione Monaſterij ſui, & in augmentatione ſui gregis curioſus ac deuotus manſit, vt rei euentu probatur, & opera declarant. Hic Monaſterium ſancti Maxentij, quod ei Domi-

Digitized by Google

nus accommodauerat regendum poſt vltimum incendium quod euenit ſuo in tempore foris ac deſuper, honorificè conſtruxit: cui ſucceſſit Domnus Petrus Raimundus, Monachus de Cluſa.

Huc vſque Auctor Chronici Abbatiæ ſancti Maxentij, quòd à Beſlio, Ducheſnio, aliiſque vulgò Malleacenſe dicitur, quòd quædam ſubnexa ſint, quæ ad fundationem ac reſtaurationem Malleacenſis Cœnobij propiùs pertinere videntur.

Poſt aliquot pagmas aliâ ac recentiori manu hæc adſcripta reperi, quæ non indigna luce exiſtimaui.

M. ſemel, & bis C. L. I. ſimul addere diſce,
Duxit Paſtorum ſæua Megæra chorum.
Anno milleno bis centum ſeptuageno,
Thunis Catholicus deceſſit Rex Ludouicus.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto, die Veneris ante feſtum beati Lucæ Euangeliſtæ, fuit inſula *de Ré* igne cremata, & illic multitudo gentium maxima ſpiritum exhalauerunt; & de ſuperbia commota fuit iſta guerra, quæ hodie regnat ſublimiter in hoc mundo.

Papâ Clemente quinto regnante, repentè
A Templo dictus ordo cecidit, quia fictus.
M. cum C. trina ſeptem fuit iſta ruina.
Anno milleno ter C. quinto duodeno
Papalis fatus diuiſit Pontificatus.
Rector erat cœtus I. neumate Papa repletus.
Anno milleno ter centum bis quoque deno,
Concio Paſtorum perimit Maſſam Iudæorum.

FINIS.

PETRI MALLEACENSIS MONACHI AD GODERANNVM ABBATEM LIBRI DVO:

DE ANTIQVITATE ET COMMVTATIONE IN MELIVS MALLEACENSIS INSVLÆ, ET translatione corporis sancti Rigomeri:

SIVE

Qualiter fuit constructum Malleacense Monasterium, & corpus sancti Rigomeri translatum.

LIBRI PRIMI PRÆFATIO.

Domino Patri Goderanno Famulorum Domini vltimus famulus PETRVS.

QVONIAM quidem auxiliante omnipotentissimâ Dei & Domini nostri IESV CHRISTI manu, vitam actusque venerabilis Confessoris Rigomeri ad calcem vsque pro posse correxi; reuerentia autem charitatis tuæ, Pater honorande, mihi sat iocundè, licet liberali peritiâ imperito, imposuit, vt quemadmodum, à quibusve personis in Malleacensi Ecclesia sacrum corpus eius translatum sit, quibus atque ibi miraculis claruerit, provt relatio virorum veracium qui interfuisse prædicantur, ne posteros lateret, chartis mandarem: primùm quidem fateor rem erubui, deinde memetipsum fragilitatisque ruborem peruincens obedientiæ vigore Domino me committens, atque ab eo tantæ rei perfectionem ardenti corde expetens aggressus sum. Verùm priùs libuit animo, ne ingratus essem patriæ, statum Malleacensis insulæ, provt ad nos ab antiquitate valuit transvadare, quibus quoque auctoribus exordium habuêre ipsa quæ in eadem cernuntur Ecclesia, depingere: demùm autem quæ proposui enodando terminare. Iam verò meum erit operi incumbere: tuum autem ne frustrà desudem, precibus adjuuare. Verborum ergo pomposa folia istic minimè requirantur, cùm in ædibus Domini diuinâ assertione plantari nemus veretur, & hæc exequi nequeat paupertas sensus, sed simpliciter gaudeat grex Christi pusillus.

RELATIO INCIPIT.

§. I.

IGitur illa quæ Malliacensis dicitur insula, densissima pulcherrimaq; quondam dicitur fuisse silua multitudine nihilominus ferarum admodum ditata. Amplissimo siquidem mariseo hinc & inde cingebatur, qui ex duobus propter fluentibus flu-

Digitized by Google

minibus, quorum Orientalis Alteria, Auſtralis quoque Separis vocatur, emanare cernitur, cuius crebris è paludibus voluptuoſa pullulabant gramina, & apta omnium belluarum generibus, quarum quãtus illic illis excreuerat numerus diebus ad recitandum & lingua deficit,& calamus. Immaniſſimè autem eo præcipuè vndecũque ſues aduentabant, quo & iugis terræ humor ſecundùm ſui naturã apta prætendebat volutabra,& excelſę quercus optata pabula. dumoſa ſanè inter altas fagos, quarũ innumera multitudo erat, ſuccreuerant fruteta, quorum denſitudo beſtias ab impetu & laqueis venantium protegebat. Animalium equidem multitudine huiuſmodi ſaltus carere nequibat, quoniam vt prælibatum eſt, & propter fluẽtem, amnem,& numeroſam paludem,& ſeminum idoneorum paſtus volucrum varietate, ac herbarum luxurie quarumcumque ſpecierum animalia confluerent, in ſeſe educabat largiſſimè. Circa verò matutinas & veſpertinas horas ſat haurite auribus erat, quantum procho, tùm ferarum ad ſonos, tùm volucrum garrulitates gracili ſilua tinnitu reſpondebat.

Princeps porrò terræ Pictauorum, Dux ſcilicet Aquitanorum, aulam non modicam ædificarat in eiuſdem ſaltus latere, in qua quotieſcumque iuuabat corpus plus ſolito venando exercere; deerant enim incolæ, valeret poſt nimios ſudores congruâ vti quiete. Sed & Baſilica miro opere fundata haud procul ab aulæ atrio in veneratione beatiſſimi Pontificis Hilarij antiquitùs fuerat, quo cum Duce aduenientes, quique Religioſi ſacroſancta celebrabant Miſſarum ſolemnia. In extremis quoque inſulæ vnde agitur, ſupra Separis alueum quoddam genus hominum piſcando quæritans victum, nonnulla tuguria confecerat, quod à maioribus Collibertorum vocabulum contraxerat. Quod nomen quamquam quædam ſeruorum portio ſortita ſit, videtur tamen quod in iſtis conditione aliqua deriuatum ſit. Vnde quoniam adeſt occaſio ipſius vocabuli, perſcrutetur interpretatio. Etenim Collibertus à cultu imbrium deſcendere putatur ab aliquibus. Progenies autem iſtorum Collibertorum hinc fortè iſtud ore vulgi multa interdum ex vſibus rerum vera dicentis contraxit vocabulum, quoniam vbi inundantia pluuiarum Separis excreſcere feciſſet fluuium, relictis quibus incolebant locis; hinc enim procul habitabant nonnulli, properabant illò causâ piſcium. Siue ergo ſit hoc, aut aliud aliquid, hoc vnum de illis fertur quòd ſint & irâ leues, & penè implacabiles, immites, crudeles, increduli, & indociles, & omnis propemodum humanitatis expertes. Aquilonaris certè gens, Normanni videlicet, quæ ſemper prædis, incendiis, & rapinis vltra modum alios vexare parata prædicatur præfatum flumen quàm ſæpè ſolita erat introire, ac quoſcumque poterat bonis omnibus nudatos neci dabat. Horum gladio Collibertorum poſt non minimam ſuorum ſtragem deleta cantatur maxima multitudo.

Iſtius nempè modi à veteribus accepimus Inſulam fuiſſe ad vſque piæ recordationis Vvillelmi Aquitanorum fortiſſimi Ducis, & Pictauenſium Comitis tempora, illius Vvillelmi genitoris, cuius ope & auxilio fundata ſunt mœnia Monaſterij Malleacenſis, in quo venerantur pia glorioſi Rigomeri membra Chriſti Domini Confeſſoris ac Sacerdotis. Verùm huius rei relatio congruo, Deo auctore, narrabitur loco. Qui glorioſus Princeps dum ad regni faſtigia ordinanda eſſet adſcitus, cáque maximè animi virtute quàm ferro regere exoptaret Optimatum propriorum conſiliis, ſororis Odonis famoſiſſimi Comitis, Hemmæ ſcilicet Religionis amicæ, ac ſcientiâ ſuffultæ, vt patuit ex fine, coniugio donatus eſt. Celebratis enim ipſius ex more nuptiis mox Malleacenſi ſeſe repræſentat ſiluæ causâ, ſicut credebatur, venandi. Sed longè aliter prouidebat noſtri clementia Redemptoris. Iam quippè tempus imminebat quo in ferarum conuenticulis Iesv Christi, Dei & Domini noſtri, ineffabilis miſericordia condere aſylum imperarat, quod miſeros à diaboli morſibus erutos, à ſuáq; vanitate ſecretos, cæleſtia perduceret ad regna. Aduenientè verò Principe Normannorum iam dicta rabies illum non valuit latere. Ad horum denique feritatem refrænandam, nutu ſapientiſſimæ recenter acceptæ coniugis eo in loco quo glorioſi Apoſtoli Petri modò cernitur Monaſterium, iubet Dux multæ fortitudinis erigi oppidum vallis, machinis, propugnaculiſque decentiſſimè decoratum.

Intereà dum inibi aliquantiſper moraretur, quò res celeriùs ad effectum perduceretur, diatim pro foribus aulæ, de qua ſuperiùs dicebamus, miræ magnitudinis aduentabat ſilueſtris porcus, moxque excitatis canibus & hominibus, ac ſi deluſor

quidam ad cauernæ repedabat tutelam toto impetu quâ pernoctare solitus erat. Die itaque quadam, dum huius bestiæ crebertimam impunè prouocationem viri venandi guari in opprobrium sui conquerendo adscriberent, adest sus, iterat quæ diximus. Verùm cum Duce eâ tempestate morabatur quidam Miles nomine Gaucelinus, & genere, & corporis robore clarus, qui aliorum ad feram insequendam instigatus clamoribus, accinctus gladio, iam fuga lapsam ante reliquos persequitur totis nisibus. Tandem ipsa multo cursu fessa, stratum repetit læta, quo cubitum ire consueuerat. At Gautcelinus cursu rapidissimo omnes præueniens, inter densissima viburna deprehendit quo sese aper substraxerat. Verùm quia multiplicitas spinarum callem concluserat, euaginato gladio, quæque nociua vicina extirpat, sicque ad bestiam ferox appropiat. Is autem erat locus quo est Monasterium quod dicitur Vetus. Illic etenim, sicut antiquissima pòst docuerunt fundamina, antiquitùs fuit Ecclesia, cuius euersionis à nobis ignoratur causa. Remanserant enim tunc ipsa terna quæ in cryptis habentur Altaria, licet fuissent tam imbre quàm pruinâ valdè detrita, inter quæ illa, de qua agimus, iacebat bestia. Quam vt sæpè fatus Gautcelinus cernere valuit, erat enim miræ magnitudinis, ne sese inuaderet, timuit; & casu vtpote tremefactus sacrum titulum illa de ara, quæ nunc venerationem beati continet Petri, ad eam aggrediendam comprehendit: sed postquam illud adtigit (mirum dictu!) oculorum mox lumen amisit, atque omni penè corpore obriguit. Pro posse tamen sociis, quorum clamor circum circa cuncta implebat, adscitis: Certissimè, inquit, funestæ morti sum destinatus, quoniam in specie animalis istius, hostis latet antiquus, cuius visione, quibus cernere facilè est, opprimor doloribus. Cernentes equidem socij qui aduenerant, nouitatem rei, & quid facto opus esset, inscij in manibus tollentes corpus ægroti, deferunt Comitissæ vultu valdè lugubri. Sapientissima verò mulier euentu rei accepto, quàm celerrimè locum adiit, atque tam ex aceruis Altariorum, quàm etiam ex parietibus cryptarum quondam extitisse Ecclesiam colligens, ad ægrum rediit: vtque binas faceret candelas, quarum longitudo & altitudinem corporis, & complexionem proprij retineret capitis, ammonuit. Ipsas autem in loco illo ardendas, vt peruigil seruaret, edocuit. Quod is vbi egit, tacendum non est quid sibi euenerit. Nam ad suggestionem fœminæ prudentis candelas æger faciens, ad illum quo illa, vt credebat, infortunia sibi acciderant, sociorum manibus defertur; eóque tamdiù luminaribus accensis excubando perstitit, donec difficultate somni oppressus, licet nolens, quieti daret defessos artus. Tandem tenebris viuacitate crepusculi depulsis, custos interea dormire nescius, clementiam ægro impendit suæ pietatis. Iam verò Titan aduentu ortus sui orbem lætificare cœperat, cùm is, vnde agimus, bajulorum voce excitus, & amissum lumen, & omninò valetudinem sese recepisse benedicens Dominum cunctis propalat. Quæ vbi Comitissæ indicata sunt, quid super iis tractauerit, sequentia, Deo propitio, perdocebunt.

Princeps interea coniugem adiit, ordinem rei ab ea accepit. Et primum quidem Dux his attonitus, deinde vocem exaltat in Christi laudibus. Mulier verò quodammodo præsagans mariti animos à Domino inspiratos: Non absre, ait, Domine mi, opinor, talia diebus tuis contigisse, quin potiùs per hæc coniecto te ad maiora quædam Dominum prouocare. At ille: Fateor, inquit, hæc mea est cogitatio. Verùm quonam modo id exequi debeat, mente adhuc pertracto. Tu autem si quid super his habes, dicito: quo vtrum conueniat rei communi deliberetur, consulto. Restauretur, intulit illa, ad Domini, si placet, famulatum locus, dictentur que expensæ quibus satis sit ædificatoribus. Et quia communis regni vtilitas, & bellicus labor tui eget, meum, si iubes, erit operi incumbere: tùm quoque necessitatibus mortalium obuiare. Siquidem videtur consequens, quoniam iuxta illum locum construis causâ tuendæ patriæ oppidum, quo ad animarum salutem pro me, quæ caro tua effecta sum, aliquod erigatur confugium. His oblectatus affatibus Heros consona petitioni eius omnimodis concedit, vtque opus accelerarer, obsecrauit. Porrò mulier assequutis votis cordis sui, idoneos diuersis è partibus artifices collegit, nutibusque eorum plenè obsecundans, quæcumque eiusmodi expetebant exercitia, breui primò parauit, deinde mundato, & emenso loco, iam Christo duce fundamenta conjecit. Postremò, dispositis ad opus instigandum procuratoribus, iam secura aliis sese impertita est rebus.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Natus est Vvillermus cognomento Fera-Brachia.

NEc multò post filium concipit, quem paterno nomine appellauit. Enimuero iam parietes cœpti operis vndique in alto se erexerant, ac præpositi venerabilis fœminæ materiem ad tecta componenda præcidi iusserant, cùm ecce hostis teterrimus humani generis diabolus fomenta odij inserit vtriusque conjugis pectoribus. Celebrabatur namque eâ tempestate ore multorum, Principem; dum à Britonum finibus reuerteretur hospitandi gratia Toarcense adiisse oppidum, ac cum conjuge Vicecomitis admisisse adulterium. Cuius flagitij dedecus, vbi primùm Comitissæ innotuit, iamiam marito molesta existere, quotidiéque despectum sui improperare cœpit. Ille quoque quamplurimis verbis sese excusare gestiens; postquam aduertit fœminam leuitatem sedare non verbo tenus posse, querimonias eius statuit surda aure postponere. Paucis verò hinc euolutis diebus, dum illa per campestria Thalamonensis terræ iter faceret, offendit eam, quam virum suum credebat stuprasse. Irruens ergo toto impetu in eam de equo quàm turpiter præcipitat, ac multiplicibus contumelijs affectam, comitantes se quatenus libidinosè nocte quæ imminebat, totâ eâ abuterentur, concitat. Quod illi exequentes mane facto pedibus illam effugant. Is ita patratis ad se se rediens mulier, quale facinus egerat, quámque graue mente perpendit: reuoluénsque secum quod consequens erat, dico autem iram super tanta audacia, immo stultitiâ, implacabilem mariti, noctu cum paucis elapsa Cainonem castrum, quod suæ tunc ditionis erat, expetiit. Quæ omnia vbi Princeps accepit, indicibiliter mœstus, qualem tanto sceleri rependeret vicem anxius exquirere cœpit. Verum quoniam aberat persona huiusce prauitatis auctrix, impunéque abscesserat, furorem repressit: res tamen, quibus eam dotauerat, cuidam strenuissimo secundùm huius sæculi pompam militi contradidit. Verùm vt Malliacense, quod ipsa inchoarat Cœnobium, inde perficeret imperauit. Dat ille fidem. Creditum est. Porrò autem is, quod promiserat, vt pote carnis filius postponens quæque potiora suo reseruabat vsui præter pauca quæ prębebat intimato operi. Nam quæcumque ex his rebus, quæ Monasterij cœpti causa & maritus coniugi & ea destinauerat construentibus illud iuris Militi suppetebant ex integro, ipse eiusque sequaces nimia voracitate, temulentia, luxuria extirpabant.

At clementissimus rerum omnium rector Deus, qui piorum vota misericors adiuuare est solitus post duorum, vt fertur, annorum curriculum consilio virorum sapientium vtriusque conjugis vnire dignatus est diuortium. Siquidem omnis terræ populus tam diuturnam Ducis sui erga vxorem iram vehementer exhorrebat, & quoniam multiplici copia boni donec illa secum adesset mundum cingeret: replicabat quæ ea fugiente recesserit, miserandáque calamitas mox assurgens, quæ suæ subiacebant ditioni oppresserit. Credidit igitur Princeps his quæ dicebantur, furoréque sedato mulieri annectitur: quæque illi prius delegauerat augmentans sese, dum sibi indignaretur, grauiter errasse confitetur. Prudentissima denique fœmina pristino vigore resumpto quæcumque ad supplementum Malliacensis Ecclesiæ congruere accipiebat quam celerrimè efficere cogebat, censumque non minimum ædificatoribus effundebat. Nec multo pòst volente Domino illud ædificium plenum accepit effectum. Gaudet Princeps omnisque regni conuentus.

Quadam autem die cum marito familiare iniit colloquium rogitans illic viros plantare ad Dei aptos famulatum. Cui ille, si quid tu in principio petisti, quia & ego alias intendo, tu hanc rem prudenter disponere memento. Quæque verò vtiliter perfeceris mihi complacere credito. Tum illa Gaubertum Monasterij Sancti Iuliani Martyris Abbatem quod Turonis habetur ad se accersiens totius ordinem rei enarrat; séque illic tredecim fratres, quorum vnus Prior diceretur titulare velle, & ex suo eos Cœnobio præstolari, si ipse votis eius annueret, prædicat. Abbas quoque quoniam sibi & consanguinitate & multo erat munere obnoxius libenter obaudit fratrésque ad hoc idoneos contradit.

Prælocutum tamen ac definitum est tandiu Ecclesiam illam & Monachos suæ ordinationi subesse, donec largitate vtriusque coniugis atque reliquorum terræ dominium tenentium virorum ita temporalibus dignitatibus ditetur vt Abbas loco illo opportunè instituatur proprius. Scripturâ firmatum est. Deinde sæpedicti fratres aduenerunt. Monasterium receperunt, monachile pensum Domino more solito obtulerunt. Indicibile gaudium aduentu suo Comitissæ præbuerunt.

Paucis verò euolutis diebus plerique Episcoporum ad curiam Ducis præfati adueniunt, ac de communibus Ecclesiæ Sanctæ vtilitatibus, præsente Principe differentes, nonnulla idoneè decreta statuunt. Inter quos Burdegalensis Archiepiscopus vocabulo Gumbaldus cum aliquibus suffraganeis suis aderat, quem Princeps consilio coniugis, quoniam religionis amicus ferebatur, ad dedicandum Malleacense Cœnobium inuitat. Consentit ipse, & vna cum reliquis eiusdem ordinis solemniter celebrat consecrationem Basilicæ, qua expleta aliquos Episcoporum Princeps secum assumens causa consecrationis Ecclesiæ Beati Hilarij, quam coram ipsius aula Principis constitutam prædiximus, ad eam eos duxit. Pictauiensem verò solum Pontificem secum Comitissa retinuit ac multa Sanctorum pignera quæ vndecumqne collegerat, in sinistro Cœnobij vnde agimus membro illo teste recondidit. Postremò coram principali arâ veniens quæcumque à marito sub appellatione dotis acceperat in vicinià insulæ terram scilicet quæ Podius-Letardi vocatur vna cum seruis quos illuc ex natiuo solo suo adduxerat, loco & Monachis tradidit, sicque læta discessit. Verùm quoniam Malliacensium Ecclesiarum auctores prodere promisimus, tempus suadet & res, vt aliquantulum illuc stylum deflectamus.

§. III.

Qualiter fundata est Ecclesia de Libée.

FAdem sanè tempestate patriæ huic sese quidam præsentat Monachus arte Medicus, natione, vt fertur Italus, qui pro artis peritia mox Duci, qui aliquibus vexabatur doloribus, fit notissimus. Is autem postquam ex vrina viri vim naturamque passionum collegit, congruens eidem remedium præstitit. Nihil tamen ab eo lucri expetiit, nisi vt concederet locellum sibi in amplitudine Malleacensis siluæ, quod cellulam & breue oratorium retinere posset in veneratione Genitricis Christi Domini nostri. Quo annuente fundauit Ecclesiam quam hactenus vocamus Liecensem Capellam. Vnum porrò de eodem viro accepi quod literis mandare ratum credidi. Quoddam quippe adierat oppidum Mareuentum vocatum : quatenus cuidam nobili aliquod scientiæ suæ impenderet (nam ægrotabat) medicamentum. Porrò autem dum aliquot ibi dies faceret, præsensit quod irreuocabiliter immatura mors sibi immineret : accitóque, qui se comitabatur, puero, quasdam specierum suarum potiones terere, vinóque miscere designauit : demum autem quatenus retrogradum iter quàm citò arriperent, imperauit. Mirum dictu! per omnem viam quotiescumque dolorem mortem minitantem sentiebat, paululum potionis prædictæ sorbebat, mortem auulsam valetudinémque corporis resumptam viua voce ostentabat. Quod tamdiu fecit, donec ad Ecclesiam quam à se ædificatam diximus, venit. Verùm vbi sepultura ad votum eius esset effecta: Humana, inquit, cedant medicamina, & reparationis nostræ, dico autem Corporis & Sanguinis Christi Dei mei afferantur cibaria. Allatum est ergo quod postulauit, piáque deuotione sumens ergastulum carnis exiuit. Hæc de tanto viro cùm mihi retulisse sit gratum nulli cogito fore onerosum.

§. IV.

De Ecclesia Sancti Pientij.

PRæterea in eadem insula cernitur Ecclesia in honore Beati Pientij vt dicitur, Episcopi fundata : quæ ipsa vetustate admodum probatur antiqua. Cùm autem persona eiusdem Fundatoris Ecclesiæ, quisve beatus fuerit Pientius quæritur,

Digitized by Google

quantum aduerto vtriuſque rei certitudo ab hominibus neſcitur. Totius nempe vulgi ore prędicatur, quòd Colliberti, de quibus ſuperius dicebamus, eam Eccleſiam ædificauerunt, atque in eâ quoties piſcandi gratia illuc aduenisſent, myſteria Miſſæ audiuerint. Sed & de Beato Pientio refertur, quòd cuiuſdam cuſtodis Eccleſiæ Beati Petri Pictauis fuerit filius, atque in eadem creſcente religione vitæque merito poſtea officium ſuſceperit Epiſcopatus. Verùm hæc vtrum ſint vera, vt diximus dubitatur. Hæc de antiquitate Malliacenſis Inſulæ nobis comperta fideliter deſcripſimus. Reſtat itaque vt quæ propoſuimus, omiſſa digreſſione, exequamur.

§. V.

Vuillelmus Dux & Emmelina conjux iterum iraſcuntur.

VTerque conjux vnde ſermo huc vſque pertractus eſt, iterum ad inuicem iraſcuntur, & mulieri multiplices pœnæ minantur. Quid amplius morer? Iterum fugatur. Quæ ad ſuos veniens filium, quem ex Principe ſuſceperat, ipſi furari fecit: æſtimans namque furorem viri ſui implacabilem, ſuumve reditum deſperans, Burgulienſe Cœnobium ædificare cœpit quod auctore Domino in breui completum conſecrare fecit, Beatique Petri Romę ditioni ſummiſit. Interea maritus multo iam ſenio confractus mundialem pompam ſpernens apud Beatum Cyprianum Pictauis ſanctæ religionis habitum ſuſcepit, ac Malliacenſem Eccleſiam projectis Turonenſibus Monachis ob contemptum vxoris Beato Cypriano ſubjecit. Nec multo poſt Abbati eiuſdem Monaſterij iratus eum deſeruit, & Beati Maxentij Cœnobium ingrediens vſque ad mortem illuc ſe perſeueraturum ſpopondit. Poſt quinquennium quoque graue incommodum incurrit, quod ſibi acciditſe nonnulli aſſerebant ob facinus amiſſæ vxoris. Credidit homo accuſatoribus ac honorabiles regni ſui deligens legatos ad complanandos exaſperatæ fœminæ dirigit animos, obſecrans vt ſe viſitet priuſquam ſe amara opprimat mors. Verùm illa primùm venire abnegat, pòſt nihilominus dulcedine eloquentiæ nunciorum multipliciter delinita atque fletuum & precum varietate inſtigata vna cum filio ad virum properat nobilium multorum agmine vallata. Enimuerò cernens Princeps prudentiam cum potentia mulieris & pulcritudinem filij de ſe nati ad referendas innumeras laudes Chriſto ſe totum conuertit eò quòd & nobiliſſimam filij indolem ad regni gubernacula aptam vltra quam credebat & conjugem diu malè tractam amori ſuo reconciliari paratam ſentiebat. Paululum igitur huiuſce lætitiæ cauſa à morbo releuatus communi conſultu matri ac nato regnum tradit, quæque eis agenda fuerant prudenter admodum imperando diſpoſuit. Ante omnia quoque dolum Boſonis Marchienſis Comitis contra ſe actitatum allegans non ſolùm filium, verùm etiam cunctos qui eò confluxerant proceres ad vindictam ſub iurejurando conſtrinxit. Is enim Boſo vbi aduertebat Principem vnde agimus, cuius dono ope & auxilio ad Comitatum prouectus erat, chiragrico morbo oppreſſum, variiſque paſſionibus obſitum, præſagiens quoque, quod penè imminebat eius videlicet obitum, fide quam promiſerat oblita, prius calliditate occulta cœpit ſibi ſubjugare eius oppida rura & municipia: deinde amicitijs muneribúſque colligare nobiles quoſque ac ſua caſtella: poſtremò creſcente æmulatione Pictauam ciuitatem noctu multo ſtipatus milite irrumpere aggreſſus eſt, reliquaque nihilominus regni poſſidere iura, ſed auertit eum Redemptoris mundi clementia. Poſtquam itaque ex diſpoſitione regni itemque procuratione ſui Dux verbum concluſit Sacroſancta myſteria noſtræ reparationis obnixè expetiit: quibus aſſumptis coram ſuis, vt ſcriptum eſt, in ſenectute bona viuendi finem fecit. Sepultus ſanè eſt poſt triduum in ſiniſtro Sancti Maxentij latere atque multorum precibus ac lacrymis Deo commendatus Chriſtiano conditus eſt more. Poſt eius exequias ad præceptum filij ſui Pictauis terræ nobilitas conuenit deliberatura quo pacto paternum dedecus in hoſte vlciſci & diuiſa prouincia valeret concordari. Breuiter compertum eſt ac ſacramento firmatum, neque adhuc Boſonis audacia quieſcebat.

§. VI.

Qualiter fuit bellum inter Boſonem Comitem Marchiæ & Guillermum Ducem Pictauiæ, & qualiter Adalmodis Comitiſſa fuit vxorata dicto Guillelmo Duci, mortuo eius marito.

ADalmodis quidem vxor eius obſeruatrix admodum carajorum atque maleficiorum quodam reſponſo diabolico iactabat ſe accepiſſe in breui Pictauenſem ſe Comitiſſam fore. Maritus autem qui nonnulla vera eius præſagio audiuerat, lætus effectus, quippe vxorem abſque ſe conſcendere non poſſe ad coniectati honoris credens faſtum iam iam patulo & dictis & factis Pictauorum detectus eſt aduerſarius. Obſedit quippe vbi Dominum ſuum obiiſſe veloci nuntio aduertere potuit, caſtellum quod Gentiacum dicitur eo quòd & ciuitati proximum & multi copia boni completum, & ſubita iuuentute munitum illo tempore habebatur. Coniiciebat etenim dubio procul quòd conſequens videbatur eſſe, videlicet à ſe illud captum iri poſſe, quod nullum ſibi vlterius municipium obſiſteret. Quam factionem vbi modernus Princeps præſenſit, liberare ſuos collecto exercitu obſeſſos armis vltricibus quàm celerrimè properauit. Cúmque vicinia hoſtilis exercitus experiſſet nobiles quoſque ac belli procurandi gnaros ordinandi informandique cauſa per omnes acies dirigit: & vt ad huiuſmodi negotium, partim verbo partim maiorum exemplo ſufficienter inſtruerent viuâ voce imperauit. Nec diſſimilia his dabat Boſo præcepta ſuis. Verum vbi ad conflictum ventum eſt poſt multorum vulnera & neces tamdem Boſo cuncto penè amiſſo milite addictus turpitérque fugatus eſt. Qua patrata Pictauorum Dux, Domino permittente, iuuamenque ferente, victoria, oppidum quod Rupes Medeldis vocitatur eò quòd ditioni Boſonis præfati ſubjacebat, obſedit, & oppugnando cepit : in quo Adalmodem eiuſdem Boſonis conjugem repertam fidelibus ſuis ſeruandam contradidit. Quam cùm laſciuia iuuentutis quæ latera obſeruabat Principis ad mariti iniuriam decerneret ludibrio tradi, ſeuerè Dux reſiſtit, nobilitatémque fœminæ miſeratus atque electis ſufficienter militibus ad matrem quæ Candida dicebatur, eam honorifice direxit. Pro cuius humanitatis gratia promiſit mater Candida vſque fluuium Rhodanum regni eiuſdem Principis per ſe dilatare iura. Nec eſt mentita. Porrò autem Boſo paucis emenſis diebus graui incommodo correptus turpiter deceſſit, factionum quoque in dominum commiſſarum pœnas luit, Cuius Emma Principis Pictauienſis genitrix fine agnito, clam Legatos ad Candidam mittit, eaque conſulta Adalmodem eiuſdem Candidæ filiam filij ſui coniugio ſociauit. At Candida haud immemor ſponſionis ſuæ eo vſque quo prædixerat, Pictauenſem Ducatum augmentauit.

His denique & huiuſmodi proſperitatibus Principis confirmatus in regnum matre ſuggerente ad Malliacenſe Cœnobium extollendum conuertit ſtudium. Nam quo primum tempore pater eius ad idem Cœnobium ædificandum coniugem ſuam, ſicut ſupra retulimus perpulit, totum inſulæ corpus ob ſiluam in ea concretam præter particulam quandam ad Aquilonem mariſcum à via vocata vetere vergentem ſibi venandi cauſa retinuit. Tum itaque Dux votis piæ matris alludens, Turonenſes fratres, quos genitor à prædicto Cœnobio cauſis prælibatis intercedentibus fugarat, clementer reuocauit: quæque prius habuerant reſtituit, atque eos honorificè ſe tractaturum reſpondit. Credunt illi & veniunt, & promiſſa omnia adepti ſunt. Nec multo pòſt venerabilis Emma Ducis genitrix poſt multiplicia Sanctorum actuum exercitia quadrageſimo primo ætatis ſuæ anno; regni verò filij, vt aiunt, ſecundo, è carnis progreſſa eſt ergaſtulo. Verùm priuſquam decederet filium ad ſe accerſens: Mi, inquit, nate, ego iam cuius te caritas vltra humanos, ſi dici fas ſit, eduxit affectus, vt cernis, defungor. Hoc vnum verò ante à te expeto, quatenus ob mei perpetuam memoriam Eccleſiæque Malliacenſis augmentationem tuitionemque vltimo ac ſi valedicentes iungamur oſculo, demum autem lęta emigro, Cúmque illius vocem ad hanc petitionem matris vbertas lacrymarum intercluderet ac ſingultum ; nutibus tamen, quibus poterat, ipſius deſideriis corde tenus annuere ſe indicabat. & quia de his meminerit, poſt eius obitum operibus declarauit.

§. VII.

De Theodelino Abbate Sancti Petri veteris.

VT autem ad superiora redeamus: cum Turonensibus Monachis quidam aduenit frater vocabulo Theodelinus, de quo quoniam grandis nobis est sermo habendus, eius & patria significanda est & genus. Fuit quippe, vt fertur, genere Hebræus, natione Gallus, iámque adolescens Monachicis disciplinis instructus atque procedente tempore vita & conuersatione simúlque actiuis exercitiis solertissimè præditus, itémque ingenio, modestia, consilio, constantia, prudentia, præcipuè verò lenitate decentissimè ornatus. Huic sanè & Præposituræ laborem & totius Monasterij deliberationem Abbas suus, imo per eum commisit Dominus. Qui prima aduentus sui fronte quippe prudentissimus explorare eorum incolarum, ad quos accedebat, animos volens quædam famulis extraneisve quasi vecordis prætendebat indicia: quo facilius ex eorumdem verbis & gestis virtutis an imbecillitatis viri essent, dum se ac si insanum attenderent, aliqua colligeret argumenta. At vbi paullo post leuitatis eos ventosæque iactantiæ malo laborare animaduertit, tum quo pacto eorum pompam tolerando quamlibet amicitiæ suæ adiungeret pertractare cœpit. Et quidem potentium fastus muneribus interdum placabat: mediocrium verò tum leni moderatione, tum exhortatorio sermone complanabat: præcipuè autem subiectis sibi fratribus quæque necessaria sufficienter admodum & humanè impendebat, & ita vnicuique sese liberalem atque hilarem ostentabat, vt singulus eorum amplius ceteris ab eo se diligi corde crederet. Cúmque his & huiusmodi domi foriſque floreret, famáque probitatis eius longè latéque percurrens nec ipsum terræ Ducem lateret, sed etiam alloquiis eius sæpissimè priuatim & publicè vteretur; post aliquantum temporis apud Abbatem suum inuidia delatorum ac si tyrannus accusatur, liberalitásque eius in ambitionis partem adscribitur: quódque eam non causa Domini, quin potius acquirendi honoris gratia exerceat, diuulgatum habetur. His igitur commonitis elusus Abbas quàm facilè nugacibus Prælatorum more credidit, propediémque se se id experiri per semetipsum necessariis amicis intimauit. Accelerato si quidem itinere clam Burgulienſi Cœnobio, cui & præerat, se excutiens, Pictauorum fines ingreditur, fratrem quoque accusatum nimis profligari contumeliis iam patulo minitatur. Postera nimirum die in quadam Burgulienſis Cœnobij cella diuertens, quæ Malliacensis Ecclesiæ habetur affinis, industria quorumdam se amantium nocte eadem viro Dei Theodelino patefiunt minæ & odia propriu Abbatis. Mane itaque facto, fortissimo rerum Domino inuocato, simúlque puritate conscientiæ confisus apparatu venturi patris necessario famulis commisso, consenso equo obuiare ei studuit corde constantissimo. Cúmque non longè processisset à Monasterio patre obuio, equo cui insederat, neglecto, toto corpore in palude, quę magna eo loco erat, prostrato, benedictionem ab eodem more implorat solito. Is autem in eo neque visum deflectens, neque verbum aliquod proferens citato gressu pertransiit, eúmve, ceu hostem obduratis visceribus spreuit. Tum mirabilis Theodelinus prouerbium memoratu dignissimum voce est libera prosequutus. Certè, inquit, reipsa probabitur, vtrum tu duritia improuisa, an ego patientia mecum à cunabulis, si dici fas sit, concreta, victoriam adipiscar facilius. Nam nisi hunc me assurgere iusseris, definitum in Christo opperior, quod hiç me inueniat finis. Interea Abbas talia non curans longiusculè à loco secesserat, cùm ab audientibus accipit quæ humiliter prostratus vir iam dictus ei dixerat. Verum hi, qui secum aderant fratres valdè miserati hominem, ante rei examinationem præsertim publicè id Abbatem facere non debuisse lacrymabiliter allegant: atque huiusmodi factum Monachis quidem inauditum, sæcularibus verò detestandum enunciant. Quorum suggestionibus paululum Abbas inclinatus: retrogradum, inquit, iter vnus vestrum arripiens virum conueniat, eúmque surgere mei vice cogat, & nos subsequi ammoneat, vt si obedierit, quia verè humilis sit cunctis clarescat. Vbi autem ad virum Dei Abbatis delata sunt edicta, ac si cælitus ammoneretur, surrexit, totáque illa die aspectus eiusdem patris valdè sapienter declinans paruitate cibi potúsque etiam inimicos ad misericordiam protraxit. Delatores sanè iniurias

Digitized by Google

eum sat modestè perferre, itémque rei discussionem omni auiditate prestolari cernentes, simúlque pudore commentatæ à se falsitatis metuentes noctu effugiunt: sacrum verò hoc iudicium prauitatis intentatæ sapientibus relinquunt. Porrò subsequenti die ad negotium dirimendum locus expetitur, accusatores vnà cum diffamato citauerunt. Is alacer corpore nitida conscientia fisus adest, nugaces abesse renunciantur: Quo Abbas accepto dum præ confusione aperire sibi os non esset, quoniam quidem nihil iustę querimoniæ erga male tractatum fratrem reuera inueniret, prius quidem lenitatem animi in credendo falsa apud se reprehendens, postea verò quæque à personis talibus audierat, verecundè tamen his qui se circunstabant referens cur indignatus sit exponit. Cúmque præfatus frater rationem redderet honestè de objectis: Te, Abbas etiam, inquit, fili horum fuga & suam inuidiam & tuam quoque innocentiam apertè detexit. Hæc quoque dicens surrexit priórque satisfaciens veniam supplex ei postulauit. Quod Theodelinus cernens humo & ipse acclinis noxam patri benignè remisit. Peracta itaque reconciliatione, vtilitatibus, quas in commisso sibi officio Theodelinus fecerat, Abbas delectatus, & vt quotidie in melius proficeret, neque adulantium linguas amplius metueret paternè est exhortatus. Ad Monasterium igitur post triduum sæpedictus Abbas reuertitur: Theodelino fratri multò plura quàm prius committuntur. Nec multò post & Abbas moritur. Quo defuncto Princeps Pictauorum Malliacum adit, cuique ipsum Cœnobium, cui iam múlta largitus fuerat ac largiri sperabat, commendaret, tractare cœpit. Cúmque parentum confœderatio memorię occurrisset, quandoquidem iam tot prædia eadem possedisset Ecclesia, quorum amplitudo Abbatem proprium exigeret, etiamsi progenitorum eius id industria in primordio cœpit operis non statuisset, licet ipsa insula adhuc præter prædictam particulam sibi deesset nulli iustius quàm Theodelino qui multos eo in loco sustinuisset labores, regimini eiusdem præficere basilicæ animaduertit, quique multos nobilium suæ obnoxios feciisset bonitati. Quod vbi optimatibus, qui secum aderant, significasset, eisque hoc complacere perpenderet, sæpe taxatum virum Dei aduocat, quidque sibi super eo in huiusmodi negotio animus suggereret, ei reuelat. At ille modestè quidem ac rationabiliter dum ei & Prioribus suis etiam post Patris decessum & sanctæ maximè regulæ se subesse, ideóque tale quid sine fratrum consilio, voluntate & licentia suscipere non posse inferret: tum Dux viros ad rem peragendam gnaros ad fratres Monasterii intimatos direxit, obsecrans sibi & virum concedi & scriptis plenè tali annuere electioni. Illi verò pro sui reuerentia libenti animo prętendunt Principi quæ postularat omnia. Qui assecuto cordis sui voto, Præsule vrbis suæ vocato, Malliacensi Cœnobio Theodelinum Patrem præficit auctore Domino. Is autem quàm prudenter, quámque humanè officium sibi commissum administrauerit, quia vllius eloquentia plenè id nequit, sequens ex parte pagina, si Deus annuerit, prędocebit. Sed iam hic sermonem claudamus: quęque restant alio principio ordiamur.

LIBRI SECVNDI PRÆFATIO.

OMNIS res quæ partibus constat tandiu imperfectionis dispendio notatur, donec eadem necessariis omnino supplementis cumuletur. Nam licet quilibet domum ędificare volens vitæ fundamenta jaciat, cremento ac lapidibus parietes vndique pro modo componat dispositę qualitatis, quousque tamen desunt tigna, laquearia & tecta ædificium illud pars vocari potest, plenè domus non potest. Et in omnibus quidem penitus ædificiis hæc eadem valet consideratio reperiri. Sed & Redemptor noster, vbi ædificatorem turris sumptuum necessaria ad supplementum operis opportuna prouidere debere, alioquin illusionibus videntium eum subjacere admonuit, quàm sit pro nihilo habendum incipere & non consummare luce clarius propalauit. Si igitur inchoatio etiam boni imperfecta paruipendenda est delusionique obnoxia; res autem bene cœpta ac solidè compacta laude dubio procul dignissima: insistendum ergo est omni incipere conanti vt principium operis exornet decore perfectionis. Quapropter ego qui iussis tuis pater Venerabilis GODERANNE cum meo etiam pudore parens, quippe imperitus, in præce-

dentibus succinctè quidem sed sufficienter, vt puto, quia verè de antiquitate & commutatione in melius Malliacensis insulæ quæ Deo Duce nonnullis iam repromissionis terra effecta est, aliqua retuli, atque ad eum vsque locum, quo sacrosancta religio primum in eadem caput extulit, Cœnobiúmque in ea recenter constructum Abbatem prom eruit, protraxi, ne cœpta paruitatis meæ consummatione careant, orationibus tuis fisus ad supplenda quæ restant, immo de Domini auxilio præsumens, stylum deflexi: Parum autem mundi sapientum, præcipuéque Peripateticorum versuta sophismata, si quando simplicitatem indoctæ linguæ meæ subsannauerint, reuereor; quoniam quidem ipsi tum maiores scientiæ partes se assequutos iactitant, quando confuso ordine profusis circumlocutionum ambagibus, esse alicui, quod est, negato, & quod non est, sophisticè impositò, vera, quantum in ipsis est, occultantes, ficta quasi probabiliter pro certis inducunt. Quorum astutiam quius eneruare poterit, si quando aliquid proponunt, silentium sibi indixerit: neque enim melius eorum tumor dicendi frangitur quàm vt silendo reijciatur, ludant ergo insultantes superbum sapienter simplicibus: tolerent simplices & tacendo negligant horum plausus. Verùm iam hæc omittentes ad propositum accedamus: surdâ aure quoque quorumcumque sugillantium felleos rancores transgrediendo linquamus.

§. I.

Qualiter Abbas Theodelinus rexit suos Monachos apud Sanctum Petrum, & qualiter erat primus de consilio Guillelmi Comitis.

IGitur modo quo superius diximus viro Dei Theodelino leuato Abbate de ampliatione ac augmentatione commissæ sibi Ecclesię cœpit multa sollicitudine secum multa pertractare. Quo tempore quidam vir Marolienſis oppidi non mediocriter ditatus comperta fama fidei & probitatis eius, eum adiit, multámque summam denariorum vltra nongentas libras ei commisit. Ex qua omni summa tertiam ei partem obtulit, quatenus quod restabat sibi suisque custodiret filiis. Quod ipse libenter fidelitérque adimpleuit. Verum quoniam iam illo tempore abundantia iniquitatis maxima ex parte bonum excludere cœperat charitatis, adeò vt debita reuerentia minimè impenderetur antiquis etiam Sanctorum locis, quàm potiùs conculcabantur à pessimis, colligens animo reuerendus heros nouiter ædificatum Cœnobium dilatari nequaquam facile posse absque donariis terræ Principis, quàm familiariter ei adhærere ac imperiis eius humiliter parere, atque ex collatis sibi muneribus eum sępissimè honorare, sedulàque officia prout opportunitas & rei & temporis exigebat, exhibere consilium fuit. Cúmque exercitijs huiusmodi intentus Principi acceptus esset & gratus, adeò vt in maximis quoque negotiis eius consiliis & dispositionibus magis fidem daret, quàm cunctis suis optimatibus, hácque de causa apud ipsos etiam Aulicos honorabilis haberetur, cœpit ei idem Princeps quam multa quam grandia repromittere, id que ipsi potissimum iubet obseruare, vt si sibi aliquid ex decessione & successione nobilium viderit contingere id à se non tardet expetere: quandoquidem vt asserebat, sibi commissæ Ecclesiæ potiùs quàm alicui tyrannorum optabat conferre. Et hæc pater Theodelinus surda haud hauriebat aure, sed lento potius gradu quàm concito, & opportunè magis quàm procaciter ad animi sui vota cupiebat scandere. Idcirco siquidem se nolle ab eo postulare, vt postea ipse asseruit, dissimulabat, vt si quando aliqua grandia deposceret, ea facilius ex tarditate petitionis obtineret. Religiosum id namque præcipuè Monachis asserebat officium rarò infestare mendicando animos Principum, Oppidum nimirum quod eiusdem Ducis genitor, sicut superius meminimus, causâ Normannorum ædificarat in Malliacensi insulâ, adhuc in ea tunc temporis habebatur: super cuius diuturnitate præfatus Pater graui mœrore afficiebatur, illiúsque potissimum euersionis causa Palatinus videbatur. Siquidem valdè metuebat ne post Ducis decessum aliquis illud tyrannorum sequentis sobolis fraudulenter irrumperet: atque hinc quęque Monasterio concessa vastaret, extirparet, dispergeret.

Digitized by Google

§. II.

Qualiter Guillelmus Dux acquiescens ad requestam Theodelini Abbatis, dedit Castrum cum tota insulâ, vt in dictum castrum transferretur Cœnobium, quod tunc temporis erat apud S. Petrum.

VNde die quadam dum primus anniuersarius dies matris ageretur, & Dux circa pia opera esset intentus, atque ob memoriæ eius solemnem recordationem multis lacrymis fieret suffectus post completas orationes mirabilis Theodelinus eum adiit, atque tum exeniis, tum blandimentis plus solito demulcens, vbi illum plenè aliis repulsis negotiis ad se intentum conspicit: Quoniam, inquit, dulcissime Domine, decet me tibi tuisque omni vigilantia bona prouidere ac mala futura, quomodo euitentur, præmonere, vellem, si adsit animo, aliqua tibi vtilia, priuatè tamen perorare. Mox ergo eo annuente locum ad hoc aptum expetunt: demum quoque præfatus vir tale dicendi arripuit exordium. Cùm omnes, inquit, quos ad regni fastigium disponendum diuinum sublimauit auxilium, iniquitatem fugere, auaritiam libidinémque ac si pestiferum virus perhorrescere, ceteráque superbiæ membra à se eliminare, iustitiam & pietatem colere, largitatem munificentissimam sine censu etiam prætendere, continentiam & castitatem indesinenter inuiolatéque conseruare; ac reliqua sanctæ humilitatis exercitia semper deceat adimplere: videris te potissimum, quem & parentum nobilitas & liberalis pietas decorauit, his studiis debere operam dare. Quæ omnia te exequi velle istud erit argumentum, si ea quæ sub te Domino dicata sunt, te disponente in ampliorem erecta statum fuerint ac expolita, ne te decedente in sese retineant, quod sibi verti queat in scandalum. Cúmque Princeps ijs attonitus, cur ista proposuisset, diligenter inquireret, consequenter intulit ille. Insula quidem, Pater reuerende, cui nos pios genitorum tuorum conatus cómplens perfecisti, in sui fortiori parte, te teste, retinet castrum tuæ ditioni subditum; quod nisi dum aduiuis, iubeas iri perditum quandoque in tuo Cœnobio famulantibus futurum sit contrarium, nec intellectus concipere valet mortalium; sed si idem vitæ causa perennis nobis filiis tuis largiri placuerit, verè quod modò & nobis metus est mali, & quandoque suauis consilium poterit fore iniquum, vertetur ac manebit pauperibus Christi in refugium, efficiatúrque illo limes quo rapiatur cœlum. Igitur eo quod se manebat explicante, tum Dux Dei omnipotentis, vt credimus, aspiratione commotus: si, inquit, illic alicuius magnitudinis erigere Basilicam ritè sponderis, & castello à me cum toto insulæ corpore, itémque præterea multo munere donaberis.

Priùs autem quàm hæc contingerent vix octo soles emensi fuerant, cùm vigiles castelli, de quo agimus, per maximum luminis pharum ad sphæræ modum cochleatum noctu super Malliacense Cœnobium cœlitus lapsum conspexerant, cuius splendore illustrati adeò exterriti fuerant, vt voce confusa socios assurgere, arma corripere, hostes insulam irrupisse, atque Monasterium concremasse multo assererent clamore. Quorum ipsi clamoribus expergefacti concitè assurgentes partem quidem luminis conspexerunt, illudque non humanum, sed diuinum veritate cogente confessi sunt. Deinde nimirum nocte alia homuncio quidam arte piscator dum ad officium exercendum properaret, tres splendissimos viros luminum trium portitores eandem Ecclesiam ingredi ac per tres fermè horas eos vtrum regrederentur præstolans spe illa frustratus est. Itaque dum visiones huiusmodi fratribus eiusdem Ecclesiæ reuelarentur, sese à Domino visitari, locum quoque suum in breui augmentari maturiores quique profitentur. Nec multo post Patris Theodelini & Ducis sæpe-fati confœderatio præloquuta & astipulata est. Sed iam res ipsa exequenda videtur.

Porrò vir Dei Theodelinus, vt dicere cœperam, ex verbis Ducis quæ dudum sperauerat, effectui appropiare agnoscens gaudij sui magnitudine ad vestigia ipsius corruens, & vt dicta chartis firmaret, supplex expostulauit. Cuius precibus Dux haud segniter assensum præbens: Quoniam, inquit, quæ expetis firmè stabilitérque locanda sunt, repete quantocius propria, & quęcumque genitores nostri

&

& nos Cœnobio tuo contulimus litteris: manda, primáque ſcribatur ipſa quâ à me hodie donaris inſula: demum quoque vna nobiſcum Romana Beati Petri Apoſtoli adies limina: ſubijciámque tum Cœnobium cæleſte Clauigero præſente Papa, & iuncta ad ſe pertinentia: quatenus amodo & in perpetuum ab omni ſeruitutis vinculo libera permaneant & abſoluta, nulliúſque ſint Epiſcopi aut alterius Monaſterij ditione ſubjecta, præter Romanam Principis Apoſtolorum Eccleſiam, cui quotannis viginti ſolidos pro cenſu ſoluetis ac ponetis principali eiuſdem Eccleſiæ in ara, eritque munus hoc memoriale ad veſtræ Eccleſię ſubſidia, & ad hęc quæ diximus perpetuò conſeruanda. Nec mora poſt hæc à facie Principis Abbas ſe ſubripiens quæcumque imperata ſibi fuerant litteris tradit die ipſa, eique Principi offert, & vt firmet more ſolito coram optimatibus ſuis inſtantiſſimè rogitat. Quid multa? Princeps libentiſſimè annuit, firmat chartam reliquiſque nobilibus firmandum tradit, nomẽnque matris inter teſtatores ac ſi viueret, pro eo quod eius anniuerſarius dies mortis agebatur, conſcribere fecit. Et quidem tum ab Incar. Domini noſtri Redemptoris milleſimus tertius annus voluebatur, cum hæc menſe Iulio Pictauis agebantur, ac regnare Francis Rex Robertus ferebatur. Facta autem eſt ad votum Abbatis ac Principis primum Pictauis eadem carta: ſed ſubſequenti anno Romæ recitata ac roborata & in Apoſtolico priuilegio tranſlata. Denique ſubſequenti tempore vir Dei Theodelinus ſecundùm Ducis voluntatem cum eodem Romam perrexit & præſente eodem Principe quæ geſta fuerant Sergio Papæ, qui tum ſedi Apoſtolicæ præerat, expoſuit. Cúmque Sergius an ita ſe res haberet à Principe requireret, tum ipſe aſſurgens ita eſſe aſſeruit: vtque hæc priuilegio auctoritatis Apoſtolicæ confirmaret votiuè ſat ſupplicauit.

§. III.

Qualiter fuit caſtrum deſtructum & Cœnobium aſtructum.

PApa verò deſiderio viri alludens duo ſuper hoc negotio iubet fieri priuilegia, quorum vnum Sancti Petri perpetuò retineret Bibliotheca: aliud Abbas in papyro more majorum ſcriptum deferret ad propria. Quæ vbi ad votum vtriuſque completa ſunt firmati viri benedictione Apoſtolica ouanter repedarunt ad ſua. Donaria ſanè quæ in priuilegijs retinentur prætereo, quoniam hæc habentur in propatulo. Porrò autem regrediens Princeps oppidum funditus deſtruxit, atque deſignatis conſequenter in locis, auctore Domino futuri Cœnobij fundamenta primus iacere cœpit. Quid multa? Tanta celeritate aiunt ædificium illud ad perfectionem veniſſe, vt poſt quatuor annos prioris Monaſterij fratres illò commigrauerint, & aliquantum temporis in ligneis officinis habitauerint. Quæ officinæ poſtea opportunè effectæ ſunt lapideæ. Iam verò Malliacenſis Eccleſia non modicè excreuerat, famáque pulchritudinis & magnitudinis eius per multa ſeſe ſparſerat; cùm Berno Burgulienſis Abbas qui Gautberto prælibato ſucceſſerat, corporeo rejecto regmine ad æterna demigrat. Poſt cuius deceſſum fratres eiuſdem Monaſterij tanto viro orbati Pictauienſem Principem ſæpefatum conueniunt, querimoniam allegant, caſum exponunt, ſui miſereri, Theodelinum ſibi Patris officio fungi debere implorant; Burgulienſis Eccleſiæ cura mad eundem Principem ceu Malliacenſis, quippe à ſe & à genitrice fundatæ, iure fundatoris pertinere toto affectu ingeminant. Quorum petitionem rationabilem idem Princeps ſuſpicatus patrocinium viri eis conceſſit, ſed ea conditione; quatenus ſe potiſſimum non abnegaret Malliacenſi Operi, illúmque locum ſemper ſibi attenderet ſpecialiter commiſſum.

Multa denique ea tempeſtate eidem Patri, exceptis his duobus licet inuito commiſſa ſunt Cœnobia: quorum quidem alia per ſe regebat: alia verò probis ac religioſis fratribus injungebat diſponenda. Et licet ab vno viro plures regi Eccleſias non eſſe canonicum ſciam, idcirco tamen mihi non approbando referre rem placuit: ſed vt per hęc quilibet agnoſcat quanta in Theodelino diſcreta miſericordia cum moderata prudentia viguerit. Videre namque mihi videor multiplicia in eo bonorum operum excreuiſſe exercitia, quem ita omnis ætas regularis diſciplinæ am-

Digitized by Google

plectebatur reuerentia. Nonne ergo si cateruas fratrum Cœnobiorum sibi subiectorum eius regimen toto affectu sitientium intueamur, Isaianum illud oraculum quodammodo: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum, animo mox in his non compensamus. Quam autem in pupillorum ac viduarum ex familia Sancti Petri existentium consolatione largissimus, quámque erga famulos proprios, vt in adipiscendis bonorum artium officijs inuigilarent sollicitus fuerit taceo, ne in immensum proteletur narratio: ea duntaxat quæ susceptæ operis exigit dispositio, commemoro.

Ea siquidem tempestate millesimus decimus fertur ab Incarnatione Saluatoris emersisse annus, gerebátque vrbis Pictauæ præsulatum Gislebertus, Francis verò imperabat Rotbertus, cùm vehementissimè mirabilis angebatur Theodelinus, quia cùm omnium bonorum affluentia abundaret Malliacensis locus, sola Sanctorum deerant pignera quibus honoraretur atque defensaretur. Sed clementia insita summo Principi ac domino omnium rerum, quippe cuius hoc est singulare priuilegium, vt pia piorum desideria plenè perducat ad effectum, super hoc satisfecit, eidem in hunc quem paulò pòst ipso donante assignare decernimus modum. Prius autem tale quid narrabimus.

Abbas Engiliacensis Ecclesiæ illis diebus caput sanctissimum Præcursoris Ioannis Baptistæ Domini, quod antiquitus in eadem absconditum Ecclesia ferebatur, leuare, atque omni populo quo ipsum caput verè Ioannis esse fidem faceret ostentare voluit, ac ad tale spectaculum inter reliquos Theodelinum Patrem inuitauit. Aduenientе itaque statuta die Angiriaco innumera plebs affuit: Sacerdotum denique & Monachorum cœtus confluxit inæstimabilis. Cúmque ad rem peragendam ventum esset & inter priores, quosque persona cui tantus thesaurus eleuandus committeretur idonea quæreretur, prosiliens præfatus vir è medio: si, inquit, ô Patres iubetis, dilectum cœlestis sponsi, ego libentissimè accipio, ac præ magnitudine sui ac reuerentia multoties exosculatum vestris visibus repræsento. Cuius professioni dum omnes alluderent solemni præmissa oratione ad sanctas gazas supplex accessit, detexit, omnique multitudini expositas per duarum ferme horarum spatium demonstrauit. Quo expleto, dum eum recondendum omnes annuerent, diu multúmque prolixam orationem simulauit, sanctisque è dentibus vnum in ore occulit. Verùm mox condigno mulctatus verbere, nam tum oculorum caruit lumine: quæ fecerat, his, qui adstabant, verecundè licet, referat, deinde malè amissam valetudinem confitendo dignè secum reportat. Hæc pio ostentando viri voto erga sanctorum pignera inseruisse sufficerit. Iam verò stylum retorqueamus ad id quomodo desiderio ipsius satisfactum sit.

§. IV.

Qualiter, & à quibus personis, & à quibus locis, & quæ miracula facta sint, & quo loco translatum est corpus Sancti Rigomeri.

IGitur post terminum rei præscriptæ, dum ad propria remeasset is de quo agimus, causa intercessit, quâ eum Hugo Cenomanensis Comes conueniret. Si quidem imminebant ipsi per maxima quæque negotia, quæ eo inconsulto, diligebat namque illum charitate libera, sibi timebat nocitura. Cúmque ex omnibus quibus eum consulturum pararat egregiè accepisset responsa, demúmque ad inuicem familiaria quædam alternarent colloquia, inter hæc & illa, Comes, vt videtur Domino inspirante, Abbatem rogat vtrum sibi ad tanti operis supplementum boni affluaret vbertas, an se circumcingeret, vti in recentibus sæpe accidit, rerum tenuitas. At ille: Plurimis, inquit, si de temporalibus disputas bonorum ad explendum abundo omnium copiis, sed quid mihi ex ijs solaminis, dum Sanctorum pignoribus careo Sacrosanctis? Cúmque allegantis modo nonnulla replicaret. Sed quoniam mihi tibique orta est hinc fabula venerabile caput tuum deprecor, latissimos memoriæ campos percurrendo retracta, ac si quid, præuales præbe vnde sitis meæ ardor capiat refrigeria. Ad hæc admodum attonitus Comes primùm quidem paululum verba faucibus occludit, deinde: Quoniam, inquit, nequaquam hæc tui tantùm reor petere causâ, quin potius multorum commodi gratia, & vt legimus plus aliorum

quam noſtra nos quærere decet opportuna præſidia tale quale poſtulas in quadam iuris mei Eccleſia theſaurum progenitorum meorum reſeruauit induſtria, quo tua obſtrictus dilectione me expolio, tibique hunc liberum concedo. Fuit ſiquidem IESV-Chriſti ſeruus vocabulo Rigomerus, cuius viri leguntur actus & apud nos crebris refulget miraculis, cuius forſan nec famam acceperas hactenus. Mecum itaque aliquem arcani fidum cuſtodem necnon & religione probatum dirigito. Ego autem eius aſſignatione ad vſquequo inferendus eſt locum digno inquantum valuero digniſſimo proſequar obſequio. His auditis vir venerandus quanto tripudiauit gaudio, quámque feſtiuè ſummo Domino tantique boni largitori multipliciter innumeras rependit gratias reticeo, quoniam quidem ſummorum oratorum poëmata his ſuccumbere credo. Deligitur tandem communi conſilio frater quidam & bonitate celeberrimus, & huiuſmodi negotij, vt ferunt, ordinator peritiſſimus, comitique longè ſub alius operis intimatione aſſociatur. At vbi Cenomanicam vrbem ingreſſi ſunt, intimat Monacho præfatus Comes, vt à ſui conſortio ſe ſubtrahat, & quoquo potuerit, ac ſi eum à ſe pepulerit, hoſpitandi gratiâ diuertat: rebus nocte decoloratis, ad ſui ſuaſionem legati ſe quàm celerrimè adeat. Hæc verbis ille; factis haud aliter ſuppleuit iſte. Denique ingreditur ille Comitatum familiaribus ſe aliqua Sanctorum loca expetere velle orationis causâ ſimulat: ſagmarios demum itémque ſufficientem apparatum, prout longioris viæ neceſſitas poſtulaſſet, parari Officialibus ſub eiuſdem noctis articulo imperitat Finito autem die, cùm omnes ſui monitis eius parando opportuna perſtreperent: vrbs verò omnis peregrinari eum velle opinaretur, rem nimirum ſubſecuturam, nec vllus quidem leuiſſimè ſaltem ſuſpicaretur, clam idem Comes accerſito ſecundùm ſignificatum fœdus fratre, de quo ſuperius dicebamus, vna cum eo Eccleſiam Rigomeri glorioſi penetrat, cuſtodes quatenus rem occultant, iurejurando obligat: deinde ſuppliciter præmiſſo oratu ad glebam quæ ſanctiſſimum prælibati Patris retinebat corpus appropiat: poſtremò patefactis eiuſdem glebæ oſtiis ſacroſanctos artus inde cum indicibili abſtrahens reuerentia in ſcriniis ad hoc opportunè paratis transfert, omníque diligentia ſignat. Cúmque hæc agerentur ſubito inopina concrepant tonitrua, denſiſſimáque coruſcant fulgura, licet paulò antè temperies adeſſet quàm ſerena. Mox quoque rei procuratores præter Comitem ac Monachum ſeſe hinc ſubtrahentes metu correpti conclamabant priori debere reſtitui loco ſancta pignera, alioquin nequaquam euaſuros huiuſmodi diſcrimina. Quæ idcirco, vt credimus, diuina egit potentia, quatenus is, qui transferri conabatur, ſolidiori veneraretur & coleretur diligentia. Enimuerò paullò poſt reddito ſereno volente Chriſto congruè omnibus quæ res flagitabat diſpoſitis, viri Eccleſiam egrediuntur, acceptóque itinere eadem die ad vſque Andegauenſe oppidum mira celeritate proficiſcuntur. Et quoniam ipſa eadem die anniuerſariæ ſolemnitatis beati Albini Epiſcopi vrbis Andegauæ plebs feſta recolebat Miſſæ adipiſcendæ voto S. Theſauri bajuli in Baſilica eiuſdem ſancti diuertunt, ſcrinia deponunt, officium cuius cauſa ædem ſacram adierant, expetunt, ſed quid tunc noui per exanimata noſtri Rigomeri membra effecerit arbiter ſupremus proferendum quàm tacendum videtur gratius. Vt namque hinc paululum ludendo canam.

Virtus tecta parum refert, vitium que ſepultum.

Porrò autem dum Sacroſancta myſteria præſtolarentur viri, & ſcrinia, quæ vt diximus, ſacris erant pignoribus ditata, quodam Eccleſiæ loco expoſita haberentur, protinus quidã paralyticus penè omnis corporeę valetudinis expers portitoris officio illò adfertur, caſuque ſupra prædicta ſcrinia orandi gratia neſcius quid in ſe retinerent recubans, plus ſolito obrigitur, deinde tot incommodi infeſtationibus agitatur, vt ſibi vitalem flatum amiſiſſe videretur. Paulò pòſt verò mirum dictu ſtupentibus, qui aderant, omnibus, adeſt inopina ſalus, ac per mortui membra, viuenti medela diu præſtolata porrigitur. Quo patrato dum plebs quæ illuc ſolemnizandi cauſa conuenerat vna cum meliorato ægroto exultaret pro miraculo in Domini laudibus, nullúſque rei certitudinem agnoſceret, præter Comitem ac ſocios eius. Ipſi autem timore Fulconis eiuſdem vrbis Comitis, ad quem attinebat & Cenomanenſis Comitatus, de S. Rigomeri deportatione & ab eo collata ægroto ſoſpitate conticerent penitus, prodigium illud magnificè beati Albini laudibus adſcribitur. Verùm ſancti Theſauri latores moras omnes rumpentes, acceptum iter ſtudioſè perſequentes ſequenti die Cœnobium petiuere Burgulienſe. Et quoniam Theodelinum præ-

fatum Patrem illuc ſuſpicabantur, nam ſpoponderat, occurriſſe, atque aduentum eorum opperiri valdè ſollicitè, apparatum quoque nihilominus tantę rei ſufficientem vigilanter prouidere, è ſocijs aliquem pręmittunt ſe adeſſe, itémque cuncta quę optarant, auctore Domino Chriſto gnauiter, ſed & vltra quam ſperarant, qui intimaret compleſſe. Quo vir Dei accepto, quanto lætificatus eſt tripudio, quantóque exhilaratus iubilo, quando id alicuius expediet etiam Rhetoris oratio. Tandem accerſitis eiuſdem Cœnobij fratribus rem patefecit, atque vt ſeſe ad ſuſceptionem cœleſtis protectionis præpararent ſupplex implorauit. Illi verò hoc ſolemniſſimè exequentes omni ſtudio receperunt, & in Eccleſia Burgulienſi quàm decenter expoſuerunt felices hos pronunciantes quibus tale Deus dirigebat patrocinium.

Interea Pater Theodelinus ipſa eadem hora quodam citiſſimo accito veredario negotij totius ſeriem Malliacenſibus fratribus intimauit, quidque ipſis in procinctu exceptionis ſititæ prouidendum potiſſimúmque procurandum neceſſario inſtaret literis ordinauit. Cuius Malliacenſes nutibus hauſtis legatarios circumquaque emittunt, multorum populorum cateruas, itémque Monachorum & Clericorum non minimum coetum mira agilitate colligunt. Nocte interim illâ, quâ emigratâ Sacroſanctæ gazæ Malliacenſi Monaſterio erant inferendæ, quidam fratrum in eo quieſcens, Barcinons natione Tezo nomine immenſum luminis ſplendorem ab Oriente in ſomnis emergere, deinde pedetentim omne Cœnobij corpus complere, nec multò pòſt innumeram populorum frequentiam vndique concurrere, ac mirum neſcio quid in eodem lumine ſuſpenſa expectare. Itémque ſibi quaſi ſubmurmurando promittere. Et ipſum quidem hactenus Beati Rigomeri latebat aduentus. Si autem mortalium ſomnis noſtra conjectura dignè porrigitur, videtur haud abſurdè non vnius tantùm illius diei ſolemnem lætitiam, quin potius largifluam bonorum omnium affluentiam ac ægrotantium non ſolùm carne, ſed etiam animis conſolationem, quam ad Beati Rigomeri ſuffragia concurrentibus confert Dominus, portendere optatam. Verùm vbi latores ſuperius aſſignati vna cum Theodelino venerando pretioſiſſimam gemmam Malliacenſi inſulæ intulerunt, clamor ingens vtrimque oboritur: adeſt ſacer conuentus fratrum: hinc quoque & inde multiplex frequentia turbarum laudem Domini vndique reſonantium: miniſtri necnon cum crucibus & cereis circunſtantibus alijs humeris ouantes ſanctum corpus imponunt, reliqua verò multitudo flexis poplitibus Rigomeri glorioſi cum multis lachrymis oppidò licet exoptarent, rogitant patrocinium. Tandem ſanè ſupplicatione debita completâ, antiphonáque impoſita Malliacenſi inducunt Eccleſiæ iam olim a Domino prędeſtinata chariſmata, circumquaque concrepante lætitia. Et quoniam major eiuſdem Eccleſiæ crypta infecta adhuc his diebus manebat, in dextro membro componunt omni cum diligentiâ, quo ſanctæ Dei Genitricis ac perpetuæ Virginis habetur & ara.

De Miraculis ſanè deinceps per eum ibidem geſtis, quæ tot ac tanta ſunt, vt ea plenè referre nullus hominum, vt aiunt, ſufficiat, ad præſens quidem tacemus: ſi vitam autem Deus dederit aliquantulum longam, quæ vel quanta ſeniorum probatiſſimorum aſſertione de his accipimus, quolibet ſermone ad laudem Domini noſtri IESV-CHRISTI, qui fecit quæ futura ſunt, exarare aggrediemur. Terminum autem iſtic quoniam & breuitatem noſtri ingenij & narrationem paulò amplius quàm decuerit fortè protelatam menſuramus, terminum, inquam, chartulę poſuiſſemus niſi adhuc paucula capitula huic ordini neceſſaria ſubjungere congruum decreuiſſemus. Compoſito igitur ſancto Domini loco & ordine prætitulato adhuc inconcuſſa perſtabat beatiſſimi Aquitanorum patroni Hilarij Baſilica, quam præcedenti libellulo ædificauimus coram Principis aula. In quâ nonnulla patrata feruntur miracula, quæ dum compendio operam damus, ſatius ducimus reticenda. Porro verò in ſæpe taxato Cœnobio, quidam Conſtantius cui agnomen erat Brizaldus Præpoſituræ officio potiebatur, quoniam ſæcularium expeditionum induſtrius adprimè putabatur. Hic ergo die quadam Theodelinum patrem conueniens, multitudinem Eccleſiarum inſulæ omnino exprobrabat, atque conquerendo aliquam earum merito conuellendam garriebat. Cuius primùm ſuggeſtionibus vir Dei reſultans, poſtmodum verò eius inſtigationibus addictus, eius voluntati rem dimiſit. At ille inde egreſſus, multitudinémque virorum colligens ad Eccleſiam Beati Hilarij

Digitized by Google

acceſſit, eámque funditus euertit. Quantum nimirum eius Domino grata fuerint opera, vltio detexit manifeſtè ſubſecuta. Namque necdum penitus corruerat panes vltimus, cum ecce idem præſumptor Monachus letali morbo correptus, de equo cui inſederat, proruit, denique caduco incommodo eſt fatigatus. Poſtremò grandi emenſo interuallo parumper ceſſante morbo reſpirauit, & quæ erga ſe geſta fuerant, dum ipſe neſciret, à videntibus accepit. Tum itaque publicè ſe peccaſſe, ſe grauiſſimè erraſſe confeſſus eſt: deinde officio famulorum ad Monaſterium defertur, caſus eius Patri ac Fratribus reſeratur. Quo audito validus omnes timor corripuit, communique conſulto ad locum dirutum aliquos è fratribus dominum reuerentes dirigunt, altariſque lapides & cœmentum quod intactum remanſerat cautè nimis colligere, atque in Monaſterio ad ſe afferre præcipiunt. Illi quidem alacres obaudiunt; iſti verò ipſum idem altare in capite deſignati Monaſterij in honorem eiuſdem Sancti Hilarij erigunt. Frater ſane ille cuius temeritas locum profligauerat, quatuor quidem, vt aiunt, menſes ſuperſtes extitit, nec tamen aliquod doloris leuamen adipiſci promeruit. Sed & Patri ſæpe taxato Theodelino, ſicut in primâ fronte multa proſpera, ita è contrario iuxta vitæ terminum nonnulla obuiauere aduerſa. Et primò quidem rerum poſſeſſarum creberrima & grauiſſima damna, deinde ſuo corpori, ac familiarium amicorum proſperitati penè importabilia ingruebant incommoda: poſtremò dum ipſe noctu decubaret in domo infirmorum cogente neceſſitate ægritudinis prævalida ſubito euaginatis gladiis duo quidam ſeruorum ex Sancti Petri familia, quorum alter Hercambaldus, ſequens verò Galterius dictus in baptiſmate eius filius erat, ſuper eum irruunt, mortem inferre geſtiunt omni audacia. Tum autem quam Dominum timuerit idem Pater liquidò claruit, dum cervice extra ſtratum exerta neque veniam aliquam deprecans, nec verbum aliquod pro ereptione ſui protulit, ſed ac ſi mutus regulare ſilentium cuſtodiuit. Tandem verò donãte Domino qui circumjacebant horrore neſcio quo propulſi euigilantes fures adeſſe deprehendunt, effugant & à timore hominem liberant. Rurſus quoque Pictauis è ſimili diſcrimine ſed à diſſimilibus perſonis illato mirabiliter diuina eripuit dignatio. Præterea multa ſibi accidere infeſtiſſima, quæ incredibili tolerauit ſufferentia. Sed exequamur propoſita omittentes iſta. Eâ verò tempeſtate quidam ditiſſimus vir vocabulo Ainricus multis muneribus, multis blandimentis Patrem Theodelinum circumueniens ab eo vt Eccleſiam ad portum Malliaci conſtrueret, impetrauit. Impetrauit heu pro nefas! & ſimoniacè ædificauit. Sed de hoc ſatis ſit dictum.

Verùm Dux de quo in ſuperioribus dicebamus cum de Patris Theodelini prouectu loqueremur, ſexageſimo primo, vt fertur, ætatis anno, regni verò trigeſimo ſeptimo, filius in principatu relictis anno ab Incarnatione Domini & Saluatoris noſtri milleſimo trigeſimo defungitur, atque in Malliacenſi clauſtro honorificè ſepelitur. Poſt cuius deceſſum quindecim venerabilis Pater Theodelinus annis in corporea carne manſit, atque milleſimo, ab Incarnatione Domini ac quadrageſimo quinto anno Kalendis Ianuarij apud Burgulienſe Cœnobium ſanctis Myſterijs initiatus, corpus terris, ſpiritum reddidit ſęculis æternis, Abrahæ, vt credimus & optamus, ſinibus locatus, Chriſti fruitur bonis. Cui ſuccedens vir manſuetiſſimus & humilis vocabulo Humbertus quindecim annis Malliacenſe Cœnobium ſat modeſtiè rexit atque patientiæ & longanimitatis ſuæ clariſſimum cariſſimis filiis ſpecimen relinquens milleſimo ſexageſimo anno ab Domini Incarnatione viuendi finem fecit.

Poſt hunc quoque eidem regimini quidam præfuit Goderannus, natione, vti ego accepi, Gallus, alterius quidem Monaſterij Monachus, ſed neceſſariò, vt multis videtur, illuc extitit ſubrogatus. Nam de eo tenet ſermo, quod ſi rebus tum geſtis quando electus eſt, digna imponatur conſideratio, verè ſecundùm viri prudentis aſſertionem, ipſe in tempore iræ factus eſt reconciliatio. Sed quoniam dum hæc ſcribimus adhuc humanis inter eſt rebus, eius ex actibus ſilentium nobis indicimus, ne adulatoris notam incurramus. Vtrum autem amore Domini an odio dignus ſit poſteris iudicandum ſeruemus,

Hic riuulum verbi libuit deſigere noſtri.
Ne protracta nimis tedio ſit pagina doctis.

Alia manu: Et eſt notandum quod Guillermus fundator Malleacenſis in fine dierum ſuorum effectus eſt Monachus & tempus totius vitæ ſuæ fuit LXXI. annorum & obiit ac ſepultus in choro dicti loci anno Domini MXIX.

* *

Cum oraculum vatis diuinitus inſpirati vt laudare Dominum in Sanctis eius atque in virtutibus eius merito debeat humana propago, adhortetur, quandoquidem holocaũſta laudis bono animo emiſſa aditus quodammodo fit, quo ſibi vnigenitus filius oſtendatur filius Dei qui paſſim in Diuinis lineis aut ſalutare Dei dicitur, eo quod ſaluos faciat ſuos, aut brachium ſiue dextra. *Cætera deſiderantur in Codice MS. quo vſus ſum.*

DE MONASTERII MALLEACENSIS DEVASTATIONE FACTA A GAVFRIDO DE LEZINIACO Narratio.

Auctore eiuſdem loci Monacho Anonymo.

ANno Incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo vigeſimo quinto, ſedi Apoſtolicæ præſidente Papa Honorio: ac illuſtri Rege Ludouico inclytæ recordationis Philippi Regis filio, regni Francorum tunc temporis gubernacula obtinente: Henrico etenim viro religioſiſſimo & ſummæ Trinitatis cultore deuotiſſimo in Anglia regni Monarchiam gubernante, necnon Willelmo Pictauienſis ſedis Pontifice ac Sanctonicæ Eccleſiæ Helia viro venerabili præſidente, nobiliſſimóque Comite Marchione Hugone de Leziniaco Hugonis Bruni filio: verum etiã quod non eſt reticendum, venerabili Patre ac mitæ prudentiæ viro nobili Vvillelmo Forti huius Monaſterij Abbate, atque vt ita loquar, nobiliſſimo defenſore, Eccleſia Malleacenſis grauem paſſa eſt ruinam atque multiplex detrimentum. Horum ergo dictorum temporibus & eo multo amplius dicta noſtra mater Malleacenſis Eccleſia diu iniquorum malleis fuerat malleata ac cuiuſdam nobilis Gaufredi de Leziniaco patre Gaufredo de Lezignem & Vvillelmi de Valentia manu potenti & violenta fuerat aggrauata: quod etiam quandocumque diuertiſſent ad Eccleſiam memoratam prædictus & ſui cum canibus, equitibus, mulis, auibus, ſatellitibus, acſeruientibus vniuerſis quoſcumque de quacumque parte adduceret, vel etiam ſine ipſo omnes ipſius domeſtici ac quicumque de familia eius quoquo nomine cenſebantur in procuratione continua à prædicta Eccleſia prouidere atque ſibi debere neceſſaria miniſtrari dicebãt ex conſuetudine diuturna, ſicut in compoſitione facta inter Gaufredum filium dicti nobilis & Eccleſiam melius ac plenius eſt expreſſum. Mortuo igitur ſæpefato nobili ſeniore Gaufredo ſucceſſit in hereditate paterna filius ſuus Gaufredus de Lezignẽ iunior ſæpe fatus, & quemadmodum pater ſuus rerum Eccleſiæ infeliciſſimus extiterat deuaſtator, ita & filius in malis patris ſequens veſtigia ſubſtantiæ ac rerum Eccleſiæ iniquiſſimus extitit perſequutor. Multis igitur annorũ curriculis dicta Eccleſia attrita fuerat atque iam corruerat ante faciem perſequentis, cùm inſpirante bonorum omniũ conditore, Vvillelmus Fortis ſuperius memoratus tunc temporis Prior de Xanctonio ab omnibus Fratribus inſpiratione diuina electus eſt prædictæ Eccleſiæ in Abbatem. Electione autem ipſius ab Epiſcopo Dioceſano, vt decuit confirmata, adminiſtrationi Eccleſiæ curam exhibuit vigilantem, multa pro libertate Eccleſiæ confouenda pericula ſuſtinens & aduerſa, murum ſe defenſionis contra inimicos opponens: nulla aſpera ac dura perpeti formidauit, vt ſtatum Monaſterij, cuius regimen acceperat, ereptum de manibus iniquorum ſecundùm priuilegia fundatorum, qui ipſum liberaliter ac ſine aliquo ſubjectionis vel exactionis retinaculo fundauerant poſſet, vt dictum eſt, in melius reformare, illud Euangelicum non ignorans: Beati qui perſecutionẽ propter iuſtitiam patiuntur. Vſus vtique prudentium virorum conſilio illã Salomonis ſequens ſententiã, vbi dicitur, omnia fac cum conſilio & poſt factum non poteris pœnitere. Prudenti igitur ac robuſto conſilio confirmatus contra perſequutorem Malleacenſis Eccleſiæ ac inuaſorẽ domus Dei Gaufredum de Leziniaco iuſtitiæ frœna laxans ipſum fecit diligenter moneri, & ipſe perſonaliter monuit, vt ab infeſtatione Malleacenſis Eccleſiæ & moleſtatione indebita quâ ipſam diu moleſtauerat, manum retraheret vio-

Digitized by Google

lentam. Dictus autem nobilis quasi pro nihilo reputans monitionem Abbatis superius nominati sæuijt crudelius in rebus & membris Monasterij & homines eorum grauibus affecit dispendiis & injuriis prouocauit. Quod dolens grauiter Abbas superius memoratus coram Honorio sedis Apostolicę summo Pontifice querimoniam detulit ad Romanam curiam personaliter accedendo. Personaliter itaque constitutus coram summo Pontifice omnem exactionis atque subjectionis totiusque rei gestæ ordinem, pro qua venerat, enarrauit, & qualiter dicta Ecclesia fundata fuerat & à quo patrono prætendens manu propria priuilegium fundatoris, in quo priuilegio inter cætera habebatur, quod prędictum Monasterium pertinebat ad Romanam curiã, nullo alio mediante. Qui summus Pontifex talia vt audiuit continuò Abbati, qui tunc præerat Monasterio S. Ioannis Angeliacensis, Priori eiusdem loci dedit in mandatis & venerabili Aimerico cognomento Tabat r, qui tunc Alnisiensis Archidiaconus habebatur quòd ipsum compellerent ad hoc, iustitia mediante. Receptis ergo litteris commissoris Iudices memorati in omnibus iuris ordine obseruato prędictum nobilem potestate sibi tradita compellere studuerunt, vt de damnis & illatis iniuriis Ecclesiæ Malleacensis Monachis eiusdem Ecclesiæ ac hominibus eorundem satisfaceret competenter, & ab indebita molestatione dictæ Ecclesię & hominum quâ ipsos diu molestauerat, resiliret, ac de cætero talia præsumere non auderet. Dictus autem Nobilis prohibitionem siue monitionem summi Pontificis & suorum iudicum vilipendens damna intulit prędicto Monasterio rebus & hominibus dictisque Monachis plurima ac etiam grauiora. Nam Abbatiam postea per vim intrauit pluries & immunitatem Ecclesiæ violans bona & substantiam Monachorum tam in capite quàm in membris, Dei timore postposito, vsque ad enormem læsionem sicut in relatione facta ad Dominum Papam à dictis Iudicibus de prædicto negotio melius ac plenius est expensum. Talia enim contingentibus Ecclesię Malleacensi duriora & eò amplius grauiora pressuris vndique venientibus ac angustiis crescentibus contigit simile quod legitur in Canticis Canticorum: Sponsa Christi Malleacensis Ecclesia sponsum Christum id est refugium singulare quærens in nocte, id est in diebus aduersitatis per vicos & plateas, inuenerunt eam custodes ciuitatis, percusserunt & vulnerauerunt eam, & ad vltimum eius pallium detulerunt. Custodibus etenim superuenientibus, id est mortis doloribus, tulerunt pallium sponsę Christi Malleacensi Ecclesiæ scilicet dominum Willelmum Fortem Abbatem Monasterij antedicti. Qui verè pallium erat ac tegumentum ipsius, quia in quantum poterat, quamdiu vixerat, illud protexerat ab incursibus iniquorum. Tanto igitur Malleacensis Ecclesia Pastoris solatio destituta filij Ecclesiæ dolentes de morte Patris vltra modum & merito quia illis superauerant angustiæ vndique scilicet & matris Ecclesiæ persecutione continua & de pio Patris obitu repentino. Conuenerunt itaque mœrẽtes & dolentes filij vniuersi, vt corpus tanti patroni sepulturæ honorificè traderetur & de substituendo Pastore tractatus inter ipsos communiter haberetur. Multi enim vicini & probi homines ad tumulandum dictum Patrem conuenerant. Arnaudus scilicet tunc temporis Abbas Sancti Leodegarij, & quidam vir religiosissimus Prior Claustralis de Thalemundo, & plures alij Presbyteri Laici & Clerici seculares, vt filios tanto orbatos Pastore consolaretur, &, vt dictum est, corpus exanime traderetur honorificentissimæ sepulturæ. Congregatis igitur vniuersis & domesticis & extraneis intra muros Malliacensis Ecclesiæ, contigit illud simile quod legitur filijs Israël in Ierusalem priscis temporibus euenisse. Conuenerant enim ex totâ Iudæâ magni & parui, pauperes ac potentes, omnisque populus vtriusque sexus à maximo vsque ad minimum quasi vir vnus in ciuitate præfata fuerant congregati, cum Romani Imperatores Titus, scilicet & Vespasianus, cum exercitu infinito vallauerunt vndique ciuitatem atque obsederunt in ea populum memoratum, multisque illum injuriis & angustijs, sicut legitur, afflixerunt. Similiter etiam contigit in hac parte. Etenim congregato vniuerso cœtu filiorum Malleacensis Ecclesię Gaufredus de Lezignem iustitię persequutor ac domus Dei iniquissimus deuastator ac inuasor, infinito exercitu congregato peruenit vsque ad Monasterium memoratum, adduxitque secum innumeram multitudinem gentium cum armis Militum scilicet & seruientium, & quod graue fuit infinitam multitudinem rusticorum. Obsesso igitur ac vallato vndique Monasterio sæpefato minister Satanæ ante dictus dæmoniaco afflatus spiritu atque in bonis Ecclesię vltra quam exprimere valeamus, ferociter debacchando, Monachos obsessos in Monasterio attriuit in con-

ſumeliam Domini ac totius cleri opprobrium, famæ & inedia diuturna. Interea toto Eccleſiæ ſæpefatæ conuentu in vnum congregato, tractatus communis cœpit haberi, quis inter ipſos ad regimen ſuæ matris Eccleſiæ idonior haberetur. His itaque contingentibus atque diuerſis diuerſa ſentientibus, non poterant in vnam perſonam communiter conſentire. Sed quid moror? Tandem inſpirante bonorum omnium conditore, omnes in Capitulo congregati inſpiratione diuina Rainaldũ Venerabilem Priorem tunc temporis de Hermenaldo vna voce vnanimiter elegerunt. Electione autem ipſius, vt dictum eſt, diuinitus celebrata, atque ipſo ab omnibus in ſua ſede honorificè deportato ſiue collocato vltra modum gaudentes de tanto Paſtore ſibi diuinitus collato, illud illis contigit quod legitur: Cithara ipſorum in luctum conuerſa eſt & organum ipſorum in vocem flentium vertebatur: Et alibi dicitur per Prophetam: dies feſti noſtri conuertentur in luctum. Propter hoc etenim iſtud dico, quia his ita contingentibus miniſter Satanæ, ac Dei Eccleſiæ infeliciſſimus perſequutor, tyrannico ſpiritu debriatus trahitur miſer in profundum malorum, traditur infelix tyrannidi vitiorum, ita vt carnalium voragine deſideriorum abſorptus, ſuæ rationis diuinique timoris oblitus, iam dixerat in corde ſuo inſipiens, non eſt Deus. Inflammatus itaque omni nequitiâ atque veneno totius malitiæ deliburus omnibus Monachis dictæ Eccleſiæ minabatur, ac ſuis iuſſerat ſatellitibus vniuerſis, vt ſi quempiam poſſent inuenire de Monachis memoratis, vniuerſi capitali ſententiæ ſubderentur. Quod audientes & timentes dicti Monachi vehementer, quærebant conſilium nec poterant inuenire, & quid agerent neſciebant. Diuerſi etenim diuerſa conſilia proponebant; ſed inter vniuerſos non potuit haberi ſtabile cuiuſlibet conſilium ſingulare. Nam intererat inter ipſos vna cum electo venerabili antedicto Arnaudus Abbas S. Leodegarij ſuprafatus, qui vt erant conſtanti animo & contra inimicos ſuæ matris Eccleſię ſereniſſimi bellatores, tale ambo voce vnanimi conſilium protulerunt. Dicebant etenim quod quilibet in ſuo ordine ſacris induti veſtibus, Preſbyteri Sacerdotalibus atque Diaconi & Subdiaconi & ceteri vniuerſi, prout illorum officium exigebat, induerentur omnes ſalutaribus veſtimentis, ac ſi incontinenti eſſet ad altare in ſuo ordine ſeruiturus, quatenus ſi neceſſe eſſet, poſſent offerre Domino laudis ſacrificiũ ſemetipſos. Et vt minus formidarent ſuos aduerſarios Crucẽ Dominicã præferentes atq; Sanctorũ venerãdas reliquias habebant, & quibus dicta Eccleſia optimè eſſe dignoſcitur decorata, magna cum reuerentia & honore in ſuis manibus geſtientes, ſicque vexillo Domini atque ſuorum militum circumfulti ſuis virili animo exirent inimicis. Et ſic inde ſi poſſet fieri tranſito gladio iniquorũ ſuæ dulciſſimæ matris Eccleſiæ cum dolore vltra relinquentes, quocumque Dominus eos perduceret, irent vagi famelici atque nudi, & à ſuæ matris finibus exulati. Sed quia quædã pars ipſorum erat fragilium vt pote iuuenum, ſuis valdè timentes pellibus non bene capiebat huiuſmodi conſilium apud ipſos. Itaque omni conſilio atque ſuffragio deſtituti ad ſingulare refugium IESVM-CHRISTVM, & piiſſimum Dominum conuertuntur, vnanimiter exorantes, vt illis in tanto periculo conſtitutis ſua pietate & miſericordia manum porrigeret adjutricem. Talia igitur orantibus S. Spiritus conſilio confirmati & verbũ Apoſtoli inſequentes quod dicitur, Tempus redimendum eſſe, quoniã dies mali ſunt. Itaque cum maxillis accipientes frænum, & corda in periculo deponentes, quoſdam de Militibus dicti aduerſarij, qui ſe amicos dicti Monaſterij aſſerebant, ad ſe introduxerunt eoſdem verbis pacificis taliter alloquentes: Quare dominus noſter Gaufredus de Liziniaco tanta grauamina nobis infert, & quare in noſtro Monaſterio nos obſedit? Qui dicti Milites reſponderunt: Propter hoc, quòd ad querelam veſtram dictus nobilis excommunicationis vinculo eſt adſtrictus, cetera ipſius ſuppoſita interdicto, & exinde eductum Corpus Chriſti. Sed ſi velletis ſuper hoc ſibi abſolutionis beneficio ſubuenire, ceſſaret, ſicut credimus ab tam infandiſſimo opere quod incœpit, & inter vos & ipſum de cætero gratia, amicitia, ac beneuolentia permaneret. Finxerunt & promiſerunt quòd ipſi facerẽt eum abſolui. Dicti autem Milites promiſſionem huiuſmodi & ſponſionem factam à Monachis quàm cito curſu ſuo domino intimarunt. Nobilis etenim ſępefatus vt pote quidã Pharao Rex Ægypti cor gerens ferreum ac in indurata animi malitia perſeuerans talia Militibus fertur dediſſe reſponſa: Niſi vniuerſi Monachi iſtius Eccleſiæ in capitulo congregati & probiores eorum ſponſionem illã ſiue promiſſionẽ vallauerint juramento, atq; promiſerint bona fide, non recedã inde quoadusq; vniuerſi capitali ſententia puniantur, aut alius eos pœnis faciam interire.

Adjungens:

Adjungens: Hæc omnia Monachis intimetis. Milites verò sæpefati, vniuersa prædictis Monachis retulerunt. At illi vsi consilio saniori, volentes indemnitati suæ matris Ecclesiæ prouidere, sicut inferiùs apparebit, provt à prædicto Nobili fuerat præloquutum, in ipsius præsentia & multorum vallata fuerunt omnia iuramento: atque à probioribus Monachis, qui tunc erant, in Ecclesia memorata promissa fuerunt hæc omnia memorata. Delusus itaque huiusmodi iuramento Nobilis sæpè fatus, quod sibi pro euitando mortis periculo præstitum fuerat à prædictis, præcepit omnes incontinenti ab obsidione recedere festinanter. Qui vniuersi ac singuli quantocumque virium conamine poterant, recesserunt turpiter ac confusè, quibusdam titubantibus, quibusdam verò cadentibus, ac miserabiliter recedentibus, diuina potentia suum auxilium atque consilium ita retraxerat ab iisdem, quòd alter non poterat iuuare alterum, & socius in illo recessu despiciebat socium, sicut domesticus solet despicere alienum; & à quibusdam de Monachis & famulis eorumdem, vt pecudes vel bruta animalia per deuia quæque, caueas & fossata turpiter ducerentur, donec Malleacensem insulam plurimis affecti iniuriis transegissent. Sed stylum ducamus ad memoriam retorquendum. Recedentibus ergo iniquitatis atque perditionis filiis, & caput similiter recessit eorumdem. Dignum enim erat atque conueniens habebatur, vt qui simul sanctam Ecclesiam aggressi fuerant, stirpitus & iniquè, simul ab ipsius conspectibus fugarentur miserabiliter & confusè. Iusto etenim Dei iudicio persequutoribus effugatis atque Monachis cum suo venerabili Electo in pace ad tempus remanentibus, vehementer erant solliciti, atque, inquantum poterant, cum Domini adjutorio laborabant, vt hoc quod inter ipsos Spiritus Sanctus fuerat operatus, scilicet de electione sui patroni quàm citiùs possent, perducerent ad effectum. Sanè cum venerabili Electo supradicto probior & sanior pars Monachorum iter arripiunt, atque perueniunt vsque ad Pictauensem Ecclesiam, quam tunc temporis bonæ memoriæ Philippus Episcopus gubernabat, omnémque rei ordinem in ipsius præsentia, pro qua venerant, enarrantes voto ac petitioni ipsorum ipse Pontifex alludens, & liberaliter quæ postulabant ex suscepto officio annuens Electum prædictum confirmauit liberaliter & benignè. Confirmatione autem eiusmodi solemniter, ac provt decuit, celebratâ, Pastor iam factus cum filiis gaudentibus ad propriam Ecclesiam cum gaudio remeauit. Deductis itaque alacriter ac cum spirituali gaudio peractis omnibus quæ circa nouitatem talium Prælatorum Ecclesia facere consueuit, & suscepto administrationis officio, Ecclesiam sibi commissam solerti industriâ, atque totâ corporis & animi vigilantiâ studuit in illo tempore, inquantum potuit, quamdiu licuit, gubernare. Sed dum hæc geruntur, non post suæ Missæ celebrationem iam penè elapso triduo hostis humani generis atque peruigil inimicus, non sine Christi tirocinio, etiam per tempus exiguum prosperitatis aliquot gaudia possidere, dictum aduersarium excitans & incitans ad maleficia consueta, contra venerabilem Abbatem & Monachos memoratos: dictus maleficus cepit denuò malè erigere verticem, dicens, nisi ipsum absolui facerent, & in terra sua excommunicationis sententiam relaxari, quæ lata fuerat à Iudicibus eorumdem, sicut illi promiserant, & promissionem firmauerant iuramento, nullo modo possent manus suas euadere, quin eos morte crudelissimâ faceret interire. Dicebat præterea, & cum illo quidam fatuissimi & idiotæ similiter asserebant, quòd nisi ipsum absolui facerent, meritò puniendi erant tanquam perjuri, & suæ fidei transgressores. Sed certè valdè desipiebant, qui taliter sapiebant. Nam si dicatur ab aliquo quòd iuramentum quod præstatur vi metúsve causâ, aut pro euitando mortis periculo teneri debeat: aut si quis in tali casu mille præstauerit iuramenta, mendax, aut suæ fidei transgressor dici debeat, aut perjurus. Respondeo, quòd nec etiam minimũ mendacium incurrit; immò qui talia dicunt, multis auctoritatibus conuinci poterunt noui ac veteris Testamenti. Audiant ergo iuris & iustitiæ peruersores. In Genesi etenim legitur quòd cùm filij Israël exire deberent de Ægypto, vasa aurea atque argentea ab Ægyptiis quasi reddituri mutuò acceperunt, & firmatâ promissione quòd illis redderent iam prædicta, secum omnia detulerunt: dicunt Sancti, quòd non mendacium, neque furtum aliquod incurrerunt: Dominus enim sic eis præceperat, qui nouit quid vnumquemque pati oporteat: Illi ergo nullius mendacij argui potuerunt, sed præcepto Domini obsequium præbuerunt. Vt ergo Monachos antedictos meliùs liqueat non reos esse perjurij atque mendacij, audiant pessimi definitionem mendacij detractores. Menda-

cium enim est falsa significatio cum voluntate fallendi, quæ vel præsentialiter inest, vel postea aduenit. Ad opinionem enim talium confundendam, aliæ atque aliæ auctoritates etiam in medium adducantur. Legimus enim in Genesi, quòd obstetrices Hebræorum mentitæ sunt Pharaoni, vt saluarent animas puerorum, & laudatæ sunt, nec tamen mercedem aliquam propter hoc acceperunt, quia non affectum spiritualem, sed carnalem in his potiùs habuerunt. Et in Codice eodem legitur, quòd Raab meretrix mentita est pro legatis Iosue, atque ne occiderentur in domo sua, provt meliùs ac cautiùs potuit, occultauit; vnde ciuis Ierusalem postea meruit fieri, quàm etiam postea Salmon Dux filiorum Israël sibi matrimonialiter copulauit. Et etiam dicit beatissimus Augustinus: Qui sic mentiuntur, aliquando merentur ab omni mendacio liberari. Sed qui potest? Quomodo autem si peccatum est, remuneratur? aut quomodo mentientes à peccato liberari merentur? Numquid peccatum diluit peccata? Non, sed duæ rationes intelliguntur in his qui taliter mentiuntur: pius affectus scilicet, per quem aliquis inducitur ad sic mentiendum, qui est laudabilis, & ipsum mendacium quod est reprehensibile. Affectus ergo, non mendacium collaudatur. Tales ergo ab omni mendacio merentur aliquoties liberari, non per mendacium, sed per misericordiæ affectum. Potest & aliud introduci: Legimus quòd Iacob volens fratris sui Esaü benedictionem subripere, dixit patri: Ego sum primogenitus tuus Esaü. Si autem istud fuit mendacium, quomodo mater quę eum ad hoc impulit, in Sancto Spiritu loquebatur? Dicit enim Scriptura, quòd non fuit mendacium, sed mysterium. Est & alia ratio ad dictos Monachos à mendacio excusandos. Legitur quòd cùm Abraham interrogaretur de Sara, vtrum vxor sua esset, an non? respondit, Soror mea est. Dicitur quòd non mentitus est, quia soror ipsius, id est cognata illius erat. Quod etiam si iurasset, dicitur quòd non aliquod perjurium incurrisset. Legimus etiam quia Paulus ad Corinthios dixerat se venturum, etsi non venit, non tamen propter hoc est mentitus, quia cor duplex non habuit, sed semper vtiliter voluntatem retinuit veniendi. Latet etenim aliud argumentum. Si quis mihi gladium commendaret, & illi promitterem, vel iurarem me in determinata hora sibi gladium redditurum: ille verò statuto tempore furens gladium repeteret, volens seipsum aut alium occidere, quamuis ei furenti gladium non redderem, nunquam notam perjurij vel mendacij incurrerem, cùm nec cor duplificauerim, nec ipsam quam priùs habui, mutauerim voluntatem. Dicitur etenim & alibi, quòd quæ vi metúsve causâ gesta sunt, carere debent robore firmitatis.

Sed hæc omnia memorata non attendens Nobilis sępè fatus, tanquam leo rugiens qui circuit quærens quem deuoret, ita rugiens circumibat, ac vnà cum pluribus satellitibus quos habebat, qui Christi militum sanguinem vehementissimè sitiebant: per deuia quęque, plana, ac nemora illis mortis insidias prętendebat; specialiter Abbatem quærebat interficere, quia sibi tanquam fatuo videbatur, quòd si illum posset perimere, omnes alij Monachi in omnibus eius voluntatibus obedirent. Sed Deus omnipotens, qui suos non deserit in aduersis, atque cælestis regni Clauiger noluerunt suam Ecclesiam à tali patrono ita subitò defraudari. Cùm autem audiuit huiuscemodi dictus Abbas palàm & in aperto sibi insidias præparari, incontinenti, præceptum Dominicum adimpleuit, & suam, proh dolor! cum mœrore nimio & dolore sponsam Ecclesiam derelinquens, fugiendo de ciuitate in ciuitatem, de loco ad locum, provt meliùs potuit, latitando, & suum aduersarium fugiendo. Nunquam ex illa die suum intrauit Monasterium, quousque viriliter atque finaliter vniuerso suo negotio cum Dei adjutorio adimpleto de exilio gaudens triumphum deportans victoriæ, ad propria remeauit. Sed illâ die quâ exiuit de suo Monasterio exul, iuit vsque propè Benaïcum, ad quandam paruam Ecclesiam, quæ in honorem sanctæ fundata esse dignoscitur Katharinæ; ibique inuenit Alnisiensem Archidiaconum Iudicem suum superiùs memoratum, cúmque totius aduersitatis suæ seriem, atque obsidionis materiam, & iuramenti præstiti rationem in ipsius præsentia enarrasset; & si huiusmodi iuramenti ratione adstricti tenerentur, qui talia iurauerant Nobili supradicto plenariè quęsiuisset, timens valdè suorum conscientiis filiorum qui iurauerant: ipse enim nullum super hoc fecerat iuramentũ, petebat instanter quòd absolueretur Nobilis sæpè fatus. Cùm hæc audiret Archidiaconus, accensus iracundiâ vehementi: Non enim, ait, huic debet Ecclesia subuenire, à quo tam atrociter iniuriatur quotidiè, immò ipsum, vt compescatur ab hac stultitia, debet, in quantum poterit, ag-

grauare. Quapropter vestros quàm citò poteritis apud Santonas ad nos mittatis nuncios, vt ego interim consulam meos Collegas, vestrosq; Iudices, aliosque viros prouidos & discretos, quomodo contra dictum maleficum de vestro negotio sit agendum. Tunc cum suis recessit inde Abbas venerabilis, ac peruenit apud Maroantum, suum aduersarium fugiendo. Et inde suos transmittens nuncios ad suos Iudices sæpè fatos, provt inter ipsum & dictum Archidiaconum fuerat prolocutum, impetrauit quòd in tota terra prædicti Nobilis interdiceretur Ecclesiastica sepultura. Sed quid? Nec sic prædictus maleficus induci potuit vt rediret ad Dominum quem offenderat, & de salutis suæ dispendio quod incurrerat, cogitaret: immò potiùs quasi adductus in desperationis abyssum desæuiit crudeliùs in rebus & membris Ecclesiæ Abbatem & Monachos memoratos. Persequebatur enim eos inquantum poterat, eis mortis insidias, vt dictum est, prætendendo. Videns enim Abbas quòd securam habere non poterat apud Maraant diutiùs mansionem, per obscuras cuiusdam noctis latebras exinde cum suis fugiens, ibat per deuia mariscorum, aquosa palustrium quęque pertransiens, periculosissimos fluctus & gurgites transeundo, necessitate compulsus nimiâ, ferè per noctem integram pernoctauit in quodam pauperrimo molendino, ex quo surgens diluculò cum suo deuotissimo comitatu, multas pertransiens sibi insidias præparatas, ducem habens piissimum Saluatorem, peruenit vsque apud Niortum, ibique tanquam signifer belligerator Ecclesiæ, à Clericis & Laïcis ipsius castri honorabiliter est receptus. Contigit igitur quadam die, dum in castro prædicto Abbas venerabilis moraretur, vt apud sanctum Stephanum, domum suam scilicet quæ extra muros ipsius castri est posita, exiret pro quibusdam negotiis dirimendis. Factum est autem cùm per totum diem vsque ad decliuum illuc cum quibusdam de suis Monachis moraretur, peractis ibi quæ agenda erant illâ die, sole vergente ad occasum, suos, sicut erat piissimus voce blandâ rogauit socios, vt infra muros dicti castri vnà secum sese reciperēt, ne à suis aduersariis possent aliquid mali pati. Sed in hoc quidam illorum, credo, suis peccatis exigentibus noluerunt eius sermonibus obedire. Vnde illis pessimè contigit: Non enim reliquit Dominus eiusmodi inobedientiam impunitam; sed sicut in Iob legitur, illis in illa nocte contigit quod à Patre venerabili verebatur. Nam ipse cum paucis de suis castrum ingreditur, aliis præter eius voluntatem in domo remanentibus antedicta, atque in ipsa nocte in stratis suis quiescentibus repentè cursu rabido inimici ipsorum & suæ matris Ecclesiæ cum armata violentia venientes, dictam domum cum impetu ferocissimo introgressi, quos in domo inuenerunt stirpitùs, de suis lectis excierunt. Vnus autem ex ipsis, dum tumultum intrantium ac sæuientium audiret, continuò saliens per fenestram, quæ sibi satis ad hoc competens videbatur, per virgulta, nemora & fossata peruenit vsque ad Separis fluuium, quod ex illa parte muros circuit dicti castri, atque ipsum fluuium transvadando euasit manus se persequentium in nomine IESV CHRISTI. Persequutores igitur qui remanserant, alios vinculis stirpitùs vincientes vsque ad Maireuent deduxerunt, illosq; illic tamdiù detinuerunt carceralibus vinculis mancipatos, donec pro redemptione illorum non modicum pecuniæ reciperent ab eisdem. Postmodùm contigit quod dissimulator mentis suæ, & artifex fraudulentus, suos extendens Christi militibus laqueos, vsquequaque sub pacis specie fraudulenta mandauit Abbati per suos nuncios, quòd veniret cum suis sociis apud Xanctonium secum personaliter loquuturus, atque de damnis & iniuriis ab illo sibi suisque & suo Monasterio irrogatis, emendam integraliter recepturus. O quanta virulentia fraudulenta! ô quanta versutia manifesta! Non veretur Christi miles satellitem Antichristi, immò vt expers fraudis atque nequitiæ, secum suis credens huiusmodi seductori iuit Xantonium, inuenitque ibi tergiuersatorem atque maleficum prænotatum. Cúmque eum crederet per cordis compunctionem à IESV CHRISTO Domino visitatum, putarétque ab illo, sicut promiserat, sibi, suis, suæque Ecclesiæ satisfieri de commissis, nihil ex his quæ sperabat, obtinuit: immò totum reputans contrarium cum timore nimio, illuc, vnde venerat, remeauit. Videns verò, non dico Nobilis, immò detestabilis antedictus, quòd iam recesserant, & suas declinauerant insidias antedicti, vehementer condoluit, & accensus furore nimio, illis tale nomen imposuit, dicens eum multipliciter pœnitere, quòd taliter manus suas euaserint gobiones. Videns verò Abbas venerabilis, quòd tyrannus nullo modo suam ferocitatem deponeret, immo crudeliùs contra Monasterium & Monachos memo-

ratos quotidiè desæuiret, mala malis addendo, ac pro suis sceleribus cruciandus ædificans ad gehennam. Nam corpus ipsius Monasterij cum bonis omnibus quæ ibidem erant Deo seruientibus aggregata sub sua crudeli redigẽs potestate saisiri fecit per suos Præpositos & Bailliuos, ac etiam necessaria vniuersa Monachis ibidem commanentibus, & Deo seruientibus denegari. Saisiri fecit etiam multos alios pertinentes ad idem Monasterium Prioratus: Istos videlicet S. Petri Veteris Prioratum, Aquiticariam, atque Xantonium, Hermenaldum, Perusiam, S. Mauritium de Nois, atque Mosolium, & omnia bona Prioratuum quæ Monachorum erant vsibus deputata, fecit similiter dictus maleficus in suis suorúmque vsibus deputari. Cúmq; Christi milites tantas iniurias, contumelias, ac opprobria, quæ sibi à garcionibus dicti Malefici inferebantur quotidiè, ac angustias famis & inediæ non possent amplius sustinere venales pro Christo se omnibus periculis exhibentes, proh dolor! & lamentum permaximum! de Monasterio egressi primò terni, bini, & singuli, vagi, nudi, profugi atque famelici per vniuersum orbem cum dolore nimio exules abierunt: Pastor verò venerabilis antedictus cùm sic videret suum Monasterium destitutum, ac commissas sibi ouiculas per diuersa mundi spatia errabundas, vltrà quàm credi possit, condoluit, eligens magis mori, quàm vt gregem suum ita lupus rapax diutiùs inculcaret, boni Pastoris assumens speciem, qui relictis nonaginta nouem ouibus in deserto, abiit longiùs vnam quæ à grege dispersa fuerat, quæsiturus, & inuentam, suis eam humeris sacris imponens, ad gregem cum gaudio reportauit. Istum enim sequens per omnia Heros venerabilis antedictus, relictis omnibus, suum gregem & Monasterium, patriam & amicos, notos & proximos, totam progeniem & parentes, ex quibus nobilibus præclaram atque nobilem duxit originem, omnibúsq; facultatibus derelictis, cum dolore inæstimabili, atque cum exiguo & paupertrimo comitatu Romam petiit flens & ejulans, & Domini misericordiam die nocteq; deprecans, vt per intercessionem suæ Matris, atq; cælestis regni Clauicularij, sub quorum nomine & honore sua Ecclesia fundata fuerat, prosperitatis sibi & suis redderet gaudia; & oues quæ ita dispersæ erant, ad proprium ouile reduceret: quatenus omnes in vnum congregati possent voce iocundissimâ decantare Domino: Beati qui habitant in domo tua, Domine, te laudabunt in sæcula sæculorum.

Et factum est postquam in tantam captiuitatem Malleacenses Monachi deuenerunt, & ipsorum mater Ecclesia derelicta est & deserta, detestandus Dei & Ecclesiæ inimicus, ordine retrogrado & peruerso, in eadem Ecclesia supplere volens numerũ Monachorum, in eorum loco subrogauit ad diripienda bona Ecclesiæ, multitudinem garcionum. Ah! Malleacensis Ecclesia, quæ quondam sacrâ Religione inter exteras Ecclesias præpollebas, quomodo vilis in illo tempore facta es & abjecta?

Patre venerabili per omnia memorando in Romana Curia personaliter constituto ore tenus & voce lacrymabili summo Pontifici suum & Ecclesiæ negotiũ pro quo venerat, enarrauit, & totaliter Deo & protectioni summi Pontificis se committens, suam omnem querimoniã deposuit coram ipso. Demùm Iudices Angeliacenses dicto sibi commisso negotio, quãtum in ipsis fuit, viriliter exequuto, cùm non possent ampliùs facere totum instructũ negotium, & qualiter ab eis processum fuerat in eodem, Domno Gregorio summo Pontifici remiserunt. Videns verò Gregorius Pater sanctissimus dicti filij sui Abbatis videlicet sociorúmq; eius dolorem nimium, audiénsq; ex assertione Iudicum iam dictorum, Monasterium à maleficò sæpè fato ita penitùs destitutum, sciénsq; ad Romanam Ecclesiam dictum Monasterium pertinere, nullo altero mediante, vehementer condoluit, statimque sententias latas contra eundem Nobilem à dictis Iudicibus ore proprio confirmauit: Deinde scribens Ludouico illustri Regi Franciæ, ipsum super hoc rogans, monens attentiùs, & exhortans, quatenus dictum maleficum compesceret, vt à grauamine dictæ Ecclesiæ quiesceret, & de damnis eidem illatis satisfaceret competenter. Postmodùm subsequenter scribens iterùm dicto Regi, quatenus dictum maleficum, vtpote excommunicatum vitaret, & à suis faceret subditis euitari. Deinde scripsit Hugoni nobili Comiti Marchiæ eodem modo quo Regi scripserat Ludouico; adjungens eidem, quòd si dictum maleficum non compelleret vt Ecclesiæ satisfaceret competenter, Abbati, & Priori S. Mariæ Dolensis, & Archipresbytero Castri-Radulphi dabat in mandatis, vt ad compulsionem istam faciendam dictum Comitem compellerent iustitiâ mediante. Per hæc etenim omnia nec dictus maleficus induci potuit, vt rediret ad Do-

minum quem offendebat, & de suæ salutis interitu, quem incurrerat, cogitare.

Sanctissimus autem & summus Pontifex GREGORIVS, vt vidit tantam in dicto misero & crudeli insolentiam & pertinaciam, & quòd fœdus cum animæ suæ dispendio ita inierat, alia remedia fortiora disposuit adhibere, cùm ferro sint abscindenda vulnera, quæ aliorum medicamentorum non sentiunt medicinam, ipsum ore proprio excommunicauit, & excommunicationem illam mandauit per Senonensem, Bituricensem, Turonensem, & Burdegalensem Prouincias singulis diebus Dominicis & festiuis, pulsatis campanis, candelis accensis; & in Synodis similiter publicè nuntiari, & ad quæcumque loca dictus miser veniret, cessari iussit penitùs à diuinis.

Nec plura de iis habētur in ea parte MC. codicis, ex quibus controuersiæ finē discere possimus. Verùm panca hæc leguntur aliâ manu, ac longè recentiore descripta, alióque prorsus spectātia.

INDICTIO PROCESSIONVM GENERALIVM.

Iuxta & secundùm Christianissimi Principis & Domini nostri, D. CAROLI Francorum Regis exhortatorias litteras in suo Consilio maximâ deliberatione priùs consultas Reu. in Christo Patri & Domino, D. THEOBALDO, permissione diuinâ Malleacensi Episcopo, & eius Capitulo, cæterisq; DD. Pontificibus & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum Regni Francorum super hoc directas.

Die 12. mensis Augusti perpetuò fiant Generales Processiones, & Missæ solemnes deuotissimè celebrentur, diuinæ Majestati & pietati laudes & gratiarum actiones referantur pro felici Anglorum expulsione de toto Ducatu & Prouincia Normanniæ dudùm ac per annos triginta & vltrà ab ipsis Anglicis Regis & regni prædictorum inimicis inuasis & occupatis, ac ipsorum Ducatus ac Prouinciæ sub obedientia dicti Domini Regis reductione factâ & cõpletâ in redditione oppidi de Cherbourg, finalis & extremi locorum & fortaliciorum ibidem ab ipsis Anglicis occupatorum, sub eadem Regis obedientia restituti. Die 12. mensis Augusti, anno Dom. 1450, Iubileo glorioso.

Inprimis verò Decumani illius voluminis foliis, aliquot narratiunculis, quas mox adscribemus, subiungitur Gregorij IX. summi Pontificis Bulla de compositione litis ac controuersiæ suprà memoratæ inter Abbatem Malleacensem, & Gaufredum Leziniacensem.

GREGORII IX. PAPÆ BVLLA DE LITIS SVPRADICTÆ COMPOSITIONE.

GREGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterij Malleacensis, Pictauiensis diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem. Mœstorum consolator, ac nostræ salutis auctor Dominus, post fletum exultationem infundens, mortémq; peccatoris nolens, sed vitam; Nobili viro Gaufredo de Leziniaco, Pictauiensis diœcesis, super desolatione Monasterij Malleacensis, dignatus est tandem compunctionis spiritum inspirare, vt pacis & animæ suæ quærendo consilia de regione dissimilitudinis in quam abierat nuper, ad sedem Apostolicam personaliter laborarit, vbi tu, Fili Abbas, pro liberatione dicti Monasterij moram traxeras longiorem. Eo igitur absoluto ab excommunicationis sententia, quâ tenebatur obstrictus, post multiplices tractatus concordiæ, prosequente negotium gratiâ Saluatoris, demùm inter te, Fili Abbas, pro præfato Monasterio & membris ipsius, ex vna parte, & memoratum Nobilem pro se ac hæredibus & successoribus suis ex altera, compositio amicabilis interuenit, cuius tenor est talis.

Ego GAVFREDVS de Leziniaco, Dominus Voluenti & Maireuenti, Notum facio omnibus præsentes literas inspecturis, quòd cùm instigante humani generis inimico, graues iniurias & damna non modica Abbati & Conuentui Malleacensi, & eorum hominibus intulissem, propter quæ auctoritate Apostolicâ vinculo excommunicationis eram adstrictus, & terra mea interdicto supposita, tandem eo inspirante qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat: Ego accensus desiderio reuertendi ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ, Sedem Apostolicam personaliter adij, vbi me primitùs absoluto cum venerabili Renaldo Abbate prædicti Monasterij post tractatus multiplices composui in hunc modum. Diuinæ siquidem pietatis obtentu pro mea & meorũ salute concedo, remitto & quitto perpetuò pro me ac hęredibus & successoribus meis dicto Monasterio Malleacensi quidquid quocumq; nomine censeretur in eo, Prioratibus, membris, hominibus & pertinentiis eorumdem quocumq; modo, & quacumq; causâ, iustâ vel iniustâ me habere dicebã, vel dicere poteram, & specialiter procurationes quas deberi mihi dicebã & meis Prę-

positis, Falconariis, Venatoribus, seruientibus, ac cuilibet de familia mea quandocũque diuerteremus ad Monasteriũ memoratũ. Simili modo concedo, remitto, & quitto necessaria quæ dicebã equis, mulis, canibus, & auibus meis, ac eorũ custodibus in eodem Monasterio, seu membris ipsius perendinantibus ex cõsuetudine ministrari: necnon exactionem pecuniæ, quæ ab hominibus Monasterij, & Prioratuum, & aliorum locorum ipsius exigebatur annis singulis pro talleta; expeditionem quoque & exercitum, biannum, boquestallum, in quibus mihi teneri eosdem homines proponebam, pœnámq; cui dicti homines si contrauenire præsumerent, subjacebant. Sasinas quoque, auenagium, commenditias, passagium quod me & meos habere dicebam in Rotundæ & Pichouenæ portubus sine naulo, & quicquid ratione procurationis, questæ, consuetudinis, iurisdictionis, potestatis, vel alio quocumque iure tam pro me, quàm pro Præpositis, Venatoribus, Falconariis, seruientibus, & aliis hominibus, necnon equis, mulis, canibus & auibus meis de ipso Monasterio, Prioratibus, villis & locis, scilicet insulæ Malleacensis, Rotundæ, Talgonis, Santonij, Adenterij, Dicaij, Podii-Letardi, Taissonij, sancti Michaëlis clausi, Saluariaci, Capellæ-Beraudi, Mairuenti, Perusiæ, Grigum, Voluenti, Montis-Nobleti, S. Mauricij de Nois & pertinentium eius, Castanariæ, Basogiarum, Molleronis, Vergueiæ prope Molleronem, Hermenaldi, Perusiarum, Costigniaci, Basteriæ, Calueriæ, Bosselli, Mosolij, ac etiam pertinentiis per me ac prædecessores meos occupari & exigi consueuit, aut mihi, vel meis in ipsis vel eorum feodis, burgis, villis, portubus, mercatis, locis, hominibus, fermis, molendinis, aquis, nemoribus, pratis, & bonis aliis idem Monasterium contingentibus, vel ipsius pertinentias competere posset, concedo, quitto, similiter & remitto, exceptis octo solidis Turonensibus annui census, quos sine duplicatione, seu augmentatione in molẽdino Prioratus, molẽdini de Nois sito propè Boëriam percipio annuatim. Commenditias autem meas de Voluento, vel aliis locis in terra dicti Monasterij vel membrorum de cætero recipi non permittam, nec impediam, vel faciam impediri, quominus idem Monasterium cum membris & pertinentiis suis plenâ fruatur ac perpetuâ libertate. Prędictus verò Abbas pro se, ac procuratorio nomine Conuentus Monasterij sui remisit mihi & quittauit summam quatuor millium marcharum argenti, in quibus per venerabiles Patres N. Rothomagensem tunc Cenomanensem Episcopum, & N. Turonensem Archiepiscopos Iudices, Sedis Apostolicæ delegatos pro manifestis damnis & iniuriis sibi & suis à me & à meis illatis fueram Monasterio condemnatus ipsorum processu à Sede Apostolica super hoc approbato. Remisit quoque mihi & meis omnes iniurias, contumelias, & damna rerum mobilium quæ perpessa erant à me, vel ab aliis ex parte mea, ex quo fuit orta inter me & Monasterium discordia, vsque ad vigiliam sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ ante Portam Latinam, quâ iter arripui ad Sedem Apostolicam veniendi. Annuum insuper redditum centum librarum Turonensium mihi vel heredibus meis & successoribus ab instanti festo sancti Michâëlis per triennium apud Niolium, medietatem scilicet in festo Omnium Sanctorum, reliquam verò partem in festo Resurrectionis Dominicæ persoluet Monasterium: quem redditum in denariis & aliis prouentibus in certo vel certis locis ad arbitrium virorum discretorum, A... Abbatis S. Benedicti de Quinciaco, I... Prioris de Riauiuo, & P... Arberti Archidiaconi Thoarcensis, ita quòd decedente eorum aliquo, provt à partibus sunt electi, substituatur alius loco eius. Intra spatium triennij dictus Abbas assignare promisit ex parte ipsius & conuentus sui pœna promissa & concessa decem librarum Turonensium pro defectu cuiuslibet termini, si in hoc triennio defecerint in solutione pecuniæ prętaxatæ. Et si huiusmodi assignationem redditus centum librarum facere neglexerint, aut noluerint ad arbitrium prædictorum centum quinquaginta libras monetæ prędictæ, donec fiat talis assignatio in iam dictis terminis nomine sortis & pœnæ annuatim soluere tenebuntur. Pręterea per prędictos arbitros inquisitione prębabitâ quantum partem Prioratus de Voluento habere in platea in qua ædificata est cohua mercati Voluenti, quidquid in ipsa cohua ędificiorum est in parte Prioratus ipsius remanere concedo ipsi Prioratui liberum & quietum, nec per me vel per alios inhibebo vel impediam, aut successores mei per se vel per alios inhibebunt vel impedient quin venditiones & emptiones in parte Prioratus eiusdem fiant liberè & quietè. Item non impediam, vel faciam impediri, quominùs homines vadant molere & coquere ad molendina & furnos prędicti Prioratus pro motu liberę

voluntatis. De via ad molendina iamdicti Prioratus inquisitione factâ per arbitros prænotatos, secundùm quod inuentum fuerit viam se habere ab antiquo fieri sine aliquo impedimento concedo. Ego verò pro me ac meis remitto Abbati & Conuentui supradictis, & omnibus Clericis & Laicis de parte ipsorum omnem rancorem, maleuolentiam, & offensam, eos recipiendo in meam beneuolentiam & amorem. Quòd si fortè ego vel heredes, seu successores mei veniendo, quod absit, contra concessionem, remissionem & quittationem prædictas, damna, vel impedimenta sæpè fato Monasterio, Prioratibus, membris, vel hominibus eorumdem inferre præsumpserimus, & super hoc ex parte Monasterij moniti non satisfecerimus infra mensem, extunc ex iis in quadruplum satisfaciemus Monasterio memorato. De his autem omnibus quæ præmissa sunt, firmiter obseruandis, tactis sacrosanctis Euangeliis corporale præstiti iuramentum, obligando nihilominus ad obseruantiam prædictorum me, heredes, & successores meos, bona mea, heredum, & successorum meorum, & ad robur perpetuum præsentem chartam sigilli mei munimine roboraui, & hanc compositionem coram Domino Papa & Fratribus suis fieri quam gratam habens ac ratam ab ipso confirmari, ac in registro suo poni humiliter supplicaui. Actum Spoleti anno Do. MCCXXXII. Kal. Iulij, Pontificatus D. Gregorij IX. anno sexto. Quia verò & quæ iudicio vel concordiâ statuuntur, firma debent & illibata persistere; & ne in recidiuæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico præsidio communiri, nos compositionem prædictam in nostra & Fratrum nostrorum præsentia recitatam, & ab vtraque parte sponte receptam ipsius Nobilis supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicâ confirmauimus, & præsentis scripti patrocinio communiuimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Reate duodecimo Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno sexto.

FRAGMENTA ALIQVOT HISTORICA IN EODEM CODICE DESCRIPTA.

Anno ab Incarnatione Domini Saluatoris nostri millesimo ducentesimo trigesimo sexto, inter Dominicæ Resurrectionis, & S. Ioannis Baptistæ solemnitates fuit occisio Iudæorum à Crucesignatis facta. Multi autem Crucesignati circa Niortum fuerunt de diuersis partibus congregati, vt Iudæos occiderent de Niorto. Sed eos habere non potuerunt, quia infra receptum Regis eiusdem castri inclusi munierunt se, & defenderunt cauentes suis pellibus, provt melius potuerunt. Considerantes autem illi Crucesignati quòd ipsos Iudæos habere non possent, apud S. Leodegarium venientes, consilium fecerunt in vnum quidam fatui ex iisdem vt ad Malleacensem insulam accederent, & si eandem possent insulam occupare, dictum est quòd suum receptaculum facerent in eadem, & exinde multa alia loca deuastarent. Quod cùm audisset Dominus Reginaldus tunc Abbas & Pastor diuinâ prouidentiâ Monasterij huius Malleacensis, misit ad illos Crucesignatos fatuos Fratrem Vvillelmum tunc Elemosynarium, & Fr. Radulfum Armarium Malleacensem, vt eos monerent compescendo eorum stultitiam & errorem: sed corda ipsorum adeò fuerunt obdurata, quòd non valuerunt munitionibus vel precibus cohiberi. Audiens autem Dominus venerabilis antedictus ita præfatos fatuos instigari ad malum, assumens eum Dei auxilio spiritum consilij fortitudinis, sicut benè solitus erat in aduersis, nunciauit tam militibus quàm seruientibus & amicis aliis de sua & de Fratrum aliquorum suorum parentela, & vniuersis hominibus de Hermenaldo, & de Peruciis, vt cum armis ad Malleacense Monasterium venirent, ad defendendam Ecclesiam Dei à persecutoribus supradictis, qui de mandato eiusdem benè præsentem insulam munierunt, & cætera.

Anno Domini MCCXXXIX. Vallensi Monasterio Pastoris solatio destituto, venerabilis Rainaldus Malleacensis Abbas ad ipsum Monasterium solemnes nuncios Monachos destinauit, videlicet Vvillelmum Priorem tunc temporis de Hermenaldo, & Radulfum Armarium Malleacensem, vbi in ipsorum præsentia Capitulum eiusdem Ecclesiæ cum assensu & voluntate dictorum nunciorum Fr. Fulcaudum tunc Priorem sancti Sulpitij, receptum in Malleacensi Capitulo in Monachum Malleacensem, & in Fratrem, elegerunt vnanimiter in Abbatem.

Anno MCCCXVII. in vigilia Assumptionis B. Mariæ Dominus Ioannes Papa XXII. in secundo anno Pontificatus sui Monasteria Malleacense & Lucionense erexit in Ecclesias Cathedrales, & Reuerendos Patres Fratres Gaufridum Ponerellum tunc Abbatem Malleacensem, & Petrum de Lauoyerie tunc Abbatem Lucionensem, primos Episcopos in dictis Ecclesiis, in Auenione, vbi tunc Romana Curia residebat, fecit per Reu. Patrem Dominum Berengarium de Biterris tunc Episcopum Ostiensem consecrari die Dominicâ ante festum B. Catharinæ, anno quo suprà. Et qui vidit, testimonium perhibuit, videlicet Frater Lucas de Marsayo, tunc Prior de Arduno, qui scripsit hæc.

Anno MCCCXXIX. fuit tanta aëris distemperies, quòd quolibet mense illius anni gelauit. Messes non fuerunt vsque ad Natiuitatem B. Mariæ: vindemiæ circa festum Omnium Sanctorum.

Anno sequenti fuit tanta aëris serenitas & amœnitas, quòd in Martio inueniebantur rosæ & botri in vineis, circa principium Madij guindola & cerasa. Messes fuerunt in festo B. Ioannis, vindemiæ in Assumptione B. Mariæ Virginis, nec gelauit nisi modicum illo anno.

Anno MCCCXXXII. magna inundatio aquarum circa Natalem Domini, & magna aëris obscuritas in vigilia eiusdem Natalis.

Anno milleno C. ter, V, cum ter quoque deno
Præsulis in festo Thomæ lector memor esto
Quod fremitu celeri sentitur terra moueri.

Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo quadragesimo sexto, quarto Nonas Octobris, fuit capta ciuitas Pictauiensis, & castrum de Lezigniaco die præcedenti, per Comitem Liscanstre locum-tenentem Regis Angliæ.

FINIS.

Digitized by Google

HISTORIA PONTIFICVM ET COMITVM ENGOLISMENSIVM.

Incerto Auctore, qui multa tum ex aliis, tum ex Ademaro deprompsit: Canonicum Engolismensem fuisse, & vixisse anno 1159. certum est.

Ex tribus MSS. exemplaribus: vno R. P. Frontonis Ducæi Soc. IESV, reliquis V. C. Ioannis Besly, quæ modò visuntur in Biblioth. Puteana.

INCIPIT PROOEMIVM.

NOMINA & gesta Pontificum & Comitum Engolismensium, quod negligentia scriptorum obliuioni traditum erat, quantum potui, memoriæ commendare curaui, & nihil de meo apposui, sed ea quæ in veteribus libris, vel in scripto felicis memoriæ HVGONIS Engolismensis Episcopi inueni; vel mihi celebris fama vulgauit, veraci stylo vsque ad nostra tempora scribere proposui. Taceat igitur æmulus seu adulator: non enim inueniet aliquid iste de meo, vnde mihi detrahat, nec aliud vnde me laudet.

CAP. I. *De Ausonio Episcopo.*

Primus igitur Episcopus Engolismensis AVZONIVS fuit natione Xantonicus, patre Albino, matre verò Eugenia, oppido Mauritaniæ natus, à beato Martiale Episcopus ordinatus Engolismensis: qui persecutione Vandalicâ, capitis obtruncatione martyrium consummauit. Sepultus in confinio vrbis in occidentali parte, vndecimo Kalendas Iunij. Cessauit Episcopatus per tempora multa.

CAP. II. *De Aptonio Episcopo.*

Aptonius Episcopus, qui Capellanus Clodouæi fuerat, assensu quoque ipsius Regis Episcopus Engolismensis consecratur. Prædictus siquidem Rex Engolismam obsidens, quam nefandissima gens Gothorum occupauerat, etiam Pontificatum ipsius vrbis sibi vsurpauerat à tempore B. Auzonij, consilio prædicti Capellani sacrosanctas

Reliquias sanguinis & aquæ contra muros extollere fecit, & statim muri corruerunt, captáque ciuitate, interfectisque Gothis, & expulso Arriano Gothorum Episcopo, venerabilem Capellanum suum Aptonium consecrare fecit, & in prædicta ciuitate constituit Episcopum; & Sacerdos sacras Reliquias sanguinis & aquæ Cathedrali Ecclesiæ obtulit, in qua vsque in præsens continentur, & in maximo honore venerantur.

CAP. III. *De Euparchio Engolismensi Patrono.*

Ab isto S. Euparchius, seu Eparchius Engolismensis Patronus ordinatur. Sepultus est autem in confinio vrbis, in occidentali parte.

CAP. IV. *De consecratione Ecclesiæ Cathedralis Engolismensis.*

Post transitum verò Aptonij Gregorius Archiepiscopus Turonensis, & Germanus Altissiodorensis (corr. Parisiensis) à Chariberto Rege missi, consecrauerunt Cathedralem Ecclesiam in honore Apostolorum Petri & Pauli, quam de nouo construxerat, distincta priori sede quam Gothi Arrianâ maculatione fœdauerant, quæ fuerat antè in honore S. Saturnini, consecraueruntq; assensu Regis Episcopum Engolismensem Mererium, qui Capellanus ipsius Regis erat. Hic siquidem facundissimus fuit, doctorque mirandus, cuius scripta, vt audiuimus, Cluniacensis Ecclesia habet. Vt verò antiquorum narrabat opinio, quæ quandoque pro teste adhibetur, sepultus est sub Altare B. Petri de subtus muro. Eadem autem opinio asserebat, quòd Innocentis corpus sub eodem Altari cum corpore prædicti viri continebatur. Cùm autem prædictum Altare pro reædificatione Ecclesiæ diueretur, vt prædicta opinio diuulgauit, ita vtrumque corpus sub Altare inuentum est, præsente Domino Hugone Engolismensi Episcopo (ordinato anno 974) & aliis venerabilibus personis. Sed quia sine litteris & titulo corpora illa inuenta sunt, publicè noluit reuelari; sed tale consilium omnibus placuit, quòd sicuti sub priori Altari fuerant, ita sub reædificato reponerentur, sub quo vsque in præsens requiescunt.

CAP. V. *De Sigeberti Regis pugna contra fratrem suum.*

Eodem tempore Sigebertus Rex Franciæ contra fratrem suum (imò ex fratre nepotem) Theodebertum pugnam disposuit, persequens eum vsque Engolismam, vbi residebat propter fortitudinem murorum. Ille quoque derelictus à suis, cum paucis remansit; sed tamen ad bellum procedere non dubitauit, venienſque ad pugnam, octo millibus ab Engolisma iuxta fluuium Carantonum, secùs siluam Buxitam Theodebertus deuincitur, & apud S. Eparchium sepelitur.

CAP. VI. *De negligentia Scriptorum.*

Ciuitas verò Engolismensium negligentiâ scriptorum, vt credimus, memoriæ non tradidit facta subsequentium Episcoporum à Mererio vsque ad Launum. Inde est quòd nomina tantùm habemus eorum, scilicet: Mathæus, Sigismundus, Gotismundus, Anselmus, Berthoalis, Ardoïnus, Gerbardus, Theomundus, Erogius, Gibaldus, Adebalardus, Madabertus, Guillermus, Fredebertus (ad cuius petitionem Pipinus Rex dicitur chartam dedisse) Sidranius.

CAP. VII. *De Launo Episcopo.*

Launus Episcopus ab Aptonio decimus octauus. Hic siquidem Regis Pipini Capellanus fuit, & assensu ipsius Episcopus Engolismensis factus, vixit etiam vsque ad tempus Caroli: cuius Regis scripto & impressione annuli sui, possessiones Clericorum confirmari fecit in Ecclesia B. Eparchij Deo seruientium. Quia tunc temporis Canonicalis habitus in Ecclesia S. Eparchij erat. Priuilegium autem suprascriptum in hunc modum erat (Deest in tribus MSS. codicibus quibus vsus sum: Papyrius Massonus habuit, nosque vidimus ad calcem Ademari MS. in Biblioth. Thuana.)

Cap. VIII. *De Helia Scotigena Episcopo.*

Defuncto Launo, suscepit Helias Scotigena Cathedram Engolismensem, qui in Gallia mirificè scholas rexit. Hic attulit sacrosanctum corpus sanctissimi Martyris Benigni Engolismam, quo tempore Caluus imperiale solium ascendit: sub quo Rege Helias Scotus vitâ egreditur. Ita siquidem inuenitur in quodam libro Scotigenam fuisse Doctorem in Galliis: Beda docuit Simplicium, & Simplicius Rabanum, qui à transmarinis oris ab Imperatore Carolo vocatus in Pontificem in Francia promouetur: qui Alcuinum docuit, Alcuinus Maragdum, Maragdus Theodulfum Aurelianensem Episcopum, Theodulfus Heliam Scotigenam Engolismensem Episcopum, Helias Henricum, Henricus Remigium & Hugbaudum hęredes Philosophiæ reliquit.

Cap. IX. *De Hooliba Episcopo.*

Heliâ verò decedente, Hooliba Pontifex suscepit Cathedram. Tunc temporis Carolus Caluus congregato concilio Aquitaniam per Comites disposuit. Turpionem verò in Engolisma ciuitate misit propter infestationem Normannorum. Post autem paucos dies Turpio Comes Engolismæ vltra Xantonas cum Normannis congressus est, & occidens eorum Regem nomine Maurum, ab eo ipse occiditur: currentibus enim caballis ambo in pectoribus sibi lanceas configunt, & vitam relinquunt.

Cap. X. *De Emeno Comite.*

Mortuo Turpione, Emeno frater Turpionis Engolismæ Comes efficitur, & ipse post biennium cum Landrico Xantonensi Comite confligens propter castrum Botauillæ, quod frater eius tenuerat, & Landricus ipsum castrum dolo acceperat. Landrico interempto, castro Ranconia saucius reducitur, & octauâ die moritur, sepultus iuxta Basilicam S. Eparchij, & reliquit filium paruulum, nomine Ademarum, qui processu temporis Pictauis Comes effectus est.

Cap. XI. *De Vulgrino Comite.*

Auditâ morte Emenonis, Carolus Caluus Vvlgrinum propinquum suum, fratrem Abbatis ex Monasterio S. Dionysij direxit Engolismam, & præfecit Engolismæ & Petragoricæ, & assensu Caroli Regis Hooliba in Pontificem Engolismæ consecratur.

Cap. XII. *De Fredeberto Episcopo.*

His temporibus Fredebertus Episc. Franciæ ad S. Eparchium veniens construxit ibi Ecclesiam in honorem S. Saluatoris: sed corpus beati viri de loco in quo erat, transferre non valuit, ipsoq; consecrationis die post celebratam consecrationem Ecclesiæ, & sacrificium Missæ consummatum ante Altare Saluatoris, placidâ morte obdormiuit in Domino, & ibidem ab Hooliba Episcopo honorificè sepulturæ traditur.

Cap. XIII. *De Carolo Caluo Rege.*

Interea Carolo Caluo, cuius pater Imperator monetam Engolismensem suo nomine sculpere iussit, migrante de hoc sæculo, regnauit pro eo Ludouicus Balbus, nec aliquà aliquis Rex Franciæ eleuatur. Defuncto Ludouico regnauit filius eius Carolus insipiens. Quo tempore Vvlgrinus Engolismensis Comes migrauit à sæculo decimo (imò quinto) Nonas Maij, & sepultus est iuxta Basilicam S. Eparchij, post cuius mortem quinto anno Hooliba Episcopus diem clausit.

Cap. XIV. *De Anatalo Episcopo.*

Et Anatalus Pontifex Engolismæ loco eius ordinatus, tertio anno vitam finiuit. Vvlgrinus autem multis prœliis cum Normannis frequenter confligens, hâc de causa ædificauit castellum Mastaciam & Marcilliacum munimen contra Paganos,

misitq; in Marcilliaco Robertum legis doctum, & amicum Rannulfum, quem fecit Vicecomitem; qui Rannulfus habuit tres filios, Lambertum, Aldoënum, atq; Odolricum, siue Offricum. Idem Vlgrinus filius suis reliquit, Aldouino quidem Engolismam, Guillermo verò & Agennum, quem assumens vendicauerat sibi pro sorore Guillermi Tolosani, quam sibi copulauerat in matrimonium. Ademarus autem filius Emenonis Sanciam sororē Comitis Petragoricensis Bernardi copularat sibi in coniugio: Alduino & Guillermo familiarissimus fuit, qui honores illorū ac si frater diligebat; qui à Rege Odone vocatus, ad Palatium prouectus est Pictauis Comes.

CAP. XV. *De morte Vulgrini.*

Post mortem siquidem Vulgrini, filius eius Aldouinus Engolismensis Comes viginti annos vixit. Hic muros ciuitatis Engolismæ restaurare cepit.

CAP. XVI. *De Guibaudo Episcopo.*

Quo tempore Guibaudo Pontificatum Engolism. regente, repetentes Normanni crebras irruptiones per Pictauensium terminos exercebant: vnde factum est vt Monachi S. Saluatoris Katoffij pretiosum lignum Crucis ad custodiendum Engolismæ deferrent cum diuersis ornamentis Ecclesiæ; & cessante infestatione Normannicâ, Aldouinus in ciuitate sua retinere tentauit omnibus diebus supradictum lignum, volens reddere commendatitium; hâc de causa iussit adornare Ecclesiam S. Saluatoris, foras muros, in capite Basilicæ S. Eparchij, vbi sanctum lignum deportaretur. Post annos verò septem languore corporis mulctatus est ipse, & in populo eius ita fames vehementissima grassata est, vt quod hactenus compertum non fuit, de vulgo vnus alterum ad deuorandum quæreret, & à multis alios perimētes carnibus humanis more luporum vescerentur: quibus Alduinus coactus necessitatibus, vltimo anno ante mortem suam remisit Katoffo Lignū per manum Guillelmi Sectoris ferri cum capsa aurea, quam ipse cum gemmis construi iusserat, vbi contulit Tribellicensem villam, & statim cessauit plaga, & ipse post annum defunctus est sexto Kal. Aprilis, & iuxta patrem suum sepultus est: post cuius mortem occisi sunt à Bernardo nepote Odonis in vltionem Sanciæ sororis, Lambertus Vicecomes, & Rannulfus frater eius, qui eam occidere conati sunt.

CAP. XVII. *De Guillermo Sectore ferri.*

Guillermus autem Sector-ferri honorem illorum restituit Odolrico fratri eorum, qui fuit minor natu, & fuit illi Vicecomes, sicuti Ranulfus patri suo.

CAP. XVIII. *De morte Vuillelmi.*

Hic denique Bernardus, mortuo patre suo Guillermo, qui fuerat frater Aldoïni ex Vulgrino, Comes Petragoricæ effectus est. Guillermus verò Sector-ferri Engolismensem Principatum obtinuit, & communem habuerunt totum honorem suum Guillermus Sector-ferri, & Bernardus consanguineus eius.

CAP. XIX. *De successione Focaudi Episcopi.*

Quo tempore Guibaudus Episcopus Engolismensis decedens, successorem habuit Focaudum, tunc Vuillelmus Sector ferri, & Bernardus consanguineus eius, aggregato conuentu nobilium, iterùm restituerunt Monasticum ordinem in Ecclesia B. Eparchij, præficientes Abbatem Mainardum, qui in fronte Ecclesiæ elegans construxit Oratorium in nomine sanctæ Resurrectionis, & multas Reliquias, quas de Hierosolymis asportauerat, ibi recondidit. Tunc Vuillelmus Sector-ferri possessiones S. Eparchij augens, dedit supradictæ Ecclesiæ multa beneficia, tam prædia quàm Ecclesias. Per idem tempus Focaudus Engolismensis Episcopus rexerat Ecclesiam per duodecim annos, & migrauit à sæculo, & successit in Episcopatu Ebulus, qui & ipse præfuit Ecclesiæ duodecim annos. Guillermus itaque Sector-ferri, qui hoc nomen sortitus est, quia cum Normannis confligens, venire solito conflictu deluctans, ense corto, vel scorto durissimo, quem Vvalandus faber condiderat,

per medium corpus loricatum secauit vnâ percussione) obiens, sepultus est iuxta Basilicam S. Eparchij, & per triginta annos pro eo principati sunt Bernardus Comes Petracoricensis, deinde filius eius Arnaldus, cognomento Borrario pro eo, quia cum ipsa veste lupum diabolicum homines deuorantem appetiit, & manibus gestans, militibus occidendum præbuit. Deinde Vvillermus Talerandus, deinde Rannulfus Bonparus, & Ricardus Insipiens. Arnaldus siquidem subtrahens S. Eparchio villam Sallasensem, & conferens Heliæ Duci Villaboënci ab Angelo percussus interiens hâc de causa in fine mortis S. Eparchio Ajarnacensem villam contulit pro emendatione, & sepultus est iuxta Basilicam S. Eparchij. Mortuo fratre eius Guillelmo, Rannulfus bello occisus est ab Arnaldo Manzere, id est, adulterino filio Guillelmi Sectoris-ferri, qui pro patre suo principatum Engolisinæ suscepit.

CAP. XX. *De Arnaldo Comite.*

Arnaldus iste quidem Engolismensis pro Dei amore facto habitaculo Monachorum Buxiaci sancti Amantij, & ibi misso Reuerendo Abbate Francone factus Monachus in aula S. Eparchij, sepultus est quarto Nonas Martij iuxta patrem suum.

CAP. XXI. *De Guillermo Comite.*

Arnaldus supradictus Comes successorem sibi reliquit Guillermum filium suum. Præterea Focaudus Episcopus migrauit à sæculo anno DCCCCLI. ab Incarnatione Domini, qui sedit annis XII. mensibus XI. diebus XIII. Obiit Idibus Februarij, & reliquit sibi successorem Rannulfum, qui regens Episcopatum Engolismensem annis IX. mensibus XI. diebus XIV. obiit X. Kalendas Februarij.

CAP. XXII. *De Hugone Episcopo.*

Post quem suscipiens Episcopatum XII. Kalendas Aprilis DCCCCLXXIII. ab Incarnatione Domini Hugo Pontifex ordinatur: siquidem vir natione Xantonicus, à Iarnaco castro de Senioribus illius castri, quos vulgariter Comptarios vocant, natus vir astutus, & eloquens, & litteratus, qui vt nobis celebris fama antecessorum diuulgauit, Comitatum Engolismensem Ecclesiæ Engolismensi acquirere volens, maximas guerras cum Arnaldo Engolismensi Comite habuit. Qua de causa bona Engolismensis Ecclesiæ detrahens, maxima casamenta in Lemouicensi, Petragoricensi, Engolismensi, Xantonensi Episcopatibus, Baronibus, qui in prædicta seditione ei auxilium præbebant, impendit. Vnde ad tantam alienationem bonorum, & ad tantam loci desolationem versa est Cathedralis Ecclesia, quòd pauci Monachi ibi Deo seruientes, de bonis Ecclesiæ vix sustentari poterant: vnde cymbalum in claustro, & alias monasticas Cathedrales in Ecclesia Engolismensi adhuc retinent. Dicitur etiam de prædicto Pontifice, quòd vitam beati Eparchij scripserit. Obiit in monastico habitu, &, vt credimus, in vita sua deposuit se, maximè cùm corpus illius sine virga & annulo in sepulcro suo inuentum fuerit, cùm vetus Ecclesia beati Eparchij diueretur. Decessit verò DCCCCXXI. (vel potiùs DCCCCXC.) anno ab Incarnatione Domini VIII. Kal. Decemb. sedit annis XII.

CAP. XXIII. *De Grimoardo Episcopo.*

Cathedram verò illius Grimoardus Episcopus accepit. Hic natione Petragoricus, more (fortè matre) Tuensis (fortè Eduensis) fuit à Guillelmo (legendum Guidone) Vicecomite Lemouicensi, captus pro Monasterio Brantosmensi, quod ad eum in munere poscebat, captus tenebatur in turre Lemouicina, & dimissus iuxta conditionem Guidonis Gerberti, seu Siluestri Papæ Curiam appellans, Romam adiit. Guido Curiæ Romanæ sententiam damnationis suscepit, & cùm ibi Guido præsens esset, Grimoardo Episcopo traditus est. Grimoardus iste oblationes Ecclesiæ Engolismensis, & mansum de Tournac Ecclesiæ prædictæ acquisiuit, & insuper quædam præbenda cuidam pauperi in Ecclesia prædicta pro anima eius datur; à quo etiam Ecclesia Cathedralis Engolismensis consecratur, per quem Hugo Rex Fran-

corum priuilegium Cathedrali Ecclesiæ Engolismensi dedit: cuius tempore quidam de Principibus Engolismensibus Vvadradus Loriches ædificauit in Xantonico pago Monasterium Basiense in honore sancti Stephani Protomartyris, & censuale fecit Romanæ Ecclesiæ: consecratur autem Ecclesia prædicta à Grimoardo & Isione fratre eius Xantonensi Episcopo. Grimoardus verò obiens sepultus est in Cathedrali Ecclesia, iuxta Altare Capituli: in quo Capitulo cùm maxima hominum multitudo fortuitu conueniret, contigit vt quidam super tumbam ipsius obdormiit tertio voce Angelicâ vocatus, tertiò euigilans admonitus est, quòd à loco prædicto discederet. Sub tumba etiam illa quiescebat sancti viri corpus, quod Fratribus Ecclesiæ prædictus homo refarciuit; corpus verò illius è loco illo translatum est in quodam arcu in Capitulo, cùm Ecclesia noua ædificaretur.

CAP. XXIV. *De Rohone Episcopo Engolismensi.*

Reliquit verò Rohonem successorem sibi, qui natione Pictauiensis Montisacuti oppidanus fuit: cuius manu Robertus Rex Gallicanus Cathedralem Ecclesiam Engolismensem priuilegiauit. Guillermus verò Comes Engolismensis copulatâ sibi vxore Gibertâ, sorore Comitis Guillermi Andegauensis (scribendum Gaufredi) Alduinum & Gaufridum ex ea genuit. Guillermus iste sapientissimus fuit, & Consiliarius Guillelmi Pictauensis Ducis. Blauiam denique cùm expugnasset Guillelmus Engolismensis secum Ducem habuit, & magnâ fortitudine ipsum castrum cepit, & accepit hæc in beneficio à Pictauiensi Vicecomitatum Mellensem, Oenacensem, seu Chenaucensem, & Rocacardensem, & Chabanes, Confolens, & Roffiacum, & multa alia.

CAP. XXV. *De Aymerico Principe.*

Quo tempore Aymericus Princeps Ranconiensis seniorem suum Guillermum Comitem Engolismæ, dum ipse Romæ esset, castrum Fractum-botum (fortè Botauillam) in Xantonico constructit per dies Resurrectionis. Promiserat ei fidelitatem super reliquias sanctarum caligarum S. Eparchij; & quoniam perjurus contra ipsum fuit, post paucos dies à Iofredo filio Comitis supradicti animam sine mora reliquit. Comes verò Vvillermus cum Alduino filio suo castrum diù obsedit, & fortiter expugnauit; captum destruxit, & iterùm reædificauit, filio suo Ioffredo commendans. Guillermus verò Vicecomes Marciliacensis & frater eius Odolricus graui discordiâ decertabant cum Auduino fratre eorum, propter castrum Roffiacum multo tempore: vnde factum est vt à Vvillermo Comite inter se pacificarentur, & pacem ipsam, pactúmque conditionis super corpus sancti Eparchij iidem iurarent: quod interim mentiti, & perjurio rei, alter excæcatus est, alij duo omni honore priuati sunt. Nam Guillelmus & Odolricus ad se dolo accersentes Aldoinum in hebdomada in Ramis Palmarum, postquam cum eis cœnauerat, & in hospitio eorum dormiebat, dormientem arripiunt, linguam eius amputant, & oculos eius effodiunt, & ita Roffiacum recuperant. Regressus verò Româ Vvillermus Comes, tantam impietatem vindicare decreuit, & accito Vvillelmo Duce Marciliacum obsidens desolauit, igne combutens, & traditoribus vitam & membra concessit; sed omnium eos priuauit, & Alduino cœcitate mulctato Roffiacum concessit; & post aliquot annos iubente Guillermo Comite, Alduinus filius eius (qui) excœcatus, Marciliacum reædificauit. Eâ tempestate Vvillermus Engolismensium Comes, per Bajoariam iter cepit ad sepulcrum Domini: nam ante eum per illas partes nullus prætierat; quippe quia nouella adhuc Christianitas per Vngriam & Sclauoniam erat: comitati sunt eum Odoardus Bituricensis Princeps, Ricardus Dolensis Abbas. Stephanus Rex Vngariæ cum omni honore eum susceptit, & muneribus magnis ditauit. Cepit iter agere mense Octobri, & peruenit in sanctam ciuitatem primâ hebomadâ mensis Martij, vnde reuertens, ab omnibus Ecclesiæ ordinibus solemniter susciptur Princeps: tam Engolismenses quàm Xantonenses & Petragorici ei obuiàm venerunt. Eodem ferè anno idem Comes languore corripitur: quo anno Xantonas vrbs cum ipsa Cathedrali Ecclesia incendio crematur ab impiis Christianis: quam iniuriam Dei supradictus Comes vindicare volens, paulatim cepit viribus corporis de-

Digitized by Google

ſtitui, & in vrbe Engoliſma ſecùs Eccleſiam ſancti Andreæ propter Diuinum Officium iubet ſibi domum præparari, in qua ægrotans decumbere cepit, vbi inceſſanter à diuerſis partibus omnes Principes & Nobiles viſitabant. Cúmque à nonnullis diceretur maleficis artibus eum ægrotare, quia natura languore membrorum deſtituebatur, detecta eſt quædam mulier malefica contra eum exercuiſſe, hoc eſt, imagines ex lino & cera confictas in eius nomine ſepeliſſe, tam in fontibus quàm in arida, & contra radices arborum, & quaſdam in gutturibus corporum mortuorum incluſiſſe. Quæ dum malefica non confiteretur, iudicio Dei commiſſum eſt, vt quod verum latebat, per duellum duorum virorum inter ſe pugnantium data victoria probaretur. Factis ergo Sacramentis feriâ ſecundâ primæ hebdomadæ Paſſionis decertauerunt diù multúmque extra ciuitatem, in inſula Carantoni fluminis, ſcilicet Miſſus Comitis Stephanus, & defenſor maleficæ Vvillermus, cum baculis & ſcutis. Defenſor enim maleficæ erat ipſo die maleficiatus à quibuſdam incantatoribus, & quibuſdam potionibus herbarum initiatus: ſed Stephanus de ſolo Domini vero iudicio confidens, victor ſine ſui corporis damno fuit. Alter toto corpore cõquaſſato, ſuo nimiùm ſanguine coopertus, victus ſtetit in pedibus ab hora tertia vſque ad horam nonam, cùm ſe mouere iam non poſſet clypeo & baculo, euomuit quædam maleficia quæ guſtauerat. Semiuiuus aliorum manibus deportatur, & longo tempore languens decubuit. Incantatores verò eius de longè ſtantes, qui & quædam præcantamina dicebant, mox territi fugerunt. Stephanus verò lætus & exiliens eâdem horâ cucurrit gratias Deo referre ad tumulum beati Eparchij, vbi prædictâ nocte pernigil excubauerat. Deinde reuerſus eſt exultans in ciuitate vt ſe reficeret. Malefica verò multis tormentis, ignorante Comite, mox excruciata, nec ſic confeſſa eſt, & à diabolo corde obdurato nullum verbum nec vocem ex ore protulit: à tribus tamen mulieribus, quæ cum ea interfuerant, de his maleficiis conuicta eſt teſtimoniis, quaſdamque phantaſticas ex lino imagines de ſubtus terra eædem mulieres extraxerunt coram omnibus iam putrefactas diuturnitate. Comes ergo pepercit maleficæ mulieri, nec ſiuit eam tormentari vlteriùs, & vitam conceſſit. Narrat Hieronymus in expoſitione Danielis, Epiphanem phantaſiis maleficarum verſum in amentiam à quibuſdam terroribus oppreſſum interiiſſe. Alexander quoque Magnus talibus maleficiis in Babylonia fatiſcere cepit corpore, quæ maleficia iuſſerunt fieri latenter, qui poſt eum regnare cupiebant. Ideò refertur de eo, quòd decidit in lectum, & cognouit quia moreretur; ſed cùm diù langueret viuens, veneno extinctus eſt. Et Moyſes ait: Maleficos non patieris viuere. Nec mirum ſi Deus permittat præſtigiis maleficorum ægrotare, cùm beatum Iob ſciamus à diabolo percuſſum graui vlcere, & Paulum ab Angelo Satanæ colaphizatum, nec timenda ſit corporis perituri ægrotatio, grauiorque ſit animorum quàm corporis percuſſio. Quod autem quibuſdam non nocet hæc phantaſtica operatio, protectio Dei eſt, qui vetat ſic ad homines malignum ſpiritum accedere.

CAP. XXVI. *De obitu Vvillelmi Comitis.*

Igitur Vvillelmus Comes ab Epiſcopis & Abbatibus pœnitentiam ſuſcipiens, omniaque ſua diſponens, & inter filios ſuos & coniugem ſuam nominatim, prout ſibi viſum eſt, honorem ſuum ordinans, reconciliatus, & abſolutus eſt, & toto Quadrageſimæ tempore Miſſas, & cultum Dei frequentauit, quouſque hebdomada Paſſionis oleo ſancto vngeretur, & Viatico muniretur, & ligno Crucis adorato, & deoſculato, ſpiritum in manu Epiſcopi Rohonis & Sacerdotum Deo redderet, laudabili fine & memoriâ. Per biduum ſeruatum eſt corpus eius à Clericis in Baſilica Cathedrali ſancti Petri Apoſtoli. Planctu nimio tota ciuitas repleta eſt: multitudo nobilium & turbarum vndique flens aduenit. Tunc Dominica ſancta Oſanna cum ramis & floribus delatum eſt corpus eius ad Baſilicam ſancti Eparchij, & ibi ſepultum eſt ante Altare ſancti Dionyſij: ſepelierunt eum duo Epiſcopi, Roho Engoliſmenſis, & Arnaldus Petragoricenſis. Ad caput eius iuſſit poni filius eius Audoinus tabulam plumbeam ita ſcriptam: *Hic iacet Dominus amabilis Guillermus Comes Engoliſmæ, qui ipſo anno, quo venit de Ieruſalem, obiit in pace* VI. *Idus Aprilis, vigilia Oſannæ* MXXVIII. *ab Incarnatione Domini*; & tota ſua progenies iacet in loco ſancti Epar-

chij. Interea iussu Aldoïni flammâ exustæ sunt maleficæ mulieres extra vrbem. Postquam verò Comes sepultus est, processerunt Episcopi cum Clero & populo ad sanctam Processionem Dominicam & stationem solemniter peregerunt.

CAP. XXVII. *De Alduino Comite.*

Successit pro Vvillermo Alduinus filius eius in Principatu Engolismæ, & præclarum lætitiæ signum initio principatus eius ostensum est, cùm à dolore sepulturæ transiit populus ad lætitiam, obuians Domino, exclamans: Osanna in excelsis, benedictum regnum patris nostri Dauid, præferens manibus victoriæ palmas, ramos securitatis, & flores suauitatis. Obtulit supradictus Guillermus pro sepultura sua sancto Eparchio diuersa & pretiosa munera tam in terris quàm in siluis, auro & argento multo, aliisque rebus. Inter cętera donaria obtulit Crucem auream cum gemmis pretiosis, pensantem libras septem: candelabra argentea, sarrauisa fabrefacta pensantia libras quindecim: totam siluam de Veniaco, quæ antiquitùs in dominio S. Eparchij fuerat. Sed demùm propter* abalienata illi erat ab antecessoribus Comitibus. Crastina verò post sepulturam eius die Blauiæ castrum dolo subtractum est Comiti Alduino à Ioffredo fratre eius. Mox Comes Alduinus cum virtute militari illuc tendit, & citò ipsum castrum capiens, in deditionem accepit, & missâ illic custodiâ militum, Engolismam regreditur ad celebrandum: quo regresso, frater eius per dies sanctissimos Parasceues Sepulturæ & Dominicæ Resurrectionis, contra Blauiam exstruxit aliud nouum castellum. Hoc comperto, Alduinus nequaquam prætermisit opus Dei sed cum magna gloria & lætitia sanctum Pascha celebrauit, & post diem tertium festiuitatis, electo exercitu ad bellum committendum exiit. Audierat enim fratrem suum velle cum eo confligere, & exercitum de Xantonico aggregari. Ita castrum nouiter munitum obsedit illicò, & prœlium præstolatur feroci corde: sed nequaquam frater eius præsumpsit lacessere ad pugnam, videns robustam eum habere manum. Et post dies octo, expugnato & capto castro supplex venit ad eum: Cui Comes Alduinus protinùs ignouit, & pacem concessit, & facti sunt amici in illa die, & tunc in beneficio tres partes Blauiæ omes concessit fratri suo Ioffredo, quartamque sibi retinuit, & conditionibus congruis pacificati sunt amore præcipuo. Tunc Ioffredus filium suum commendauit fratri suo Alduino Comiti in manibus, propter duo castra quæ sunt in Xantonico, scilicet Archiacum & Botauillam, quæ semper attinent ad Comitatum Engolismensem. Quâ tempestate Odolricus sancti Martialis Abbas vigilantissimæ honestatis Engolismam venit ad Alduinum Comitem: Ipse verò tunc donauit sancto Martiali Ecclesiam Beatæ Mariæ in territorio Burdegalensi, cum insula magna Dordoniæ, in qua sita est: estque ipsa Ecclesia vno plus milliario à castro Fronciaco, quod erat in dominicatu vel in dominio proprietatis supradicti Comitis, cum omnibus in circuitu terris & castellis; quam possessionem retinebat ex iure hereditario vxoris suæ nobilissimæ Alairiæ vel Alauziæ Comitissæ. Pater verò Alduini Vvillelmus reuersus ab Ierosolymis, multis nobilibus, mediocribus & pauperibus bonum fuit incitamentum: confestim enim Isembertus Episcopus Pictauinus, & Iordanus Episcopus Lemouicinus, & Comes Fulco, pluresque Primatum, & infinita multitudo mediocrium & pauperum, ac diuitum Ierosolymam tendunt. Roho autem obiens sepultus est in capite Cathedralis Ecclesiæ, à parte Australi.

CAP. XXVIII. *De Geraldo Episcopo Engolismensi.*

In cuius locum successit Geraldus arte malâ, vir magnus à studiis (magnæ constantiæ) qui tyrannidem Dapiferorum suorum fugiens, ad Regem Franciæ quasi exul diuertit, & in extremis vitæ laborans, erigere se contra Episcopatum Engolismæ fecit, & viuos simul ac mortuos illius Episcopatus absoluit, præter Dapiferos suos, quos excommunicauit, & futuram progeniem maledixit.

Hic.

Digitized by

Hic autem obiens sepultus est intrà Ecclesiam S. Dionysii à parte Septentrionali. Titulus autem talis est tumuli illius : *Hic requiescit Ger. Angolismæ ciuitatis Episcopus.*

CAP. XXIX. *De morte Auduini Comitis.*

Ipse verò Auduinus post mortem Guillermi patris sui quatuor annis Consulatum tenuit, & mortuus est anno MXXX. (aliquid deest) anno ab Incarnatione Domini.

CAP. XXX. *De Gaufrido Comite Engolismensi.*

Successit in Consulatum Auduino Gaufridus seu Iosfredus frater eius, cuius erat vxor Petronilla filia Marnardi dicti Diuitis Domini Archiaci & Botauillæ & sola eius heres: pro qua totam hereditatem patris habuit & possedit, quam duxerat ipse Gaufridus, viuente patre suo Vuillermo Comite. Filius verò fratris Alduini, scilicet Vuillermus Chausardus licet filius esset primogeniti & terram de Comitatu debuisset habere, solummodò Mastacium & medietatem castri Fronciaci habuit. Hac de causa scilicet quia Comes Vuillelmus eius auus filios & filias exheredauit, idcirco quia vxor eiusdem Audoini toxicauerat eum, & propter hoc sententiam exheredationis in progeniem illius mulieris retorsit. Gaufridus verò Comes de vxore sua prædicta filios genuit Fulconem, Gaufredum Rudelli, Arnaldum de Montosario, Vuillermum & Ademarum postea Engolismenses Episcopos. Fulconi primogenito dedit Comitatum Engolismæ & terram quam ex parte vxoris suæ habebat, Gaufredo Rudelli castrum Montosarij. Obiit autem Gaufredus Comes MXLVIII. anno ab Incarnatione Domini.

CAP. XXXI. *De successione Fulconis.*

Successit verò illi in Comitatu sicut ipse in vita sua disposuit, Fulco eius primogenitus filius, sicut ab antiquis accepimus vir magnæ fortitudinis & audaciæ, & in militia strenuissimus. Qui inter cætera quæ viriliter egit, Pictauenses de terra sua in quam ad deuastandum irruerant, audacter inuadens repulit vsque Coniacum fortiter inuadendo rustando & pugnando fugauit & multos ex eis cepit. Insuper in pago Xantonensi castrum Mauritaniæ obsidione qua Dux Aquitaniæ illud clauserat & iam fere ad captionem constrinxerat cum magno suo exercitu illuc perueniens ad magnum (forte ad manum vel manus) singula liberauit. Obiit verò in senectute bona MLXXXVII. anno ab Incarnatione Christi. *Idem numeri error extat in tribus MSS.* Certè conjux Gaufridi Petronilla pro salute animæ suæ Monasterium S. Pauli de Botauilla propria pecunia & allodiis fundauit & in eodem Monasterio sepulta est.

CAP. XXXII. *De Vuillelmo Episcopo.*

Post Gerardum Arte-niala Guillermus Engolismensis natione, patre Gaufrido Consule, Petronilla matre, Engolismæ natus Episcopatum Engolismæ suscepit vir sapiens & disertus qui Guillermo Aquitanorum familiarissimus fuit : qui prædicto Præsuli Thesaurariam Sancti Hilarij & oblationes altaris Angeliacensis dedit. Dum autem prædictus Præsul in extremis laborauit pro remedio animæ eius altare prædictum dedit Angeliacensibus. Totum autem Capitulum cum Abbate concessit quòd duo Monachi pro anima Pontificis semper in Ecclesia substituerentur, quod vsque in præsens perseuerat, prædictus verò Præsul maximas guerras habuit cum Fulcone fratre suo & cum illo militari prælio sæpe conflixit. Ædificauit Tolueram & Borzai. Obiit anno MLXXVI. ab Incarnatione Christi XII. Kalendas Octobris sepultus est intra Ecclesiam Cathedralem à Septentrionali parte. Sedit annis triginta tribus.

Digitized by Google

Cap. XXXIII. *De Ademaro Episcopo.*

Loco cuius promotus est in Episcopatum Ademarus frater Vvillermi Episcopi prędicti, natione Engolismensis, patre Engolismensi Consule Gaufrido, Petronilla matre, Engolismæ natus, Stirpensis Ecclesiæ Abbas, homo miræ simplicitatis, qui cum Duce Aquitanorum in Hispaniam contra Saracenos militauit. Hic Monachos per Engolismensem (quantum potuit) dilatauit. Dicitur etiam quod ipse dixerat se velle vnamquamque Ecclesiam Episcopatus Engolismensis esse Prioratum Monachorum. Cui indignatus Hugbertus Sacrista respondit. Et nos Canonici in singulis Ecclesiis Engolismensis Episcopatus singulos vellemus esse Episcopos. Dedit autem Cathedrali Ecclesiæ mansum d'Angunt & præposituram quæ fere omnia bona sibi vsurparat & septem Friscobonæ (forte friscingas) in die anniuersarij sui. In cuius tempore promotus est in Canonicum dominus Iterius Archambaudi Sacerdos ciuis Engolismensis, militari progenie ortus: vir siquidem ditissimus super omnes coætaneos suos, qui cum Episcopus Ademarus Præposito mille solidos Pictauensium pro acaptamento exigeret, & ipse reddere non posset, prædictus Iterius Episcopo mille dedit & mille solidos acaptamenti reddidit, & Præposito & parentibus eius multa bona contulit. Vnde tam Episcopus quàm Præpositus & parentes eius Præposituram reddiderunt, dederúntque Sancto Petro & donum istud Vrbano Papæ confirmare fecerunt. Episcopus autem Ademarus sedit annis viginti, mensibus duobus & migrauit à sæculo.

Cap. XXXIV. *De successione Vvillelmi Comitis.*

Fulconi verò prædicto Engolismensi Comiti successit in Comitatum Guillermus filius eus primogenitus, dictus Sector-ferri, quem peperit ei filia de * Ounormani Vagena quæ vocabatur Condo. Guillermus iste mediocris staturæ & egregiæ statutudinis (fortitudinis) ita quod huiusmodi in corpore quantitatis major virtus, vt arbitror, non extitit. Nonnullos enim Equites ictu lanceæ per clypeum & loricam transfigendo interfecit, & à vulgo dicitur, quod ab equo suo persecutione militari numquam præcipitatus decidit. De plurimis verè factis eius scripto & memoriæ ista commendare duximus. Comitatum Marchiæ quem Hugo de Lezignaco vir prudens & bellicosus occasione iuris hæreditarij sibi in proprium vindicare volebat, assiduis eiusdem Hugonis impugnationibus multotiens ad Karrofum ductis plurimis militibus de terra sua electis propriis expensis viriliter defendit. Castellum Sancti Martialis à multis infestationibus & castellum Assiæ valida obsidione Guillelmi Ducis Aquitanię, magnique exercitus oppressione sua suorúmque Comitum strenuitate egregiè liberauit. Strenuos & præcipuos viros in tempore suo inimicos habuit Ardoinum seu Audouinum de Berbezillo, Ademarum de Archiaco, Bardouinum de Coniaco & multos eorum coadiutores auxiliis & muneribus Guillermi prioris Ducis Aquitaniæ fretis, eosque multotiens conflictu bellico, acie ex vtraque parte ordinata aliquando in honore Berbezilli, aliquando in honore Coniaci vicit & fugauit & non paucos ex eorum militibus cepit. Sanè castellum Benaugium quod ex parte vxoris suæ iuris sui erat & castellum Sancti Macarij, cùm homines illius terræ infideles ei abstulissent, illuc perducto exercitu ad magnum sui honorem in perpetuos vsus recuperauit. Eodem tempore Ademarus Engolismæ Episcopus migrauit à sæculo MCI. anno ab Incarnatione Domini pridie mensis Septembris. Sedit annos 20. & sepultus est intra Ecclesiam Cathedralem à septentrionali parte.

Cap. XXXV. *De promotione Gerardi in Episcopum.*

Postquam promotus est in Episcopum Girardus natione Normannus, Diœcesi & ciuitate Bajocarum, oriundus, patre Giraudo. Qui cùm in ciuitate Engolisma & Petragorico & in quibusdam castellis circum adjacentibus regimina Scholarum habuisset, defuncto Ademaro Engolismensi Episcopo ob insignem ipsius scientiam

& honeſtam vitam, in Engoliſmenſem Epiſcopum promotus eſt petitione populi, electione cleri, honoratorum aſſenſu. Qui cum Romam tenderet, audito quòd Paſchalis Papa Concilium congregaſſet maximum diebus illis, ad iubileum tetendit (ita codex Beſlij, ac Duceanus habet, maximis dietis ad vrbem tetendit, haud dubiè emendatius) in quam quamuis tacitè venit, tamen reſidentes Epiſcopos cum domino Papa in Concilio inuenit. Cauſa ſiquidem qua conuenerant, talis fuit. Imperator ſiquidem Henricus Papam Paſchalem, Cardinales & nobiles Romanos ceperat. Hac occaſione Papa reliquit inueſtituras Imperatori quæ fiebant per annulum & virgam, & ſuper Sacroſancta iurauit propria manu & Curia eius Imperatorem ſe non excommunicare pro inueſtituris. Quia verò Papa rem illicitam fecerat deponere ſe à Papatu promiſerat & ad Poncianas inſulas habitu religioſo exul ire diſpoſuerat ſi inueſtituras ſaluo ſacramento ad priſtinam libertatem, &c. In qua re nullum remedium à toto Concilio inueniri poterat. Gerardus Epiſcopus requiſitus tandem tale conſilium dedit, quod inueſtituræ reuocari poterant ſaluo ſacramento, ita tamen quòd Imperator dans inueſtituras non excommunicaretur. Quod conſilium omne Concilium laudans dixit, non tu locutus es, ſed Spiritus Sanctus in ore tuo. Placuit itaque Papæ & toti Concilo quatenus Gerardus Epiſcopus per quem Deus Eccleſiæ ſuæ tale conſilium reſeraverat, cum quodam Cardinale Diuiniaco, vel Dunciaco, ad Imperatorem dirigeretur, qui voluntatem Imperatoris conſuleret, quatenus Eccleſiæ Romanæ inueſtituras exponeret (fortè reponeret) alioquin habitum conſilium reuelaretur. Quod cum in præſentia Imperatoris ſupradictus Pontifex Gerardus mirabiliter peroraſſet, & à Cancellario Imperatoris qui illius interpres erat, ſingula exponerentur, vehemens tumultus ortus eſt in Curia, ita quod Colonienſis Archiepiſcopus qui eum ſolemniter in hoſpitio ſuo ſuſceperat; in Gallis namque diſcipulus Gerardi fuerat, de vita illius dubitans, dixit: Magiſter maximum ſcandalum generaſti in Curia noſtra. Indignans autem Gerardus reſpondit: Tibi ſit ſcandalum, mihi eſt Euangelium. Dedit tamen Gerardo Pontifici Imperator multa munera: Per idem verò tempus Vvillelmus Taillefer Engoliſmenſis Comes circa finem vitæ ſuæ ſepulcrum Domini viſitauit, & in reditu apud Duſenſe Monaſterium à ſæculo migrauit; & in eodem Monaſterio honorificè ſepultus eſt, & reliquit hæredem ſibi Vvlgrinum filium primogenitum qui natus ei de filia Amāni, ſeu Amanieu, Gaſconis quę vocabatur Vitapoi. Raimundo filio ſuo dedit Fronciacum & Fulconi filio ſuo Montemauſerium. Gerardus verò Engoliſmenſis Epiſcopus cùm domino S. Paſchali Papæ adhæſiſſet, qui ad partes Galliarum venerat cognita honeſtate & præclara ſapientia ei vices ſuas prius in Britannia, & deinde Turonenſi, Burdegalenſi, Bituricenſi, Auſcitanâ Prouincijs commiſit. Præter cætera quę in legatione eximiè fecit, octo Concilia celebrauit. Vvillermo verò dicto Sectore-ferri, vt diximus, ſucceſſit in Conſulatum Vvlgrinus eius filius primogenitus homo magnæ ſtaturæ & pulcherrimæ compoſitionis prudens & militiæ peritus, patiens laborum, timor hoſtium, & arma ſuorum, & viribus corporis robuſtus, & cui in militari conflictu & communi certamine fere bene ſucceſſit. In eleemoſynis faciendis, in veneratione & oblationibus Eccleſiarum benignus, in caſtitate & in munditia corporis ſui præcipuus, in hoſtium ſuorum depreſſionibus ſollicitus ac prouidus & per omnia laudabilis, excepto quòd proprietatis ſuæ amplificandæ cupidus quoſdam terræ ſuæ homines malas conſuetudines imponendo grauauit. De geſtis verò pauca ex multis referemus. In iuuentute ſua, patre ſuo adhuc viuente & Conſulatum tenente ſedula ſtrenuitate, & quamplurimi laboris ac militiæ exercitio aduerſantibus Vvillermo præclariſſimo ac ſtrenuiſſimo Duce Aquitanorum & Bardone de Coniaco illuſtris ac benignę largitatis viro, & Audoino de Barbezillo viro Bellicoſo caſtellum Archiaci furtim ablatum de manu Ademari de Archiaco præſtantis viri auxilijs & conſilijs felicis memorię Gerardi Engoliſmenſis Epiſcopi & Romanæ Eccleſiæ Legati viriliter recuperauit, & interim ratione eiuſdem diſcordiæ caſamentum & Baronia de Maſtaſio, quæ pater ſuus pro captione ſua ad tempus amiſerat, ei ac patri ſuo præfato domino Gerardo auxiliante reddita ſunt. Patre verò illius Hieroſolymitanam viam ingreſſo contra Ademarum Rupis-fulcaudi dominum magnæ audaciæ & calliditatis virum aciem mille militum vel amplius direxit. Tantorum autem ardorem & diſcordiam interuentus prædicti Gerardi ſedauit, atque terminauit. Præterea Guillermo minore Duce Aquitaniæ tenente caſtrum Blauiæ, quod pater ſimiliter dictus Guillermus præ obſidione

ceperat & turrem & muros destruxerat, prædictus Comes Vvlgrinus congregato magno exercitu & propriis expensis contra voluntatem prædicti Ducis & vniuersæ fortitudinis illius reædificauit; & ita munitum inexpugnabile reddidit, quod non solum cuilibet infestationum, sed etiam Duci Aquitaniæ & eius exercitui vsque in hodiernum resistere poterat. Sanè idem Vvlgrinus castellum Chabanes & Confolent cum honoribus Ademaro domino Rupis-foleaudi, qui castella illa iuris esse sui ex parte vxoris suæ dicebat & Vvillermo priore Duce Aquitaniæ miræ audaciæ & strenuitatis viro ipsum Ademarum in requisitione illorum omnimodis manutenente inuitis & suo posse aduersantibus Roberto Burgundio, Amuria & Rancone (vel Aimerico de Rancone) cum filia Iordani Eschiuatiillius terræ domini sine masculo hærede defuncti, dedit. Deinde cùm præfatus Dux Aquitaniæ dolo & proditione castella illa quorundam Procerum in ipsis manentium occupasset, eo mortuo & filio eius in Principatu substituto dicto Vvillermo ijdem Vvlgrinus & Robertus Burgundio ea recuperauerunt. Postea verò cùm idem Robertus, dimissa terra illa & sponsa quam nondum nuptialiter templo contulisset & Vvillelmo de Mastacio fratri Roberti Domini Montis Berulfi cum consilio Vvlgrini Comitis terram illam & sponsam concessisset eidem Vvillelmo de Mastacio terram illam tenenti secundus Vvillermus Aquitaniæ Dux castella, sicut pater abstulerat, auferre tentauit, & se ea capturum Lemouicensi in Curia Sancti Martialis publicè iactauit, ita quòd nullomodo Vvlgrinus Comes auderet ei se opponere: quod audiens Vvlgrinus ad defendendum illa castella cum multis militibus & peditibus audacter intrauit & propriis expensis & hominibus ea muniens ferè per mensem aggressum prædicti Ducis expectauit qui nequaquam vt jactauerat venit: & inde Vvlgrinus ad vrbem Engolismensem veniens terram illam in pace dimisit. Hoc etiam tacere nolumus, quòd cùm etiam Vvlgrino quartam partem castri Montiniaci & per Braudandi custodiam turris Giraldus de Blauia, qui in castro illo dominium habebat abstulit Vvlgrinus ipse in præsentia Guillermi minoris Ducis Aquitaniæ & eius auxilius fultus ipsum castellum obsedit aduersantibus Iterio de Villaboe, Bardone de Coniaco, Gaufredo de Rancone, Hugone Bruno de Leziniaco & multis alijs Baronibus, tam de Pictauiensi quàm de Xantonensi pago, qui contra eum castrum illud munierant, & foras ad prelium non semel egressi aduersus eum & prædictum Ducem ac vires eorum fortiter dimicauerunt. Sed tandem innumeris mortibus & longa obsidione & multis assultibus compulsi quadam nocte furtim castrum dimiserunt & aufugerunt. Quotiens autem & audacter ipse conflixerit & quos ictus more bellico intulerit, & passus fuerit, difficile scribere visum est: & ita in hac obsidione maximè & in multis alijs bellicosè & viriliter egit quùm summus miles præ cæteris diceretur, & fama virtutis eius non solùm in propinquis sed etiam in remotis regionibus diuulgaretur. Castello itaque Montiniaci hoc modo quo diximus capto & in manu Gerardi Engolismensis Episcopi pro quo vt pote iuris & feodi sui existente iam & hominium fecerat, suscepto, turrim altam & robustam in eo ædificauit & ipsum castellum muris vndique validissimis muniuit. Et verò Engolisinensem * à primo lapide ędificauit: in quâ reędificatione supradictus Itherius Archambaudi in constructione parietum expensarum medietatem de proprio suo ministrabat. De proprio suo ædificauit dormitorium, refectorium, cellarium, Presbyterium, ianuas ferreas & contulit prędictæ Ecclesiæ (forte Ecclesias) de Iulhac & de Renenorulla & de Touzac, & Ecclesiæ de Iulac quæ manu laica alienata ab Ecclesia Engolismensi fuerat de manu militum qui dicuntur Coquenses ad ius Engolismensis Ecclesiæ reuocauit, & contulit etiam de proprio vt pauperes viginti quatuor semper alerentur in prædicta Ecclesia in vnaquaque Quadragesima & acquisiuit duodecim solidos in Ecclesia de Touzaco ad tunicas pauperum. Dedit etiam Engolismensi Ecclesiæ Pontificalia ornamenta, quæ emit à Bosone Xantonensi Episcopo mille solidos, scilicet casulam magnam cum lapidibus vndique aurifrizatam, vestimentum cum alba vndique aurifrizatum manipulum & stolas cum lapidibus aurifrizatas & tunicam ac dalmaticam, in qua sunt depictæ aquilæ, & quinque solidos in die anniuersarij sui. Obijt in senectute sua MCXXXV. ab Incarnatione Domini anno IX. Kalendas Augusti, & inter Pontifices collatus iuxta Pontificem Grimoardum in Capitulo sepultus est. Gerardus itaque Engolismensis Episcopus aulam Pontificibus constructit, & Ecclesiæ quam vt diximus, ædificauit, hæc munera obtulit. Contulit verò textus aureos & magnum

Digitized by Google

textum cum lapidibus nimirum turibula deaurata & crucem de argento, duo candelabra argentea, vnam capſulam argenteam, vnum vrceum argenteum, vnum calicem aureum, vnum deauratum argenteum, quatuor argenteos, duas tabulas eburneas cum argento, duplex argenteum pſalterium, duo altaria argentea, & in fine ſuo thuribulum argenteum ſeptem capſulas argenteas & duas eburneas & duas pyxides argenteas, & vnam eburneam, manipulum de argento, vnum calicem de argento lapideum; quatuor magnas cruces, tres paruas. Hæc ornamenta prædictæ Eccleſiæ intulit, vnum pallium auri operis & magnitudinis & duodecim alia, quadraginta cappas, nouem dalmaticas, tres tunicas, ſeptem amictus argenteos & aureos, colarium aureum, quatuor ſtolas, octo manipulos, quinque albas & vnam de affreſina: & centum volumina librorum vel eo amplius, vt credimus, videlicet ſcripta Gregorij, Auguſtini, Ambroſij, Hilarij, Iſidori, Cypriani, Gregorij Nazianzeni, Origenis, Hieronymi, Bruni, Bedæ, Rabani, Boethij, Paſchaſij, Sidonij, Hiſtoriam paruam & Hiſtoriam Iulij Cæſaris, ſcripta Tullij, & innumera bona Eccleſiæ noſtræ & menſæ Epiſcopali contulit. Conſtituit etiam de proprio ſuo bono vt tredecim pauperes in menſa Pontificis Engoliſmenſis ſemper alerentur. Tempore cuius & beneficio & auxilio Eccleſia de Corona, Bornetenſis (vel Ambornenſis) Eccleſia, & Eccleſia de Groſſoboſco & de Aulauilla ędificari cœperunt. Aulam Pontificibus & Capellam & Cameram Pictauı ædificauit, & annulum aurei operis cum lapidibus pretioſis Eccleſiæ Engoliſmenſi dedit: Curtim Varuci in decima, in agricultura & aliis redditibus augmentauit: aulam Varui ædificauit muris, vallo ædificatam roborauit, Eccleſiam & domos conſtruxit leproſarias; innumera bona menſæ Epiſcopi acquiſiuit, Varuci, Adriaci, Engoliſmæ. Qui in iudicio verax, in reſponſione diſcretus, in prædicatione eximius, in allocutione blandus, in prouerbijs facetus, tamen circà finem ad Petri Leonis ſchiſmatici partes diuertit, errori illius fauens. Die autem proxima mortis ſuæ accepimus quòd in confeſſione ſua Sacerdotibus dixerit, ſi partem Petri Leonis contra voluntatem Dei ignorans manu tenuerit ſe confiteri & pœnitere: Omnia autem illa quæ habebat fere in vita ſua, vel Eccleſiæ dedit, vel pauperibus erogauit. Sabbato autem Miſſam celebrans maxima deuotione & effuſione lachrymarum ſequenti die Dominica migrauit à ſæculo MCXXXVI. anno ab Incarnatione Domini, ſedit in Epiſcopatu annis triginta tribus menſibus .... diebus .... Et cùm aliquem Capellanum nec giſtis ſiue quæſtus nec hoſpitijs vexaſſet vnicuique Capellanorum ſui Epiſcopatus in fine ſuo vnam minam * obolum dedit, & illud magnificum ſidus quod claritate ſui partes occiduas illuſtrauerat: proh dolor! extra Eccleſiam quam ædificauit ſub vili latet lapide. Ceſſauit Epiſcopatus vſque XIV. Kalendas Iulij.

CAP. XXXVI. *De Lamberto Epiſcopo.*

Poſt Gerardum Vvlgrino tenente Conſulatum ſuſcepit regimen Engoliſmenſis Eccleſiæ Lambertus natione Engoliſmenſis vico Palude, patre Fulcherio, matre Leggardi natus: vir quidem ſapiens & diſcretus & ſummæ eloquentiæ & maximæ religionis, qui ab Ademaro Epiſcopo Sacerdos ordinatus Eccleſiæ S. Ioannis de Palude Capellanus fuerit. Qui in ea congregauit conuentum fratrum religiosè ibi viuentium. Proceſſu verò temporum Eccleſiam de Corona à primo lapide ædificauit: in qua promotus in Abbatem de Eccleſia S. Ioannis de Palude conuentum religioſum tranſtulit in Corona, quos bonis moribus & inſtitutionibus eximiis exornauit, & prædictæ Eccleſiæ multa bona acquiſiuit, illam molendinis, ſyluis, prædiis, pratis ditauit, reliquiis, libris, ornamentis decorauit. Factus Præſul Engoliſmenſis Eccleſiæ quatuor prædia (in Ducæano codice pallia) dedit & Eccleſiam de Magnac acquiſiuit. Ædificauit in domibus Epiſcoporum quandam aulam in qua eſt puteus & coquina & turrem ſuper portam Varuci: ædificauit Eccleſiam Baptiſterij de contentu benedictionum. Qui exemplar religionis, iuſtitiæ, largitatis, caſtitatis & eleemoſynæ omnibus in prouinciâ Burdigalenſi fuit. Vvlgrinus verò cùm prædictus Dux Aquitanię iunior Turrem Geofridi appellatam ingenijs ſuis expugnatum & validè captam deſtruxiſſet, & aliam turrim dictam Turrim Radulfi de Coniaco quoniam expugnando antecedentia acquiſierat & ſuis vt dicebat hominibus & proprijs expenſis munitam teneret, Proceres & milites atque populus inde expulſi atque

Digitized by Google

exhęredati auxilium Wlgrini ad proprias manſiones & ſua iura recuperanda ſimpliciter expetierunt. Qui congregato quamplurimo exercitu & viribus Procerum eiuſdem caſtelli ac vicinorum Baronum eis fauentium coadunatis obſidione turrem circumdedit. Itaque homines qui eam tenebant, libertatem inde eundi non habebant. Quod audiens commemoratus Aquitaniæ Dux exercitum ac vires quantas potuit congregauit & ad libertatem turris & hominum in ea incluſorum in honore caſtri Pontis non multum longè à Turre adduxit. Quod comperiens Wlgrinus & qui cum eo Proceres, ſe ad pugnandum contra aduerſum exercitum parauerunt. Cùm verò ex vtraque parte acies ordinatæ eſſent interuentu Epiſcoporum domini Lamberti Engoliſmenſis & Willelmi Guardardi Xantonenſis & ſapientium virorum pax & concordia inter Ducem & Wlgrinum Comitem & Proceres caſtri Pontis ita reformata eſt, quòd Radulfus turrem ſuam reddidit & Gaufrido de Ponte vt ſuam quæ diruta erat reædificaret, conceſſit, cæteriſque Baronibus omnia iura ſua habere permiſit Hæc ita circa Pontenſes acta ſunt, qui caſtri ſui reædificationem & manſionem, ſiue bonorum ſuorum reſtitutionem prudentiæ & ſtrenuitati Guillermi Comitis non immerito vniuerſaliter aſſerunt. Hæc quoque memoriæ & ſcripto commendamus, quòd idem Wlgrinus circa finem vitæ ſuæ laudabiliter ac virtuosè egit circa caſtellum Villaboe, ſiquidem Iterius de Villaboe occaſione vnius partis quam in caſtello habebat auxilius & expenſis Gaufridi de Rancone fultus qui cum militibus caſtrum intrauerat & munierat: Helias de Coniaco partem & ius dominicum ſuum quod in caſtrum habebat illud præter turrem quæ dicitur Pictauinorum abſtulit, & hanc ablationem & inuaſionem ſibi & ſequacibus ſuis & perpetuò vſurpare moliebatur. Quod audiens Comes Vvlgrinus quamuis debilis ex infirmitatis oppreſſione quam ferè per dimidium annum ſuſtinuerat, multorum exercitu tam militum quàm peditum congregato honorem caſtelli Villaboe audacter ingreſſus eſt, ibique per aliquot dies moratus cùm montem in quo caſtellum ſitum eſt, contra aduerſarios vellet aſcendere, illi congreſſum eius formidantes, quamuis eo plures milites haberent, dimiſſo caſtello & turre Pictauinorum, quam obſeſſam tenebant & expugnabant, aufugerunt. Tunc Helias de Coniaco Bardonis filius caſtellum & caſtelli dominium ſuum ex integro per manum Vvlgrini Comitis honorificè recuperauit ac demum paucis de exercitu illo electis in aulam Vvlgrinus Comes veniens quod quidam contra eum imminerent, munitionem illam expugnando cepit & deſtruxit, quibuſdam malefactorum interfectis & detruncatis, & quibuſdam in aqua proxima dum fugerent ſubmerſis: & ſic burgum illum qui dicitur Maulia vndique foſſis & machinationibus lignorum munitum deſtruxit & combuſſit, vt nec præter Eccleſiam aliquid in eo ſuperſtes remanſiſſe viderent. Deinde ferè in eodem menſe coadunata gente tam militum quàm peditum burgum qui dicitur Comac munitionibus atque fortitudine breuius quàm credi poteſt benè paratum contra voluntatem & conſilium ſuorum, quod nemo de genere ſuo antea hoc facere auſus fuerat, & etiam contra opinionem inimicorum exerit contra Dominum Rupis-Fulcaudi & Vertolij & honores eorum qui illi maximè aduerſabantur & inimici exiſtebant. Quo facto vſque ad dimidium annum totum Rupis-Fulcaldi honorem & gentem in eo manentem pene ſibi ſubjugauit, & iuxta libitum ſuum ad finem duxiſſet, niſi morte præuentus fuiſſet. Quas expenſas apud Burgum memoratum, & quàm multiplices conſumpſerit, quámque audacter & viriliter honoros prędictos & loca in eis munita inuaſerit, non eſt facile, vt ipſe fecerit, ſcripto commendare. Cùm autem virtute floreret, & fama eius militaris virtutis vſque ad externas nationes diuulgaretur, inimicis ſuis alius timore perterritis, aliis verò timore & oppreſſione defatigatis atque illius largitas in reficiendis & procurandis honorificè ac deuinciędis militibus ampla haberetur, ac donatiua illis magnifica & pluſquam ſe ſecum haberet abundantia exiſterent, correptus acutæ febris dolore apud caſtellum Botauillam, conuocatis Proceribus ſuis & domino Lamberto Engoliſmenſi Epiſcopo in cuius manu & diſpoſitione teſtamentum faciens iam quinquageſimum & vltra annum perficiens, in Comitatu verò vigeſimum, ab hac vita deceſſit & ſepultus eſt in Capitulo S. Eparchii ad ſiniſtram partem altaris MCXL. anno ab Incarnatione Domini, XVI. Kalendas Decembris, & reliquit Guillelmum primogenitum ſuum hęredem ſibi quem peperit ei Pontia filia Comitis de Marchia: dedit tamen duobus filiis ſuis poſterioribus natu ſcilicet Fulconi & Gaufrido Martelli, quos peperit ei filia Viceco-

Digitized by Google

mitis Castelli Airaudi nomine Amabilis, Mastacium & Vsuillam.

CAP. XXXVII. *De Guillelmo Taillefer.*

Guillelmus verò Taillefer iuuenis elegantis formæ Consulatum suscepit, aduersum quem Ludouicus Rex audiuit querelas Lamberti Engolismensis Episcopi quòd Comes Engolismensem Ecclesiam vexaret, quæ de regalibus bonis fundata erat, has litteras Guillelmo Comiti direxit:

LVDOVICVS Rex Francorum & Dux Aquitanorum Guillelmo Engolismensi Comiti fideli nostro salutem & dilectionem. Peruenit ad aures Regiæ dignitatis nostræ, quòd in bonis Engolismensis Ecclesiæ manus extendis, quæ prædecessores nostri Reges eidem Ecclesiæ contulerunt, quam & fundarunt. Hæc oppressio in nostram redundat iniuriam, qui & Ecclesiam Christi debemus defendere & prædecessorum nostrorum eleemosynas conseruare. Eapropter fidelitati tuæ per Regia scripta mandamus vt Engolismensem Ecclesiam & bona illius cum amore & honore nostro in omni pace & quiete dimittas, nec amplius vim inferre præsumas. Nos autem cùm ad partes venerimus, si quid inter vos & Episcopum querelarum emerserit, ad modum & concordiam studiosè reuocare conabimur. Cùm autem Ludouicus Rex ad Aquitanicas partes veniret, Lambertus Episcopus, vt accepimus, dixit Regi quòd Engolismenses Episcopi Capellani Regum Francię fuerunt, ex quo Ligerim ad partes Aquitanicas transirent, quòd Ludouicus Rex non contradixit. Guillelmus siquidem Comes cum Baronibus suis multas guerras & vexationes passus est. Ludouico autem Rege aggrediente iter Hierosolymitanum, prædictus Guillermus sequutus est eum cum maximo exercitu, qui à Rege Siciliæ & ab Imperatore Constantinopolitano honorificè susceptus est & multis muneribus ditatus fuit. Et cùm Rex Franciæ & Imperator Alemanniæ & omnes ferè Barones fame & inopia periclitarentur, prædictus Guillermus in pace transiens saluo exercitu & rerum substantia, Ierusalem venit, & egentibus Baronibus permaxima dona distribuit. Tunc temporis felicis memoriæ Lambertus morbo laborans panem non comedens per multos dies vixit & à Comprouincialibus Episcopis & aliis religiosis personis in infirmitate sua visitatus est. Qui plenus dierum in senectute sancta post munitionem (leg. inunctionem) & susceptam Eucharistiam in præsentia fratrum suorum spiritum Deo reddidit MCXL. vel potius MCXLIX. anno VIII. Idus Iunias. sedit in Episcopatu annis XIII. diebus viginti. Cessauit Episcopatus vsque XIV. Kalend. Iulij subsequentis anni: sepultus iuxta caput Ecclesiæ de Corona in Orientali parte.

CAP. XXXVIII. *De Hugone Episcopo.*

Post quem suscepit electionem Cleri petitione & assensu Hugo natione Engolismensis, Rupis-Focaldi oppidanus, Petro patre, Edoarda matre natus, Ecclesiæ Engolismensis Cantor, qui à primaria ętate castitatem & munditiam seruauit, etiam verba illa quę bonos mores corrumpunt verecundè vitabat. Fuit humilis in omni actu, in locutione gratiosus, nihil habens rusticitatis admixtum, qui cùm paruus adhuc, vel habitu esset, tamen in prędicatione facundissimus erat. Qui liberalibus artibus imbutus Magistro Gilleberto in Gallijs adhærens, illum maximè in Theologia sequutus est. Cùm autem Gaufridus Burdegalensis decessisset, Canonici Burdegalenses vocem suam in electionem dederunt Engolismensi, Agennensi, Pictauensi, Xantonensi, Petragoricensi. Qui cum de electione secretò tractarent, Henricus Rex se intermiscuit concilio eorum, deprecans, quatenus Ioannes de Sæcli Magister Scholarum Pictauensium per eos in Archiepiscopum eligeretur. Et ipse præsens Rex volebat interesse electioni, ne aliquis Episcoporum contra voluntatem Regis aliquid diceret. Cùm verò Rege præsente prædicti Pontifices timido silentio stuperent, solus Hugo Engolismensis Episcopus dixit: Domine Rex nobis quibus electio iustè commissa est, de electione in præsentia vestra tractare non licet: quandiu autem hic nobiscum fueritis de officio Ecclesiastico & de ordinatione nobis commissa tacebimus, nec amplius qui voce nostra primò promotus est per nos promouebitur. Quod audiens Rex cum maximo rancore tristis abscessit. Comes itaque Guillermus de itinere Hierosolymitano regressus maximam guerram cum Rannulfo de Agernac sororio suo habuit. Qui Rannulfus quadam

die cùm magnas militum & peditum copias congregasset & Castrum nouum capere pararet, prædicto Guillermo cum paucis sibi occurrente cum illa peditum & militum multitudine ab eo captus est. Item Arnaldo Bocardi præfatum Guillermum grauiter infestante G. Mandugot, seu Manigot, cum ad auxiliandum illi properaret, à prædicto Consule captus & in vinculis redactus est. Idem Consul magnas guerras habuit cum Fulcone & Gaufrido fratribus suis, cum Focaudo Archiaci, cum Iterio de Coniaco & multis aliis Baronibus qui abstulerant ei munitionem Macuriæ, quam obsidens præfatus Comes repulsis inimicis, honorificè suscepit. Illud quoque eximium illi accidit. Nam cùm guerram haberet cum Guidone de Rupe-Foucaudi armata manu intrans castrum Rupis-Foucaudi, quidquid extra turris munitionem inuenit aut ignis combustione deleuit, aut rapinis diripit. Cúmque sæpe nominatus cum Rege Anglorum ad obsidionem Chosæ veniisset, contigit quòd Hugo Engolismensis Episcopus grauissima infirmitate correptus opprimeretur, quem modum infirmitatis cùm astantes Medici iudicare non possent, multa ignoranter dixerunt. Quantæ charitatis prædictus Hugo Pontifex fuerit, quàm assiduus in lectione, quàm benignus erga subditos, dicere nequimus. Ex quo vrbem ingrediebatur cum Cathedralibus in choro omnibus horis & maximè in matutinis Deo psallebat communi voce, non grauata Episcopali auctoritate, & fastidiens palatium in Claustro cum Cathedralibus frequenter residebat, nisi Ecclesiasticæ causæ traherent illum, qui maxima bona mensę Episcopi contulit. Consilio eius Ecclesia Engolismensis iudiciariam de Iulae acquisiuit. Qui homo summæ pacis & summæ concordiæ ex quo ipse discessit, quasi cum eo pax & concordia discessit: tota ciuitas in seditionem versa est. Vix sexagenarius maximo planctu Clericorum, lamentatione nobilium, luctuoso gemitu vtriusque sexus & ætatis post munitionem (inunctionem) & acceptam Eucharistiam obdormiuit in Domino pridie Idus Augusti MCLIX. anno ab incarnatione Domini. Sedit annis x. mensibus 2. die vno. Sepultus est intra Ecclesiam Cathedralem à Septentrionali parte. Cessauit Episcopatus vsque ad Idus Octobris sequentis.

NOMINA

NOMINA AC GESTA LEMOVICENSIVM EPISCOPORVM.

A Proto-præsule & Primate Aquitaniæ Beatissimo Martiale vsque ad annum MCCLXXIII.

Ex antiquo exemplari Speculi Sanctoralis compositi circa annum MCCCXX. per Fratrem Bernardum Guidonis Episcopum Lodouensem iussu domini Berengarij Magistri Ordinis Prædicatorum (non Minorum) & postea Archiepiscopi Compostellani, dedicati domno Ioanni Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, anno MCCCXX.

CAP. I. *De Sancto Martiale.*

PRIMVS omnium Episcoporum sedentium Lemouicæ fuit beatissimus Martialis Proto-præsul ac Primas Aquitaniæ. Hic autem fuit vnus ex septuaginta duobus Discipulis Domini nostri IESV-CHRISTI, quem Saluator ipse tanquam de latere suo direxit Roma in Aquitaniam Lemouicensibus per beatum Petrum Apostolum eiusdem S. Martialis consanguineum, in Galliarum Apostolum ac patronum anno Dominicæ Incarnationis XLVII. à passione verò Christi 14. vel potius 15. Intrans igitur Aquitaniam beatus Martialis de pretioso sanguine Beati Protomartyris Stephani, aliásque multas pretiosas reliquias secum detulit. Habuit quoque in suo comitatu virum Dei vocabulo Amatorem & vxorem eius nomine Veronicam, quæ verè familiaris fuerat B. Mariæ Virginis Matris Dei prædicti verò conjuges Amator atque Veronica de lacte B. Mariæ Virginis, de capillis eius, duósque fotulares eiusdem secum detulerunt. Sanctus igitur Martialis in rupe quæ Græcè Auicij dicitur, nunc autem Latinè Podium nostræ Dominæ nuncupatur (quæ tamen prius ciuitas Vellatæ vocabatur, sed diuinis reuelationibus sicut in gestis ipsius Ecclesiæ legitur, fuit vocabulo mutata) altare in honore ipsius Dominæ nostræ dedicans, ibi eius fotularem posuit; alterum autem in Ruthenâ; de Capillis verò eiusdem beatissimæ Virginis partem quidem posuit in ciuitate Aruernensi quæ nunc Clarus-mons nuncupatur; partem autem in Mimatensi. Porro his quatuor sedibus ab ipso in honorem illius Beatæ Mariæ dedicatis, Lemouicæ, Bituris, Cadurci, Agennici, ac Tolosæ posuit reliquias Beatissimi Stephani Protomartyris, & Ecclesias dedicauit in honorem ipsius. Cùm autem Pictauis prædicaret, apparuit illi Dominus, dicens: Noueris hodie Petrum Romæ crucifixum pro nomine meo. In eius honorem hic fundato Ecclesiam. Quod fecit nomine Petri. Quod etiam plusquam trecentis postmodum annis ex sententia Ecclesiæ Pictauensis Diuus Hilarius egregius Doctor in Concilio Romæ allegauit, Christi nimirum sanguine ac beatorum Apostolorum eam fuisse à S. Michaele fundatam. Ideo barbã beati Petri dono ab Imperatore Christianissimo obtinere meruit: quæ quidem reliquiæ cum magna reuerentia Pictauis conseruantur. Cúmque Burdegalis in honore

Digitized by Google

Protomartyris Ecclesiam dedicasset, in qua beatus Seuerinus postea sepultus fuit, atque vellet in honore beati Apostoli Petri ampliorem dedicare, idem Apostolus apparuit illi dicens: Noueris Andream fratrem meum hodie in Patras ciuitate Cruce pro domino IESV-CHRISTO eleuatum, in cuius honore hanc ipsam Ecclesiam festinato consecrare: quod ipse obedienter impleuit. Sanctus autem Amator, in Rupe, quæ modò Amatoris dicitur, solitariam vitam elegit, vilique tunc loco & schemate, nunc autem toti mundo honorabili, dedicato inibi altari à S. Martiale in honore B. Virginis Mariæ, vbi fuit beatus idem Amator vita præuentus, atque ibi sanctam resurrectionem expectat sanctum corpus eius: Veronica verò illius vxor beatum Martialem sequens vbique prædicantem in territorio Burdigalensi supra mare tandem senio confecta resedit, Capellula sibi ibidem à beato Martiale in honore Beatæ Virginis dedicata, quę Solac, eo quod solummodo ibi positum sit lac beatissimæ Virginis (aliis, quas habebat beata Veronica reliquiis Dominæ nostræ per prædictas Ecclesias distributis) appellatur. Hic verò sanctissimus Martialis & sex Angelis à Domino, duobus itidem à beato Apostolo Petro sanctis Presbyteris Austricliniano & Alpiniano sibi ad continuam custodiam deputatis innumerabilia hominum millia ad Christi fidem adduxit, sex mortuos suscitauit, cæcis visum, claudis gressum, mutis loquelam, aridis ac paralyticis sospitatem restituit: Dæmones ex locis necnon de corporibus humanis expulit, ipsósque compulit in humana effigie apparere, astutias ibidem malitiasque suas aperire. Dæmones vicit, Angelos vidit, futura præuidit, sicut hæc & alia multa his similia in illius gestis plenius continentur. Hæc verò & alia eiusmodi faciens vir Beatus nudis semper pedibus, licet quartanis febribus vrgeretur, incedebat, in pane & aqua quotidie atque continuo vsque ad vesperam ieiunando, sicut magistrum suum beatum Petrum Apostolum (similia enim de ipso narrat S. Clemens) viderat ipse facientem. Verè felix Christi iste discipulus, noster Galliarum in Aquitania Apostolus, qui ipsis Apostolis adhuc in carne viuentibus est in exemplum propositus. Ipse enim est, vt traditur, ille paruulus, quem amplexus Dominus IESVS contendentibus Apostolis de Primatu (quis videlicet eorum videretur esse maior) dixit: *Nisi efficiamini sicut paruuli iste, non intrabitis in regnum cœlorum.* Hic quoque fertur fuisse ille puer, de quo dixit Sanctus Andreas: *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos atque duos pisces.* Hic puer virgo electus à Domino IESV, quum quindecim ætatis annos impleuisset, baptismum suscepit: baptizatus verò in cœtu comitatúque Domini nostri tribus annis permansit: Deinde quinque annis cum beato Apostolo Petro Hierosolymis: septem autem Antiochiæ, vno denique itidem Romæ permansit. Vnde transmissus in Aquitaniam annis 28. in Lemouicensi Episcopatu glorioßissimè perseuerauit. Assumptus est autem cum magna gloria atque indicibili claritate de præsenti incolatu ad cœlos pridie Kalendas Iulij anno Incarnationis Dominicæ septuagesimo quarto post resurrectionem verò quadragesimo, ac Vespasiani Cæsaris tertio anno Imperii, Episcopatus autem sui octauo & vigesimo, ætatis suæ quinquagesimo nono. Porrò gesta ipsius præclara ac felicem exitum conscripsit beatus Aurelianus, qui vidit, audiuit, ac præsens fuit dum gesta majori ex parte fuerunt: quem idem Sanctissimus Martialis à mortuis suscitauit, ac postea successorem suum adhuc viuens in carne ordinauit. Tandem verò Ludouicus Francorum Rex atque Imperator Augustus Caroli Magni filius in Palatio Iohanneciaco (Iogunciaco) Conuentum generalem tenuit in Lemouicino, Regalémque Basilicam Sanctissimi Saluatoris magna cum gloria in mense Octobri præcepit dedicari Lemouicæ, in qua leuatum sanctissimi Martialis corpus retro altare eidem glorioßissimo Saluatori dedicatum in crypta majoris voltæ, præsidente eo ipso Imperatore eodem in mense positum est. Illud autem postea iterum fuit in pristino sepulcro reconditum.

CAP. II. *De Beato Aureliano, alijsque nouemdecim, quorum extremus S. Lupus, Episcopis Lemouicensibus.*

Beatus Aurelianus à S. Martiale adhuc paganus ac Pontifex idolorum à mortuis suscitatus, & ab eodem Episcopus postea delectus obiit decimoquinto Kalendas Decembris ac sepultus in Monasterio Sancti Martialis in Ecclesia Sancti Petri: nunc verò iacet in Ecclesia Beati Cessatoris extra muros vrbis Lemouicensis. Huic

Digitized by Google

autem ſucceſſerunt Euolius, Atricus, Emericus, Hermogenianus, Adelphicius, Datiuus qui depoſitus fuit, prout ſcriptum inuenitur, Adelphicius hoc nomine ſecundus, Exuperius, Aſtidius, Ruſticus, Ruſticus alter, Exochius, Ferreolus qui creditur iacere apud Auixonium, vbi reliquiæ in capſa ſacri eius corporis venerantur, Aſclepiodus, S. Aſclipius: hic iacet in quadam crypta ſupra altare ſancti Auguſtini Lemouicenſis cuius tranſitus celebratur decimo Kalendas Ianuarij, Simplicius, Felicius ſiue Felix, Adelphicius, ſiue Adelphicus hoc nomine tertius, Sanctus Lupus, qui diuinitus à Clothario Francorum Rege (de duobus enim erat altercatio) electus fuit: cuius corpus à proprio eleuatum tumulo poſitum fuit in Eccleſia ſancti Michaëlis de Leonibus anno Domini 358. (Legendum 558. aut quid ſimile)

CAP. III. *De quatuor Epiſcopis, qui Diuo Lupo, vnuſquiſque in ordine ſuo immediatè ſucceſſerunt.*

Beato Lupo ſucceſſerunt Hertenobertus, Cæſarius, Roricius primus, Ruricius alter eius ipſius nepos. Ille autem dicitur primò fundaſſe Monaſterium B. Auguſtini Lemouicis in honore eiuſdem Sancti, atque Canonicos regulares ibidem inſtituiſſe, quo quidem in loco, vt traditur ab antiquis, Beatus Martialis (quoniam nulli intra mœnia ſepeliebantur ciuitatis) inſtituit ſepulturam tam Clericorum, quàm ciuium. Cœmeterium quoque eius loci propria manu benedixit, altare in honore ſemper benedictæ Trinitatis conſecrauit, ac Preſbyteros qui curarent ea, quæ ad Eccleſiaſticæ ſepulturæ pertinent officium, ordinauit. Vnde & plures ibi Epiſcopi ſepulti ſunt, corpore eiuſdem fundatoris ibidem iacente. Ruricij verò eiuſdem nepotis corpus iacet in crypta apud ſanctum Iunium: de quorum temporibus require in libris antiquis beati Stephani Eccleſiæ Cathedralis.

CAP. IV. *De Epiſcopis qui deinde his ipſis ſucceſſerunt.*

Roricio huius nominis ſecundo ſucceſſerunt Ermenardus, Simerius ſiue Eximerus, qui ſanctum Tilonem Monachum apud Solemniacum honorificè ſepeliuit, Salutaris, Agericus ſiue Agerius, ſanctus Sacerdos natione Burdegalenſis, qui veneratur & quieſcit apud Sarlatium Petragoricæ Diœceſis, qui etiam florebat circa annum Domini 517. (legendum 715. aut quid eiuſmodi.)

CAP. V. *De alijs ſex Epiſcopis horum Succeſſoribus.*

Huic ſucceſſit Beatus Ceſſator, cuius tumulus cernitur in Eccleſia nomini ſuo dedicata extra mœnia caſtri Lemouicenſis, qui contra Vandalos multum dimicauit. Huius nobilia geſta reperies in eius Chronicis. Cuius corpus creditur eſſe apud Sanctum Salaruium prope caſtrum de Malamorte iuxta Briuam. Hunc autem ſequitur Ebbo, Remigebertus, Odator, Chriſtianus, Stodilus, qui fuit contemporaneus Pipini Aquitaniæ Regis, necnon Caroli Calui Regis Imperatoriſque Francorum. Huius temporibus Ainardus Princeps ſeu Abbas Monaſterij Sancti Martialis, & omnes eius Canonici qui antea erant ſæculares fuerunt facti ſua ſponte ac deuotè Monachi, Carolo Francorum Rege cum Archiepiſcopo ac Principibus vniuerſis Aquitaniæ præſentibus anno Domini 848. qui Abbatem præfecerunt omnium primum Odonem tunc Abbatem S. Sauini.

CAP. VI. *De quatuor alijs Epiſcopis immediatè quoque ſequentibus.*

Addo, Gerboſus, Gerlo, Anſelius (qui obiit 898. 5. Idus Februarij) Turpius ſeu Turpinus ſanctitate atque miraculis clarus, ſicut clarius in Geſtis Aquitaniæ & plenius reperitur. Hic autem fuit ex clariſſimo genere, auunculus nimirum Roberti Vicecomitis Albucenſis. Hic præterea Monaſterium Sancti Auguſtini Lemouicenſis reædificauit, atque ibi Monachos, qui antea Canonici ſæculares, priuſquam Rex Pipinus vrbem Lemouicenſem deſtrueret (nam Eccleſias & Monaſteria ibidem funditus euertit) inſtituit. Multa & mirabilia ab eodem geſta,

videre est in Chronicis eiusdem Monasterij. Obiit apud Albuconum & apud Valericum Diœcesis Lemouicensis in Domino requieſcit.

Cap. VII. *De Ebolo & Hildegario.*

Huic succeſſit Ebolus siue Eblo, filius Eblonis Comitis Pictauensis, adjuuante Ludouico Francorum Rege Caroli Simplicis filio. Qui regnare cœpit anno Domini 919. (corrige 936.) ac circiter 19. regnauit. Hic autem extitit bonus Pastor Ecclesiæ. Castellum Lemouicæ sedis iuxta Ecclesiam Sancti Stephani quod Episcopus destruxerat perfectè integrauit, ac defunctus sepultus fuit in Monasterio Sancti Michaelis ad Eremum appellato. Hildegarius verò, siue Hildegrinus, frater Guidonis Lemouicensis Vicecomitis illi succeſſit, qui cum ornamentis pretiosioribus de aula sancti Martialis abiit in Franciam, vbi fuit apud S. Dionysium sepultus.

Cap. VIII. *De Eldoino & Gerardo nepote suo.*

Huius autem Hildegarij germanus frater Eldoinus siue Alduinus per manum Ducis Guillermi in Episcopatum succeſſit à tribus Episcopis Engolisinæ consecratus, à Frontone nimirum Petragoricensi, à Bosone Xantonensi & Hugone Engolismensi à quo Lemouicis inthronizatus fuit in cathedra gestatoria apud Ecclesiam Sancti Geraldi, deinde in sede S. Martialis; qui Monasterium S. Martini reparauit ac Monachos Ordinis Diui Benedicti ibidem collocauit, qui præterea Basilicam Cathedralem Diui Stephani diruta illa quam ædificauit beatus ipse Martialis, construi curauit: quæ tamen permansit inconsummata pluſquam annis 200. vsque ad annum videlicet 1223. quo eiusdem loci Canonici eandem magnificè, vt nunc est, absoluere cœperunt. Hic autem apud Diuum Martinum in Capella Diui Eligij quieſcit. Et notandum sub eius Episcopatu corpus Sancti Martialis anno scilicet 994. Indictione 7. fuisse cum magna processione in Montem Gaudij-Iouis reuerenter deportatum propter grauissimam plagam ignis quæ in populum grassabatur; extinguendam. Huic autem Geraldus nepos illius (filius Guidonis Vicecomitis) succeſſit, apud S. Hilarium Pictauensem consecratus, annis octo rexit & pergens Pictauim versus, obiit apud Carrofum ibi sepultus.

Cap. IX. *De Iordano de Laron.*

Hunc Iordanus de Laron sequutus est. Notandum verò quòd cum Principes Lemouicini Pontificatum seu Pontificium vindicare conarentur, non sine simoniæ vitio, suborta fuit dissensio, vnde populus vrbis cum Monachis & Canonicis Letanias peregit, & proinde Guillermus Dux Aquitaniæ prudentissimus cum Guillermo Engolismensi apud S. Iunianum placitum habuit ac conuentum, vbi Wido Vicecomes Lemouicensis, Principes quoque Lemouicini affuerunt. Ibidem verò nutu Dei electus fuit Iordanus Præpositus S. Leonardi, vir nobilis & magnæ simplicitatis, in fine videlicet Ianuarij Dux autem Guillermus surgens mane à Monasterio eiusdem loci cum duobus Episcopis Gislone & Gilleberto & multitudine Principum ad vrbem Lemouicensem venit, cui omnis ciuitas gaudens obuiam proceſſit, deinde properauit ad Regalem Basilicam SS. Saluatoris, receptus à Monachis Beati Martialis cum proceſſione solemni. Die verò sequenti Iordanum in Ecclesiam Sancti Stephani deduxit, ac Pontificali honore ipsum gratis cum baculo Pastoris vestiuit. Porro Quadrageſima superueniente, Dux ipse Romam pergens, Guillermo filio suo curare imperauit, vt reuertens Episcopum illum reperiret ordinatum. Quod ille vt perficeret, & Iordanum in Angeliacum perduxit, vbi Sabbato mediæ Quadrageſimæ Diaconus ac Presbyter ordinatus sequente Dominica consecratus fuit Episcopus ab Isione Sanctonensi Episcopo & Helia Archiepiscopo Burdegalensi ac tribus aliis Bosone scilicet, Arnaldo & Isemberto Episcopis, & deinde à Guillermo ipso Comite & Arnaldo Petracoricensi Episcopo in Lemouicam deductus, inthronizatus fuit in sede Sanctissimi Martialis. Gauzelius verò (Gauzlinus) Archiepiscopus Bituricensis, ad quem Lemouica pertinet, quod ille pro impositione manuum pecuniam requirebat, ac fuerat sine illius auctoritate conse-

Digitized by Google

cratus, collecta Synodo in Franciâ coram Rege Roberto, vbi septem Archiepiscopi cum suis Suffraganeis Episcopis die Pentecostes affuerunt, totum Lemouicinum excommunicauit præter locum Sancti Martialis, ipsumque Iordanum ab officio Episcopali prohibuit: qui quidem cùm rationem reddere posset si vellet, necnon à culpa se purgare coram reuerendo Pontifice (forte Romano scriptum erat, initiali litera R.) id tamen non præstitit, quia proprium Archiepiscopum contempsisset ex causa simoniæ vetandæ. Postea verò satisfaciens nudis pedibus sedem Bituricensem adiit cum centum Clericis omnibúsque Monachis similiter discalceatis. Cui Archiepiscopus cum Clero obuiam venit, & quos prius ligauerat, eos honorificè adducens absoluit. Huic tandem Ioannes nomine vigesimus Romanus Pontifex auctoritate Apostolicâ in eius litteris definiens ac decernens beatum Martialem Apostolum meritò nominari conscripsit.

CAP. X. *De alijs sex Episcopis Iordano succedentibus.*

Iordano Iterius, Guido de Laron, Humbaldus, Guillermus, Petrus Eustorgius successerunt. Ecclesia Lemouicensis mortuo Iordano tantis quassata fuit tempestatibus, tantisque afflicta iniuriis, vt necesse habuerit terræ suæ Principes consulere, qui tandem censuerunt aliquem iterum ex nobili familia *des Chabots* eligendum. Vnde Iterium ex consensu Comitis, Vicecomitis, totiúsque plebis, moribus probum rapuerunt, quamquam reluctantem atque contendentem, eúmque Episcopum elegerunt anno Domini 1052. qui iacet in Monasterio S. Augustini. Guido sequitur Iordani prædicti nepos anno Domini 1073. qui ibidem sepultus est. Humbaldus postea, tamen depositus ab Vrbano Papa eo nomine secundo, qui Lemouicis Natalia Domini celebrauit, & templum Sancti Stephani pridie Kalend. Ianuarias consecrauit anno Domini 1115. (imo 1095.) apud sanctam Seueram laicaliter inter laicos vixit, frater eiusdem castri dominorum. Guillermus prior Monasterii Sancti Martialis, quod contradixisset impiorum mores; àquodam Martino cognomine Venerio peremptus fuit ac sepultus anno tertio Episcopatus sui apud sanctum Martialem in Basilica sanctissimi Saluatoris ad altare S. Austricliniani ad octo passus. Petrus cognomine Burdelausensis seu Burdegalensis vir valdè litteratus, sed immoderata ingluuie ac nimia edacitate: vnde infirmitate naturæ cogente ab Episcopatu ex toto semet ipsum demisit, Guillelmo de Carleomeras vices Sacerdotij exercente, qui tamen ad Pontificale Sacerdotium non peruenit. Eustorgius cum Arnaldo Beraldi ac Bernardo Ianiliaco castrum Luceti prope Lemouicum ædificauit, vbi morabantur non audentes habitare Lemouicis timore Comitis Pictauiensis Aquitaniæ Ducis: qui iacet in Monasterio S. Augustini.

CAP. XI. *De Geraldo hoc nomine II.*

Domnus Geraldus Eustorgij supradicti nepos, antea Canonicus sancti Aredij, à quibusdam electus fuit Episcopus, ab aliis verò sancti Martialis Abbas Amblardus, qui quidem & electus Episcopalem sedem ascendit. Geraldus autem Romam se contulit, inde Lemouicum; deinde Lemouico iterum Romam rediit, & Papa Missam celebrante pro animâ Eustorgij (magnum enim illi thesaurum tradiderat rogans vt eum Ecclesiis Lemouicum dispensaret) argenteum scyphum obtulit aureis plenum. Tandem comperto electoribus suis eum nullas promisisse nec dedisse pecunias ab ipso Papâ Presbyter ac Pontifex consecratus, in pace remittitur. Hic autem multùm diues reuersus interemit cum militia & populo terræ, Deo adjutante, in territorio Briuensi duo millia & amplius Barbansonum seu Scotellanorum (Cotarellorum) qui terram deuastantes Ecclesias quoque deuastabant iuxta castrum nunc inde à Malamorte appellatum, cum antea *Bellefort* nuncuparetur: quod actum est in die Dominicæ Cœnæ mense Aprili, anno Domini 1177. Sepultus autem est iuxta Eustorgium in Monasterio S. Augustini.

CAP. XII. *De Sebrando.*

Domnus Sebrandus *Chabot* Pictauensis Diœcesis Archidiaconus *de Thoars* electus fuit anno 1177. 4. Idus Februarij. Displicuit Henrico Regi Angliæ quoniam oderat *les Chabots*. Vnde Canonici electionem eius non fuerunt ausi Lemouicis, & proinde eam apud S. Aredium publicarunt. Quare suis bonis priuati dejecti fue-

re à propriis domibus & Ecclesia Cathedrali Diui Stephani vno & viginti mensibus diuinorum caruit administratione & exercitio mysteriorum. Verùm die Paschæ anno Domini 1186. cùm populus sacra percepisset inuocato nomine Dei, Sebrandus, Vicecomes, Milites ac populus pugnauerunt contra sex millia Barbansonum Ecclesiam Dei vastantium, totámque patriam depopulantium, eósque per totam Combralhiam persequentes ferè omnes peremerunt. Hic majus cymbalum Cathedralis Sancti Stephani fieri iussit, vnde sequens versus in cymbalo scriptus habetur,

Me dedit Antistes Sebrandus, & hoc mihi nomen.

Sed vitâ functus anno Domini 1197. Sepultus fuit in Monasterio Sancti Augustini.

CAP. XIII. *De Ioanne.*

Domnus Ioannes ortus ex domo de Veyrat, Nobiliacumvillam Sancti Leonardi, in qua multi Brabansones se incluserant terram ac populum deuastantes obsidet cum Baronibus, Prælatis ac populo terræ & captos illos interfecit anno Domini 1404. Hunc autem Rex Angliæ omnibus Episcopatus regalibus per quinque annos priuauit, quare extra mare quasi exhæredatus se contulit & ibi apud Accon ciuitatem obiit anno 1218. Episcopatus autem anno 21.

CAP. XIV. *De Bernardo.*

Domnus Bernardus de Sauena Capellanus Ecclesiæ S. Hilarij prope Petrambufferiam induit habitum Ordini Art[illegible] prope S. Leonardum existentis, in quo vsque ad mortem Episcopatu administrato obiit in Prouincia apud Auenionem in exercitu Ludouici Regis patris S. Ludouici anno Domini 1226. Episcopatus autem anno octauo ac sepultus: inde ipsius corpore delato iacet apud Artigiam in medio Chori. Huius tempore Fratres Ordinis Prædicatorum à Beato Dominico Lutetia missi ad vrbem Lemouicensem, vt ibi morarentur anno Domini 1219. venerunt, quos benignè suscepit.

CAP. XV. *De Guidone.*

Domnus Guido de Clausello, Canonicus Sancti Aredij Archidiaconus Ecclesiæ Lemouicensis consecratus anno Domini 1226. in octaua S. Martini primò venit in Ecclesiam eius ex more Episcoporum Lemouicensium, qui consecrati ad eandem Ecclesiam, & inde ad suam sedem venire consueuerant. Vixit multum senex ac sæpe aiebat se annos habere plusquam 140. Sepultus autem fuit apud S. Martialem in introitu Chori.

CAP. XVI. *De Guillelmo II.*

Domnus Guillelmus de Podio Canonicus Engolismensis vir venerabilis & magnanimus ætate quidem iuuenis, sed grauitate morum præclarus diuturna detentus infirmitate, quia terra non erat digna tanto Præsule, ante consecrationem infra annum obiit.

CAP. XVII. *De Durando.*

Domnus Durandus Ecclesiæ Lemouicensis Archidiaconus ac S. Iuniani Præpositus, ab altera parte Capellanorum fuit electus: quam electionem confirmarunt tandem litterę domini Papæ, Lemouicinum die 4. post festum S. Bartholomæi, anno Domini 1241. allatæ. Obiit tandem nocte festiuitatis Diui Thomæ Martyris quarto Kalendas Ianuarij anno 1245.

CAP. XVIII. *De Aymerico.*

Dominus Aymericus de Sertâ Archidiaconus Marchiæ in Ecclesia Lemouicensi ac Præpositus Sancti Iuniani electus fuit eodem anno in octauis Purificationis Sanctæ Mariæ atque annis 26. permansit Episcopus. Quo defuncto vacauit sedes annis tri-

Digitized by Google

bus ac dimidio, ac primus Christianus in Ecclesia Cathedrali sancti Stephani sepultus coquòd magnam pecuniarum summam pro ea reliquerat pro eadem perficienda. Huius autem subsidio tempore ..... ac Synodi in Hebdomada Pentecostes, anno Domini 1273. Helias de Malamorte vir nobilis, Decanus Sancti Stephani & Canonici primum lapidem in fundamenta posuerunt, incipientes eam de nouo ac magnificè, prout nunc cernitur, ampliare. Deus verò postmodum incrementum dedit.

Porrò huc vsque Episcopi Lemouicenses hoc ipso Catalogo contenti numero quinquagenario nono comprehenduntur.

COMMEMORATIO
ABBATVM LEMOVICENSIVM,
BASILICÆ S. MARTIALIS APOSTOLI.

Auctore Ademaro Chabanensi Monacho, cuius extat Historia siue Chronicon editum supra pagina 150.

ANNO DCCCXLVIII. ab Incarnatione Domini Indictione XI. pridie Kalendas Aprilis, temporibus Regum Lotharij & Caroli Calui, IX. anno post mortem Ludouici Imperatoris filij Caroli-Magni Imperatoris & prælium Fontaneticum, mutatus est Canonicalis habitus in Monasticum in Basilica Saluatoris mundi & Martialis eius Apostoli Lemouicâ ciuitate.

Hoc Ainardus Abbas ipsius loci non inuitus, sed voluntarius cum ipsis Canonicis Deo inspirante egit, & tam ipse quàm omnes Canonici eius semetipsos in eodem loco Monachos fecerunt & noluerunt ex semetipsis Abbatem constituere, sed Regularem Abbatem Sancti Sauini nomine Dodonem sibi Abbatem elegerunt, & perfectè Regulares extiterunt

Primus itaque Abbas huius loci ex Monacho fuit idem Dodo & præfuit tribus annis.

Secundus Abbas Abbo præfuit annis XI. cuius anno quinto Carolus Caluus in Regem Lemouicas vnctus est à Radulfo Bituricensi Archiepiscopo & Stodilo Lemouicensi Episcopo & aliis Franciæ & Aquitaniæ & Italiæ & Burgundiæ multis Archiepiscopis & Episcopis. Hoc anno Cœnobium Bello-locum à Rodulfo Archiepiscopo fundatum & consecratum, & S. Geraldus Aureliacensis natus est. Obiit Abbo XIV. Kalend. Iunij.

Tertius Abbas præfuit Benedictus annis XV. Huius præsulatu Normanni cœperunt se primùm (immo potius secunda irruptione) effundere in Franciam & Aquitaniam: obiit XIV. Kalendas Februarij. Stodilo Episcopo succedit Aldo Episcopus & obiit Nonis Octobris, sepultus in Basilica Saluatoris Lemouicæ. Post eum Geilo Episcopus extitit, qui obiit IV. Idus Iulij. Post eum Anselmus Episcopatum tenuit.

Quartus Abbas præfuit Gonsindus annis XVIII. Huius secundo anno Carolus Caluus Imperator obiit & filius eius Hludouicus Balbus regnum suscepit. Hic tribus annis postquam regnasset obiit & filius eius Carolus regnum suscepit (errat) cui Odo Rex regnum abstulit & pro eo regnauit. Hunc Abbatem non mitterem in Catalogo, nisi fuisset Monastico habitu indutus. Nam nimis corde sæcularis multas Ecclesias & terras à Basilica Martialis Apostoli abstulit & sæcularibus potestatibus inutiliter concessit. Obijt VII. Kal. Nouembris.

Quintus Abbas Fulbertus præfuit annis VI. Obiit IX. Kalend. Februarij. Huius V. anno Odo Rex obiit & Carlus Minor regnum recuperauit. Ipso anno Anselmus Episcopus Lemouicensis obiit V. Idus Februarij, sepultus in Basilica Saluatoris iuxta corpus supradicti Aldonis Episcopi.

Sextus Abbas Fulbertus præfuit annis xx. Huius anno vi. sanctus Geraldus apud Aureliacum obiit tertio Idus Octobris sepultus in Monasterio Petri Apostoli quod ipse ædificauerat. Huius Abbatis anno xix. obiit Guillelmus Dux Comes Aruernis, qui Cluniacum Cœnobium ædificauit, (quod verissimum est quamquam reluctetur Besslius, scribatque Auctorem hunc falsum fuisse, cum ipse & ex malè intellecto Flodoardi loco errauerit, alijsque etiam eruditissimis viris causam errandi præbuerit.) Idem Abbas Fulbertus obiit Kalendis Februarij.

Septimus Abbas Stephanus præfuit annis xvii. obiit xviii. Kalend. Decembris. Hic composuit super altare Saluatoris Ecclesiam ex auro & gemmis & argento quam vocant Muneram. Hic turres in castello S. Martialis duas fecit, vnam contra Scutarios nomine Orgoletam, alteram contra Arenas nomine Fustiuiam, præcipiente hoc Rege Carolo minore ad repellendum Guillelmum Ducem, Pictauinum Comitem & ex nomine suo ipsum castellum nominauit Stenopolim, quasi Stephani ciuitatem. (In Catalogo Gallico eorundem sancti Martialis Abbatum emendatius dicitur Stephanopolis & portæ dicuntur, non turres.)

Octauus Abbas Aimo præfuit annis sex. Obiit Nonis Maij. Hic amicitiam habuit cum S. Odone Cluniacensi Abbate, cui iussit edere vitam S. Geraldi. Hic Turpionem Episcopum Lemouicensem fratrem suum summo amore excoluit & tertio post obitum eius anno idem S. Turpio Episcopus obiit viii. Kalendas Augusti. Ex cuius nepte Officia nomine nati sunt Adalbertus Decanus & Rotgerius patre Fulcherio in proprio iure hereditario, quod vocatur, Campanense iuxta castellum Potentiam. Tertius quoque Raimundus iunior natu germanus extitit amborum, cuius ego Ademarus filius fui matre Hildegarde (siue Aldearde.)

Post Aimonem Abbatem vacauit Abbatia xxxi. annis sine Pastore. Illum enim qui tot annis præfuit tantùm non profuit nolo in Catalogo Abbatum ponere, cùm iniustum hoc sit. Nam habitu nequaquam Monachali, sed Canonicali, immo Laicali per tot annos principatum loci tenuit solo nomine Abbas Qui vult eius nomen scire, Aimericus vocatus est. Huius anno x. Monasterium S. Martialis Diuino iudicio igne crematum est. Hic omnem terram Monasterij huius & Ecclesias tam parentibus suis, quàm cæteris sæcularibus potestatibus dare non timuit. Hic tertio die ante mortem suam habitum Monachi induit timens perjurium quod Regi Hlothario in Francia firmauerat, quando à Rege Abbas constitutus est. Nam iurauit Regi se Monachum fieri, sed deinsor Dei vsque ad mortem distulit, qui nisi scelus præsumptionis eius deleret eum, nonus Abbas scriberetur.

Nonus Abbas Guigo præfuit annis xvii. Obiit Egolismæ tertio Kalendas Octobris sepultus in Basilica S. Eparchij ante altare sancti Stephani, quia & de ipso Monasterio Abbas erat. Hic Adalbertum supradictum constituit sibi Decanum in Basilica sancti Martialis. Huius xii. anno Rex Hlotharius Lemouicas venit, præcepitque Abbati, vt ædificaret muros castri: qui reuersus in Franciam post paucos dies mortuus est & progenies eius deinceps regno priuata est. Nam frater eius Carolus in carcerem missus est ab Vgone Duce, & ipse Vgo Rex factus est, cuius filius Robertus Rex sapientissimus & piissimus vsque hodie viuit. Ipsius Abbatis principatu crypta aurea Martialis Apostoli media nocte igne est combusta, cadente candela vna minus restincta inter multitudinem candelarum, & lapides pretiosissimi tunc ab igne corrupti sunt, & quidquid intra domum ipsam erat quod ardere poterat, flammis concrematum est, libri cremati, aurum & argentum liquefactum & intra quindecim dies crypta aurea cum gemmis à nouo restaurata est à Iosberto custode sepulcri Monacho. Idem Iosbertus iconem auream sancti Martialis Apostoli fecit sedentem super altare & manu dextra populum benedicentem, sinistra librum tenentem Euangelij. Supradictum incendium in mense Iunio accidit ante festiuitatem sancti Martialis.

Decimus Abbas Iosfredus præfuit annis septem. Obiit v. Idus Octobris. Huius Principatu plaga ignis super corpora Aquitanorum desæuit & mortui sunt plus 40. millia hominum ab eadem pestilentia. Ideo Iosfredus Abbas & Episcopi Aquitaniæ adunati Lemouicas leuauerunt corpus Sancti Martialis Apostoli & in Montem-Gaudij transtulerunt, & exinde pridie Nonas Decembris tumulo suo restituerunt, & cessauit pestilentia ignis. Hic de icona aurea loculum fecit aureum cum gemmis, in quo vectum est corpus Sancti Martialis. Hic duas Cruces ex auro & gemmis fecit.

Vndecimus

Digitized by Google

Vndecimus Abbas Adalbaldus præfuit annis nouem. Hic regaliter Basilicam S. Martialis recuperauit. Huius principatu supradictus Decanus Adalbertus, vir clarissimus, obiit XI. Kalendas Maij. Iuxta eum mortuus est Adalbaldus tertio mense, hoc est XI. Kalendas Augusti.

Duodecimus Abbas itidem Iosfredus præfuit annis duodecim. Hic coronam auream cum gemmis pendentem ante corpus beati Martialis fecit. Hic à nouo Basilicam Saluatoris magnifico opere renouauit. Huius tertio anno sepulcrum Domini IESV CHRISTI apud Hierosolymam confractum est à Saracenis & Iudæis, & cæteræ Ecclesiæ per ipsam prouinciam: sola Ecclesia Bethleem, vbi natus est, confringi non potuit. Nam virtus Dei eam defendit, & Saracenos qui eam violare venerant, pessimâ morte omnes extinxit: crepuerunt enim mox ventribus omnes, & ira Dei sequuta est super Saracenos, & mortui sunt tam fame quàm pestilentiâ per tres annos Saracenorum & Iudæorum plusquam nongenties centum millia. Confractum est autem idem sepulcrum tertio Kalendas Octobris, & mox ab ipsis Saracenis cepit reædificari; fuerunt enim timore perterriti. Huius Abbatis anno decimo, Dominicæ mediæ Quadragesimæ nocte, dum intrarent turbæ ad Matutinas in Basilicam vetustam Saluatoris impressione nimia in introitu portarum 52. homines extincti sunt. Obiit ipse Iosfredus Nonis Decembris.

Decimus tertius Abbas Hugo præfuit annis sex. Hic in Francia collationem fecit cum Rege Roberto & Archiepiscopo Bituricensi Gauzleno, & cum multis Episcopis & sapientibus viris Franciæ, de Apostolatu sancti Martialis, cur alij in Apostolorum, alij in Confessorum numero eum tenere videbantur. Qui in numero Confessorum eum tenebant, ideò hoc agebant, quia non putabant aliquos esse Apostolos præter duodecim. Alij verò hoc agebant, quia nomen eius in quatuor Euangelistis non reperiebant. Qui verò saniori consilio intellecta sapiebant, affirmabant eum esse Apostolum vnum præcipuum post duodecim, quia cum duodecim conuersatus est, & eandem gratiam Apostolatus, quam & illi, à Domino accipere meruit. In quo Concilio ab omnibus definitum est, non eum numerari nisi in catalogo Apostolorum, sicut & Ioannes Euangelista, qui in pace migrauit, debere. Nam plurima testimonia reperta sunt antiquitùs eum in Litaniis, & in aliis scriptis Apostolum fateri per Galliam & Britanniam, Italiam & Hispaniam, & illos esse Hebionitas hæreticos, qui non credunt præter duodecim Apostolos. Nam gesta eius canonica semper ab Ecclesia recepta satis declarant priuilegium Apostolatus eius; & quia sine dubitatione vnus est de LXXII. Apostolis quos Dominus misit velut agnos inter lupos, quos LXXII. non solùm Græci, verumetiam Lucas Euangelista, & Paulus Apostolus in Epistola ad Corinthios prima vocat Apostolos. Nam & apud Græcos sapientiores Martialis Apostolus notissimus est. Hic à Francia rediens mox sicut comperit veritatem in Concilio, Martialem scripsit in Litaniis inter Apostolos, non confidens disputationi propriæ, sed antiquis testimoniis, & exinde ex toto, non ex parte Martialis acclamatus est Apostolus ab omnibus Catholicis, & confusi sunt Hebionitæ. Huius sexto anno obiit Rogerius frater Adalberti Decani, vir clarissimus, & meus magister, & patruus, sexto Kalendas Maij; post eum 32. die mortuus est idem Abbas Vgo sexto Kalendas Iunij: quorum animas tibi commendo, Domine IESV.

QVÆ SEQVVNTVR, NON SVNT ADEMARI CABANNENSIS, SED ALTERIVS CVIVSPIAM MONACHI, HELIÆ DE ROFIACO nominati, &c.

Decimus quartus Abbas Odolricus præfuit. Iste comparauit duo pallia leonina, & textum Euangelij minorem de auro, & fecit dedicare caput istius Ecclesiæ cum magno honore, & redemit duas Ecclesias, muros & castellum, quinto Kalendas Octobris obiit.

Decimus quintus Petrus Abbas præfuit, qui fecit portam à Mourmelier.

Decimus sextus post eum Mainardus Abbas præfuit.

Decimus septimus loci istius Abbas sanctæ ac venerabilis memoriæ Dominus extitit Ademarus. Hic igitur quantum locum hunc præ cæteris qui ante se fuerant, nobilitauerit, qualitérve eum in ordine & religione, simúlque in rerum temporalium copia ampliauerit, ad plenum narrari non potest. Post hæc igitur & alia

Digitized by Google

bona quamplurima cùm per quinquaginta annos & nouem menſes locum iſtum religiosè atque fideliter gubernaſſet, ipſúmque, vt dictum eſt, bonis omnibus adornaſſet, anno ab Incarnatione Domini MCXIV. in pace quieuit decimo Kalendas Septembris, & in Capitulo quieſcit.

Decimus octauus extitit Bernardus Abbas.

Decimus nonus Domnus Amblardus magnæ religionis & honeſtatis vir, in cuius tempore hoc Monaſterium cum adjacenti villa incendio concrematum eſt (MCXXI. combuſtum caſtrum S. Martialis, & Monaſterium ipſius cum omnibus officinis.) Rexit Monaſterium iſtud per 28. annos. Obiit anno MCXLIII. qui præcepit Conſulibus vt facerent muros & foſſata.

Vigeſimus extitit Abbas Albertus, vir admodum religioſus & honeſtus: rexit per annos 13. obiit anno MCL. quinto Idus Auguſti.

Vigeſimus primus Domnus Petrus, vir magnæ religionis & honeſtatis, præfuit per quatuor annos & menſes tres. Obiit duodecimo Kalendas Septembris.

Vigeſimus ſecundus Abbas Petrus, vir magnæ religionis & honeſtatis, prauorúmque morum rigidus corrector. Rexit per tredecim annos, & menſes octo. Obiit quarto Idus Septembris, anno ab Incarnatione Domini MCLXIV. in quo anno ſedata eſt tempeſtas inter Henricum probiſſimum Regem Angliæ terræ & filios ſuos, quæ ferè per duos annos durauit, &c. Helias de Roſiaco Capellanus ſuus, earum rerum ſcriptor, quem de ſuo beneplacito huius Eccleſiæ Monachum fecit.

Vigeſimus tertius Abbas Domnus Iſembertus, vir mitiſſimus & quietus, & ad Potentes multùm gratioſus. Exactionem quam Epiſcopus Lemouicenſis, vel Canonici ſub nomine Confratriæ, à populo violenter expetebant, ſedulis reclamationibus irritam fecit. Rexit per viginti quatuor annos. Per vnum menſem antequam decederet, curæ paſtorali in Capitulo reſignauit; & cùm ad diem præfixum peragendæ electionis tam Domnus Abbas Cluniacenſis, quàm Priores & Præpoſiti, & alij multi ex noſtris pariter conueniſſent, in bona confeſſione inter eos qui ſimul conuenerant, animam exhalauit, nocte videlicet præcedenti diem electionis, dum Conuentus Completorium celebraſſet. In craſtino liberè electio celebrata eſt, feriâ ſecundâ traditur honorificè ſepulturæ, præſentibus Epiſcopis Ioanne Lemouicenſi, G. Caturcenſi, & Abbatibus Cluniacenſi, nouiter electo S. Martialis, S. Petri Solemniacenſis, S. Auguſtini, S. Martini.

Vigeſimus quartus Domnus Hugo ſexdecim annis.

Vigeſimus quintus Abbas Petrus de la Griſſa dictus.

Vigeſimus ſextus, Petrus Daualacum.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

Reliqua non potuerunt legi in MS. codice, inquit Ioannes Beſſius, cuius apographum à V. C. Iacobo Puteano nobis cum pleriſque aliis eiuſdem doctiſſimi ſcriptoris chirographis communicatum bona fide expreſſimus.

Subiicitur iſte Catalogus eorumdem Abbatum.

Ainardus Abbas ſæcularis reſignauit anno 848.

Dodo	an. 3.	Hugo	6.
Abbo	11.	Odolricus	.....
Benedictus	15.	Anterius	7.
Goſſindus	18.	Petrus	1.
Fulbertus	6.	Mainardus	.....
Fulbertus	20.	Ademarus	an. 50. & m. 9.
Stephanus	17.	Bernardus	2
Aymo	6.	Amblardus	28.
Aimericus	31.	Albertus	13.
Guigo	17.	Petrus Prior Clun.	3. m. 3.
Iosfredus	7.	Petrus Abbas S. Aug.	13. m. 8.
Adalbaldus	9.	Iſambertus Eſcoblart Prior de Roſiaco	24.
Iosfredus	12.		

Digitized by Google

Hugo de Brossa Prior 16. obiit 1218.
Petrus la Griffa Præpositus de Rossac 10. m. 3.
Petrus Daualcum .....
Guillelmus 19. m. 2.
Raimundus Gaucelin ob. 1245.
Guillelmus .... Guillelmus ....
Iacobus .... Petrus ....
Geraldus.
Guido.
Gualliardus.

Cæteros omnes repete-sis ex Gallia Christiana Claudij Roberti.

Nec omittenda ex MS. codice quæ sequuntur ibidem.

Tertio Kalendas Septembris, anno ab Incarnatione Domini MLXVI. combustio Lemouicensis ciuitatis, in qua obierunt centum & viginti homines.

Item anno MCV. Kalendis Iulij combusta est ciuitas Lemouica ab hominibus de castro S. Martialis: in qua combustione concremata est mater Ecclesia S. Stephani, cum omnibus officinis suis, & Monasterium sanctæ Mariæ similiter, & Ecclesia S. Ioannis Baptistæ, & S. Mauricij, & S. Trinitatis, & S. Genesij, & S. Domnoleni.

DE ORDINIBVS GRANDIMONTENSI ATQVE ARTIGIAE,

ET MONASTERIO S. AVGVSTINI LEMOVICENSIS.

Bernardo Guidonis, Ordinis Praedicatorum, ac deinde Episcopo Lodouensi, vt apparet, auctore.

Descripta à nobis ante decem annos ex codice Petauiano 638.

---

§. I.

De fundatione Ordinis Grandimontensis in diœcesi Lemouicensi.

PRIMVS Prior, Institutor, & Fundator Ordinis Grandimontensis fuit sanctus Stephanus de Mureto, sic dictus à cella seu loco eremi de Mureto, vbi anachoreticam vitam duxit. Fuit autem de Aruernia ex nobili prosapia oriundus, filius nobilis viri D. Stephani Vicecomitis de Tiernio: Mater verò eius Candida vocabatur. Hic siquidem B. Stephanus virgo electus à Domino iuxta formam conuersationis, quam viderat & audiuerat in Eremitis Calabriæ & Ægypti, cum viro præstantissimo D. Milone Beneuentano Archiepiscopo, in cuius digno consortio fuit annis duodecim educatus. Post eius decessum, vitam eremiticam eligens, Romanum adiit Pontificem, cui notus erat, à quo instanter petiit & prudenter, & tandem obtinuit & accepit, vt vitæ eremiticæ formam & ordinem, quem in Calabria viderat & didicerat, obseruari sibi in remissionem iniungeret peccatorum, quæ, vt reor, pauca & minima tunc habebat; & quod sibi liceret supererogare, si quid aliud foret eidem diuinitùs inspiratum. Ductus igitur à Sancto Spiritu, & Romani Pontificis licentiâ & auctoritate suffultus, conuolauit ad eremum, quæ Muretum dicitur in pago Lemouicensi, quatuor leucis distantem à Lemouica ciuitate, anno Incarnationis Dominicæ 1076.

Digitized by Google

ætatis verò ſuæ anno 30. in ſede Romana Greg. VII. præſidente, in ſede verò Lemouicenſi Guidone *de Leron*, tùm Humbaldo, qui fuit depoſitus, deinde Guillermo, Petro, & Euſtachio præſulantibus ſucceſſiuè. Gaudenſque de ſolitudine eremi quam iuxta cor ſuum inuenerat, omnibus diebus vitæ ſuæ ſe ſeruiturum ibidem Deo ſpopondit, & cum quodam annulo, quem de omni ſubſtantia mundi tantùm habebat, ſemetipſum caſtiſſimum virginem Chriſto Domino deſponſauit, dicens: Ego Stephanus abrenuntio diabolo, & omnibus pompis eius, & offero atque reddo meipſum Deo Patri, & Filio eius, & Spiritui Sancto, trino & vni Deo, viuo & vero; & ſcribens profeſſionem ſuam, poſuit eam ſuper caput ſuum, dicens: Omnipotens & miſericors Deus, ego frater Stephanus promitto tibi me amodò ſeruiturum in hac eremo in fide Catholica, & propter hoc pono cartam iſtam ſuper caput meum, & annulum iſtum in digito meo, vt in die obitus mei ſit mihi hæc promiſſio, & hæc carta ſcutum & defenſio contra inſidias inimicorum meorum; in qua eremo in paupertate perfecta, & mirabili auſteritate vitæ, cibi ac potus, ac lecti, & exigui tegumenti quinquaginta annis Deo vixit in mundo, cui mortuus erat mundus: carne aut ſagimine nunquam vſus, ieiuniis, vigiliis, & orationibus die ac nocte deditus, & intentus, loricam ferream annis multis deferens ad carnem intrinſecus, vt eam ſpiritui ſubjugaret Chriſti miles armatus. Ibi multi mundum deſerentes, ſequuti ſunt eum, quibus eam viuendi normam oſtendit, & regulam ſcripſit, ſcriptámque reliquit ſuis profeſſoribus obſeruandam, in qua omnem eſum carnium, curamque ac conſortium mulierum, ſubſtantiam pecorum ſeu animalium, proprietatem quoque terrarum, exceptis eremis in quibus degerent, diſcipulis ac fratribus ſuis perpetuò interdixit. Quam regulam tam Vrbanus, quàm Adrianus, quàm Alexander III. ac Lucius III. Romani Pontifices confirmarunt, munientes Ordinem multis priuilegiis gratioſis. Verùm pro patribus nati filij, quibus regula auſterior videbatur, eandem toties moderari fecerunt per Romanos Pontifices, & maximè per Innocentium IV. apud Lugdunum, poſt Concilium Generale 17. Kal. Decemb. Pontificatus ſui anno quinto, Incarn. verò Domini 1247. ac demùm per Clementem Papam V. apud Auenionem 12. Kal. Maij, Pontificatus ſui anno quinto, ſub anno Domini 1309. Hic ſanctus Stephanus ad cælum migrauit à ſæculo in cella de Mureto, Diaconus tantùm exiſtens in ordine Leuitarum, ætatis anno 80. plenus miraculis & ſanctis operibus pluſquam annis, ſexto Idus Februarij, anno Chriſti 1126. Fuit autem canonizatus per Clementem III. anno Domini 1189. tranſmiſitque à latere Legatum Ioannem Tituli ſancti Marci Ven. Preſbyterum Cardinalem, cum Literis Apoſtolicis Grandimontem, ad promulgandam canonizationem eiuſdem ſancti Confeſſoris: peruenitque apud Grandimontem circa finem menſis Auguſti eodem anno; celebrauitque digno cum honore releuationem corporis ſancti Stephani, cum Proceſſione ſolemni, conuocatis, & præſentibus ibidem tribus Archiepiſcopis, ſcilicet Henrico Bituricenſi, & Heliâ Burdegalenſi, & Reuerendo Appamienſi, qui apud Grandimontem exul aduenerat de partibus tranſmarinis: necnon ſex Epiſcopis, Sebrando Lemouicenſi, Guillelmo Pictauenſi, Heliâ Santonenſi, Adremaro Petragoricenſi, Geraldo Cadurcenſi, Bertrando Aginnenſi, cum multis Abbatibus, & religioſis viris, ac multitudine copioſâ plebis, decurſis tunc à felici tranſitu eiuſdem ſancti annis circiter 62.

II. Prior D. Petrus Lemouicanus, cognomine & origine, cuius tempore, voce de cælo lapſâ, mutauerunt ſe Fratres de loco Mureti ad locum Grandimontis, deferentes ſecum corpus ſancti Stephani Patris ſui. Fuit Prior annis 13. minùs 30. diebus, ſepultus 1139.

III. Prior D. Petrus de ſancto Chriſtophoro, de vico ſancti Auguſtini Lemouicis oriundus, poſt duos annos cum dimidio obiit 1141.

IV. Prior D. Stephanus de Liciaco Lemouicenſis diœceſis. Dicta & facta ſancti Stephani conſcribi fecit. Vixit annis 23. cum dimidio, obiit circa annum 1165.

V. Prior D. Petrus Bernardi, annis ſeptem cum dimidio, obiit circa annum 1172.

VI. Prior D. Guillermus de Treyniaco, Lemouicenſis diœceſis, annis 18. & menſibus tribus: obiit Romæ circa annum 1187. vltimo anno Papatus Lucij III. Philippo Rege Francorum, Henrico Rege Anglorum regnantibus; permittente Domino, ſuborta eſt grauis diſſenſio, quæ triennio deſæuiens perdurauit vſque ad tempus Clementis III. qui cœpit anno 1187. & iterum Regulam Inſtitutioneſque Grandi-

montenſes confirmauit, & priuilegia innouauit, duóſque Priores, qui tunc erant contrarij, deſtituit, & licentiam eligendi ſibi Priorem indulſit anno 1188.

VII. Prior D. Geraldus Iterij electus in Capitulo generali III. Kal. Octobris 1188. Procurauit canonizationem & relcuationem ſancti Stephani 1189. Scripſit geſta eiuſdem ſancti Stephani.

VIII. Prior D. Guillelmus. IX. Adremarus. X. Caturcinus, circa annum 1216. & 1223. XI. Helias Arnaudi, depoſitus à Iudicibus D. Papæ, obiit in Curia Romana, in perſecutione appellationis. XII. Ioannes de Aquila Normanniæ. XIII. Guillelmus Vngres introduxit carnes. XIV. Adremarus Lambutra Lemouicenſis diœceſis. XV. Iterius Merle Lem. diœc. XVI. Guido Arrherij Lemou. diœc. XVII. Fulcherius Grimoardi, diœc. Petragor. obiit 1282. XVIII. Petrus de Canſaco, oriundus de Fontibus prope Figiacum, diœc. Cadurcenſis. Hic in domo de Deffendo diœc. Aginnenſis, educauit aliquanto tempore Bertrandum de Gotho, qui fuit Clemens V. Depoſitus à Viſitatoribus Ordinis, appellauit ad Sedem Apoſt. & obtinuit, ac poſt Capitulum generale reſignauit anno 1290. & ad domum de Deffendo rediit, in qua ſepultus.

XIX. Bernardus *de Gandalmar*, diœc. Petragor. eodem anno obiit. XX. Guido Focherij, oriundus de Bruxeria Galaudi de Turribus, diœc. Lem. 1292. poſt annos quindecim reſignauit in Capitulo generali in feſto Pentecoſtes 1306. XXI. Guillelmus de Podio Maurelli, oriundus de Larcha, diœc. Lemou. electus 1306. Clemens V. 14. Kalend. Maij 1309. Bullam edidit circa moderationem Regulæ: obiit 1312. ſexto Idus Martij. XXII. Iordanus de Rabaſtenis, diœc. Albienſis, electus 4. die Maij 1313. Anno ſeq. cœpit commotio, electuſque à quibuſdam alius Prior. Re deuolutâ ad Ioannem XXII. electum anno 1316. anno ſequenti inſtituit in primum Abbatem Grandimontis Guillelmum Pellicerij de Albenca, diœc. Caturcenſis, qui tunc erat Rector domus de Pinello, & benedictionem Abbatis cum baculo paſtorali accepit per manum Nicolai Card. Epiſcopi Oſtienſis, apud Auernionem in Curia, Dominicâ in Octauis Paſchæ, vltimâ die Aprilis anno 1318. Statuit verò 1317. Pontifex vt ipſa domus Grandimontis deinceps Abbatiæ titulo cenſeatur, & Abbatis electio pertineret ad Conuentum. De reliquis verò domibus totius Ordinis, quæ in diuerſis partibus ac regionibus plures erant, ſic extitit ordinatum, vt 39. Prioratus Collegiati in domibus potioribus fierent, in quorum ſingulis eligerentur Priores ſinguli à Collegio, & ad Abbatem Grandimontenſem tanquam ad ſuperiorem ſuum eorum confirmatio pertineret. Reliquæ verò domus fuerunt vnitæ ſingulis Prioratibus & ſubjectæ, nonnullis tamen Abbatiæ Grandimontenſi ſine medio reſeruatis. Item tribus Viſitatoribus Ordinis ab antiquo inſtitutis vnum ſuperaddidit. Hæc autem ſunt prouiſa, vt obuiaretur frequentibus ſcandalis, & in diſtribuendis domibus, & inſtituendis Rectoribus earumdem maturitas grauior, & maior æqualitas ſeruaretur, & voluntatum partialitas vitaretur; quoniam non per vnius hominis voluntatem, ſicut priùs, ſed per communem electionem plurium canonicè fieret prouiſio de perſonis, & in beneficiorum diſtributione perſonarum merita penſarentur, & vigeret ampliùs correctio in Ordine, tam in capite quàm in membris, vbi plures eſſent oculi vigilantes.

§. II.

De fundatione & progreſſu Monaſterij S. Auguſtini Lemouicenſis.

Sanctus Roricius XXIV. Epiſcopus à ſancto Martiale creditur locum ſupra Vigennam fluuium, vbi commune Cœmeterium erat, in honore ſancti Auguſtini Epiſcopi dedicaſſe, & inſtituiſſe ibidem ſub ſancti Auguſtini Regula Canonicos Regulares, & plures Capellas. Hic verò Epiſcopus cum alio Roricio nepote ſuo, ac ſucceſſore, fuit contemporaneus ſancti Amandi Confeſſoris & Eremitæ, & ſancti Iuniani: qui ſancti floruerunt temporibus ſancti Remigij, & Clodouei Regis Francorum; qui anno regni 15. baptizatus eſt. In eo Monaſterio viginti octo Epiſcopi tumulati dicuntur, quorum tumuli duodecim diſcernuntur, & duorum ſanctorum Epiſcoporum Roricij & Aſclipij corpora in capſa ſupra maius Altare cum ſancta Flauia Virgine & Martyre venerantur.

Turpio Lemouicenſis Epiſcopus XLI. vir ſanctitate & miraculis clarus, reædifi-

Digitized by Google

cauit locum illum, & instituit Monachos sub B. Benedicti Regula Domino seruituros: de quo in gestis Episcoporum Lemouicensium in Cartis quæ Præcepta vocantur Ecclesiæ Cathedralis inter cætera sic scribitur: Ego Turpio Lemouicensis omnium Episcoporum extimus de sede, quam mihi Deus regendam tuendamque immerito committere dignatus est, Religionem auferri conspiciens, valdè pertimui. In memet autem reuersus, diutinis precibus à Domino auxilium petens, implorabam, vt ipso iuuante Religio quæ vsque ad nos illibata peruenerat, nostris temporibus non deperiret, sed successoribus inuiolata succederet. Incidit itaque mihi consilium bonum, vt claustrum construerem, & ibi Fratres boni testimonij aggregarem, qui in commune sine aliqua proprietate degentes, absque vllo strepitu diuinæ seruituti incumberent, quod & feci consentientibus Optimatibus in Lemouicensi pago degentibus, & Archidiaconis, aliisque prælationem aliquam in Ecclesia Lemouicensi habentibus, &c. Obsecro vos, ô successores mei, hoc testamentum meum paruitatis meæ nullus successorum meorum violare præsumat. Tunc verò memoratus Turpio dedit eis Baccalariam quæ decem mansos tunc temporis continebat, & multas alias possessiones, vnde possent in Dei seruitio sustentari.

In libro verò eiusdem Abbatiæ, in quo Cartæ & Donationes factæ Monasterio conscribuntur: Ego Turpio Episcopus seruorum Dei extimus, in me reuersus cogitaui de Dei timore & gehennæ ignis, & vt pius Dominus mihi tribuere dignetur veniam in die vltima, proposui construere Monasterium ad quandam Ecclesiam quæ in honore beati Augustini dudùm dicata est, iubente tamen Radulfo Rege, & Domno Guillelmo Comite, consentientibusque nostris consanguineis, seu semoribus in Lemouicensi pago degentibus. Est autem supradicta Ecclesia sita in prospectu Lemouicensis ciuitatis super Vigennam fluuium, quam tradens trado in Monachorum manibus, Martino videlicet Abbati, ad construendum Monasterium, quatenus illic sancta Regula indesinenter custodiatur, &c. Factum est autem istud mense Nouembri, regnante Radulfo Rege, in anno duodecimo regni sui.

Memoratus quoque Turpio fuit contemporaneus Ludouici Regis Francorum, (Radulfi successoris) cuius anno quinto idem Turpio in prædicto libro quandam donationem fecisse dicitur Monasterio memorato.

§. III.

De fundatione Ordinis Artigiæ in diœcesi Lemouicensi.

Primus Prior & Fundator Ordinis Artigiæ in diœcesi Lemouicensi, non longè à sancto Leonardo, fuit venerabilis Pater Marcus cum Sebastiano nepote suo, qui nobilibus orti natalibus extiterunt de Venetia ciuitate in mari sita. Hi cùm diuersorum sanctorum limina visitarent causâ deuotionis, ad corpus beatissimi Leonardi Confessoris substiterunt: vbi aliquandiu sustentati eleemosynis Canonicorum, in loco qui adhuc Vetus Artigia dicitur, consistere elegerunt, vbi prædictus Marcus Oratorium sibi construxit, quartam partem vnius panis siliginei habens quotidiè à Canonicis antedictis. Qui Marcus loricâ ferreâ indutus, die ac nocte ieiuniis, vigiliis, & aliis multis modis corpus suum cum concupiscentiis crucifixit. Tandem acceptante Domino in bono labores eius Sebastianum Sacerdotem, nepotem suum, in loco suo dimisit, & ibidem feliciter in Domino obdormiuit.

II. Prior extitit præfatus Sebastianus. III. Quidam vir simplex & rectus, cuius nomen notum est soli Deo: qui cuiusdam Fratris, Furchardi nomine, contumeliis irritatus, atque fugatus, in itinere sancti Iacobi obiit. IV. Prior Ioannes *Nautonet* de Axia, qui sepultus est in ostio Capellæ sancti Laurentij, à parte claustri. V. Helias de Horto, de villa Solemniacensi. Huius tempore quibusdam murtrariis in Oratorio ab hominibus villæ Nobiliacensis occisis, transtulerunt se ad locum, in quo nunc sunt, qui maior Artigia nominatur, Domino Geraldo Lemouicensi Episcopo præstante auxilium & fauorem. Cùm corpora sanctorum Patrum Marci & Sebastiani transferre vellent, atque in biuio non longè à dicto loco in strata publica casu aliquo posuissent, non potuerunt inde moueri. Prior per obedientiam præcepit eis quòd abirent, & sinerent se portari, & quasi verberibus piis impulit eos virgis; qui vt filij obedientiæ statim acquieuerunt, & ad læuam Altaris simul conditi sunt. Hic

Digitized by Google

Prior Helias Ecclesiam constructit, Dormitorium vetus, atque Refectorium: qui sepultus est in Ecclesia iuxta gradum Presbyterij, ad pedes tumbæ Episcopalis. VI. Prior D. Petrus de Mantiaco: sub quo D. Bernardus de Sauena, Episcopus Lemouicensis, de speciali licentia Domini Papæ habitum Ordinis Artigiæ induit, & recepit, & in eodem habitu diem clausit extremum apud Auinionem, in festo B. Mariæ Magdalenæ 1226. corpúsque eius sepultum in medio chori Artigiensis Ecclesiæ: Domnus verò Petrus in Capitulo coram Crucifixi imagine requiescit. VII. Prior Bernardus Chausos. VIII. Bernardus de Champanisina. IX. Bernardus de S. Quintino. X. Guillelmus Galhardi. XI. Guillelmus de Crosilia, sepultus ibidem anno 1285. XII. Petrus de Pratis Briuensis factus est in festo Natiuitatis Beatæ Mariæ, 1285. obiit mense Augusti 1313. Prioratus sui anno 28. consummato. Tum alia manu. XXIII. Prior F. Guido de Parrochia Chambareta successit anno 1313.

CHRONICA GAVFREDI COENOBITÆ

MONASTERII D. MARTIALIS LEMOVICENSIS, AC PRIORIS VOSIENSIS COENOBII,

A ROBERTO REGE AD ANNVM MCLXXXIV.

Ex veteri Turrium in Lemouicensibus codice, aliisque MSS. quorum quatuor habui Apographa VV. CC. Henrici Iustelli, Joannis Bouchetij, Joannis Beslij, ac nostrum.

PROLOGVS DOMINI GAVFREDI AD SACRVM S. MARTIALIS CONVENTVM, ET VNIVERSVM CLERVM LEMOVICINI CLIMATIS.

IMPERIALIS excellentia majestatis exigit triumphalia bella tradere gestis, quatenus Regum antiquorum titulo lucidante, celebrior memoria apud subditos habeatur. Si ergo mortalium Principum facta laudabiliter scribuntur, multò decentiùs trophæa Regis immortalis perenni memoriæ tradere debemus, vt cognoscat generatio postera quantum Patrum tempore diuina peregit dextera. Si enim oculo rationis, quæ geruntur, inspexeris; ad doctrinam vniuersorum quæcumque scripta sunt, reperies, vt sciat reprobare malum vir prudens, & eligere bonum. Quid enim execrabilius quibusdam videtur, quàm historiam Apollonij Tyrij legere? verumtamèn sicut in sterquilinio aurum, ita in eisdem gestis inuenies vtilia quædam ad correctionem Christianæ Religionis. Antiochus nempe inclytus genitor voluptate deuictus, impudicus filiæ maritus effectus, dum mortem pro scelere pertulit, etiam Paganis timorem incussit. Cùm enim gentilis viri scelus Ethnici perhorrescunt, & de illius interitu vltricem venerantur diuinitatem: quantò magis populus acquisitionis æmulari debet charismata meliora? Qui ergo relegunt codices gentilium solatiandi gratiâ, imitentur honesta, caueant funesta. Verùm sacris in voluminibus multa reperies fla-

Digitized by Google

gitia, quæ ad cautelam sanorum, vel reparationem lapsorum scripta sunt. Qui non credit occidentem literam, non viuificantem spiritum quærit.

Initium huius libri historiæ à tempore Regis Roberti, & sub Frederico Imperatore finis datur.

Præterea, rerum gestarum historiam posteris tradere gliscens, à tempore Roberti Regis cepi, & in anno, quo Fredericus edomuit Longobardos, expleui. Hinc Maiores nostros iure reprehenderim, qui tot temporum acta incuriâ suâ obliuioni dedêre, præsertim cùm plura miracula nostro suóque tempore facta noscantur. Inde veniam postulat præsumptio, licet ad honorem Dei, & patriæ laudem nostra tendat intentio. Cùm iam librum hunc terminassem, contigit obire Gulpherium de Turribus apud Vosias quinto Idus Aprilis, feria II. hora VI. die IX. à Paschali solemnitate. Hic pleuresis dolore defecit, anno ætatis suæ XXXIII. duodecimo cingulo militiæ pollens: hinc Arnaco cum maioribus honore luctuque magno tumulatur feria 4. à B. Dalonensi, & B. Vsarciensi Abbatibus, vel Archembaldo patruo suo.

EXPLICIT PROLOGVS.

Titulos qui sequuntur, eorúmque distributionem, quamuis in plerisque parum subiectæ materiæ conuenientem, quia in duobus MSS. exemplaribus reperimus, religiosè adscripsimus: ac ne in allegandis Chronici huius varietate rerum & copia refertissimi ἀποσπασματίοις Lectores molestiam deinceps confusionémque patiantur, lemmatibus singulis caput, numerúmque suum præmisimus. Monendi quoque Historiæ rerúmque ad Genealogias spectantium curiosi Lectores nos in mendosissimo textu corrigendo, collatis inuicem exemplarium diuersis lectionibus plurimùm desudasse, nonnullas inseruisse ansulis distinctas, asteriscos quoque in desperatissimis locis inseruisse, vt ficubi delitescant eiusdem Chronicæ calamo exarati codices, eorum ope sanari possint aut suppleri, quæ manca ac vitiata apparent ἄπαξ εἰ ἀσύγκλωστα.

SEQVITVR ORDO HVIVS LIBRI.

CAP. I. *De Rege Roberto.*

Robertus Rex regnare cœpit anno Domini DCCCXCCVI. aut circa, quo tempore Guillelmus Aquitaniæ Ducatui præerat, cui cognomentum fuit *Teste d'Estoupe.*

CAP. II. *De Sancto Pardulpho.*

Dulcissimi Patris Pardulphi corpus longè post eius transitum de Cœnobio Garactensi delatum est in Monasterio Sarlatensi, & iuxta corpus Sancti Sacerdotis Lemouicensis Episcopi honestè collocatum est. Illic multarum signis virtutum populorum turbas inuitans, Monachis ibidem tunc Religiosis nauseam ingerebat. Quapropter Abbatem à Pontifice separantes, in Ecclesiam Sancti Ioannis extra Monasterium transtulerunt; dehinc substracta signorum frequentia Pardulphum Sacerdoti parem diuina pietas dicitur ostendisse.

CAP. III. *De Guidone de Turribus.*

Eo tempore Guido de Turribus, qui cognominatus est Niger, inter Principes Lemouicini climatis probitatis titulo clarebat. Erat illi vxor non dispar natalibus, Engalcias nomine, filia Principis Malamortensis castri, quæ sancti Geraldi Aureliacensis ex nepte proneptis extitisse narratur. Hi enim Ecclesiam de Arnaco, quæ olim fuit in honore Sancti Petri parua quidem, sed parochialis, in meliùs ampliare studebant. Hunc adiuit Sarlatensis Presbyter quidam, & de

corpore

corpore Sancti Pardulphi transferendo sese Ministrum, Deo auctore, fore spopondit. Qui Sarlato rediens, Sancti Reliquias de loculo transfert in loculum. Deinde noctu properat ire: ne verò per diem res cognosceretur, asinum strauit, & vt rusticè loquar, superposuit bastas, in quarum vna Lipsanum Sancti posuit, in alia Gausbertum puerum suum recondidit, quæ omnia linteo cooperuit: obuiantibus verò dicebat, in mercato Saliniacensis castri, quod agitur quintâ feria, panem ferre ac referre. Sicque deuenit ad Vizeræ litus (tunc inter Vicecomites fuit hostilitas permaxima pro Aue Vicecomitissa, quæ dicebatur Blancha.)

CAP. IV. *Translatio S. Pardulphi Confessoris.*

Die notata venit ad fluuium inclytus heros militum turmam secum armatam promptè conducens. Quid multa? Suscipitur à Principe Thesaurus pretiosior auro: ipsaque die in villâ de Perpesac non hospites, sed domini hospitati sunt: postera die hoc est 19. Kal. Ianuarii, Arnaco deuenerunt, & in Ecclesia sua nouus hospes possessor perpetuus effectus est. Tunc factâ solemni donatione contulit Cœnobium Abbatibus S. Martialis: Et Hugoni & Gaufredo donum istud postea Lemouicensis Pontifex Iordanus approbauit, & Benedictus Papa confirmauit. Tunc Monachis intromissis, Chargerio capellania conceditur, postmodum verò capellaniam de Segunzac eidem commisit Guido de Turribus, vt integra libertate Monachi in Ecclesia propria libertate potirentur. Laicorum etenim Principum autoritate multa tunc in Ecclesia disponebantur; vnde nunc prouisores, siue defensores vocantur. Ecclesia enim de Segunzac primitus data est beato Pardulpho, & de manu Monachorum idem Princeps eam accepit tali pacto, vt ipse vel eius successores eam de sancto vel Monachis ipsis tenerent: in domo siquidem Sacerdotali, quæ Chaminata appellatur, sex denarios annuos, & in quibusdam villæ domibus alium censum pro recognitione Arnacensis Præpositus vel Monachi hactenus habere noscuntur.

CAP. V. *Genealogia.*

De Chargerio Gausbertus, de Gausberto natus est Gauffredus Presbyter, & ..... frater eius qui genuit Gaulfridum Presbyterum, & Guillelmum, de quo orti sunt Petrus Capellanus, Gauffredus Presbyter, Bernardus & Gaubertus Laici. Hi, quoniam protectoris sui Pardulphi honorem tantùm verbo tenus coluerunt, in magnis calamitatibus deciderunt.

CAP. VI. *Progenies Guidonis de Turribus.*

Guido, qui Petragorici auxilio Comitis oppidum de Pompedour contra Vicecomitem de Segur construxit, super castrum de las Tours, de Terrasson & de Alteffort, exceptis Ecclesiis vel municipiis diuersorum locorum, principatum habuisse narratur. Hic in Petragorico Iarduna igne cremauit, eo quòd possessor eiusdē castri eum similē fabri cachinnando vocauerit: hic Lemouicas in bello Kal. Aug. occubuisse, & iuxta portam Monasterij australem tumulatus extitisse refertur. Engalcias verò vxor illius Arnaco Monacha effecta, in senectute bonâ obiit vi. Kal. Septemb. Hæc foris limen ostij quo de claustro itur ad Monasterium, se sepeliri rogauit, vt fidelium ingredientium orationibus Deo spiritus illius deuotiùs commendaretur.

Horum filiam vnicam Aolaarz accepit Ademarus lo Contors de Laron filius Rogerij, de qua genuit Guidonē: postea 2. Idus Iulij obiit iuxta matrem sepulta, quia fragilis multum fuit. Ademarus verò duxit vxorem sororem Iterij Episcopi Lemouicensis de quâ prodiit progenies Larumdensium dominorum de paterna hereditate. Guido de Agne sorore principis castri de Chambon S. Valeriæ, genuit Guidonē, Geraldum & Gulferiū, & Arnaco tumulatur. Guido Hierosolymis obiit, & filius eius Oliuerius apud Ayent castri Exandonēsis occisus 8. Kal. Decemb. Arnaco honorificè tumulatur. Geraldus de Humberga filia Seguini militis sui genuit Guidonē & Seguinum. Guido de Matilde matre Bosonis de Torena, quæ Arnaco condita est, genuit Guidonē & Gulferium. Horum pater Hierosolymis obiit, cum Rex Ludouicus illic perrexit. Guido de Helisabeth filiâ Guidonis Flamenc senioris genuit Gulferium. Gulferius filius Matil-

dis de Alpaide filia Gaucelini de Petra-Bufferia, quæ Arnaco tumulata in capitulo cum reliquis est, genuit Guidonem & Radulfum Clericum (*Hic Guido fuit Episcopus Petragoricensis anno MCCLV. ab Incarnatione Domini.*) Seguinus filius Humbergæ de Brunicenda filia Aimerici de Axia genuit Geraldum & Seguinum. Seguinus de Aimelina filia Bertranni de Born genuit Geraldum & Ranulfum. Superior ille magnúsque Gulpherius, de quo mentio fit in Historia Hierosolymitani belli, frater Guidonis & Geraldi, de Agne filia Ramnulfi Vicecomitis de Albusson, per quam habuit medietatem castri de Gimel, genuit Gulpherium, qui Lemouicæ vulneratus obiit in Monasterio S. Martialis III. Non. Martij & Oliuerium, ac Guidonem qui Hierosolymis obiit, quando Ludouicus Rex perrexit. Oliuerius de Almode filia Archambaldi Barbati Vicecomitis de Comborn, quæ Arnaco IV. Kal. Septembris condita iacet, genuit plures, tantùm Agnes, quam Constantinus de Born habuit, & Gulferius superstites fuere. Gulferius hic de Geralda filia Geraldi de Mirabel non genuit aliquem. Constantinus de Borne de Agne filia Oliuerij genuit Gulferium, quem Guido Vicecomes Lemouicensis destruxit.

CAP. VII. *De Riuopetroso & Subterranea.*

Roberto regnante, Elias Calesius, *sieur de Chalais*, & Iscatfredus, ambo illustres, Riuum petrosum sancto Martiali Lemouicensi solemniter concesserunt. Geraldus de Crosent eidem Apostolo in manu Geraldi Lemouicensis Episcopi, coram Guillelmo Duce, Bernardo Comite de Marchia, Aimerico de Rançon, villam de Subterranea contulit: de omnibus nempe, qui in eodem Burgo aliquid acquirebant comparauit, dans eis pro hoc CXX. libras Monetæ publicæ, excepta dominatione sua, quam ex integro dedit. Hic de Eblena genuit plures, quorum primus dictus est Beraldus, secundus Geraldus cognomento Rebara. Tunc Daniel Præpositus, cognito se à Burgensibus contemni (non enim volebant ei dare quæstum) id enim est taillada, adiit Dominum Beraldum, indeque fecerunt similiter in villam gagium auferentes, sic deinceps Beraldus villæ dominium, non dominus, sed tyrannus exactor vsurpauit. Beraldus de Radegonde genuit Raymundum, qui modò ad Obitum in capitulo conditus filium de Bricia sorore Rothidæ de Exigento ortum Beraldum reliquit. Qui Beraldus vxorem quamdam duxit, sed sine filijs obiit, hic vidit non dicam nocturnam illusionem, sed per diem manifestam visionem, quæ illum adeò perterruit, vt vix deinceps in stratu solus quiescere auderet. Olim defunctum vidit militem sibi notum, dum esset in lecto suo meridie apud Brugunderium castrum, qui ei vigilanti de immanitate pœnarum impiorum multa narrauit. Visionem Alberto Præposito retulit, qui postea in Abbatem S. Martialis promotus est Præpositus ei obitum imminere prædixit, vtque de rebus suis ordinaret, consuluit. Qui accersito Gaufredo Guischart, cui publicæ ab Episcopo (*S. pœnitentiæ*) cura commissa fuerat, & eodem Alberto, legitimè pœnituit; acceptáque pœnitentiâ testamentum de terrâ suâ fecit, scriptóque titulauit, Monachis S. Martialis Burgum Sanctæ Mariæ de Subterranea cum omni melioratione non tam dedit quàm reddidit. Insuper pro peccato patris sui & aui contulit Monasterio duos mansos, Tanconiac & las Massuras. Sancto Maximo (alias Maximino) de Mangnac, sanctæ Cruci de Mosteyrol, S. Bartholomæo de Beneuento & quibusdam aliis Ecclesiis de mobilibus suis de terra sua eleemosynam fecit non multò pòst in Assumptione B. Mariæ Anicium pergens infirmari cœpit, & continuò rediens apud Beneuentum Kal. Septemb. obiit. Igitur ad se vocato Gerardo filio Bernardi Vicecomitis de Brossa consanguineo suo, coram Gaufredo de Fondonij Priore de Beneuento, Alberto Pręposito de Subterranea, tradidit ei iure hereditario terram suam: non enim habebat liberos vel nepotes, qui testamentum eius tenere professus est, & eleemosynas S. Martialis, aliarúmque Ecclesiarum non inquietare sed manu tenere, super Sacrosancta Euangelia, aliásque reliquias Beneuenti Monasterij iurauit.

CAP. VIII. *Sepultura Beraldi Vicecomitis Briderij.*

Post hæc magna cum frequentia populorum & Principum Subterraneæ delatus in capitulo cum pluribus suis conditus est. Aderant ibi Bernardus Descopiat miles dominus de S. Pardulpho cum Eleazaro fratre suo, Adelbertus de Analiac, multique alij viri illustres. Geraldus Vicecomes, si testamentum Beraldi rectiùs obserua-

ret, tertia illius diuturniori pace frueretur. [*hic postea extitit Abbas S. Martialis primo anno ordinationis suæ accepit conuinium ab Ademaro Vicecomite, secundo anno à Guidone filio eius anno ab Incarnatione Domini 1200.*] hic de vxore sua Agne de Lignieris genuit Bernardum Vicecomitem, & Guidonem de quo ortus est Reymundus filius Alpaidis, & Fulconem qui habuit partem suam Lemouicæ, Guarnerium, Gaudefredum milites, Petrum & Berandum Monachos sancti Benedicti desuper Ligerim, Hugonem Monachum & Sacristam S. Martialis. Bernardus Vicecomes de Brossa genuit Geraldum & Bernardum de la Pastoresa, Geraldus cognomento Geuara filius Geraldi de Crosene, genuit Leerium, qui Leerius subtus vitriam sepulchri sanctæ Mariæ de Subterranea tumulatus est. Iste Leerius genuit alium Leerium, qui apud sanctam ciuitatem obiit peregrinus, huius alius frater Geraldus sæculo relicto obiit Hierosolymis, hic filium Geraldum reliquit militem, & Iterium Monachum S. Martialis, hic fuit Prior de Azaco, & Prepositus de Subterranea hic: eius tempore muri destructi sunt.

CAP. IX. *De Abbate Odolrico.*

Odolricus iuuenis dum esset, leuitati operam dans, lectioni minimè studebat, vnde accidit vt Epistolam ad Maiorem missam dum legeret, tam turpiter falleret, vt etiam conuentus erubesceret. Quapropter Archichorus nimis commotus illicò alapam in cõspectu populi ei dedit. Adolescens pudore coopertus (erat enim præcipua festiuitas eadem) citiùs aufugit. Qui Magistrorum Scholas in tantum frequentauit, quoadusque idoneus præcipuus factus in propriã rediret Ecclesiam, in qua tantæ probitatis titulum acquisiuit, vt decedente Hugone assensu cunctorum Ecclesiæ filiorum in Abbatem proueheretur: hic Cœnobium per annos xv. nobiliter rexit, pallia duo leonina comparauit, & textum de auro minorem, & alium redemit, duas Ecclesias, muros & Castellum, Monasterium S. Vvalerici postquam multis donis nobilitauit, dedicare fecit cum Ecclesia S. Michaëlis in eodem vico. Huius rogatu dominus Iordanus de Laron Lemouicensis Episcopus, antequam abiret Hierosolymis consecrauit Monasterium de Arnaco, in quo quiescit corpus almi Pardulphi, in honore sanctissimæ Trinitatis Idus Iulij anno Dominicæ Incarnationis MXXVIII. adfuit ibi Guido de Turribus cum venerabili coniuge Engalsia, aliàs Emalsia, & Ademaro de Learum genero, Ebolo Çombornensi fratre Archambaldi Chambaputrida, cum Ademaro filio Guidonis Vicecomitis, Bernardus Chabrol cum Firmino, qui Capellam de Brê Monachis de Vosias contulit, ibidem præsentes fuere.

CAP. X. *Dedicatio Basilicæ S. Martialis.*

Anno ipso scilicet MXXVIII. consecrata est Basilica regalis Saluatoris Lemouicæ xv. kalend. Decembris ab Episcopis XI. quorum nomina hæc continet pagina: Gothofredus Archiepiscopus Burdegalensis, Iordanus Lemouicensis, Isembertus Pictauensis, Roho Engolismensis, Arnaldus Petragoricensis, Petrus Gerundensis, Deus-dedit Caturcensis, Amelius Albiensis, Arnaldus Rutenensis, Fulco Carcassonensis, Islus Sanctonensis, hoc factum est tempore Roberti Regis Francorum, Constantini Imperatoris Græcorum, atque Conradi Imp. Romanorum. Tunc quoque leuatum est corpus S. Martialis Apostoli à Monachis eius, ad cuius præsentiam delata sunt tunc multa nobilissima corpora Sanctorum Aquitaniæ Prouinciæ, astante Duce Aquitaniæ, Duce Vasconiæ, cum omnibus Principibus, & omni frequentia Aquitanorum. Post dies octo iterum relatum & reuersatum est integrum corpus eiusdem Apostoli in sepulchrum pristinum.

CAP. XI. *Incendium.*

Eo anno Cœnobium Vsercense nonas Maij, Luna IX. hora noctis prima hac die, quæ feria tertia vocatur, igne crematum est, in diebus Ricardi Abbatis. Biennio euoluto Luna XVI feria IV. X. Kalend. Maij inchoatum est renouari ab eodem Ricardo Abbate vel Monachis: huic successit Petrus Donzenaco, successit & post eum Constantinus per 14. annos.

Cap. XII. *De Guillelmo Rege Anglorum.*

Ea tempestate Triumphator ille Guillelmus Manzer, subiugatâ Angliâ, probitate pollebat. Hic misit in Daciam Elphinum Abbatem Remesiensis Monasterij. Cui in mare periclitanti Angelus apparens diem Conceptionis perpetuæ Virginis Mariæ designauit, eúmque à mortis periculo eripuit. Huius Regis pater Eustachius Dux Normannorum apud Fiscanum splendido quescit mausoleo. Hoc Cœnobium situm in territorio Rothomagensi in nullo obnoxium est eiusdem Archiepiscopo, Romano tantum Pontifici parens, sub vmbra, vt ita dicam, Regum Anglorum, nobilitate summa, vel libertate præpollet. Per idem tempus Odilo Cluniacensis, qui festum defunctorum instituit primo diuina reuelatione, post festiuitatem omnium Sanctorum celebrauit, & toti suo ordini celebrandum indixit. Gauterius Stirpensis, cui ægrotanti per hyemem desiderata fraga præter morem diuina præparauit clementia. Robertus qui Casam-Dei ædificauit, Aquitaniam religionis splendore illustrauit. Huic Roberto succedit Durannus qui postea fuit Episcopus Aruernensis, deinde Seguinus de agno: post hunc Aymericus Episcopus Claromontensis. Præterea Stephanus de Belmon, deinceps Iordanus de Montboissier Frater Petri Cluniacensis Abbatis & Pontij de Vezelay, ijs successit Pontius de Beldinar : Post hunc Guillelmus de Thorene : deinde Bertrandus Palpabor : Post hunc Ancelinus de Tolly. Iordano Lemouicensi Pontifice apud S. Augustinum sepulto, Annoque qui antea præpositus S. Leonardi consecratus in Ecclesia Sancti Ioannis de Angelis per Dominum * Hilbonum Xantonensem Episcopum anno MXXII. Succedit Iterius qui castrum de Chaslas de loco vocato Fraisenias, ad locum, vbi nunc cernitur, permutasse narratur; erat quippe frater Principis illius Castelli.

Cap. XIII. *De Hugone Rege.*

Roberto Rege viuente, Hugo filius eius sublimatur in Regno. Hugone decedente consecratur frater ipsius Henricus, adhuc patre viuente. Robertus migrauit à sæculo V. Kalend. * Octobris ab Incarnatione Domini MXXX. Eodem anno Abbas Odolricus obiit, cui succedit Petrus. Hic fuit filius Eucharij de Cluno Castello, sicut in libro terrarum B. Martialis legitur, vbi Ecclesia de Vilar Monasterio S. Valerici donata perhibetur: quo defuncto v. Kalendas Octobris, substituitur Mainaldus de Hisli. Si dignum memoriæ aliquid gesserint, quia non reperi obscuras opiniones superuacaneum scribere duxi. Mainardus tamen obiit XIII. Kalendas Iulij, regnante Henrico Rege. Miror plurimum, quod superiorum Abbatum tumuli non solum non seruantur, sed loca pœnitus ignorantur. Dicitur tamen (si credi fas est) Ademarum Abbatem tumulos eorum abrasisse, vt nullorum nisi Cluniacensium sarcophagus appareret. Quoquomodo hæc fecerit, legalem Ecclesiæ libertatem, & tantorum patrum dignitatem sacrilego ausu, si ita est, nimium obscurauit.

Cap. XIV. *De concrematione Ecclesiæ Sancti Martialis.*

Anno Domini MLIII. concremata est regalis Ecclesia Saluatoris mundi Lemouicæ & omnes officinæ ipsius Monasterii, tunc multa preciosa ornamenta, & insignium priuilegiorum monimenta deleta sunt. Tres quoque Monachi, Bernardus, Ranulfus & Guido extincti sunt super sepulchrum Apostoli.

Viuente adhuc Henrico Rege, & Iterio præsule, Canonici S. Aredij Ransoliæ Monasterium, fauente Guillermo Aruernensi Comite recuperauere, quam possessionem Clerici solemniter inuisere disponentes, inclyti Abbatis glebam illic deferre, ac referre studuerunt. Veruntamen ibi diuina non defuere miracula, ad declaranda merita præcelsi Confessoris.

Iterio Pontifice apud S. Augustinum tumulato, Guido Delaranda Iordani nepos succedit. Veruntamen Pontificum inconueniens factum animaduertendum est ad alia demigrantium loca, cum antiquitus corpora maiorum apud S. Martialem solemniter deferrentur, sed esto habeant cæteri, si Pontifices voluerint, corpora eorum. Habemus nos non solùm primum Præsulem Lemouicorum, sed ipsius Christi

Apostolum, Patriarcham Aquitanorum, cum condiscipulis Austricliniano Alpiniano, Ducem Stephanum Gallicorum cum sponsa Virgine Valeria Protomartyre eiusdem regionis, Hortarium Armigerum Ducis, & Amasium qui sepulchrum Apostoli & suum, quod est in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Cortina, propriis manibus construxit: Nicium, qui paganum in capite vulneratum occiderit & Hildebertum filium Arcadij Comitis Pictauiensis, quem Sanctus Martinus suscitatum baptisauit: Celsum qui Rocho, aliàs Rotho: Iustinianum, qui Palnato, retentis capitibus, delati sunt: & Androchium, qui Episcopus Britanniæ causâ orandi ad Sanctum Martialem veniens, imminente nocte in eadem vrbe à Paganis interemptus est, & corpus eius à Clericis S. Martialis honorificè tumulatum est; Andream præfectum Basilicæ S. Petri: & Aurelianum, qui post Magistrum Pontificio decoratur, qui ab ipso suscitari, ac baptisari ambo meruerunt: his multisque talibus decorata refulget Apostolica simúlque Imperialis Ecclesia nostra, quam ipse IESV-CHRISTI alumnus VI. Nonas Maij benedixit. Cuius parietes, quamdiu permanent orantes vel laudantes Deum in eodem loco, larga illius benedictione non priuabuntur, verum quoniam Sanctorum vnius aulæ fecimus mentionem, nomina eorum, qui in toto Episcopatu præclariores habentur, ad honorem Dei, & ipsorum laudem, vel patriæ decus, nunc recitabo.

CAP. XV. *De Sanctis in Episcopatu prædarioribus.*

Protomartyrem Galliarum Valeriam primam calamus scribat, quæ apud Cambonium delata est, vt in propria possessione ei propria Ecclesia, sub regimine tamen Abbatis sancti Martialis construeretur, cuius caput Lemouicæ, ac cineres vel capillos corporis eius, cum matre Susanna, retinuere. Apud Subterraneam imago Dei Genitricis venerandas reliquias continet, quas diuinapietas per virtutum signa commendat.

Garactensis Ecclesia sarcophagum cum cineribus corporis almi tenet Pardulfi, quæ ad testimonium illius castissimæ vitæ fœminam nullam admittit. Corpus verò eius credunt & dicunt se habere in capsa supra altare apud Arnacum Monachi ibi habitantes, per antiquam nobilitatem Principum de Turribus illuc translatum, cuius corpus Sanctum ad portam vrbis Lemouicensis tamdiu immobile perstitit, donec cæcus adductus coram populo illuminatus fuit. Floruit tempore Stephani Papæ secundi, qui cœpit anno DCC.LII. migrauit autem sub Carolo Rege, & Duce Aquitanorum Hunaldo. Huius sancti Gesta præclara habentur, & eius memoria recolitur pridie nonas Octobris. Apud sanctum Valericum corpus ipsius Confessoris quiescit, cuius ope incolæ terræ illius ab imminentibus periculis sæpè liberantur.

Salaniacensis castri Burgus Leobonum continet Confessorem, cuius ope ardentium multi sæpè sanantur.

Secus flumen de Gartempa vicus, qui dicitur Fursacus, duas retinet Basilicas, quarum vna in honorem sancti Petri sub potestate Monasterij sancti Martialis de Subterranea duabus gaudet Virginibus. Radulfus quidam Miles cachinnando nomen Ruphinæ, seu Russinæ (nam altera vocatur Iustina) lepori assimilauit. Cuius equum positum in stabulo repente succensus ignis absumpsit, aliis iumentis illæsis permanentibus. Podium sancti Gonsaldi eidem tumulum præstat, qui Ademarum Abbatem in somnis perterruit, donec nomen illius in Collectario, vnde illum abraserat, describere iussit.

Agedunenses Siluanum, qui à Vvandalis passus: Maimacenses manus & caput Leodegarij, quem Ebroinus decollauit, pia deuotione venerantur, hæ duæ Abbatiæ cum tertia Tustariacensi, Abbatibus Vsarchiensibus ab olim subiectæ feruntur.

Nobiliacenses nobili alludunt Leonardo, cuius præconia pœnè totus prædicat orbis, qui Boamundum à vinculis Danismanui Satrapę Saracenorum mirabiliter eripuit.

Gauterium Stirpenses honorant, qui moderno tempore actu & miraculis gloriosus apparuit.

Comodoliacenses Iuniano iubilant, cum Amando præceptore suo, quod videlicet Monasterium cum Ecclesia sancti Petri de Quadriuio Iosfredus quondam Thesaurarius à iure S. Martialis fraude subtraxit.

Digitized by Google

Tillonem Solemniacenſes venerantur, qui ab infirmitate Hermenum Epiſcopum moriens liberauit.

Atano Monaſterio magnus ille quieſcit Aredius, cuius corpus ad teſtimonium Vrbanæ nobilitatis per plateam cerdonum deferri nequiuit.

Nobilitatem antiquam Principum de Turribus gleba corporis Pardulphi teſtatur, cuius corpus ad portam vrbis Lemouicæ tamdiu immobile perſtitit, quamdiu cœcus adductus coram populo illuminaretur.

Sancti Ferreoli Confeſſoris & Epiſcopi Lemouicenſis corpus tranſlatum fuit apud Turres per antiquam nobilitatem Principum de Turribus, de Monaſterio S. Auguſtini (nam dictum Monaſterium S. Auguſtini, cùm ſit extra muros villæ & ciuitatis Lemouicenſis, fuit deſtructum propter guerras Tyrannorum, Gothorum, Wandalorum, & plurium aliorum) & deinde fuit portatum apud Annexonium per dictum Principem de Turribus, & poſitum ſuper altare Eccleſiæ in capsâ aureâ Calendas Septembris, regnante Theodeberto, tempore Hilarij Papę.

Vſarchenſe Monaſterium Leo & Coronatus Præſules Sacri decorant, quos de Britannia eò delatos diuina beneficia illuſtrant.

Voſienſi Monaſterio Madalgodis beatiſſima fauet, quæ de Britannia maiori eò delata, ſignorum multiplicitate ibi lætificat plures.

Monaſterium de Charmis beata decorat Imperia, & Cœnobium de Briuaſac Virgo & Martyr Fauſta, quæ ab Arnaldo Principe Vaſconum illuc delata veneratur.

Beata Ferreola in Eccleſia S. Martini, & Beatus Dominius ſiue Dominicus in Baſilica S. Stephani iuxta caſtrum de Gimel, requieſcunt.

Eccleſia de Fauars non modicam partem corporum Marcelli & Anaſtaſii de Argentonio: & Eccleſia de Bar ſanctam Emerentianam collactaneam ſanctæ Agnetis tenere ſe gaudent.

Aenti Monaſterio Beatus Pſalmodius, & apud S. Angelum Albinus Andegauenſis Præſul, pauſare dicuntur.

Bellilocenſes Amelio & Felicitati, cum Primo & Feliciano, qui cum Beata Fide paſſi ſunt, dignum præſtant obſequium.

Tutelam Wlfardus & Laudus tuentur cum Claro[1], per quem ſerena tempora, & Baumardus per quem imbribus plena Dominus ſæpè contulit orbi.

Ex numero vndecim millium, quæ Coloniæ paſſæ leguntur, Grandimontenſes nuper quinque prudentes Virgines exceperunt, quæ lampades ſuas oleo bonæ operationis ornauerunt.

Briuenſem vicum decorat *Martyr* Martinus, cuius fama ſignorum ad aures vſque peruenit ipſius Valentiniani Imperatoris.

Non procul abhinc in Eccleſia propria beatus quieſcit Liberalis, per quem rogus ab ipſius Eccleſia longiùs ſeceſſit, qui Burgum cremauerat quondam.

Apud Chambaret cernitur buſtum Dulciſſimi, quem Præſulem Agenni ſanctæ Fidis acta fuiſſe declarant.

Eccleſia, quæ vocatur Monaſterium Leolenum, & quædam aliæ, Maximum Sigulenam, & Sagittarium habere ſe fantur.

S. Fortunata, quæ paſſa in villa, quæ modo ſuo nomine nuncupatur, ibidem clara ſignis & virtutibus requieſcit.

Vrbem itaque noſtram poſt Diœceſim repetamus, & in Monaſterio S. Auguſtini Beatum Aſclepium Præſulem, poſt Virginem & Martyrem Flauiam veneremur. Quæ cum eſſet Flauij Clementis Conſulis ex ſorore neptis, perſecutione Domitiani flammis exuſta triumphat. In Eccleſia Sancti Gregorij iuxta Monaſterium S. Andreæ tumulus cernitur S. Domnoleni, de quo nihil aliud reperi, niſi quod fama teſtatur, illum principem Lemouicorum, & eius feſtiuitas agitur vij. Kalend. Iulij. Monachi de S. Martino quod Monaſterium ad Baſilicam appellatur, habere ſe gaudent Iuſtum illum Diſcipulum Magni Hilarij Pictauenſis Præſulis: quamuis ipſum dicant Clerici non deeſſe Eccleſiæ, in qua primùm conditus fuit. Michaelis Archangeli Eccleſia ſublimatur corpore Iocundi Principis genitoris almi Aredii, quæ quondam Abbatia extitit, quam ipſe Aredius nepoti ſuo Abbati Voſienſi Aſtidio, vna cum Abbatia de Teraſſon, quam rogatu beati Sori eidem Monaſterio S. Michaëlis ſubiugauerat, ſubiecit. Prope Vinzennam tumulus cernitur Præſulis Ceſſatoris, qui Preſbytero de Inſula Geraldo vt commemorationem feſti ipſius, quam veſpere facere ſpre-

uerat, ad Missas solemniter diceret, in somnis terribiliter imperauit. Archangeli Ecclesiam superiorem perornat Lupus ille magnus non Gregis vastator, sed ouium pernigil pastor; qui primordio Henrici Regis Anglię filii Gaufredi Andegauensis Comitis signa & miracula plurima Lemouicæ patrauit.

In Exandonensi territorio ostenditur sarcophagus S. Vincentiani, ad cuius corpus transferendum vrsus cum boue se sponte ligandum inclinatur.

Apud Castellum Potentianum honoratur Tyrsi Martyris corpus.

Apud Luperciacum Sanctus Adorator Episcopus & Martyr.

Super Vigenam Sanctus Victurnianus Confessor: apud Aquinam sanctus Calminius.

Apud Grandimontem quieuit S. Stephanus de Tierno, alias de Mureto, primus pater loci illius.

Apud Stirpem Gemma & Serena. Apud S. Aredium S. Pelagia Mater eius.

Apud S. Angelum S. Gaudentius, apud Obasinam S. Stephanus prior loci illius multis miraculis claret.

Hæc de tuis suffraganeis Sanctis, magne Martialis, me scripsisse delectat, licet Aquitania tibi sit obnoxia, quorum tamen nomina, quamuis nescius præteriui (plures enim sunt) supplex exoro vt piè mihi ignoscant, quia ignorans feci. Quod si reliquias de Sepulchro vel Cruce Domini eiusque Genitricis, seu omnium Sanctorum, qui Lemouicinum perornant, describere tentarem, multa per tempora implere vix possem. His itaque digestis, ad ea, quæ Chronica postulat, redeamus.

Cap. XIV. *Cluniacenses Monachi caput ordinis S. Benedicti inuaserunt locum S. Martialis Lemouicensis.*

Anno Domini MLIII. vel vt in alio exemplari legitur 1063. Nonas Augusti inuaserunt locum S. Martialis Cluniacenses per fraudem Ademari filij Guidonis Vicecomitis Lemouicensis, & Petri Escausarij, qui pro hoc dedit eidem Vicecomiti equum optimum, qui appellabatur Millescus. Verumtamen ibi per dies plurimos Monasterii reformata est disciplina, nouisque honestatis floribus decorata Ecclesia sub Abbate Ademaro, qui erat de Lemouicino ex equestri genere. Quidam simplex actu Simplicius nomine principalis altaris lapidem temporibus Odolrici Abbatis ex vrbe Narbonensi dicitur conduxisse, qui lapis pretioso de marmore candidissimo quod vocatur Lios, venustate sua multum aspicientibus admirationem infert. Tunc nunciatum est militibus de Capdenaco, quod lapis per aliud iter transire nequibat. Quo audito, Princeps castri non solùm muros destruxit, sed ad conducendum plaustrum boues per terram accommodauit. Muros postmodum ædificare distulit, dicens pro muro auxilium beati Martialis semper habere, cuius spem fides pura non fefellit. Cúmque deuenissent ad vallem quamdam tam arduam, vt multa boum paria addita carrum mouere non possent, de virtute Apostoli Simplicius præsumens duabus tantùm vaccis trahentibus ingentem lapidem de immenso illo præcipitio abstraxisse fama vulgari cognouimus, defuncto Simplicio, remansit lapis foras sub dio vsque ad tempora Ademari Abbatis & Guillelmi Ducis filij Guidonis, vnde contigit vt Canonici cupientes omnimodè acquirere lapidem, persuaserint Comiti sequenti die dari sibi lapidem ab Abbate, cum quo erat placitum quoddam habiturus. Quod cum relatum foret Abbati, vocato Geraldo cæmentario patre Mathæi de Vierchia, qui fortè tum aderat, nocte illa cum luminibus priori remoto, nouum construxerunt altare. Ex tunc solemnitas dedicationis postposita est; quo cognito, Comes vel Canonici à proposito suo quieuerunt. Fertur à Veteribus priores Canonicos erga Apostolum Christi deuotos extitisse, & ex consuetudine, ipso die natalis Domini ad sepulchrum eiusdem celebrata missa de luce oratum iri. Contigit præterea longè ante tempus Ademari Abbatis hora consueta Canonicos sepulchrum Apostoli visitare, & quia Sacerdotes manè missas celebraturi altaria frequentant, propter breuitatem diei & magnitudinem officiorum pauci admodum in choro remanserant, qui Primam decantarent: vnde accidit, vt cum Cantor imponeret Antiphonam, Lux orta est, adolescentes decantarent secundum figuram istam; sæculorum Amen.

Eâ horâ Marbodus Capellanus Iterij Episcopi cum aliis Clericis ante altare

Saluatoris orabat, qui reuerenter accedens ad Ianuas chori, nolens eis ruborem incutere, voce ſuppreſſa dixit, In nomine Patris & Filij & ſpiritus Sancti. Rem itaque animaduertentes Monachi continuò correxerunt errorem, & ſecundum figuram congruentis toni dixerunt, ſæculorum Amen. Poſt hoc Clerici ſolito more repetunt vrbem. Hac pro conſuetudine interimiſerunt forſitan antiqui proceſſionem natalis Domini quæ fit per clauſtrum. Quod ſi dixerint Moderni proceſſionem poſt poni pridie pro illa quæ futura eſt perendie, recolant Bituricenſes, Tholoſanos, ac Petragoricenſes ambobus diebus ſolemnes celebrare proceſſiones; præſertim cùm dies Natalis Domini celebrior ſit vniuerſo orbi, quam Martyrium Protomartyris, etiam in qualibet Cathedrali Eccleſia ipſius. Quòd ſi Metropolitanam vel ſuffraganeas imitari refugiunt ſedes, videant ſcilicet nouas illis condere leges.

CAP. XVII. *Incendium Voſienſis Monaſterij.*

Ea Tempeſtate ſub Abbate Petro, qui erat frater Alcontor de Mirabel, Voſienſe Monaſterium, quod ſanctus Aredius reædificauit, igne crematur: priuilegia, ornamenta, libri, pluráque ſimul bona perierunt. Miles quidam de Petra Bufferia frater ſacriſtæ captus eſt, donec dato pretio exiret, à cuius oris negotiator quidam per publicam viam trantiens à Voſienſibus cum rheda ſua captus lethaliter vulneratur. Cuncti igitur Principes huius patriæ, quibus vectigalia ſoluebat, pro morte mangonis ſui terras Monaſterij peſſimè vexabant. Hac de cauſa ornamenta multa exhauſta ſunt, quæ ignis non conſumpſerat. Iuxta illud propheticum, Reſiduum bruchi comedit locuſta. Cognoſcentes itaque Monachi pro negligentia ordinis ſe caſtigari, Abbatem Sancti Michaëlis Ademarum expetunt, vt errata corrigat, patrémque idoneum illis præficiat: qui infirmitati illorum compatiens, præfecit illis Abbatem Geraldum cognomento de Laſtrada ex equeſtri genere caſtri de Nontrouio, vel Mauron oriundum. Hic ab ineunte ætate Canonicus Sancti Aredij, poſtmodum magnæ Religionis Monachus Sancti Martialis extitiſſe refertur.

CAP. XVIII. *De Domno Petro Abbate.*

Petrus tunc Abbas apud Sanctum Angelum defunctus ac tumulatus erat, quia de ipſo Cœnobio Rector exiterat. Supradicti Ordinis reformatio in tantum placuit etiam ſæcularibus viris, vt Geraldus Bernardi, filius Bernardi de Bré, anno Dominicæ Incarnationis MLXXXII. Sancto Petro medietatem de tota Vicaria Voſienſi ſponte tribueret. Nam aliam partem habent milites quidam de illo. Ipſe tamen Vicariam cum alio feuo habet de Abbate, pro quo debet ei facere hominium, & poſteri eius. Huius Geraldi Bernardi filius fuit Guido de Bré, qui genuit vnicam filiam Stephanam vxorem Oliuerij de Turribus, & Guidonis Flamenc filij Heliæ.

Defuncto Henrico Rege Francorum regnauit Philippus primus. Huius tempore duæ Epiſtolæ S. Martialis repertæ leguntur in ſacrario beati Petri, in tumulo cuiuſdam, vbi ſepultura Antiſtitum antiquitus fuit.

His diebus Ademarus Abbas Lemouicenſis venit apud Vſerchiam, rogatus à fratribus in capitulo interfuit, adduxitque tres magnæ honeſtatis Monachos, quorum nomina non debet delere obliuio. Primus Guillelmus cognomento Deua, qui Arnaco Præpoſitus, de Caleſio Prior, Abbas de Figiaco, non tam præfuiſſe quàm profuiſſe legitur; cuius anniuerſarij dies agitur v. Kalend. Septembris: ſecundus Alcius Prior Lemouicenſis, qui ſepultus eſt iuxta parietem S. Benedicti ad oſtium Thalami Abbatum. Tertius Geraldus, quem elegerunt ſtatim Vſercenſes in Abbatem, expleto vno anno poſt Conſtantinum. Hic Geraldus ampliauit propriam Eccleſiam præ cæteris in ſpiritualibus & temporalibus rebus.

CAP.

CAP. XIX. *Translatio S. Nicolai de Myræa ad Barienses.*

Anno Dominicæ Incarnationis MLXXX. Indictione VII. (corrige sis anno 1087. Indictione 10. ex Sigeberto aliisque) delatum est corpus prædicandi Præsulis Nicolai de Myræa ciuitate metropoli Lyciæ ad Barium in Apulia; quia verò Ioannes Barnie Archidiaconus Ecclesiæ Barensis de his latiùs scribit, ad alia succinctè redeamus. Perinde tamen apud Occidentales celebre nomen claruit Nicolai.

His diebus Guillermus Comes præliis multis lacessiuit Lemouicenses, pro qua oppressione Ecclesia S. Geraldi penitùs destructa narratur.

CAP. XX. *De sancto Geraldo.*

Dum enim conuersaretur idem vir Dei Geraldus in sæculo, tumulum S. Apostoli Martialis honorificè crebrò visitauit, ex cuius dono possessiones quasdam, & ipsius annulum Canonici sancti Stephani hactenùs habere noscuntur. Quâ de causâ, dum transiret per publicam stratam iuxta Podium cognomento de Grossas, iniuriam perpessus est à quibusdam militibus, quos cognominabant Ragimbertos, maledixit eis, ac deinceps progenies illorum patitur detrimentum. Hæc fama per successiones Vosiensibus patet, qui hoc improperant militibus eiusdem villæ, qui de ipsorum stirpe processisse feruntur.

CAP. XXI. *De Guidone de Larun.*

Defuncto Guidone Episcopo, tumulatum est corpus eius in Monasterio S. Stephani ante Altare perpetuæ Virginis Mariæ ab ipsis Canonicis, cùm in illa vrbe nullius cadauer defuncti iacuerit, tunc Geraldus Abbas S. Augustini, conuocato (aliàs conniuente) Comite Pictauense, corpus Pontificis ab Ecclesia sublatum infra paucos dies apud S. Augustinum magnâ cum frequentiâ diuersorum Ordinum recondit (recommendauit) vnus tamen de turba lapide iacto caput Sacerdotis mortui percussit, vnde sanguis non sine admiratione multorum exiuit.

Ordo Carthusiensium sanctissimus incepit hoc tempore, scilicet anno MLXXXVI. per Brunonem virum sanctum, natione Alemanũ de Colonia Agrippina, Magistrum in Theologia, cum sex aliis venerabilibus viris in diœcesi Gratianopolitanensi. Hic Ordo, teste B. Bernardo, inter omnes Ecclesiasticos Ordines primatum tenet, non ratione temporis, sed vigore sanctitatis: vnde ipse vocat eum speciosissimam columnam Ecclesiæ. Victor Papa dum esset Monachus Cassinensis, per somnium vidit Deum suæ dignationi in solitudine Carthusianæ habitaculum construentem, & dicitur quòd Spiritu prophetiæ pollebat.

CAP. XXII. *De tribus Monachis S. Martialis, qui remanserunt, quando Cluniacenses inuaserunt Monasterium.*

Quando Ademarus Abbatiæ principatum obtinuit, iste Geraldus ex Monachis sancti Martialis, vnus ex tribus maioribus erat: alter Guido Pauta, vnus ex militibus de Rupecauardi, & tertius Gaufredus de Molio, qui eidem Ademaro multas dicuntur parauisse iniurias, quandoquidem magis vocabant eum loci peruasorem, quàm prouisorem. Ante Geraldum fuit Abbas sancti Augustini Albertus successor illius Guidonis, qui construxit clocarium: post Geraldum fuit alter Guido Manzer ex Burgensibus Lemouicensibus, qui cognominabatur Bonaborsa. Hic cùm accusaretur apud Archiepiscopum, eò quòd esset de scorto natus, Metropolitanus fertur dixisse, Filius non portabit iniquitatem patris. Post hunc præfuit Stephanus, de cuius parentela exiuit Guillermus Ademari miles de Celon: hic reædificauit Monasterium de Charnix à fundamentis: huic successit Philippus Monachus Dolensis, qui viuus Abbatiam reliquit: deinde Petrus frater Iterij del Barri, militis castelli de Axia: hic Monachus sancti Martialis, ac postmodum Abbas, qui Cœnobia ambo nobiliter rexit, honestisque officinis decorauit: Petro successit Raimundus de Beinac, ex equestri genere de Petragorico, cuius tempore Monasterium constructum & con-

seruatum est. Obiit Geraldus Abbas Vosiensis 5. Kal. Ianuar. & sepultus est inter ostium Monasterij, & parietem Capituli in claustro. Huic successit Petrus: hic cum Renaldo successore suo apud sanctum Martialem diù conuersatus fuit, quorum alter Anesium, alter Multonem sub Abbatis Ademari imperio rexit. Temporibus istis guerra illa extitisse narratur, quæ fuit inter Bernardum, & nepotem illius Ebolum adolescentem. Verùm quia tantorum virorum gesta paucis verbis explicari non possunt, etiam genus illorum à temporibus Hugonis Regis, qui cognominatus est Capucius, patris Roberti Pij Regis, vsque ad præsentem annum succinctè replicabo. Ego siquidem Gaufredus ista dictaui anno Incarnationis Dominicæ M C L X X X I I I. Philippi, qui fuit filius Ludouici, tertio anno: quo videlicet anno guerra grauissima fuit in Lemouicino inter Henricum Anglorum Regem, & filium eius Henricum Iuniorem, qui tunc obiit in festo B. Barnabæ Apostoli. Ego quintum annum tunc Prioratus mei in Cœnobio Vosiensi expleueram.

CAP. XXIII. *Genus Combornensium & Turrennensium Vicecomitum.*

Tempore Othonis Romanorum Imperatoris Archambaldus Vicecomes Combornensis prœlia multa gessisse, Reginam de adulterio accusatam vsque ad fugam accusatorum agiliter defendisse narratur. Ipse Macellarius cognominatus est, quia sicut carnifex carnes securi in macello, sic iste truncabat ipse hostes in bello. Cum eo tunc erat Gulpherius ille de Turribus, qui cognominabatur Archambaldus: Hic dicitur acquisiuisse castrum de Torrena, quod erat * contoratum. In introitu portæ, dum viriliter pedem intromitteret, tanto impetu clausæ ambæ portæ feruntur, vt pede grauiter collisò pessimè claudicaret; ex tunc Archambaldus Chamba putrida cognominatus est. Hic de sorore Richardi Normanorum Ducis genuit Ebolum, cui Arbertus de Chanano iam Monachus de Vserchia concessit insipienter villam de de Bar, pro quadam correctione Capituli irritatus, quam olim Cœnobio Vsarcensi tribuerat. Ebolus genuit Archambaldum, cuius matre legitimâ adhuc viuente, non legitimè aliam duxit, de qua genuit Guillermum & Robertum. Cernens Archambaldus patrem diligere fratres plusquam se, vnum ex illis Robertum occidit. Quapropter pulsus à patre, profugus factus est; post dies multos occidit militem quemdam, qui olim in prœlio patrem plagâ insanabili vulnerauerat: quâ de re exhilaratus Ebolus, precibus multorum apud Tutelam cum filio pacem fecit, deditque Guillermo consensu Archambaldi Ebolus castrum de Torena. Alij dicunt Guillermum de legitimo procreatum coniugio, castrum de Torena præ cæteris à patre dono accepisse, & quibusdam ex causis partem de terra sua non iure amisisse. Guillermus genuit Bosonem, Boso genuit Raymundum, & Archambaldum de Ribeyrac, & Ebolum Abbatem Tutelensem, qui apud S. Martialem Lemouicas sepultus est. Raymundus, cuius nomen scribitur in denario monetæ publicæ, de Mathilde, quæ fuit soror Comitis de Pertico (del Perche) genuit Bosonem, qui occisus fuit à la Rocha S. Pauli. Boso de filia Bernardi de Anduza de Aleth (aliàs Daudura de Laleſt) quæ dicitur Eustorgia, genuit Raymundum: Iste multas possessiones acquisiuit, castrum de Brassac, de Vicecomite Guillermo comparauit; Principatum castelli Salagniacensis de Raymundo Comite Tolosano obtinuit, verumtamen lingua (fortè iniqua) ciuibus prœlia multa concitauit: hic de Helis filia Bernardi de Castelnau genuit Raymundum, qui vulneratus est in capite, & Bosonem, qui igne crematus est, dum haberent eum hostes obsidem.

CAP XXIV *De Ventadorensibus Vicecomitibus.*

Archambaldus, qui vindicauit patrem, & occidit fratrem, de Rotberga sorore Vicecomitis de Rupecauardi genuit Archambaldum, Ebolum, atq; Bernardum. Isti diuiserunt terram suam, 1. Archambaldus tenuit castrum de Comborno, Ebolus Ventadour: cæteras possessiones, castella, vel oppida, æquâ lance diuiserunt. Bernardo vnusquisque viginti quinque mansos dedit, id est, quinquaginta de communi, & Ecclesiam de Belmond, quæ tunc non erat munita. Ebolus de Ventadour de Almode sorore Aldiuni Borrel patris Roberti de Montrond genuit Ebolum, qui vsque ad senectam alacritatis carmina dilexit: hic de Agne filia Guillelmi de Montlusson,

(aliàs de Montelucio) Aruerniæ castro, genuit Ebolum. Idem cùm reuerteretur ab Ierosolymis, apud castrum Cassinum obiens tumulatur. Ipse ex filia Guillelmi de Montepistlerio, quæ vocatur Alaiz, genuit plures: primus Guillelmus, Abbas Tutellensis, equum dum ascenderet (committeret) adolescens corruens exspirauit: alter Ebolus, Cluniacensis Monachus, Decanus de Mauriac: item Bernardus Monachus & Abbas Tutellensis; Guido Canonicus de Magalona, Raymundus & Helias Canonici sancti Stephani Lemouicensis: Ebolus, qui ex baptismo Archambaldus; itemque alius Ebolus, qui fratrem aliquoties prœliis vexauit: Ebolus qui & Archambaldus, ex Sibylla filia Radulfi de Faya, qui fuit frater Guillelmi Vicecomitis de Castelleyrac (Castelleyal) genuit Ebolum: cui Ademarus Vicecomes Lemouicensis filiam suam Mariam desponsauit, sed sine hærede obiit. Pòst idem Ebolus de Maria sorore Raymundi de Torenna genuit Raymundum & Ebolum.

CAP. XXV. *De Vicecomitibus Combornensibus.*

Archambaldus, in cuius sorte deuenit Combornense castrum, frater Eboli atque Bernardi, genuit Ebolum, & obiens apud Vserchiam foras vitream sepulchri tumulatus est, præsente Geraldo & alio Geraldo Abbatibus: qui timens terram suam commendare Ebolo fratri suo, reliquit eam Bernardo, quem quidam asserunt pro Clerico deputatum, vt nutriret filium Ebolum, quousque puer militiæ cingulum ætate congruâ perciperet. Cúmque expeteret iuuenis hæreditatem paternam ab auunculo, opportuno tempore, expulsus ab illo est; & qui erat hæres, factus est exul: consensu tamen quorumdam, castrum de Comborno obtinuit, captáque patrui vxore, coram multis fœdauit, eâ intentione, vt eam Bernardus ob istiusmodi infamiam repudiaret, quod nequaquam fecit. Erat quippe filia magni viri de Corso, qui dictus est Hugo Garcini, idcircò ipsa vocabatur Garcilla. Post hæc Bernardus cum paucis venit prope castrum quasi insultans adolescenti. Egressus inconsultò persecutus est patruum nepos vsque ad locum, qui non procul est ab Ecclesia de sancto Martiale, quæ dicitur Estiual, in via quæ ducit de Alassiaco apud Vosias. Surrexerat enim à mensa iam temulentus Ebolus, erátque finis temporis Autumni. Quid multa? Iuuenis capitur, captus in eodem locò perimitur. Quidam dicunt quòd ipse Bernardus per inferiorem regionem iuuenem vulnerauerit: alij dicunt quòd Stephanus de Bosac miles quidam hoc patrauerit. Quisquis tamen hoc fecerit, consensu auunculi legitimus hæres iniustè perimitur. Huic Bernardo dici potest: Occidisti insuper & possedisti. In hora verò mortis suæ Ebolus ingemuit, Domini clementiam implorauit, capillos capitis abrumpens in altum projecit, quasi gagium pro delictis Domino reddens. Hunc defunctorum more abluit Stephanus Blaudrix, sicut mihi enarrauit filius eius Stephanus Blaudrix, Prior Tutellensis. In loco autem vbi occisus fuit, oblationes multas detulit frequentia populorum per dies aliquot; Ebolus tandem Tutellæ defertur.

Bernardus igitur de Garcilla genuit Archambaldum, qui barbam longam vsque ad senectutem ferebat: hic Tutellæ cum filia sua Helia conditus est. Archambaldus de filia Ademari Vicecomitis Lemouicensis, qui Cluniaco Monachus obiit, quæ ex baptismo Humberga, vulgò Brunicenda nominatur, genuit plures: vnus tamen omnium Vicecomes Lemouicis fuit, is est Ademarus; alter Combornensis, is est Archambaldus: hic de Iordana filia Bosonis Petragoricensis Comitis genuit Heliam, Archambaldum, & Petrum Assaillit Clericum: Helias accepit filiam Raymundi Vicecomitis de Torenna, qui cognominatur Contors: hæc Petro Matthæi quondam Abbate Vsercensi narrante percepi, qui ab ipsius Eboli Contoris ore hæc se audiuisse fatetur. Nunc ad proposita redeamus.

CAP. XXVI. *De Humbaldo Episcopo; qui ab Vrbano Papa II. fuit depositus.*

Guidoni in Pontificatu successit Humbaldus: consurrexit tamen contra illum Ademarus Abbas sancti Martialis, eò quòd non esset vocatus ad faciendam electionem, sicut antiquitùs fieri solet: qui Abbas Papam expetiit Vrbanum, qui decreuit non absque Abbatis voluntate Humbaldum esse Pontificem declarandum. Reuer-

ſus Abbas populo Lemouicenſi in quadam ſolemni proceſſione publicè dixit: Si ego Humbaldum ſuſcepero, ſanguinis omnium ciuium noſtrorum, qui in hac charta ſcripti ſunt, reum me noueritis. Iſta dicendo chartam oſtendit. In electione nempè Pontificis Abbas diſceptauerat cum Canonicis. Idcircò Burgenſes de caſtro egreſſi, contra ciues vrbis prœlium commiſerunt. Inde guerra orta eſt inter illos, vnde multi gladio corruerunt. Cùm adiiſſet Papam Epiſcopus, reperit Abbatem iuxta Domnum Vrbanum, quem Lemouicæ dimiſerat, dum arriperet iter. Tunc ſtupenti Pontifici Abbas reſpondit, Puluerem qui cecidit ſuper cappam iſtam in electione tua Lemouicæ, veni excutere Romæ. Regreſſo Abbate, Præſul remanſit, obtinere tamen nequaquam valuit litteras, niſi deprecatorias, quatenus ſi Abbatem haberet propitium, in ſuum ſolemniter reciperetur Pontificium. Quid plura? Humbaldus in itinere Apoſtolicos apices falſauit per conſilium Heliæ de Gimel Archidiaconi, machinamento Matthæi Vitalis, qui erat tunc Aurifex Lemouicis. Videns itaque Abbas Apoſtolica priuilegia, incredibiliter admiratus eſt ſummum Sacerdotem ſubitò ſuam peruertiſſe ſententiam. Suſcepit tamen Præſulem publicâ & ſolemni proceſſione, ſicut in litteris continebatur, quas litteras diligenter ſeruauit. Populus verò hoc moleſtè tulit, & niſi conſideret de dilectione ac prudentia Abbatis, continuò ſuper ſuſcipientem & ſuſceptum irruerent. Poſtquam Dominus Papa venit in Gallias, reprehendit Abbatem, quòd abſque illius nutu Pontificem receperit: qui continuò oſtendit ei litteras à Pontifice ſibi traditas, vnde Apoſtolicus pluſquam credi poteſt obſtupeſcens, rei veritate compertâ, huius ſceleris miniſtros anathemate iuſto percuſſit; lege quoque perpetuâ inhibuit, ne aliquis qui nomine Heliæ de Gimel cenſeretur, vllum honorem in vrbe Lemouicenſi obtineret. De Pontificis verò expulſione non multò pòſt tractabitur; interim alia tractabuntur.

CAP. XXVII. *De morbo ignis ſubcutanei, qui plebem Aquitanicam atrociſſimè torquebat.*

Anno Domini MXCIIII. iterata lues ſubcutanei ignis plebem Aquitanicam atrociſſimè torrebat. Hi quantocyùs ad Patronum proprium confugientes, auxilium de Sancto accipere meruerunt. De toto nempè Lemouicino ad ſanctiſſimum Martialem delata ſunt ſancta Sanctorum corpora, confluentibus vndique populorum ac principum turmis. Tunc Dominus Omnipotens beatum Pardulphum præclaris decorauit miraculis, cuius corpus illic de Arnaco, maximo cum honore fuerat deportatum. Huius Sancti reliquias honeſtè proſecutus eſt Girbertus, eiuſdem Cœnobij Præpoſitus, qui oblationum quæ Sancto offerebantur, munificus extitit largitor. Hic creditam ſibi domum in theſauris Eccleſiaſticis, congruis ædificiis, terrarúmque redditibus augmentare curauit. Facta eſt hęc tranſlatio Sanctorum circa feſtiuitatem Natiuitatis perpetuæ Virginis Mariæ, anno quo ſuprà. Præerat eo tempore Monaſterio S. Martialis Ademarus, vir magni nominis, cuius conſilio, vnâ tamen authoritate Humbaldi Pontificis, quæ ſuprà relata ſunt, gerebantur. His diebus repertum eſt genus pyri agreſtis à ruſtico in agro, cuius fructus vulgò cognominantur, *Poires d'angoiſſe*. Vicus eius ſic vocitatur, & eſt in Lemouicino non longè à Monaſterio S. Aredij, quod dicitur Atanum. *Quæ ſequuntur vſque ad Aſteriſcos in codice Iuſtelli, habentur ad calcem dumtaxat Chronici huius, velut ab aliquopiam auctore deprompta: Nos Bouchetij, noſtrumque exemplaria ſequuti, huic loco narrationem ſequentem inſeruimus.*

Anno Domini MXCV. Vrbanus Papa in Gallias veniens per Burgundiam & Franciam, habitis Conciliis, Gregorij Papæ decreta renouat, & confirmat. Philippum Regem Franciæ, qui viuente vxore alteram induxerat alterius viuentis vxorem excommunicat. Hic Papa Claromonte in Aruernia Concilium celebrat menſe Nouembris hoc anno ſequenti, in quo ſtatutũ eſt vt Horæ B. Mariæ quotidiè dicantur, Officiumque eius diebus Sabbati fiat. Ex quo mos in quibuſdam Eccleſiis inoleuit, facere nouem Lectiones cum nouem Reſponſoriis, & aliis neceſſariis, niſi in Quadrageſima, vel niſi adſit feſtum duplex, vel quòd habeat Lectiones & Reſponſoria propria, vel in Vigiliis Paſchæ, Pentecoſtes, omnium Sanctorum, Natiuitatis, Epiphaniæ, & Vigiliis Apoſtolorum habentium ieiunium, & feriis quatuor Tempo-

rum, exceptis in Aduentu Domini, quia in feria 4. legitur, *Missus est*, & feriâ sextâ, *Exurgens Maria*, & Sabbato, quia omnia sunt de Virgine Maria; & ideò plures faciunt illis tribus diebus de Virgine Maria sex Lectiones, & Homilias de feria, quod eiusdem B. Mariæ est. Alij faciunt Officium feriale cum Nocturno. Sed fac vt voluoris. Sed primùm credo meliùs faciendum argumento illius Constitutionis Vrbani Papæ in Concilio Claromontensi. Item in eodem Concilio exponitur miseria ciuitatis Ierusalem, Christi dedecus nunciatur, narratur opprobrium, consilium postulatur. Exinde venit Lemouicas, ibi dedicauit sancti Stephani Ecclesiam, & beati Martini Monasterium: ibi etiam induxit, & exhortabatur de Ierosolymitano itinere. Quâ monitione & exhortatione anno MXCVI Occidentalis populi innumerabilis multitudo, Turcósque ex magna parte Christianorum tyrannos audiens inuasisse, Duces, Comites, Episcopi, Clerici, & Religiosi, Principes & Barones, senes, iuuenes, liberi, serui, & puellæ, vnáque inspiratione communi ab Hispania, Prouincia, ab Aquitania, Britannia, ab Anglia, Scotia, Normandia, Apulia, & aliis terris & regnis vndique concurrunt armati fide & virtute, & signo sanctæ Crucis signati. Et primò Iudæos in vrbibus, in quibus erant ingressi, ad credendum compellunt; nolentes ab vrbibus eliminant, trucidant, bonis temporalibus priuant, quorum quidam se perimunt, alij ad tempus se credere simulantes, ad Iudaïsmum posteà relabuntur. Eminebat enim in hoc exercitu Podiensis Episcopus, Dux Lotharingiæ Godofredus, Eustachius & Balduinus fratres ipsius, Robertus quoque Comes Flandrensis, Comes Metensis, Hugo Magnus frater Regis Franciæ, Comes Blesensis, Comes sancti Egidij & Tholosæ, Dux Apuliæ, Comes Normanniæ, Anselmus de Ribodimonte, Raymundus de Torenna Lemouicensis diœcesis, Gulpherius de Turribus eiusdem diœcesis, vir memoriâ dignus: qui cùm crebros concursus exerceret in hostes, & multa damna de die in diem inferret, accidit vnâ die quòd rugitum cuiusdam leonis à serpente circumligati audiuit, & audacter accedens, eonem liberat. Qui, quod admirabile dictu est, memor accepti beneficij eum sequitur, sicut vnus leporarius, qui quandiu fuit in terra illa, nunquam recedens multa commoda illi tulit, tam in venationibus, quàm in bellis: dabat carnes venaticas abundanter, & aduersarium domini sui cursu velocissimo prosternebat; & dum rediret leo, ipsum dimittere noluit, sed nautis ipsum in naui recipere nolentibus, vtpote animal crudele, secutus est dominum natando, donec labore quieuit anno MXCVII. (fortè MCVII.) ***.

Tempore quo diuinæ placuit pietati liberare sanctam ciuitatem Ierusalem à Turcorum tyrannide, imperabat Græcis Alexius, Romanis II. (imò III.) Henricus, Hispanis Hildefonsus frater Sancij, Francis Philippus filius Henrici, Anglis Guillermus filius magni Triumphatoris Guillermi, Apostolicam verò sedem gubernabat vir prædicandus, qui antè dictus est Odo, Monachus Cluniacensis, qui posteà factus est Episcopus Hostiensis, postmodùm in summum Sacerdotem assumptus, dictus est Vrbanus secundus. Hic publicæ prædicationis causâ Gallicas petiit oras, prouocans populos Occidentis, vt ferrent auxilium filiis Orientis: Assumptionem sanctæ Mariæ Anicio peregit, Monasterium sancti Roberti de casa Dei in honore sanctorum Agricolæ & Vitalis, quorum reliquias ibidem quondam Renco Episcopus Aruernensis collocauerat, decimoquinto Kalendas Septembris consecrauit. In festo sancti Thomæ Vsserchiæ hospitatus est: decimo Kalendas Ianuarij Lemouicas deuenit, Missam de Galli-cantu Dominicæ Natiuitatis in Ecclesia Puellarum sanctæ Mariæ, quæ dicitur ad Regulam, decantauit: Missam de luce in Basilica Regali apud sanctum Martialem celebrauit. Inde triumphaliter coronatus, ad sedem Apostolicam Episcopalem rediit, vbi reliqua solemnitatis officia peregit. Altera die, quæ est post festum Innocentium, Cathedralem Ecclesiam in honore Protomartyris Stephani dedicauit, sequenti die quieuit. Pridiè Kalendas Ianuarij Basilicam Regalem in honorem Saluatoris mundi consecrauit, eiusque antiquam libertatem, nobilémque prærogatiuam nouis priuilegiis roborauit. Huic dedicationi, quæ peracta est anno Dominicæ Incarnationis MXCV. interfuerunt plures Episcopi, quorum nomina silentio non sunt tegenda: Hugo Lugdunensis, Audebertus Bituricensis, Amatus Burdegalensis, Robertus (aliàs Dagbertus) Pisensis, Rangerius Regiensis. Hi omnes Archiepiscopi: primus Bruno Signiensis, Petrus Pictauiensis, Ar-

nulphus cognomine de Berbezillo, Sanctonenſis; Raynaldus Petragoricenſis, Raymundus Ruthenenſis, Humbaldus Lemouicenſis: iſti omnes Epiſcopi. Hi poſtquam Romanus Pontifex aquam benedixerat, circa Baſilicam more Eccleſiaſtico aſpergebant. Dominus Papa propriis manibus venerandum Altare conſecrauit, Miſſamque ſuper illud ſolemniter celebrauit. Inde ad benedicendos populos in publicum proceſſit, quorum tanta erat illic multitudo, vt in circuitu ciuitatis citra vnum milliarium nonniſi capita hominum viderentur; oblationum verò tanta copia fluxit, vt arca ſepulchri Apoſtolici, quæ vulgò Gauteau appellabatur, præter alias plena redundaret.

Ex Tabulario Lemouicenſi Embolum pag. 409, Hiſtoriæ Comitum Pictauenſium Ioannis Beſlij.

Anno ab Incarnatione D. N. I. C. 1095. Indictione tertiâ, temporibus Philippi Regis Francorum, Vuillelmi Ducis Aquitanorum, Vmbaudi quoque Lemouicenſis Epiſcopi, & Domni Ademari Abbatis Monaſterij S. Martialis, factus eſt Conuentus permaximus in ciuitate Lemouicenſi, diuerſi ordinis, vtriuſque ſexus & ætatis. Huic nobili & præcipuo Conuentui præfuit Dominus Vrbanus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Apoſtolicus, cum Archiepiſcopis & Epiſcopis, Abbatibúſque ſecum comitantibus, qui eo tempore de partibus Italiæ in Galliam aduenerat pro diuerſis Eccleſiæ Dei vtilitatibus, rectæque fidei ſtatu, maximiſq; negotiis Chriſtianæ Religionis. Præcipua tamen aduentus illius cauſa extitit, quia Eccleſia Chriſti, genſq; Chriſtiana in partibus Orientis à perfida Saracenorum natione peruaſa, nimiúmque afflicta, ſub graui perſecutione manebat. Vnde venerabilis Papa per ſemetipſum Gallias adiit, vt Gallorum gentem armis belliſque exercitatam, precibus & monitis prouocaret, quatenus ſanctæ Dei Eccleſiæ libertatem defenderet, populúmque Chriſtianum à iugo nefandæ gentis liberaret, & pro amore charitatis, peccatorúmque ſuorum remiſſione expeditionem maximâ manu confertam, ad Orientis partes moueret, quo nefandam gentem ab hæreditate Chriſti repelleret. Cùm ergo huius rei gratiâ Gallias perluſtraret menſe Decembri, decimo Kalendas Ianuarij, venit in hanc ciuitatem Lemouicenſem, adfuerúntque cum eo præcellentiſſimi ac religioſiſſimi viri Archiepiſcopi & Epiſcopi plurimi, quorum iſta ſunt nomina: Domnus Vgo Archiepiſcopus Lugdunenſis, Domnus Audebertus Archiepiſcopus Bituricenſis, Domnus Amatus Archiepiſcopus Burdegalenſis, Domnus Dagbertus Archiepiſcopus Piſenſis, Domnus Rangerius Archiepiſcopus Piſenſis (Regienſis) Bruno quoque Epiſcopus Signienſis: Præſul quoque Pictauienſis Petrus; Præſul quoque Santonenſis Ranulfus; Præſul quoque Petragoricenſis, Præſul quoque Rotenenſis Raymundus, Humbaudus Epiſcopus Lemouicenſis: hi omnes cum eo Chriſti Domini Natiuitatem celebrauerunt, & ipſo die Natiuitatis diluculò, cum omnibus illis aſcendit ad Eccleſiam Domini Martialis, & ſuper Altare ſancti Saluatoris Miſſam de Luce cantauit, & poſt ſermonem habitum ad populum, coronatus ad ſedem ſancti Stephani rediit. Die verò ſextâ Natiuitatis, quæ fuit Dominica iterùm ad Monaſterium ſancti Martialis venit, ibique diebus octo permanens cum præfatis Archiepiſcopis & Epiſcopis Baſilicam Regalem, quam diuæ memoriæ Ludouicus Imperator, filius Caroli Magni, à fundamentis conſtruxerat, ſed poſtea tam conflagratione ignis, quàm variis caſibus conquaſſata, & à Domno Ademaro Abbate tunc iſtius loci interiùs exteriúſque ad plenum reformata, & ornata, Apoſtolicâ auctoritate ſolemniter dedicauit ſecundo Kalendas Ianuarij; & ipſe quidem aquam benedixit: Archiepiſcopi verò interiùs exteriúſque Baſilicam cum ipſa aqua perluſtrauerunt: deinde ipſe Domnus Papa propriis manibus Altare Domini Saluatoris aquâ benedictâ lauit, chriſmate & oleo ſancto perunxit, pignora ſanctorum ibi repoſuit, & mox in ipſo Altari Miſſam cantauit, innumerâ populi multitudine adſtante, & in perpetuo diem illum ſolemnem & celebrem Dedicationis agi conſtituit.

Digitized by Google

CAP. XXVIII.

Depositio Humbaldi Episcopi Lemouicensis anno MXCV.

Tunc Lemouicensis Pontifex Humbaldus ab aduersariis accusatur, accusatus conuincitur, & apud sanctum Martialem in conspectu Ademari Abbatis, quo contradicente electus fuerat, à Domino Papa publicè deponitur: qui Humbaldus apud sanctam Seueram secessit, ibique inter laïcos laïcaliter multo tempore vixit; erat quippe frater dominorum eiusdem castri, quod est in Biturico.

Dum ista peraguntur, Geraldus Abbas Vzercensis, peractis in capella sua Missarum solemniis, ipsâ die Natalis Domini, pro quibusdam Ecclesiæ suæ negotiis, Lemouicas deuenit, deciditque in lecto ægritudinis causâ, & in festo sancti Mauri apud sanctum Martialem, cuius quondam Monachus extiterat, spiritum exhalauit Sepultus verò est ab Abbate & Monachis in Sacrario beati Petri, iuxta ostium, ad dextram intrantibus claustrum. Hic viginti octo annis Abbatiam propriam optimè rexit, cui successit Gaubertus, cognomento Malafaida, sancti Martialis, & Monasterij Vosiensis Monachus ac Sacrista, oriundus ex genere militum de Vico sancti Vincentiani, qui est prope Viseram fluuium. Iste Abbatiam sibi commissam per annos duodecim meliorare curauit.

Igitur deposito Humbaldo, Guillermus Prior Monasterij sancti Martialis Pontifex efficitur, sed non statim. Ipse fuit frater nobilium virorum de Vreec, quod est castrum in Biturico. Hic consecrauit Monasterium de Vserchia in honore Principis Apostolorum, vndecimo Kalendas Februarij: vna cum Arnaldo Episcopo Petragoricensi, tempore supradicti Gauberti Abbatis, anno Dominicæ Incarnationis millesimo nongentesimo septimo. Altare verò maius consecratum fuerat olim ab Hugone Lugdunensi Archiepiscopo, & Guidone Lemouicensi Episcopo: nunc verò mundatum & expiatum est à præfatis Præsulibus, & alia quædam Altaria consecrata.

Eodem sub tempore Episcopus Guillermus corporali possessione inuestiuit Vosiensem Ecclesiam, & Petrum Abbatem eiusdem Cœnobij de Capella de Bré, sicut olim concesserat Firminus de Bré, eiusque posteri. Cúmque idem Præsul zelo Dei tactus, prauorum moribus contrairet, infra tertium sacerdotij annum ab iisdem veneno petitur per manus cuiusdam Martini, qui erat de vrbe Lemouica, qui cognominabatur Christianus, qui in hoc facto extitit paganus, imò peior quàm paganus. Cúmque grauari se Pontifex cerneret, Abbatem quamquam tardè expetiit, qui tali peste laborantibus subuenire solitus fuerat, etsi ad eum accessissent antequam membra sopori dedissent. Quid memorem cuncta? Sole ruente Præsul obiuit. Tunc Abbas nuntium dirigit in ciuitate, qui diceret Episcopum sanum factum Pontificalia velle ornamenta, quibus acceptis, lugubri pulsatione signorum mors Pontificis declaratur. Magnanimus tamen Abbas nos cupiditatis causâ hoc peregisse perpenditur, vt res acta ad ignominiam inimicorum veritatis notior haberetur. Corpus igitur Præsulis honore condigno in Basilica Saluatoris mundi tumulatur ante Altare sancti Austricliniani quasi passibus octo: iuxta cuius tumbam Altaria duo, vnum in honore sancti Iacobi, aliud in honore sancti Vincentij Leuitæ & Martyris constructa & consecrata sunt. Paulò ante tempus illud, memoratus Papa Vrbanus inuestiuit solemniter Ecclesiam sancti Martialis, & Abbatem ipsius Ademarum, de Ecclesia sancti Petri Montandrensis, & de Ecclesiis de Saliomo cum pertinentiis suis, vbi requiescit corpus sancti Martini Abbatis, illius terræ quondam principis. Huius vita apud nos pleniter non habetur, quia in inuasione Normannica substracta dicitur. Hinc perpendi potest quantùm Ecclesiæ conferat, qui Sanctorum gesta describere studet: Si enim Sancti huiusce acta in pluribus Ecclesiis scripta haberentur, tantum detrimentum Cœnobium illius in amissione possessionum non pateretur.

Digitized by Google

Cap. XXIX. *De Petro Burdegalenſi, Lemouicenſi Epiſcopo.*

Defuncto Guillermo, ſuſcepit Sacerdotium Petrus Burdegalenſis. Hic litteris quidem valdè eruditus fuit, verumtamen immoderata ingluuies nimiam edacitatem ciborum ei ſuggerebat, infirmitate naturæ cogente. Iſte dedit Monaſterio Voſienſi Capellam de Combornio, & confirmauit donum de Capella de Bré, quam anteceſſor ſuus Guillermus Epiſcopus eidem Monaſterio dederat. Dedicauit præterea Monaſterium de Arnaco decimo quinto Kalendas Decembris, in honorem ſanctæ Trinitatis, ſanctique Pardulphi, cuius corpus illic honeſtè quieſcit: In quo Monaſterio Pontifex linteum ſubtiliſſimo opere decoratum cernens concupiuit, petiit, & accepit. Poſt hæc Pontificatum derelinquens, ſeſe ex toto Cathedræ ſubtraxit. Nondum Pontifices ſubjectas Eccleſias procurationis causâ grauabant, nondum illas tantis exactionibus opprimebant: feudalia quoque ſeruientes de promptuario vel menſa Pontificis quaſi pro legitimo beneficio multa ſibi vendicabant. Guerra quoque permaxima per Lemouicinum tunc temporis fuit, quibus ex cauſis viduam vrbem irritatus paſtor reliquit: quo recedente, res in pendulo (aliàs periculo) remanſit. Sacerdotij vices exercente Guillermo de Charbonieyras ferè per biennium, qui tamen numquam ad ſacerdotium peruenit.

Cap. XXX. *Liberatio vrbis Ieruſalem.*

Generali præcepto exercitus Domini prompto animo, manu armatâ aſcendit Ieroſolymam. Capta itaque, imò, vt veriùs fatear, liberata eſt terra ſancta de poteſtate Turcarum feriâ 6. horâ tertiâ, Idus Iulij, ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo nono, cuius exercitus bella vel magnifica geſta Baldricus Burgulienſis Abbas, & alij quidam luculento ac veraci ſtylo deſcripſerunt. Nos ſuccinctè ad alia tendimus. Gregorius, cognomento Bechada de Caſtro de Turribus, profeſſione miles, ſubtiliſſimi ingenij vir, aliquantulùm imbutus litteris, horum geſta prælliorum materna, vt ita dixerim, linguâ rythmo vulgari, vt populus pleniter intelligeret, ingens volumen decenter compoſuit, & vt vera & faceta verba proferret, duodecim annorum ſpatio ſuper hoc opus operam dedit. Ne verò vileſceret propter verbum vulgare, non ſine præcepto Epiſcopi Euſtorgij, & conſilio Gauberti Normanni hoc opus aggreſſus eſt. Supradicti caſtri Princeps fuit Gulpherius ille de Turribus, qui in ſupraſcripto bello, & maximè apud Marram vrbem, magnum ſibi nomen in præclaris facinoribus acquiſiuit. Requirenti quot annis libera ſeruiuit, breuiter reſpondebo: Tradita eſt ciuitas terrena Regi magni filiis alienis ad conculcandam eam, tertio Kalendas Octobris Dominicæ Incarn. milleſimo decimo anno regni Roberti filij Hugonis XXI. Deoque miſerante reddita eſt filiis adoptionis Incarnationis eiuſdem, anno milleſimo nonageſimo nono, tempore Philippi filij Henrici filij ſupradicti Roberti Regis: pars exercitus cum Rege Godofredo remanſit Ieroſolymis, cæteri natiuum expetunt ſolum, qui per Romam tranſeuntes, Paſchalem Papam inuenerunt, à quo largam benedictionem accipere meruerunt, Vrbano ſecundo iam defuncto.

Cap. XXXI. *De Ordinibus.*

Charitate priorum frigeſcente Cœnobitarum, exorti ſunt illo tempore diuerſorum dogmatum ſectatores, ſcilicet Templarij, Hoſpitalarij, Grandimontenſes, Carthuſienſes, Ciſtercienſes, Xenodochia pauperum, Conuentus ſanctimonialium, Coadunationes leproſorum, & quorumdam nouorum congregatio Canonicorum. Per Eccleſias quoque, caſtella, vel oppida, ſemel in anno publicè pauperibus dari eleemoſynam Deo propitio mos inoleuit. Item per multas Eccleſias inſtitutum eſt decantari matutinas, ac veſpertinas laudes, cum reliquis officiis horarum de intemerata Virgine Maria, de quibuſdam etiam aliis Sanctis; quidam primùm & publicè facere eadem conſueuerunt, ſicut de beata Valeria, ac ſancto Martiale, & alij

de

de aliis, quamuis ex toto priuatim ſicuti quoſdam agere nouimus qui de dulciſſimo patre Pardulfo.

MCI. Dominicæ Incarnationis anno Ademarus de S Riberio Terraſſonenſis Abbas, qui duobus Geraldis de Mauſaco & de Courtallié Abbatibus ſucceſſerat, ſponte ſe ordinationémque ſui Monaſterij Ademaro Abbati S. Martialis eiúſque ſucceſſoribus tradidit, vt errata corrigeret, Priorem, Sacriſtam, Cellerarium, Magiſtrum Scholæ, ex Monachis S. Martialis ſemper haberent. Acta ſunt hæc, Raimundo de Turenna Vicecomite laudante. Quod vt Monachi irritum poſt mortem Bernardi, cognomine Vicarij, fecerunt, omni bono caruerunt, nempe anteà bonis omnibus affluebant.

CAP. XXXII. *De Duce Aquitanorum, & obitu Regis Hieroſolymorum.*

Dux Aquitanorum Guillelmus cum multis aliis Hieroſolymam perrexit: verumtamen nomini Chriſtiano nihil contulit: erat nempe vehemens amator fœminarum, ideirco in operibus ſuis inconſtans exſtitit. Tunc trucidatus eſt exercitus eius à Sarracenis vna cum Radulpho venerabili Pontifice Petragoricenſi, Rex interea Godofredus de Boillon vitam finiens ſceptrum fratri tradidit Balduino: huius (immò Balduini de Burgo dicti) filiam vnicam Fulco Andegauenſis, Pater Gaufredi Martelli Comitis, Patris Henrici Regis Anglorum, ſortitus eſt vxorem, de quâ ſuſcepit Balduinum Regem, ſuper quem capta eſt Aſcalonia, & Amalricum Comitem de Iaffa, qui Amalricus Balduino ſine liberis defuncto ſucceſſit. Poſt hunc filius eius cùm regnare cœpiſſet, leproſus effectus eſt. Iuo interim Cluniacenſis Prior vir Scholaſticus Lemouicas deueniens à Monachis Sancti Martialis obnixè rogatus vitam ſancti Pardulphi, quæ veraci fide quidem, ſed inculto ſtylo conſcripta erat, luculenter exarare ſtuduit: Hymnúmque de eodem piiſſimo Confeſſore compoſuit, ita incipiens: *Fideles cunĉti gaudeant, &c.* Alium nihilominus de Sancto Martiale dictauit inquiens: *Martiali Apoſtolico Aquitanorum domino*, & reliqua. Hunc Monachi Cambonenſes contempſerunt, quia de Valeria ibi tacebatur, quibus ipſe tunc hunc verſum remiſit. *Per hunc Virgo Valeria*, & ita libenter Hymnus ab iis receptus eſt, tunc & duos: *Iucundis pangere mentibus* & *feſtiua lux* dictauerunt, Petrus cognomento Petit, & Geraldus de Villaceſes Monachi Sancti Martialis. Iſte fuit Præpoſitus ſancti Valerici, poſtea Abbas ſancti Auguſtini: hic fecerat XII. Reſponſoria de Sancto Martiale, quorum primum eſt, *Læta dies nobis*, quæ apud nos non ſolùm habentur, ſed etiam canuntur. Maiora tamen reſponſoria maioribus feſtiuitatibus non omittuntur. Hic maximas inimicitias exercuit cum Ademaro Abbate. Verumtamen in fine dierum ſuorum leproſus efficitur. Sepultus tamen eſt intra Monaſterium S. Auguſtini.

CAP. XXXIII. *De Bohamundo Principe Antiochiæ.*

Bohamundus illo in tempore Antiochiæ princeps, filius Roberti Guiſcardi, à quodam Satrapâ Sarracenorum, nomine Daniſmanno captus, Deo fauente liberatus eſt. Galliam petens Sancto Martiali gratias egit, Sanctóque Leonardo pro ereptione ſuâ compedes argenteas detulit. Sed quia hoc miraculum Pontifex Galtandus plenius deſcripſit, nos ad texendam hiſtoriam ſuccinctè accingamur. Huius Bohemundi filiam, licet poſt dies multos, duxit Raimundus frater illius Guillermi Ducis Aquitanorum, qui apud Sanctum Iacobum obiit, quæ genuit Raimundum Principem, qui Raimundus accepit vxorem neptem Emanuelis Imperatoris Græcorum, cuius Raimundi ſororem idem Imperator accepit vxorem, quæ Græco ſermone Xenes nominatur, de iſta ortus eſt Alexius Imperator, qui accepit Agnetem filiam Ludouici Regis Francorum, ſororem Philippi Adeodati.

Digitized by Google

Cap. XXXIV. *De Abbatibus Cluniacenſibus.*

Hugo Abbas Dominicæ Incarnationis MCIX. anno ab ordinatione ſua ſexageſimo III. Kalend. Maij, temporaliter viuere deſinit. Iſte ſolus ex numero Sanctorum quatuor Abbatum Cluniaco tumulatur. Odo nempe Turonos, Maiolus & Odilo Siluiniacum propriis ſuis corporibus decorant. Huic ſuccedit alius Hugo pauciſſimis diebus. Deinde Poncius vir clariſſimus, qui pridem exſtiterat Prior Monaſterij S. Martialis.

Cap. XXXV. *De Abbatibus Vſercenſibus.*

Gaubertus Vſercenſis paulò pòſt causâ concordiarum Ducis & Præſulis qui inuicem diſſidebant, Lemouicas veniens IV. Kalend. Octobris obiit, & infra Baſilicam regalem Saluatoris mundi non longè à tumulo Guillermi Pontificis, non ignobili traditur ſepultura. Huius nepos exſtitit Stephanus ille Monachus, cognomento Malafaida, quem cœcum à natiuitate perpetua Virgo Maria in Monaſterio de Souillac corporaliter, ſimúlque mirabiliter illuminauit. Huic ſucceſſit Petrus cognomento Rechada de Turribus per annos quinque. Petrus præterea, cognomento Alboinus, de caſtro Malomortenſi ex equeſtri proſapiâ ortus, ab ordinatione ſua anno XXII. ſeptimo Idus Septembris diem clauſit extremum. Sepultus verò eſt intra Monaſterium ſuum non procul ab altari ſanctæ Mariæ. Hic multa bona Eccleſiæ ſuæ contulit; inſuper concham marmoream fontis de vico, qui dicitur Mæſia, magno labore pertraxit. Hunc inuiſere veniens Ademarus Abbas cognouit morituum, & ſeceſſit Arnaco, donec ad obitum illius rediens exequias ſolemniter expleret. Diligebat illum valdè, quia perneceſſarius illi fuerat in multis negotiis, maximè in placito, quem habuit de Salinis. Interim eo preſente à toto Conuentu eligitur in Abbatem Raimaldus de Roſiniaco, qui erat ſacriſta de Sancto Germano, qui dicitur Las Vergnas. Hic dicitur Monachus profeſſus Sancti Martialis, ſicut anteceſſor ſuus Petrus: Quo electo Ademarus Abbas fertur dixiſſe. Bonus, ſed ſenex, erat quippe iam veteranus. Ademarus itaque ab Incarnatione Domini MCXIIII. ab ordinatione ſua quinquageſimo, menſe nono hora noctis Sancti Mauricij qua reſponſum cantabatur *Deus Innocentiæ* percuſſa eſt tabula pro illius exitu. Corpus poſitum eſt à parte Aquilonis, loco quo pueri ſedent in Capitulo. Huius tempore Eccleſia S. Martialis in ædificiis, ornamentis, terrarúmque redditibus, & quod pluris eſt religione honeſta floruit.

Cap. XXXVI. *De Epiſtolis B. Martialis.*

Philippus eâ tempeſtate, ſub qua duæ Epiſtolæ S. Martialis repertæ leguntur, regnum tradidit filio Ludouico, qui Ludouicus fortiſſimus bellator exſtitit. Verumtamen corpus eius deformis anima plus æquo parauit (farciuit) hic adeò ſtrenuè regnum gubernauit, vt à multis non dormiens cognominaretur. Ipſe comparauit vrbem Bituricam de Bartolomeo illo, qui dictus eſt Arpinus. (*Errat conſtat enim veterum monumentorum fide dictum fuiſſe Odonem & à Philippo non à Ludouico comparatam Bituricenſem vrbem.*)

Cap. XXXVII. *De Vicecomitibus Ademaro & Guidone filio.*

Guido, filius Ademari Vicecomitis de ſorore Sectoris-ferri Comitis Engoliſmenſis, ob deformitatem & nigredinem corporis à pleriſque Graul, ſeu Graula cognominabatur, largitas tamen, armorúmque ſtrenuitas fauorem ciuium ſimul & externorum ei comparauit. Maria de Carrio nouerca ipſius cùm hoc grauiter ferret, ſemel & iterum eum veneno petiit volens taliter hæreditatem filio Heliæ vindicare, qui tamen Helias non multò pòſt iuſtò Dei iudiciò ſub corpore S. Aredij, vita carens abſque liberis Lemouicæ tumulatur. Guido viuente Abbate Ademaro, dato ſibi antidoto ab eo bis mortem euaſit, mortuo Abbate, tertiò menſe, veneno interiit &

cum incredibili luctu omnium Lemouicæ delatus cum maioribus suis conditus est.

CAP. XVIII. *De Petro de Petra Bufferia.*

Petrus de Petra-Bufferia per dies solemnes Dominicæ Natiuitatis peregrinus à S. Carrofo rediens à fautoribus Ademari Vicecomitis fustibus grauiter maceratur, per flumen quoddam nudus traiicitur, Solemniaco captus ducitur, ibique præsente Mauricio Abbate in magna amaritudine spiritum exhalauit. Erat tunc Prior S. Martialis Hugo Damiani, qui religionis titulo cathedram Metropolitanæ Rothomagensis Ecclesiæ postmodum perornauit. Bernardus Prior Cluniacensis, cognomento Grossus, Ademaro Abbati succedit. Hic ad sæcularia negotia satis idoneus erat. Verumtamen in scripturis inuentus est minus habilis. Quapropter xij. Kal * iussit sibi scribere, maiorem festiuitatem in quaternione. Quo in breui Cluniaco regresso, Pontius ad votum Abbatem eligere tantauit, Monachi contra proprium Abbatem Bernardum sibi reddi, aut alterum creare iustè postulabant. Pontius Papam expetiit orans Ecclesiam S. Martialis ponere sub interdicto. Quod summus Pontifex iniustum fieri iudicauit. Pontius cum suis in quadam Turre secessit, certans ocius perficere quod disponebat, cùm repentè solarium domus corruens vnius Monachi crus, alterius brachium contriuit, Gaucelino Noam Capellano Abbatis interempto. Cæteri vix euaserunt, & à S. Martiale se terreri cognouerunt: quapropter Lemouicas velociter conuenerunt, & Ecclesiam Apostoli benigniùs tractauerunt. Electus nempe est à Monachis S. Martialis solemniter Amlardus Prior Solemniacensis, instituitque Abbas Poncius, vt haberent Lemouicenses Priorem ex Monachis S. Martialis, cùm haberent Abbatem ex Cluniacensibus, & è conuerso. Acta sunt hæc tempore Paschali anno Dominicæ Incarnationis MCXV.

CAP. XXXIX. *De Roberto Guiscardo & Rogerio Rege.*

Guillelmus Dux tempore superius memorato de filia fratris Raimundi de sancto Egidio, qui in bello Hierosolymitano memoratur, genuit Guillermum Comitem, qui obiit apud S. Iacobum, & Raimundum, qui fuit Antiochiæ Princeps, copulatâ sibi filiâ Boamundi. Robertus Guiscardus acquisitis ciuitatibus multis per Siciliam, Apuliam, Calabriam & Africam maleficiis nurus, & vxoris suæ veneno periit consilio Imperatoris Græcorum, Rogerio nepote relicto herede. Qui Rogerius Dux postmodum Rex efficitur. Huius filius Guillermus Rex de sorore Sancij Regis Nauarræ genuit Guillermum, qui accepit filiam Henrici Regis Anglorum.

CAP. XL. *Incendium Castri Lemouicensis.*

Incarnationis Dominicæ anno MCXXII. totum castrum Lemouicense, Sancti Martialis Monasterium, signa clocarij, claustra, officinæ, Ecclesia S. Petri de Quadriuio, & sancti Michaëlis de Leonibus, Cœnobium S. Martini extra muros incredibiliter igne cremata sunt, nocte sequenti, erat enim Sabbatum & Calendæ Septembris, cum ingenti luctu cantata est historia de Iob. *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus?* Tunc per biennium sæuissima fames cum horribili mortalitate populum adeò quassauit, vt non solùm mediocres, verùm pleroſque diuites coëgerit mendicare. Tunc temporis in Aquitania visa est mulier duplex, nasi duo, duo capita, duo pectora, quatuor manus, venter vnus, pedes duo, erant: hanc optimè cantasse ferunt. Riuulus infra sepulchrum Sancti Martialis tam exuberans erupit, vt nisi à populis eiceretur, thalamus Apostoli aquâ repleri crederetur. Fit igitur per mediam S. Petri Basilicam meatus ex magnis lapidibus, sicque riuulus ille ad ortum Solis deinceps deriuatur. Fontis bena, seu vena, quę de Cumba Ferrierâ profluens ab Abbate quondam Adalbaudo in Claustrum conducta memoratur, quodam tempore ita defecit, vt Monachi de eius reditu desperarent. Vnde ab vniuersis ad Deum per Ecclesias fusa est oratio, quoadusque laticem optatum diuina redderet largitio. Nam & pueri publicè per plateas ciuitatis clamabant dicentes: *Deus aquam, Deus aquam, Sancte Martialis redde nobis aquam.* Nauis sursum, in aëre, velut nauta (natans) in æquore visa est in Anglia, iactâ anchorâ vrbis in

medio à ciuibus Londoniarum impeditur. Mittitur à nautis quidam, qui solueret anchoram, sed retentus à pluribus, qui mersus aquis exspirauit. Clamantes nautæ aëra denuò sulcant, funeanchoræ secto.

CAP. XLI. *Sequitur genus Vicecomitum Lemouicensium.*

Rainaldus præterea Abbas Vosiensis ab honore similiter & onere regiminis senectute subsistens non multo post III. Nonas Aprilis obiit, quo viuente, præsente Alardo Abbate eligitur Monachus Sancti Martialis Ademarus in die Simonis & Iudæ, anno Domini MCXXIV. & quia tempore illius Ademari Vicecomitis ad cuius filiam Brunicendem tota descendit hæreditas, ista gerebantur, progeniem illius succinctè retexam.

Primus ille, qui præcepto Odonis Regis Lemouicensem Vicecomitatum obtinuit, Fulcherius dictus est Cui successit Geraldus, qui plures genuit filios, quorum duo Pontificatum Lemouicensem adepti sunt, Hildegarius & Alduinus: alter Guido vocatus est, qui Tusturiacensem Abbatiam constructisse narratur. Aimericus de Rupecauardi, qui cognominabatur Ostofrancus, & Geraldus de Argentonio, Gaufredus. Iste Gaufredus fuit Abbas sancti Martialis quem vocabant Bouemcurtum, licet quidam putauerint potius filium Guidonis. Guido de Eurma, seu Emma vxore genuit Petrum & Ademarum, qui cùm iurabat, dicebat: *Ma fète premet*: volebat enim dicere, in fide mea tibi promitto. Balbus nempe erat. Hic obiit peregrinus dum ciuitas sancta laboraret sub paganis, Hic de Senegunda genuit Ademarum Guidonem Gaufredum & Bertrandũ, vt patet ex quadã littera quæ habetur in cartulario Ecclesiæ Lemouicensis. Ille Ademarus de Humberga genuit aliũ Ademarum qui iurabat per corpus S. Martialis, huius hereditas, vt dictum est, descendit ad filiam eius Humbergam, quæ appellata est Brunicendis, mortuis Guillelmo & Helia filiis Ademari supradicti, aliam tamen filiam quæ dicta est Ennua, seu Emma, post obitum prioris viri Bardoni de Conniaco sibi copulauit Guillermus Dux frater Raimundi Antiochiæ Principis. Hanc post modum rapuit Villelmus Sector ferri filius Wlgrini Comitis Engolismensis. Vnde maximum Lemouicen. proueniret exitium, nisi idem Dux breui obiret, B. Martiale opitulante, apud S. Iacobum: Igitur Brunicendis de Archambaldo Barbato genuit Ademarum, Guidonem, Archambaldum, Petrum Assaillit, Heliam, Bernardum Decanum de sancto Aredio, Mariam Abbatissam S. Mariæ de Regulâ, Beatricem, quæ de Gaucelino de Petra-bufferia genuit Gaucelinum & Petronillam; de Helia genuit Heliam & Guidonem Flamenc. Almodis de Oliuerio de Turribus genuit Gulpherium: Helias de Roberga de Payrac genuit Petrum. Milicendis, quæ est primogenita, Hugoni Cabilonensi filiam vnam: & Helena quæ Bertranno de Cardaillac genuit Hugonem (in MS. Beslyano Guidonem) & alios plures. Ex filiis Brunicendis duo tantum fuerunt hæredes. Archambaldus Combornensem honorem obtinens de Iordana genuit Heliam, Archambaldum, & Petrum Clericum, & sex filias. Harum Assalida, Guidonem Vicecomitem de Albusso; Clara, Petrum Bernard de la Porchæria, Fina, aliàs Delfina, Radulfum de Escoralia; Garcilla Bertrandum filium Geraldi de Malamort, Petronilla filium Gauberti de Malamort maritos habuere. Alter Brunicendis filius Ademarus iubente auo suo Ademaro Vicecomitatum Lemouicensem obtinens de Margarita sorore Bosonis de Torenna genuit Ademarum. Hinc Henricus Rex Angliæ dedit consanguineam suam Sarram filiam Roberti Comitis de Gloceſtria (aliàs Rainaldi Comitis de Cornualia) qui extitit filius Henrici munifici Regis Anglorum, & frater Mathildis Imperatricis. Ademarus de Sarra genuit Guidonem, Ademarum & Guillermum, qui dictus est peregrinus, eò quòd die natiuitatis eius Pater Hierosolymam proficisci cœpit: Filiam Margaretam filio Aimerici de Rupecauardi, postea filio Audeberti Petragorici Comitis; Aquiliam filio Guillermi de Gordon, Humbergam Gaufredo de Lesigniaco; Mariam Ebolo filio Eboli de Sibylla filia Radulphi de Fayâ, tradidit maritis. (Hic Guido genuit Guidonem Probum, qui de Margaritâ filiâ Ducis Burgundiæ genuit Mariam vnicam hæredem, quam Ludouicus Rex Francorum filio suo Roberto desponsari promisit, anno Domini MCCLXX.) Hæc verò addita sunt post mortem Gaufredi Vosiensis.

CAP. XLII. *Inuentio Capitis Diui Martialis.*

Primo tempore Ludouici filij Philippi Regis, & nouissimo Guillermi illius Guidonis filii, qui apud Pictauis Monasterium S. Ioannis, quod dicitur Nouum, construxit, repertum est venerandum caput Apostoli Martialis in capsâ aureâ quæ eminet altari Saluatoris, præsente Geraldo legato Engolismense Episcopo, Eustorgio Lemouicense Pontifice & Auilardo Abbate. Non desunt tamen, qui Apostoli corpus integrum in sepulchro haberi dicunt. Horum sententiam ego approbarem, nisi ibi Ecclesiæ periculum considerarem. Si enim hoc caput Apostoli non esse dixerimus, forsan reliquiæ Apostoli pro quolibet alio sancto quibuslibet petentibus dabuntur. Sicque Basilica Regalis fraudabitur debito honore paulatim. Quapropter filios Ecclesiæ sollicitos reddere volo, ne proprium dominum à loco suo extraneum faciant hospitem, pignora eius aliis Ecclesiis indiscretè largiendo. In ostensione præfati capitis, vt esse probaretur Apostoli, quanta ibi patrata sunt prodigia miraculorum, testantur millia confluentium populorum. Capsa deinceps aurea ad processionem in ramis palmarum, sicut antiquitus solebat, in maiore necessitate vrgente, delata non est: sed scrinium S. Austricliniani pro ipsa (alias per ipsam) defertur. Aldebertus Vserchiæ Prior per xx. annos succedit. Hic fuit ex militibus de Segur, qui Grimoardi cognominantur. Hic miles exstitit prius, sed lethaliter vulneratus effectus est Monachus, deinde Presbyter: literas nempe nouerat ante. Contigit præterea Romanum Antistitem Cluniaco venire mori, ac sepeliri; qui ab Abbate visitatus aciem oculorum prolixius in illum deflexit, vel defixit: dixitque ei Abbas: Quid me aspicis? Æger respondit: Quia video in papatu moriturum. Ex tunc animus Pontij glisscere cœpit de Præsulatu sperans se Papam futurum iri. Sed fefellit eum dubia spes. Veruntamen in Papatu mortuus est, non vt Præsul Romanus, imò captiuus & peregrinus. Tumulato Pontifice Cluniaco, Archiepiscopum de Vienna qui erat frater Comitis illius eiusdem vrbis, summum Pontificem statim Cardinales elegerunt. Poncius his contradicere voluit, sed non valuit. Reatum Præsul indulsit Abbati. Rogatus deinde vrbem propriam rediit. Euoluto tempore quibusdam ex causis Poncius idem adiit Papam. Volenti redire Epistolam Abbati Præsul ostendit, quæ multa de ipso siniſtra prodebat. Hæc à Cluniaco delata Romam fuerat nuper licet occultè. Quam cernens Abbas non mediocriter irritatur: etiam renitente Pontifice domui suæ abrenunciauit. Roma egressus abiit Hierosolymam. Tunc Cluniaco elegerunt Petrum, cuius frater Armanus Prior Cluniacensis postmodum Abbas Magnilocensis, Poncius Vizeliacensis, Iordanus de Casa-Dei exstitere. Hi fuerunt de viris nobilibus de Montboissier, quod est castrum in Aruernia. Biennii nondum tempore emenso, Poncius ab Hierosolymis rediens expetiit Cluniacum. Eius aduentu cognito Petrus Abbas quasdam in partes secessit ad tempus. Bernardus interim Abbas qui fuit quondam S. Martialis portas Monasterii contra Pontium clausit, quia partibus Petri fauebat. Et ecce pars maior irruit Monachorum, Ponciúmque suscipiunt ianuis effractis, Rogerius de Magant, vel Maulant Monachus S. Martialis, & Bernardus Vicecomes quondam Combornensis, tunc Monachus Cluniacensis, valdè sollicitabant animos cæterorum, quatenus de peccatis (alias pietatis) Pontij recordarentur. Quid replicem cuncta? Tanto pondere debiti laborauerunt Cluniacenses, vt multis Ecclesiæ Thesauris exhaustis aureo non pepercerint crucifixo. Schismate vrgente, Audiens ista Præsul Romanus, acciuit vtrumque, ambóque venêre. Poncius Lemouicas veniens, Abbatem secum Romam ire rogauit. Amlardus Vosias deueniens in Octauis Dei Genitricis, eiusdem natiuitatis octauas ibidem instituit agi, assumptóque Ademaro Vosiensi Abbate Pontium Romæ ambo sequuntur. Et vt breuiter multa perstringam, iussu Apostolici Poncius frater Comitis de Melgoire sine audientiâ captus, in turre quæ dicitur ad septem salas vsque ad obitum videlicet v. Kalendas Ianuarij in custodia tentus est. Sepultus verò est quasi pauper, imò captiuus apud S. Andream. Per XIV. annos Cluniacense Monasterium rexerat olim. Huic succedit Petrus per XXXV. annos, qui descendit de stirpe illius Hugonis, cognomento Descouſut, qui Cœnobium S. Michaëlis de Cluſa, siue de Clausa condidit primus.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA

Cap. XLIII. *Vaticinium Ambrosii Merlini.*

Imperator Henricus accepit Mathildem filiam primi Henrici Regis Anglorum quam ei genuerat nobilis filia Regis Scotorum, qui dictus est Dauid. Tunc Vaticinium Ambrosii Merlini impletum putaretur dicentis: Aquila eius super Montem Azanzinum nidificauit qui est in Alemanniâ, nisi quod ipsa ex Imperatore nullam suscepit prolem; quinimmo spontaneum subiit exilium, & Conradum habuit successorem: sed qualiter Eustachius regnauerit, qualiterue regni proles in mari demergitur, iuxta Merlini Vaticinium dicentis: Catuli Leonis in pisces æquoreos transformabuntur, & quædam alia prætereo studio breuitatis. Normannorum Ducis Manzer filius Guillermus, Regnum acquisiuit Anglorum, genuitque tres filios, Guillermum, Robertum, & Henricum. Guillermus regnauit primogeniti iure donec à milite carissimo, casu, dum venationi insisteret, sagitta perimeretur. Huius persecutione tunc exulabat Cantuariensis Archiepiscopus Anselmus, qui librum edidit, qui intitulatur *Cur Deus homo*! Tunc rediens ab Hierosolymis Robertus, liberata iam sancta ciuitate, Fratrem, qui regnum vsurpauerat, prœliis multis lacessiuit. Postmodum ab Henrico capitur, sed & per conditionem liberatur; sed fœdere rupto contra fratrem exercitum instruit, qui secundò ab Henrico capitur, & tertio opus non fuit. Henricus qualiter Ludouicum Regem Francorum debellauerit, quámque largus ac munificus exstiterit, quáve pace tellus Anglorum ipso regnante floruerit, paucis explicari non potest. Ipse Leo iustitiæ in Merlino vocatur.

Cap. XLIV. *De Regibus Hierosolymorum & Anglorum.*

Mathildis quondam Imperatrix data est Gaufredo Andegauensi filio Fulconis illius, qui de filia Balduini Hierosolymitæ Melicendæ genuit Balduinum, sub quo capta est Ascalonia, & Amalricum Comitem de Iapha patrem Balduini Leprosi Regis. Gaufredus, cognomento Plantegeneſt, de Mathilde genuit Henricum Regem, Guillermum cognomento la Maspa, & Gaufredum.

Lemouicensis Vicecomes Ademarus interim partem terræ Comitis Petragorici iure consanguinitatis ab eodem exigebat, ea de causâ multos annos cum eô conflixit, adeò vt cum ducentis militibus prouinciam Comitis Vicecomes deuastaret, inde grauis orta est guerra inter vrbem & podium Sancti Frontonis. Die quádam dum ciues inuicem prodirent ad prœliandum cominus, vir quidam alti sanguinis, Petrus cognomento de Periguors, à Burgensibus de Podio peremptus, & in flumen demersus est. Quo factô quidam Petrus, cognomine Viuota, diues argento & consilio pauper, Equum occisi militis ascendit, annulúmque digito imponens voce præconis ciuibus exclamat: heu miseri! Quò iuit Petrus Princeps vester? Quo cognito ciues incredibili luctu virum illustrem lamentabantur. Quid vexabo, lectorem? Quando tempus sibi vidit suppetere; filius occisi Petrus nomine occidit eundem Petrum Viuota interfectorem patris. Guerrâ peractâ, Petrus de Periguors placitum fecit cum Petro Viuota filio Burgensis occisi: fecit nempè miles rustico hominium, munera dedit; insuper prolem ipsius de fonte sacrô leuauit. Rusticus dolum in corde tandiu tenuit, quousque instigante pacis inimico ad effectum, imo ad defectum protraxit: quadam die vocauit seruus dominum, qui pro pace reformanda dominus seruo dominium fecerat, rogans eum vt pedem muli sui incloati manibus contrectaret. Cúmque se libenter ad muli pedes inclinaret, abstracto Burgensis gladio, qui Misericordia vocatur, crudeliter militi infixit, patrato scelere equum ascendens, fugam parauit, veniénsque in territorio Rutenensi caseum ad cibum petiit. Mirantibus cæteris, eò quòd esset quadragesimæ dies, dixisse referunt. Quantum peiora his patraui? Contristatus vltra modum Vicecomes Lemouicensis Ademarus per diuersas prouincias misit, quoad vsque apud Conquas iudicatus ac deuictus duello, quippe conflictu superatus est à milite quodam de Brageyriac, qui dictus est cognomento Petrus Vilota. Itaque Petrus Viuota victus est à Petro Vilota. Ductus est traditor apud Petragoras, ac de die in diem in amaritudine animæ spiritum exhalauit, membris abscissis.

CAP. XLV. *Fidelitatis iuramentum dominorum de Petra-Bufferia.*

Gaucelinus de Petra-Bufferia filius Petri de Turre sua Ademaro Vicecomiti Lemouicensi vim faciebat. Vnde factum est à fautoribus Vicecomitis in manso, qui dicitur à las-Lebras, vt idem Gaucelinus potius includeretur & caperetur, quàm acies permitteretur interficere, & per annum apud castrum de Segur in vinculis tenuit. Anno transacto amici amborum de pace tractauerunt, venerunt ambo in sepulchro Sancti Martialis, & præsente Eustorgio Episcopo & Abbate Amlardo in conspectu innumerabilium virorum iurauit alter ad alterum fidelitatem. Gaucelinus debet turrem sex menses tenere vno quoque anno, Geraldus & Iterius Bornar filius eius tres menses, Seguinus & Guido filij Geraldi de Turribus tres menses. Hi omnes debent reddere Vicecomiti turrem, ipséque postmodum restituere eis sine fraude. Hanc fidelitatem iurauerunt Vicecomiti, & ipse illis: ipsique inter se, sicut legitimi participes redditionem turris secundùm menses & annos sine controuersiâ, iuxta id quod scriptum est, supra Corpus Apostoli iurauerunt, præter hos centum milites ex parte Vicecomitis, & centum ex parte aliorum vt pactum firmum maneret, eodem ordine iurauere. Carta de pacto per Alphabetum scripta & partita est. Harum vna apud S. Martialem seruata est, aliam habuit Gaucelinus. Hic accepit Beatricem filiam Archambaldi Barbati, de qua genuit Petrum & Gaucelinum.

CAP. XLVI. *Schisma.*

Obeunte Honorio Papâ, constituuntur duo, vnus est Innocentius', Gregorius quoque antea vocatus, alter vocatus Petrus Leo, ambo illustres, ambóque Romani conscripti sunt ciues, sed Petrus Leo, quia de nobilioribus erat, sedem Vrbanam obtinuit. Nam castrum, quod dicitur Crescentij, fratrum ipsius potestati subesse refertur. Euoluto tempore adeptus est Innocentius sedem, & factus est in pace locus eius, decedente Petro-Leonensi.

Interim Geraldus Engolismensis consilio Ducis Dauratensem Abbatem Ramnulfum consecrauit Episcopum. Geraldus nempè cùm fieret legatus, iurauerat Papæ, quòd si forte post se Schisma oriretur, illi procul dubio obediret, qui Apostolicam sedem obtineret. Quapropter ipse Petro, & Eustorgius parebat Innocentio, qui postea vicit, quia prolixiùs vixit. Ramulphus apud Subterraneam ordines fecit quia principes terræ illius propter Comitem Pictauum eum recipiebant. Ordinati postea degradati sunt, quorum primum vidi Geraldum Rudel de Vercillac, aliàs de Bertillac. Gerardus Barbos burgensis eidem Ramnulfo dixit non rectè fecisse de ordinibus, quousque Cathedra pacificè frueretur. Ipse respondit sibi ad votum fore cùm vellet in momento, quòd è diuerso ei prouenisse rei exitus declarabit. De quartâ Ramnulfus Subterraneæ, Eustorgius fecit Ordines Vsercheæ: & quidam de Subterraneâ Eustorgium adierunt, sicut mihi narrauit Stephanus de la Chassaigna Presbyter Subterraneæ, qui fuit vnus ex illis. Episcopus enim vltra Vigennam in terra Ademari demorabatur. Oderat quippe Pictauensis Comes Pontificem, eò quod Eustorgius fauebat Ademaro, eâ de causâ multoties Dux Præsulem persecutus est, & ideò non procul à Solemniaco construxit vna cum Arnaldo Bernardi, & Bernardo de Iauarnas, Eustorgius castrum, quod vocatur Chaslucet (alias Chalasset) tandem miserante Deo pacem fecit Comes apud Pictauas cum Eustorgiô. Ramnulfus hoc facto confusus à Pictauis reuertebatur, cùm repentè de equo mansueto corruit, & obiuit. Perlatus est in Cœnobium, quod vocatur Bulos, vbi ipse quondam bona contulerat, quod est non longè de Castello de Nioil. Guillermus quoque cognomento Adalelmus tunc Pictauensem recuperauit sedem, quam Petrus de Casteleyraut occupauerat propter dissidium Ducis & Præsulis. Geraldi verò legati corpus Romanus Pontifex de Monasterio Engolismensi, cui ipse viuens multa bona contulerat, foras eiecit, quia ipsum pro excommunicato habebat. Geraldo in Pontificatu succedit Lambertus Abbas & Conditor Cœnobij de Corona.

CAP. XLVII. *Vicecomes Ventadorensis cepit Vicecomitem Lemouicensem.*

Vicecomes Lemouicensis Ademarus dum rediret peregrinus de Anicio, peractâ Assumptione Sanctissimæ Virginis, captus ab Ebolo Vicecomite Ventadorensi, carceri mancipatus est. hoc autem faciebat Ebolus causa Gaucelini de Petrabufferia nepotis sui, quem Ademarus ceperat olim, cùm die quadam peregrini peterent hospitium: idem Ademarus dixisse refertur. Recedite hinc, nam alios peregrinos hæc aula recepit. Quem quidam de Turre clam iussu Archambaldi Combornensis abstrahere tentauerunt, sed ipso ad necessaria naturæ diutius immorante, diluculo frustrati recesserunt. Euoluto anno circa biennium datis XII. millibus solidorum de carcere Ademarus educitur, dehinc Lemouicas deueniens solemniter à Monachis & populis recipitur, qui iam senio consumptus candidam barbam, longámque ferebat, quam nutrierat carcer. Ex tunc nepotes suos filios Archambaldi adoptauit, Guidonem videlicet & Ademarum, vt Vicecomitatum Lemouicensem soli haberent; aut si vnus obierit, alter solus totum possideret. Ita post modum Guido Vicecomes de Marquisia sorore Audeberti Comitis de Marchia Antiochiæ obiens, nullam suscepit prolem. Ademarus de Margareta filia Rainaldi de Torenna & Matildis genuit Bosonem, qui postea, cò quòd erat solus, Ademarus appellatus est. Senior ergo, ac iam Silicernius, Cluniacum petens obiit Monachus effectus.

CAP. XLVIII. *Author libri de Guillermo vltimo Pictauorum Comite eiusque filiæ nuptijs cum Ludouico Francorum Rege.*

Guillermi, qui apud S. Iacobum obiit, finem describere gliscens, genus illius maternum altiùs explicabo. Pontius Tholozanus Comes genuit Guillermum & Raimundum: Guillermus verò Hierosolymis obiit, cuius filiam vnicam post Aragonensem Regem duxit Guillermus Dux filius Guidonis. Guillermus genuit Guillermum & Raimundum, qui fuit Antiochiæ Princeps. Raimundus filius Pontij Tholosani pro argento, cum quo Hierosolymam abiit, Ruthenis præfecit Comitem Richardum filium Richardi Vicecomitis de Carlat, qui fuit filius illius Raimundi qui caput stupæ propter multiplices plagas dictus est. Hic Raimundus genuit Raimundum Berenger, qui genuit Adelphonsum. Iste Rex efficitur eò quòd mater illius foret filia vnica Garsiæ Reynier Monachi, qui Adelfonso fratri occiso in Aragonensi Regno successit. Gilbertus Comes de Meillau filius Richardi filij secundi Raimundi caput stupæ, septem genuit filias, quarum vnaquæque tales sunt sortitæ viros. Bertinum le Macre, de Sensac, Vicecomitem de Fenouillet, Hugonem des Baux, Aultet Seniorem de Mauroloco qui vocatur do Morillos, Guidonem de Seuerac, Geraldum de Cardaillac. Guillelmus Dux Aquitaniæ filius Guillermi & filiæ Comitis Tholosani, qui iure aui sui vrbem Tholosanam possedit, de vxore quæ fuit soror Vicecomitis de Chastelleyraut, quæ vocabatur Ænor, genuit filiam, quæ appellata est Alienor, quasi alia Ænor. defunctâ priori, filiam Ademari Vicecomitis duxit vxorem, quæ Emina dicebatur: hanc rapuit clam Guillermus Sector-ferri Wlgrini filius, consilio Principum Lemouicensium qui iugum Pictauium super se arctiùs imponi timebant. Ob quam iniuriam Lemouicinos Dux subuertere dictans, apud S. Iacobum peregrinus obiens tumulatus est. Cuius filiam Ludouicus filius Ludouici accipiens Dux & Rex effectus est. Martialis Apostoli festum fuit tunc feria quarta (rectè nam lit. Dom. C) Aldefonsus filius Raimundi Comitis S. Ægidij ad diem festum de Regis aduentu ignarus aduenerat. In natali Apostolorum Petri & Pauli Turonensis Archiepiscopus venit; & in crastinum præsente Alberico Bituricensi Patriarchâ, solemnem Missam celebrauit. Milites ac Principes, qui ad solemnitatem venerant, præstolauerunt Regem, qui die crastina venit. Susceptus est in vrbe triumphaliter à Canonicis & Præsule Eustorgio qui iam tunc ægrotabat. Celebrata postmodum apud S. Martialem regali processione iuxta Vigennam Rex & Principes tentoria figunt. Aderant ibi Radulphus de Peyronâ, Comesque Theobaldus, heroésque diuersi. Petrus Abbas Cluniacensis, Suggerius S. Dionysii, Amlardus Sancti Martialis, Ademarus Vosiensis cum laudabili Clericocum

eorum caterua. Dehinc Burdegalam petens filiam Ducis Reginam efficit sibi copulatam, quam inde assumens per Xantonas transiens cum eâ primitus ibi dormisse narratur. Eo anno siccitas magna apud nos fuit mense sexto. Eustorgius apud S. Augustinum noctu decessit III. Calendas Decembris, ibidémque à Lamberto Pontifice Engolismensi, Amlardo S. Martialis, Bernardo Vsersiensi successore Aldeberti, Ademaro Vosiensi, Ebolo Tutellensi G..... Solemniacensi, Philippo, seu Petro S. Augustini, Guillermo S. Martini Abbatibus tumulatus est. Cuius exequias peregerunt apud sedem Abbates, Canonici, & Presbyteri, qui ad Synodum conuenerant accitì à Præsule, quamuis infirmo. Quapropter secum rogauerat remorari Lambertum Engolismensem Præsulem.

CAP. XLIX. *Electiones Variæ.*

Tumulato Pontifice, eligitur à quibusdam in Episcopum Abbas Amlardus, qui protinus Pontificalem thronum ascendit, quod ei nocuit postea multum. Electus est ab aliis Geraldus S. Aredii Decanus nepos Eustorgij, factáque est contentio inter singulorum fautores. Petrus Laurés qui propter Ecclesiam Cayronensem amicorum stipatu pollebat, Pontificalem thronum Abbati ex parte summi Pontificis interdixit. Quapropter à Bonifacio Abbatis cliente vulneratus sanguinem in veste fusum ab eo, prout potuit, Eugenio Papæ ostendit. Amlardus Romam ire disponens Cluniacum petiit auxilium ipsorum flagitans: in nullo ab ipsis auxiliatus retrogradum conficit iter. Geraldus interim Romam venit, petitio illius benè audita est. Verumtamen non ad votum rem ad effectum libuit venire. Repetit ergo Lemouicas. Euoluto tempore regressus est secundò Romam. Cernens itaque suum præter spem differri negotium, vocat ad conuiuium Maiores Curiæ Romanæ. Quid multa? Vt de ciborum & potus varietate sileam, ante conuiuia exposita sunt vasa diuersa operati metalli. Celebrante autem Apostolico Missam scyphum argenteum aureis plenum denariis quasi pro anima Eustorgij Geraldus obtulit ipsi. Eustorgius siquidem magnum eidem Geraldo commiserat thesaurum, quem erogare rogauit Ecclesiis. Propter suum Episcopatum, iurat tandem electus septimâ manu nullas alicui promisisse, vel dedisse pecunias, quo expleto ab ipso Papâ ante Sanctũ Pascha Presbyter & Pontifex consecratur, & post hæc in pace remittitur.

Petrus, cognomento Effenouard, seu Effenard, ex Militibus de la Castra Archiepiscopus Alberico Bituricensi successerat. Hic ad tempus in Ruthenico metu Ludouici Regis delituit. Electus quippe absque illius nutu fuerat, ideóque contra, cum sententiam dictauerat. Victus denique precibus Religiosorum iuramentum fregit, sedésque vacua Præsulem admisit.

Guido & Ademarus Vicecomites Lemouicenses apud Ludouicum Regem illo tempore accusantur, eò quòd non eis Lemouicensis hereditas supperetet: aiebant quidam eos legitimo iure non possidere. Tandem Regi cedere coacti; qui misertus illorum pepercit illis, acceptis ab eisdem ducentis marcis argenti.

CAP. L. *Proditio vrbis Edessæ.*

Balduinus Princeps vrbis Edessæ filiam cuiusdam ciuium suorum, quam ob debitum, quod ab eo exigebat, in vadimonium susceperat, non legitimè humiliauit. Quo cognito pater vsque ad desperationem contristatus locutus est cum Sarracenis de proditione ciuium & vrbis. Heu proh dolor! ipsa nocte quâ natus est pro salute hominum Princeps pacis, per flagitium execrandi Tyranni traditur perfidis Agarenis vrbs Edessa, quam olim decorauerat fides Abagari Toparchæ, simul ac Regis: exponuntur impiis adoptionis filij, Ecclesiæ publicantur, & nequiter dehonestantur, ex clero vel populo alij occiduntur, laniantur, venundantur, & in exilium mittuntur, alij seruituti subiiciuntur. De his quæ tunc cum filiis perpessa est mater Ecclesia sine luctu & mœrore nemo fidelium poterit enarrare. Balduinus execrabilis ille ob cuius incestum ista contigerunt fugâ saluatus est, sed non salute æternâ. Per tempora illa hyems apud nos asperrima fuit, nocte S. Nicolai multa cecidit nix, quam vsque ad Purificationem durasse refertur: sequenti æstate XII. Kalend. Septembris anno ab Incarnatione Domini MCXLIII. Amlardus obiit Abbas, & in Capitulo ad

dextram intrantium & trans pueros tumulatus est xxv. Augusti. In Exaltatione S. Crucis eligitur dominus Albertus frater Geraldi de Courcillas militis de Albusson, Prior de Peyraco. Hic fuit Præpositus de Subterraneâ, quando Bernardus de Briderio ante mortem Guillermi Ducis obiit septimo mense III. Calend. Septembris. Iste rexit Abbatiam XIV. annis. Ecclesiam quæ vocatur Monasterium Capellas de Castello Axiæ, ac terram de Surrat, & in ornamentis, casulam purpuream, & alia quædam bona acquisiuit. Abbatem Terrassonensem Bernardum, cognomento Vicarium, qui contra illum visus est calcitrare, adeò iustitia exigente humiliauit, vt in Capitulo Sancti Martialis veniens, Abbati Pastoralem virgam dimitteret; ac sicut Monachus priuatus inter ceteros Monachos ad australem plagam sederet, & quousque domnus Abbas iuberet, non excederet ostia claustri: satisfactione receptâ restituit idem Abbas ei pristinum honorem cum consilio Petri Abbatis S. Augustini, reddiditque ei Priorem & Cellerarium ex Monachis S. Martialis, sicut consuetudo dictabat antiqua.

CAP. LI. *De Torenna & Turribus.*

Mathildis vxor quondam Raimundi de Torenna obiit V. Calendas Iunij, & à Guidone, qui cognominabatur Grossus, viro suo filio Geraldi de Turribus, Arnaco honorificè in capitulo tumulata est. Hæc in somnis Bernardo de la Marcha, qui fuit pater Adalberti dixisse refertur. Quatenus Bosoni filio ex parte matris prohiberet, ne alicubi per tempus illuc cum armis procederet. Nam ipsa dum vixit pro filij salute sollicita Missam de Spiritu Sancto, post Missam de festo, vel feria, per plures annos decantare faciebat. Post obitum matris idem Boso Vicecomes de Torenna intra vnum mensem occisus est ordine tali. Congregatis repente militibus, adduxit eos Ademaro Lemouicensi sororio suo, qui vna cum Guidone fratre castrum Guidonis Flamenc, quod Roca S. Pauli dicebatur, obsederat: ibi, vt diximus, ictu sagittæ saucius continuò interiit, & per Vosias delatus, Tutellæ, iuxta patrem collocatus est, vxor illius, Eustorgia dicta, tum grauida, & post menses quatuor vnicum ex Bosone defuncto filium genuit Raimundum.

CAP. LII. *De Edissa & Terra Sancta.*

Nolentes itaque pati Israëlitæ, quòd captiuassent vrbem Ismaelitæ, arma, prout tempus dictauit, sumunt, & multa cum ambitione iter arripiunt. Horum animos valdè incitabat Bernardus Abbas Clareuallensis, qui obiit anno ab Incar. D. MCLIII. & Eugenius Papa, cuius verbum vsque ad ipsum Regem Ludouicum peruenit. Quid replico vniuersa? Ludouicus Rex, Conradus Imperator, Adelfonsus Dux Narbonensis, cum infinita principum ac populorum turba per terram Emanuëlis Imperatoris Græcorum Hierosolymam tendunt. Qui videlicet Imperator clandestinus eisdem insidiator exstitisse dinoscitur Exercitus ille nihil omnino proficit, quia indisciplinatè habuerunt, quapropter multi defecerunt innumerabilésque perierunt propter iniquitatem suã, Thesauros Ecclesiarum falsa promittentes vadimonia, ante iter auferebant, infirmam plebem diris exactionibus affligebant, pompaticè sequuti sunt & superbi humilem Christum, & errauerunt frustra à iusto humillimo. Hi omnes vix quandam cepere ciuitatem, cùm foret excepto Rege & Imperatore, principum Prouincialium numerus innumerus. Mortuus est tunc Narbonensis Dux Adelphonsus, Guido Lemouicensis Vicecomes, vterque de Turribus Guido, aliorumque Heroum innumerabilis multitudo. Qui euasere, post duos annos & septem menses ad propria redierе. Tunc Ludouicus cum vxore suâ Alienora ab Hierosolymis rediens coronat Rogerium nepotem Roberti Guiscardi, qui Rogerius ex stirpe illa regiæ dignitatis insignia suscepit primus. Conrado per hos dies mortuo, suscepit Imperium nepos eius Fredericus vir regium diadema probitate perornans. Hic de vxore Beatrice genuit filios quorum vnum scilicet Henricum Arelate coronauit Regem. Hæc Beatrix filia vnica exstitit Rainaldi Comitis, qui fuit frater Geraldi de Viẽna Patris Gaucherii de Salins. Vicecomes Biterrensis Raimundus cognomẽto Trenchauel in hoste superius memorato cum cæteris abiit Hierosolymã ac rediit. Iste accepto precio absoluit Iudæos ab afflictione qua à Christianis hebdomada Dom. Passionis impetebantur. Rem ignaris

apertiùs prodam. Iudæorũ multi Biterrenſem antiquitus incolunt vrbem. Dominica in Palmis habito ad populũ myſtico Pontifex ſermone pluribus talia ſæpius inculcabat: fidelium ſermonum moueatur affectus, dum Sanctorum terram occupat beneficiorum domini delectus pergratus paſſionum Chriſti teſtis veternoſus. Ecce proles infida infidelium genitorum à quibus & de quibus dictum eſt. *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.* De his quamuis dicat ad Patrem Filius, *Deus meus ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei.* Ideoque ad teſtimonium ſanguinis IESV vſque ad mundi terminum reſeruentur, ſicut ſcriptum eſt. *Conuertentur ad veſperam & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Non deerit tamen zelus plurimorum, qui perſequantur poſteros Domini occiſorum. En vobis coram cernitis nepotes illorum qui dãnauere Meſſiam, qui filij Dei Matrem extitiſſe negant Mariam. En tempus, quo copioſius cor noſtrum reuerberat Chriſti iniuria. En dies quibus antiqua tanti ſceleris vindicandi conceſſa eſt à Principe licentia, aiuta amodo inſtructi conſuetudine, ac noſtra poſt domini aucti benedictione, dum vacat in Iudæos lapides vibrate, & in quantum permittitur, iniuriam Saluatoris expiate viriliter. Data igitur à Præſule benedictione & à Principe priſcis temporibus conſuetudinaria optione, Iudæorum domus lapidibus quatiebantur, & ex vtraque parte plurimi multoties vulnerabantur. Protelabatur pugna iſta de Ramis Palmarum vſque Paraſceuem Paſchæ, & fiebat circa horam quartam, neutris tamen aliis vti licebat armis, niſi lapidibus tantùm hæc omnia, vti diximus, indulſit perfidis Iudæis Raimundus frater Rogerij, qui prole caruit, & Bernardi cognomento Atonis, qui filio ſuo vocabulum indidit propriũ.

Eugenius Papa tunc temporis in vrbem Remenſium Concilium aggregauit Pontificum & Abbatum Galliæ totius in vndecim diebus.

Ipſo anno Bernardus qui fuit de Albarochia, Vſerchenſem Abbatiam, quam per annos XIV. gubernauerat, cui Eccleſias de Celon & Chambaret ingenti labore acquiſierat, derelinquens, Obaſinenſium Cœnobitarum furuum ſcapulare pro cucullâ nigrâ ſuſcepit. Hic ab eunte ætate Monachus exſtitit S. Martialis, ac poſtmodum Præpoſitus de Palnaco, alias Pauluaco. Huic ſucceſſit Gaubertus de Mirabel clarâ oriundus proſapiâ, Monachus quidem Vſercenſis, à puero quoque S. Martialis Monachus profeſſus, qui de Subterraneâ & Arnaco diuerſis quidem temporibus Præpoſitus fuit. Hic per dos annos Abbatiam tenens morte mediante Hugonem de la Porchariâ fratrem Seguni habuit ſucceſſorem, & Capitulo Vſerchenſi humatus eſt.

CAP. LIII. *De Vicecomitibus Lemouicenſibus.*

Anno, quo Guido Antiochiæ, & Ademarus moritur Lemouicæ, qui iuxta cæteros Vicecomites prope vitream de Capella domini Abbatis ad ortum ſolis tumulatus eſt. Huic remiſit annulum magni pretij ſupradictus frater eius Guido, quem ſecum detulerat Hieroſolymis. Anulum iſtum acquiſiuit Gulpherius iſte ſenior in Bello Hieroſolymitano, quem veteranus Vicecomes Ademarus callidè ab eo exegit. Hi duo fratres Guido & Ademarus octo circiter annis Lemouicenſem Vicecomitatum tenuere pariter. Ademaro ſuperſtes remanſit vnicus filius quem Boſonem nuncuparunt, qui Boſoni de Torenna patruo eum ſuccedere præceptauerunt. Qui aliud Raimundo inualeſcente contingere cernentes, Ademarum potiùs illum appellari cenſuerunt. Huius pupilli tutores Geraldus Epiſcopus, & Bernardus Decanus S. Aredij patruus eius, alter poſt alterum exſtitere. Archambaldus cum Bernardo fratre terram poſſedit ad tempus: Verumtamen non tutoris, ſed legitimi poſſeſſoris officium ex parte ſe agere putauit.

His diebus Abbas Ebolus Tutellenſis ad Synodum veniens viij. Idus Nouembris morte præoccupante, nocte apud S. Martialem expirauit. Iſte fuit frater Raimundi de Torenna & Archambaldi de Ribeyrac, & filius Boſonis. Iſte honorificè ab omnibus, qui conuenerant ad Synodum, rogante Pontifice Geraldo, ante ianuas S. Auſtricliniani prope tumulum conditur præſulis Guillermi. Ego Gaufredus eram tunc præſens puerulus in ſchola. Ebolo ſuccedit Geraldus de Scoraille octo annis.

Anno ipſo Ludouicus Rex magna Hebdomada Dominicæ Natiuitatis cum vxore venerat Lemouicas, ac non multò poſt eamdem traduxit. In Dedicatione S. Saluatoris poſt proceſſionem de Dominicâ, ſuſcipiuntur ad portam Leonis, ab Alberto & Philippo S. Martialis & S. Auguſtini Abbatibus, canente Choro Reſponſorium.

Summæ Trinitatis, &c. Petro Bituricensi & Gaufredo Burdegalensi præsentibus. Genuerat ex ea duas filias, vxorem Henrici qui vocatur Richard, Comitis de Champaigna, & vxorem Theobaldi fratris sui, qui exstiterunt filii Theobaldi Blæsiensis Comitis fratris Stephani Regis Anglorum, qui Rex vel Comes orti sunt ex Stephano Carnotensi, cuius fit mentio in historia belli Hierosolymitani. Repudiata vxore priore secundam Ludouicus duxit vxorem, quæ soror exstitit Reguin Hispaniæ, quæ appellata fuit Margareta (Galli auctores vocant Constantiam, Hispani Elisabetham) De istâ filias genuit duas Margaretam vxorem Henrici Iunioris Regis, qui apud Martellum obiit, & Alaidem quæ desponsata fuit Richardo Duci eiusdem Regis fratri. Quâ defuncta sororem Henrici Comitis de Champagnâ idem Ludouicus tertiam accepit vxorem, quæ vocatur Ala, de qua genuit vxorem Alexij filij Emanuëlis Imperatoris Græcorum, & Philippum Regem.

Defuncto Ademaro Vicecomite Lemouicensi, sponsam illius Margaretam sororem Bosonis de Torennâ desponsauit Ebolus Ventadorensis filius Eboli Cantatoris, ex qua genuit filiam, quam Matebrunam vocitauerunt. Hanc post Rainaldum Leprosum Vicecomitem de Albusso accepit Eschiuard frater Iordani de Chabanes, & Bosonis Abbatis Stirpensis. Biennio transacto, Ebolus Margaretam relinquens causâ consanguinitatis mariti prioris, filiam Guillelmi de Montepillerio Alaaiz sibi copulauit, de qua genuit plures. Margaretæ tertius maritus exstitit Guillermus Sector-ferri Comes Engolismensis multorum pater liberorum.

CAP. LIV. *De Rege Anglorum & Domina Alienora Ducissa.*

Dux tempore illo Normannorum Henricus filius Gaufredi Plantegeneſt Comitis Andegauensis, ac Mathildis Imperatricis accepit Alienoram vxorem quondam Ludouici Regis Francorum. Post hæc Lemouicas deuenit tempore Autumni, & vt nouus Aquitanorum Dux in apice sui Ducatus cum tripudio susceptus est. Dehinc abiens ad Sanctum Martialem, à Monachis ac populo solemni processione recipitur. Ex tunc in illo castro seu Monasterio nunquam ingressus est. Lite mota inter ciues & hospites, Dux irritatus est, tunc muros castri, qui non multo tempore fuerant constructi, funditus euertit, pontemque disrupit. Consilio Bernardi Decani S. Aredij ista agi credebantur à quibusdam, quem Burgensium temulenta temeritas, cùm accuperet pro consuetudine plenam manum ex denariis dum fabricarentur in moneta iniuriauerant. Procurationem noluit Albertus Abbas in vrbem facere Duci, dicens non debere extra septa reddere castri. Dux aliis distractus negociis recessit cum indignatione.

Eo tempore corpus Sancti Lupi Lemouicensis Episcopi eleuatum est à proprio tumulo, quia parietes Ecclesiæ Sancti Martialis reædificabantur. Tunc multa populorum caterua Lemouicæ confluxit propter multiplicitatem signorum quæ dominus per illum Præsulem ex insperato dignatus est exercere: Tunc hospitale S. Geraldi Lemouicæ inchoatum est. Ecclesia quondam ibi fuit de eodem Confessore, quapropter locus ille adhuc ita vocatur.

CAP. LV. *De Ciuitate Ascalona.*

Ea tempestate capta est à Rege Balduino Ciuitas Ascalona infra octauas Assumptionis Dei Genitricis ab Incarnatione Domini MCLVIII. Tunc impletur Vaticinium Sophoniæ, saluo mystico intellectu etiam iuxta litteram de ipsa vrbe prophetantis, ibi ait: *Pascetur in domibus Ascalonis*, & post pauca, *ad vesperam requiescet, quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & auferet captiuitatem eorum.*

Anastasius successor Eugenii anno illo consecratur, & moritur. Huic successit Adrianus Papa, qui extitit Canonicus de Sancto Rufo & coronatus feria sexta. Non post multos annos decessit Balduinus Rex apud Vrbem quæ vocatur Baruth, circa dies Pentecostes, dehinc Hierosolymis perlatus regio more cum maioribus suis conditus est. Qui cum careret prole, regnum tradidit Balduino nepoti ex fratre. Interim regni gubernacula fratri commisit Amalrico Comiti de Iaffa, vt tutor esset filij sui Balduini: cui idem Balduinus, sicuti diximus, principatus dimiserat sceptra.

Digitized by Google

Rege Rogerio decedente regnauit filius pro eo Guillermus: dúmque multis thesauris ac possessionibus frueretur mensæ regiæ (rectiùs in ense regio) scripsisse refertur.

Siculus & Calaber, Apulus mihi seruit & Afer.

Albertus præterea Abbas S. Martialis suis prohibuit Monachis, vti abstinerent adipe omni sexta feria, exceptis festiuitatibus quæ fiunt in cappis, procuratore tantum dante oleum conuentui pro adipe. Post multum temporis domnus Lambertus præcepit omnino ab adipe feria vi. excepto die Natalis Domini, Assumptione Beatæ Mariæ, & maiori festo S. Martialis, abstinere. Præpositus verò sæpius, quàm feria vi. antiquitus, feria vii. deinceps dabit. Olim namque in Aduentu Domini vtebantur adipe in xii. Lectionibus, quod omnino ab eodem Alberto prohibitum est. Ipse instituit agi processionem solemnem in festiuitate omnium Sanctorum. Instituit etiam obnixè à toto rogatus conuentu, vt vbicumque obiret Monachus S. Martialis fieret pro eo trentenarium ex integro Lemouico per duas missas. Prius etenim, si obiret Monachus Arnaco, vel Palnato, aut in loco, in quo tot Monachi non essent, qui trentenarium non possent ordinatè complere, vnam tantum missam in Conuentu, & aliam singuli pro defuncto fratre celebrabant si obiret apud Malueriam, Pomiola, vel Ala Panosa, vel vbi non sunt tot Monachi, qui possent explere: fiebat plenariè trentenarium Lemouicæ: in obedientiis præcepit, vt pro omnibus vbique Monachis decedentibus faciant septenarium Missarum, aut septem diebus detur alicui pauperi præbenda in minimis. Albertus eo tempore v. Calend. Augusti hominem excessit, tumulatus verò est subtus lapidem, videlicet ante quinque imagines sepulchri ad radicem parietis capituli. Die v. Idus Septembris Dominicâ eligitur Petrus Prior Cluniacensis, qui fuit de quodam castro, quod vocatur Petiuiers. Ipso anno mortalitas simul famésque incredibilis populum vndique strauit. Vigilia proximi Natalis post veniam Capituli, dum Petrus Abbas sermone mystico fratrum animos ad celebranda Saluatoris natalitia prouocaret, repentinâ infirmitate correptus voce penitus intercluſa circa gallicinium sacratissimæ noctis spiritum exhalauit. Hic tractatus perutiles, simúlque prosas de B. Virgine Maria composuit. *Aue Maria flos Virginum, Gabrieli cœlesti nuncio*, versus ac responsoria plura. Huius finem quanquam introitus excesserit modum, in bonam accipere possumus partem iuxta illud. *In quocumque loco lignum ceciderit, ibi erit.* Post hunc eligitur Hugo de Fusâ, cui Petrus Grossus à quibusdam electus magnum intulit damnum. Sed antequam diu illum vexaret, viam vniuersæ carnis ingressus est reatus sui veniâ petitâ.

Eo tempore Deus suscitauit spiritum Henrici Wintonensis Episcopi, qui Cluniacensem Ecclesiam, vnde Monachus quondam exstiterat, de suprema calamitate liberauit & subleuauit. Frater enim Stephani Regis Angliæ ac Theobaldi Comitis exstiterat, ideóque multis affluebat Thesauris.

Ecclesia SS. Innocentium Parisius construitur super quendam Richardum propter signa diuinitus ibi ostensa; eo quod eumdem Adolescentem ob iniuriam Christi nudius tertius Iudæi necauissent.

Margarita quamdam meretricem regiam insignibus stipatam vestibus, dum pax acciperetur à populo in Ecclesiâ, putans ex ordine fore sponsarum, osculata est. Postquam resciuit, sponso Ludouico de huiusce modi re conquesta est. Tunc prohibuit Rex mulieres publicas clamyde seu cappâ vti Parisius, vt tali nota à legitimè nuptis discernerentur.

Cap. LVI. *De Regibus Angliæ.*

Stephano fratri Theobaldi Blesiensis Regenti Angliam, Henricus filius Gaufredi Andegauensis multa intulit bella. Qui Rex Normanniæ Ducatum se viuente ei concessit, & post obitum suum ei Regni iura promisit. Henricus quoque senior eundem Henricum primogenitum vnicæ filiæ suæ adoptauit in filium, vt Vaticinium Ambrosii Merlini impleri crederetur de Henrico illo munifico, quem Leonem Iustitiæ nominauit dicentis. *Nocebit possidenti ex impijs pietas, donec se se genitore induerit.* Stephanus etenim & Theobaldus de sorore senioris Henrici erant, ideóque Henrico, qui erat ex filia hereditas rectiùs pertinebat. Stephano Rege obeunte, Henricus Dux Normannorum & Aquitanorum regnum adeptus est Anglorum, ad cuius gubernacula obtinenda multum ei valuit Rainaldus Comes de

Cornualia, immo Robertus Comes Gloceſtriæ, qui aui ſui Henrici, licet non de propria vxore, filius fuit. Stephanus Rex anno ſui regni XVIII. Vueſtmonaſterij, & in Monaſterio Famfram ſeptem leucis ab vrbe Cantuarienſi tumulatus eſt. Henricus adepto regno rediit Lemouicas, & de Burgenſibus XXX. ſolidos de Abbate Petro VII. ſolidos, & ſeptem mulas exegit. Terram Vicecomitis Ademari commiſit Gaufredo de Nouoburgo, cuius erat frater Rotrodus Comes Perticæ, & Guillermo, qui cognominabatur Pandolf: ſub quibus ferè per triennium terra quieuit. Archambaldus ac Bernardus dum Vicecomitatum tenerent, Petro Abbati S. Martialis hominium in Capitulo ſolemniter fecere. Poſtmodum Ademaro puero Rex honorem reddidit paternum, data ei Sara vna ex tribus filiabus Rainaldi Comitis de Cornoailla (quæ anno MCCXVI. in feſto S. Columbani ſepulta eſt apud S. Aredium, relictis tribus militibus, Guidone, Guillermo, & Ademaro.) Tunc Guido Vicecomes obſederat Axiam.

Margareta vxor Ludouici Regis Francorum ſecundam enixa puellam obiit. Ludouicus perpendens, eò quòd omnino virili prole careret, in amaritudine ſpiritus ſe temporalem vitam finire; iam enim deſperabat de filio, rogatus à Principibus ſuis vt dignaretur coniugem accipere, acquieuit, & ſororem Henrici Bleſienſis Theobaldi ac Stephani, quæ Ala dicitur, ſibi copulauit, ex quâ poſtmodum vtriuſque ſexus vnicos procreauit: ſcilicet Philippum Auguſtum, & Agnam aut Agnetem vxorem Alexii Imperatoris Græcorum.

His propriis diebus eleuatum eſt à proprio tumulo S. Eligii corpus Nouiomo, adfuerunt Solemniacenſes Monachi P. de S. Martino, & Archiambaldus, qui poſteà exſtitit Abbas, frater Alboini Archidiaconi; qui reliquias ſibi datas de brachio Præſulis almi in ſuo Monaſterio Monachi Nonis Iulij detulerunt.

CAP. LVII. *Translatio SS. Leonis & Coronati apud Vſerchiam.*

Vſerchia quoque corpora SS. Leonis & Coronati ad altare S. Martialis aſſumentes feria VI. & VIII. Idus Decembris, & Dominica ſequenti in ſepulchro Monaſterij intromiſerunt, nec defuerunt diuina miracula in tranſlatione ipſorum; ſupraque memorati Eligij Solempniaco.

Hebdomamada primæ Dominicæ Aduentus Vigenna fluuius aruit apud Auſam, ſeu apud Axiam Caſtrum, adeò vt vulgus caperet cominus piſces. Gelu etenim eſcluſas ſuperius * annis reſtrinxerat, donec ſol incaleſceret meridie.

Tunc Petrus Abbas Romam perrexit, & vterque Geraldus Lemouicenſis, & Caturcenſis Præſules; ſimulque Petrus Abbas S. Auguſtini, & Martinus Anteceſſor meus Prior Voſienſis toto illo anno tenuit Lemouicenſem Prioratum. Reuerſos tempore Paſchali Præſules excipimus feſtiuè canentes Reſponſum. *Iſti ſunt agni nouelli, &c.*

CAP. LVIII. *Tholoſam Rex Anglorum obſedit contra Comitem.*

Anglorum Rex Henricus tunc maximo cum exercitu obſedit Tholoſam. Ibi fuit Malcolmus Rex Scotorum, ac Heroum & Præſulum innumera multitudo, Regémque Scotorum Henricus apud vrbem Petragoricam in prato Epiſcopali militiæ cingulo redimiuit, qui nouus miles XXX. Heroum liberos recentis Tyrocinij conſocios faciens, proſecutus eſt Regem.

In feſto S. Martialis, circa quem iſta gerebantur, Geraldus Epiſcopus proceſſionem nobiſcum vix rogatus expleuit, datâ ſuper populum benedictione iter illico aggreſſus eſt cum militibus, accerſitus à Rege idem Pontifex oculis cœpit tunc infirmari, citráque tertium annum circiter omnino cœcus effectus eſt.

Rex Ludouicus Tholoſæ auxilium ferebat Comiti Raimundo, qui ſororem eius Conſtantiam habebat vxorem. Tunc Rex Anglorum vrbem nolebat appetere bello ob reuerentiam Ludouici, ſed dimiſſo exercitu per Vſerchiam tranſiens cum Rege Scotorum deuenit Lemouicas circa feſtum Archangeli Michaëlis. Poſt hæc in natali Domini nimio gelu conſtricta eſt tellus. Petrus Abbas tunc placitum habuit cum Petro Bernardi de Vernolio, qui contra ius ex baiulo militiæ cingulum vſurpauerat, & cum conſanguineo eius Aimerico Preſbytero properè nuper pedem

Digitized by Google

collisisset (aliàs properè licet nuper pridem cessisset) Petrum Archiepiscopum Bituricensem prosecutus est. Vt autem cognouit aduersæ partis trutinam non æquâ lance à Præsule deprimi, ad aures Papæ dolenter appellauit. Pontifex commotus respondit Abbati. Ad quem Papam appellasti? Abbas statim: ad Metropolitanum: protinus, ista tu nota, persoluam. Attonitus Præsul obstupuit, metuens de verbo ineptè prolato, reum se Maiestatis coram Papa proclamari. Nuper etenim super eum Schisma exortum fuerat in Ecclesia Romana, defuncto superius Adriano. Ex vna parte Rolandus Cancellarius electus vocatus est Alexander: ex alia Octauianus quidam assumptus dictus est Victor. Octauiano fauebat Frederici Imperium, Rothlando Gallia, Anglia, & Oriens vniuersus.

Anno ipso in Octauis Dominicæ Ascensionis, ego cum Gregorio Vosiensi benedictionem Monachalem à Domno Petro suscepi. Ipso die Thetbaldus Blesiensis, frater Henrici, de S. Iacobo redieas, à toto Conuentu festiuè exceptus, in sepulchro Apostoli x. Marchas argenti obtulit, ac in processione cecinimus Responsorium, *O quam glorioſus eſt Miles ſanctus Martialis.* crastino caput S. Martialis Comes ostendi sibi rogauit, vidit & gauisus est, expensas ei per suum Principatum, licet inuito, Rex Anglorum regaliter præparabat.

Cap. LIX. *Modus in Celebratione Lemouicis seruandus.*

In natale Principum Apostolorum Petrus Archiepiscopus Bituricensis veniens Lemouicas, ibi solemnia peregit. Die S. Martialis disceptabant Canonici aduersus proximos Monachos de Diacono vel Subdiacono Missæ Maioris. Si Episcopus Lemouicensis cantaret nulla foret discordia, quoniam Canonici essent ministri. Tandem rogante Petro Abbate S. Augustini, permissum est habere Archiepiscopo ex Bituricensibus Hypodiaconum & Leuitam, recognito quod Monachi deberent dicere Epistolam & Euangelium, quæcumque persona, excepto Præsule Lemouicensi, celebret Missam. Qui Pontifex etiamsi missam cantauerit, ex oblationibus nihil prorsus habebit, nec ei vlla procuratio fiet, quin immo Eustorgius Præsul missa magni diei quondam celebrata, socius suis secus recedentibus Canonicis, in refectorium solus intrabat, ac quasi quilibet peregrinus coram Amlardo Abbate se præsentauit. Cui Abbas lætus assurgens iuxta se eum sedere fecit: paritérque epulati sunt. Quia ista dixi de Præsule, consuetudines, quas habemus cum Canonicis, scribam ignaris. Cathedrales Clerici natali Sanctorum Apostolorum hora nona venientes in choro Basilicæ Regalis, solemnes illico celebrant matutinas. Post hoc recedunt, iterúmque nocturnos de eodem Apostolo in Basilicâ celebrant propriæ ciuitatis, aliàs prope ciuitatem, in crastinum circa tertiam procedunt ornati, tot cappas quot baculos gestantes, textum cum candelabris, aurea præduce cruce, dextrum exornant chorum. In sede Abbatis residente Decano, officium. *Gaudeamus* omnibus tacentibus Monachis totum expletur. Post eos Monachi totum cantant tacentibus illis: & *Kyrie eleyſon*, Canonici priùs, Monachi posteriùs, alternando triumphant. Responsorium Canonici incipiunt, versúmque sequentem, quibus voluerint melodiis Musicis explent, *Alleluya. Non vos relinquam Orphanos*, Monachi modulisant. Canonici prosam, *Valde iumen* incipiunt, Monachi alternando prosequuntur, vbi Monasticæ mutationes. Canonici dicunt: *Canonica Laude caterua*, quia in sorte illorum cadit offertorium, communionem & cætera pariter implent. Cantor Vrbis vna cum Præcentore nostro. *Gloria in Excelſis Deo*, Missam celebranti pro consuetudine indicit. Missa finita, insimul omnes repetunt vrbem. Inuicem in Inuentione Protomartyris viginti ex nostris, cum ornamentis & cruce aureâ præcedentes sinistram vrbis Ecclesiæ vnà cum Monasteriis Sancti Augustini & Sancti Martini ad missam dignas laudes ordine quo supra ritè persoluunt. Aliter olim longè fiebat. Solebamus enim habere consuetudinem eandem apud ipsos in Inuentione, quam ipsi apud nos in Apostoli nostri maximâ die. Sed bellis impedientibus multoties non est qui veniat ad solemnitatem. Non fit pugna de paupere Regno. In rogationibus cùm veniunt, Canonicus Hebdomadarius in altari nostro principali, ac noster in illorum, Missa celebrant. Quod Monachis aliarum Ecclesiarum minimè, nec Pontificibus Abbatibúsque licet, si Hebdomadarius illorum, vrgente qualibet necessitate, istam Missam cantare, nec

alius de illa Ecclesia valuerit, non licet alium expetere Monachum aut Canonicum, nec ex Monachis Sancti Martialis Hebdomadarium. Quod multoties vidimus aliquos illuc peragere, videlicet Guidonem de Grandmont, Gumbaldum Rustem, Seguinum de Gaschas, Guillelmum Boarel, & alios quosdam. Nos verò idem agemus ex illis si fuerit necesse. Dominicâ in palmis Canonici sanctorum Stephani & Andreæ, Monachi Sancti Augustini atque Martini post trinam pulsationem campanarum, classo personato, conueniunt omnes super Ecclesiam sancti Pauli, cum textis, crucibus, candelabris, thuribulis, atque vexillis diuersarum specierum, ferentes morenam id est imaginem protomartyris cum gleba sanctæ Flauiæ ac diuersarum Ecclesiarum apparatus honestos. Tunc Monachi S. Martialis canditati confluunt cum Morena Saluatoris aureâ, & capsâ Beati Austriclimani, præter ornamenta plurima, vexilla quinque pretiosa quæ appellantur Bannum Gulferii de Turribus. Facientes itaque duos choros, licet multa turba nimis impediat, decantant Canonici eleganter antiphonam, *Occurrunt turbæ*. Post hæc Armarius eligit ex suis, qui eandem antiphonam modulatur consonâ voce. His expletis Cruces, vexilla, vel reliquiæ vrbis supplicant nobis, nostrum illis cum toto clero ac populo per tres vices. Prius tamen Pontifex Abbates, & Priores in cappis thure vaporanti vicissim honorant Sancta Sanctorum. Post hæc apud S. Martinum ab omnibus pergitur, laudesque sancto redduntur, Præsul vel Abbas Sancti Martialis, aut si ipsi defuerint, alij Abbates seu Prior noster publicè benedicit flores, ac sermonem ibidem populo facit. Dum sermo profertur, Canonici expectant canentes S. Martialem, adorato crucifixo in choro Basilicæ Regalis tertia cantatâ honestè recedunt: sermone habito, redeunt nostri ordinatè psallentes. Cum aliquis ex Monachis obit, si mandatur illis, veniunt cum cruce, nouissimum complere funeris officium: ad tumulationem eo ordine Canonicorum Monachi pergent, si mandatum fuerit, tradéntque eis sinistram chori, sicut apud nos dextram Canonici, sempérque ad obitum Abbatis seu Pontificis alterutrum ad vigilias omnes conueniunt, & ad Missam cum ornamentis, vel aurea cruce officium funeris solemniter exoluunt. Cùm facit ordines Præsul ante omnes præter Cathedrales Canonicos ordinare debet Monachos Sancti Martialis, eisque Epistolam & Euangelium dicendi copiam dare. In Synodo sedebit Abbas supradicti Apostoli in dextris Pontificis, cum cappâ Romanâ, virgâque pastorali, cum necesse fuerit, Abbati seu Monacho ipsius debet libenter litteras dare, & nisi quatuor tantùm denarios ab eis Cancellarius nequaquam debet exigere. In abbatiâ Sancti Martialis vel Ecclesiis quæ sunt de procuratione refectorij, non dabitur Episcopo procuratio mandata, nec Abbas spontè inuitabit eum, nec potest Episcopus Monasterium Sancti Martialis excommunicare, sed si populum interdixerit clausis portis cum pulsatione campanarum celebrabunt diuina. Vestimenta, corporalia, casulas, linteamina Monachi Sancti Martialis, cùm necesse fuerit, benedicunt. Requirentibus quamobrem Monachi cum Canonicis consuetudines tam vrbanas antiquitus habuerunt, maiorum dicta retexam. * In diebus antiquis vna Canonicorum Congregatio pariter possedit prærogatiuam Ecclesiarum Sancti Stephani, sanctique Martialis; & congregatio quæ apud S. Martialem manebat, vigilia Natalis Domini apud Sanctum Stephanum descendens eidem Ecclesiæ præsidebat vsque in vigiliam Beati Ioannis Baptistæ. Itidem Conuentus Sancti Stephani ascendebat apud S. Martialem, eidem Apostolo famulans vsque ad vigiliam eiusdem Præcursoris, cúmque hi exirent à Sancto Martiale, & alij à Sancto Stephano signa pulsabantur vtriusque Ecclesiæ, vsque quo hi istam intrarent Basilicam, & isti alteram: cùm verò Canonici sancti Martialis cum consilio Caroli Calui Regis Monachi facti sunt, diuiserunt cum Canonicis sancti Stephani possessiones antiquas, quas olim dederat Virgo Valeria cum Stephano Duce. Sed Iofredus Thesaurarius abstulit sancto Martiali Ecclesias Cayroiensem & Comudoliacensem sancti Iuniani, quas legitimo iure Monachi tenere deberent cœteráisque possessiones, quæ cunctis patent; huic Chronicę inferre fortè quibusdam esset onerosum.

CAP.

CAP. LX. *De Abbatibus sancti Martialis.*

Obscurante schismatis nubilo puritatem vniuersalis Ecclesiæ, Guillermus, cognomento Papia, vir sagacis ingenij, venit Lemouicas circa festum Protomartyris Galliarum Valeriæ. Hic monuit Petrum Abbatem Cluniacum pergere Hugoni Abbati suadere, quatenus, schismatico relicto, faueret Alexandro. Tunc Petrus in manus eiusdem Legati coram testibus Abbatiæ sancti Martialis renunciauit: hic cum honestate, religione, litteris peritus erat. Verumtamen mediâ corporis parte paralysi præpediebatur, ideóque quorumdam consilio quædam ordinans ineptè grauis debiti mole deprimebatur. Hic sancti Nicolai diem, quæ cum Prosa & Pitancia in Abbatia fiebat, in cappis agi, & infra Octauas Apostolorum, decimo Kalendas Nouembris, tertium Responsorium de sancto Martiali cantari instituit. Post Matutinas collocari in lectis Conuentui indulsit, quod aliàs nunquam, vsque ad Pascha, exceptis Octauis, aut festis minimè fiebat cùm crepusculo celebraretur in altum pro populo Missa Parochialis, & in Choro caneretur Prima Conuentualis, fiebat vtrimque improbus labor psalmodia, deinceps etiam Litania post Matutinas ex integro persoluitur. Prima tantùm diei post Euangelium, vel plus aliquantulùm protelatur, pro hac indulgentia ieiunat Conuentus cunctis diebus Dominici Aduentus, exceptis sanctorum Andreæ, Nicolai, atque Valeriæ, cuius festiuitas apud nos cum prima classe, ac solemni procuratione familiæ celebratur. Solemnitatibus quibus ieiunatur, vtraque Missa, horæque diei more cuiuslibet Dominici peraguntur. Verumtamen post Sextam festi interuallum quo lector & pueri, cum coccis accipiunt mixtum, statimque Nonam ante prandium psallunt. Profectus Cluniacum Petrus, capsam admirandi operis, crossam, calicem, crucem, ampullas, totiúsque Capellæ ornatum, simul equitaturas retinuit, imò plus dicam, rapuit; paulò pòst Cluniacenses Hugonem expellentes, Stephano cognomento Burgensi Abbati de Clusa sui apicem principatus commiserunt. Expulsus Hugo, vnum suorum Prioratuum in Imperatoris Frederici regno sibi vsurpauit, eò quòd Octauiano schismatico cum eisdem obediuit.

CAP. LXI. *Electio Abbatis.*

Consilio inito elegerunt Monachi sancti Martialis supra se Petrum, cognomento del Barri, Abbatem sancti Augustini, qui quondam Monachus extiterat eiusdem Apostoli vigiliâ Epiphaniæ. Hic extiterat frater Iterij militis de Axia castro, multarumque rerum scientiâ callebat. Iste officinas, Capellam, clausträque sancti Augustini absque vllius debiti grauamine à fundamentis construxit. Ibi post eum eligitur Raymundus, cognomento de Viennac, seu Bennac, filius sororis cuiusdam viri de castro Exidolio, qui Peys Bernard Ramnolfi Lopix cognominatus est: cuius aliam sororem Eufemiam habuit Ademarus de Breuil, de qua genuit Gaufredum patrem meum, & fratris mei Ademari, quorum domus est in villa sanctæ Mariæ Clarimontis super Exidolium castrum. Electus itaque Petrus à Guillermo Legato confirmatus est. Verumtamen prauorum consilio ex parte Regis impedita est ei regiminis susceptio. Quod illius primordia non mediocriter perturbauit; repentè etenim prosecutus est Regem, quoadusque in Ramis Palmarum cum illius gratia rediret. Tunc ad Processionem, Regis Epistola coram Clero & populo lecta est, quâ Abbatem regiâ dignum amicitiâ docuit vniuersos. Senior Petrus reuersus expetit Regem, tentans iterùm recuperare pristinum honorem; quod longè aliter contigit. Erubescebat Cluniaco gurpitionem confiteri timens argui durius ab illis. Postquam res venit in palam, secessit in obedientiam quandam, ibique non multum post tempus beato fine quieuit. Itaque Petrus in corpore Abbatiæ octodecim millia solidorum, & obedientiam de Rossac, Consors, Vernuel, Roser, quæ sunt de procuratione, totidem reperit debiti pondere grauidas. Quæ omnia, licet diuerso tempore, persoluit. In Epiphania processionem solemnem, sancti Martialis festum, quod Amlardus Abbas primùm decimo sexto Kalendas instituit, diemque sancti Pardulphi in cappis agi præcepit, diémque sanctæ Catharinæ in duodecim Lectionibus, rogante Beraudo Priore, Psalmos triginta, qui à Kalendis Nouembris vsque Pascha, cùm esset omni-

nò feriale pro quindecim & CXVIII. ad Horas pro Tertia, & ad Vesperas, vel ad Matutinas Sanctorum, XII. in tribus iugiter *Kyrie eleison*, vertit Horas Canonicas: dum se raderent, & inter Psalmos familiares, *Ad te leuaui*, remisit. Quos Psalmos vel Suffragia Sanctorùm nobis in solemnitatibus in prima classe dimisit. Matutinas vel Vesperas omnium Sanctorum non dimittimus etiam in Pascha, Psalmos quorum initium est, *Deus in tribus nostris*, dimisit, & ad singulas Collectas, quibus in suffragiis Sanctorum dicebatur, *Per Dominum*, tantùm dicitur, *Per Christum Dominum nostrum*: dum Vesperæ sonarentur, dicebamus tantùm de Beata Maria, cætera vacabant, post Vesperas dicebamus Suffragia, Psalmosque familiares, quæ cuncta, dum sonant Vesperæ, permutauit. Post quodque in duodecim candelis Hebdomadarius reuestitus, fumanti thure incensat Apostolum in sepulchro. Ob quam rem olim se bis reuestiebat. Idcircò quæ suprà monuimus, breuiauit, & dum Matutinæ pulsantur, quindecim solùm Monachi pridem vt nunc familiares psallunt cum *Verba mea*, soluuntur vt campanarum sonus prolixiùs audiatur; moderatè quippe diuina celebrari cupiebat. Ecclesiam sancti Martialis, quæ subest Exidolio castro, pro quo antecessor eius Petrus multùm laborauerat, ipse de Petro Episcopo pleniter obtinuit. Primò huius tempore penuria panis ac vini grauissima fuit cum pessima mortalitate. Sextarius frumenti septem, siliginis quinque, ciuada, tribus solidis Lemouicæ vendebatur. Hugo de Porcaria decimo tertio sui regiminis anno Vsercensem reliquit Abbatiam, post quem Geraldus de Mirabel Monachus sancti Martialis eligitur, sed obstante Petro Abbate suo, quicum pro quodam debito interdixerat, breuissimo tempore à Legato deponitur, & Petrus Mathæi Vsercensis Monachus efficitur Abbas. Geraldus Cluniacum petens, paulò pòst obiit.

Anno ipso tres Canonici ex Anglia venientes cum litteris Episcopi de Lincolnia, postulauerunt Reliquias de sancto Martiale dari Monasterio quod vocatur Præmonstratus locus. Hoc Cœnobium nouum in honore Apostoli nostri nuper à quodam Principe constructum fuit, nouem Abbatibus iam dominatur. Dum Processio omnium Sanctorum ageretur, Abbas Petrus vice illorum non sine lachrymis populum orat, quatenus acquiescat eorum petitioni. Canonici reuestiti ad dexteram Abbatis stantes, vniuersum gemitibus populum propulsabant. Quid multa? Post Euangelium Apostoli caput cunctis, qui adfuimus, Abbas ostendit, sumptisque Reliquiis eiusdem Sancti, simul & de beata Valeria, desideranter lætificauit. Eisdem Canonicis Abbas in omnibus prouidit, & eo die in Refectorio secum epulari rogauit. Capsam ex ebore præclaram Iterius de Crosent ipsis dedit, quâ Reliquiæ conderentur, & Petrus de Forua ceram, quâ vsque ad manè illuminarentur. Post cibum à populo extra muros cum gaudio deducti sunt.

CAP. LXII. *Mediolanum diuiditur in quatuor. Translatio trium Magorum Coloniam.*

Imperator Fredericus his diebus à Longobardis, propterea quòd ipsi eum impediebant, grauia exigebat: quamobrem multis eos prœliis lacessiuit, vrbemque Mediolanum per conditionem acceptam quadrifariè diuisit. Tunc Raymundus Berenger, pater Adelphonsi Regis Aragonensis obiit. Magos tres beatos inde auferens, Coloniam Agrippinam ciuitatem translatione eorum splendidiorem effecit. Horum nomina Gaufredus Burdegalensis Archiepiscopus his versibus prodit:

Tarsensis præcedit, Arabs subit, inde Sabæus:
Nomina sunt, Gaspar, Baltazar, Melchior illis.

Postmodum Imperator appetens Romam penetrat, muros cum magna parte Monasterij sancti Petri diruit, Burgum igne cremauit. Christianus Cancellarius Moguntiæ Archiepiscopus erat tunc, cuius præsertim factione ista gerebantur. Verumtamen vltio diuina exercitum Imperatoris pessimè postmodum prostrauit. Præterea Fredericus corpus Caroli Magni eleuans à terra, in capsa aurea infiniti pretij lapidibus decoratâ collocauit. Extunc authoritate Metropolitani Colonienſis Aquisgrani solemnitas de eodem Cæsare Augusto orthodoxo, sicut de Sancto, agitur, quæ priùs fiebat de fideli defuncto.

Ademarus Vicecomes Lemouicensis adolescens per dies illos fecit Abbati Petro hominium solemniter in Capitulo.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXI. apud Lemouicas per duodecim fatuos, quos Ioculatores vocamus, accepit res initium. Simul epulati (hospitalati) sunt quasi confratres, & ex paucis denariis qui superfuerunt in cathedra sancti Petri, ceperunt tugurium constructre ex lapidibus viæ super petram Martyris Reginæ Galliarum Valeriæ; arcus ibi, sed modicè ædificatus à burgense quodam olim. Cœperunt pueri ferre onera ad illud opus tantillum perficiendum: mimi & histriones eò confluêre, remque ceperunt circumquaque diffundere. Quid multa? Pentecostes die octauâ Missa ibidem celebratur, locusque ob signorum multiplicitatem frequentatur, commeatus (conuentus) ab Episcopo per totam diœcesim indicitur octauo Kalendas Augusti.

(Anno gratiæ MCCXII. in festo Victoris & Coronæ dedicata est eisdem Ecclesia à Ioanne de Veyrac Episcopo Lemouicensi, honorificè ornata, ac depicta. Tunc ibi est reposita eiusdem Virginis capsa, simulque imago cum innumerabili militum ac plebium caterua.) Gestatorium sancti Valerici, cum argenteo sancti Pardulphi de Garacto, reliquias Virginis iuxta morem foris muros excepimus in cappis sancti Valerici ad Monasterij portam Occidentalem. Sedquia Garactenses iactabant se beatum Pardulphum habere, noluit Abbas siue Conuentus eos ex ordine recipere, ne in scrupulum Principibus de Turribus veniret, qui eumdem Patrem Arnaco intulerunt, brachio protomartyris nostræ Valeriæ relicto, cæteri redière. Quanta tunc confluxit multitudo vtriusque sexus & ordinis, quantáve sit oblata immensitas munerum, quæ ornamenta delata, quæ thura incensa ad decorem processionis, etiam nos qui adfuimus, fari nequimus. Episcopus Geraldus, licet ex toto cœcus, populis benedictionem largam omnibus dedit. Loci huius Prioratum tenebat Raymundus Monachus pro Monasterio sancti Martialis, & sanctæ Valeriæ, ad cuius ius pertinet idem fundus. Dehinc amplior Basilica construitur, certè reuerà res à Deo geritur.

CAP. LXIII. *De Abbatibus.*

Almodis vxor Oliuerij de Turribus, post Archambaldum Patrem his diebus obiit, ad cuius funeris obsequium, quinto Kalendas Septembris Arnaco adfuit Amelius successor Rogerij primi Dalonensis Abbatis, cum subditis sibi Abbatibus nouem. Præter hos Ademarus Abbas Vosiensis anno quadragesimo sui regiminis adfuit, infirmitate quadam laborans. In festo omnium Sanctorum Petrus Abbas sancti Martialis apud Vosias processionem solemnem ipso die agi perpetuò præcepit. In diebus Natalis Domini & Epiphaniæ, Abbas Ademarus Missas celebrauit, & in Octaua Dominicæ Apparitionis, perceptis salutaribus Sacramentis, ab electione sua anno quadragesimo, mense secundo, die decima septima valdè manè spiritum exhalauit. Quo iuxta Raynaldum Abbatem tumulato in Conuersione sancti Pauli, præsente Domino Petro sancti Martialis eligitur Amelius de Monacho cognomine, Præpositus de Arnaco, frater Petri Archidiaconi.

Biennio expleto, occiditur Raymundus Trenchauel Vicecomes Biterrensis, à Burgensibus quadam Dominicâ Quadragesimæ; in Ecclesia Mariæ Magdalenæ, præsente Bernardo eiusdem vrbis Episcopo: Iurauerant enim Tholosano viuum illum reddere ipsi, eò quòd grauiter opprimeret ciues. Verumtamen de morte verbum non fecerat heros, cum illo tamen alij iugulantur.

Anno sequenti, Rogerius Raymundi filius, postquam Biterrenses valdè bellis afflixit, pacem cum eis fecit. Post hæc in hostem simulans ire, exercitum copiosum ducit in vrbem. Quid memorem cuncta? signo dato, hospitem suum quisque iugulat hospes. Quidam ex maioribus ad cumulum opprobrij altiùs suspenduntur. Iudei ab hac proditione immunes, seruantur illæsi: seminantur hortuli proditorum alieno semine, dum ciuium vxores & familiæ externis peremptoribus traduntur.

CAP. LXIV. *Diluuium mirabile.*

Riuulus quidam Sarlatum transiens, ortâ tempestate intantum excreuit, vt repleto Monasterio linteamina Altarium irrumperet, libros deleuit & pallia. Guillermus Dual Monachus, qui miles exstiterat, in Capitulo, & plures vtriusque sexus in burgo, pridiè ante Vigilias Apostolorum Petri & Pauli, circa nonam horam eneca-

Digitized by Google

uit: Pontia interiit, quæ de corpore Christi quædam fecerat inaudita, pro quibus ista contigisse nullus ignorat. Sed ista latiùs in libro miraculorum sancti Pardulphi narrabo, vbi multa de sacrosancto mysterio ad correctionem multorum, si Deus permiserit, proposui tractare.

CAP. LXV. *Cædes Monachorum sancti Martialis.*

In castro quoque Pompedorio his diebus pro quadam negligentia in Cœna Domini ibi patrata, in loco qui dicitur Madrias, cædes magna nimis facta est nostrorum. Verumtamen Garinus de Castello nouo ab Archambaldo de Felez ibidem tunc occiditur. Babyloniæ Domini nomen ob immensæ potestatis culmen, apud Saracenos vocatur Mulene (siue Murena) sub quo duodecim regij tyranni, quos vocant Admiralios, præsident vrbi. Horum primus Sanar (aliàs Azoard) dictus est: alter Siraconus. Sanar diligebat Dominum suum; Siraconus oderat illum. Motâ lite, orta est seditio inter Sanardum & Siraconem. Rex Ierosolymorum cum exercitu venit contra Babyloniam, & commissum est prœlium. Impetu facto, Babylonij fugauerunt illos prope montem Gisard (aliàs Mongiscart) loco, qui vocatur Boblet. Remansit solus Rex Balduinus cum sociis quinque, in loco qui dicitur Larrit, non longè à Babylone, versùs Ierosolymam. Tunc pertulit Magister de Hospitali Gerbertus Assaillit, cui Siraconus promiserat sexaginta mille aureos, quatenus pergeret in prœlio cum exercitu, damnum tam ingens, vt grauaretur debito quingentorum & octodecim aureorum, & onus sex equorum de auro & argento. Quo domus Misericordiarum ad tantam deuenit inopiam, vt quadam die deficeret omninò vniuersis panis: sed posteà Gallorũ Rex semel per nepotem nomine Bascum, Principem vrbis de Vadoir, cibauit illos iuxta morem loci; fuitque pretium procurationis vnius diei mille trecentorum aureorum: hos redditus persoluit eis Rex idem perpetuò in terra sua. Cuius nepos supradictus quibusdam se postmodum militibus in Hispania iunxit, qui sub specie Religionis contra Saracenos dimicant audacter. Horum secta nuper exorta, ob indicium bellicosæ probitatis Spatham ex pallio rubeo in habitu candido præfert. Siraconus rapuit vxorem Sanar occiso marito, quæ cùm effugere nequiuisset, licet inuita, tempori cessit. Contigit post hæc vt lauaret caput idem. Est autem illis consuetudo, lota capita linteo mundo inuolui. Tunc misit ei vxor linteum candidissimum, quod ille libenter amplexus, animum vxoris in amore sui conglutinatũ putauit. Cùm inuolueret faciem Siraconus, spiritum exhalauit. Turbantur amici, mulier aufugit. Saladinus fuit nepos Siraconis Principis partis Noradini filij Amersangi, regiæ dignitatis viri, qui occidit Mulene (la Morena) Dominum Babyloniæ, & possedit terram illius. Mortuus autem est Noradinus, relicto filio, qui vocatur Sansegui. Saladinus tantæ probitatis vir fuit, vt ei linqueret Siraconus auunculus terram suam, filiumque proprium subderet illi. Hic auditâ domini morte, simulato dolore à remotis partibus velociter venit, veste scissâ ejulando vociferabatur, terrâ puluerem capiti spargens. Videns Domina talia diutiùs fantem, ait ad illum: Si scirem te erga dominum, & me talem fore, qualem te ostendis, forsan thori maritalis facerem consortem. Qui ait: Indignus, Domina, sum ex tantillo fieri tantus. Verumtamen si dignareris me tanto decore beare, non mihi regium nomen vsurpabo, sed quasi minister tibi, ac filij tui præceptis obtemperabo. Quid multa? Optatis fruitur hymenæis, vrbes, castraque muniuit, filius vxoris, imò domini sui exul efficitur, nullumque municipium, exceptis Malbec, Alep, Roaen ei relinquitur.

Regum nomina, nostris qui tẽporibus imperant orbi, modò describam. Primo loco ponatur excelsus ille Ioannes, qui regnis imperans magnis, humilitatis causâ Presbyteri sibi nomen aptauit. Huius principatus diuersarum copias rerum, qualiterve plures ipsi seruiunt Reges, & de Archiprotopapatu, vel quâ de causa pater eius, Quis vt Deus? dictus est, Epistola Emanueli ab eo directa prodit breuiter. Secundo loco idem Emanuel Græcorum Imperator, cuius pater (imò auus) ac filius dictus est Alexius, sub quo quatuor Reges vrbem Byzantinam ornant, quapropter Regia vocatur. Horum primus dicitur Magnus Domesticus, alter Protospatharius, tertius Michaël, quartus Protosebastos. Tertio loco Rex Italiæ Federicus nominatur, successor neposque Conradi, Romani Imperij diademate clarus. Hierosolymam regit

Amalricus filius Fulconis, cuius filius, ſicut pater, dictus eſt Balduinus. Galliam Ludouicus filius Ludouici, pater Philippi. Angliam Henricus filius Gaufredi Martelli; Scotiam Henricus filius Dauidis. Hybernię quatuor Reguli imperant. Cornuuallius, ſeu Gorneual, Rex Danorum vocatur. Siciliæ regnum his diebus Guillelmus filius Rogerij, filio tradidit Guillelmo. Rex de Maroc Anicacopus, Nauarræ Sanctius, Valentiæ Lupus, Aragoniæ Adelphonſus filius Raymundi Berenger filij Sanctoli. Ferdinandus ac Sanctolus pater inclyti Adelphonſi, qui habet Alienoram filiam Henrici Regis Anglorum, Toletano præſident regno. Hungariæ Rex dicitur Bela. Vrbanus III. Lucij ſucceſſor in * Pentecoſte, anno MCLXXXV. Dominicæ Incarnationis. In Regum ſerie ſcribatur Dux Aquitanorum & Vaſconum Richardus, qui ad probitatis opera nunquam exſtitit tardus, cuius adoleſcentia magnâ floret induſtriâ.

Bernardo in Petragorico ab hoſtibus capto tamdiù ſolutio eius à nepote Ademaro impedita eſt, quouſque redderet ei Exidolium caſtrum, quod in vita ſua ex conuentu dicebat habere debere. Sed non multò pòſt milites propter tyrannidem Ademari caſtrum Bernardo reddiderunt. Hinc orta eſt ſeditio inter illos, quæ tali pacto finitur: Terribili iuramento iurauêre viciſſim altervtrum amicitiam ſe ſeruaturos. Die ipsâ de Exidolio venientes, ab Ademaro in caſtro de Segur inuitantur circa Epiphaniam. Epulantibus illis nocte iam ſimul, ſubitò irruunt armati, captiſque vniuerſis, Helias & Bernardus carceri mancipantur. Oliuerius de Turribus illic noluit manere, qui ſi teneretur, res non benè geſta in deterius terminaretur. Iteratur recidiua peſtis, Principibus aduerſum Ademarum conſurgentibus, qui pro ipſo Bernardo patruo iurauerant. Quid multa? Niſi comes de Marchia Audebertus veniret ſuppetias, Ademarus non poterat tantorum ferre impetum: Idcircò de pace in breui tractatur, & Bernardo redditur caſtrum, cingulum militiæ à Rege Anglorum percepit. Infra breue tempus Helias non longè à Petra-Bufferia, dum Ademarum nepotem fugit, iactu terræ, quòd tempeſtiuiùs plueret imber, ignatus corruit, & à milite quodam lanceâ confoditur. De hoc mihi multi multa dixerunt: ſed Guillermus de Longaſpa, filius Iſarni de Lois, huius criminis pertulit damnum.

CAP LXVI. *Eccleſiæ Grandimontenſis conſecratio.*

Grandimontenſis Eccleſia circa tempus illud conſecrata eſt, ſcilicet anno MCLXVI. pridie Nonas Octobris, Dominicâ die (*ſcribendum arbitror* MCLXVIII. *aut certè legendum ſexto Nonas*) in honore B. Virginis Mariæ, à Petro Bituricenſi Archiepiſcopo, qui eis reliquias de vndecim Martyribus detulit, & à Bertanno Burdegalenſi, Geraldo Lemouicenſi, Geraldo Caturcenſi, Petro Engoliſmenſi, Rogerio Sagienſi, & Ioanne Petragoricenſi Præſulibus. Ibi reliquiæ de Apoſtolo ſancto Martiale à Monaſterio ſuo delatæ fuerunt, quas receperunt ſolemni proceſſione vniuerſi, de quo ſtationem celebrant ad Veſperas, & in Matutinis vbique. Primus eiuſdem Cœnobij exſtitit Prior Stephanus de Mureto, aliàs de Tierno. Secundus Petrus Lemouicanus. Tertius Petrus de ſancto Chriſtophoro. Quartus Stephanus de Liciaco. Quintus Petrus Bernardi frater Aymerici Bernardi Militis de Bré. Sextus Guillermus, cognomento de Axia, qui de Trainhac erat. Tempore ſupradicti quinti Prioris Petri Bernardi de Bré, aliàs de Boſchiac, fuit facta conſecratio Eccleſiæ Beatæ Mariæ Grandimontenſis. Hic Petrus cùm eſſet miles, de Sibylla vxore genuit filiam, quæ dicitur Agnes, quam accepit Americus de Lur, miles de ſancto Ioanne: poſteà factus Cœnobita, Preſbyter ordinatur.

His diebus Mathildis Imperatrix, Monacha Fontis-Ebraudi obiit, quæ Grandimontenſibus tunc triginta millia ſolidorum, & filius eius Rex totidem pro ipſa dedit.

Geraldus Epiſcopus Cadurcenſis, apud Beneuentum fecit Ordines in vigilia Matthæi Apoſtoli anno ſequenti, méq; ibi ordinauit Preſbyterum; perſeuerauit in Epiſcopatu quadraginta (ſeu quinquaginta, vt in alio exemplari) annos, & ampliùs. Hic Epiſcopus Geraldus ſepultus eſt in Grandimontis Eccleſia, in choro ſub tumba cuprea.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXVII. nocte quæ diem Baptiſtæ claudit Ioannis, crematum eſt Lemouicenſe caſtrum, clocarium, ſigna optima, etiam Ec-

cleſia ſancti Michaëlis de Peſtaria. Verumtamen clauſtra, officinæ, & burgus de hortis ſanctæ Valeriæ, Deo miſerante, ſaluantur. Eâ nocte Petrus cognomento Tauran Monachus, obiit, craſtino Dominicâ lugubri traditur ſepulturæ.

Ante dies illos Guillermus Sector-ferri Engoliſmenſis, Audebertus de Marchia Comites, Robertus de Selit, cum quibuſdam aliis inſurgunt aduerſus Regem Anglorum. Dominica die Quadrageſimæ apud Subterraneam nuntij Regis venientes, Bridorienſe caſtrum cum ſuis pertinentiis Bernardo & Fulconi Vicecomitibus de Broſſa reddiderunt. Ego tunc Subterranex degebam, cùm genitrix mea die ipſo apud Clarimontem Exidolij obiret. Hæc Lucia filia Bernardi Marchés de ſorore Guidonis & Alduini ſeniorum de Nobiliaco, qui nepotes exſtiterunt, Guidonis, Geraldi, & Gulterij de Turribus. Vltima die menſis Martij S. Paſcha celebrabatur. Guerra per biennium protracta per Ludouicum Regem terminum ſumpſit anno MCLXXX. (*decuſſem ex eo numero expungendum arbitror ex ſequentibus*) terram perditam exules recepêre. Verumtamen Robertum de Selit quadam occaſione captum Rex Henricus crudeliter ferro indutum, pane arcto atque aquâ breui cibauit, donec defecit. Anno quo ſuprà, magna fuit abundantia frumenti, vini, & olei. Subterraneæ vidi ſextarium vini pro vno denario, ſextarium frumenti pro quinque ſolidis, & quinque denariis, *de ſeigle* pro tribus ſolidis.

Anno ſequenti Amelius Abbas Voſienſis, Vigiliâ Aſſumptionis B. Mariæ Cœnobium Obaſinæ ingreſſus, non albus, ſed brunus de nigro efficitur. Hic domum ſibi creditam per annos ſex, & menſes totidem optimè rexit; ſed à contrariis ſalutarium præceptorum irritatus receſſit. Electus eſt die S. Iuliani Petrus, cognomento Durnais, profeſſus S. Martialis. Domnus Petrus Abbas ſancti Martialis adeſſe non potuit, ſed pro ſe miſit Marbodum, Boſonem, Guillermum de Mananue, qui vices illius agerent in electione: Qui videntes ſchiſmata, vel loci detrimentum, rem contradixerunt. Electus poſtmodum ratione cogente in Capitulo Apoſtoli Martialis, coram Domno Petro Abbate, virgam paſtoralem relinquens, ſupplex perſeuerauit, quouſque cum illius gratia in pace rediret.

Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis vita vel mors pretioſa, qualiter his diebus patrata exſtiterit, quia vbique ſcripta fertur, non eſt neceſſe nunc iterari.

Hoc anno Burgenſes de Subterranea ad inuicem iurauerunt, vt nullum omninò Monachis darent expletum, quod vocatur tailliada. Agebant verò iſta conſenſu Comitis Audeberti, qui pro lucro deputabat diſſidium tale. Cúmque Abbas & Aymericus nepos eiuſdem, & Præpoſitus qui erat de Montagnero caſtro Petragorico, rem aliter non poſſent comprimere, expetunt Regem Burgenſes perterriti. Clocarium munierunt feriâ ſecundâ hebdomadæ Paſchalis, quæ fuit quarto Kalendas Aprilis. Altera nocte duo adoleſcentes ebrij putantes cæteris ſe obſequium præſtare Burgenſibus, percuſſerunt Raymundum Monachum quendam, qui craſtino, hoc eſt, feriâ quartâ, à nobis in clauſtro ſepelitur. Hic nuper Miſſam primitùs decantauerat, cùm eſſet ortus de villa Voſienſi. Altera die, feriâ quintâ, celebrata eſt Annunciatio Dominica, quæ præcedenti euenerat myſtica Cœna. Quo facto, Abbas experit Regem, qui eos valdè oppreſſit, ſicque coacti, ſeruitia Monachis ſolita reddunt: homicidæ verò fugati ſunt, domuſque illorum anathemati tradita eſt.

Petrus Archiepiſcopus Bituricenſis Kalendas Maij decedens, Stephanum habuit ſucceſſorem: hic infra paucos dies Pariſius, vnde exſtiterat oriundus, moriens, Garinum reliquit in loco ſuo.

CAP. LXVII.

De Rege Anglorum Henrico, & Richardo Duce Aquitaniæ.

Monaſterium ſancti Auguſtini Lemouicis incœptum eſt conſtrui. Tempore illo Regina Alienor cum filio Richardo Lemouicę fortè cùm eſſet, lapides in fundamento primi iecerunt.

Tempore illo Rex Henricus ſenior filio Richardo ex voluntate matris Aquitanorum tradidit Ducatum. Poſt hæc, apud ſanctum Hilarium Pictauis Dominica poſt Pentecoſten, iuxta conſuetudinem, in Abbatis ſedem eleuatur, ſed à Bertramo Burdegalenſi, & Ioanne Pictauenſi Præſulibus lancea ei cum vexillo præbetur, & ad

Digitized by Google

processionem cantatur, *O Princeps egregie*, hoc Responsorium sancto Martiali subripuêre. Sed esto: quicquid honoris habent Aquitanici Sancti post Dominum ab eodem Apostolo accepêre, ideò non illis imputetur. Procedenti tempore Richardus Lemouicas veniens, in vrbe cum processione suscipitur, annulo sanctæ Valeriæ decoratur, nouúsque Dux ab omnibus proclamatur. Anno ipso Lemouicæ primò festum almi Pardulphi in cappis celebratur: quo die ibidem Iterius Bernac filius Gaucelini de Petra-Buffęria honestè tumulatur.

Anno sequenti Raymundus Comes Tholosanus Lemouicæ veniens, & coram Rege Anglorum, & vxore, filióque Richardo, & Principibus multis pro vrbe Tholosana hominium fecit, prædictámque ciuitatem ex eorum beneficio recepit: Qui Raymundus tunc patefecit Regi, qualiter filij & vxor contra illum conspirauêre. Rex consilio illius, quasi gratiâ venandi cum paucis egressus, velociter vrbes muniuit & castra.

Regrediens inde Raymundus, & Rex Anglorum per Vosias iter fecit, quo populus multus occurrebat pro reliquiis nuper ibi delatis, pro quibus in alio libro copiosiùs scribam. Dominicâ quâ cantatur, *Inuocauit me*, factum est hominium istud quinto Kalendas Martij. Ipsa die in conspectu Regis Guillermus Abbas de Radingas in Burdegalensem Archiepiscopum: feriâ quartâ, aliàs sextâ, heroës qui per dies septem Concilium celebrauêre, Lemouicâ discedunt ab vrbe.

Sabbato sequenti Petrus Episcopus Petragoricâ in vrbe Ordines fecit: Interim præsente electo Archiepiscopo Burdegalensi, corpora Præsulum de Capitulo effodiuntur, diéque sequenti ante Altare sancti Bartholomæi singuli in loculis nouem honore condigno in Basilicâ sancti Fontonis reconduntur.

Patre ac filio per biennium in alterutrum sæuientibus, adeò Rex multis thesauris exhaustis nauseatus est, vt Brabantionibus, qui ei parebant, pro mercede Spatham regiæ coronæ in gagium mitteret. Locutus denique cum quodam Normanniæ Episcopo, à quo pro consuetudine pœnitentiam accipere solet, ab eo tale responsum Rex accepit: Si fieres humilis peregrinus Thomæ Cantuariensis, credo tibi pacem à Domino dari. Qui ait illi: Si dignoris venire mecum, pergerem libenter. Respondit Episcopus: Ibo gaudenter. Mare transmeato, condictum expetiuit locum. Cúmque deuotus vigilias celebraret ieiunus, coram se signo à sancto Martyre Archiepiscopo patrato exhilaratus est. Missâ finitâ, ab Ecclesia procedenti adeunt nuntij dicentes: Iucundare Rex Anglorum; nam de cælo tibi datur triumphus; Filius, inquiunt, tuus Manzer Regem Scotorum hostem tuum cum multis millibus hesternâ die captum carceri mancipauit. Exultanti animo Rex adstantibus ait: Pacem mihi redditam noueritis per meritum Archiepiscopi Thomæ, cuius sedulus auxilium imploraui. Statim mari transmeato Rothomagum venit, cuius aduentu cognito, ciues præ gaudio signa sonant Ecclesiarum, concrepantibus tubis turrium vniuersarum. Auditis his, Rex Ludouicus, & Philippus Comes Flandrensis, qui cum Rege minori Anglorum vrbem Rotomagensem obsederant, re tantorum gaudiorum cognitâ, obstupuêre, præsertim die alterâ; cùm viderent Regem extra vrbem ire venatum. Quid multa? Rex Ludouicus solutâ obsidione Franciam petit; defecerant quippe alimenta: Flandrensis remansit ad tempus consilio Petri de Aria, Præfecti sui, qui ei suggessit obsidionem non derelinquere, donec ad vulgi famem (aliàs fauorem) infinitum expenderet aurum. Non multò pòst filij cum matre coram patre humiliantes sese Regi submisêre, qui coniugem propriam matrem filiorum apud Angliam in turre de Salisberi per plures annos inclusit, recidiuam cauens machinationem. Supradictus Præpositus de Aria electus in Pontificem Cameracensem, infra breue tempus occiditur à clientibus Iacobi de Auesnes, qui zelotypiæ furore oderat illum. Hunc Comes exheredauit, quousque Iacobus eidem Flandrensi cum quindecim Comitibus, ac duobus Ducibus iusiurandum dare vellet, sceleris huius conscium se non fuisse. Iste Comes Insulam, quæ dicitur Grauelina, subdidit sibi, quæ Regem olim habuisse dicitur,

Ab ordinatione sua anno duodecimo Petrus Mathęi Abbas Abbatiæ renuntians, sospes successorem Raynaldum habuit de Maurangas.

Digitized by Google

CAP. LXVIII.

Hostilitas grauis inter Principes multos in Lemouicino.

Anno quo suprà frater meus Ademarus miles obiit (hoc est, millesimo centesimo septuagesimo tertio) in festo beatæ Mariæ Magdalenæ, die Dominicâ post vnum mensem, Ademarus patruum compulit Bernardum Exidolium abdicare castrum. Hinc oritur hostilitas grauis inter Principes multos. Tandem Arnaco vnà cum Geraldo Lemouicensi Episcopo congregantur Lemouico Raymundus de Torenna, Archambaldus de Comborno, Guillermus Sector-ferri, filius Comitis Engolismensis, cum Principibus multis, in Exaltatione sanctæ Crucis, feriâ sextâ, ibidémque Exidolium Bernardus nepoti Ademaro dimisit, accepto ab eo castro de Celon cum iureiurando. Cernens Ademarus Archambaldum cum vxore in castro de Celon diutiùs immorari, timens pro sui detrimento talia actitari, auunculo, vel Principibus, qui iurauerant, machinabatur dolos per hiemem occasione nebulæ cuiusdam diei. Tussis adeò immoderata populum corripuit, vt aliquibus in locis quidam interiisse dicantur. Tunc Ademarus municipium de Bré post Natale obsedit, ac per dies Quadragesimæ terram dominorum de Turribus deuastauit. Tunc Oliuerius de Turribus ad sui generis ignominiam, licet necessitate vrgente, Arnaco munitionem misit, quoadusque infidelium Monasterij consumerentur promptuaria. Arnaldus quidam Boseulus, qui dicebatur Delusus (vel Desur) à militibus Oliuerij peremptus cecidit de equo, qui à suis de Arnaco multo luctu delatus, in hospitali de Celon potiùs projectus quàm tumulatus est.

Paschalis dies veneranda tunc euenit nono Kalendas Aprilis, anno ab Incarnatione Domini MCLXXVI. (legendum MCLXXIV.) Dominica in Albis, Petrus Abbas vltimam maiorem Missam celebrauit, hydropi morbo penè laborans. Die, seu feriâ secundâ, quæ fuit Kalendas Aprilis, nocte concilio accolarum redditur castrum de Celon Ademaro Vicecomiti; túncque nix cecidit multa. Die sancti Martialis Petrus Abbas indutus albâ & cappâ, nouissimam ante sepulchrum vix Collectam expleuit. Post Octauas eiusdem Apostoli pacem adinuicem fecêre, accepitque Bernardus ab Ademaro castrum sancti Aredij pro castro Celonensi. Do mnus igitur Petrus dum festinat ad externa, à Burgensibus impetebatur, vt murorum magnam partem construeret: Et quia seditio erat inter Regem & filios, opus accelerabant, ne quandoque Dux fieri prohiberet redditâ pace; quod ita postmodum contigit euenire. Et quia Abbas tam subito operi tunc nequibat insistere, ruperunt Burgenses fontis venam quæ lætificat castrum, seruientibus & famulis captis priùs. Interim venit quidam dicens se esse Episcopum Auellinæ vrbis, potestatis Guillermi Regis: Fingebat se ab hostibus Alexandri Papæ captum, dum ad illum pergeret, ac pòst vinculis diuinitùs ereptum. Hic in tantam prorupit vesaniam, vt publicè super corpus Apostoli Missam celebraret, plebémque benediceret propria manu. Interim dies Inuentionis sancti Stephani aduenit, & in aula Protomartyris descendimus votiuas soluere laudes. Mayfredus Decanus de Mauriac, Tutellensis Abbatis frater, Missam tunc celebrauit. Hic eumdem declarauit falsissimum, asserens dio ipso quo ferebatur, Caturcensem Episcopum nequaquam fuisse apud Rocamadour; nec argentum, sicut ipse mentiebatur, eidem dedisse. Quid multa? Licet hæc prohiberet noster Episcopus Geraldus, idem falsarius à Canonicis bonis omnibus priuatus, opprobriis saturatur, ac de vrbe pellitur quasi Truant (Trudanus) qui super Christi discipulum pridiè Missam celebrauerat vt Pontifex magnus. Priuilegia ipsius Pater Abbas, licet æger, cognouerat falsa; sed timens impetum Lemouicensium contra illum, rem distulit propalare.

CAP. LXIX.

De signo viuificæ Crucis in Grandimontense Cœnobium misso.

Amalricus Ierosolymorum Rex portionem non modicam salutaris ligni transmisit de Vret per Episcopum sancti Georgij de Rama Grandimontensibus, qui olim

olim Monachus exstitit Burgi Dolensis. Hic orandi gratia sanctum adiit Martialem, deinde infirmum visitat Abbatem Petrum. Inde Amalricus Rex decedens Regnum filio tradidit Balduino. Omnia Sacramenta Ecclesiæ Petrus Abbas legitimè petiit & accepit: excessus suos coram Episcopo Geraldo, Abbate S. Martini Petro, Amelio tunc fratre de bona aqua quondam Vosiensi, & septem Monachis cum contritione cordis memoriter confessus est. Eleemosynam pauperibus * ante alium post obitum erogauit. Libros insignium historiarum fecit, claustrum infirmariæ cum domibus honestis constructæ depinxit, & alias quasdam construere dispositi. Reliquit duo millia solidorum ad comparandum suum anniuersarium, & procurauit Congregationes vrbis. Vltimo officio suæ depositionis Abbatiam absque debito dimisit. In thesauris Ecclesiæ præter crucem magnam contulit multa, tam integro intellectu permansit vt nocte qua transiit, famulis imperaret, vt eatenus in Ecclesiam illum deferrent, cum eius linguam cernerent impediri. Ante altare B. Benedicti matutinis expletis iij. hora IV. Idus Septembris (in alio exemplari habetur in feria 4. Idibus Septemb.) coram nobis omnibus spiritum exhalauit. Guillermus postmodum Abbas Vosiensis dexteram illius cum candela tenebat. Corpore ablutô illuxit aurora. Post biduum Canonici cum clero vniuerso exequias funeris celebrauere. Vosiensis Abbas Petrus, astantibus quibusdam Abbatibus maiorem missam vltimo expleuit. Defuncti venter plumbeâ plata stringitur, ne nimium intumesceret. Sepultus est iuxta Capituli parietem ad caput antecessoris sui Alberti casula indutus de Austoriblau, crossam tenens de Ebore pulchram, cuius lignum fractum est, vt intra tumulum posset includi, tunc pro voluntate cateruatim claustrum ingreditur sexus vtriusque populi multitudo secundùm quod in tumulatione proprii Abbatis consuetudo vsurpauit antiqua. Huius animam, ô bone IESV, suscipere digneris per meritum alumni tui inclyti Martialis.

Pardulphi clarissimi festum Dominicam perornauit diem, quando domnus Isembertus eligitur, quam Conuentus S. Martialis tam liberè egit, vt necesse non fuerit processionem confundere, quam insignem reddiderunt domnus Radulphus Abbas Cluniacensis cum annulo & mitrâ vel cappa Romanâ, Vosiensis Petrus cum Hugone de Montmurat Figiacensi Abbate, idem quoque nouus electus, qui solemnem missam decantauit. Fuimus fere plusquàm centum Monachi in ipsa processione in albis & ad missam in cappis prosam propriâ voce consona cantauere in pulpitò primò Aimericus Martel, secundo Gaufredus de Nioil. Episcopus quidem Geraldus præsens erat, sed non se reuestiuit eò quòd cæcus esset. Vitam dulciflui Patris Seguinus eo die recitauit ad mensam. Tunc renunciata est repentina mors Moysiacensis Abbatis domino Cluniacensi à quibusdam falsis fratribus recenter occisi, die S. Lucæ, aliàs sanctæ Luciæ, electus A. in vrbe à Petro Episcopo Petragoricensi accepit benedictionem, statimque apud S. Martialem ad portam Leonis solemnem recepit processionem, ipsáque die ad mensam ego recitaui Lectionem de Machabæorum gestis.

Ramnulphus frater illius Monachus Dolensis in Abbatem S. Sauini tunc promotus est. Hi filij exstiterunt Ramnulphi Escoblart nobilis viri de Castello Rofec (errant qui Castellum Radulfi substituere moliuntur) quod est in Bituricо. Horum fratres fuere Syluester, atque Guillermus, nec non & Gaudinus ille qui castrum de Ramafort egregiâ probitate construxit. Isembertus iste ab ineunte ætate Monachus S. Martialis, Monasterium de Rofec, vnde Prior erat, à fundamentis construxit sine quæstu per Ecclesias facto; Vineam muro calcineo cinxit, capsam S. Alpiniani opere mirabili composuit, possessiones meliorare curauit. Domum infirmariæ Lemouicæ adinstar Regii palatij extollens consummauit. Cœnobium, quod dicitur Arx, cum pertinentiis suis acquisiuit, & Mausac de tribus millibus solidorum redemit. Placitum cum Guidone de Guichain, vel Guahain, de seruientia Vernolij ad magnã Ecclesiæ suæ vtilitatẽ consummauit. Pro turre de Chastello Cheruix ei Vicecomes Ademarus placitum & hominium, simulque pro vniuerso feuo solemniter fecit. Conuentum populorum coram Legatis & Pontificibus Rom. Alexandro III. & Lucio nihilominus III. legitimè recuperauit: exactionem, quam Episcopus Lemouicensis vel Canonici sub nomine Confratriæ à populo violenter expetebant, sedulis reclamationibus irritari fecit: Pro his & huiusce modi benè gestis, licet diuerso tẽpore, infinitũ expendit argentũ. Heroum aliquando, principúmq; Prouincialium multitudo in castro de Belcaire diebus ęstatis celebrarunt inania festa. Causa fuit à Rege Anglorum dies indicta reconciliationis gratiâ Raimundi Ducis Narbonẽsis, & Adelphonsi Regis

Aragonensis. Sed Reges quadam de causa desinere. Tyranni nomen suum inaniter celebrauere. Tholosanus Raimundo Dagout militi munifico centum millia solidorum dedit, qui statim millenas diuidens per centenas centũ militibus singulis singulas tribuit millenas. Bertrãs Raiembaus, seu Raibaux, xij. iugis boum sulcari fecit castri plateas, ac perinde seminari denarios vsq; ad triginta millia solidorum. Guillelmus Gros de Martello, qui trecentos milites secum habebat, erat quippe Curia illa fere decem mille militum, omnes cibos de coquina cum candelis de cera & tæda coxisse refertur. Comitissa Sorgest (meliùs d'Orgel) coronam pretiatam xl. millia solidorum ibidem misit: disposuerunt enim Guillermum Mita, vel Iueta, vocari Regem super Histriones vniuersos, ni ipse quadam de causa defuisset. Ramnous de Venous, seu Raimundus de Venoul, triginta equos causa iactantiæ corã omnibus igne cremauit.

Quia de Prouincialibus ita descripsi, aliquid memorabile de Vicecomitibus nostris referam. Ademarus ille: qui postmodum Cluniaco Monachus exstitit, venientem Lemouicas Guillelmum Tolozani generum Guillelmi pro consuetudine procurauit. Petiit ergo Dapifer piper à Constantino de la Sanâ, seu Sarcia, qui ducens illum in domum quandam, vbi piper absque æstimatione erat expositum solo, veluti glans porcis seruitura. Enait, accipe piper ad Comitis salsas, & abrepta rustica pala non tam præbebat, quàm proiiciebat piper. Diuulgata res est fauorabiliter in aulâ. Dux verò rem tacitus considerabat. Contigit aliquando Ademarum Vicecomitem Pictauis adesse. Prohibuit igitur Comes ne quis Vicecomiti venderet ligna. Tunc Clientes Ademari comparauere nucum aggeres immensos, ex quibus rogum accendunt copiosum, hoc cognito Dux fauore congruè extulit Lemouicenses, qui illos multifariè reprehendere tentauerat rusticitatis causâ, seu nota.

Ebolus frater Petri de Petra-bufferia ex Almode matre erat valdè gracios us in cantilenis. Qua de re apud Guillelmum filium Guidonis est assecutus maximum fauorem Verumtamen in alterutrum se se inuidebant, si quis alterum obnubilare posset inurbanitatis nota. Contigit præterea Ebolum Pictauis deuenire, aulámque ingredi Comite prandente. Huic fercula quidem præparata sunt multa, sed non statim; Comite pranso, tunc dixisse fertur, Ebolus idem, Comiti non congruit tanto ciborum coctionem repetere pro Vicecomite tantillo. Post dies aliquot repedantem ad patriam Ebolum ex improuiso Dux sequutus est. Prandente Ebolo Dux cum centum militibus aulam Ventadour concitus intrat. Ebolus se Philosophari animaduertens, aquam manibus illorum fundi citissimè iubet. Clientes interim circumeuntes castrũ cibos vniuersorum præreptos haud segnes in coquinam deferunt. Erat quippe quædã solemnitas gallinarũ & anserum ac huiusce modi volatilium: dapes tam largissimè præparant, vt nuptialis cuiuslibet Principis dies à multis exquisita videretur. Adueſperascente die adest protinus Rusticus quidã, Ebolo ignorante, adducens carrum tractum à bobus, clamauitque voce præconis, dicens. Accedant iuuenes Comitis Pictauiensis prospicientes quomodo cera libretur in curia domini Ventadorensis. Ista vociferans carrum ascendit, arreptóq; dolabro Carpentarij circulos tunc vehiculi illico fregit. Vecte, melius Bute, disrupto diuersæ & innumerę formulæ de cera mundissima deciderunt. Rusticus quasi parui penderet ista, carrum ascendens apud Malmon mansum suum reuertitur retro. Comes talia cernens, probitatem & industriã Eboli extulit vbique. Ebolus præterea eumdem Rusticum sic promouit, dans ei prædictum mansum de Malmont ac liberis eius. Ibi postea militiæ cingulo decorantur, sunt que hodie nepotes Archambaldi Solemniacensis & Alboeni Archidiaconi Lemouicensis.

Guido de Turribus filius Guidonis frater primogeniti Gulpherij (alia exemplaria sic habent: Guido filius Guidonis & Gulferius de Turribus filij Ademari de Turribus frater primogenitus Geraldi & Gulferij) dum esset obses Pictauis, sub Comite prædicto ait subsannando ad illum: Petrus de Petra-bufferia, Archambaldus & Ebolus patres mei cras publicè deuastabunt terrã Bernardi auunculi sui, nullumque ei auxilium præstabis? Guido rem dissimulans hospitium petit, hospitem orans vt Guidonẽ quærentibus fingeret ęgrum; Ipse verò sub habitu scutigeri exiit vrbẽ. Dehinc peruolans iter die noctéq; ad galli cantum Castrum de Turribus adiit, mutatísque equis, assumptis paucis militibus apparente aurora Pompadour deuenit. Inde Bernardum velociter quæsitum reperit, cúmque reddidit animi æquiorem. Archambaldus interim terram cum multis auunculi vastans, apud S. Gallum furiâ inuectus properabat, cum repente Guido de Turribus & Bernardus hora 7. cum paucis irruunt

super eos, loco qui dicitur Las-Fourcas Soubreecillat, dum fugiunt milites, capiuntur plures præda tota ab illis excussa. Mulus Petri de Petra-Bufferia captus est. Quo facto Guido Pictauium ocyus repetiuit. Quadam die Petrum sic affatus est Guido S. Britii, Bernardus sic & sic Archambaldum inhonestè fugauit. Nam & ego interfui, & Palafredum tuum ibi captum habeo. Tunc Petrus vltrà quàm credi potest, confusus, Guidonem hac de re coram principe accusat: accitus à Duce Guido respondit: Domino carnali, cuius prægrandi potior feuo, cognito damno illius in auxilium quantocius festinaui, per terram meam cursim transiens, ad mensam non comedi, lecto non quieui, amicos donec regrederer, minimè salutaui. His auditis Dux in hoc facto eumdem Guidonem, non reum, sed laudabilem declarauit. Interim ad proposita redeamus. Bernardus electus cuiusdam Abbatiæ Italiæ, præsente Petro legato consanguineo suo Lemouicæ subtus vitream S. Petri à foris tumulatur. Qui cùm obiret, exclamauit: Afferatur cera S. Martialis, adest inimicus. Delata est candela de sepulchro Apostoli, statimque in confessione nominis Christi expirauit. Ab electione domini Isemberti anno I. mense IX. festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ domnus Rodulphus Abbatiæ Cluniacensis relinquens pompam Prioratum de Caritate repetit, vbi quondam laudabilem exercuerat vitam. Huic Cluniaco succedit Gauterius vno anno mensibus III. Iste prudenter de immenso debito subleuat Abbatiam: Qua propter signa maiora Ecclesiæ fregit, albisque Conuentum vti ad processionem etiam in Pascha prohibuit. Non enim ait, licet Israëlitis plenaria festa celebrare, quamdiu captiuitatis iugo premuntur.

Gilbertus Malamortensis fecit variam vestem, quam vocauit Archambaldus de Prasagosa; idcirco ab eodem oculis cum Ademaro fratre priuatur. Frater tertius Petrus Clalascus occiditur. Erant enim sui vici de Grauleria. Archambaldus Vicecomes Combornensis manu tenebat eos dum vim facerent Girberto, qui assumptis Basculis, qui ab Ebolo discedebant, vigilia S. Martini terram Archambaldi Combornensis deprædatus orditus est guerram Dominico Aduentu, à nullo scelere abstinuit, solemni Hebdomada Natalis IESV-CHRISTI insontes, quos cœperant Basculi, in Corresia fracto gelu immersos eleuabant barba congelata cum corpore toto. His discedentibus, venit ex improuiso le Bar Feria IV. ante Dominicam Quadragesimæ. Quid plura? Castrum illico cepit. Geraldus pater Gerberti dixit illi à quo tenebatur: Quis es tu? Respondit: Picameill. Ait ille, bene picasti, Malamortensem Principem cepisti.

Rainaldus Vsercensis Abbas VII. Idus Aprilis apud S. Martialem obiit, ante ianuas B. Austricliniani reponitur.

Brabantiones tunc grauiter Exandonensem terram deuastauere. Nouissimè Malamortense castrum tutelæ causâ petiere.

Dominica in palmis domnus Isembertus Abbas publicè populos incitauit ad arma, qui prompta voluntate parati venere. Episcopum Geraldum Grandimonti tunc morantem adeunt, qui libenter comitatus est properantes. Abbas secum pretiosam detulit Crucem, quam Guillermus Vidal apportauerat olim ab Hierosolymis cum ossibus vxoris in via defunctæ.

CAP. LXX. *Conflictus inter Briuam & Malamortem.*

Dominica secunda de Aduentu VI. Idus Decembris, anno quo Audebertus de Marchia, & Guillermus Engolismensis consurrexerunt contra Regem Anglorum. Igitur præsente Abbate & Præsule Dominicâ Cœnâ XI. Kal. Aprilis (*scribendum Maij vt docui in Chronico Historico ad periocham anni* MCLXXVII) Ademarus Vicecomes Lemouicensis in prima acie, Archambaldus Combornii Vicecomes in secunda, Oliuerius de Turribus in tertia, Eschinard, seu potius Eschiuat de Chabanes in quartâ cum paucis, duo millia vtriusque sexus ab hora sexta vsque vndecimam inter Malamortem atque Briuam trucidauere. Petrus Iterii de Visio solus ex militibus nostris ibidem perimitur Lambertus de Fauentinas infra Briuam cum suis euasit in castro Malamortensi occisorum Princeps Guillermus Clericus quondam (alias à Clerico quodam) crudeliter trucidatus est.

Hic cum eisdem sub Frederico Romanam olim vastauerat vrbem, erátque oriundus ex Cameracensi castro, quod vocatur Autbois. Feria tertia Hebdomadæ Pas-

chalis centum fere millia hominum, & ducenti milites vndique confluxere. Eo die venit Lobar, cepitque Burgum & castrum de Segur, destruens mœnia vniuersa suasu Raimundi de Torenna. Ipso Pascha in castro de Segur obiit vxor Fulcherij de Peirusâ, pauperes reficiuntur, qui ad charitatem concurrerant, quæ Arnaco tumulatur. Sequenti Dominica milites regressi eleemosynam plenariam egenis erogauere. Fuit eo anno fames, mortalitas & siccitas intolerabilis. Post prœlium Malamortense etiam ante messem abundantia exstitit panis. Dominica post Pentecosten Bernardus Monachus & Præpositus non inutilis Tutellensis, consilio Gausberti Prioris effectus est Abbas Vsercliensis. IX. Calend. Augusti venit Federicus coram Papa Alexandro apud Venetiam, & incredibili honore susceptus, ante illum prostratus, eleuatus à Pontifice & deosculatus est. Crastino festo beati Iacobi feria secunda, idem Augustus ab ipso Papa apud S. Marcum sacram percepit communionem. Nam Ioannes de Struma Schismaticus, qui Guidoni de Crema, vel Octauiano successerat, eidem Apostolico se subdidit, pacémque largiens Deo vniuersalis Ecclesia recuperauit. Episcopus Geraldus quadragesimo Sacerdotii sui anno ab Incarnatione vero Domini MCLXXVII. prima noctis vigilia, quæ feriam sextam præcedit, obiit Non. Octobris & sepultus est iuxta Eustorgium in Monasterio Sancti Augustini Dominica festo Dionysii Martyris. Hic Cœnobitis recentibus exstitit munificus, antiquis verò austerus, fuit nempe diues multum. A cuius transitu die centesimo vigesimo quinto, Februarij quarto Idus eligitur Sebrandus Archidiaconus de Thoarcesi, quamuis occultè, quia Regi Anglorum res displicebat. Calend. Iulij XIV. Dominica Domnus Martinus Prior obiit Lemouicæ. Quo die loco illius ego deuenI Vosias. Calend. Septembris detecta apud est S. Aredium Sebrandi electio. Idcirco expulsi sunt Canonici à propriâ domo, extranea facta est mater à filiis suis ac per annum ac menses nouem omni caruit mysterio diuino. Comes de Marchia, Audebertus vnici filii morte orbatus, tristitiâ decidit in magnâ. Nam præter Marquisiam *Sterilem* filiam, nullum habebat fratrem aut sororem; filium, seu filiam, nepotem seu neptem. Nam vxorem reliquerat, quam Chalo de Postpontem duxit (in alio MS. Chalo de Pons postea duxit) olim Garacto Bernardus Dauric Satelles Comitis Gaufredum Panet militem cum illa secretiùs colloquentem die ipso Parasceue occiderat, ideóque repudiatur. Eius corpus apud sanctum delatum est Valericum, quod postmodum auunculus eius Guillermus Panet etiam cum litteris Alexandri Papæ quæsitum in partes detulit suas.

Comes itaque Audebertus coram Guillermo de Axiâ Priore Grandimontensi, Engolismensi Episcopo, Isemberto S. Martialis, Raimundo sancti Augustini Abbatibus, Bartholomæo Petri de Scalanis (aliàs Priore d'Escalanis) terram suam vendidit Henrico Regi Anglorum, acceptisque ab ipso quinque mille marchis argenti abiit Hierosolymam. Sed Gaufredus de Lesigniaco cum fratribus restitit dicens ad se vt heredem Marchiam pertinere, & obtinuit.

Guido Presbyter, cognomento de Meillac, venerabiles ab Hierosolymis deferens reliquias apud S. Martialem obiit Monachus effectus. Ex tunc fit solemnitas duodecim lectionum de Sanctis Blasio atque Gregorio (aliàs Georgio) festum quoque beati Valerici, & (immutatio) S. Martialis, quæ olim in albis fieri solebant, ex tunc iussæ sunt (visum est) in Cappis.

Anno ab Incarnatione Domini MCLXXVIII. feria quarta, Idibus Septembris, Luna XXVIIJ. serenâ die circa horam quintam Sol eclypsim patitur, cuius Sphæra ab Oriente celati (obscurati) cœpit vsque ad Lunæ secundæ vel tertiæ instar. Stella Veneris à parte Aquilonis visa est. Post sextam ab Oriente ordine, quo nigredo, claritas rediit, quousque sol plenè reluxit. Tunc alterutrum facies nostras videbamus, quales habent qui fornacem succendunt æris candentis.

Feria V. exeunte Septembri Burgensis quidam cum familiâ suâ, qui dicebatur Ioannes de Casana, apud Martellum die clara Raimundum Vicecomitem de Torenna cœpit, cunctisque videntibus in altam turrim ductum inclusit, quousque postridie placitum illis iurarent multi Barones vna cum Saibrando Episcopo restitui, quæ ipsi repetebant, liberatóque Vicecomite oculis priuantur vniuersi.

Anno ipso tanta lini ac ceræ fuit inopia, vt camisia, quæ pro nouem denariis solebat haberi, venderetur duos solidos, & quatuor denarios; Libra ceræ, quæ solet venundari quatuor, aut quinque denarios, compararetur decem denarios.

CAP. LXXI. *Saibrandus Chabot Episcopus Lemouicensis.*

Calendis Decembris Saibrandus primò in sede à quibusdam Canonicis Lemouicensibus leuatur apud Solemniacum, dehinc velociùs recesserunt, deinde Romam pergens magnâ in Synodo, quæ habita est sub Alexandro Papâ Præsulum pene totius orbis in Quadragesima consecratus est à Garino Bituricensi Archiepiscopo, domno Isemberto sancti Martialis, & aliis quibusdam obstantibus Abbatibus. Capitula quædam Monachis contraria resecantur, quia inter cætera recitari (resecari) putabantur. Cluniacensis Abbas Guillermus infirmitate mediante defuit: qui non multò pòst decedens successorem habuit Theobaldum. Soluto Concilio Papa in Pascha triumphaliter coronatus munera Romanis largitus est optata.

Octauis sancti Martialis Guillermus filius Wlgrini Comes Engolismensis, Ademarus Vicecomes Lemouicensis, Oliuerius filius Gulpherii senioris de Turribus cum aliis multis ascenderunt Hierosolymam. Engolismensis Comes Guillermus Sector-Ferri obiit VII. Idus Augusti apud Messinam Siciliæ vrbem. Calend. Nouembris XVII. à promotione sua IX. anno die Lunæ obiit Petrus Vosiensis Abbas, ac iuxta R. auunculum suum tumulatur. Imminente Sabbato die S. Capraſii coram domino Isemberto Abbate S. Martialis eligitur Guillelmus Prior Caleſii, licet absens. Cal. Nouembris feria V. MCLXXIX. ab Incarnatione Domini ætatis suæ XIV. vnctus est in Regem Philippus Remis à Guillermo auunculo suo eiusdem vrbis Metropolitano. Sequenti Dominica Guillermus Vosias primò ingreditur, & festo S. Martini Turonensis apud Briuam à Sebrando Præsule benedicitur. Infra octauas Dominici Natalis, cùm multa nix cecidisset, Tutelæ coram Guillermo Tuttellensi, domino Isemberto S. Martialis, Guillermo Vosiensi Abbatibus, & Bernardo Pisce Præposito de Arnaco, iudicio Sebrandi Episcopi tunc præsentis, spopondit Geraldus, cognomento de Miramont de propriâ Abbatiâ, scilicet Dalonensi, XL. solidos monetæ publicè perpetuò redituros Præposito de Arnaco in festo S. Martialis (Michaëlis) & IV. sextaria frumenti pro decimis terræ quam incolunt infra parochiam S. Autumij de Consorn (aliàs S. Antonij de Colsorn) terram prædictæ Ecclesiæ si plus excoluerint decimas denuò præter hos XL. solidos ex integro soluent. His diebus Aimericus Brunus Cœnobium, quod vocatur ad Altas valles constituens, comparatis terris, quæ sufficerent XIIJ. fratribus cum totidem famulis Canonicis tradidit de Coronâ. Huius rogatu Comes R. castrum, quod vocabatur Trasdos, nomine mutato, Monberon (Monbrun) vocitauit.

Post magnam Synodum sequenti Quadragesima obiit Garinus Bituricensis Metropolitanus, & in Cœna Domini decessit Oliuerius de Turribus XV. Kalendis Aprilis (scribendum est Maij) Hierosolymis, & Sabbato sancto præsente Audeberto Comite de Marchiâ, Ademaro Vicecomite Lemouicensi, Bernardo quoque de Turribus consanguineo, non ignobili traditur sepulturæ.

In Ascensione Domini apud S. Dionysium Philippus II. Rex coronatur, & vxor illius Elizabeth consecratur.

Die ipso Bituricæ Guillermus, cognomento Ioquelis, seu Iaquelis, qui patrem defendendo fecerat homicidium, laqueo suspenditur: huius ad tumulum signa quædam fieri visa sunt, quousque populus conueniret immensus.

Præterito anno non procul à Rupecauardi quidam falsificator reliquias se reperiſſe testatus, in innumerabilem turbam creuit, locum prædictum vocitabat Campum secretum, quia omnino falsum erat, intra annum terminum sumpsit. Cur talia quandoque contingant, nouerit ille, qui iudicat orbem.

CAP. LXXII. *De eodem Saibrando Episcopo Lemouicensi.*

Primus Saibrandi Præsulis introitus in vrbem Lemouicensem XIIJ. Kalend. Augusti, Luna XXIV. celebratus est, tunc missam ipse festiuam expleuit, ac deinceps non caruit diuinis Officiis. Pontifex iterum ab ingressu vrbis ad tempus abstinuit, eò quòd Rex Anglorum Henricus II. senior animum exparte, non ex toto precibus amicorum flexisset.

Comes de Marchia vltimus Audebertus obiit Constantinopoli, in decollatione

S. Ioannis Baptistæ, à cuius obitus die xxiv. Ludouicus Pius regni sui anno xlij. filij vero sui x. xii. Calend. Octobris defungitur Parisius, & in Cœnobio quod dicitur Barbeu, tumulatur, eò quòd esset humilis vsquequaque.

Die iv. hoc est ix. Calend. Octobris apud Byzantium decessit Emanuel Græcorum Imperator, cui filius succedit Alexius.

Amalricus Hierosolymita Metropolitanus decedens successorem habuit Heraclium.

Monasterium S. Augustini Lemouicensis à Saibrando & Geraldo Caturcensi v. Cal. Nouembris, & feria iii. in natale Apostolorum Simonis & Iudæ Ecclesia S. Geraldi consecratur, Tunc Geraldus Caturcensis Episcopus in Capitulo S. Martialis Ecclesiam de Royera habuit, pro quâ aliam postea dedit, quæ appellatur Floriacus.

Die Natalis Domini Lemouicis festiuè susciptur Ademarus Vicecomes ab Hierosolymis regressus, Aimricus quoque Blesiensis testator eleemosynæ Comitis Audeberti perinde rediens obiit statim festo S. Valerici mense Februarij.

Pontifex Saibrandus secundâ vice vrbem repetit suam, fauente gratia Regis ac Principis. Sequenti quadragesima Rex cum eodem in Cœnobio Grandimontensi precibus Religiosorum feuum, quod auferebat, indulsit, sicut ex beneficio Ducis noscitur habere.

Dominica in Ramis Palmarum domnus Isembertus Abbas, qui Cluniacum perrexerat, ibi suscipitur officiosè ad processionem florum. Theobaldus Abbas mitram ob illius reuerentiam intermisit portare.

Die ipso Paschæ Nonas Aprilis à militibus Ademari filij Sicardi de Marueil non longè à Montepistorio occiditur Comes Prouinciæ, vna cum Guidone de Seueyrac: quapropter magna exercuit mala Adelphonsus Rex Aragonensis frater defuncti.

Tempore Paschali Eboli consilio villam de S. Angelo capiunt hostes, quorum author exstitit le Bar, seu Lobar.

Dominica post Rogationes xvi. Cal. Iunij à Saibrando Episcopo, Guillermo Vosiensi, Odone Brantomensi, Stephano de Castris Abbatibus, Bartholomæo de Caslanis, seu de Escalanis, & de Artigiâ Prioribus, B. Aredij corpus à proprio eleuatur mausoleo, imminente constructione parietum nouorum Basilicæ. Vicecomes Ademarus cum aliis innumeris, simúlque Principes de Turribus pro consuetudine eiusdem corpus baiulant patris.

Hebdomada magna Pentecostes Synodum primò Pontifex tenuit in vrbe, tunc tam ipse, quàm Canonici inuicem disceptantes xxiij. Canonicos sub vna die crearunt.

Ioannis Baptistæ natali Richardus Comes Pictauensis, populo Lemouicensi mandat suos euertere muros, quod protinus adimpletur.

Natali Apostolorum Petri & Pauli Wlgrinus Comes Engolismensis decessit, à morte patris biennio nondum expleto. Hic filiam vnicam reliquit, quæ magna calamitatis materia patriæ fuit. Guillermus siquidem & Ademarus defuncto inhiabant succedere fratri, qui à Duce repulsi confugerunt ad Ademarum fratrem Lemouicis, qui fauendo eis inimicitias Ducis incurrit qui cum puella terram obtinere tentauit.

Legatus igitur Henricus Albanensis Episcopus tunc multo cum exercitu perrexit contra hæreticos Albigenses. Castro de la Vaur expugnato, Raimundus de Vernoil, aliàs Venoul, occiditur: filia Tholosani Alaizia idem tradidit Castrum legato, & Rogerius Biterrensis, vir eius cum principibus multis hæreticam prauitatem se deinceps abdicare profitetur. Quorum facinus erroris ad cautelam Catholicorum posteris censui significare. Hæc sunt amodò verba Cardinalis & Legati. Confessi sunt Magistri quondam erroris plenâ priùs consilio Episcoporum & magnatum sibi libertate restituta. Quod licet sectam eorum sequentes Euangelia simplicioribus ad fallendum prædicent, tamen Christum natum haud verum fuisse hominem, nec comedisse aut bibisse, aut aliud humanæ actionis aut necessitatis in veritate sustinuisse: passum, crucifixum, mortuum resurrexisse non credunt. Sed omnia quæ Euangelia, seu Apostoli de Christo asserunt, fantastica dicunt. Quid de sacrificio altaris, baptismate paruulorum, coniugiis, aliísque sacramentis & diuinis officiis sacrosancta Romana Ecclesia constituit, & vniuersitas Catholicorum credit, recipit, & seruat, omnino reprobant & condemnant, Satanam magnum Luciferum, qui propter eleuationem & nequitiam suam de throno bonorum cecidit, Angelorum creatorem,

cœli & terræ, omniúmque rerum visibilium & inuisibilium, spirituum malorum creatorem & principem, & Deum esse profitebantur, ipsúmque legem Moysi dedisse asseuerant, in carnali consuetudine cuiuslibet maris & fœminæ, siue parentes, siue fratres, seu communes matres, aut cuiusque consanguinitatis, vel affinitatis mulieres existant par dicunt esse delictum. Mulieres, quæ inter ipsas concipiunt, fœtus interimunt: tamen dicebatur à peritioribus eorum id euitari: cùm manifestè inter illas multæ conceperint, proles non comparent. Ea quæ dicta sunt, aliáque plura præfati quondam hæresiarchæ publicè coram nobis & coram venerabilibus fratribus nostris Geraldo Auxitano Archiepiscopo, Geraldo Caturcensi & Gosselino Tolosano Præsulibus in conspectu populi confessi sunt, Guarino olim Archiepiscopo Bituricensi illic prædicanti Vierna conjux Sicardi de Boyssa & de Granouillet palam confessa est à quinquaginta religiosioribus eiusdem sectæ nocte quadam fuisse stupratam, cum ipsa eisdem, vitæ causâ sanctioris, thoro viri spreto se coniunxisset. Reuertentibus Catholicis ad propria, sues illi repetunt antiqua volutabra luti.

Richardus interim cum hoste Vasconiam petens Lactoram occupauit, quoadvsque Viuianus Vicecomes de Lomania portam clausam, seséque tradens ab eodem cingulum perciperet apud Sanctum Seuerum, instanti Virginis Mariæ Assumptione.

Hebdomada eiusdem mensis vltima Alexander vrbe Castellana decedens, Lateranis tumulatur anno sui Papatus XXIII. Feria iij. eligitur Humbaldus, qui Pontifex erat Hostiæ & Veliternensis vrbium. Sequenti Dominica prima Septembris coronatur & insignitur à Theodino Episcopo Portuensi, & ab Archipresbytero Hostiensi iuxta consuetudinem, & ab vniuerso populo & clero laudatur Lucius III. Lucensis Tuscus vocatus.

Ebolus Ventadorensis die S. Cleophæ capitur à Geraldo de Mirabel, post festum S. Vincentij datis xvij. solidis à carcere prodit.

Tunc genus inimicitiarum Richardi & Alienoris in speciem amicitiæ vertitur. Gaufredo filio Constantiam Conani vnicam dedit Rex pater, quæ erat de Margareta Regis Scotiæ sorore progenita. Aliam, rectiùs in alio codice, Aalit, seu Aliz, germanam Conani duxit Helenus de Roem, siue Rohan. Horum filiam desponsauit Arueus de Leon filius Guimar, seu Guyomar. Hic Helenus, siue Alanus, filius Stephani, quatuor fratres maiores natu exhæredauit. Hic strenua probitate Comitatum de Clarismontibus in Anglia acquisiuit. Ille maleficiis vxoris suæ Bertæ interiit, quam desponsauit Conanus Comes de Redonis: in alio MS. dicitur Conuenoius de Redonas.

Elis Mulier, cui brachia manúsque natura negauit, mirum quod est dictu, pedibus camisias, & bliaus, ac quaslibet vestes forcipibus inscindebat, acu filóque tam facile farciebat, vt nullus propriis manibus vtens decentiùs talia operaretur. Alium nihilominus vidimus virum brachiis ab vtero carentem, qui de Blausaco castro se dicebat oriundum. Militem peregrinum de Franciæ Subterraneæ vidimus, qui cornu granditate glandis in capite super aurem habens eodemmodo filium se habere cornutum testabatur. Equam illic cornutam aliquando adinstar vidimus vaccæ. In parochia de Chambolina semi-hominem & semitaurum peperit vacca. De duplici agno & animalibus multis nouimus plura. Tutellæ viuit homo, qui vno in corpore duplicem sexum integrè gestat. Apud S. Walericum Mulier quædam sub vna die peperit quatuor natos, vnam tres peperisse pluribus locis contigisse refertur, vsque septem parere simul etiam quædam scripta testantur. Sub potestate Iosfredi de Nouoburgo vidit Radulphus Præpositus de Arnaco mulierem, quæ iam quinquennio sine cibo & potu etiam mcolumis perdurabat. Vehemens etenim turbo egredientem olim de nemore impetu expellens, duabus aliis puellis exstinctis talem reddiderat.

Prætento natali Aduentus Ademaro Vicecomiti spes visa est diutinæ pacis, sequenti anno multis materia exstitit cladis.

Initio Quadragesimæ celebrauit Concilium Lemouicę Henricus Legatus Abbatum ac Præsidum Aquitaniæ. Sequenti Dominica congregati pauperes, Orphani, viduæ & etiam Leprosi intromittuntur apud S. Martialem cum oblationibus in contritione cordis, obsecrantes Christi Apostolum, vt patriæ ciuibus optatum à Domino impetraret auxilium. Plebs verò Lemouicensis quæ huiusmodi lumina talibus subministrabat, eisdem pauperibus eleemosynas tunc prætendit copiosas.

Digitized by Google

CAP. LXXIII. *Deformatio Religionis.*

Prisci Cœnobitæ religione florentes nos Manzerinos hæredes habuere, qui silentium, & quæque honesta sunt, relinquentes, paruas coronas, strictos solutares, cucullas clausas, pro froccis ocreas, pro gandengis froccos capellatos absque cucullà, capellos camello & alios circumdatos pelle ad instar Scapularis, pannos irregulares in lectis, esus carnium indiscretè & enormiter insectamur. Idcirco immiscuit in medio multorum spiritum vertiginis, qui Schismata faciunt in electione, adeò vt Tusturiacenses (forte Turciacenses) hodie quatuor viuos habeant Abbates, Heliam & Arraldum, Gaufredum atque Fulcaldum. Gratias Deo, quod apud S. Martialem vno sumus contenti; adaugeat illi cum salute conditor orbis tempora plura. Cistercienses quidem eleemosynas de labore suo tribuunt multas, in choro psallunt ordinatè, pluráque peragunt honesta; Verumtamen cœteris vi & ingenio terras auferunt, adeò vt Obasinenses Vosiensibus quamdam abstulerint terram, sicut Dalonenses Arnacensi Præposito decimas de Celons. Sanctorum nomina vel memorias auferunt indiscretè, etiam in eodem Episcopatu quiescentium, adeò vt apud Dalonum Pontiniacenses de Collectario abraserint nomina S. Valeriæ, Aredij, atque Pardulphi: quæ si alii fecissent, pro sacrilegio reputaretur.

Pontifices insolitas exactiones per parochias exercentes, Diœceses causa victus & quæstus circumeunt, ipsámque procurationem in quamdam vertunt redemptionem. Insulsis, & ipsis suismetipsis Clericis Ecclesias plerumque tribuunt non gratis, sed muneribus datis qui se Mercenarios, ouium lanam tondendo, non infirmitatibus compatiendo declarant. Quódque deterius est, malè viuendo, quos deberent corrigere, pertrahunt ad scelera.

Milites ac Principes, quemadmodum Patres illorum Ecclesias studebant construere, isti nituntur euertere. Si homines ipsorum capti fuerint alicubi, ipsíque quoquomodo redditi, paulominùs ab hostibus exigunt redemptionem: Cum à vicinis aliquid rapuerunt præter capitale exigunt procurationem.

Huius criminis inuentor *Henricus de Lesigniaco*, Aymericus de Iarnac, *Frater Hugonis Comitis de Marchia*, Guilferij Senioris de Turribus Satelles fuisse refertur.

Fœneratores olim publici obnoxii Principibus erant, nunc tam crebrò reperiuntur, vt aliqui vsuras vocitent census, quasi redditus agrorum. Et quia huiusmodi sceleribus corrupta est omnis caro: Nam principes & etiam mediocres consanguineas ducunt vxores; immisit Deus in Aquitaniam hostes crudelium populorum, quales Patres nostri non viderunt à tempore Normannorum. Primo Basculi, postmodum Teuthonici Flandrenses, & vt rusticè loquar, *Brabansons*, *Haunuyers*, *Asperes*, *Paubler*, *Nauar*, *Turlau*, *Vales*, *Roma*, *Cotarel*, *Catalans*, *Aragones*, quorum dentes & arma omnem penè Aquitaniam corroserunt.

CAP. LXXIV. *Deformitas Vestium*

Barones tempore prisco munifici largitores vilibus vtebantur pannis, adeò vt Eustorgius Episcopus, Vicecomes Lemouicensis, & Vicecomes Combornensis incedendo arietinis ac vulpinis pellibus aliquoties vterentur, quas post illos mediocres deferre erubescunt. Dehinc repertæ sunt pretiosæ ac variæ vestes, designantes varias omnium mentes, quas quidam in spherulis & lingulis minutissimè frepantes picti diaboli formam assumunt, chlamydes vel cappas perforauerunt, quas vocabant Aiot. Dehinc in Cappis fecerunt manicas adeò magnas, vt similitudinem præferret frocci Cœnobitæ, cùm essent natiui coloris, nouissimè vsi sunt amplâ quadam veste instar pellis Monachi sine manicis, quod Franci vocarunt Gamacha: mitras in capite gestabant iuuenes vtriusque sexus, quos vocabant bonetas, post capellos de lino vel coffias, dehinc capellos de pilis cameli. Crines omnes Adolescentes, longa in ocreis vel caligis rostra; ocreas olim pauci & nobiles, modò plures & plebeii gestant: Comas radebant, barbásque longas habebant, nunc eas Rustici & Garsones radunt. Mulieris incessus qualiter longitudine vestium secundùm Merlinum serpentibus assimulatur, & ne rusticanarum vestium habitus diuersitate tædium incutiatur legenti, silentio tegatur. Verumtamen panni, vel pelliciæ nostræ in hoc tempore

tempore solito cariùs venduntur, imò duplicato pretio. Preciosioribus, vt dictum est, vestibus vruntur lenones, quàm olim inclyti Barones, qui tamen Heroes, quorum parentes quotidiana celebrabant conuiuia: vnde ciuibus procedebat refectio plurima, aut pauperibus eleemosyna largissima; modo assidui hospites aliena sæpè vagi expetunt hospitia. Quisque frater vxorem ducere festinat: Idcircò paterna hæreditas quadrifariè, aut in partibus pluribus diuisa est. Attenuat, imò adnihilat familias Principum antiquorum moderni temporis ætas, quæ citò senescit, & antequam annos attigerit auitos canescit. Crebrò tamen petunt Cœnobia, vel Hospitalia milites, & frequentiùs Ierosolymis peregrinantur; & quamuis plures inalefacta propria minimè restituant ad plenum, tamen multi plura emendant, quàm facerent, si domi remanerent. Corpus mortis periculo pro Christo tradunt, relinquentes filios, & vxores, seu paternas hæreditates: feriâ sextâ ab adipe, Sabbato à carnibus plus solito abstinet vulgus; licet multi meliùs facerent, si carnes ederent, quàm multa flagitia committerent: periculosum tamen est aliqua eorum bona deprauare, etiam si plurima mala committant; ne desperent; prouocandi tamen sunt, & obsecrandi causa eiusdem, vt corrigant errata. Verumtamen ille decipit, qui ieiunus diripit aliena. Plura bona fiunt ob vulgi fauorem, sicut & fit in funeribus defunctorum, qui tamen ad illius fiunt honorem, à quo sperant corporum resurrectionem. Sunt qui deprauant Eulogias, quas vocamus Oblias, seu Hostias, nimirùm hæreticis fauent dicentibus, Magnum bonum Missa; sed nullus idoneus ad hoc. Scimus, quia nullus tanto mysterio dignus, sed pro posse nos præparare debemus per pœnitentiam, quia in multis offendimus omnes. Si sacrificium nullus offerret, non esset qui Corpus Christi sumeret, vel porrigeret, vnde essemus miserabiliores omnibus hominibus. Eo modo dicunt in Ecclesia indiscretè Presbytero traditâ orare legitimè non posse, cùm legamus Martialem Apostolum templum Apollinis Basilicam effeciſſe Protomartyris. In quibusdam codicibus additur hæc clausula:

Explicit Chronica Gauffredi Cœnobitæ sancti Martialis.

Huic nescio quis adjecit fragmentum breue ex Chronicis Grandismontis cum laciniola deprompta ex alio codice. Nos ea Lectori exhibemus, antequam alia subiciamus, quæ ab eodem nostro Gauffredo Priore Vosiensi existimamus fuisse conscripta, & in his solis habentur exemplaribus mihi liberaliter commodatis à VV. CC. Ioanne du Bouchet & Henrico Iustello Historiæ Francicæ peritissimis. En tibi ergo breue illud fragmentum ex Chronicis Grandimontensibus.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXI. Dominus Ebolus Vicecomes Ventadorensis accepit habitum Grandimontensem, præsentibus nobilibus viris Roberto Vicecomite de Torenna, & reuerendo fratre eius, & Venerabilibus viris & religiosis Guillelmo Abbate Maimactensi, & Bertrando de Molceo, & Constantino de la Chassaigna, & Hugone fratre eius militibus. Actum in Grandimonte infra Octauas Pentecostes, præsente Guillelmo Abbate Tutellensi, & Guillelmo Officiali Lemouicensi, & Guillelmo de Malmont Canonico Lemouicensi.

Inter milites Lemouicensis diœcesis, qui Ierosolymam profecti sunt anno 1096. nominantur Robertus de Torenna, & Gulpherius de Turribus in quodam codice,

CHRONICÆ GAVFREDI VOSIENSIS

PARS ALTERA.

ISTA QVÆ SEQVVNTVR DE PRÆLIIS REGVM ac Principum, seu de Regis Anglorum Iunioris obitu plenius scripsi, quia tempore nostro gesta in Lemouicino noscuntur.

Verba sunt eiusdem, vt patet, Scriptoris GAVFREDI *Prioris Vosiensis, cuius Chronicæ, vel Appendix dicetur, vel Pars secunda, in sua etiam minora segmenta pro Lectorum opportunitate partienda.*

I.

PASCHALIS solemnitatis sacratissima dies designata est quinto Kalendas Aprilis, anno 1182. Dominicæ Incarnationis. Ipso die apud castrum de Segur obiit quidam miles: hoc tamen non propter eundem Bertrannum scribo, præsertim cùm ipse tali fuerit titulo dignus; sed pro pauperibus, qui in supradicto castello ea die congregati reficiuntur, qui tunc pro defuncto cibati sunt. Quisquis enim apud Segur decedit, pro posse ab amicis vel proximis nocte frequentatur, eleemosyna semel aut bis publicè pauperibus pro eo tribuitur. Eo die decessit Petrus sancti Martialis Monachus, qui Ecclesiæ in officio laïcorum perneecessarius fuit. Tunc Balduinus filius Amalrici Comitis de Iapha, à regni moderamine, infirmitate cogente, sese substraxit: fuit quippe vtilis ad rempublicam gubernandam, armis strenuus, sed leprosus. Tumulato Petro, qui cognominabatur Miluet, seu Minetus Pontifice Petragorico, Dominicâ, quâ cantatur, *Misericordia Domini*, quæ euenit tertio Idus Aprilis, ipsâ feriâ tertiâ, Ricardus cum paucis suis Podium sancti Frontonis viriliter expugnauit, quia Helias Taleyrandus inimicis illius fauebat. Supradictus Pontifex Petrus conditus est in vrbis Cathedrali Ecclesia, vbi primùm Ioannes, cui per quatuordecim annos ipse Petrus successerat. Tunc & Petrus Engolismensis decessit: Tunc mouit exercitum Pictauensis Comes contra castrum Exidolium, & ex ea parte in qua est villa de Cocnac, terras atrociùs deuastauit. Henricus Senior cum Aynrico filio auxilium cum omni conamine ferebat Philippo Regi, contra quem Principes Francorum, maximè Philippus Flandrensis Comes se erexerat: sed Deo propitio, pace inter eos solemniter firmatâ, Senior Anglorum Rex Aquitaniam petit. Feriâ quartâ Pentecostes Henricus Legatus Altare sanctæ Mariæ Parisius consecrat vnà cum Mauricio Præsule.

II.

Pentecostes sacratissimâ celebratâ hebdomadâ adiit Grandimontem, ibique cum Engolismensibus, & Petragoricensibus, vnà cum Ademaro Lemouicensi de pace tractatum est. Sed Deus, qui propter peccata populi regnare facit hypocritam, culpis nostris exigentibus, miscuit in medio Principum nostrorum spiritum vertiginis, qui ad inuicem disiuncti fuêre semper. Dux Exidolium repentè potenter obsedit, capto citiùs eiusdem castri burgo, pater Rex apud sanctum Aredium abiens, commoratus est ibi per dies aliquot, vitam sancti Aredij honestè suscipiens, totam ipse perlegit, ac veneratus est, & relictâ ibi munitione congruâ, perrexit apud Petram Bufferiam, & per duodecim dies inferius castrum expugnans, postea pacis fœdere suscepit. In natali sancti Ioannis apud Grandimontem Rex & Gaufredus Comes Britanniæ filius eius, cum quibusdam nobilibus, vnà cum Cœnobitis, qui die ista ex omnibus cellulis eorum iuxta morem conueniunt, comedit. Dux interim relicto

Digitized by Google

Exidolio, Petragoricam repetiit vrbem, & cum maximo exercitu Podium ſancti Frontonis, totum in circuitu circumcinxit. Henricus interim adoleſcens veniens Lemouicas, à Monachis tripudianter ſuſcipitur, exultante Clero ſimul ac populo. Tunc obtulit beato Apoſtolo pallium, in cuius ornatu ſcriptum eſt, *Henricus Rex.* Et quia imminebat ſolemnitas, celebrato ſancti Martialis natalitio, provt res exigebat, poſt prandium apud ſanctum Aredium deuenit. Die craſtina Petracoricas veniens, reperit Regem patrem, Ducémque fratrem. Ibi Deo largiente, & B. Martiale cum comprouincialibus interueniente, de pace tractatum eſt. Infra Octauas, ſiquidem denominatæ ſolemnitatis Lemouicas repetentes, apud ſanctum Auguſtinum fœdera pacis firmauerunt. Ademarus Duci primogenitum, hoc eſt Guidonem, & tertium filiorum, id eſt Guillermum, qui dictus eſt peregrinus, obſides dedit. Fratribus inſuper Engoliſmenſibus ſuum auxilium negaturum firmauit. Helias Taleyrandus filius Bozonis de Grainol Petragoricum Duci tradidit caſtrum, qui deſtructis murorum propugnaculis, pacem cum eodem Comite fecit.

III.

Martialis ſupradictus natalitius dies euenit quartâ feriâ, diluculò tonitrua ſonuerunt, & apud caſtrum Combornenſe in domo Ademari de Charieras defuncti quondam militis fulgur cecidit, ſed neminem læſit. Ipſo die peractâ proceſſione diei feſti ſuſcipitur Theobaldus Cluniacenſis Abbas feſtiuo more, Miſſámq; rogatus à Domno Abbate Yſemberto celebrauit. Aderat ibi Artaldus Abbas Suſturiacenſis, & P. Abbas ſancti Martini cum Canonicis vrbis, qui cum ſupradicto Rege diem ſolemnem peregerunt. Populi ſiquidem Aquitanorum hoſte impediente nequaquam gaudiis optatæ ſolemnitatis intereſſe potuerunt. In craſtinũ Petrus de Tutela venit cum Principibus apud Petrum de la Rocha, dolo turrim inuadere tentans. Tandem fraude cognitâ, petimitur à paucis cum Guitardo, qui fraternæ poſſeſſionis proditor fuit: Geraldus dominus caſtri Guitardi frater tunc aberat, qui Ieroſolymis ire diſponebat. Ebolus Ventadorenſis, cuius auctoritate iſta gerebantur, cùm prope caſtrum ſibi tradi ſpectaret, audito ſuorum interitu, confuſus abſceſſit: paulò pòſt lecto decumbens ferè per octo menſes ægrorauit. Die altera, quâ hæc apud caſtrum de la Rocha gerebantur, ſatellites Ademari Vicecomitis villam ſancti Germani grauiter expugnantes, Giraldum cognomento Magrefort militem interfecerunt.

IV.

Romæ perinde mortalitas populum multum proſtrauit. Petrus Legatus Kalend. Auguſti apud Oſtiam præſente Papâ Lucio deceſſit, & in Cœnobio, quod vocatur Foſſa-noua, tumulatur. Hic dedit ſancto Martiali viginti marcas argenti, erátque electus in Epiſcopum Bituricenſem. Plures quoque de Curia Clerici obierunt. Lupus in rabie viſus prope caſtrum de Celon, ruſticum ex improuiſo ad mortem vulnerauit. Vidimus quoſdam alios in facie peſſimè laceratos, auxilium ſancti Pardulphi Arnaco expetentes, qui hos Deo fauente (aliàs ſanante) euaſerunt, & ni à quibuſdam lupus citiùs occideretur, maximum detrimentum augeret incautis.

V.

Præteritis ſub ſilentio diuerſis rerum varietatibus, quæ in alienis partibus gerebantur, tùm causâ tollendi faſtidij, tùm causâ prolixitatis vitandæ ad domeſtica negotia tam neceſſarium fuit, quàm delectabile pertranſire. Cùm itaque rebus humanis quaſi innatum ſit, vt nunquam in eodem ſtatu permaneant: ita quòd ipſos ridentes, impetu momentaneo flere contingat; eos denique flentes, poſtmodum mutabilitate mundanâ gaudere: Accidit Domnum Abbatem dum eſſet in proſperitate præcipua, conſtituente diuinæ prouidentiæ clementiâ grauiter ægrotare, ita quòd ab omnibus iam deſperatum de eius ſalute, cùm ipſa ægritudinis moleſtia quaſi raptus in extaſi videretur, clauſurúſque diem reddere extremum crederetur, Dominus de cœlo proſpiciens, volénſque conſtantiam eius in infirmitate iuxta Apoſtolum comprobare, malignos malignorum ſpirituum circumſtantium permiſit eum viſione

captari : Domnus autem Abbas licet iam non ei esset cogitandum nisi de morte, in virtute Dei, & Martialis Apostoli multum eius se seruum esse profitebatur, increpando & comminando dixit eis : Auferte vos hinc, truculentæ bestiæ ! conterat vos Dominus sub pedibus nostris ; seruus sum IESV CHRISTI, & sanctissimi Martialis Apostoli, qui animam & corpus meum circumdet clypeo salutis, & protegat. Quo dicto, ad inuocationem nominis Dei, & glorioſissimi Apostoli aufugerunt spiritus, & Domnus Abbas restitutus est saluti (sanitati.)

VI.

Primâ die mensis Octobris, vel feriâ sextâ Ademarus Vicecomes Burgum de S. Germano obsedit, eúmque circa festum sancti Pardulphi destruxit. Circa festum omnium Sanctorum Ricardus cepit castrum de Blansac. Oliuarius frater Petri Vicecomitis de Castellone muniuit Calesium contra Ducem, destructo Burgo, clausträque Monasterij sancti Martialis, suadente Fulcaldo d'Archiac socero suo, corpus sanctæ Ancildæ Virginis milites de Monasterio tollentes ad Tutelam castri in Capella tulerunt. Dominicâ secundâ de Aduentu adolescens quidam Ioannes occidit matrem suam appetens perimere fratrem : horum domus est iuxta turrem Abbatis, prope Ecclesiam de Cortina. Sabbato sequenti, horâ noctis secundâ Lunam vidimus duodecimam paulatim totam nigrescere, posteà rubescere, dehinc in suo statu reuertentem. Tertio Idus Decembris celebratâ Domini Natiuitate, tres filij Regis inuicem disceptauerunt, vnde occasio lamentandæ calamitatis Aquitanis excreuit : tunc coniurauerunt aduersus Ricardum Henricus Rex, Gaufredus Britanniæ Comes, Helias & Sector-ferri, Vulgrini defuncti Comitis Engolismensis fratres, Ademarus Lemouicensis, Raymundus de Torena, & Petrus de Castellone Vicecomites, Oliuarius de Halesio, Fulcaudus de Archiaco, Gaufredus de Lesiniâ, multique alij Barones vel Principes. Transactâ Purificatione B. Mariæ, Gaufredus Brito venit Lemouicas, subitò deinde Rex frater, post hæc Ademarus, qui comminatus est Burgenses castri oppressurum, nisi coniurarent aduersus Ducem ; iam enim hostium innumerabilem turbam in Lemouicam duxerat. Tunc Ricardus cum paucis per duos dies vel noctes irremediabiliter equitans de quodam castro quod est vltra Pictauum, Sabbato pridie Idus Febr. venit ad Ecclesiam quæ dicitur Gotta ; & nisi equi eorum nimis fatigati erant, Ademarum Vicecomitem, qui Ecclesiam expugnauit, cepissent, qui tamen fugâ liberatur. Dux tamen Guillelmum Arnaldi nepotem Raymundi, qui dicitur Brunus, seu Brenuus, cui videlicet Guillelmo, præcedenti natale Ademarus Vicecomes apud castrum de Segur cingulum militiæ tradiderat, viriliter prostrauit. Basclorum plures captos apud Axiam, in Vigennam deuinxit (demersit,) quosdam gladio transuerberauit : quorumdam circiter octoginta oculos effodit. Raymondus siquidem Brenuus ex Vasconia pluribus sibi filiis tenebratum associatis, Ademaro Lemouico auxilium ferebat.

VII.

Audiens Rex filios seditionis peste pessimâ laborare, cum paucis admodum Lemouicas venit : cùm vidisset speculator regiam cateruam, putauit eos, qui erant in vrbe, insidias castrensibus parauisse, & vociferans de culmine prouocabat ciues ad pugnam. Interim salutis æternæ veternosus insidiator quendam incitauit, qui Burgensibus proclamauit, Gaufredum Britonem non procul ab hostibus grauiter arctari ; populus cum armis cateruatim exiit de repentè, Regisque exercitum atrociter inuasit perimentem ; & nisi quidam Anglorum Lemouicæ degens vexilla cognouisset & arma Regis, de exercitu corrueret pars magna : Rex tandem Axiam petiit castrum ; cum inuisere venit filius Rex loricatus clausâ iam die, qui à patre inuitatus ad conuiuium, non acquieuit ; sed illicò Lemouicæ rediit ad castrũ. Excusauit tamen Burgenses in quantum valuit apud patrem, qui tamen preces illius super hoc audire contempsit. Irritauerunt illum grauiter, idcircò noluit consolari leuiter. Tunc iussu Vicecomitis iurauit populus in Basilica Petri Apostoli de quadriuio Regi minori fidelitatem, muniuerunt Burgenses castrum, muros attollunt, fossatos ab imo in altum incredibiliter erigunt, propugnacula ac defensacula lignea multipli-

Digitized by Google

cia ſupra muros ac caſtra conſtruunt: hortum ſancti Martialis diuerſi generis arborum varietate conſtipatum radicitùs cum arboribus, quæ erant in circuitu caſtri, euertunt. Sed quid mirum de arboribus? Eccleſiam Dei Genitricis Mariæ, Baſilicam de Hoſpitali ſancti Geraldi, domum ſanctæ Valeriæ, Eccleſiam ſancti Mauritij, cum quibuſdam aliis, poſtpoſitâ diuinitatis reuerentiâ, ſubuertunt, pinnaculum ligneum & ſigna ſancti Martini, proh dolor! flammis exurunt: turrem lapideam clocarij, parietes & officinas, Monaſterium cum adjacenti burgo penitùs deſtruunt. Villam cum Eccleſia ſancti Symphoriani de Ponte, cum aliis quibuſdam Eccleſiis, tam caſtrenſes quàm vrbani eodem ordine ſubuertunt; & niſi inimicus Regis obſtitiſſet, eâdem nouaculâ, quâ ſancti Martini, barbam magni Pontificis Auguſtini Burgenſes abraſiſſent.

VIII.

Repentè igitur occupauerunt Lemouicinum turbæ plurimæ crudelium populorum, qui per pontem de Terraſſono Exandonenſem intrantes, non hoſpites, ſed hoſtes effecti ſunt. Horum Principes erant Sautius de Sarannas, & Curbanus ſeu Curbaranus, quos conduxerat Ademarus Lemouicenſis magnis, ſed execrandis muneribus, & Raymundus de Torena ſacrilegis precibus. Hebdomada ipſa, quæ fuit prima ſeptimana Septuageſimæ die Sabbati obſederunt Petram-Buffieram, capto eiuſdem caſtri burgo die tertiâ, feriâ ſecundâ hebdomadæ Ademarus Vicecomes, cum Petro de Petra-Buffiera pactum firmauit. Acceptâ turre, Vicecomes vexillum ſuum cum vexillo Regis & Curbarani ſuper propugnacula eleuauit, diéque vna ac nocte trophæum victoriæ ſuæ in voce tubæ cunctis ſignificare curauit. In craſtino Vicecomes, ſicut pactum fuerat, Petro reddidit turrem. Lemouicæ Comes habet feudum de Abbate ſancti Martialis, caſtellum de Petra-Bufferia, & turrem de caſtello quod eſt ſuper Charnix, Lemouicenſe caſtrum, vicariam de turre, Bernaudij caſtellum de Cambono ſanctæ Valeriæ. Pro his omnibus debent hominium facere Abbatibus cunctis omnes Vicecomites qui feudum iſtud tenuerunt. Vidimus Ademarum hominium facere publicè in Capitulo Domno Iſamberto & Petro Abbatibus. Pater quoque illius Ademarus Alberto & Auilardo & Ademaro, cæteriq; Comites ſenioribus Abbatibus in Capitulo ſancti Martialis hominium fecêre. Abbas tamen dominium totius caſtri Lemouicini habere debet, Vicecomes vicariam tantùm. Siquidem in diebus antiquis Capicerius ſepulchri procedebat in publicum, cùm de re publica tractaretur, deferens in collo claues, quæ modò ante corpus cernuntur Apoſtoli in catena pendentes ad inſtar ſtolæ. Burgenſes verò argenti pondere fulti, Vicecomiti vix obtemperant, quantò minùs Monachis, qui pro lorica froccis, pro galea capellis vtuntur. Quòd ſi mentem ſanam haberent, magis filiis ſancti Martialis, quàm exactoribus populorum obedirent, immóque corruerent ante faciem Regis: Et contempſerunt monita Sacerdotum.

IX.

Curbaranus cum Saucio, eorúmque complices de Petra Bufferia recedentes deuenerunt ad vicum, qui dicitur Maciſia, vbi marmor inuenitur. Ipſa hebdomada diluculo, feria ſexta, repentè obſederunt Briuam, & Burgenſem quendam Petrum, cognomine Delqua, interfecerũt, qui pridem quàm hoſtes imminerent, dum pranderet, eleuato pectore, qualiter commeſtæ (Prophetæ) dixiſſe referunt: Hoſtis in proximo eſt, & vnus ex noſtris interibit, de quo luctus fiet ciuibus ingens. Hoc verò auſpicium in caput illius redundauit. Taliter contigit præterito anno ipſi, quem Diuinum fatuorum turba vocabat, qui apud Roëtiam die quâ de morte ſua neſcio quid ſubmurmurauit, ab hoſtibus, dum fugeret, narratur occiſus. Cæteri verò ſeſe recipiunt in turrim, qui ſe non eſſe dominos fatebantur, & tamen præſidio caſtri liberantur. Tales ſunt tuæ retributiones, fraus inimici, qui falſis aliquando vera commiſces, vt faciliùs decipias veritatis exortes! Tunc Deus per meritum patris (patroni) ſui Martini Briuam liberat ab hoſtium irruptione. Recedentes etenim octauâ die, quâ Briua obſeſſa fuerat, Exandonenſem repetunt pagum. Ducebant autem, imò trahebant poſt ſe duos Monachos, quos de Monaſterio Pe-

træ-Bufferiæ captos seminudos, quos in conspectu Ademari Vicecomitis Saucius abstraxerat, quoad vsque se redimerent; vnus vocabatur Guido de Solemniaco adolescens, alter Petrus de Pourrey vocabatur, qui Presbyter iam senex erat. Taliter data est terra nostra in manibus dominorum crudelium, licet iusto Dei iudicio, nostris exigentibus culpis, expositi sunt filij tui, quos tu in CHRISTO genuisti, grassatoribus populorum, ô insignis Martialis! Non delebit tamen patriam nostram penitùs amator hominum homo factus propter hominem Deus, per Sanctorum patrocinia, quibus decoratur climatis Aquitanici regnum: Eorum Monarcham & Patriarcham te fidelium fides sana profitetur. O verax discipule veritatis, vltionum Dominus paulò pòst liberè egit cum Guarcianum illum, qui Monachos apud Saucium accusauerat, in manibus Petri de Petra-Bufferia tradidit, qui ei laqueo vitam extorsit: Guarcifer vocabatur Guidode Ios, & Petrus suspendit illum, & qui Monachos octodecim solidis vendiderat ante terminum duodecim hebdomadarum, miserandæ mortis supplicium sumpsit.

X.

Philippus Rex Galliarum socero suo (imò sororio) Anglorum Regi Henrico, quasi auxilium continuò tartareas dirigit legiones. Eorum pedes veloces erant ad effundendum sanguinem. Hi ex diuersis terrarum partibus conglobati, vnam Ecclesiam fecerunt malignantium, vnoque vocabulo, Palearij, quasi à palea censebantur. Apud Nobiliacum verò deuenientes, sibi portas postulant aperiri, quasi hospitandi gratiâ intraturi. Tunc quidam de intus exclamans dixisse fertur ad illos: Recedite hinc, & apud castrum Malamortense festinate, vltimo conuiuio cœnaturi; qui repentè facto impetu irruunt, irruptionéque peractâ in burgo, centum quinquaginta tres homines interimunt ab hora tertia Sabbati vsque ad vesperam illius diei, exceptis vulneratis, qui postmodum corruerunt. Talia tuis alumnis intulerunt, ô nobilis Leonarde, ad cuius tumulum crebrò nobilium ac plebis caterua vota eum muneribus soliti sunt gratanter offerre.

XI.

Transacto placito de Petra-Buffiera, Curbaranus ex præcepto Raymundi de Torena obsedit Briuam feria sexta. In crastinum præfati tenebrarum filij Brantomense Monasterium, non Curbaranus, nec Saucius, sed Palearij cum toto burgo inuadunt, capiunt, ac diripiunt; publicantur, quæ in Ecclesia recondita fuerant, exponuntur alienigenis, quæ omnia intra Sancta Sanctorum, tutelæ causâ, deposuerant. Quid plura? Quæ ibi Pagenses commiserant, ea hostilis cuneus rapuit: pro immensitate damni infiniti ponderis superant pretium fului metalli frumentum, annona, vinúmque, & tota substantia cellaria distrahitur, ac deuoratur. Monachi præ inopiâ panis, exules facti per orbem vagi feruntur. Horum dies tribulationis, dum alij expugnarent Briuam, extitit quarto Kalendas Martij, die Sabbati ante Quinquagesimam, cùm Dominus dicat: *Orate, ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbato.* In crastinum extitit Dominica quâ cantatur, *Esto mihi*, Monachi cùm nec domum, nec refugium haberent, quando potiùs glebam corporis pretiosi Martyris Sicarij, compulsi sunt transferre apud castrum, quod dicitur Bordeille. Efficitur hospes, per quem ciuis redditur sospes; dehinc properant hostes in territorio Petragoricensi, Engolismensi, vel Xantonensi, in diebus Quadragesimæ diuagantes vbique. Similiter Palearijs istis diebus per diuersa loca suam crudelitatem licuit exercere.

XII.

Rex senior præterea citramarinos Principes vocans Lemouicense castrum potenter obsedit, totúmque in circuitu munitione Regiâ cinxit Kalendas Martij, feriâ tertiâ euenit, qui die Martis, Lardarium, eò quòd carnes plurimæ à quibusdam

Digitized by Google

deuorantur, vulgus appellat: quidquid super Vigennam eminebat de ponte, Rex euertit: qui pons opere mirifico constructus, magnam populo abundantiam subministrabat. Inde ros ibi innumera nobilium virorum, diuersarum specierum, tentoria, & insignium Principum depicta vexilla. Castrorum verò acies Regis & tyrannorum animos prouocabat ad pugnam Lemouicensium populorum. Et vt de clientibus ac huiuscemodi hominibus taceam, Comites & Vicecomites, qui tunc aderant, laboriosum est numerum vel nomina recensere. Rex manebat in vrbe, maior filius in castello, Dux Ricardus apud sanctam Valeriam. Tunc Monachi cum Clero & populo intra muros totum circumeunt castrum, deferentes glebam sancti Austricliniani cum capsa aurea, quâ conditum dicunt caput sancti Martialis, aliásque reliquias Sanctorum deportauerunt præsente Rege adolescente, exorantes Deum, vt eorum patrociniis populum liberaret. Mulieres quoque infra muros totum castrum stupæ filo cinxerunt, ex quo candelas multas fecerunt, quas sancto Martiali, aliisque Ecclesiis diuiserunt. Tunc corpus beati Iusti & reliquiæ in Monasterio sancti Martini apud sanctum Martialem translatæ sunt. Monachi nihilominus & Abbas, & infantes de Schola in claustro nostro benignè recepti sunt. Rex interea tam terrore quàm amore animos quorumdam frangebat Principum, imperans eis quòd ipsi olim ex præcepto patris fidelitatem iurauissent. Et quia frigoris & pluuiæ humiditas exercitum valdè fatigabat, expletis ferè quindecim diebus, exceptis his qui in Monasterio sancti Augustini, & in vrbis præsidio erant, natiuum cæteri repetunt solum.

XIII.

Henricus necdum terram aut thesaurum possidebat, verumtamen erat non tam largus, quàm prodigus, multoties imò conquerebatur quòd pater Ricardo minori terram dedisset, sibique olim coronato regnandi facultatem negauisset, egregios tantùm redditus per singulos dies ei pater tribuerat mille quingentos solidos, & Margaritæ vxoris ipsius quingentos solidos monetæ publicæ Andegauensium denariorum. Has verò expensas substraxit pater filio, cùm coniurasset aduersùs Ricardum. Cùm non haberet quò se verteret, rogauit Burgenses, qui accommodauerunt ei de communi 20000. Inde nempè sumptus & diaria dabat his qui Palearij vocabantur. Ademarus Vicecomes Brabancionibus, Basculis, cæterisque hostibus. Hos amplectebatur officiosissimè Rex, timens ne ipsi conuolarent ad patrem cupiditate maioris pretij: hac de causa multa gessit, quæ non congruunt Regiæ Majestati; qui quòd ignoraret quò se verteret, arctatus vndique, irremediabili necessitate thesaurum B. Martialis expostulat ad horam sibi præstari; quod Monachi absque præcepto Abbatis non audere iustâ responsione professi sunt. Domnus etenim Isambertus seditione vrgente recedens apud Subterraneam secessit. Regem primitùs adiuit in vrbe, comitante secum Electo de Lincolna maioris Britanniæ Gaufredo, qui erat Manzer filius Regis: certò enim nouerant vniuersi Dominum Abbatem diligi à Rege vel Duce, eosdémque ab ipso nihilominus diligi, imóque inimici Regis oderant Abbatem. Quæ replicans cuncta, coëgit Monachos Princeps dare thesaurum, ingrediens claustrum, foras expulit cunctos etiam iuuenes, & paruos Scholæ: quosdam nocte prima foras retinuit, quorum primus exstitit Boso Capicerius de sancto Martino cognomento: alter Amelius de Sagursa. Bernardus de Tarn præceptor, cum Stephano Succentore, Aymericus de Vechada de Rosac, Aymericus Vilas de Vernolio Præpositi. Quis crederet ista, nisi in conspectu fierent populi multi?

XIV.

Crastino solutis Monachis exponitur thesaurus; Tabula Altaris sancti Sepulchri, vbi erant imagines quinque, cum mensa maioris Aræ, in qua erant sedes majestatis cum duodecim Apostolis ex auro purissimo: Calix aureus, cum vase mirifici

Digitized by Google

operis argenteo, quod Arnaldus de Montasir dedisse narratur: Crux Altaris sancti Petri, cum medietate scrinij eiusdem: capsa beati Austricliniani, cum cruce magna Bernardi conuersi, qui fuit Ostalers, auri quinquaginta, argenti fuit centum trium marcarum. Hæc omnia non rectè pensantes, nec appreciantes (plus enim valebat) pretio 22000. solidos computauêre. Rex tam multa se redditurum spopondit, dato chirographo sigillo suo roborato. Pretium verò aurificum, & aurum quod erat in auratione argenti computata non sunt. Loricam, quæ in armario seruabatur, Guidonis de Grandimonte, nocte quadam petiit, & accepit. Quid dicam? proh dolor! Sacro-sanctum thesaurum Rex dedit grassatoribus populorum, vt diuturniora mala diebus Quadragesimæ populis irrogarent. Tam inauditum scelus certè non credidissem, nisi oculatâ fide fieri conspexissem.

XV.

Tunc pridem Andronicus Alexium, & vxorem eiusdem Imperatoris consanguinei sui in vrbe regia cepit, innumeris Gallorum populis gladio cæsis. Habebat secum Andronicus Rumpinum quemdam de Montana Principem, & Soldanum de Iconio, pluréſque Satrapas Græcorum. Partibus Alexii fauebat Sabaston (Sebastus) qui filium Andronici ceperat olim: nam ipse Sabaston pro adolescente imperium gubernabat, quod Andronicus iure consanguinitatis sibi contingere dicebat. Acta sunt ista consensu Græcorum, quibus Alexius inuisus erat, eò quod valdè diligeret Francos: habebat nempè filiam Ludouici Regis Gallorum, quam genuit de Adela propria sua vxore, quæ fuit soror Henrici Comitis, & multò post Regis Hierosolymitani. Eo tempore Saladinus multùm opprimeret, nisi ipse à quibusdam Saracenorum Satrapis comprimeretur: Acceperat etenim vxorem domini sui Oredi (Noradini) fraudulenter, & expulerat filium eiusdem, qui dicitur Sanccegin. Balduinus præterea Rex leprosus consumptus penè non valebat in armis. Verumtamen, authore Deo, Christiani multoties triumphauêre de Saracenis, præsertim præterito aduentu.

XVI.

Paschalem solemnitatem elegit & peregit Rex in vrbe Lemouicina. Eius filius Henricus tenuit Engolismam cum multitudine malignantium, in quibus locis solebat dulcimodum cantari *Alleluya*; heu, vę, calamitas perstrepebat grassante perfidia. Recedente patre, filius vrbem Lemouicam expugnabat: sed custodia murorum non vocibus, sed lapidibus in eum iactis dixerunt, *Nolumus hunc regnare super nos*. Feria secunda in Rogationibus castrum de Axia cepit: Erant in turre tantùm duodecim clientes, milites duo, Presbyter vnus. Cæteros Aymericus de Axia amore simulato, callidè ad se vocatos excluserat. Interim Rex puer de Cœnobio Grandimontensi thesaurum violenter accepit; & quod auditu horrendum est, columbæ aureæ, in qua Dominicum corpus habebatur, non pepercit, quam pater eius dederat olim. De Cœnobio quoque, quod dicitur Corona, in Engolismensi pago, & de quibusdam Ecclesiis thesauros multos irreuerenter abstraxit. Nunquidnam prolongabuntur dies talia exercentis? Tunc venit ad eum Dux Burgundiæ suppetias, Comésque Tholosanus in Ascensione Dominica apud Vsercham deuenit. Inclinante iam die processionem Monachorum ægrè susceptit, quia sperabat ab Abbate vel populo exigere argentum. Hic iusto Dei iudicio percussus, se pridiè aliquantulùm grauari cognouerat. Crastino, licet infirmus, apud Dosennac, seu Donseniac deuenit; Sabbato apud Martellum vicum; ibi coram ipso Raymundus Vicecomes strepitum cursúmque equorum supercilio iactantiæ exercere præcepit, ob vulgi captandum fauorem. Dehinc apud Roquamadour Rex abiit gerens speciem peregrinam, sed fæuitatem illic ferinam tractauit. Qualiter ab Abbate Dalonensi vel Obasinensi exigeret pecuniam, hic magis de ablatione, quàm de oblatione tractabat. Regressus Martelli Rex ægrotauit: quo cognito, Vicecomes Raymundus in necessitate positi amici curam agere neglexit, & qui nuper cursum equorum aduentu

uentu eius potiùs quàm in Ascensione Saluatoris nostri iactantiæ causâ agi constituit, cùm illum cerneret in extremis, ab eo pietatis viscera clausit.

XVII.

Pentecostes celeberrimo festo æger peregit absque vllo Ecclesiæ sacramento. Guillelmus de Tignera Abbas quondam Dalonensis, tunc inuisere venit apud Roquamador Geraldum Pontificem Caturcensem, inuenitque Pontium d'Espali Priorem Royas, quod est de Cœnobio quod vocatur Chartosa. Hi condixerunt sibi inuicem, vt visitarent Regem Fer. 3. Æger legitimè actus suos coram eis confessus est, nudúsque exiuit de lecto, sicque prostratus humo adorans Deum viuifica percepit mysteria, hostibus ac Conuentui malignantium & paternæ guerræ abrenunciauit. Pater audita filij ægritudine, ad eum venire disposuit, nisi de ipsius melioratione eum fallerent quidam. Vicecomes quoque Ademarus inconsultè agens conductum ei timuit præbere. Sabbati hora secunda vngitur, peccata confitens propalam viaticum percepit, humero suo crucem imponi petiit, quam in chlamyde sua carissimus eius Guillelmus Mareschaux ad sepulchrum vitæ ipsius Domini delaturum se spopondit. Inter vtrosque tunc Comes Rotro del Perche & Britannus Præsul de Aye, discurrebant de pace tractantes, pro quibus pater filio annulum pretiosum direxerat, qui Henrici munifici Regis olim extitisse narratur. Hunc filius libentissimè amplexatus est, patrem velle videre instantissimè proclamauit. Dei misericordiam medullitùs inuocabat, Virginis Mariæ, Sanctorúmque omnium auxilium implorabat: Beatum Martialem subuenire sibi humiliter postulauit: ob cuius iniuriam lethaliter vapulabat. Huius obitu multorum vita seruata dignoscitur, dum ipsius decessu dissidium extinguitur. Hic ante sex annos pro aliâ ægritudine vnctus fuerat eodem oleo infirmorum.

XVIII.

Antequam Rex descenderet, venerunt Episcopus Niuernensis & Theobaldus Abbas Cluniacensis ferentes litteras à Pontifice Summo sibi directas, vt patrem & filium ad ea, quæ sunt ad pacem prouocarent, aut rebelles æquitatis gladio spiritus Sancti authoritate Apostolica animaduerterent. Sed Rege decedente, res aliter tractata (trutinata) est, fautores siquidem defuncti Hugo Dux Burgundiæ Comésque Raymundus ad propria negotia festinare cœperunt. Rex iterum Lemouicense castrum obsedit die Inuitationis Beati Martialis. Interim de pace tractatum est quo vsque Deo propitio suffragio eiusdem Apostoli fieret. Natali Sancti Ioannis Ademarus Vicecomes castrum reddidit Regi, fratribúsque suis Engolismensibus abrenunciauit, quo vsque Regis ac Ducis gratiam mererentur: Recepto Rex castro muros eius fossatósque funditus euertens solo coæquauit. Senescallum illic dimisit, qui euersionem accelleraret. In festo Apostoli Aquitaniæ matutinali missa audita Rex exiens ab vrbe, Cenomanensium, Andegauensium, Normanorúmque multos Principes, qui filio, quamuis occultè, fauebant, grauiter afflixit. In solemnitate Apostoli nullus affuit ciuium, qui offerret, multus tamen cuneus extraneorum, qui offerrent: Ipso die venit Dux Ricardus & Rex Arragonensis Adelphonsus, * qui olim suppetias Regi seniori venit apud Authefort, obsederitque fortiter castrum. Illic obiit, sed absque gladio, adolescens nobilis Berengarius de Vendeiras de Catalonia: eius sororem habebat Raymundus de Moncade. Hic quondam Monachus extiterat Cisterciensis ordinis, adeóque Regis imperio in Cœnobio Dalonensi tumulatur, & vt multa breuiter claudam, castrum valdè inexpugnabile 7. die hoc est in octaua SS. Petri & Pauli Apostolorum Dux iure prælij cepit, & eum Constantino de Born Oliuarij de Turribus genero, quem frater eius Bertrannus de Born per proditionem expulerat, reddidit. Dehinc Rex Aragonensis rediit Barcinonem, Dux verò Ricardus deuastauit prouinciam Petragorici Comitis amicorúmque ipsius.

XIX.

Obiit Rex apud Martellum in domo Stephani cognomine Fabri, præsente Bertranno Episcopo de Agenno, multisque aliis religiosis viris, instante festo S. Bar-

nabæ Apostoli : erat hora decima Sabbati magnæ Hebdomadæ Pentecostes, Luna XII. anno 1183. ab Incarnatione Domini. Crastinâ die per Briuam transeuntes Vsercliæ deuenerunt foris. Vosienses eminenti loco villæ, quæ dicitur la Guarde, & ego cum quibusdam Monachis & Laicis procedens per publicam stradam cernebamus hora decima Regales exequias transire. Erat equidem serenum tempus. Tunc Ademarus Vicecomes, Gaufredus de Lasinia, seu Lesiniaco Eschuat, & quidam milites mortuum veniunt lugere. Vsercensis Abbas Bernardus in luminibus & procuratione soluit expensas. Summo diluculo ad missam pro defuncto vix duodecim denarij oblati sunt quos Capellanus defuncti rapuit. Vt quid multa? tota Regis familia fame laborabat : insuper equum Regis pretiosum pro his, quæ infirmo fuerant necessaria pro arrabone tradiderunt, & qui thesauros Apostoli Martialis aliorúmque Sanctorum largè perfidæ tradiderat genti, paulo post proprij corporis portatores valde famelici à Monachis saturati sunt : In tantam siquidem inopiam deciderant vt vnus de Regia clientela braccas suas pro cibo non sine pudore dedisse profiteretur. Valdè mane Vsercliâ exeuntes ipsi feria secunda apud Grandimontem peruenerunt. Vicecomes tum cum suis corporis baiulos valefaciens, protinus secessit ab eis.

XX.

Interim Regis exercitus circa Vigennam fixerat tentoria, vbi eidem fluuio Briansa se infundit, cùm ecce hora nona diei Bernardus de Reysat Grandimontensis Cœnobita coram Rege venit, quem Rex prior salutans ab ipso resalutatus est ; cui Rex ait, Quæ noua? Bernardus vultu submisso ait, non sum boni nuntij famulus. Rex hoc audito se protinus in magnis lamentis dedit, cæteri de conspectu eius electi sunt, celeriter tamen nuntiauit Ricardo Duci, qui castrum de Axiâ obsederat coram se tunc deferri immensi ponderis, * quas fabricari iusserat pridem. Fuerat quippe ingressus in domo rustici propter æstum in manso qui dicitur Alas Salessas. Crastino feria tertia apud Grandimontem Ioannes Episcopus Niuernensis Bertrannus Præsul de Aginno, Saibrandus Sacerdos Lemouicensis, Theobaldus Abbas Cluniacensis exequias defuncti celebrarunt. Episcopus tamen Lemouicensis Regem excommunicatum denunciauit, donec Guillelmus Prior Grandimontis Thesauros spopondit facere reddere patrem. Verumtamen pater ad filij exequias nequaquam venit : cuius ventrem, oculos, cerebrúmque ibi sepeliuerunt ; corpus aromatibus verò condientes inuolutum linteo candido, deinde corio forti super pallio, quod vocatur Sendal, viridis coloris, Cenomanis detulerunt. Indè seditio exoritur vsque Rothomagum, vt ipse præceperat, sepeliretur. Delatus est cum eo adolescens quidam familiaris illius, qui post eiusdem obitum cibum nec potum sumpsit, cùm esset sanus, donec deficeret.

XXI.

Hæc postquam gesta sunt, vastatores terrarum, qui Palearij appellabantur, in Biturigensem pagum arctati sunt à militibus, qui Paciferi appellantur, eò quod pacem facere iurauissent. Quid replicem cuncta? Congregati vndique populi apud Castellum Dunum deleuerunt illos in momento 3. Kal. Augusti inclinata iam die. Altera die quod est festum S. Victoris crematis corporibus ipsorum palea gehennæ tradita est. Primam inuasionem nostri Lemouicenses fecere, deinde Paciferi : nec defuit nobilis Ebo de Charanto cum Gaucherio de Salis (Salinis) qui fuit filius Geraldi de Mania (Vienna) cum Nuru (Nouerca) sua, quæ fuit vxor Archambaldi de Borbon, & soror Ducis Burgundiæ, æstimatus est numerus occisorum 10525. Hi habebant calices aureos & argenteos, Cruces Ecclesiarum absque æstimatione. Pro his violauerant aurum thalami tui splendidi, ô maxime pastor Martialis! in his meretrices 1500. circiter erant, quarum ornamenta inæstimabili thesauro comparata sunt. Infra dies 20. Curbaranus à la Romegeyra prope de la Mellian (fortè à la Rouergeyra prope vrbem de Millau, id est in Ruthenensi prouincia prope Æmilianum) cum quingentis de suis laqueo suspensus opprobrium captauit sempiternum, Raymundus quoque Brunus apud Castrum-nouum quinta die ante Assumptionem S. Mariæ impiam vitam gladio finiuit.

XXII.

Genitricis Dei Assumptione serenitas prædicandæ pacis populis claruit obsidentis tempestiuo vmbræ, sed non statim remota vmbrarum caligine. Quienim infirma mundi eligit, vt confundat fortia, suscitauit spiritum vilissimi hominis Auitio commanentis. Is habebat vxorem & filium arte carpentarius, vultu abiectus, sed simplex & timoratus hic Petrus, aliàs Durandus, adiit Episcopum circa S. Andreæ festum, cúmque de pace admonuit reformandâ. Præsul hominis vilitatem admiratus est, plébisque eiusdem verba contempsit. Primum post natale domini inita pacis fœdera iurauerunt, proinde ..... pacis instituta; signumque de panno lineo vel laneo albo caputium sibi cingulamq; ante vel retrò pendentem instar pallij lanei quod ponunt super casulam Metropolitani. In anteriori parte, hoc est super pectus pendet imago Virginis quasi filium portantis: In circuitu scriptum est, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem* Qui pacem iurat confitetur peccata priùs, iurátque legitimè, postea omni anno in Pentecostem sex denarios in confratria dabit, in hoste cum confratribus, cùm iussus fuerit, perget, semel in vita sua dabit in imagine stagnea 1 poyes. Canonici Sæculares vel Monachi, si iurauerint pacem, ordini astricti tenentur, sed non ibunt contra hostes, sed orationi instabunt, quod benè licet eis. In Assumptione, vt prælibauimus, res vniuersis innotuit P. Episcopo prædicante ex tunc non solùm milites, verùm etiam Principes, Episcopi, Abbates, Monachi, Clerici, vel mulieres viros non habentes, signum istud libentissime susceperc. Castrum Nouum (sic enim legendum arbitror) obsederunt quidam eorumdem & plures pro proditione occiduntur (Princeps latronum quidam appellabatur Merchaders) infra octauam Assumptionis, super corpora quorum is, qui sine testimonio bonitatis suæ nullum tempus relinquit, quædam signa ob honorem suæ genitricis ostendere dignatus est.

XXIII.

Patris Aredij beatissimi corpus loco pristino solemniter refertur à Guillelmo Vosiensi Abbate, Bartholomeo Priore de Chalax, Beraldo, Seguino & Gulpherio de Turribus præsente & Vicecomite & populo vniuerso. Gulpherius filius Matildis Vicecomitissæ de Turena tunc retulit reliquias vel pallia, quæ Bernardus Decanus ab Hierosolymis detulerat, qui nuper obierat dum rediret. Eo die obiit Christianus Maguntiæ Archiepiscopus Cancellarius Imperatoris. Serenitas rediit optata, per dies istos grauis pestilentia per multas prouincias incredibiliter porcos vel armenta deleuit. Die octauo Natiuitatis Beatæ Mariæ B..... Præsul & I..... Abbas apud Grandimontem consilio Bernardi Tutelensis & Guillelmi Vosiensis Abbatum pacem fecere. Redierant siquidem à Roma nuntij domini Abbatis B. Radulphus Delpoy Præpositus de Arnaco, Petrus Ardallos Præpositus de Subterraneâ, Gaufredus de Nuoil Prior de Seniac, & Bernardus de Peulet ferentes litteras Ecclesiæ vtiles nostræ.

XXIV.

Epistolam Rex moriens patri transmisit sigillo suo & annulo superiùs memorato signatam; in qua post salutationem scriptum erat. *Delicta mea & ignorantias meas ne memineris.* Primo enim capitulo rogat patrem indulgentiùs tractare matrem, quam ferè per annos decem apud Salesbeyriam tenuerat quasi captiuam: orat liberaliter prouidere vxori iam viduæ: vt pote Regis Gallorum Ludouici filiæ & Fredelani, seu Ferdinandi Hispaniarum Regis nepti, quæ sicut mater dicitur Margarita: supplicat dari pacem Engolismensibus, Petragoricensibus, Sanctonibus, cunctisque inimicis, maximè Ademaro vel populo Lemouicensi: obsecrat reddere damna afflictis, restaurare thesauros Ecclesiis, quos rapuerat, maximè Sancto Martiali. Corpus suum transferri per Lemouicas præcepit, & quasi pro satisfactione oculos, cerebrum ventrem ante Apostolum proijci, séque ibi retineri, quo vsque omnia rapinarum pretia à patre soluerentur. Vltimo postulat capitulo corpusculum suum Rothomago in Basilica Dei Genitricis Mariæ solemniter tumulari. Hæc nouissima deprecatio primâ in fronte ostensa est. Verumtamen principes postmodum licet ad votum non,

adepti sint pacem. Bituriæ interim eligitur Archiepiscopus Henricus Frater Gilonis de Soliaco, & Radulphi quondam Cluniacensis & de Fescano Monasterio Abbatum. Hic 7. (legendum 8.) Kalendas Octobris Presbyter ordinatur: Altera die in festo Cleophæ Apostoli nouus Patriarcha consecratur, nouissque Sacerdos missam celebrat. Post obitum siquidem Guarini sedes vacauit annis ferè tribus & mensibus septem. Licet interim duo fuerint electi, neuter consecratus est. Consecratus est Henricus à Guillelmo Burdegalensi, Sebrando Lemouicensi, Ioanne Niuernensi, Geraldo Caturcensi, Pontio Aruernensi, Hugone Rotenensi, & aliis, comprouincialibus Præsulibus. Domnus Hembertus contulit ei conchas, ampullasque argenteas, quod danti & accipienti magnum contulit fauorem. Conchis enim ampullisque ex ære vilissimo ministri priùs Præsuli vinum lymphasque propinabant.

XXV.

Bernardus Episcopus Biterrensis Narbonensem Archiepiscopatum, Ioannes Pictauiensis Lugdunensem Archipræsulatum, Ioannes Abbas de Corona Engolismensem, Guillelmus Tempers, seu Templier, Pictauensem, Gauterius cognomento de Constansa * Dobicola, Hugo de Sancto Andrea Cathedram assequuti sunt. Ioannes, qui à Legato Papæ Alexandri fuerat depositus, eò quòd Henricus Rex Scotorum illius electioni non benè conueniret, alterius vrbis cum eiusdem Regis gratiâ Cathedram adeptus est. Episcopus nempè de Sancto Andrea primatum tenet super omnes Episcopos totius regionis Scotorum, quamuis nequaquam sit Archiepiscopus. Die septima ab ordinatione Archiepiscopi Bituricensis, Princeps perditorum, qui vocabatur Merchaders, terram Archambaldi Combornensis vsque ad Sanctum Germanum, die eiusdem Confessoris deuastauit. Post hæc rediit retro in Petragorico, vt sollicitatos redderet incautos, cùm in vigilia Sancti Pardulphi vespertinas laudes Arnaco persoluissemus, clamor factus est dicentium, quòd iam Pompedorium obsedissent castrum, quod omnino falsum erat. Sed clamor & metus clamoris nobiles matronas de Segur, plebeióque, qui ad festum ex vicis confluebant, longiùs propulsauit. Nuntij iterum iterúmque venere qui manè hostes venturos esse dicebant: Et eâ nocte, quâ populi sua solebant deferre vota, cœperunt Monachi diuersa Ecclesiæ sacramenta auferre, & in turrim Gulpherij deferre. Erant tunc turris parietes ornati pulchriùs solito, quia pallia quædam ab Hierosolymis detulerat Princeps de Turribus. Tempore illo matutinas processiones, cæteraque horas diei Domino largiente celebrauimus admodum honestè: redeuntibus Vosiæ socijs, remansi ego, cùm ecce ad Laudes matutinas Feria quarta de summo Monasterij tecto elapsum fragmen ruinosi parietis caput eum (forte meum) vulnerauit sanguine nimio profluente mortem plurimis immitteret. Sed in miraculis eiusdem Patris plura latiùs pangam. Crastino Feria quinta, octauus dies (Sancti Pardulphi 13. Octobris) celebratur: alia die nona hostes moti de Plasac crastino Sabbato castrum de Pompedour obsident ex improuiso, per circuitum vniuersa vastantes, homines, animalia, diuersáque supellectilia capiunt, & vinciunt: senibúsque ac debilibus non parcitur, paruis non miseretur. De redemptione earum rerum, quæ in Monasterij Claustro erant, habuere Merchadæus, Constantinus de Born & Radulphus de Castellenau solidos 650. Ex hominibus almi Pardulphi, qui capti fuerant de vnóquoque capite sex solidos exegerunt & Radulphus per ordinem suum Præpositus ab eis adiuratus spopondit crastino se non manducaturum, donec persolueret pretium redemptionis captiuorum. Recesserat ab ipsis ea ex causa, impediente eiusdem rei negotio, quare ei reddere non licuit de Sabbato vsque feriam tertiam, Festo S. Lucæ. Postquam pretium reddidit non (immò tum) comedit. Totam terram, quæ appellabatur Lou Vendoues, vastauerunt, Ecclesias de Loberissac, Baissac, Seselausens, Seorson, multásque alias ad redemptionem coëgerunt. Vnus illorum in castro crematur igne: alter adolescens Boso de Poipmene, quem nobilem asserebant à rusticis perimitur, & inter biothanatos proiicitur, cùm pene nullum de parochia occisum amisimus. Dominicâ mane recesserunt timentes iuratos Aruerniæ qui venire disponebant, nisi Guillelmus de Chameleyra miles differri consilio faceret prauo: quod factum in tantos pœnituit vt Ademarum Lemouicensem sacramenti sui efficerent participem, sicut

auunculum illius Archambaldum fecerant pridem.

XXVI.

Discedentibus ipsis graue inter domesticos oritur dissidium; Gulpherius etenim, Seguinus & Geraldus contra Gulpherium filium Oliuarij cõsurgunt asserentes eum eius vastationis esse conscium, eo quod Constantinus de Born cuius suggestione res acta fuerat, socer foret illius. Constantinus verò oderat Seguinum eò quod Seguinus erat gener Bertranni de Born fratris simul & inimici sui, Gulpherius exigebat à Geraldo & Seguino hominium, qui non poterant quidem contradicere, sed inter se disceptantes quis illorum hominium faceret, consanguineum irritauerunt. Sed nec mirum sit quod ipsorum vnus compari & consanguineo debeat hominium: Dicam apertius res vnde contingat. Vir quidam nobilis de Turribus Ramnulphus dictus est. Hic multas possessiones possidebat, verumtamen, sicut cæteri eiusdem castri Barones, maiori Principi obnoxius erat. Hic 4. genuit filios Ramnulphum, Arcambaldum, Guidonem, atque Seguinum, qui de Sancto Aredio Abbas extitisse refertur. Ramnulphus primogenitus cum nouissimo Seguino patrem suum iunxit (fortè vinxit) idcirco terram fratris sui totam vindicauit qui Seguinus Abbas hæredem alium quàm Ramnulphum fratrem non reliquit. Guido ex filia Aymerici d'Argenton genuit Geraldum & Ramnulphum Sancti Aredij Decanum, qui sancto Martiali dedit villam de Cadris & iuxta castellum Abbatis * Lemouicę quiescit. Geraldus ..... primus vocari se iussit ..... de sorore Geraldi de Tremoil genuit Guidonem, & Guido de Almode genuit Guidonem, Geraldum & Aymericum, qui Grandimontem petiit, Raymundum S. Aredij Canonicum & Petrum Monachum S. Martialis, aliósque quamplures. Guido de Guicharda genuit Iterum, & Aymericum, qui fuit Præpositus de Chambon, Ioseph Monachum Sancti Martialis, aliósque plures. Archambaldus de Turribus pro vxore acquisiuit Feloc, seu Felet, genuitque Guidonem, qui cognominatus est Archambaldus, & quemdam alium. Guido Archambaldus qui cum Iordana vxore Arnaco iacet de filia Agnetis de Bru sororis Bernardi Vicecomitis de Comborn genuit Ademarum Patrem Ademari Abbatis Solemniacensis, & Archambaldum patrem illius qui Guimohem de Chastelnou interemit, Guidonem atque Petrum. Ramnulphus, qui totam hæreditatem Seguini Abbatis habuit, accepit vnam ex duabus vnicis filiabus Geraldi de Petra-bufferia, cui medietas castri & honoris de Bernarda sorore Bernardi de Bru contingebat. Genuit Raimundum & Seguinum. Ex his Seguinus tantum genuit Vmberguam, quam propter magnam hæreditatem Geraldus senior suus, accepit vxorem. Quorum filiorum vnus, id est Seguinus, fecit hominium Gulpherio auunculo suo & Oliuario filio ipsius. Seguinus etiam filius Seguini fecit hominium eidem Oliuario. Post obitum patris Guido dedit eidem Seguino fratri propter partem * Auchaps Lofeu, militum de Champagnas, Guidonis Dolbarri, & Petri Heliæ de Nexon, vt faciant hominium Seguini filijs Guidonis in æuum. Progenies tamen Gulpheri Senioris & filij eius Oliuarij habebit pleniter hominium omnium militum de Turribus semper.

XXVII.

Die prima antequam Merchaders veniret Pompedoro, in Ecclesia de Lascouts Sabbato 6. Kalend. Octob. (error est in numeris) expleta missa in linteo altaris plurimæ cruces per dies aliquot apparuerunt, quas Iordana Vicecomitissa de Combern, Stephanus Abbas de Castris cum omni populo viderunt, cuius tamen coloris essent non agnoscebant: hoc in quibusdam Ecclesiis agnouimus ante hos annos euenire. Dominus nouit quid portenti portenderit. Per totum annum iuxta nemus castrumque de Pompedor audita est funesta vox vlulantium luporum in festo S. Austricliniani quo malum cuibus contigit licet inter (ante) plures annos Guido de Bré ingens damnum eidem intulit castro, quando Fulcherius de Peyrussa captus, eiusque filius occisus est. Euoluto tempore ipsa die idem Guido de Bré prope Pompedor interficitur à Bertronno de Chaneyras, & corpus ipsius Vosiæ ab Abbate Ademaro delatum est anno superius memorato, quo consecratus est Metropolitanus

frater & Fredericus pacem cum Longobardis fecit, qui auxerunt ei annuos reditus. XIIX. Kalendas Octobris, Salardis, seu Saladinus, cum mandato Saracenorum hostile contra Christianos instruit bellum. Ab Hierosolymitanis cum paucis contra eos acies ordinatur * & tubam ab eis auferunt. Nocte sequenti viso Henrici consilio circa munificam crucem, fugiunt Pagani, magnóque miraculo saluantur Christiani.

XXVIII.

Synodo die octaua omnium Sanctorum Dominus Sebrandus Episcopus solemniter præcepit venire Lemouicæ secundùm consuetudinem antiquam, & sicut Ecclesia Lemouicensis iustè postulabat. Vigilia Natalis Domini Geraldus filius Bernardi, frater Aldeberti de la Marcha, Sancti Aredij Decanus efficitur. Crastino festum Lucius Papa celebrauit Anagniæ; Rex Anglorum Cenomanis; Dux Ricardus apud Talamum magnificus munerum largissimè apparuit; Domnum Isembertum Abbatem Lemouicensem egregiè honoratum ibidem adesse lætatur. Ipsa Hebdomada Lobar & Saucius, cum innumerabili hoste Exandonensem, quam ab anxietate appellatam, quamuis fertilissima sit, anxiati sunt tellurem. Triduo ante Domini Epiphaniam apud Sanctum Geraldum Aureliaci processerunt, non more Magorum offerentes propria, sed more perfidorum auferentes aliena. Hi verò, qui in Monasterio erant, dedere 25000. solidos Burgo publicato. Hinc cum Iuniori Tholosano repetunt Lemouicensem & feria tertiâ secundæ Hebdomadæ septuagesimæ, septimo Idus Februarij castrum de Pairaco terrásque circumquaque retinent pagum. Bissextus tunc euenit. Marchaders cum suis sub vmbra Ducis quasi ex obliquo prouinciam Ademari impetens Exidolij burgum cum suburbanis suis feria prima Hebdomadæ secundæ de quadragesimâ crudeliter vastat: Ipsum diluculum cœca nebula texit eundem, &c.

Hactenus GAVFREDI VOSIENSIS Chronica: nam quod sequitur fragmentum aliunde assutum videtur.

Anno ab Incarnatione Domini 1199. Richardus Rex Anglorum fortissimus ictu sagittæ ad humerum percussus, cùm obsedisset turrim quandam in quadam castro Lemouicensis pagi, quod appellatur Chalus-Chabrol. In prædictâ turri erant duo milites, cum aliis circiter 38. viris & mulieribus. Vnus ex militibus vocabatur Petrus Bru, alter Petrus Basilij, de quo dicitur quod sagittam cum arbalistâ tractam emisit, quâ percussus Rex intra duodecimum diem vitam finiuit, videlicet feria tertia ante diem Dominicam qua celebratur ab Ecclesiâ processio in ramis Palmarum octauo Idus Aprilis decima hora noctis ipse interim dum ægrotaret præceperat suis vt obsiderent castellum Vicecomitis quod appellatur Nuntrum, & quoddam aliud municipium quod appellatur Montagut, quod effecerunt, sed morte Regis auditâ confusè recesserunt: proposuerat ipse Rex in corde suo omnia castella & municipia prædicti Ademari Vicecomitis destruere.

In quibusdam Exemplaribus adiexuntur nonnulla de Vrbano II. Papa, de profectis in Palæstinam Christianis Principibus, ac nominatim de Gulpherio de Turribus, quæ nos supra ex fide aliorum codicum proprio loco inseruimus. Consule paginas 292. & sequentem.

VITÆ, ELOGIA, TRANSLATIONES

PLVRIMORVM SANCTORVM,

SANCTARVMQVE

AD BITVRICENSEM DIOECESIM SPECTANTIVM.

INDEX ELOGIORVM
SANCTORVM BITVRICENSIVM.

S. *Amandi* Trai. Ep. elogium.
S. *Ambrosij* Caturcensis Epist. vita duplex.
S. *Austregisili* Bit. Archiep. res gestæ & miracula libris tribus cum Elogio olim tumulo illius insculpto, &c.
S. *Bertoaræ* elogium.
S. *Deodati* Abbatis elogium.
S. *Desiderati* Bit. Arch. elogium.
S. *Desiderij* Abbatis elogium & vita.
S. *Dulcardi* Monachi vita.
S. *Eusitij* Abbatis elogium & vita.
S. *Eustadiolæ* Abbatissæ vita.
S. *Gundulfi* Archiep. Transslatio & Miracula.
S. *Guillelmi* Archiep. vitæ Compendium & Miracula.
S. *Honorij* Martyris elogium.
S. *Iacob.* Eremitæ elogium.
B. *Ioannæ* Biturigum Ducis, Francorum Regum filiæ, sororis, ac conjugis, Annuntiatarum Virginum Fundatricis, elogium.
B. *Iosberti* Monachi Dolensis elogium.
S. *Iusti* Confessoris elogium.
S. *Lauriani* Hispalensis Archiep. Passio.
S. *Leopardini* Monachi & Martyris Passio duplex.
SS. *Leocadij* Senatoris ciúsque filij *Lusoris* elogia.
SS. *Marcelli* & *Anastasij* Martyrum Passio duplex.
S. *Mariani* Eremitæ vita.
B. *Maurini* Monachi elogium.
S. *Menulfi* Episcopi vita.
S. *Phaletri* Confessoris vita.
S. *Principini* Martyris elogium.
S. *Sigiranni* Abbatis elogium & vita.
SS. *Siluani*, *Siluestri* & *Rodenæ* elogium & vita cum Miraculo quodam B. Martini Turonensis ex ampliori quodam Tractatu, &c.
S. *Solongiæ* Virginis & Martyris elogium & vita.
S. *Sulpitij* Pij Bitur. Archiep. Miracula.
S. *Sulpitij* Seueri Bitur. Arch. elogium.
S. *Vrsini* Primi Biturigum Archiep. vita, Hymni, Encomia.

VITÆ SVMMARIVM SIVE ELOGIVM

SANCTI AMANDI TRAIECTENSIS EPISCOPI.

Ex vetustißimo Ecclesiæ Bituricensis Breuiario, ad diem vigesimum sextum Octobris.

AMANDVS Deo acceptissimus, Aquitaniæ ex nobilibus parentibus procreatus, & Literis Sacris eruditus à pueritia, parentes suos reliquit, & in Agnaui insulâ quoddam Monasterium non longè à mari Oceano intrans habitum Religionis assumpsit. Ex qua insula immanissimum serpentem qui in ea erat, quantus antea nec pòst visus est, mox, vt vidit sua oratione expulit. Et cum parentes eius eum de Monasterio extrahere vellent, latenter exiit, & sepulchrum S. Martini Turonis expetijt.

Indéque Bituris ad S. Austregisilum, qui tunc in Dei rebus magnificus habebatur, pergens, apud eum annis quindecim in pane & aquâ viuens mansit. Quibus sic peractis altiori æstuans desiderio Romam expetiit, ibique ei apparuit Apostolus Petrus ipsum blandè admonens vt in Gallias prædicaturus rediret. Qua de re lætificatus, Apostolica benedictione perceptâ, in Gallias remeauit, & à Dagoberto Rego honorificè susceptus, Trajectensis vrbis Alimaniæ Episcopus ordinatus filium eius Sigebertum baptizauit.

His itaque gestis vicos & castella circumuiens prædicationis officio insistebat. Sed cum multi Sacerdotes & Leuitæ eius verba contemnerent, ad Esclauoniam secessit, ibique cum similiter prædicationem eius audire nollent, ingenti plagâ per biennium ita sunt attriti, vt nullus qui virum Dei contempsisset, propter fulgura & tempestates ibidem remaneret. Indéque ad oues proprias reuersus tandem virtutibus plenus & miraculis feliciter quieuit in pace.

Hæc strictim ac perpaucis, decerpta, ni fallor, ex ijs, quæ Milo quidam Sancti Amandi Monachus circa annum 870. vt putat Surius Tomo prima ad diem sextum Februarij, diffusiùs persecutus est. Ex quibus hunc delibare floscul um nostroque inserere operi non erit Lectori insuaue: Plura in Februario dabunt RR. PP. Ioannes Bollandus & Godefridus Henschenius.

Post hæc ab Abbate & Fratribus benedictione percepta, ciuitatem Bituricas & sanctum adiit Austregisilum, cumque ab eo & ab eius Archidiacono S. videlicet Sulpitio qui postea Episcopus claruit, clementissimè fuisset susceptus omni ei humanitate exhibita cellulam iuxta Ecclesiam in superiori ciuitatis muro construi fecerunt. In qua cellula multis diebus ob amorem æternæ vitæ cilicio tectus & cinere & ieiuniis attritus atque inedia hordeaceo tantùm contentus pane atque aqua modica corpus suum sustentauit potius quàm aluit. Sicque ibidem tribus fermè militans lustris à vino & sicerâ omnino abstinuit, &c. *Eadem ijsdem penè verbis habes apud Nodgerum Episcopum Leodiensem in vitâ S. Landoaldi S. Romanæ Ecclesiæ Archipresbyteri 19. Martij apud Surium.* Amandus Aquitaniam nariuitatis suæ illustrabat auspicijs, &c. Bituricos deinceps abiit cum B. Austregisilo eiusque Archidiacono S. Sulpitio sanctissimè conuersatus, in cellâ à se ædificatâ per quindecim annos arctissimæ vitæ se addixit. Deinde Romam, &c.

VITA SANCTI AMBROSII CATVRCENSIS EPISCOPI, IN PAGO BITVRICENSI DEFVNCTI.

Ex vetustissimo Ecclesiæ Bituricensis Breuiario ad diem decimumsextum Octobris.

AMbrosius Caturcensis Episcopus diebus singulis & noctibus vigilijs & orationibus semper intentus nullas res nisi facultates Ecclesiæ suæ diligens, omnia quæ habebat pauperibus erogabat. Quod videntes Senatores illius ciuitatis verba contra eum proferentes iniqua dicebant. Vnde hic venit contrarius noster destruere thesauros huius Ecclesiæ? Quid faciemus contra eum?

S. autem Ambrosius hæc audiens Christi nomine inuocato, recluſit se in cellulam iuxta Ecclesiam suam & flectens in oratione genua sua dixit; D. IESV-CHRISTE da mihi seruo tuo in te speranti vt vincere possim Diabolum qui ingressus est in corda istorum hominum qui blasphemant opera quæ facio in nomine tuo. Stetit autem multis diebus variis languoribus languidos sanans.

Diabolus autem tunc ei inuidens ingressus est in quandam mulierem nobilissimam vrbis illius. Quæ media nocte ad cellulam illius veniens dixit: Domine aperi mihi ostium tuum, desidero enim multum videre corpus tuum. Cui Ambrosius, Væ tibi Diabole seductor male, vbi te parasti? non destrues in Deo sperantes quia plus est potentia Christi ad defensandum quam tua versutia ad decipiendum.

Deinde ab oratione se erigens dixit: Mulier flecte genua tua in oratione & ego similiter pro te faciam, antequam tibi ostium aperiam. At illa prosternens se in oratione dixit: Domine Deus meus da refrigerium animæ meæ. Et confestim euomuit diabolũ in modum colubri horribilis. Et sic quæ diabolo tentata venerat ad virum Dei, ait: Pater mi sanctissime nihil desiderat anima mea nisi orare quia inimicus egressus est per orationes tuas de corpore meo. Post aliquot autem dies perdurantibus suis ciuibus in eorum malitia egressus de cellula illâ Agrippino Archidiacono suo tantũmodo sciente recluſit se in cauernâ castri sub altissimo ponte fluuij Oltæ, & catena ferreâ à renibus vsque ad verticem conseratus iactauit clauem in pelago & dixit ad fidelem suũ. Quando voluntate Dei hæc clauis fuerit inuenta, dic populo vbi sum, aliàs verò nemini dicas. Discipulus autem diligenter superposuit plancatum in locum de quo ipsum remouerant, ita vt nulli appareret quod intus esset & dixit ad eum: Pater & de lumine quid tibi erit in nocte? Respondit ille: In nocte & in die Deus est lux. Cumque etiam de cibo eum interrogasset ille respondit: Ad tertiam tantum diem exhibe secretò mihi oblatam & aquam sicut Deus præcepit. Cumque ibi per annos tres assiduè vigilans orasset populi credentes ipsum esse mortuum, posuerunt alium Episcopum in loco illius. Post hæc vero piscatores apprehenderunt piscem magnum quem cum in coquinâ, portassent, inuenerunt clauem in ore eius. Quam præfati sancti discipulus recognoscens gaudio magno repletus statim Domino suo nunciauit.

S. vero Ambrosius præ gaudio flens dixit: Fili vade in ciuitatem ad Episcopum & dic coram omnibus vbi sum & quod huc venientees apportent secum tres cereos non accensos, qui nisi diuinitus fuerint illuminati non egrediar hinc donec veniat dies migrationis meæ. Statim vero vt ad eum cum crucibus psalmis & canticis peruenerunt cerei sunt diuinitus illuminati.

Exiens tunc inde, cum Episcopus alius & populus flentes vellent ipsum in sedem suam reponere noluit, sed desiderio Christi plenus omnibus valedicens cum dicto discipulo suo Romam perrexit ejulantibus cunctis & dicentibus, Miserere nobis pater, & commenda nos Deo in orationibus tuis. Post aliquod autem tempus à Româ rediens & in pago Bituricо in vico Arnotensi (in MS. 863. S. Victoris Parisiensis dicitur Ernotrum) moram faciens per multas tribulationes expurgatus glorioſum Deo spiritum reddidit, indeque postea Bituris translatus honorificè requieſcit.

In Martyrologijs Romano atque Vsuardi hæc de eo habentur: xvij. Kalendas Nouembris in Territorio Bituricensi Sancti Ambrosii Episcopi Cadurcensis.

Digitized by Google

EADEM VITA S. AMBROSII CATVRCENSIS EPISCOPI prolixiori ac simpliciori stylo.

Quam descripsimus ex Apographo Illustrissimi ac Reuerendissimi FRANCISCI BOSQVETI Episcopi Montispessulani.

IGitur Sanctus Ambrosius cùm esset Pontifex in ciuitate quæ vocatur Caturcis omnibus diebus ac noctibus in vigilijs & orationibus erat semper intentus: non enim in diuitijs mundi, nec in thesauris Ecclesiæ confidebat, sed in misericordia Domini; quia plenus erat gratia Dei: non diligebat sæculum nec eas quæ in sæculo sunt facultates & res Ecclesiæ ac proprias opes quas habebat pauperibus erogabat, nudos cooperiebat, esurientes satiabat, sitientes potabat, captiuos redimebat, thesaurum sibi in cœlo præparabat. Dicebant omnes Senatores in vrbe verba iniqua contra eum. Cùm autem vidisset sanctus Dei Ambrosius omnes illos feruere contra se, conuersus in orationem ad Dominum dixit: Domine Deus meus qui benedixisti Abraham, Isaac & Iacob, benedic animam meam & omnia interiora mea in nomine sancto tuo, & educ me de ciuitate hac & de populo iniquo qui mihi contrarius est, & blasphemat opera quæ facio in nomine tuo. Cùm hæc dixisset, gratia Dei plenus recluſit se in cellula quæ erat iuxta Ecclesiam. Flectens autẽ genua in orationem dixit: D. IESV-CHRISTE, qui cognouisti Adam antequam esset, & dedisti ei scientiam vt agnosceret viam veritatis, da & mihi seruo tuo speranti in te, vt vincam inimicum diabolum qui ingressus est in cor hominis, cui contraria sunt opera quæ facio in nomine tuo.

Post hæc autem stetit ibidem dies multos, & cœpit ibi per eum virtutes Dominus facere, & veniebant ad eum multi languidi & sanabat eos, cœci visum recipiebant, surdi auditum, muti loquebantur & dæmoniosi curabantur, infirmis membra curabat, animum ad Dominum semper intentum habens. Post hæc ibi Deus per multas virtutes demonstrabat, & inimicus cœpit circa eum habitare, vt eum subuerteret ad peccatum, & non potuit, nisi ingressus esset in quamdam mulierem quæ erat in ciuitate nobilissima, & cùm ipsa peccaret & perderet thesaurum quem in cœlo paratum habebat. Illa autem egressa est nocte de domo sua & venit ad cellulam, vbi S. Ambrosius erat recluſus, & dixit: Domine aperi mihi ostium, desiderat anima mea videre corpus tuũ. S. Ambrosius respondit: Væ tibi diabole, seductor male serpens antiq; vbi te parasti? Ille verò cognouit tentationẽ esse diaboli & dixit: Non destrues in Domino sperantes, quia plus est Dei potentia ad defensandum quàm tua, inimice, ad impugnandum. Erat autem hora circiter media nocte cùm solita consuetudine Prophetica voce psallens dicebat: Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiã tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: & iterum dicebat: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ. Ille verò erigens se dixit: Flecte genua tua in orationem, & ego pro te similiter faciam: oremus ambo Dominum æternum & postea aperio tibi ostium domus Dei. Mulier verò flectens genua in oratione, dixit: Domine Deus meus da refrigerium in animam meam. S. autem Ambrosius intus Ecclesiam orauit dicens: Deus Angelorum, Deus Archangelorum, redemptor animarũ, expelle inimicũ diabolum de corde mulieris, & fac eam requiescere in pace in nomine tuo: non permittas diabolũ corde eius dominari, sed fac eam vt honorificet nomen tuũ qui viuis & regnas per omnia sæcula sęculorũ. Amen. Mulier autem erigens se, statim egressus est diabolus de corde eius per orationes præfati Pontificis & requieuit ab ipsa hora: erat enim sicut coluber & habebat mensurã quasi cubitum vnum. Mulier verò quæ ante à diabolo tentata fuerat, dixit ad S. Ambrosium: Pater mi nihil desidero præter orationem à Deo, quia inimicus qui in me erat, egressus est de me per orationes tuas, gratias ago Deo meo quæ effugauit Diabolum de corde meo. Indulge mihi & ora pro anima. Tunc Sanctus Ambrosius fleuit in oratione & dixit: Gratias ago tibi Pater Omnipotens æterne Deus, qui exuperasti diabolum & non permisisti perdere hominem quem creasti, & saluos facis sperantes in te. Veniebant autem omnes Senatores & populi multitudo, & admirabantur

virtutem quam fecerat Deus per eum, & dicebant ad inuicem: Verè Deus est cum eo. Væ nobis peccatoribus qui contradiximus opera sua, & non videmus virtutes multas quas fecit per eum Deus: in iniquitatem & in malitiam parati sumus. Alij gaudebant, alij blasphemabant. Ille verò repletus Spiritu Sancto iracundiam contra eos non habebat, sed in Deum plenius sperabat, & serpentem illum suspenderunt in testimonium: Multi autem glorificauerunt Deum.

Post multos verò dies egressus est S. Ambrosius de cellula vbi erat reclusus nocte nullo sciente nisi vno ex discipulis suis, quem habebat fidelem, qui erat Archidiaconus super thesaurum Ecclesiæ, qui vocabatur Agrippinus. Dixit ad eum: Noli hoc patefacere fili mi vbi vado. Dixit Discipulus illi: Quid vis Domine? S. Ambrosius ait: Fili scio, quia peccata mea multiplicata sunt super me, ideò vado, & ingredior in cauernam castri in proximum pontem, qui est super flumen Oltæ: & præcingo me de ferro quod paratum habeo & hoc signum tibi dico. Clauem vnde catenam illam obsero iacto in pelago: & quandoquidem Deus voluerit, & inuenta fuerit, dic in populo vbi sum: Si autem non videris eam, noli declarare. Et abiens dixit: Deus in nomine tuo saluum me fac & in virtute tua iudica me. Et iterum cùm venisset ad locum prædestinatum fleuit in orationem expansis manibus, & ait: Domine sancte, Pater Omnipotens æterne Deus, Rex cœli cœlorum, qui fecisti omnia, qui terram fundasti & cœlum palmo mensurasti, qui mare signasti, vt non transgrederetur fines suos, iube nomen meum scribi in libro tuo, vbi scripsisti Sanctos & fideles tuos, qui dilexerunt nomen tuum & ego peccator confido in tua misericordia, ideò ingredior in locum præparatum propter nomen tuum. Et, si vis Domine egrediar hunc: sin autem, hic reddam spiritum meum, quia desiderat anima mea videre gloriam Regni tui. Et cùm hæc dixisset, apprehendit catenam, & præcinxit se adstrictum de renibus vsque ad verticem capilli capitis sui, & abstraxit clauem, vnde catenam conserauerat, & iactauit eam in pelagus. Et dixit: In nomine Domini nostri IESV-CHRISTI, introiuitque in cauernam castri lapidei quæ erat desuper plancatum & eleuans oculos suos simúlque manus supplex orauit ad Dominum & dixit: Fiat pax Domine in virtute tua & abundantia in turribus tuis: Et ait ad fidelem suum: Fili obserua mandata mea si vis videre gloriam Dei. Discipulus autem vehementer composuit plancatum super eum, & nihil parebat: & dixit ad S. Ambrosium: Pater de lumine quid eris facturus de nocte? Et dixit S. Ambrosius: Fili in nocte & in die Deus est lux. Iterum interrogauit eum: Domine de cibo quid tibi erit ministrandum. Ille autem dixit ei: Fili vsque modò post solis occasum cibum sumebam, postmodum verò tertio die exhibe mihi oblatam & aquam, sicut Deus præcepit. Et stetit ibi annos tres, diu noctúque vigilans & orans, & omnes noctes in cauerna illa luxerunt velut cerei aut lampades ardentes. In die autem circumfulgebat lux mundi. Discipulus ille fidelis ministrabat ei sicut præceperat illi. Sic Senatores & omnis plebs ciuitatis clamabant & dicebant. Vbi est Pontifex & pastor noster Ambrosius? Væ vobis peccatoribus quia propter nostram iniquitatem egressus est de hac ciuitate, & nescimus vbi ambulauit. Ideo propter malitiam nostram dereliquit omnia: sic enim miserunt alium Episcopum in loco suo, quia non cogitabant vltra videre eum.

Anno autem tertio clauem quam vir Dei S. Ambrosius in aquam iactauerat, piscis glutiuit illam: Piscatores autem apprehenderunt piscem illum, & portauerunt eum in coquinam, & inuenerunt clauem in ore eius & monstrabant eam in omni populo. Videntes autem ad inuicem omnes dicebant: Quidnam est tale signum in hoc pisce? Venit autem discipulus S. Ambrosii cui hoc crediderat & cognouit eam. Tunc quidem gaudio plenus nunciauit ei dicens: Domine clauis, quam in pelago iactaueras, iam inuenta est in pisce. S. autem Ambrosius repletus Spiritu S. præ gaudio fleuit in oratione, & dixit: Domine Deus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! sic enim Domine exaudis omnes in te sperantes, & non derelinquis diligentes nomen tuum. Domine libera animam meam, & eripe me de loco isto & educ me vbi vis, & ait ad discipulum suum: Fili, Deus non est oblitus seruum suum, & memoratus est humilitatem meam. Ideo vade in ciuitatem ad Episcopum & dic ei: Clauis illa quę inuenta est in pisce vnde est: & dic ei, coram omnibus vbi sum, & deferant secum tres cereos non ardentes, & veniant ad me. Si autem illuminati fuerint ex virtute Dei mei egrediar hinc.

De regreſſu diſcipuli ad ipſum.

Tunc perrexit Diſcipulus ad Epiſcopum, & dixit ei omnia, quæ præceperat illi S. Ambroſius. Illi verò gaudentes exierunt de ciuitate cum crucibus, pſalmis, hymnis & canticis canentes & pſallentes venerunt ad locum vbi erat S. Ambroſius, & attulerunt tres cereos in manibus ſuis ſecundùm quod illis mandauerat, & proſtratis in oratione, cerei, quos in manibus tenebant, ſtatim ab ipſa hora illuminati ſunt. Tunc omnes illi glorificauerunt Deum: ſic enim cauerna illa vbi erat S. Ambroſius comminuta erat ſicut vitrum, & acceperunt illum in complexum gaudio pleni, extraxeruntque eum de vinculis ferreis, vbi erat recluſus. Facies autem eius erat pallida & caro eius dereliquerat membra ſua, & nihil aliud habebat in ſe, niſi animam & ſpiritum ſanctificatum, & capilli eius erant creſcentes vſque ad renes ſuos & barba eius vſque ad pectus ſuum, & erat quaſi laicus, quia nouacula in ipſo triennio non aſcenderat in caput eius, & catena illa, vnde erat præcinctus confregit ſe & diſjuncta eſt & omnes illi propter tanta mirabilia glorificauerunt Deum. Tunc S. Ambroſius reſpexit ad cœlum & orauit dicens: Domine IESV-CHRISTE Rex virtutum, qui feciſti omnia & ſine te factum eſt nihil, gratias ago tibi quoniam exaudiſti me & dignatus es liberare ſeruum tuum: Domine deduc me vbi tu vis. Et omnes illi dicebant: Indulge nobis, quia neſciebamus vbi eras. Reſpondit eis: Indulgeat vobis Dominus. Epiſcopus autem ille qui poſt ipſum in locum ſanctum Epiſcopus erat, proſternit ſe ad pedes eius & dicebat ei: Vade in pace vbi volueris. Epiſcopi verò & reliqui Senatores, vel omnis plebs ciuitatis, poſtquam deduxerunt eum, reuerſi ſunt in ciuitatem. S. Ambroſius plenus deſiderio Chriſti abiit Romam, reuerſuſque eſt ad vrbem Bituricam: cúmque Ernotro vico aduenisſet, contigit eum dormire in Domino, vbi corpus eius requieſcit in pace, vbi per eum Dominus virtutes multas oſtendere dignatus eſt. Diſcipulus verò Agrippinus nomine ſequutus eſt eum vbicumque ambulauit, & docuit omnia quæ ſcripta ſunt adiuuante Domino noſtro IESV-CHRISTO, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit Vita S. Ambroſij Caturcenſis Epiſcopi.

SANCTI AVENTINI ELOGIVM.

Ex vita eius pag. 58. Promptuarij Antiquitatum Tricaſſinarum Nicolai Camuzati.

SAnctus Auentinus fuit Aquitaniæ parte regionis, Bituricæ vrbis oppidi indigena, parentibus mediocribus, Tricaſſinæ ciuitati proſelytus aduenies. Audiuit autem vir Apoſtolicus Camelianus Epiſcopus famam nominis eius in operibus bonis: erat enim in eo mens humilis, caſtitas plena, ſapientia multiplex, prudentia magna, charitas benigna: Idem quoque in oratione quotidie Eccleſiæ limina frequentabat. Specialiter verò intelligens vir Apoſtolicus & videns eum de cœleſti munere habere gratiam commendauit ei tradens promptuaria ſua.

Poſt hæc tugurium ſibi ad fontem cuiuſdam Eccleſiæ collocauit, & exinde petiit inſulam ſeptem millibus ferè ab vrbe Tricaſſium diſtantem, quam abiens Sequanæ vel Oſæ fluuius in modum coronæ circumdant. Cùm iam autem interuallo temporis ibidem degeret, ad Leuiticum onus conſecratur donec ad Sacerdotale miniſterium aſcendit, &c.

In huius honore vir ſanctus Vincentius Epiſcopus Baſilicam ſubtus vrbem Tricaſſinam diligenter fundari præcepit, in qua ſimul conjuncto latere requieſcit. Sic Beatus vir obiit in pace ſub pridie nonarum Februariarum ſeu 4. illius menſis adiuuante D. N. I. C. cui eſt honor in ſæcula. *Excerpta hæc placuit illuſtrare notis à Camuzato additis.* Traditione tenetur S. Auentinum Anachoreticam vitam in pago duabus leucis ab vrbe Tricaſſina diſſito eius nomine inſignito, piè duxiſſe; poſtea verò ſe ſe in alium locum recepiſſe, in quo extructum ſacellum, quæ Capella Ozæ appellatur & ad iura Cœnobij Moliſmenſis pertinet; nec à prædicta vrbe longiùs, quàm ſeptem leucis remouetur, Ozæque amnis modici confluente alluitur. Diui autem Auentini memoria

iam inde à temporibus Gregorij Turonensis valdè erat conspicua, quem hæc de ipso commemorantem audire par est de Gloria Confess. cap. 68.

Huic Antistiti (*Lupo, quem aiunt obijsse anno 479.*) famulabatur Auentinus quidam religiosus, ad quem post huius obitum captiui fecere confugium, quorum domino Auentinus pretium obtulit: ille obligans se sacramento ait: Numquam hæc nisi in pago meo sum accepturus, deditque dexteram suam, quòd si illuc pecuniam transmitteret, &c. *Hæc Gregorij verba pugnare cum superioribus visa sunt Camuzato, qui fidem sancti illius scriptoris eleuans subdit ista*: Cùm nihilominus Historia prædicta nudè simpliciterque doceat eum à S. Cameliano S. Lupi successore accersitum fuisse, eiúsque familiæ & domesticorum ordini circiter anno 500. adscriptum fuisse. *Sed quid inde? Proselytus fuit Auentinus, à S. Cameliano cœlestem in eo videnti gratiam promptuaria Ecclesiæ regenda accepit: ergo non fuit S. Lupi minister.* Quasi verò duo hæc facilè conciliari nequeant: cùm post mortem S. Lupi Auentinus seorsim in priuatâ domo Trecisagens, à Cameliano postmodum in Episcopalem domum reuocatus, horreis eleemosynísque præfici potuerit.

S. AVSTREGISILLI BITVRICENSIS ARCHIEP.

Res gestæ ac Miracula Tribus libris comprehensa.

Auctoribus Antiquis, sed Anonymis.

LIBER PRIMVS.

Ortum, res gestas ante & in Episcopatu, mortémque complectitur. Ex pluribus Codicibus MMSS. probatissimæ notæ.

BEatus Austregisillus, natus Augino patre, Biturigæ ciuitatis indigena fuit: parentum quidem clarâ progenie, tamen opulentiâ rerum nec multum diues nec indigens; sed sufficiens erat ex omni rerum substantiâ. Cúmque à pueritia sacris literis fuisset institutus, & à minore vsque ad robustiorem transisset ætatem, in obsequium glorioſi Regis Gunthramni deputatur à patre. Vbi non modico temporis spatio sub sæculari disciplinâ prudenter militauit. Erat enim Regi gratissimus, & vniuersis commilitonibus amantissimus, in tantùm, vt linteum, quo Rex lotis manibus tergere solitus erat, ipse proferret; & ob hoc Mapparius vocabatur. Tunc verò iam in sæculari habitu positus eleemosynis & vigilijs, orationibúsque die noctúque vigilantissimè insistebat, & ad cœlestem patriam ineffabili desiderio anhelabat. Iam in hoc sæculo fideliter videbatur illi seruire, cui inhianter in cœlestibus inseparabiliter inhærere cupiebat. Aliquando cœpit à parentibus cogi, vt vxorem duceret: Ille verò amore pudicitiæ raptus, & molestias nuptiarum deuitans, differebat nuptias, dicebátque in hac causâ experienda est voluntas Domini & potestas, quia dubium est, vtrum bonam, an malam ducam. Si bonam? timeo perdere. Si malam? timeo ne possim carere. Quid me in dubium vultis venire, & superuacuâ sollicitudine ijs, quæ vsibus mulierum sunt, implicari? cùm possim liber viuere, cur me alterius mancipabo seruitio? Hæc audientes parentes eius contristari cœperunt, & vehementiùs eum vrgere, vt faceret eorum in hac parte voluntatem. Ille autem, ne contristare eos videretur, quos propitios, & potius ouantes habere cupiebat, ita facturum se promisit; vt si esset Domini voluntas faceret quod hortabantur.

Cùm autem esset in ministerio antedicti Regis cœpit secum voluere de hac causâ, & quærere, quisnam esset ei condignus. Occurrunt ei in mente tres vicini viri æquales natione, & rerum familiarium parili substantiâ: quorum nomina scribens in tribus pittacijs, misit ea super altare sub pallio in Basilicâ S. Ioannis cominus ab vrbe Cauillono sitâ, votum faciens, vt tres noctes sine somni perceptione in oratione persisteret. Et expletis trium noctium spatiis mittens manum, quale Dominus ei admouere pittacium dignaretur, vt cuius in ipso scriptum nomen inueniret, eius filiam petere deberet, transactâ vna nocte absque degustatione somni, aduenient

Digitized by Goog

alterâ, cœpit somno grauari. Et circa medium noctis tempus, cùm iam ferre non posset somni torporem, flexo genu incubuit formulæ, & obdormiuit: & ecce in visu astiterunt ei duo viri ante altare senes & decori vultu, & ait vnus ad alterum. Cuius filiam hic Austregisilus sponsabit? At ille interroganti dixit. Ignoras, quia iam desponsauit sibi vxorē. Ait. Cuius filiam? Respondit: Iusti Iudicis. In hac visione expergefactus cœpit deliberabundus inquirere, quisnam hic esset Iustus, & quis iudex fuerit, cuius filiam haberet in nuptam. Cúmque non inueniret, dubius de petitione ibat solito ad aulam Regis, peruenitque in burgum, vbi diuersorium habebat, & ibi erat hospes suus pauper veteranus cum anulâ (f. aniculâ) suâ. Quo viso cœpit illa fœminula dicere: Hospes substa paulisper, & referam tibi somnium, quod nunc diluculo de te vidi. Videbam me audire magnos sonitus fragoris quasi psallentium voces, & aio hospiti tuo: Homo quid est istud quod audio? num aliqua festiuitas hodie à Sacerdotibus celebratur, vbi procellio fiat? & dixit mihi: hospes noster Austregisilus vxorem ducit: Et ego gauisa cum summâ alacritate progressa exiui in plateam videre puellam & considerare vultum & speciem eius. Cúmque præterirent, per hanc plateam Clerici in albis vestibus deferentes cruces & psalmos ex more procedentium canentes, vltimus eorum veniebas tu, & reliquum vulgus sequebatur post tergum tuum: Et ego curiosiùs considerabam, & nullam videbam nostri sexus adesse personam, nec puellam, quam duceres: & dixi hospiti tuo: Vbi est illa puella, quam hospes noster accepit? At ille: Nonne vides illam in manibus suis. Et ego aspexi: & aliud non vidi nisi librum Euangelij in manibus tuis. Tunc ille Beatus intellexit iuxta suam visionem, & somnium mulierculæ, Domini vocatione ad Sacerdotale officium se prouocari. Cùm deinde in palatium peruenisset, pulsanti sibi ostium Ostiarius aperuit: & cum introiret in domum Regis solito ipse Rex responsum imposuit his verbis, & eo ordine magnâ voce, *Posuisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso. Vitam petijt à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum & in sæculum sæculi.* Iam ex tunc confirmata est in ipso spes fidei de Domini vocatione, cœpitque obnixiùs in bonis operibus proficere; & de nuptijs vltra cessauit cogitare. Quid ageret? Tunc totius malitiæ artifex & inuidus, callidúsque hostis humani generis, cùm videret eum ingenti ardore beatam sitire vitam, & cœpit suis deceptionibus scandala parare quæ ab isto sancto proposito Dei famulum inhibere possent.

Erat tunc in palatio Regis quidam potestate præditus, homo ferus & superbiæ nimiæ deditus, Bethelenus nomine, qui temerario ordine quiddam de fiscalibus rebus fraudulenter occupauerat. Vnde dum argueretur à Rege, ostendit illi falsam auctoritatem. Quis, inquit, tibi hanc præceptionem dedit? Qui dixit, Austregisilus Mapparius. Accersitus Austregisilus & interrogatus, quod non fecerat denegauit. Illis ita disceptantibus Rex in furorem versus iussit eos ex hoc in campo certare, vt quis eorum falleret, Domini iudicio monstraretur. Iam aduenerat dies institutus certandi. Mane surgens Austregisilus clypeum cum iaculo per pueros suos direxit in campum, vbi Rex agonistas expectare solitus erat. Et dum ipse ad Basilicam S. Marcelli solito more orandi gratiâ pergeret, habuit quendam pauperem obuium, & quid ei largiretur amplius non habebat, nisi vnum trientem. Nam & si quid ei fuerat, in simile opus abierat. Venit si in mentem Propheticam illud: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus, & non tradet eum in manus inimici eius.* Dato triente ingreditur Basilicam. Præmissa oratione vexillo crucis se muniuit, quod est armatura Dei, fidus de sua iustitia & de Domini iusto iudicio imperterritus festinansque ad certamen pergebat. Cùm verò ibidem præstolaretur aduersarij aduentum, ecce veniens quidam ex ministris Betheleni anhelabundus, & lugubri vultu, nunciáns Regi mortuum esse memoratum Bethelenum. Rex igitur indagare cœpit, tam celer eius interitus qualiter contigisset. Ille his verbis & eo ordine exponebat Regi. Cùm veniret seruus tuus Bethelenus hesterno ad palatium, mansit Subbariaco (in alio MS. sub Auriaco) & hodie mane cùm inlucesceret dies, iussit sibi parari equum mansuetissimum. Quo ascenso tamquam fixus manebat immobilis. Cuius cùm calcaribus latera perforaret, exiliens summâ velocitate cœpit ingenti impetu in diuersa flectere membra, caput iungere pedibus, pedes posteriores in sublime excutere. Et tamdiu memoratum Bethelenum ventilauit atque concussit, donec velut præcisa arbor, aut ab impetu turbinis euulsa, ab alto præceps in terram rueret. Et nec hoc satis fuit, sed vertens se equus ille iunctis pedibus percussit eum in cerebro, ita vt cruor per

Digitized by Google

aures & nares perrumperet, vsque adeò in eo, quod scriptum est, *Perdes eos qui loquuntur mendacium* : &, *testis falsus non erit impunitus*. Hoc audito Rex accersiuit ad se Austregisilum, & ait ei: Pugnauit pro te Dominus, cuius auxilium fideliter poposcisti. Mortuus est inquit, Bethelenus Diuinâ vltione punitus. Ille verò non gaudens de interitu inimici, gratias egit Deo, quòd ab eius sanguine impollutas Dominus suas seruasset manus memorans illum versiculum psalmi. *Domine respexisti humilitatem meam, & saluam fecisti de necessitatibus animam meam: nec conclusisti me in manus inimici, & fidelem famulũ tuum seruasti illæsum*. Iam tunc superna pietas & diuina potentia famulum, quem dignũ Sacerdotem fore prædestinauerat, adhuc in sæculari habitu ab ingruentibus tentationibus diaboli saluabat. Post hæc cœpit ipse Austregisilus in amore & dilectione Dei attẽtiùs in bonis operibus proficere, & Clericatus onus inhianter desiderare, ac pro hoc Regem petere dubitabat. Erat tunc in domo Regis inter ceteros Senatores præstantissimus, Ætherius nomine, vir prudentissimus, & singulari cautela præditus, cui Rex omnia tractatus sui arcana præcipuè pandebat. Qui tunc dignus Episcopatu, postea Lugduno Gallię nobilissimæ ciuitati Episcopus ordinatus est, quique memoratũ famulum Dei singulariter diligebat. Quem Austregisilus rogauit, vt Regis permissu peteret se ad Clericatus onus venire debere. Qui suggessit, & impetrauit. Acceptis Epistolis perrexit Autisiodorum ciuitatem, ibique à B. Aunario seu Aunacharo Episcopo, decisâ cæsarie Clericus effectus, & Subdiaconus ordinatus est. Regressus inde venit ad memoratum Ætherium. Ille iam Episcopatu accepto benignissimè cum cum ineffabili gaudio recepit: Presbyterúmq; & Abbatem Basilicæ B. Nicetij Episcopi & Confessoris ordinauit, & ob dilectionem perfectionis dedit ei de rebus Ecclesiæ colonicam Albiacum vlibus suis profuturam. Cùm autem tempus venit vindemiæ, etiam vuæ erant præcoquæ, exiuit B. Austregisilus vindemiam colligere, iussitque priùs parari vasa, in quibus mustum reconderet. Quod vt factum est, repletis vasis alijs musto: vna quam vulgus vocat Cubam (in alio MS. quam illi vocant cupam) ferme viginti metretas capiens, resedit vacua. Eâdem nocte ex torculari machina adhuc extorta est musti fere amphora vna. Cùm non esset alibi vbi reconderetur, iussit illud vir Dei in illo maiori dolio, quod vacuum erat, recondi. Ille in idem cellarium ingressus factâ oratione signum crucis figurauit. Et eo mane regresso ad Basilicam, custos Canannæ illius, cùm introisset in cellarium considerare, si salua essent vasa cum musto, aspexit & illud, quod vacuum remanserat, sicut reliqua vasa superexundabat & ebullie bat tantâ repletione, vt desuper plurimum mustum laberetur in terram. Ille tanto mysterio stupefactus cuestigio ad Basilicam ad sanctum Dei hominem excurrit, nuncians hoc ei quod factum fuerat. Ille silentium imponens aiebat: Vide, nemin. dixeris. Nulli dubium quod hoc Dominus pro merito & oratione præfati famuli sui operari dignatus est. Post hæc cùm Dominus vellet eum ad altiora iuxta sanctum propositum suũ promouere, eo tempore cùm esset memoratus Dei homo cum S. Ætherio Episcopo in quadam villa in Ianauensi territorio super lacum, erat haud procul ab ipsa villa castellum desertum, & ab vniuersis habitatoribus derelictum. (inerant autem ibi Ecclesiæ & ipsæ ferè semirutæ) cùm orandi gratia in ipsum locum præfatus B. Austregisilus perrexisset, & nullum custodem, nec aliquem Clericum ibidem reperisset, nisi tantùm patentia ostia, & sacrariolum clausum, & seris obfirmatum, voluit Missas in illa Basilica celebrare: & quia deerat aqua, quâ & manus lauaret, & in sacrificium misceret, dicit adminiculo suo Marculfo eo tempore Lectori, postea etiam Abbati in Basilica, vbi corpus ipsius Beati conditum est; Require pauxillum aquæ, vt hic celebremus Missas. Qui cùm quæsisset, non inuenit. Regressusque ad eum in ipsam Ecclesiam inuenit ostium de sacrariolo apertum, quod ante seratum viderat. Et cùm introisset, inuenit ipsum virum Dei stantem, & ante se habentem duas crateras plenas, vnam aqua, alteram vino. Ille stupefactus hoc miraculum intuens in pauorem non modicũ conuersus est Cúmque Dominus eum ad sublimiorem gradus honorem prouehere vellet, decedente Biturigis Apollinare Episcopo, S. Austregisilus in loco eius electus ab omnibus consensu Regis Episcopus subrogatur. In quo gradu dignitatis duodecim annis rexit Ecclesiam, sicut ipse Angelo reuelante cognouerat. Nam cùm primum terminum memoratæ vrbis esset ingressus, mansit in villâ Germaniaco, nocte compellans Sulpitium Diaconem, qui eius postea successor fuit, & Desiderium item Diaconem, dixit eis: Hac nocte mihi Dominus dignatus est reuelare duodecim annos in isto gradu dignitatis regere Ecclesiam Bituricensem.

Eo

Eo tempore erat mulier aliqua in ſuburbano ipſius ciuitatis longo iam tempore aridis membris, neruis contractis, morbo paralyſis affecta, itavt nullum ferè membrorum ad officium ſuum mouere poſſet, niſi cùm neceſſe fuiſſet, cæterorum manibus, vbi neceſſitas exigebat, deferebatur; petiitq; ſe à vicinis ad virum ſanctum deportari. Cumque ad Altare delata fuiſſet, & vir ſanctus ſolito more officium Diuinum exſoluere in Eccleſiam aduenisſet, vidit miſellam incuruatam ad ipſum Altare iacentem, & dicentem ſibi: Sancte Auſtregiſile, adjuua me. At ille: Domini pietas & poteſtas te ſaluare poteſt. Ille manus oculóſque tollens ad cælum, dixit: Extende mihi manum tuam. At illa ait: Nequeo. Ille apprehensâ illius dexterâ, & digitos ſuos inferens in palmam ſuam, digitos eius, qui olim per ipſum morbum manui eius adhæſerant, direxit: Similiter & omnia membra fecit, donec erexit eam ſuper pedes ſuos, & reſtituta eſt priſtinæ ſanitati; & membra ſua, vt ſana ſolita erant, officium ſuum receperunt, & ait ad eam: Caue ne ad priſtina vitia deuoluaris, ne fortè tibi deterius contingat; quia ferebatur eam, antequam in iſtam infirmitatem laberetur, voluptati deditam luxuriosè vixiſſe.

Per idem tempus in vrbe Biturica erat nobiliſſima mente & natalibus illuſtribus Bertoara ſacrata Dei famula. Cùm ſolito more ipſa nocturno tempore vigilare properabat, inuenit in platea ſub ſtillicidio cuiuſdam domus iacentem pauperem, nomine Meroaldum, pannis obſitum, omnibus membris contractum; cœpitque inquirere eius caſus miſeriarum, & cur ibi iaceret. At ille dixit: Iamdiu iſto morbo cruciatus iaceo, & non eſt qui mihi auxilietur: volens ad Eccleſiam ire, nequeo, vt ſancti Auſtregiſili ad conſpectum deducar. At illa hæc audiens, ingemuit, & compaſſione ipſius pauperis compuncta, præcepit pueris ſuis eum leuari à terra, & ſuppoſitis manibus, quaſi exanimem ad Eccleſiam deferri, & coram Altari rogauit deponi, vbi iam aduenerat ſæpè fatus vir Dei, qui intuens debilem contractum, ſenſit in ſpiritu ob cauſam peccati, nequiſſimum ſpiritum poteſtate acceptâ, in iſta contritione (aliàs contractione) pauperem inflixiſſe, præcepitque eum in remotiorem locum deferri. Et ille in oratione proſtratus aliquamdiu, poſtea ad pauperem illum acceſſit, & (niſi fallor) eum in balneum mitti iuſſit. Contrectans autem manibus omnia membra ſua, & extendens, deprecatus Domini auxilium, impetrauit quod petiit. Affuit ſuperna gratia, & pauper ille priſtinæ reſtitutus ſoſpitati, poſtea ab omnibus viſus, & nullo claudicante membrorum, pluribus vixit annis.

Eodem tempore erat quædam matrona nobili genere orta, religioſa, nomine Paterna, ad miniſterium habens familiare puellam creditam & dilectam, nomine Auguſtam; acciditque ei vt ab interpellatore totius immunditiæ percuſſa fuiſſet, ac luminum claritate amiſsâ, torporem (noctem) cœcitatis incurriſſet. Cùm autem memorata Domina ipſius puellæ ſcripſiſſet epiſtolam, miſit eam ad ſæpè fatum Dei hominem, petens vt ſuis orationibus ab ipſa cœcitate curaretur. Quam ille intuens, ſuſpexit ad cœlum, Domini auxilium poſtulans; & accipiens oleum, benedixit, & liniuit oculos eius, & oratione factâ, cœca quæ dudùm fuerat puella, protinùs apertis oculis copiam videndi recepit.

Poſt idem tempus, illuſtris matrona, & Deo dicata Auſtroberta relicta illuſtriſſimi viri Chramnoaldi refert, quòd ipsâ preſente actum fuit. Vnus de piſtoribus ſuis, nomine Leodomarus, ſeu Leudomaris, morbo atrociſſimo vexabatur; & illa habebat repoſitum panem, quem memoratus Auſtregiſilus benedixerat, & ei eulogias tranſmiſerat. Quem illa ad hoc reſeruabat, vt ſi quis videretur aliquo tædio affici, cum integra fide ſalutis ſumendum ei dare deberet; rogauitque memoratum piſtorem apprehendi, & de illo pane in os eius mitti præcepit, quem ille penitùs accipere recuſabat: ſed tamen inuitè & coactè aperto ore injecerunt de ipſo pane in eius faucibus. Poſt hæc, nec mora, euomuit omnem amaritudinem quâ vexabatur, & ſanus factus, hodiè officium ſuum facere videtur.

Quidam molendinarius, nomine Monulfus, ſeu Maonufus, die Dominico temerario ſpiritu volens iuxta ſui induſtriam, molam emendare, accepto ancipiti ferro, quod vulgus ſcottam vocat, cœpit terere (percutere) molam. Ex quo peccato adhæſit manus eius manubrio ferri illius, quod nullus poterat de manu eius auferre, & tantâ diſtrictione arctatus eſt, vt inter digitos illius iam ſanguis prorumperet, & aſpicientibus ob fœtorem faſtidium faceret, venitque ad præfatum Dei hominem. At ille poſtulans Dei auxilium, accepit manum vbi adhæſerat malleus, digitoſque pri-

mùm extendens, tulit illud ferrum, & manum illius attrectauit, & omnem doloris atrocitatem expulit, & sanus factus homo ille receſſit.

Erat tunc procul ab vrbe Bituriga, iuxta vicum Brioderum, puella adoleſcentula, parentibus amatiſſima, nomine Friouala, quæ nequiſſimi ſpiritus oppreſſione crudeli cruciatu vexabatur, & ac ſi phreneticum morbū haberet, die noctúque nulla ei erat requies vociferandi; in tantum, vt in amentiam delapſa, nec ſe, nec parentes cognoſceret, & diuerſarum ferarum mugitus, & auium querulas voces ingenti vociferatione geminabat. Lugebant parentes, vicini condolebant, & mirabantur in tam tenera ætate tantæ crudelitatis contritionem infelicē poſſe ſuſtinere. Adducitur ipſa ad ſæpè fatum virum Dei. Ille intuens eam, cognouit callidi hoſtis contritione afflictam, præcepitq; eam propiùs ad Altare admoueri, & accepto pane & calice, more ſolito, ſpiritales hoſtias Domino offerens, myſticum prece conficit Corpus Domini. Ille priùs percepit, deditque puellæ. At vbi illa accepit, protinùs à vociferatione conticuit. Benedixit veſtimenta eius, & velari eam parentibus religioſâ veſte præcepit, & à carnibus & vino abſtinere debere dixit. Quod & factum eſt: Ex illa hora fugato dæmonio, puella illa priſtinæ ſanitati reſtituta, hodiéque in Monaſterio B. Bertoaræ recluſa inter reliquas Dei famulas laudabili conuerſatione degere videtur.

Erat tunc in ipſa ciuitate Biturigas quidam pauperrimus iuuenis, nomine Leonaſtus, ex longo iam tempore debilitate contractus, itavt plantæ eius ad poplites adhærerent, & deportabatur humeris alterius per ſingulorum oſtia, & eleemoſynam quærebat. Cùm verò vir Dei beatus Auſtregiſilus dormiuit in Domino, geſtatorium vbi ſanctum corpus illius ferebatur, pauper ille ſequebatur, ad Baſilicamque vbi ſepultum eſt, peruenit, iacens ante ſepulchrum eius. Eadem nocte Dominus eum laxatis membris, quæ erant arida, officium pedum conſequi fecit, poſteà viſus eſt per ſemetipſum in eadem ciuitate rectus ambulare. Nec illud præterire debemus, quod venerabilis Genuarinus, ſeu Ianuarius, Preſbyter refert, qui & quando ſepultus eſt à B. Rauraco Epiſcopo memoratus vir Dei, inibi erat, & cùm corpus ipſius Sancti adpoſitum in ſepulchro fuiſſet, & eum præfatus Pontifex ſepeliſſet, cum ex more tumulus ille componeretur, ſtans præfatus Epiſcopus Rauracus ad pedes eius, & memoratus Preſbyter Ianuarius aſpexit, quòd quaſi ſæpè fatus S. Auſtregiſilus ad dexteram ipſius Rauraci candidis veſtibus, & decoro vultu aſſiſtere videretur. Quem cùm ille miraretur, ſubitò hæc viſio ab oculis ſuis ablata eſt, nullique dubium quin Angelus Domini cuſtos ipſius Auſtregiſili, qui cum illo vſque ad ſepulchrum ſemper fuit, ipſi memorato Preſbytero apparuit.

Longum eſt vt vniuerſa ſingillatim euoluam ſignorum & ſanitatum, quas Dominus per ipſum ſeruum ſuum fecit. Quanti eius oratione & tactu de vniuerſis infirmitatibus ſanati ſunt? quanti mortali ſententiâ damnati, in carceribus retruſi, ſuâ oratione laxatis vinculis nullius cuſtodis obſeruaculo (reſeraculo) ad Eccleſiam confugerunt? Quanti pauperes, viduæ, orphani ſuâ eleemoſynâ ſuſtentati ſunt? Teſtis eſt Dominus, & ſancti Angeli eius, & illi qui viderunt. Sed iam propter prolixitatem terminus ſit huius operis ſchedulæ: nam plenus dierum in bona confeſſione obiit 13. Kalendas Iunij. Anima eius migrauit ad Dominum; terra terræ reddita eſt: cuius meritis, quoniam æquari non poſſumus, ſaltem imitatores eſſe mereamur, præſtante illo, qui in Trinitate perfecta viuit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

LIBER SECVNDVS.

Miracula aduerſus raptores bonorum Eccleſiaſticorum.

Ex veteri ac MS. codice membranaceo Eccleſiæ Collegiatæ eiuſdem S. Auſtregiſili de Caſtrô in ſuburbio Bituricenſis vrbis.

DE virtutibus beatiſſimi Auſtregiſili Epiſcopi & Confeſſoris, quas Dominus poſt obitum eius operari dignatus eſt, vel copiâ miraculorum eius ruſticante ſermone dicamus pauca de plurimis quæ reſtant.

Dum adhuc ipſe Beatus aduiueret, nec pius Paſtor ſemper curam Eccleſiæ plebiſ-

Digitized by Google

que commissæ quotidiè gerebat, & de dente lupi sæuientis liberare optabat. Tunc aduenienssex Palatio Theodorici Regis homo sæuissimus, Vvarnarius nomine, auaritiæ turpis lucri cupidus, superbiæ nimis deditus, vt vrbem & pagum Biturigum sub tributo eius temporibus censeret, & aurum atque argentum, quod vnusquisque secundùm suam personam desolueret, ipse Regi deferret, & eos tributarios faceret, Ad B. Austregisilum concurrunt, vt eos de nefanda consuetudine liberaret, & suis sanctis orationibus adjuuaret. Tunc ipse B. pro tanti criminis reatu se die noctúque in oratione prostrauit, vt Dominica pietas ab inimico sęuiente plebem sibi commissam liberare dignaretur. Quod & factum est. Iam adpropinquante ipso Vvarnario ad portas Biturigæ ciuitatis, Austregisilus ei intrepidus exiuit obuiam, & murum se opposuit, vt pro iustitia staret in prœlio in die Domini; & si Domino placuisset pro defensione plebis huius, & prauæ consuetudinis, vsque ad mortem cupiebat certare. Et dixit ei B. Austregisilus: Vnde venis, inique? quò pergis? quid facere optas? resistet Dominus iniquam tuam voluntatem, nec intra muros ciuitatis te intrare permittet, nec descriptionem facere. Nec vllo ab eo fuit honore receptus, sed impleuit illud quod scriptum est in Psalmis: *Viriliter agite, confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino.* Tunc ipse Vvarnarius iracundiâ vehementer accensus, videns quòd malitiam, quæ cordi eius adhæserat, implere non posset, cum grandi furore regressus est ad Palatium, vt Regi nunciaret, quod propter Austregisilum adimplere non poterat. Tunc ipso tempore B. Austregisilus glorioso excessu migrauit ad Dominum, & plebs sibi commissa remansit incolumis. Tunc B. Sulpitius eius Diaconus ab omnibus electus, opere & merito dignus, in eadem vrbe successor eius effectus, Pontificale sumpsit officium. Nec mora fuit, cùm tempus illud crudelissimus Vvarnarius, cuius superiùs mentionem fecimus, Palatio reuersus, opus nequam quod terrimus hostis antiquus cordi eius plantauerat, exercere in opere festinabat, vt pagum & vrbem Biturigam, omnésque ibidem commanentes secundùm eorum personas, tributarios faceret. Tunc B. Sulpitius anxius apud semetipsum, quid de hac re facere deberet, à Domino postulabat auxilium, cùm esset ipse Beatus totus mitis ac simplex, & corde humilis, eius resistere malitiam non modico timore formidabat: sed cum lacrymis ipsum Vvarnarium cœpit precari, vt quos tempore B. Austregisili Bituriges tributarios non fecerat, nec suo faceret. At ille crudelis, quod Sacerdos Dei orabat, minimè præstare volebat. Tunc vir beatus de sacrato ministerio ei contestatus est, vt tam nefandam consuetudinem suis temporibus non impleret in opere. At ille versutus, postquam iam munere accepto prælatus gaudebat ad Basilicam sancti Austregisili, non corde, sed corpore inflatus, quasi orationis studio pertexit. Peruenit ad locum vbi ipse Beatus à fidelibus Christianis miro decore iacebat humatus, aspiciens in cryptam, vidit eam auro argentóque miro modo adornatam, inuidiáque corde eius repleto, tali est sermone affatus: Austregisilus debuerat aurum & argentum suum pauperibus erogare, & super tumulum suum poni iussit pro sæculi dignitate. Nec propter hoc dicebat, vt ei cura esset de pauperibus, sed ad similitudinem Iudæ Scarioth auaritiâ repletus anhelabat. De ipso sepulchro regressus orandi causâ circuibat Altaria. Dum ambularet per ipsam Basilicam, vectis vnus, in quo vela pendebant, de alto ruens cecidit super cerebrum eius, & tali est plagâ percussus, vt cruor per oculos & barbam defluere, & ad terram laberetur. Tunc ipse Vvarnarius clamauit voce quâ poterat, dicens: Austregisilus dum adiueret, semper mihi odiosus & contrarius fuit, & adhuc iam mortuus, morti vicinæ me tradidit. Sic ipse infelix, à virtute Dominica percussus, nec facinus suum recognouit, nec veniam à Sancto Dei postulauit: sed adhuc suâ malitiâ exarsus, ad Augustodunensem vrbem voluit festinanter properare, vt Episcopum loci illius destrueret, & condemnaret; & pergens, mansit non longè ab vrbe villa Aulatiaco. Cùm omnes recubuissent, tunc ipse ferociissimus pro secessu ventris intrauit necessariam: cúmque ibidem in loco consuetudinis sederet, statim obdormiuit. Et cùm euigilasset, ministris suis, qui ante ipsum stabant, dixit: Austregisilus & Sulpitius aqua-manile cum vrceo aureo in ista hora mihi transmiserunt: quis hoc ex vobis recepit? Negantibus illis quod non viderant, & eo ipsum sermonem loquente, omnia intestina eius de corpore euulsa sunt. Continuò ipsâ horâ in ipso sterquilinio turpiter exhalauit spiritum. Posteà in ipsis temporibus nullus fuit ausus tantæ perfidiæ scelus repetere. Impletum est in illo quod scriptum est in Psalmis: *Thesaurizat,*

& ignorat cui congregat ea, & iniquitas eius in verticem eius descendit.

Post dies, quos gloriosus Austregisilus migrauit ad Dominum, & in loco, quo ipse requieuerat corpore, & in aliis locis vbi ipse Beatus habitauerat, vel in strato in quo iacuerat, multa fiebant miracula. Cùm in pago Biturico iuxta vicum Carobrias, villâ, quæ dicitur Stiualis, viri sancti proprietas fuerat. Ibidem habebat domum, vbi ipse habitauerat, & torum in quo iacuerat. Et multi infirmi, cùm de stratu ipso tollerent, vel portarent, aut tangerent, de diuersis languoribus sanabantur. Vnus autem infirmus veniens candelam, quam ibidem vouerat, ante lectum composuit, vt totâ nocte luceret. Ille inde regressus inuenit fauillam de ipsa candela in lecto, & nullam combustionem inuenit in pallio.

Post idem tempus, cùm Francorum Princeps Pipinus aduersùs Eudonem Aquitaniæ Prouinciæ Principem volens dimicare, in pago Biturico aduenisset, Barbari de ipso exercitu ad præfatam domum venerunt, vt eam igni succenderent; veneruntque ex vicinis, qui ibidem commanebant, & dixerunt eis: Nolite ignem in domum istam mittere, ecce locus & lectus, in quo sanctus Dei Austregisilus iacuit, vbi quotidiè omnipotens Deus virtutes multas facit. At illi despicientes quod dixerant, totam domum illam vastauerunt igne, vt arderet; statimque horâ quâ ipsum ignem accenderunt, arrepti sunt, & traditi dæmonio. Vnus ex ipsis, qui ignem imposuerat, abstracto ostio de ipsa domo, quę vehementer ardebat, in ipsam flammam se projecit, ibique vitam finiuit. Alij se dentibus laniabant, nonnulli verò sibi inuicem membra truncabant. Peruenerunt ad castra, vbi Pippinus cum Francorum exercitu morabatur: At ipsi vt cognouerunt quod eis accesserat, pauore magno sunt perterriti, mandauitque Princeps, vt nullus auderet casas vel res sancti Austregisili contingere.

Nec multum post tempus, cùm Eudo Princeps Biturigas ciuitatem obsidione circumuallatam haberet, vnum de Optimatibus suis, Agnum nomine, in Monasterio sancti Austregisili iussit stallum tenere, & ibidem manendi tribuit facultatem. At ille quicquid in ipso Cœnobio inuenire potuit, suis comitibus tradidit expensandum, itavt nulla Fratrum remaneret substantia. Cùm autem tradita ipsa ciuitas præfato Principi fuisset, & pax denunciata in omnibus, Abbas ex ipso Monasterio, Bertoradus nomine, exiens de vrbe cum eulogiis & munere, venit ad Agnum, & dixit ei: Accipe paruum munusculum argenteum, quod Fratrum seruientium sancto Austregisilo de præda remansit indireptum, & miserere super famulos deprædatos, vt viuere possint, & pro te orare. At ille versutus præfatus Agnus noluit ei præstare quod poscebat, sed deridens eum dixit: Princeps mihi mandauit, vt teipsum in custodiam tradam, vel in captiuitatem deducam, & mihi Fratrum inediam constringis parabolâ. At ipse Abbas nuntiat Fratribus, quia obtinere non valuerat, quod à sæuo homine poposcerat, & vt Domini precarentur clementiam. Tunc ipsi Monachi fide non dubij venerunt ante sepulchrum beati Austregisili, & cum dolore & lacrymis cœperunt orare, & dicere: Eripe nos, Domine, seruos tuos de inimico nostro, ad te confugium facimus; doce nos facere voluntatem tuam, quia tu es Deus noster, & substantia nostra. Et quod tu plenus pietate nobis dedisti, homo sæuissimus nobis abstraxit. Nec diù mora fuit, ipse infelix Agnus, quantum potuit, per villas sancti Austregisili reperire secum ducebat in via, pecora, iumenta, & multa alia armenta, vt deduceret omnia in patriam, quâ venerat. Dum iter perageret, apparuit ei Austregisilus per somnium, dixitque ei: Cur me tam grauiter prædatus es? & meos seruientes tristes reliquisti? Et hæc dicens, percussit eum in cerebro; & ipso euigilans clamauit voce quâ poterat, dicens: Succurrite mihi velociter, Austregisilus me percussit in capite, & nulla est mihi viuendi suspectio: Ad Eudonem Principem pergite festinanter, qui me permisit res sancti Austregisili contingere, & precamini vt de propriis facultatibus suis me redimat, quia ego pro sua vtilitate feci malum istud, vnde modò spero vitam amittere. Hæc audiens Princeps, non modico est pauore percussus, iussitque omnia reddere, quæ infelix Agnus abstraxerat, præcipiens cunctis Optimatibus, vt nullus auderet de rebus Sancti contingere. Dum præfatus Princeps sederet ad mensam, recordatus prædicti Agni iniuriam, vnum paruum vas argenteum ei per legatum direxit. At ipse vt vidit tam paruum donum, dixit: Tam parua præbenda ad tam longum iter, vel cruciatum, quem valdè timeo accipere; & hoc dicens, vitam finiuit. Impletum est in illo, quod Propheticus sermo

testatur: *Qui iniquè agunt, exterminabuntur: qui verò expectant Dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram.*

Nec mora, post tempus illud, vnus ex Optimabus Eudonis Principis, nomine Fredegisilus, prædatus est iumenta ex ipso Monasterio sancti Austregisili. Cúmque ea deduxisset ad propria, & aliam prædam plurimam, & elatus eam gauderet diuidendam, statim illâ horâ accinxit eum febris, vt nullâ suspectione viuendi haberet facultatem, recordans illum sermonem, quem ante Principem Eudonem, vel plures personas audierat, Salomone Abbate narrante, qui dicebat: Nullus ex vobis locella sancti Austregisili præsumat contingere, quia ipse personas nobiles sibi aduersantes occidit; ignobiles verò sæuis cruciatibus torquens affligit, pauore perterritus, ad Abbatem vel Monachos ibidem seruientes festinanter missos direxit, qui ipsam prædam ad propria remearent, & seruientibus B. Austregisili eam redderent, vt eum suis orationibus adjuuarent. Nec mora, Pater Monasterij cum eulogijs legatos direxit, qui ipsum ægrum visitarent, & benedictionem Sancti præfati ei præsentarent. At ipsi cùm venissent vbi Fredegisilus de vita diffidens iacebat, benedictionem, quam de ipso sepulcro à seruientibus ipsis Sancti acceperant, præsentauerunt. Ipse gratias agens inuocat nomen beati Austregisili, & cum summa reuerentia communicans ex ipsis eulogijs, statim vigore recepto, à ministris suis reportari se iussit, vbi erant ipsa iumenta, vt ipse manibus redderet quod malè abstraxerat; cúmque ea reddidisset, statim sanus effectus, gaudens & exiliens remeauit domum, vnde antè æger exierat, & manibus fuerat deportatus alienis. Impletum est in illo, quod Dominus per Prophetam dixit: *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat.* Et rursum: *Cùm conuersus ingemueris, tunc salvus eris.*

Ipso quoque tempore vnus ex Comitibus Eudonis Principis, Adroaldus nomine, cùm castellum editum in ipso pago Biturigo violenter adquisisset, ibiq; comprehendens Abbatem ex ipso Monasterio sancti Austregisili, Bertheradum nomine, cum ministerio, de ipso sancto loco pro redemptione teneret captiuum, ipse Abbas quidquid habere potuit in auro & argento, dedit pro se in redemptione. Et adhuc coactus, & inuitus calicem vnum aureum, & alia vasa sacrata ex ipso Cœnobio præfato Comiti tradidit, & cum dolore non modico remeauit ad Fratres, ac cum gemitu vel suspirio in orationibus suis die noctúque à sancto Austregisilo postulabat solatium, vt quod cupiditas humana exinde abstraxerat, Dominica pietas recuperaret. Nec mora diù fuit, cùm ipsum Adroaldum timor magnus inuasit, vt nec cibum sumeret, nec biberet, nec valeret dormire, neque stare, vel sedere in vno loco poterat; & de se quid agere deberet, ignorabat. Aderat ibidem Dei seruus, Vulframnus nomine, consiliúmque ab eo quæsiuit, quid facere deberet; reuelauit causam, quæ ei nuper acciderat. At ille doctissimus, & sapientiâ plenus, requisiuit ab eo, vt si aliquid ex ministerio, aut de rebus præfati Confessoris Austregisili post se haberet, ipsi loco sancto reddere non tardaret. At ipse confessus est iuxta id quod fuerat excitatus, & dixit, quòd calicem aureum & alia vasa exinde habebat, quæ Berthoradus Abbas ei pro sua redemptione donauerat. Ipse Dei seruus hæc audiens dixit: Non audisti famam B. Austregisili, quid aduersantibus sibi fecerit, aut quot occiderit, vel quot flagellauerit: Si vis viuere vel vsque manè, præsentialiter redde quod inde habes. Et ipse hæc audiens, pauore magno repletus, omnia quæ exinde acceperat, reddenda promisit, & per legatos suos ad S. Austregisilum transmisit, móxque pristinam recepit sospitatem; & quamdiu vixit in ipso Cœnobio, vota persoluens in benefactis suis non modicus, sed largus apparuit; & completum est in illo quod Dominus dicit; *Qui confessus fuerit coram me, confitebor & ego coram Patre meo, qui est in cælis.*

Erat ipsis temporibus homo in Bituriga ciuitate, Lupus nomine, bonis moribus deditus, humilis, atque sapiens, sobriam & castam ducens vitam, qui ardenti desiderio orandi gratiâ perrexit ad vrbem Turonicam, cúmque diutissimè in Basilica S. Martini Confessoris orasset, & pro peccatis suis veniam postulasset, surrexit ab oratione. Tunc vnus ex Dei seruis, cùm vidisset eum diù orantem, mitem atque honestum, accersiuit eum ad se, & dixit ei: Quod est tibi nomen? vel, vnde es? aut, pro qua causa huc aduenisti? Ipse respondit: Lupus vocor, Biturigas maneo, & hic pro peccatis meis orandi gratiâ aduenj. Respondit: Habeo aliquid seruientibus S. Austregisili dicere. Ego istis diebus in spiritu ad Biturigas fui, sed corpore nunquam fui. Et vt certiùs credas, vt errorem tollam de corde tuo, narro tibi notitiam: Est

illic Ecclesia S. Sulpitij inter duas aquas, super ripam Vtrionis & Aueræ. Respondit: Sic est verum. Est illic alia Ecclesia S. Austregisili contra orientalem plagam, vt luminaria de ipsa Ecclesia possint videri. Dixit: Ita est. Iterùm dixit ei ipse Dei seruus: Crede mihi, quia ego istis diebus ad Ecclesiam B. Austregisili in spiritu fui, & quid ibidem viderim narro tibi. Vidi ante ipsam matriculam, quæ est ante ostia de præfata Ecclesia B. Petrum Apostolum ad inuitationem B. Austregisili adstantem, & cum eo S. Laurianum, S. Sulpitium, & multos alios sanctos viros, qui in ipso pago requiescunt corpore; & ante eos à longè stabant Adroaldus, Bladegisilus, Suffronius, Guntaldus, aliique plures, qui pagum Biturigum deprædati fuerant, & casas Dei destruxerant. Dum ibidem starem, vidi Austregisilum ad pedes B. Petri prosternere, iustitiam rogare, & dicere: Fac nobis iustitiam de istis, qui casas nostras tenent oppressas, & pauperibus, & seruientibus nostris abstraxerunt substantiam eorum. Hæc Austregisilo precante mandauit Apostolus Petrus, vt aliquos traherent cædendos fustibus, alios gladio truncarent, nonnullos verò ad supplicium vel ignem sulphureum deducerent. Nouissimè autem Adroaldum virgâ, quam Petrus in manu tenebat, percussit in capite, vt eum morti traderet. Tunc S. Sulpitius precatus est dicens, vt ipsi Adroaldo vitam concederet. Austregisilus è contrà tali est sermone locutus: Semper mollis fuisti, & in mollitione tua perseueras, & non vindicas famulos tuos ad te die ac nocte clamantes. Et hæc eo dicente, visio, quam in spiritu videbam, ablata est ab oculis meis. Ipse Lupus auditis his omnibus, petiuit benedictionem à Dei seruo. Ad vrbem regressus est, indicans fratribus quod à Dei seruo audierat; posteà nec diù mora fuit, & ipse Adroaldus febre correptus vitam finiuit. Deinde nulli dubium, quòd hi, quos Dei seruus Austregisilum viderat accusare, postea non diù vixerunt, vt reciperet vnusquisque sententiam proprij corporis, prout gesserat, siue bona, siue mala.

Eo tempore, cùm Eudo Princeps Biturigas resideret, vnus ex Optimatibus eius in domo Austregisili in ipsa ciuitate accepit diuersorium hospitandi. Qui & ipse temerario ordine iunioribus suis iussit, vt de tectis domorum eius focos facerent, & vbi necessitas exigebat, igne succenderent. Abbas ex ipso Monasterio B. Austregisili eulogias ad præfatum hominem per Monachum direxit, rogans & dicens, vt alia ligna, quantum sufficere poterat, donarent, & sancti Dei domus non arderet. Qui quod petiuit, impetrare non valuit. Mane facto, cùm iam tertius dies aduenisset, dum ante focos, quos de ipsis domibus faciebant, ministri se calefacerent, & præfatus eorum Dux in lecto iaceret, & somno deprimeretur, sanctus Dei Austregisilus ei in somnis apparuit dicens: Cur casas meas tam stultè igne succendis? Et hæc dicens, alapâ percussit eum in fauce, itavt cruor per aures erumperet. Et euigilans, ministris suis, qui circumstabant, dixit: In hac hora me Austregisilus in fauce percussit; & continuò infœlix se moriturum prædixit. Quod & factum est. Peruenit in aulam Principis quòd Gasindus ille mortuus esset, qui domos S. Austregisili succenderat, & propter hoc, S. Austregisilus eum in fauce percusserat; inuasitque omnes non modicus pauor. Mandat Princeps, vt nullus de rebus S. Austregisili auderet contingere; & si exinde aliquid contingeret, continuò redderetur, & veniam postularet. Et sic vsque hodiè exiuit fama glorioſi Confessoris, vt quicumque præsumptiuo modo de rebus Monasterij sui contingeret, statim se crederet esse moriturum.

Cùm Eudo Princeps orandi gratiâ ad Monasterium sancti Austregisili veniſſet, factâ oratione cœpit Fratribus dicere: Quis ex vobis de sancto Austregisilo mihi faciet iustitiam? Ipsi credidi, fidejussor mihi accessit, quando Chucianus in isto loco mihi dedit sacramentum. Et repetens ipsum sermonem dicebat: Sancte Austregisile, fac mihi de temetipso iustitiam: Si tibi non credidissem, Chucianus me non fugisset, precor te vt de teipso mihi facias iustitiam, & ego his seruientibus multa bona retribuam. Ipse Chucianus postquam ad sepulchrum B. Austregisili Eudoni fidelitatem iurauerat, in Franciam ad Carolum Principem fugit. Ipso tempore, quo præfatus Princeps Austregisilo de ipso iustitiam popoſcit, prædictus Chucianus vehementi plagâ fuit percussus, itavt vsque ad mortem veniens clamaret, & diceret: Austregisilus me flagellat pro sacramento quod ad sepulchrum eius dedi, & propter hoc quod Eudoni mentitus sum, Austregisilus me diuersis cruciatibus constringit, &, nisi fallor, si eum catenatum non tenuissent, dentibus se laniare vellet, vsque quo vitam finiuit: quia scriptum est, *Qui multùm iurat, non effugit peccatum.*

In ipso tempore Vicedominus ex ipso Cœnobio Austregisili, Vaddomarus no-

mine, pro causa vtilitatis Monasterij disposuit ad vrbem Pictauorum ambulare. Acceptâ benedictione Fratrum S. Austregisili perrexit in itinere. Cùm autem veniſſet ad fluuium, cui nomen Vincenna, vbi dicitur Portus Sanomus, volens ibidem flumen transmeare, nullum hominem inuenit, nec nauigium. Vesperascente die diuersorium manendi non habebant, deerant cibaria caballorum. Solitum hospitium vbi manere consueuerat, longè vltra flumen erat. Dum talia cor eorum satageret, aspicientes vltra flumen in littore viderunt parata nauigia. At ipse Vaddomarus fide non dubius, cœpit inuocare nomen Domini, & sancti Austregisili, vt eos qui cum eo erant admonuit, dicens: Inuocate nomen sancti Austregisili, vt noster Dominus pro meritis & suffragiis eius nobis hominem transmittere dignetur, qui nobis nauigia quæ videmus, adducat, vt hâc nocte ad locum destinatum perueniamus. Adhuc ipsis orantibus, mouerunt per seipsa nauigia cum contis & remis sine humano gubernaculo, & peruenerunt ad locum vbi ipsi stabant. Procul dubio Angelus Domini fuit, qui pro meritis sancti Austregisili nauigia adduxit. At ipsi videntes tantum miraculum, gaudio magno repleti glorificabant Deum, qui non derelinquit seruos suos sperantes in eum, & cum timore & oratione ascenderunt nauigia; & ipsi nauigantes per gurgites incolumes atque illæsi, peruenerunt ad littora. Et ipsâ die ad locum in quo manere consueuerant, cum gaudio peruenerunt. Impletum est in eis, quod Veritas dicit in Euangelio: *Si habueritis fidem vt granum sinapis, dicetis huic monti, Transi hinc, & transibit.* Et iterùm: *Quidquid credentes in oratione petieritis, accipietis, & fiet vobis.* Et illud. *Apud Deum omnia possibilia sunt.*

In ipso tempore ad Monasterium Sancti Dei ex Britanniæ partibus homo mutus aduenit. Ibidem à fidelibus Dei seruientibus in hospitio receptus est, & ex eleemosynis illorum victu & vestitu alebatur; & ipse mutus cum ipsis Domini seruis quotidiè orandi gratiâ veniebat in Ecclesiam. Sed quid orare volebat, ipse nesciebat, quia ipse discernere non valebat. Aduenit festa dies B. Austregisili, & dum ante sepulchrum eius staret, cœpit conspuere sanguinem per os. Tunc Clauicularius, vel custos Ecclesiæ huius cœpit eum increpare, & dicere: Egredere foras, ne ampliùs in pauimento tantum fastidiũ producas. At ipso loquente, cœpit ipse mutus clamare, & dicere secundùm Britannicam suam & rusticam linguam: Libertinus sum, liber nunc sum; volebat enim dicere, liberatus sum: statim solutum est vinculum linguæ eius, ita vt planè loqueretur, & cunctis, qui ibidem aderant, aut ad festa conuenerant, narrauit nomen suum, & dixit quòd in sacro baptismate Emmo nomen habuerit. Posteà ibi deseruiens pluribus vixit annis.

Eo tempore quædam fœmina, nomine Selitrudis, vicino ab vrbe Biturigensium de loco Nouauillâ secùs amnem Vtrionis, cùm esset longo iam tempore clauda, deuotissimè sepulchrum B. Confessoris expetiit. Vt autem in atrium ipsius introiit, illicò adepta est sanitatẽ. Quid moror? vt se sanam sensit, reuertitur ad propria *** ipso morbo est repentè adtrita. At illa sciens suorum facinorum merito hanc euenire calamitatem, cum ingenti gemitu sustentans se baculo & tremens, in præfati atrij locum peruenit, & per suffragia beati viri pristinam consecuta est sanitatem.

Quædam puella ex Baniaco villâ olim iam ademptis luminibus cœca, cùm ad sepulchrum B. viri fideliter exorasset, receptis visibus clarum est potita aspectum.

Quodam tempore vir quidam nomine Amalricus, insidiâ obuiante diaboli, contractis vlnis & humeris, cùm iam diù sustinere nequisset laborem, ad sepulchrũ Beati deuotus aduenit: mox absolutis membris, pristinæ sanitati ac vsui quotidiano restitutus probatur. Sed & illud mirabile credidi adjungendum, iuuenem quemdam do ipso pago in seipsam incuruatâ manu, simili fuisse sanatum exemplo.

Per idem tempus quædam fœmina pluribus annis debilis pedibus baculóq; sustentans, ante tumulum B. Antistitis pristinas vires est adepta.

LIBER TERTIVS,

Miracula ac virtutes recentioris memoriæ continet.

Ex eodem libro MS. Ecclesiæ de Castro ad muros vrbis.

MIrabilem Deum in sanctis suis S. Propheta annunciat dicens, *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Aliásq; S. Scriptura dicit: *Qui me glorificat, glorificabo eum.* Hanc igitur glorificationem mirabilis Deus noster B. Austregisilo in virtutum signis poten-

tissimo donauit, dum per eum nostris diebus quendam contractũ ad sanitatem redire fecit. Super cuius miraculi certitudinem non requiritur aliquis quilibet subintroductus testis. Sedet ipse huius inscriptionis pauperculus exarator, sitibundúsq; sanitatis animæ, qui eiusdem sancti ac glorioſi, veréq; fidelis Dei Austregisili Pontificis expetit misericordiam. Et vt eidem Sancto seruitus ipsius exaratoris placeat largitorem bonorũ omnium Deum inuitat. Adest & testis ipsius sancti loci canonicalis non parua congregatio, cum innumerabili Bituricẽsis ciuitatis populo, qui simul omnes pro viso miraculo Deum laudauerunt, multáſq; gratias S. reddiderunt Austregisilo.

Quidam erat homo nomine Ansterius, qui occulto Dei iudicio à renibus omnium membrorum perdiderat ad adjutorium ambulationis officia, moréq; quadrupedum manibus & genibus repebat per viarum strata. Consuetudinaria erat ei cancellorum deportatio, pro quibus iam in manibus obdurati callis obuenerat spissitudo. In huius infirmitatis deploratione per triuin annorum spatia demorans miserrimè, vt paruum paruus tuguriolum iuxta Ecclesiæ sancti ac glorioſi Antistitis Austregisili fecerat atrium. Ibi vtcumq; poterat sustentatus, vel commanentium in eadem villa, vel aduenientium adjutorio manebat. Vnâ nocte in Ecclesia B. Austregisili iuit iacere, & ad incremẽtum suæ deuotionis per totam noctem tenuit ardentem candelam in manibus suis. Circa autem mediæ noctis silentium visum est ei in eadem Ecclesia adesse quasi magnum fremitum. Hinc capsas SS. Reliquiarum concuti; hinc fredam super sancto corpore impositam commoueri: super Altare verò, quod erat ad pedes S. Austregisili, quod est in honore Dei, & in memoria S. Protomart. Stephani, visum est ei quasi multitudo malleorũ deberet ferire. His tantis concussionibus perterritus pauper & contractus, aliquotiens replebatur nimiis sudoribus, aliquotiens, vt in talibus rebus accidit, nimiis cruciabatur frigoribus. Permutabat interdum loca stationis, sed non decrescebat vel insitus timor, vel inchoatus commotionis sacratũ Reliquiarum tremor. Tãdem visum est ei sedenti ad Altare in honore Dei, & in memoria S. Petri, omniúmq; Apostolorum consecratum, quasi vngeretur quodam suauissimę delectationis emplastro, quod pertransiret ad vitalia suaui linimento. Hinc cepit paulatim se extendere, admirans si verum posset esse quod vellet facere; sed hoc & ille verò præstitit meritis & intercessionibus sancti ac Deo dilecti Austregisili, de quo dicitur: *Qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Erigitur exhinc recto & sano corpore, & relictis scamellulis vadit, quo iacebat Ædituus Ecclesiæ, perquiritq; candelam, quam properat illuminare ad lucernam ante sanctum corpus ardentem; hunc; videns Ædituus ambulare ad Matutinorum Hymnos, campanam leuat sonare; taléque insperatum gaudium cognoscens, canonicalis inibi manens congregatio, *Te Deum laudamus*, deuotè canit, sanctóq; Austregisilo gratias reddit, pulsatis diù campanis, & profusis præ gaudio maximo lacrymis.

Inter cæteras virtutum multiplicitates, quemdam nomine Andream, loqui fecit B. Austregisili meritum & fides, qui notus erat multis hominibus in curte manentibus vel aduenientibus Dacberti illius Archiepiscopi, zelum Domini vero & firmo amore zelantis. Nam ex potestate S. Palladij quidam iuuenis venit manere inter cæteros seruientes Dacberti Archiepiscopi, qui omnium necessitatũ suarum diuersitates potiùs perquirebat demonstratione manuum, quàm insinuatione verborum. Hoc damnatus oris alloquio per septem vel ampliùs annorum spatia viuebat mutus, nec attendebat se posse sanari ab ea infirmitate ampliùs: desperauerat enim iam se posse loqui pro inueteratæ infirmitatis nodositate graui. Mirabatur quale illud esset locutionis genus, quo honorari videbat omnes vtriusq; conditionis. Videntes autem fideles in eadem villa commanentes, varias & multiplices per beatum Deiq; fidelem Austregisilum virtutes fieri, exteræq; gentis & nationis homines recuperatione sanitatis honorari, notum illum mutum, suóq; seruitutis obsequio inhærentem, coguntire ad Ecclesiam B. Austregisili honorabilem, vbi ante principale Altare in honore Dei, & in memoria S. Petri Apostolorum Principis consecratũ aliquantulùm residens tundens pectus pugnis, pauimentũ perfundens lacrymis, solo fidei argumento, sine oris alloquio aperuit aures conditoris non prolongato spatio. Nam inibi ante Altare residens, subito & insperato, non se habere candelas, quas portaret ad sepulchrũ sancti, cœpit clamare. Hoc turbati, qui circumstabant, pro insolita & insperata locutione muti gaudent, & admirantur pro glorioſa operatione Domini, quam frequentabat fides & meritum beati veréque fidelis Dei Austregisili. Arripit interim vnusquisque

provt potest, gaudens & hilaris candelas, quas donant nouello locutori, ad deportandum ante sancti sepulchrum illuminatas. Et ibi perfectè assumēs modulos promptæ loquelæ insinuat in suâ sanatione quantam apud Deum gratiam habeat B. Austregisilus, qui in cœlis residens tantis locum suum in terris illustrat virtutibus, hócque frequentiùs ingeminabat dicens: non habeo candelas. Hæc prima fuerunt illius antiqui muti verba. Iocundum & hoc miraculum super quendam alterum mutum, qui per plurimos annorum recursus inter cæteros seruientes Clerici, nomine Archenaldi, nobilitatis & potestatis præcelsi, & amatoris, vt locus suppetit, canonicalis religionis, permanens seruiebat, vt poterat, ex omni membrorum officio, carens funditus solo locutionis beneficio, cui erat nomen Geraldus, patriaque suæ originis Burgundia, de Ecclesia nomine Melsa. Hic vel pro admonitu aliorū, vel pro necessitatis suæ coarctatione plurimâ, ad sancti venit Austregisili sepulchrum videre virtutum incrementa. Vbi non prolongato spatio promeruit sanari tali modo ad laudem Dei & summi patratoris virtutum Austregisili. Hic in Ecclesiâ prædicti confessoris Christi nocte quadam vigilans volebat, vt super se illa diuinæ dignationis visitatio veniret, quæ tam frequens intercessionibus B. Austregisili super varios infirmitatum dolores descendebat. Mirabatur si super tantæ paupertatis hominē Dominus Deus vel S. Austregisilus dignaretur extendere suæ benedictionis largitatem. Sed ille qui non spernit preces pauperum, & qui de pauperibus dicit; *Talium est enim regnum cælorum*, sine prolongatione non procrastinata hæc ei dicere prima verborum & locutionis fecit elementa. Ego iam loquor. Hoc clamans discurrebat per totam Ecclesiam. Tunc inibi inter vigilantem populum aderant duo Monachi è Carrofftensi Monasterio, qui pro amore Dei & in veneratione summi præsulis Austregisili accensos tenentes in manibus cereos vigilabant, stabant, admirabantur tam frequentes fieri sanitatum virtutes. Dum autem quique fideles eidem pauperculo perquisissent quid ei visum fuerit in initio sanitatis suæ, discunt ab eo, quod ei visum fuerit per oculos aures & nares quasi cum dolore magno ardorem sensisse: sanatus redit ad nationis suæ locum benedicens per omnia Deum.

De Exandonensi patriâ quidam mutus & mendicans aduenerat in Bituricensi terrâ. Hic antiquum perditæ locutionis nodum deportabat, vtcumque poterat, sedatis iam super mueteratum dolorem riuulis lacrymarum. Huic nomen erat Constantius. Qui misericordiâ præuentus Dei in villam intrat Sancti Austregisili; vbi per aliquot dies remanens mendicabat quærendo panem ad manducandum, indice manu. Quo beneficio bene interdum sustentabatur adjutus Clericorum bonorumq; hominum in eadem villa manentium adiutorio, nec adtendebat sanationis suæ horam intentus solùm vt viuere posset per aliorum oblatam eleemosynam. Tandem Dominus Deus, dum locum B. ac glorioſi Antistitis Austregisili visitat, occulta suâ dispensatione, vel propter reuelandam fidelis sui Austregisili dignam memoriā, vel propter Dacbertum Archiepiscopum igne tribulationis mirabiliter excoctum, qui in eadem Ecclesiâ, quam ipse summo studio construxerat, tumulatus erat, vel propter fidei meritum eorum hominum, qui in eadem villa manebant, & hic inter reliquum populum ante sanctum altare adiistit, rusticanas vt rusticus ex corde, quia lingua non poterat, preces ingeminans. Sed has ille æternus auditor misericorditer captat, qui tacenti Moisi dicit: *Ad me quid clamas?* aperuit ipse huic muto Exandonensi Constantio os & linguam, eúmque hoc primum verbum edocuit clamare: Adiuua S. Austregisile: hoc verbum amicabile toties repetit, donec ei perfectio totius locutionis venit. Qui postea multis innotuit, quod in initio curationis suæ exterâ parte maxillæ quidam ignotus homo alapam daret, & pro eâ vi sanguis ex aure defluere. Quod verum fuisse quique fideles viderunt & admirati sunt.

Ex Calnensi pago quidam pauperculus extitit homo, qui ab eadem patriâ fugiens pro ingraueſcente fame valida de patria in patriam, de villa in villam commutabat stationis suæ sedem pauperculam. Hic tandem Bituriges venit ad ciuitatem, quæ primatum retinebat inter reliquas ciuitates ad paupetum sustentationem. Hic per plurimos dierum recursus, nunc intrabat ciuitatem, nunc deforis quærebat sibi necessaria victus. Huic filius erat quasi annorum quinque, cui inhæserant pedum talinatibus, curuatis nimium genibus: cubiti quoque inhæserant costulis, vngues infixi erant palmis. Hanc rotundam effigiem hominis deportabat pater interdum manibus, interdum collo, miser & miserabilis. Dabatur tamen ei pro tale deporta-

to & demonſtrato monſtro amplior adjutorij ſuſtentatio. Quis enim ita inſanus, qui potuiſſet, aliquando huic monſtro geſtatorique eius non ſuccurrere. Hunc per multa Sanctorum loca deportauerat, ſi quomodo cuilibet Sanctorum complacuiſſet miſero reddere membrorum naturalia officia: ſed ſuper id honoris beneficium voluit omnipotens Deus honorari B. Auſtregiſilum. Audiens itaque pater huius contracti crebras & multiplices virtutes in Eccleſia S. Auſtregiſili fieri, accepit filium, ponit illam teretem effigiem ſuper paternum collúm, vadit celer quo audit & videt remeare cœcos videntes, ſurdos audientes, contractos ambulantes, claudos currentes, iactat ante altare in honore Dei & in memoria S. Petri Apoſtolorum primi & Principis contractum filium. In quodam autem angulo ipſius præfatę Eccleſiæ ipſe pater ſe collocat, attendit & dubitat ſi ſuper tantillulam perſonam infantis ſic deſpecti illa dignetur cœleſtis majeſtas extendere manum ſuæ benedictionis. Sed ille Deus omnipotens, qui in præſepio fuit inuolutus pannis, & hunc non deſpexit pauperem precibus S. Auſtregiſili Præſulis. Nam inſperatò & ſubitò prius abradicantur vngues à palmis, poſtea cubiti à coſtulis. Tunc incipit filius clamare nomen patris in angulo Eccleſiæ abſconſi. Ad vociferationem filij accurrit pater curſu veloci. Accedunt & multi fideles, qui lætantur nimium ſuper S. Auſtregiſili benignas virtutes, & vt ad perfectionem ſanitatis infantilem & pauperem perſonam adducat omnipotens Deus, precantur. Pro fide autem inibi precantium, & ad clarandum S. Auſtregiſili meritum euelluntur à natibus infixi pedum tali. Tunc incipit infantulus per Eccleſiam currere ignorans per infantilem ætatem gratias Deo reddere. Iam non portat hunc pater ſuper collum, ſed caſtigat aliquoties propter nimium curſum. Super id negotium nullum Bituricenſis populus apponit ſcrupulum, nec in aliis virtutum ſignis, laudans per omnia Deum.

In Muratenſi oppido quidam mutus erat & ſurdus à matris vtero: quem Dominus Deus pro meritis Beati Auſtregiſili reddito oris alloquio & aurium officio voluit honorari. Hic in hoc inueterati doloris permanens diſpendio diuerſos neceſſitatis ſuæ ſumptus potiùs perquirebat manuum ſigno, quàm verborum inſinuatu aperto. Iam bene didicerat pro ſingulis ſuis neceſſitatibus circumflectere indices manus vel digitos: & hoc indicium iam bene eos docuerat cùm quibus die noctuque manebat. Hic ſuſtentabatur eleemoſynâ cuiuſdam honorabilis & potentiſſimi clerici, nomine Acmardi, qui & in hoc, ſicut & in pluribus pauperibus diſpergebat plurimos bonorum ſuorum ſumptus. Hoc laudabili artificioſæ ſalutis inſudabat officio, quoniam quidem illud videbat bene frequentatum ab auunculo ſuo Dacberto Archiepiſcopo, qui inter cæteras ſenioris animi virtutes fide diligebat calcatâ hypocriſi pauperes Chriſti. His officiis igitur auditus & locutionis Muratenſis pauper priuatus vel parentum vel aliorum hominum ſubmonitu ad ſancti adducitur Auſtregiſili Monaſterium. Inibi itaque inter reſidentem manens populum ſuper ſe attendebat Diuinæ ſanctitatis adjutorium. Qualitérque internus eius animi precatus ſummæ placuerit potentiæ demonſtrauit ſanitas ei donata in fine: nam prius meruit recuperato auditu intelligere hominum verba. Quantúmque hunc lætificabat reddita ſonoritas aurium, tantum mœſtum reddebat denegatum locutionis officium: Sed illa manus Domini, quæ non eſt inualida, interceſſione B Auſtregiſili piiſſimâ, & huic reddidit perfectum oris alloquium, & benedicentem fecit per omnia Deum.

Erat quidam homo, nomine Odoricus, ex Prouinciâ Carnotenſium de villâ quæ vocatur Tembleuicus, qui ab infantiâ ſic erat contractus, vt nullo modo poſſet ambulare niſi palmis & genibus ſuſtentaretur: ſícque more beſtiali gradiebatur ferens in ſuis manibus ſcamellulos causâ requirendi neceſſaria. Verumetiam ipſe audiens ſacri Pontificis Auſtregiſili famam inſignium miraculorum, quę Dominus dignabatur exercere per ſuum fidelem, lento itinere, prout potuit, Biturigenſium fines ingreſſus eſt, æſtimans ſe poſſe ſanari pro Sancti Auſtregiſili merito & fide. Cum ergo tandem ad Eccleſiam almi præſulis peruenisſet, foris in porticu iuxta introitum portæ facto tuguriolo diutiſſimè manſit. Cúmque multi infirmi propter glorioſum ſepulchrum Beati Auſtregiſili gratiâ recuperandi ſuorum corporum ſoſpitatem noctu vigilarent, iſte ſupradictus ægrotus hoc quod diu optauerat, miſericorditer conſecutus eſt: & omni ægritudine depulſa, cœpit extendere ambos pedes, illo quoque ſurgente illicò à terrâ, atque ſe ſe aſſerente ab omni morbo veraciter ſanum eſſe,

omnes qui inibi aderant simul laudauerunt Deum, & S. Austregisilo gratias reddiderunt.

Erat quidam in oppido Saluigniaco satis alacer iuuenis, quem forte quadam die; cùm post prandium sopori membra dedisset, tanta infirmitatis arripuerunt incommoda, vt per trium spatia dierum nec sumere cibum, nec bibere, nec amicorum quempiam cognoscere prævaleret. Post triduum verò miserante Dei misericordiâ integrum membrorum recepit vigorem, linguæ tantum ligatus vinculo. Adueniente itaque B. Lauriani Martyris Hispalensis Episcopi solemnitate, quæ colitur quarto Nonas Iulij, tale iuueni dederunt amici consilium, vt ante huius Martyris altare, quod est in Ecclesiâ, in quâ congregatio Monachorum Deo militat non modica, vigilaret: si forte B. Lauriani intercessione eius infirmitati propitiaretur Dominus. Accepto igitur consilio sequenti nocte celebraturus excubias ante præfati Martyris memoriam, ingreditur Ecclesiam. Cúmque iam transacto noctis spatio somni torpore victus iuuenis ocubuisset, audiuit vocem se vt assurgeret admonentem: Expergefactus illicò surrexit à somno neminem quidem videns, vocem tamen audiens, suadentem sibi, quatenus ad S. Austregisilum gratia recuperandi sanitatem properaret. Mane autem facto post celebrata sacri mysterij solemnia, Dominicæ crucis vexillo munitus ad hospitium de suâ securus sospitate perrexit. Venientes autem qui super illius mutâ iuuentute dolebant, potionem ad bibendum illi offerebant, per quam futurum sospitem illum affirmabant: sed quia B. Austregisili Antistitis meritis apud Deum impetrantibus se percepturum loquelæ modulos non dubitabat, potionem accipere recusabat, ac Bituricas tendere cupiebat: quia verò non poterat voce, signis manus ostendebat extensæ. Illi tandem quibus cura erat de iuuene, meminerunt, quod eius pater Bituricæ erat ciuitatis incola, & ob hoc illum velle illuc ire putauerunt. Quid moror? Sociato sibi socio ad vrbem perrexit Bituricam, & paternam festinus ingressus est mansionem. Congregatisque parentibus & amicis, cognouerunt infortunium amissæ locutionis: Ipse verò iuuenis nudis gressibus ad B. Pontificis memoriam cum magna parentum amicorúmque deuotione festinauit, & ad eius tumulum oblationem suam, vt mos est, infirmorum obtulit. Poplitibus denique flexis & precibus pro muto fusis, subitò aperuit os eius, qui aperuit os Zachariæ Prophetæ Domini. Surgens autem iuuenis à linguæ solutus vinculo laudauit Dominum eiusque venerandissimum confessorem Austregisilum liberâ confessus est voce omnibusque qualiter hoc illi accidisset præscripto narrauit ordine.

Accedat Sancti Austregisili Elogium olim tumulo illius marmoreo insculptum. Ex eodem MS. libro Ecclesiæ de Castro.

QVisquis requirit de nomine almi Præsulis, dirigat huc gressum, & mentis oculum: Nempe cernet viæ seriem, vt processit in orbem, optimè si legerit hunc titulum forte. Nam tertio Decembrium Kalendarum proles edita procedens ab aluo absoluit genitricis viscera, Bis vicenis & primo Childeberto regnante in anno. Feriâ hic quarta tempus signatur, & quarta-decima quoque Luna fertur per alta Scorpii: etiam signum Lectorem docet in totum. Fuit igitur Austregisilus Biturigæ vrbis genere dignissimo præclarus, opilionis conjugis lacte nutritus honestè. Denique in matris Ecclesiæ Protomartyris Christi Stephani gremio Baptismatis consecratione ablutus. Dehinc in Turonis vrbe liberalibus disciplinis traditus, dextráque Martini beatâ protectus. Eruditus itaque mox in glorioſi Regis Guntramni palatium deputatur à patre, vbi non temporis modico sub sæculari habitu militauit spatio. Transacto etenim tempore longo occurrit ei in mente clericatus onus suscipi debere. Quod vt fieret cuiusdam nobilissimi Clerici precibus, Ætherij nomine, cui Rex omnia tractatus sui arcana præcipuè pandebat, obtinuit, quique eum misit B. Aunario Autisiodorensi Episcopo, vt suis sanctis manibus cæsaries sui capitis deponeretur. Qui & in hoc postulantis amici expleuit votum, ac insuper ad Diaconatus eum promouit officium. Effectus ergo Clericus continuo remeauit ad Regem. Quem videns prædictus Ætherius illicò petiuit à Rege, vt sibi committeretur. Iam & ipse impetrauerat à Principe sedem Lugdunensis Ecclesiæ, malebat namque secum habere qui

* *

famosissimus noscebatur ab omni plebe. Quem & ipse præfatus Ætherius mox Presbyterum & Abbatem ordinauit in Sancti Basilicâ Niceti. Cum ergo iam Dominus eum ad sublimioris gradus dignitatis culmen succedere vellet, excedente Bituricæ Apollinare Episcopo, omni consensu Biturigensium ac pari deuotione ordinatus est Episcopus, in quo gradu regiminis annos duodecim vixit, vt Diaconibus suis Sulpitio ac Desiderio professus est. Decessus autem eius à sæculo celebratur tertiodecimo Kalendarum Iuniarum.

Sancte Deus miserere loci, quem semper amasti:
Dilige, multiplica, protege, semper ama.
Nos quoque vallatu alarum sancte tuarum, &c.

Hi apices S. Austregisili tumulo sculpti in quibusdam locis corrupti idcirco reperiuntur quia contrito marmore vbi prius exarati fuerant vestigia nullatenus scriba ad integrum inuenire potuit, ac per hoc prudens Lector animaduertat vt non tantum nostræ negligentiæ quantum casibus fortunæ hoc imputet: neque enim verba excepta ab intentione prioris exaratoris in alium sensum transferre molimur, ne forte minus plusve dixisse causa emendationis inueniamur. Hæc omnia exscripsimus è veteri illo membraneo Codice Ecclesiæ Collegiatæ B. Austregisili de Castro ad muros vrbis.

Falsò accusatus Austregisilus miraculosè purgatur ex Aimoino libro 4. Histor. Franc. cap. 2.

Austregisilus quoque Bituricensis Archiepiscopus qui sub Rege Guntranno diu in palatio conuersatus mappam ei ad extergendas præbere consueuerat manus. Hic quadam die à quodam pessimæ mentis homine falso accusatus quædam absque iussione Principis scripta confecisse, dum id sedulò denegaret, iubetur à Rege armis obiecta repellere. Qui diluculò consurgens, dum per puerum omnem suarum apparatum armorum deferri fecisset in campum & ad exorandum Dominum, Ecclesiam B. Marcelli expeteret, obuianti pauperi & eleemosynam roganti trientem tribuit, sicque orationi incubuit, nec defuit orationi effectus. Nam dum cum Rege ad locum certaminis properaret, occurrit eis nuncius dicens, Aduersarium eius dum ad designatum occurrere festinaret locum, equo corruisse, vitæque terminum incurrisse. Tunc Rex ad beatum conuersus virum, Lætare, inquit, amantissime iuuenis, quia Dominus defensor tuus est, ne tibi nocere possit inimicus. Post hæc Cathedram Episcopalem sortitus admirandis in mundo virtutum enituit bonis.

Sancti Austregisili virtutes plurimùm commendantur ex vita Sancti Genulphi lib. 2. cap. 4.

Decedente Clodoueo regnauit filius eius Childebertus cum tribus Fratribus suis Theoderico, Chlodomire & Clothario. Post Childebertum Clotharius frater eius regnauit qui Sanctam Radegundem in matrimonio habuit, & post eum Chilpericus filius eius regnauit cum tribus Fratribus suis Cariberto, Guntranno & Sigiberto. Horum tempore S. Gregorius Papa Romanus & Gregorius Turonensis fuerunt. Post Chilpericum Clotarius filius eius regnauit. His verò temporibus S. Austregisilus magnæ Metropolis Bituricensis Archiepiscopus clarus virtutibus fulsit. Hic Clotarius genuit Dagobertum & sororem eius Blitildem. Quo defuncto regnauit Dagobertus cui fuit Pipinus Major-domus vir egregiæ nobilitatis, &c. Hæc vero sic à nobis digesta, vt Historica dictis constet fides.

Reliqua quæ de S. Austregisilo dici possunt expendemus in Promptuario Bituricens. Antiq. in Notis ad Caput xxx. Benedictini Anonymi pag. 35. huius II. Tomi nostræ Bibliothecæ.

DE SANCTA BERTOARA SIVE BERTRADA.

HVius S. Bertoaræ dies natalis in Ecclesia Collegiata B. Mariæ de Salis, quæ aliâs Monasterium Puellarum fuisse dicitur, singulis annis celebratur die 4. Nouembris: de quâ non solum agit Auctor Vitæ S. Austregisili Archiepiscopi supra pag. 350. ex qua desumptæ sunt ad verbum quæ in memorato eius festo ibidem reci-

tantur ex Codice Lectiones, sed eiusdem quoque mentionem facit Ionas celeberrimus Abbas secundùm instituta B. Columbani eruditus in vita S. Eustasii Sancti eiusdem Columbani discipuli atque in Luxonienſis Abbatiæ regimine successoris, hisce verbis apud Surium 29. Martij extremo capite sexto, quę eò libentius in medium profero, quòd plurima ad illustrandam Bituricensem Historiam spectantia paucis comprehendant.

Multi amore Beati Columbani & eius regulæ Monasteria construunt, fratres aduocant, greges Christi congregant. Inter quos fuit illustris vir Eligius, qui modo Viromandensis Ecclesiæ Pontifex præest. Is verò apud Lemouicensem vrbem Monasterium nobile super fluuium Vincennam, Solemniacum nomine exstruxit distans ab ea vrbe millibus quatuor. Sed & Parisiis Puellarum Monasterium, quod Regio munere acceperat, ædificat, cui Christi Virginem Auream præfecit. In Bituricensi verò vrbe Puellarum Monasterium secundùm B. Columbani regulam BERTVARA nobilis genere & religione fœmina construxit. In suburbio Bituricensi vir venerabilis THEODVLPHVS cognomento BABOLENVS Monasteria ex regula B. Columbani religione omni pollentia extruxit. Primum in insula super fluuium Milmandram, vbi Religiosorum virorum adunauit cateruam: Aliud Gaudiacum nomine haud procul à fluuio Albera: Tertium denique Virginum in loco dicto Carantonio super fluuium iam dictum Milmandram. Item aliud Christi Virginum iuxta Niuernense oppidum sub eadem Regula construxit.

Eadem quoque reperias Tomo III. operum Venerabilis Bedæ pag. 342. editionis Basilienſis anni MDLXII. paululum tamen in proprijs nominibus inflexa: Berthradam enim, Theodolfum, Milinandram, Albertum, Caranthonum appellat.

Rectè autem monuit iampridem Claudius Robertus in Gallia Christiana à veritate longiùs deflexisse qui nostram hanc Bertoaram eandem esse putauerunt cum eâ de quâ Venantius Fortunatus canit capite duodecimo libri secundi Poëmatum agens de Baptisterio Maguntiæ à Sidonio Antistite extructo.

Struxit Bertoarę voto complente Sacerdos,
Quæ decus Ecclesiæ cordis amore placet.
Catholicæ fidei splendor pietate coruscans,
Templorum cultrix prodiga pauperibus.
Seminat vnde metas fruges, spargendo recondens;
Terrenis opibus non moritura parat.
Filia digna patri te Theodeberte reformans.
Rexisti patriam qui pietate patris.

Theodebertus certè Theoderici filius Francorum Rex anno Christianæ æræ 548. moriens Theodebaldo filio paternum regnum reliquit: nec simile quicquam de nostræ Bertoaræ tam sublimi glorioſáque prosapia vspiam legitur.

ELOGIVM HISTORICVM S. DEODATI
Abbatis 24. Aprilis.

I. SAnctus Deodatus cùm in Vrbe Biturică prima cœlestis vitæ rudimenta posuisset, Monasticæ conuersationis desiderio inflammatus Ixium Cœnobium adijt, in quo Regularis vitæ trames districtioribus institutis sub Beati Faretri regimine tenebatur.

II. Post aliquot annos ad illud Monasterium diuertens Baudouinus quidam Sacerdos natione Carnotensis, significauit in Blesensi territorio, haud procul ripâ Ligeris locum esse vita frui solitaria cupientibus peropportunum, nisi Draconis immanissimi fœdaret afflatus.

III. Deodatus impetratâ à Patre Monasterij licentiâ Anachoreticam acturus vitam cum Baudouino ad dictam eremum properat, Draconem fugat, cellulam parat, vicinámque omnem circumquaque regionem fragrantissimo virtutum diuinarum odore respergit.

IV. Clodoueus Francorum Rex eo tempore aduersus Gothos (fortean rectius Alemannos) expeditionem parans Carnotum venit, à Beato Solemne Episcopo excipitur, audit vulgante fama Deodati virtutes, eius inuisit domunculam, regiamque

ſublimitatem ad humilis Monachi genua inclinans formidoloſum belli exitum precibus ipſius commendat.

V. Reuerſus Rex partâ feliciter victoriâ Sancto Deodato agrum ampliſſimum cellulæ continentem largitur & donationis ſuæ notitiam Regiæ auctoritatis teſtamento corroborat. Addit inſuper libras auri viginti ſex totidemque argenti vt haberet vnde pauperibus & in dies aduentantibus Religioſæ vitæ candidatis neceſſaria miniſtraret, qui breui quadragenarium impleuere munerum.

VI. In Diaconum iam olim ordinatus noluit Sacerdotio initiari, licet id Abbatis muneri congrueret, tanta quippe eum ſui deprimendi cupido inceſſerat. Deo reuelante diem proximæ mortis agnouit, viaticoque percepto placidè defunctus crebris cœpit coruſcare miraculis quibus permoti regionis accolæ tumulo Sancti viri Baſilicæ ingentis opus ſuper exſtruunt, aduenisque iuuantibus ac nauibus onerariis ex Ligerino commeatu tributa eidem loco ſoluentibus ad conſummationem perducunt.

VII. Cum locus ille populatione hoſtili in ſolitudinem priſtinam reduiſſet & ab hominum etiam memoriâ dies tranſitus eius effugiſſet cuidam Monacho Bledeſindo nomine reuelatum eſt Sanctum Deodatum octauo Kalendas Maij ſeu 24. Aprilis migraſſe de ſæculo, eodemque die celebrandam eſſe quotannis eius feſtiuitatem. Vixiſſe vero videtur ſaltem vſque ad annum Chriſti 530. vt ex vita MS. S. Euſicij probari poteſt.

VIII. Sub Carolo denique Rege Ludouici Auguſti Filio Aurelianus quidam Sacerdos locum in eumdem Monachos iampridem exules reduxit, venuſtioremque Baſilicam à fundamentis extruxit quam cognominis illius nepos perfecit Cœnobiumque ſuæ gubernationi creditum pretioſis ornamentis & ampliſſimis prædiis ditauit.

Summarium hoc excripſimus ex prolixiori vitâ quam ex Tabulario Eccleſiæ oppiduli, quod Blæſas inter ex Balgentiacum à Sancto Deodato nomen etiamnum ſeruat *Saint Dié ſur Loire*, fideli deſcriptam operâ miſit ad me R. P. Patricius à Sancto Deodato Profeſſor Capucinus, qui etiam monuit in iſdem archiuis haberi Ludouicum XI. Franciæ Regem perlectâ S. Deodati vitâ capſam argenteam auro illuſam ſacris eius lipſanis contegendis dono obtuliſſe quam Caluinianæ Harpyiæ ſub finem ſuperioris ſæculi magno incolarum dolore diripuerunt.

ELOGIVM HISTORICVM S. DESIDERATI
XXII. Biturigum Archiepiſcopi.

Ex vetuſtiſſimo Bituricenſis Eccleſiæ Breuiario ad diem 8. Maij.

IN oppido Sauciaco, quòd à Sueſſione ciuitate quinque milliariis diſtat, nati ſunt Augino patre Aigâque matre tres nobiles viri fratres Deſiderius, Deodatus & Deſideratus. Quorum Deſiderius Monaſticam vitam eligens Martyrio vitam finiuit. Deodatus verò theſaurorum Regalium ſub Rege Clotario ſummus & fidelis procurator effectus eſt. Hic cùm eſſet iuſtus, pius, honoratus, & in eleemoſynis largus nocte quadam dum orationibus, vt ſolitus erat, inuigilaret, à quibuſdam æmulis qui pro bonitate ipſius & eminentia ei inuidebant, necatus eſt.

Sanctus autem Deſideratus vir Dei ſigillum Regis ad ſignanda edicta Regalia cuſtodiebat. Hic cùm eſſet ſenſu prouidus, eloquio copioſus, vultu decorus, & ante omnia in Chriſti caritate fundatus, in tantum Regi, cunctiſque eius optimatibus amabilis fuit, vt ad illius nutum cuncta regerentur Palatina negotia.

Interea defuncto beato Arcadio vrbis Bituricæ Archiepiſcopo ſanctus Deſideratus conſenſu omnium, tam Regis, quàm Principum cleri ac populi ad ſubeundum eiuſdem Pontificatus onus inuitus compellitur. Rexit autem iſte ſanctus Deſideratus gratia plenus & ſanctitate Eccleſiam Bituricenſem nouem annis immenſis coruſcans miraculis. Et ſic demum poſt multos labores febre valida correptus vocauit adſe Pontificatus ſui maiores & ſeniores. Quibus monitis ſalutaribus præmiſſis ſe die Dominica tunc proximè ſequenti prædixit ſpiritum Domino redditurum. Quod & ita rei probauit euentus.

Prolixiorem de eodem Desiderato Historiam contexuit quidam Bouiensis Abbas teste Anonymo Benedictino quem vide supra pag. 25. & seq.

ELOGIVM HISTORICVM SANCTI DESIDERII *Abbatis 19. Octobris.*

SAnctus Desiderius ex castro Blauio ad Garumnam oriundus à Sancto Sigiranno in Longaretensi Cœnobio attonsus in Monachum, cùm in dies sanctæ conuersationis studio proficeret, ad honorem Sacerdotij prouectus, alterique Monasterio, quod Sanctus Sigirannus in eodem Bituricensi territorio extruxerat, præfectus est, vbi in honorem Sancti Martini oratorium ædificauit.

II. Aliquot elapsis annis diuinæ contemplationis amore in cellulam ita se abdidit, vt tamen Monasterij, pauperúmque curam non abijceret. Cœcis pluribus visum restituit signo crucis, quo protectus ipse immane spectrum territantis dæmonis propulsauit.

III. Inuitatus ad immortalis gloriæ coronam à Sanctis Ioanne Baptistâ & Apostolo Paulo, discipulisque ad mutuam charitatem & obseruantiam regulæ inflammatis quarto-decimo Calendas Nouembris, ex hoc mundi cœno ad cœlum traductus est, in Basilica S. Mariæ eiusdem Monasterij sepultus, vbi multis miraculis claruit. Vixisse dicitur sub Dagoberto, Clodoueo II. eiusque filiis.

IV. Summarium hoc contexuimus ex Compendio quod R. P. Hugo Menardus in Obseruationibus ad Martyrologium Benedictinum & Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano exhibent tum ex sequentibus Lectionibus XII. quæ ex Monasterij S. Sigrianni depromptæ dicuntur.

VITA S. DESIDERII ABBATIS ET CONFESSORIS.

Descripsimus ex Apographo Illustrissimi ac Reuerendissimi Francisci Bosqueti Episcopi Montispessulani.

I. IGitur Beatissimus & Glorioſus vir Desiderius Blauianensi territorio, nobili ex progenie ortus, atque in Dei seruitio ab ipsa puerili ætate mancipatus, literarum primordia, vt assolet, in pueritia, Domino fauente, omnimodis est efficax effectus. Quo factum est vt non solum disceret imitari Apostolos, verum etiam & confessores, necnon & Martyres atque Virgines. Erat autem tunc temporis Monasterium à B. Sigiranno constructum in pago Biturico, in loco, cui vocabulum est Longaretus super fluuio vocitato Claisia, in quo ipse glorioſus cum Monachorum grege Domino videbatur militare assiduè: tantúmque erat glorioſus idem Sigirannus atque egregius Christi Confessor in sanctis artibus admirabilis, & in sancta conuersatione omnimodo præcipuus, vt illis in locis, quibus ipse natus erat, aut conuersatus fuerat, vix aut nullatenus reperiri posset, qui eiusdem imitari potuisset exempla.

II. Cuius etiam vita hinc inde longè latéque procul redolens propalata est in auribus istius sancti Desiderij, qui deuotus ad eum accedens, virtutésque cernens ait intra se vt mihi videtur melius est impollutum seruire Christo quàm per copulam huius mundi contagio inuolui mundano. Hæc intra se voluens prouolutus ante pedes beati Sigiranni, quid intimo corde gereret cum lachrymis patefecit. At ille vt semper erat charitate plenus, gratias agens Deo pro tanta petitione pueri, imo etiam pro Dei dono suscipiens eum in numero fidelium Monachorum collocare decreuit, ac deinceps dum aduiueret in cœtu inibi cohabitantium vnanimem esse delegauit. Hic autem Dei dilectus Desiderius in sanctitate quam cœperat humilis ac deuotus permanens adeo charitatis gratia cunctis se studuit reddere aptum, vt se cernentibus atque colloquentibus videretur vniuersis placere, & ab omnibus tanqam parens proximus summo studio coleretur & veneraretur.

III. Cuius quippe eximia sanctitate atque dono orationis B. Sigirannus prospiciens arbitrabatur eum fore dignum Sacerdotij honore fungi, sed vt intima cordis rimabatur arcana, in Dei famulo hanc adimplere studuit operam, ac sui capitis co-

mam vt perpetuò in Christi sorte Clericus permaneret totondit, atque ad eum quem desiderabat Ordinem Domino annuente eum perduxit. Contigit namque vt ab ipso beato Sigiranno transmitteretur in partibus Nirsaniæ, in territorio Bituricensi in loco qui vocatur Ruriacus in quo loco oratorium construxerat B. Sigirannus atque in honore sanctæ Dei Genitricis Virginis & Beati Galli consecrauerat, & ibidem Monachos in Dei seruitium delegauerat. Nihil enim proprium illic habebatur nisi Dei cultus, in quo indeficiens permanebat. Tantum quippe in Dei seruitio mancipatus Desiderius vt vix in terris inueniretur eius similis charitate præclarus, obedientia assiduus, humilitate præcipuus. Erat enim parcus in cibis, largus in eleemosynis, promptus in vigiliis, & in orationibus valdè deuotus, in Dei opere semper assiduus totis viribus luxuriam abstinentiæ fræno ac parcitatis agone coërcens, ne sibi aliquid subripere posset.

IV. Ad tanti viri famam cœperunt ad eum multi confluere viri & deuotæ fœminæ cupientes eius instrui disciplinis. Tum ipse beatus hoc prospiciens Desiderius in animo cœpit euoluere quatenus vnum institueret oratorium in Dei opere iugiter insistendum. Verumtamen vt cogitauit, ita & mente peregit. Denique edidit cellulam paruulam in honore glorioriſſimi domini Martini, in qua non paruas est virtutes operatus.

V. Illum semper diligens locum quem instruxerat in honore B. Martini, & semper amplecti desiderans, ipse quoque Beatus vir velut iubar veri luminis in orbe resplendens infirmitatum morbida, virtutum efficaciâ pellebat assiduè. Inspirante autem Dei clementia, qui vbi vult spirat, cœpit in animo voluere, vt se retruderet in carcere propter nimiam inquietudinem fidelium, qui ad eum confluebant.

VI. Sed ipse Dominus qui inuocantibus se semper adest & respicit super filios hominum vt videat opera eorum, quis est intelligens aut requirens eum, ostendit illi locum oratorio aptum quod ædificauerat in honore S. Martini ingredientibus sinistra parte contra Aquilonem. Dehinc à fratrum contemplatione remotus solitariè se inclusit in cellula orans assiduè Deum atque in vigilijs & lacrymis die noctúque sine ambiguitate perdurans incessabiliter. Conferebat ei denique deuotio fidelium plerumque pecuniam; sed non eam in abditis loculis, sed in pauperum condebat marsupio: illud Dominicum oraculum sæpe commemorans: *Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur: quia vbi fuerit thesaurus tuus illic erit & cor tuum.*

VII. Dabat enim hoc quod accipiebat propter Dei mandatum in diuersis necessitatibus indigentium illud commemorans: *Eleemosyna viri abluit peccata.* Denique æternus Dominus, qui iugiter glorificat sanctos suos, voluit vt sic vir Dei diu lateret in abditis, cœpitque in famulo suo mira operari, vt vel qualis esset suæ diuinitatis seruus ostenderet dum ei curationum gratiam dignatus est impartiri, adimplens illud quod ille locutus est non debere lucernam sub modio ponere, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant. De conuersatione quippe eius pauca locuti sumus, multa prætermisimus. Nunc ad virtutes, quas per illum medicabilis diuinæ potentiæ dextera in eum operari dignata est, accedamus. Cœcus quidam ad eum venit subtiliter eum rogans, qui dum alimenti aliquid postularet ipse almus Desiderius in oratione se prostrauit orans & deprecans, vt ipse Dominus in hunc seruum suum declararet cæleste mysterium.

VIII. Statimque ad eum accedens vir sanctus signo salutis super oculos impresso, protinus visum recepit, & qui alimenta petere venerat, ab ipso illuminatus abscessit. Alius quoque ex Aruernensi territorio puer huiuscemodi morbo laborans audita Cõfessoris Christi opera pro luminis perditi receptione precatur obnixè: nec moratur ille, sed inuocato Christi nomine, oculis eius digito crucem opposuit, mox verò defluente riuo sanguinis luminibus apertis lux intrauit. O beatum per omnia virum, cuius etiam signa & virtutes, quas per eum Christus gessit hinc inde declarantur in mundo. Quod si hæc tacueris, conscientia clamabit. Sed quid dicam plura? Nullas enim ante eũ vires habere potuerat persuasionis iniquæ præstigium, sed athleta Christi atque triumphator mundi, vitæ istius fugitiuæ iacturam facere cupiens tendere ad illam vitam voluit, quæ in exultatione perpetua manet, quæ nullo gemitu obstrepit, neque fine concluditur quod oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit, cuius lumen numquam extinguitur, cuius serenitas nulla obscuritate obtegitur.

IX. Sed ipse insidiator qui semper bonis inuidet perenniter voluit in Dei famulum immit-

Digitized by Google

immittere aliqua iacula. Quadam enim die dum solus in cella consisteret & oraret, ecce assistit ei vmbra teterrima, statione procera, crassitudine valida, colore tetra, oculorum scintillantium immensitatem in modum tauri petulantis habebat, ore patulo, quasi ad deglutiendum virum Dei parata. At ille facto signo Crucis, è contrà, in modum fumi ascendentis euanuit, quia phantasma fuit. Idcircò datur apertè intelligi ipsum principem sceleris fuisse diabolum, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, sed in seruo Dei minimè prævaluit; in ieiuniis verò, vt diximus, fortis erat. Cùm autem vitæ suæ terminum proximum agnouisset, retulit Fratribus dicens: Ante paucos dies vidi Paulum Apostolum cum Ioanne Baptista inuitantem me in requiem sempiternam: Ostenderunt autem coronam mihi cælestibus margaritis ornatam, & dixerunt ad me: Coronâ gemmis talibus decoratâ oportet animam tuam coronari in regno Dei. His dictis, ab oculis meis ablati sunt; iam enim tempus auocationis & decessus à corpore voluebatur.

X. Imminente autem vocationis horâ, cùm iam egredi de corpore vrgeret, conuenerunt Fratres, cunctáque familia, multíque ex vicinis locis affuerunt, flebántq; coram eo dicentes: Quare, ô Glorioſe, à nobis dissocias, vel quare nos derelinquis? At ille parumper lacrymans ait: Si pacem, sanctificationémque sequimini, Christus erit protectio vestra, & ego non discedam à vobis; sed inuocatus statim adero in medio charitatis vestræ. His & talibus virtutum magnarum gratiâ pollens beatissimus, impleto vitæ præsentis curriculo, percepturus æternam, Angelicis choris comitantibus, migrauit ad Christum, tantúsque odor suauitatis in cellula illius emicuit, vt omnium thymiamatum vel aromatum odores superaret. Dehinc cum summo honore ablutus, digníque vestimentis indutus, infra Oratorium sanctæ Mariæ est sepultus, cernentibus multorum circumstantium turmis, ibíque humatus aspicitur, & vsque hodiè confluentibus populis comprobatur.

XI. Hic autem beatissimus decimo quarto Kalendas Nouembris exitiale amisit funus in terris, cuius anima gaudens exultat cum sanctis in cælestibus, cuius sepulchrum miraculorum illustrium effectu plerumque redditur glorioſum. Seruo etenim ipsius Monasterij mentem inimicus dæmon obsidebat, qui ad sepulchrum beati viri debacchans, tandem eius est, vt credimus, oratione, ejecto dæmone purgatus, vt multos deinceps mente integrâ viueret annos. Ex ipso autem pago mutus veniens in oratione ante eius manus decumbens, corde tantùm implorabat, & non voce beati Confessoris auxilium deprecans: in cuius ore de memorata benedictione parte infusâ erumpente sanguine mixto cum pure meruit adipisci loquelam mutus. Verùm vt loquar plerisque febricitantibus, hic fuit beneficium remedij, cùm pallam tumuli sunt fideliter osculati, memor Dominus quod antè prædixerat: *Quidquid petieritis fideliter, accipietis.* Illud verò nequaquam putaui silendum, cùm de diuersis partibus confluentium multitudinum deferunt morborum (membrorum) genera per istius Sancti interuentionem inibi capiunt medicinam salutis.

XII. Verè admirabilis IESVS CHRISTVS Dominus noster, qui assiduè vbique dignatur operari in electis suis, qui in principio protoplastum facere opifex dignatus est: sed nequitiâ malignissimi anguis insidiando eum malignè circumuenit, & decepit. Sed veniens Mediator Dei & hominum D. N. IESVS CHRISTVS, homo fieri dignatus est ex incorrupta Virgine prodiens, Leo de tribu Iuda fortissimus, debellans sæuum antiquum, omnes nos à iugo seruitutis eripuit misericorditer. Quapropter, vt decet, laudes Deo ex intimo cordis agamus, qui propter nos humilians seipsum, formam serui susceptit, & gaudia nobis æterna repromisit; vbi exultant cum illo omnes electi, inter quos electus miles triumphat Desiderius, qui despectâ huius sæculi vitâ caducâ, elegit solitariam conuersationem in terris, vt postmodum cum Angelicis choris triumpharet in cælis. De talibus canit Psalmista: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Deprecemur ergo huius Sancti precibus, vt nobis suis almis intercessionibus impetret veniam à pio Iudice in cœlestibus cubilibus, operante hoc D. N. I. C. qui timentibus nomen sanctum suum, præmia largitur æterna, qui hunc glorioſum sociari voluit in gloria, vt regnans gauderet cum ipso, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

ELOGIVM HISTORICVM SANCTI DVLCARDI Monachi & Confessoris.

Ex Breuiario Bituricensi anno 1587. excuso, & ex MSS. codicibus Abbatiæ sancti Sulpitij.

TEmpore Clotharij Francorum Regis (quem plerique falsò atque imperitè II. siue Iuniorem interpretantur) effulsit Confessor memorabilis Dulcardus, qui Auarici Biturigum ex religiosis parentibus ortus, cùm annorum esset 12. & oues patris sui pasceret, solo quorumdam transeuntium Monachorum intuitu, relicto grege, oblitáque parentum cognatione, vt Monachus fieret apud Aureliam ad Monasterium Miciacense (cui tùm præfuisse volunt Abbatem Maximinum, virum sanctitate conspicuum, ibidémque floruisse Auitum Monasterij Oeconomum, Carilefum, Launomarum, Leobinum, posteà Carnotensem Præsulem, Lifardum, Leonardum, Viatorem, Lætum, Frambaldum, Eusitium, aliósque) properauit, vbi susceptâ monasticâ professione tonsuram adeptus, Psalterij scientiâ, & eius quod Ecclesiasticus ordo exposcit, cęteros præcelluit. Itaque oratione assiduus, castitate perspicuus, sobrietate & ieiunio præcipuus, humilitatem seruabat attentiùs. Sæpiùs veste exutus, pauperum nuditatem operiebat, atque contra malignos spiritus luctamen sumens, nulli carnis delectationi succubuit: cuius perspectâ sanctitate post sedecim annos ipse Ianitor Monasterij, licet inuitus, effectus est.

Qui cùm ob huius susceptam obedientiæ curam, multorum insidiis ac cachinnationi pateret, & omnia æquo animo verâ simplicitate sustineret, statuit cum tribus aliis Monasterij sanctissimis viris (Auito, Viatore, & Eusitio) Cœnobium deserere, & eremum appellere. Paucis itaque diebus in abditis Secaloniæ locis, supremo inspectori deuotissimè famulatus, tandem (postquam Auitus ad Miciacensis Monasterij præfecturam abductus est, & Viator ad Tremuliacum, Eusitius ad Cari fluminis crepidinem recessit) ad locum, qui Victoria olim appellatus est, non longè ab Auarico remotum, omnique hominum habitatione destitutum, ac opacissimo nemore circumfultum peruenit, vbi exiguo tugurio constructo, solitariam agens vitam, nihil aliud in cibo & potu præter illud quod humus spontè proferebat, agnoscens, vero Numini deuotæ seruitutis reliquâ ætate exhibuit obsequium.

In quo cum insigni conuersatione fulgens totâ mentis auiditate ad videndum Deum anhelaret, ipse ex humilitatis consuetudine, quantò plus deiiciebat se, gloriámque fugiebat, tantò magis virtute conscientiæ ad ampliorem sublimabatur. Quod in quodam energumeno propriâ oratione liberato, qui ad hospitij eius ianuam accedens, eúmque velut agnitum proprio nomine, vt ei misero parceret, inuocans contigit. Nam diuulgato miraculo cœperunt vndique ad eum quique infirmi confluere, quos per manus impositionem oratione sanos reddebat: nulla etenim infirmitas ibi locum habebat, vbi beatus Confessor vim orationis adhibebat. Tantis igitur virtutibus clarus, eius appropinquante exitu, à sancto Auito Abbate visitatur, quem obnixè precatur vt in sepulchro, quod sibi parauerat, proximè moriturum sepeliret. Quo annuente, Dominici corporis & sanguinis communione munitus, dum lætabundo animo hunc Psalmum: *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus*, occineret, erectis in cœlum manibus, inter orationis verba octauo (in quibusdam MSS. sexto) Kalendas Nouembris migrauit à sæculo. Longo verò post tempore, vbi sepultum est corpus eius, fabricata est condigna eius meritis à Præsule Bituricensi Ecclesia, in qua, Dei operante gratiâ, plurima fiunt miracula.

Ex his, præsertímque Auiti Miciacensis Abbatis tempore tam apertè designato, quem Claudius ipse Robertus in Gallia Christiana obiisse affirmat anno Christi DXXXVI. Iulij die 17. castigari debet ipsiusmet Roberti, aliorúmque supina in tractandis rebus chronologicis ἀβλεψία, cùm ad S. Sulpitij Pij ætatem, hoc est, annum Christi circiter DCXXX. reuocauit Dulcardum hunc nostrum hisce verbis: Sulpitij Pij tempore floruit Dulcardus in Ambiliaco Monasterio, apud Vsuardum, (emendatius dixissent in Additionibus Molani ad Vsuardum) & in Breuiario Bitu-

ricensi, die 25. Octobris, cuius loci Ecclesia Parochialis iuncta est Archipresbyteratui vrbis. Eodem quoque errore delusi, sanctos Eusitium, Leopardinum, & quosdam alios ad inferiora eiusdem Sulpitij tempora demiserunt, vt posteà suis docebimus locis.

ELOGIVM HISTORICVM S. EVSITII Abbatis ad diem 27. Nouembris.

SAnctus Eusitius Petragoricæ vrbis indigena, apud Gemeliacum vicum natus est ex tenuis fortunæ parentibus, qui grassante fame coacti, relicto patrio solo, in Prouinciam Biturigum commigrare, vt absque ciuium improperio opportunam parandi victus facultatem nanciscerentur, cùm neque hoc ex voto succederet, vnum aliquem ex liberis pretio distrahere statuerunt.

II. Erat eo tempore in pago Bituricó locus Religione glorioſus, Patriciacus dictus, in quo Monachi diuino famulabantur obsequio sub regulari disciplina Abbatis, qui Eusitium à parentibus suis vænum expositum numeratâ pecuniâ redemit, atque intra Monasterij septa admissum, depositâ post aliquod tempus comâ, attondit in Monachum, & culinæ primùm, tùm clibani, ac pecorum ministeriis deputauit, quibus sedulò peractis, ad sacerdotij apicem euectus est.

III. Solitariæ vitæ incensus desiderio, ex Abbatis Fratrúmque licentia petiit abditissimum locum nemoribus consitum, antiquo vocabulo Priſciniacum dictum, haud procul fluuio Caro, quo liber à sæcularibus curis, purgatum mentis oculum diuinæ contemplationi intenderet. Ibi ergo humili casâ & oratorio exstructis, pane hordeaceo, modicisque oleribus famem, aquâ profluente sitim sedabat, cilicio tectus incubabat cineri, & post sanctarum orationum munia, post irrigua dulcium lacrymarum fluenta, post sacræ lectionis incitamenta, excolendis nutriendisque apibus vacabat: vnde miracula illa quæ Gregorius Turonensis & vitæ auctor recitant, illúdque dictum insigne: Caue ne vltrà repetas, quia furtum Satanæ pecunia est.

IV. Ad hunc iam senem accessit admonitus à sancto Deodato, aliisque, Childebertus Franciæ Rex in Hispaniam cum exercitu profecturus aduersus Almaricum Gothorum Principem, qui sororem Regis, quam sibi ante aliquot annos coniugio sociarat, ob Religionis Catholicæ pertinacem cultum, duriùs tractabat. Cúmque sancto seni quinquaginta aureos obtulisset, ait senex: Quid mihi ista profers? Illis, qui ea pauperibus largiantur, adtribue: mihi autem necessaria hæc non sunt; vade, & victoriam obtinebis, & quod volueris ages. Tunc Rex aurum pauperibus erogans, vouit, vt si eum Dominus cum sua gratia de itinere illo reduceret, in honore Dei Basilicam in eo loco ædificaret, in qua senis membra quiescerent, quod posteà adimpleuit. Hæc verò paulò aliter narrantur in eius gestis MMSS. vbi de captiuis sermo est.

V. Quartanariis aquâ benedictâ; infantibus, quibus fauces intumuerant, solo tactu, aliisque infirmis frequenter curatis, tandem præuiso mortis die, decessit è viuis quinto Kalendas Decembres, seu 27. Nouembris, eique in Abbatis munere successit Leonardus, pauperum cultor, sui contemptor, & B. Eusitij ardentissimus imitator. Porrò Vulfinus quidam è regio stemmate vir eximiè pius, impetrato à Rege quem super Cari fluuium habebat, honore tradiderat se sancto Eusitio in Monachum, multásque villas & prædia Cellulæ eius, quæ Cella sancti Eusitij deinceps appellata est, *Celle, ou Selles sur Cher en Berry*, subjugarat, &c.

VI. Pauca hæc delibauimus tùm ex capite 82. de Gloria Confessorum Gregorij Turonensis, tùm ex vitis calamo exaratis, siue eâ, cuius fragmenta tantùm vidi pag. 534. Tomi primi Historicorum Franciæ editorum ab Andrea Du-Chesnio, siue aliâ longè tersiori, quam cum quibusdam miraculis ab eodem Sancto patratis reperi in membranis penè vetustate consumptis, quas mihi exhibuit D. Iacobus Gaucher, Regis in Præfectura Virzionensi Aduocatus, siue ex ea quam modò subiiciam, descriptam ex veteribus schedis Collegij nostri Claromontani Parisiensis.

VII. In antiquis Bituricensis Diœceseos Breuiariis, 27. Nouembris peragebatur S. Eusitij Confessoris festum simplex trium Lectionum, cum memoria SS. Agricolæ & Vitalis. At ab anno 1587. Octaua sancti Mandeti duplici peragebatur Offi-

cio, cum commemorationibus SS. Eusitij atque Martyrum. Nunc verò ab anno 1625. omnia hic protinùs facta sunt alba, relictúsque est simplici feriæ suus dies, vt obseruauimus in Notis ad Kalendarium Bituricense. Quis verò sit sanctus ille Eusirius Confessor, qui tempore sancti Sulpitij Pij claruisse diuinæ gratiæ copiosis insigniis, & obiisse apud Bituricas perhibetur 25. Nouembris, fateor ignorare me penitùs, cùm in Patriarchio nostro abundè iam refutarim errorem Claudij Roberti, qui in Nomenclatura Abbatiarum Galliæ nostrum hunc Eusitium Cellæ fundatorem primum ad sancti Sulpitij Pij tempora demisit, centum circiter annis tardiùs quàm oportuerit.

VITA SANCTI EVSITII CONFESSORIS.

Descripta ex veteribus membranis quæ penes me sunt.

PROLOGVS.

DVm Sol iste corporeus imperato sibi ab æterno Deo ministerio diurni cursus perficit munus, seque nostris obducens obtutibus, ad rediuiuum festinat ortum, si rosea polum facies, si noctem fulgurantia detexerint astra, si alta elatus fueris specula, datur tibi videre mirarique quàm mirabili decore, & inuestigabili ratione vertigo voluatur cœlestis sphęræ, & inconfuso ordine Solem consequentia sibi inuicem succedant astra, dum his occidentibus, alia oriantur, donec erumpens Aurora, & clarus Lucifer rediuiui Solis nunciet ortum, qui iubare claritatis inuictæ sidera contegat cuncta, rapidísque in sublime porrectus quadrigis, se solum toti manifestet mundo. Quem ergo iste Sol qui corporeis infulget oculis, quem alium nisi illum significat, de quo scriptum est: *Vobis autem timentibus nomen meum, orietur Sol iustitiæ.* Quid astra istum Solem consequentia, nisi Sanctorum & præcedentium & subsequentium designant agmina? Quid non, &c. *quæ ad Historiam nihil faciunt.*

Locuturi ergo de vita & virtutibus præclari Patris Sulpitij, supplici corde gratiam postulemus Spiritus Sancti, vt eius munere digna loqui mereamur, qui linguas infantium facit disertas, qui in superbis communionem vnius linguæ confudit, & ad eruditionem vniuersarum gentium Apostolis suis omnium linguarum scientiam dedit. Quamquam igitur alia claritas sit Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, & stella ab stella differat in claritate: hunc gloriosissimum Patrem, etsi Arcturum non dicimus, nec inter Oriona ponendum censemus, inter eos tamen qui Hyadum expressione signati, in faciem Ecclesiæ sanctæ tempore pacis prodierunt omnimodis adscribendum prædicamus. Nam si riuos non profudit magnæ eloquentiæ, bonorum tamen operum claritate, & compunctionis gratiâ, quasi quibusdam pluuialibus guttis multorum arentia corda rigare non desiit. Miraculorum quoque fulgore, quæ vel viuens in corpore operatus est, vel post obitum apud sacros suos cineres operari non cessat, quibusdam quasi radius mundum illuminat, mentésque contuentium ad laudem communis Creatoris inuitat.

Hic igitur Petragoricæ vrbis indigena, apud Gemiliacum vicum natus, & alitus est. Huius parentum mediocritas multa, & tenuis vitæ tramitem pauperies inclinata ducebat. Verùm, quia apud plurimos nobilitas carnis præbet ignobilitatem mentis, huic, quia carnalis nobilitas aberat, ingenuitas mentis omnes mores & opera ab ipsis infantiæ rudimentis commendabat. Porrò eo tempore in terra illa valida fames exorta, inopes quosque velut sibi familiares & propinquos atrociter populabatur. Distractis igitur omnibus quæcumque huic necessitati occurrere potuissent, non inueniebant parentes eius vnde victus inopiam temperarent. Vnde factum est, vt patrio solo relicto, pagum Bituricensem expeterent, quo alimentorum copia, & absq; notorum improperio parandi victus dari poterat facultas opportuna. Cúmque à parentibus vel amicis longè afforent, & in extera regione positi, malum inopiæ temperare non valerent, ad id ventum est consilium, vt vno ex liberis emptoribus exposito, reliqui pretio distracti alerentur. At verò venerabilis puer Christi imitationem iam mente concipiens, qui semetipsum Deo Patri obtulit pro mundi redemptione;

nihilominus & hic parentibus ſuggeſſit, vt ſe abſque cunctatione diſtraherent, quo & ipſi & fratres reliqui tantæ neceſſitatis anguſtiam euadere poſſent.

Erat in eodem tempore in pago Biturico nobilis locus, opibus fertilis, religione glorioſus, Patriciacus vocabulo dictus: nam in eo monachalis concio ſub regulari diſciplina, & Abbatis imperio peruigili Domino famulabatur obſequio. Ad hunc ergo pater Euſitij cum filius veniens, Abbatem Fratréſque ſupplex adiit, & neceſſitatem inopiæ querulâ voce depromit, & vt miſerorum miſererentur expoſcit. Vix itaque vnius diei alimenta ab eis ſuſcipiens, Euſitium coram Abbate & Fratribus deduxit, eúmque ad ſui filiorúmque ſuſtentationem venalem expoſuit. At verò Abbas elegantem intuitus puerum, præſago ſpiritu futuræ gratiæ in eo cognouit donum. Dato itaque pretio emit famulum, quem in Chriſti diſciplina poſtmodùm habiturus erat adjutorem opportunum.

Euſitius igitur à patre diremptus, atque à Fratribus in Monaſterio ſuſceptus, gratiâ puræ humilitatis prædituſ, in omni Fratrum obſequio efficiebatur promptiſſimus. Calceamenta Fratribus ipſe detrahens & abſtergens, coquinæ officia fideli animo complens, cunctáſque Monaſterij munditias incunctanter efficiens; tantæque obedientiæ humilitate prædituſ erat, vt nulli dubium foret in eius ſacro pectore IESV CHRISTI Domini gratiam habitare. Vt ergo irreprehenſibiliter Fratribus deſeruiret, iubente Abbate, Fratribuſque admitentibus deponitur ei coma, viuendique traditur regula, ſicque illum coquinæ ſuſcipit officina. Diebus ergo quæ neceſſaria erant Fratribus præparabat; noctibus vero Eccleſiam frequentans, & pauimenta verrens, orationibus & lacrymis peruigil indeſinenter vacabat. Remotus à coquinæ officio, iubente Abbate, piſtorum adjunctus eſt numero: cuncta quæ iubebantur, inuictâ patientiâ ſine murmurationis complebat elogio. Iámque Chriſti cooperante gratiâ inter manus eius cuncta Monaſterij multiplicabatur ſubſtantia, in tantum, vt ſodalium acerrima iam laboraret inuidia.

Fertur denique, dum quodam die panem Fratribus præpararet, clibanóque ſuccenſo, tempus adeſſet quo panis imponi deberet, à maleuolis ventilabrum ei quo panis inferri ſolitus erat, ſubduceretur. Sanctus Euſitius non inuento ventilabro, Crucis edidit ſignum, ingreſſúſque clibanum nudis & illæſis manibus panis ſternit aceruum. Sæpiùs ergo intrans & exiens, quaſi roſeos flores igneos calcabat vapores; Nec in vllo potuit lædi protegente ſe gratiâ Chriſti. Verè iſte non minor tribus pueris extitit, quos diuina clementia à Chadaïcis eripuit flammis. Illi pro contemptu aureæ ſtatuæ in fornacem ſuccenſæ & furentis miſſi ſunt flammæ: Euſitius ſponte ſuccenſum ſubiit clibanum, ne Fratres, dominóſque ſuos dilatæ menſæ læderet ſcandalum. Ibi inter tres, qui eos eriperet medius Dei filius apparuit; hic etſi corporeis non fulſit oculis, præſens tamen diuinitatis potentia, fidelem famulum ab ignis incendio liberauit. Abbas igitur iam dicti Monaſterij, vt famulum Dei de virtute in virtutem ſcandere vidit, eius fauens operibus, negligentioribus Fratribus illum imitandum, illum ſequendum proponere cœpit.

Verùm, quia bonorum vita, vt de Redemptore noſtro beatus prædicat Simeon, aliis eſt in ruinam, aliis in reſurrectionem; dum nonnulli bona quæ vident, non ſolùm non ſectantur, ſed potiùs inuident: Alij verò contemplatione boni operis, feruore ſpiritus accenſi, meliores fiunt; ſurrexit etiam contra hunc peruerſa æmulatio, quæ beatis eius inuidens operibus, potiùs feſtinaret ad ruinam detractionis, quàm ad reſurrectionem ſacræ imitationis. Suggeritur ergo Abbati, vt eum à Monaſterio auelleret, & ad comprobandam illius patientiam, cuſtodiendi gregis committeret curam. Porrò ille, cuius iam mentem humilitatis & obedientiæ penetrauerat amor, lætus atque alacer imperata ſuſcepit, & ad gregis commiſſi cuſtodiam feſtinus acceſſit: cuius humilitatem diuina reſpiciens pietas, quæ olim Ioſeph malitia fratrum in Ægypto venditi varios labores multimodâ miſeratione conſolata eſt; nihilominus Chriſti gratia contulit, vt ſub manibus eius ſubſtantia fratrum, pecus videlicet commiſſum non modò non aliquod pateretur damnum, verùm quotidianum per Dei gratiam acciperet incrementum. Vrebatur igitur fidelis Dei famulus, vt Iacob de ſe ſub Laban proteſtatur, æſtu per diem, & gelu per noctem; ſed (vt dicit Salomon) Non contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit. Hic quoſlibet caſus, aduerſóſque labores non ad impatientiæ vitium, ſed ad virtutis exercitium transferebat: nimirùm cor eius in Domino confirmatum, & ineffabili illius dulce-

dine medullitùs iam imbutum, immobile ſtabat, donec deſpiceret inimicos ſuos, illos videlicet inimicos, qui ad conturbandam fratrum concordiam, peruigili malitiâ militare non ceſſant. Probatâ autem eius multimodis argumentis patientiâ, Abbatis imperio reuocatur, eóque iubente, ſacerdotij officio functus, ſacris Altaribus applicatur. Tempus etenim erat, quo lucerna ardens & lucens, iam non modio ſupponeretur, ſed ſuper candelabrum Eccleſiæ ſtatuta, vt cunctis in domo Dei conſtitutis claro lumine panderetur.

Iam ergo aliquod tempus in Monaſterio faciens, mirum dictu eſt quantâ humilitate & abſtinentiâ miles Chriſti ſemetipſum mactabat, & cohabitantium animos ad imitanda pij exercitij exempla prouocabat. Sanè quia eius mentem iam anachoreticæ dulcedinis occupauerat amor cum voluntate Abbatis fratrúmque aſſenſu quemdam abditiſſimum expetiit locum, quo liber ab omnibus ſæcularibus curis purgatum mentis oculum in diuinæ contemplationis obtutus infigere poſſet. Idem verò locus antiquo miraculo Priſciniacus dictus ſuper Charum fluuium poſitus, nemoribus conſitus, immurmurantis fluminis vicinâ apricitate iucundus, mundiales fluctus refugientibus ſatis erat in omnibus opportunus. Hunc ergo locum Dei expetens famulus, paruum in eo ſibi conſtruxit habitaculum, altrinſecúſq; erecto Altari ædificauit Oratorium, quo diebus noctibúſque diuinæ contemplationi inhærens expectabat eum qui ſe ſaluum faceret à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Cibus eius panis hordeaceus cum modicis oleribus erat, aqua potus, & ille permodicus, humúſq; ſolida ſuper aggeſtum cineris amabilis ſtratus. Ipſe verò cinere & cilicio tectus, non ſolùm pretioſarum veſtium, ſed quarumcumque vilium contemnebat amictus. Fruebatur igitur vir beatiſſimus tranquillo in ſolitudine otio, & mentis illius oculum à contemplatione æternorum nulla temporalium ſollicitudinum impediebat caligo. Vt enim fluminis curſus, ſi per multos diuidatur alueos, in ſui principali magnitudine minuitur; ſic mens humana, quò ampliùs in curis diffunditur huius mundi, eò ampliùs anguſtatur à contemplatione Dei.

Porrò hic vir Deo plenus, præcedentium Patrum imitator perfectus, à terrenorum fluctuum inquietudine ſe ſe reuocans, & intra arcanum cordis habitaculum, totum ſe recolligens, dilatato corde ineffabili dulcedine mandatorum Dei, cuncta quæ voluuntur ſupergrediens, ſingulari directáq; intentione ſuſpendebatur ad contemplanda gaudia cæleſtis vitæ. Mortificauerat quidem in ſemetipſo ſollicitudinum mordacitatem, non tamen penitùs corporalem aſpernabatur laborem: Legerat enim Paulum poſt tertium cæli aſcenſum, & poſt Paradiſi arcana reſerata ſibi, inter ipſa ſanctæ prædicationis indefeſſa ſtudia, ſcenofactoriæ artis, ne aliquem credentium grauaret, inſtitiſſe labori. Hâc imitatione vir iſte informatus, poſt ſanctarum orationum munia, poſt irrigua dulcium lacrymarum fluenta, poſt ſacræ lectionis incitamenta, in excolendis & enutriendis apibus monaſticæ profeſſionis non inconuenienti laborabat curâ.

Quarum prouentus dum per gratiam Dei multimodis proficeret incrementis, quidam ex vicinis cupiditatis igne ſuccenſus, furuo noctis tempore apiaſtrum ingreſſus, ingens vas melleo nectare plenum collo imponit, & ſic ad propria remeare feſtinat. Sed imperio non dormitantis, neque dormientis qui cuſtodit Iſraël, velut clauſus in antro labyrintheo complicibus in ſemet reuolutus greſſibus, noctis quidem ſpatium iter agendo conſumpſit, hortuli tamen aditum inuenire nequiuit. Erumpente itaque Aurorâ, iámque Sole cuncta quæ tenebræ obduxerant, denudante, vir Dei egreſſus, reperit furem reatus ſui indicia præ manibus ferentem: multóque affectus gaudio, non tantùm de inimici comprehenſione, quantùm de miſericordia prouidentiæ ſupernæ alacri vultu, & tranquillâ voce ſic eum affatur: Quid, frater cariſſime, cum peccato feſtinas tollere, quod te oportebat cum humilitate rogare. Certè in tanta nequitia deprehenſus, ſeueritati legum iuſtè fueras præſentandus: noſtrum autem eſt, qui Chriſti diſcipuli ſumus, bona pro malis reddere, & grata beneficia pro illatis diſpendiis compenſare. Ignoſco ergo tuæ culpæ, & admoneo vt tuæ paupertatis inopiam, Sanctorum beneficio potiùs quàm furto conſoleris. Ille hæc audiens, pudore conſcientiæ conſternatus, onus quod iniuſtè ſuſtulerat, depoſuit, & ſacris pedibus eius prouolutus, indulgentiam flagitare cepit. Quem benigniſſimus vir à terra eleuans in cellam introduxit, menſáque appoſitâ, alacriter ſatiauit, collatóque mellis munere, emendatum, meliorémque ſic ad propria remeare permiſit.

Igitur beati viri crebrescente famâ, multi ad eum vndique cœperunt concurrere, alij voto inueniendæ salutis, alij vt beatissimæ illius vitæ informarentur exemplis. Inter cæteros verò quidam languidi parentes filium proferunt, cuius faucium meatus cùm ingenti tumore nimius dolor oppressérat, intantum, vt non dicam cibum; sed ipsum quoque potum aliquatenus sumere posset. Hunc ergo ei exponunt orantes, vt manu salutari consignatum, pristinæ redderet sanitati. Vir autem Deo plenus, vt ægrum conspexit, cognouit eum ex vitio animæ vitium corporis incurrisse, & alacri vultu, vocéque tranquillâ, vt ei moris semper fuit: Iustè, inquit, ô gula, hanc calamitatem pateris, quæ iusto prandendi tempore contempto ad escam indifferente accedis. Hoc dicens beatissimus Christi Confessor Eusitius, Crucis signaculo collum guttúrque languentis consignauit, & oleo benedicto pervngens, integerrimè eum sanitati restituit. Sed ille reuersus ad propria, increpationem viri Dei toto corde retinuit, & tantæ sobrietatis sectator factus est, vt ante horam nonam, nisi magnis & difficilibus interuenientibus causis cibum nullatenus adtentaret.

Iam verò cateruatim cerneres ad virum Dei languentium properare multitudines: sed eorum nemo qui ex fide accessisset, absque fide salutis gaudio ad propria remeabat. Angustum reddebatur totum illud habitaculum turbis venientium atque redeuntium, fiebátque ingens gaudium omni animæ, qui ad virum Dei potuisset peruenire. Excubabat ante eius limina Præsulum, clarissimorúmque virorum frequentia, quos non solùm de vicinis, sed etiam de remotis vrbibus magni eius meriti prouocabat fama.

Porrò Fratres, qui eius toties lacessiuerant innocentiam, contrito corde, & humiliato spiritu ad eum venientes, prioris ignorantiæ confitebantur reatum, petentes indulgentiam, ne pro commissis in seruum Dei erroribus, diuinam experirentur vindictam. Sed ille memor sacri eloquij dicentis, non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum: Non modò veniæ facilis erat, sed sæpiùs in lacrymas resolutus, quasi ipse peccasset, eorum humilitatem præuenire attentiùs festinabat. Si quis ergo inter eos vel dentium dolorem, vel capitis pateretur incommodum, vel qualibet aliâ aduersâ valetudine laboraret, illicò ad virum Dei festinabat, compósque sanitatis quæsitæ, ad contubernium propriæ societatis remeabat. Videmus in nostro Ioseph beati & antiqui illius Ioseph remeasse gloriam, quem proprij fratres, ne adorarent, vendiderunt. Sed quia vendiderunt, ideò adorauerunt. Et qui eius nomen, ne apud eos conualescceret, exstinguere conati sunt, eò, vt non apud se tantùm, sed apud exteras etiam nationes in infinitum proficeret, & vsque ad Regiæ majestatis culmen diffunderetur, materiam præstiterunt. Ille ab æmulis Fratribus ideò adoratus est, quia venditus; iste suorum multis lacessitus iniuriis, quibus subjacuit humiliter, eis prælatus est priuilegio virtutum potenter. Ille patrem, cunctámq; seriem germanitatis à famis periculo liberauit, iste nihilominus parentes terrenos seipsum tradendo, demùm spiritales, quos acquisiuerat fratres, à multimodis necessitatibus obediendo seruauit.

Per idem tempus inter Francorum Proceres, & Gothos Hispanias habitantes, longa & diuturna conflictatio habita est. Clodoueus etenim ille Magnus Rex Francorum, qui primus omniũ Regum illius gentis baptismá salutis à S. Remigio Remorum Episcopo indeptus est, & Gothos ab Aquitania expulit, Regémq; eorum Alaricũ interficiens, filium eius Amalricum in Hispanias fugere coégit: sed Rege Clodoueo mortuo, idem Amalricus amicitias filiorum eius vehementer expetens, sororem eorum in coniugium postulauit. Quam cum muneribus multis acceptam in Hispaniam conduxit, eámque sibi in matrimonio copulauit. Sed quia idem Arrianæ prauitatis sectator erat, & eâ quam à Francia deduxerat Catholica pietate pollebat, omnem amorem quem erga eum habuerat, in odium conuertit, & zelo peruersitatis suæ crudeliter eam affligere cœpit. At illa fratribus nuntium dirigit, cum veste sanguine suo cruentata, vt eos ampliùs ad ardorem suæ vltionis incitaret.

Childebertus igitur Rex frater eius cum ingenti exercitu Hispanias ingreditur, cum Amalrico confligit, eúmque interficit: Toletum peruadit, victórq; cum ingentibus spoliis, & captiuorum immensâ multitudine sororem suam secum adducens, Francorum fines repetere disposuit. Cùm verò iam fines Biturigensium attingeret, fama beati viri Eusitij eius occupauit aures. Festinus ergo Rex ad visendum virum

Dei properat, & Regiæ ſublimitatis oblitus, crinigeram ceruicem Sancti eius manibus, vt benedictionem mereretur, inclinat, ſimúlq; vt beatis eius meritis ſanus & incolumis, & matrem Chrochildem, dilectámq; ſibi poſſet reuiſere Pariſiacam ſedem. Porrò beatiſſimus vir debitas Chriſto gratias referens, quod eum non ſolùm per quoſlibet nobiles & illuſtres, ſed etiam per ipſos viſitare dignaretur Reges, capiti Regio manum imponit, & cum Crucis ſtigmate traditâ benedictione Regi Regum Chriſto multimodis eum precibus commendauit. Iámque reuerſurus, trecentos ei ſolidos obtulit, petens humiliter vt eos benignè ſuſciperet, & pro eius erroribus apud communem Iudicem pius interuentor ſemper adeſſet. Vir autem Domini ſolidos quidem ſuſcepit, ſed aliud munus quod diuinæ pietati acceptabilius foret, à Rege poſtulauit, dicens: Si aliquid, piiſſime Regum, tuæ celſitudini, quod noſtræ paruitati gratum videatur conferre placet, nihil gratius, nihil munificentius habet, quàm vt omnes captiuos, quos victoria tua, & dura captiuitas à ſedibus propriis fecit extorres, tu pro Chriſto, qui nos à captiuitate diaboli proprio exemit ſanguine, à vinculis captiuitatis relaxes. Quod acceptum cùm Domino contuleris, murus ipſe regni tui, fautor & corporis & animæ cuſtos erit opportunus. Quod cùm Rex audiſſet, libentiſſimè annuit, datáq; illicò præceptione, omnes captiuos per totam Prouinciam iubet inquiri, & à vinculis captiuitatis abſolutos ad propria remeare. Iſta indulgentia viro Dei præſtita, eiúſq; ſanctis orationibus, & benedictione fretus, lętus Rex atque alacer Pariſius regreſſus eſt. Vir autem Domini eoſdem ſolidos quos à Rege acceperat, in redemptione eorundem captiuorum erogauit, & vbicumq; inuenire eos potuit, propriis beneficiis adjutos, ſuæ patriæ gaudentes reſtituit.

Poſt hæc vir beatiſſ. fulgore virtutum iam mundo manifeſtatus, tantam gratiam à Domino conſecutus eſt, vt diem ſuæ reſolutionis à corpore noſſet, fratribúſq; ſuis illum prænuntiando manifeſtaret, móxq; leui tactus incommodo diem ſupremum non anxius timebat, ſed vt vitæ ingreſſum, & laboris ſui præmium vehementer amabat. At vbi dies optata venit, ipſis iam incumbentibus vmbris, Fratres, qui ad eum viſitandi gratiâ conuenerant, ſpiritalibus inſtruens monitis, ſéque ſacroſanctis muniens Sacramentis, carnalibus relictis exuuiis, fœlix illius anima cæli penetrauit ſecreta. Deceſſit autem in Domino quinto Kalend. Decembrium, & cum omni diligentia in Oratorio quod ſibi ædificauerat, à Fratribus ſepultus eſt: In quo loco multa & innumerabilia miracula operatur Chriſti clementia, & vſq; in hodiernum diem ex fide petentibus præſtantur congrua vota.

Beatiſſimo igitur Euſitio felicibus meritis aulam Paradiſi iam ingreſſo, quidam vir nobiliſſimus ex ipſo regio ſtemmate oriundus, nomine VVLFINVS, miraculorum potentiâ, quæ ibi Chriſtus operatur, compunctus, ſuper ſepulchrum beati viri elegantem ædificauit Baſilicam, locúmq; aptis ornauit ædificiis, electóſq; Monachorum conſtituens de rebus proprij iuris eundem locum ditauit; & quod pia ſuggeſſit voluntas, teſtamenti confirmauit authoritas, ne collatum à ſe beneficium vlla oblitteraret vetuſtas. Succeſſit autem B. Euſitio LEONARDVS, hęres digniſſimus, pauperum cultor, ſui contemptor, & B. Euſitij, ac quorumcumq; Beatorum ardentiſſimus imitator. Horum ergo Sanctorum locus ille inſignis multis & innumeris illuſtratur virtutum miraculis, præſtante D.N. IESV CHRISTO, cui eſt cum Patre & Spiritu Sancto gloria, laus, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ampliorem, atque ab hac noſtra paulò diuerſam S. Euſitij hiſtoriam nactus fuerat Andreas Ducheſnius, vt ex fragmentorū, quæ edidit To. I. ſedulâ collatione ac diligenti lectorib. cōſtabit.

VITA SANCTÆ EVSTADIOLÆ ABBATISSÆ.

Ex Codice MS. Eccleſiæ Collegiatæ, dictæ vulgò, Medij Monaſterij, in vrbe Bituricenſi.

FVit in vrbe Biturigenſium illuſtriſſima quædam fœmina, nomine Euſtadiola, tempore quo venerabilis Pontifex Sulpitius Biturigenſem optimè gubernabat Eccleſiam. Hæc autem fœmina etiam in ſæculari adhuc habitu religioſam ducebat vitam, orta clariſſimis parentibus, ac ſecundùm ſæculi dignitatem, nobilitate ſenatoriâ florentibus; & quod his eſt nobilius, ſic catholicâ pollebat doctrinâ, vt nullus eam hæreticus valeret ſeducere. Nobilis erat fide, & nobilior opere; ſæculi dignitate inter ſuos ciues clara, & in diuinorum munerum gratia pretioſa.

Igitur

Igitur cùm à flore suæ infantiæ esset literis sacris instituta exercitio disciplinarum, erudiebatur religiosis moribus, & in cunctis erat subjecta parentibus. Crescente vero ætate & gratia prudentiæ erga illam omnium affectus crescebat. Itaque parentes eius timentes ne forte recedentibus illis de mundo, hæres succederet extraneus, cœperunt eam exhortari ac ei imperare vt ad propagandum genus illorum nuberet, ingerentes ei dictum illud Apostoli: si nupserit virgo, non peccabit. Erant enim opulentissimis valde possessionibus atque facultatibus per Galliarum & Aquitaniæ fines nimium dilatati. Tamdiu ergo persuaserunt filiæ suæ donec ipsa permisit se viro legitimo sociari, cumque iuxta suos natales sortita esset honorabile connubium & thorum immaculatum, atque genuisset vnum solummodo filium nomine Tetradium, vir eius finem vitæ præsentis faciens migrauit à sæculo.

Nobilis autem puella cum morte viri sui fuisset viduata & feruente mundi cupidine ad iterandum thalamum & opes & ætas eam vocarent, elegit magis spiritalibus nuptiis copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, sed ad gaudia sempiterna peruenitur, quam carnalibus nuptiis subiici, quæ à lætitia semper incipiunt & ad finem cum luctu pertingunt. Soluta enim à lege viri maluit Apostoli consilium sequi dicentis; Beatior erit si sic permanserit secundùm meum consilium. Afflata ergo Spiritu Sancto, vt sine mundi sollicitudine esset & tota Christo militaret, abjecto sæculari habitu, sic in omnibus semetipsam omnipotentis Dei seruitio mancipauit, vt propter Euangelium omnia sua relinqueret, vt Dominus ait: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Pauperibus enim propter Saluatoris præceptum dedit res suas; sed præcipuè pauperibus Deo seruientibus. Nam imprimis domos, quas intra mœnia Biturigæ ciuitatis possidebat in honore S. Mariæ semper Virginis, vel B. Martyris Eugeniæ Basilicas dedicari fecit & ex abundantia thesaurorum suorum, ex vasis aureis & argenteis, margaretis electis, gemmarumque variis generibus adornauit Ecclesias, faciendo cruces, candelabra, calices & reliqua vasa sacro mysterio congrua: sed & libros ac turres construendo: vestimenta quoque sacra fecit & palliis pretiosis quæ manu propria cum suis puellis opere elegantissimo poliuit cũ fresis aureis & altaria procinctorijs ac parietes cortinis ornauit. Sed & Monasterium atque Cœnobium dignũ ædificauit sibi suisque puellis & ex fœminarum sexu iuxta normam regulæ paratarum viuere magnum ibi inclusit agmen quæ ad exemplum B. Eustadiolæ sua omnia relinquentes & sé Deo plenissima voluntate vouentes propositum seruare castitatis & adornari studuere virtutibus cæteris. Igitur cum S. Eustadiola memoratum Monasterium consummasset, omnes suas villas ac facultates ita per testamentum iuxta legem sæculi & canonicam institutionem ibidem delegauit atque dicauit, vt ex numquam vlterius iure hæreditario deinceps vel ipsa vel aliquis possideret, sed illa esset vna ex ijs quæ per eius exemplum semetipsas vouerent Christo. Plurimæ vero puellæ harum exemplo ad cœlestem patriam anhelantes respuerunt carnales sponsos vt cœlestem & immortalem sponsum inuenire mererentur. Gaudebat Monasterij mater Eustadiola de sancto studio filiarum. Quis autem dicere valeat quanta humilitate ipsa se dejecit, vel quanta se abstinentia macerauit, aut quantæ charitatis, quantæque bonitatis extitit? Per septuaginta annorum spatia nec quadrupedum nec auium carnes aliquas in cibum sumpsit. Si inter potentes sæculi aliosve orta esset altercatio vel odium, sic suis locutionibus, si prope; vel literis, si procul essent, eos pacificabat, vt numquam vlterius ad pristina redirent scandala; sed & plurimas sanitates per eius orationem Dominus operatus est, ita vt etiam ex aqua de qua manus aut faciem lauabat cœci visum reciperent & ab alijs languoribus varijs plurimi sanarentur.

Quodam tempore tanta erat siccitas vt cœlum putaretur quasi æreum & terra velut ferrea: Eustadiola autem Dei famula dum more solito gratia orationum ad Basilicam Beati Pauli Apostoli iuxta muros exterius portam, in quâ delectabatur nocte ac die in oratione atque lectione meditari, quadam die pergeret, suggerente sibi S. Spiritu blandis sermonibus sanctas sorores quas in suum habebat obsequium, admonuit dicens: Filiæ dilectissimæ deprecemur pijssimi Domini misericordiam & veniam pro peccatis ac supplices & cum lachrymis fundamus preces vt nobis dare pluuiam dignetur. Completa vero oratione dum ad suum reuerteretur Cœnobiũ, & à supradicta Basilica B. Pauli cum processione fuisset egressa, statim cœperunt sonare tonitrua, micare fulgura & nubes densissimæ terram operire Biturigam: moxque tanta

ad fuit inundatio pluuiarum vt venerabilis mater cum suis sanctimonialibus arreptâ fugâ veloci cursu cum summâ festinatione ad suum Monasterium peruenit. Vestes autem earum sic fuerunt madefactæ ac si in gurgitem magnum fuissent demissæ.

Ipsa autem inter cætera pietatis opera pedes hospitibus lauabat & crine tergebat, Orationesque tantas indesinenter die noctuque cum lachrymis Domino fundebat vt rectè cum Propheta dicere posset. Fiunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Erat fide plena, charitate succensa, affabilis alloquio, amabilis aspectu, prudentia prædita, temperantia clara, interna fortitudine firma, censura iustitiæ stabilis, longanimitate larga, patientiâ robusta, humilitate mansueta, itaque eam cum omnium harum virtutum gemmis decor sapientiæ adornabat, vt secundùm Apostolum sermo illius semper esset sale conditus. Multorum pauperum consolatrix, peregrinorum cum humilitate susceptrix, esurientes reficiens, nudos vestiens, pupillis viduisque subueniens; sed non valet os humanum per singula bonitatem eius omnem disserere.

Iamque tempus erat vt habitaculum suæ carnis relinqueret, nonaginta enim annorum ætatem & amplius habebat, & ad cœlestem patriam migraret. Illuc igitur per opera bona festinans cùm esset senex ac plena dierum & ætatis suæ tempora consummato splendore meritorum illustrasset, cognouit horam exitus sui propinquare & bona conscientia eam exhilarante parata erat pulsanti Domino confestim aperire; ac Deo ex mente gratias agens & velut hospes nouus alienum habitaculum relinquens & ad propria vadens cum ipsarum actione gratiarum beatum exhalauit spiritum; qui Angelorum sociatus choris cœlestia regna petiuit, vbi inter ignitos lapides in cœlestis Regis ornamento coruscat.

Igitur ex omni latere vrbis innumerabilium populorum vndique caterua confluxit, cúmque omnium esset infinitus animi mœror, Clericorum interruptis singultibus acedioſa lamentatio spiritales hymnos canere vix sinebat. Interea ventum est ad Basilicam S. Pauli, quam ipsa dudum summo construxerat nisu: vbi miro decore sepulta, cum glorioso triumpho tempus resurrectionis expectat. Religiosus autem Biturigæ vrbis Pontifex Rocco nomine, qui enutritus in aula Regis fuerat & in obsequio funeris B. Eustadiolę præsens aderat, testabatur se numquam vidisse tam immensum fletum vel in obitu alicuius in Ecclesia religiosi, vel in fine cuiuslibet Regiæ potestatis. Vnde patet hæc Dei famula, quàm vtilis, quàm benefica fuit semper omnibus quæ sic amabatur & plangebatur ab omnibus. Lugebant absentem, quam non amiserant, sed præmiserant; sed repente variis infirmitatibus salutem reddendo se prodidit esse præsentem, dum per Dei gratiam frequenter ad suum venerabile sepulchrum multis virtutibus miraculorum vt sol quidam ipsa resplẽduit. Quorum pauca strictim memorare volumus, vt ex his intelligatur similium gestorum innumerabilis copia.

Erat Presbyter Leodebodus nomine cœcitate percussus cui tanta fides inerat vt non dubitaret, quòd si paucitatem pulueris, quem super tumulum B. Eustadiolæ posset inuenire, mixtam oleo de lampade, quæ ante sepulchrum illius erat, posuisset super oculos suos, sicut in nocte per Angelum ei fuerat nunciatum, cœlestem consecuturus medicinam foret. Quod cùm fecisset victis tenebris lumen recepit oculorum.

Sed & homo quidam de Pictauiensi vrbe Prætextatus nomine cùm ad sacrum tumulum propinquasset fundens orationem Domino, & liquore sancto fuisset perunctus inuocato Christi & B. Eustadiolæ nomine confestim lumen recepit.

Necnon & quidam nomine Theoderamnus, dum contractus pedibus & plantis adnates hærentibus à proximis in vehiculo deportatus esset ad venerabilem tumulum, inuocato Saluatoris nomine & B. Eustadiolæ sic gressuum adeptus est restitutionem, vt sanus & incolumis ad suum rediret habitaculum.

Quædam etiam fœmina nomine Leonichildis dum claudis pedibus & brachiis contractis ante eius sepulchrum fuisset deportata, mox receptâ sanitate mirabiliter ad sua propria remeauit.

Alia quoque fœmina nomine Bona cum esset cœcitate percussa ad eius tumulum est deducta, & cùm à Presbytero, cui officium erat, ex oleo lampadis illius peruncta fuisset, recuperauit lumen & ad domum gaudens remeauit.

Sed talium signorum multiplicitas numerum excessit: tot enim & tanta huiusmodi facta sunt sanitatum beneficia, vt si scriberentur per singula magna complere possent volumina, sed & vsque hodie tot ibi frequenter sanantur ægroti, vt euiden-

tibus signis B. Eustadiola demonstret se cum Christo viuere & plurimum apud eum posse. Quæ & pro nobis solitâ pietate suâ dignetur intercedere, vt & nos de præsenti sæculo nequam erepti gaudijs iustorum cum ea mereamur interesse. Quod nobis misericorditer concedat I. C. D. N. qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VITA ET MIRACVLA

SANCTI GVILLELMI ARCHIEPISCOPI BITVRICENSIS.

Numquam hactenus publicam in lucem typis edita. Auctore quodam Canonico Bituricensi.

Descripsimus ex Codice MS. 851. Bibliothecæ Canonicorum Regularium S. Victoris ad Muros Parisienses.

BEatus Guillelmus nobilis genere longè fuit nobilior vitæ laudabilis sanctitate. A primæua quidem ætate cuidam auunculo suo Suessionensis Ecclesiæ Archidiacono miræ honestatis viro qui Petrus Eremita dicebatur, à parentibus traditus fuit moribus & literis informandus. A quo velut fortè potius quodam præsagio futurorum fuit Guillelmus Eremita postmodum nuncupatus. In Suessionensi quidem primò, deinde in Parisiensi Ecclesia factus Canonicus timens ne rerum affluentia & blandimenta sæculi eum à sancto proposito reuocarent ad Grandimontensem eremum conuolauit. Vbi cùm seminator discordiæ hostis humani generis seminasset discordiam inter Clericos & conuersos & licentiatis Clericis à Domino Papa transferendi se ad religionem aliam, prout Dominus vnicuique inspiraret, Beatus Guillelmus Cisterciensem ordinem prælegit. Factus autem Monachus apud Pontiniacum dum in obseruatione ordinis deuotionem aliorum præcellere niteretur, in Priorem concorditer est assumptus. Fama verò religionis suæ magis ac magis crebrescente primo Fontis-Ioannis, deinde Karoliloci factus Abbas, tandem cooperante Diuina gratia in Primatem Bituricensis Ecclesiæ per electionem Canonicam est electus. Qui etiam multiplicatis intercessionibus ponentibus ante oculos eius periculum quod imminebat toti prouinciæ, si iteratò dicta Ecclesia sub electionis dubio fluctuaret, vix induci potuit ad hoc vt electioni factæ consentiret, aut vllo vnquam tempore ad Bituricensem Ecclesiam se transferret. Verùm cooperante Spiritu Sancto & studiosissimè laborante Odone bonæ memoriæ Parisiensi Episcopo vt illi Ecclesiæ præficeretur qui tanto congrueret oneri & honori multorum precibus simul & exhortationibus deuictus prius pro viribus renitens tandem sustinuit se in Archiepiscopum consecrari. In quanta autem mansuetudine vbique subditos pertractauit & quantum in eis profecit verbo pariter & exemplo non esset facile verbis breuibus explicare. Sibi enim durus, aliis verò mansuetus & benignus ex quo sæculum dereliquit, nunquam carnes aliqua infirmitatis necessitate seu alicuius victus persuasione comedit, nec carnem suam labe incontinentiæ vllo vnquam tempore maculauit. Sciens enim in carne præter carnem viuere, tota vita sua virginitatis priuilegium non amisit. Super quo fidem fecerunt iuramento præstito suorum testimonia Confessorum. Inanem gloriam eo cautelæ libramine declinabat, quod studiosè laborabat vt cum agebat aliquid virtuosum, soli Deo non sibi vel alij attribueretur. Cùm autem linguæ detrahentium in conspectu eius vitas mordebant absentium, aut mutabat materiam, aut negabat audientiam, vel dicebat aliquando detrahenti: dic ei qui tremit & febricitat vt non tremat, & videbis si tremere propter te cessabit. Forsan sic & is de quo loqueris inuitus facit quod facit & cessare vellet si posset. His & aliis virtutibus quibus illuminabat patriam quasi lucerna lucens in caliginoso loco, hanc superaddidit in eo Deus gratiam specialem vt viuens miraculis coruscaret.

Digitized by Google

MIRACVLA S. GVILLELMI.

I. De Presbytero curato in manu.

ACcidit cuidam Presbytero Giraldo nomine repentina grauis & vehementer angens infirmitas in sinistra manu per quam fere per dimidium annum factus est impotens celebrare. Hæsitabant Medici quid de morbo dicerent, quia causam eius penitus ignorantes videbant symptomata sibi ad inuicem aduersari,& probatis, sed inutiliter, circa infirmum diuersis curationum generibus,vnus post alium recedebat confusus & dolens quòd ei non poterat subuenire. Qui de Medicorum subuentione desperans ad B. Guillelmum accedit totam spem suam in eum proijciens, vt eo mediante à solo Domino curaretur. Videns pius pater morbum,causam agnoscit & impresso signo sanctæ Crucis manum tangens & palpans leniter dixit infirmo: Confitere peccata & melius te habebis. Lætus facit quod præcipitur,corde contrito & humiliato confitetur & statim ita plenè conualuit quòd die tertia celebrauit.

II. De puero curato à tremore capitis.

Cum autem quadam die idem Beatus Guillelmus in castro Montis-Falconis cuiusdam Ecclesiæ Dedicationis officium celebraret, oblatus est ei quidam puer Odo nomine, qui tremore capitis vexatus fuerat, longè retroactis temporibus, adeo quòd concussione tremoris cerebro turbato & oculorum acie plurimum angebatur. Cuius afflictio ferè non minùs parentes quàm puerum affligebat. Quorum visis doloribus pius pater patienti compatiens verus imitator Apostoli dicentis : Quis infirmatur in vobis & ego non infirmor,manus imponit puero tangens ipsius caput. Et statim tangentis deuotio impetrauit quòd cessante tremore perfectè sanato puero virtus erupit miraculi in laudem & gloriam Saluatoris.

III. De nobili febricitante curato.

Quadam die cum nobilem quendam virum visitaret, qui vi febrium vehementer angebatur, dixit ad eum febricitans: Domine, date licentiam huic febri quod recedat :scio enim & certus sum quòd ad iussionem vestram est à me protinus recessura. Cuius afflictionem & deuotionem pius pater non sine compassione respiciens corde deuoto,breui fusa oratione ad Dominum, dixit ei: Adhuc vnam accessionem habebis& postea liberaberis. Quod ita post contigit vt prædixit: & virtutem deuotionis simul & verborum Pontificis probauit infirmi sanitas subsecuta. Cùm autem post eius transitum, priusquam corpus esset traditum sepulturæ, cateruatim populus ciuitatis conueniret ad exequias sancti viri, tanta fuit in populo puerorum deuotio quòd non cessabant osculari manus & pedes, & etiam lactentes pueri satiari non poterant visione corporis sancti viri. Quamplures autem exipsis renitentes pro viribus & ejulantes præ dolore recessus vidimus violenter asportari.

IV. De puero contracto curato.

Puer quidam qui nondum decimum ætatis suæ annum compleuerat,capite scapulis cohærente,collo inter humeros intercepto, spina dorsi quasi confracta, curuus incedens cœlum videre non poterat, nisi faciem versus humerum obliquaret. Qui tantam demum infirmitatem incurrit quod pedum & manuum priuatus officio pascebatur à matre, & de loco ad locum vbi suadebat vtilitas, seu cogebat necessitas, ferebatur. His auditis quæ fiebant in Ecclesia suspirat, lacrymatur, omni petit instantiâ quòd eum ferat ad Ecclesiam mater sua. Currit mater cum sarcina se per turbam ingerit importunam pudoris nescia dolore simul & deuotione penitus absorpta. Simul ambo mater & puer osculantur cum lacrymis pedes sanctos & ejulantes clamant : ô Beate Guillelme miserere nostri & attende miseriam nostram qui spiritualiter superstes abundabas visceribus pietatis. Nec mora: quasi fragor ossium in puero est auditus. Cùm autem mater extraxisset de turba puerum, clamat puer:

Mater, dimitte me quia per virtutem B. Guillelmi sanus sum: consolidatæ sunt baſes eius & plantæ & cunctis admirantibus per se rectus & extento collo domum lætus regreditur, qui tristis à matre fuerat apportatus. Stupet mater præ gaudio, stuper fere tota vicinia & mirabatur mirabilia creatoris. Tandem mater ad se reuertitur & proponit, vt cùm corpus sanctum esset traditum sepulturæ, rei veritate Canonicis manifestata, cum eis solemniter Deo actiones ageret gratiarum. Sepelitur corpus & secedit turba: sed secedentibus sanis occurrit misera & miseranda languentium multitudo.

V. De adolescente & febricitante curato.

Cum quibus adolescens quidam quartanis febribus diutius fatigatus ipsa hora quâ eum arripuit febris accessit stridens & frendens dentibus & tremore totius corporis veritatem febricitantis exprimens ad sepulchrum sancti viri fundit orationem cum lachrymis, meritis & intercessione Beati Guillelmi sperans & confidens misericorditer se curari. Exauditur eius oratio & valdè modica mora interjecta plenæ restituitur sanitati. Exit rumor miraculi, tractant Canonici quid agatur & communi consilio ab eis concorditer est prouisum vt de illis miraculis solis Chorus actiones ageret gratiarum quæ in personis notis contingerent, & de quorum veritate per vicinos bonæ opinionis & maximè per Parochialem Presbyterum receptis iuramentis, fieret plena fides.

VI. De iuuencula contracta curata.

Chorus intrat Ecclesiam & fit fides de miraculis: & dum super salute adolescentis & pueri Deo aguntur gratiæ, adest quædam iuuencula, quæ contractis neruis & demissis humeris ita curua cogebatur incedere, quòd nates eius altius capite ferebantur. Hęc dum sanctus Præsul superstes erat in ciuitate Bituricensi longis temporibus de mandato ex consuetudine recepta cum aliis pauperibus sedebat ad pedes eius, & ipse de ijs quæ sibi in mensa ponebantur, frequenter eidem iuuenculæ ministrabat. Hæc dum laudes cantarentur de præmissis miraculis magna voce exclamauit dicens: Sancte Guillelme pater piissime qui sanas alios, sana me: nec me deseras desolatam, cui superstes tuam eleemosynam tam misericorditer impendebas: Et sana facta est in illa hora nobis præsentibus qui plenam habebamus certitudinem de præmissis. Finitis autem laudibus huius miraculi quidam iuuenis satis diues zelo Dei & B. Guillelmi ac pietatis intuitu eam petiit in vxorem, & fidem dedit de contrahendo matrimonio cum ea solemniter competenti tempore requisitus. Publicatis autem miraculis tanta fuit ad B. Guillelmum majorum & minorum deuotio per totam diœcesim, quòd mane & vespere, & in cunctis periculis se & ea quæ præcipuè diligebant, eius custodiæ commendabant.

VII. De puero liberato ne submergeretur.

Accidit autem quod mulier quædam eiusdem ciuitatis habens puerum, qui nondum annum octauum compleuerat pro gerendis suis deambulabat super ripam aquæ, quæ fluit iuxta muros nouos quæ magnæ profunditatis esse dignoscitur, & puer eam forte fortuito sequebatur. Cùm autem longè progressa fuisset à porta murorum & eadem via rediret qua prius incesserat, puer qui eam sequebatur, vidit iuncum dependentem super ripam qui infra aquam terræ radicitus inhærebat. Iuncum capit & conatur extrahere: sed dum pro viribus conatur, cadit in fluuium & à ripâ quantum citius elongatur. Clamat puer alta voce: sancte Guillelme, sancte Guilme adjuua me. Et dum sic clamaret, erat quasi sedens in medio gurgitis super aquam. Mater oblita pueri vadit ad domum suam; sed homo quidam qui secabat herbam in mariſco audit clamorem pueri & miratur quid hoc sit plurimùm stupefactus: currit & discurrit circa ripam & tandem inuenit puerum: vult iuuare, sed non potest, quia non audet propter nimiam sui profunditatem fluuium introire: currit ad domos longè sepositas petens auxilium alta voce. Currit mater recordata pueri, currit & accurrit tota vicinia, clamátque mater: sancte Guillelme tibi commendo filium meum: pie pater libera commendatum. Mater conatur intrare fluuium, vt si non possit illum extrahere, saltem cum ipso pariter submergatur. Dum autem mater à

populo retinetur, vociferantes clamant omnes cum lachrymis : Sancte Guillelme adiuua nos & manifesta nobis in liberatione huius pueri quanta sit tua potentia apud Deum. Puer autem manus tendens ad Dominum respiciens cœlum inuictum ab oratione spiritum non relaxabat clamans pro viribus : Sancte Guillelme adjuua me. Nec mora : venit ille qui primus puerum in aqua viderat quandam ferens secum perticam piscatoris habentem vncum ferreum in vno capite, & immisso vnco in vestes pueri qui clamabat continuò : Sancte Guillelme adjuua me, quasi sedens super aquam sanus puer extrahitur & illæsus.

VIII. De contracto curato in Diœcesi Autissiodorensi.

Fama volans non contenta finibus Diœcesis Bituricensis citò defert ad remotas partes quia mirificauit Dominus sanctum suum per manifestas & admirabiles factas Bituris coruscationes miraculorum. Audit hoc homo quidam, Ioannes nomine, degens in Autissiodorensi Diœcesi apud Arthonium qui contractis neruis super pectus suum gradiens cum quibusdam sellulis rependo se trahebat more quadrupedum terram aspiciens & spina dorsi capite repentis celsior apparebat. Votum facit, venit Bituricas confisus de meritis & pietate glorioſissimi Confessoris, intrat Ecclesiam, prosternit se in terram, rigat tumulum Beati Guillelmi torrente lachrymarum inundantium & orans omnimodæ deuotionis instantia vt Deus ac Dominus noster IESVS-CHRISTVS per merita & intercessionem Sancti Guillelmi optatam sibi restituat sanitatem : Impletur statim illud Propheticum : *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate*, quia qui curuus incesserat ad modum reptilis per tempus decennij, rectus vadit neruis singulorum artuum in vigorem pristinum vno momento mirabiliter reparatis. Qui cùm rediret ad propria, currit ad eum obuiam majorum & minorum innumerabilis multitudo. Vix suis credebant oculis cùm eum viderent rectum incedere, quem videre consueuerant longis temporibus super pectus suum ad modum reptilis ambulantem. Imitari volens qui sanatus fuerat illum per quem sanatus fuerat saltem in aliquo, post aliquot dies intrat Cistercienſem Ordinem, vt se totum impendat eius seruitio qui eum per merita Beati Guillelmi totum restituit sanitati.

IX. De puero obruto à lapidibus miraculosè liberato.

Erat quidam Bituris cæmentarius, nomine Stephanus, qui muros veteres & ruinosos peritus erat reficere, & in his præ cæteris exercitatus opere manuum suarum sibi & suæ familiæ victum quærens vitam ducebat pauperem & honestam. Videbatur illud Propheticum scriptum esse in corde suo : *Labores manuum tuarum manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Hic habebat filium trienniem & alium iam prouectæ ætatis terras excolentem quorum minor in solatium, major patri videbatur datus à Domino in suæ subsidium senectutis. Quadam die procedit pater & locat operas suas ad reparandum murum ruinosum & veterem & cum puer sequens vt consueuerat, sedere cœpit ad pedem muri vbi murus debilior se inclinans ruinam magis præcipitem minabatur. Puer periculum non aduertit, & pater minus exstitit diligens de seruando puero, quia circa curam operis tota sua intentio versabatur. Dum autem pater insistit operi, pars muri maxima super infantem corruit & cooperuit eum totum, adeò vt nec membrorum nec vestimentorum eius pars minima compareret. Fragore facto ruentis muri currit pater circumquaque respiciens exanguis & amens puero non reperto. Clamare cupit, sed loqui non poterat, anxietate cordis subitò factus mutus, nec lachrymari potest vehemente dolore lachrymas absorbente : Tandem quendam emittens rugitum terribilem, vestimenta scindit & in terram corruens volutatur. Respirat postmodum & ad se reuertitur sciens quam pulchra Dei misericordia in tempore tribulationis, clamátque cum lachrymis quantum potest: O beate Guillelme Pastor piissime, tibi meum commendo filium, salua commendatum, cui semper placuit, dum superstes esset innocentia parvulorum. Patre talia proclamante, mater quæ domi sedens audierat de ruina furibunda prosilit scissis vestibus, soluto capite & sparsis crinibus genas scindit & seipsam suo sanguine cruentat : se quidem dicens miseram & infelicem, proclamabat : Sancte Guillelme Pa-

ſtor bone, vbi eſt infans meus quem mane & veſpere, die ac nocte tuæ indeſinenter cuſtodiæ commendabam? redde mihi pater glorioſiſſime, redde theſaurum meum vt te fidelem inueniam in commiſſo. Dum hæc fiunt Ioannes venit primogenitus tempore filius qui dum dolores patris ac matris compeſcere conabatur, magis eos prouocat ad dolorem. Accurrunt huic miſerando ſpectaculo Clerus & populus, nec ſine lachrymis, & cùm nullum reſtaret conſolationis remedium, omnes ſimiliter vociferantes: Sancte Guillelme adjuua nos arreptis ſarculis cœperunt fodere in profundum & humum & lapides ſeorſum proijcere feſtinabant. Tantus enim erat ſuper infantem aceruus lapidum tantáque terræ & pulueris glomerata congeries, vt non ſolùm extinctus, ſed & oſſa eius minutatim confracta credi poſſent & penitus demolita. Quidquid agant alij, mater natum proclamat: Sancte Guillelme redde mihi filium meum tibi hodie à me deuotiſſimè commendatum. Quid plura? Amotis lapidibus & rejectâ terrâ dum mater orat, puer viuus apparuit & illæſus: inueniri non poſſunt in eo cuiuſcumque læſionis indicia, quamuis eius veſtimenta fuiſſent adeo demolita quòd nulla eorum particula ad cuiuſcumque rei vſum eſſe vtilis videretur.

X. *De Epileptico liberato.*

A Romana curia quidam Normannus Preſbyter ad partes ſuas rediens, venit Bituricas, & vidit ſigna & prodigia magna in plebe quæ fiebant in curationibus infirmorum per merita glorioſiſſimi Confeſſoris, vidit & gauiſus eſt gaudio magno valdè. Qui cùm veniſſet in Normanniam, vidit quendam iuuenem vehementer morbo epileptico laborantem: qui in conſpectu eiuſdem Sacerdotis repente cecidit clamans, ſpumans, frendens & ſtridens dentibus, manibus & pedibus terram repetitis ictibus verberando. Qui cùm poſtmodum reſpiraſſet vehementer ſtupendus & afflictus interrogatus à Sacerdote quanto tempore huius infirmitatis genere laboraſſet reſpondit ipſe & multi alij qui ibi aderant quòd per quinquennium & eo amplius ita quòd nonnumquam in aquam, nonnumquam in ignem cadens periculoſiſſimè vexabatur. Quia verò quater, vel quinquies die naturali ſic cadebat facta ei erat domus in loco ſeparato, in qua de nocte includebatur quaſi quoddam iumentum, quæ ne ad aliquid cadens læderetur nihil continebat penitus niſi ſtramen. Ad quem Preſbyter locutus eſt in hæc verba: Vis curari? Qui reſpondit: Cur non vellem, qui tædio ſum & horrori cuilibet homini & etiam mihi ipſe. Tunc ait Preſbyter: Pono tibi Deum in obſidem & me fidejuſſorem conſtituo, quòd ſi corde contrito & humiliato viſitare volueris ſepulchrum B. Guillelmi Bituricenſis Archiepiſcopi, plenam ibi recipies ſanitatem. Credit infirmus & iter arripit, ſe totum in Deum proijciens, nihil timens quod in via poſſet ſibi accidere, quia omni hora ſe deuotiſſimè beati Guillelmi cuſtodiæ commendabat: cadebat enim more ſolito die ac nocte, donec intrauit Bituriam, ſed quam citò Bituricenſem intrauit Diœceſim, ita plenè curatus eſt, quòd in eo nulla prioris infirmitatis veſtigia remanſerunt. Venit gaudens Bituricas & multis vigilantibus peregrinis ad ſepulchrum B. Guillelmi cum ipſis & ipſe vigilans narrauit nobis Canonicis qui ibi præſentes eramus, infirmitatis & liberationis ſuæ modum, & alia quæ ſuperius ſunt expreſſa. Surrexerunt autem duæ ſorores eius & multi alij de terra ſua qui propter guerram diſperſi moram fecerant in Bituricenſi Diœceſi apud villam quæ dicitur Macay, qui omnes ad vocem agnoſcentes perſonam accurrentes & gaudentes de ſanitate præſtita, præſtitis iuramentis de perſona & infirmitate ſanati cum ipſo qui ſanatus fuerat, fecerunt nobis Canonicis plenam fidem ipſo iuuene ſub præſtito iuramento aſſerente totam ſeriem præmiſſorum. Adoleſcens autem non ingratus accepti beneficij ſtatim ſe ſeruum B. Guillelmi conſtituit promittens præſtito iuramento ſe quandiu vixerit per annos ſingulos ſoluturum ei quatuor denarios in ſignum tributariæ ſeruitutis.

XI. *De inſania curatâ.*

Mulier quædam de Henordia, Ermengaudis nomine, peccatis ſuis exigentibus vehementem mentis incurrit inſaniam, quæ die ac nocte clamore continuo ſonos terribiles & verba ſibi non cohærentia proferebat. Hæc igata manus & pedes, dum eos

qui ipſum quandoque duris, quandoque blandis increpationibus corrigebant, pro voluntate ſua non valebat attingere ipſos inauditis afficiebat blaſphemijs & nonnumquam morſibus lacerabat. Hanc autem cum duo filij eius multo labore & deuotione magna ad Beati Guillelmi tumulum adduxiſſent vociferationis ſuæ clamoribus orantium, cantantium & pſallentium deuotionem admodum perturbabant: Itaque dum Miſſa celebraretur nonnumquam poſt lectum Euangelium coacti ſunt eam extra Eccleſiam facere aſportari. Quantò autem grauius vexabatur & vexabat circumſtantes, tantò propenſius & ardentius, intercedente pro ea clero ac populo ad B. Guillelmum, reſpexit eam Dominus & verſis clamoribus in planctum ingemiſcens & ab imo longa trahens ſuſpiria cœpit ſibi cum aliis B. Guillelmi auxilium & patrocinium implorare. Quid plura? Orante cum ipſa & vociferante ad Dominum & Beatum Guillelmum Clero ac populo pro infirma, ſanitati mentis eſt & corporis plenariè reſtituta.

XII. De muliere à mirabili infirmitate curata.

Morbo mirabili & inaudito quædam mulier Lemouicenſis Diœceſis prægrauata venit Bituricas ſperans ſe meritis & interceſſione B. Guillelmi reſtitui ſanitati. Morbus hic eam die naturali ſic quater aut quinquies affligebat, quòd à planta pedis vſque ad verticem capitis tremore mirabili membris commotis omnibus repetitis ictibus manus nunc ad genua, nunc ad latera, nunc ad humeros ferebantur. Tandem verò verſis inſultibus in ſemetipſa mirabiliter inſurgentes nec ſiniſtræ dextera, nec ſiniſtra dexteræ in feriendo parcere videbatur. Hoc ſtupendum & mirandum ſpectaculum ſic commouit omnes, quòd dum ex compaſſione flerent quidam & orarent alij pro infirma, dicebant illi qui priùs miraculis non credebant, quòd deprædecentibus miraculis iam non hæſitarent, de cætero, ſi poſſet fieri quod iſtam contingeret liberari. Orante pro ea populo & iteratis clamoribus B. Guillelmi auxilium implorante, de quo prius deſperabant Phyſici, deſideratam conſequitur ſanitatem: & ſic qui prius B. Guillelmi deteſtabantur miracula non credentes, nunc ea prædicant confitentes.

XIII. De puero morte liberato.

Puer quidam decennis de vico ſancti Priuati Bituricenſis graui nimis preſſus infirmitate omni membrorum officio deſtitutus, langueſcentibus oculis morti proximus videbatur. Cùm autem Preſbytero viſitanti eum nec loqui poſſet, nec ſuſcipere Corpus Chriſti, redeunte ad domum ſuam Preſbytero parentes ſtatim cum ingenti clamore & anxietate animi infirmum ad B. Guillelmi tumulum deportarunt totam ſpem ſuam proijcientes in pietatem piiſſimi Confeſſoris, vbi breuis ſed multum deuotæ orationis oblato ſacrificio ſtatim puerum meritis & interceſſionibus B. Guillelmi ſanum & incolumem receperunt.

XIV. De eo qui viſo dæmone factus eſt furioſus.

Homo quidam vxoratus ſatis peritus & exercitatus in vineis excolendis, dum poſt laborem diurnum quadam nocte aliquantulum obdormiſſet propter neceſſitates naturales de lecto conſurgens ſe non præmuniuit, vt debuit, ſignaculo ſanctæ Crucis. Reportauit autem huius negligentiæ pœnam grauem, quia teterrimam vidit imaginem terribilem & horrendam, qua viſa perterritus & furioſus factus diſcurrit per domum frendens dentibus, clamans horribiliter, arreptóque quod manibus occurrebat feriebat lectos & parietes, mortémque hominibus, ſi qui forſan occurrerent, illaturus. Qui autem in eadem domo cum eo aderant furentis impetum euaſerunt, fugam & latebras, ſecundùm id quod poterant, eligendo. Accurrunt illuc vicini perterriti & cum multa difficultate capientes hominem furioſum ligatum manus & pedes, portant eum ad tumulum B. Guillelmi volentem ſi poſſet ſingulos dentibus lacerare. Hora verò nona parum obdormiens viſione vidit B. Guillelmum in habitu venuſto & condito dicentem ſibi: ſurge velociter quia ſanus factus es, vade in pace. Sanatus autem fidem fecit Canonicis per ſe de his quæ ſolus vidit; de alijs verò per domeſticos & vicinos.

XV.

XV. De puero liberato à lupo.

Accidit quadam die in parochia S. Pantaleonis Bituricenſis Diœceſis, quod quædam vidua defuncto viro ſuo, filium triennem paruulum geſtabat in gremio, quem lupus inſidians repente rapit de manibus matris ſuæ. Capta verò præda Lupus ad nemus properat per ſpinas & tribulos, portans puerulum, & iam ad denſitatem nemoris propinquabat, cùm mater filium B. Guillelmi cuſtodiæ mancipauit. Res miranda! Lupus quaſi cuſtodem pueri timens offendere, eadem hora prædam poſuit inter vepres & abſceſſit, victum ſibi aliàs quæſiturus. Ad clamorem viduæ currit & accurrit vicinia ducens canes & inſtigans, fuſtes portans & gladios, vt lupo poſſit eripere prædam ſuam quam ad inuocationem S. Guillelmi nondum nouerat iam excuſſam. Præcedit alios Sacerdos præuius Radulphus nomine & inuenit puerum, læſum tamen, quia dependebat oculus extra caput à loco ſuo fere prorſus erutus & auulſus. Reducit oculum in locum ſuum Preſbyter inuocato nomine Sanctæ Trinitatis & beati Guillelmj, & acu conſuit, & ſequenti die viſum recepit puer ad B. Guillelmi tumulum apportatus.

XVI. De Presbytero curato ab infirmitate, quæ dicitur, Noli me tangere.

Morbus qui Noli-me-tangere nuncupatur Sacerdotem quendam, Hugonem nomine Capellanum caſtri de Naues quod ad Bituricenſem Archiepiſcopum pertinere dignoſcitur, inuaſit hoc modo, quòd quaſi quædam verruca pruriginoſa ei iuxta naſum ſuborta eſt: in principio multum parua, ſed creſcente pruritu creuit in tantum proceſſu temporis morbus ille, quòd à læuâ parte fere totam faciem occupauit. Factum eſt autem quod à morbo corroſa facie cùm ſibi ipſi & aliis horrori eſſet, latitabat in domo ſua prorſus abſtinens à diuinis. Venerunt Medici probantes in eo ſuæ medicamina facultatis: ſed iam cùm plures veniſſent & experimentis pluribus ei ſubuenire pro viribus niterentur, quidquid apponebatur, ei videbatur obeſſe potius quàm prodeſſe. Recedunt Phyſici confuſi vnus poſt alium relinquentes eum à ſubuentione ſua penitus deſperatum. Tunc prædictus Hugo ſecum recogitans familiaritatem quam quondam habuerat cum B. Guillelmo dum ſuperſtes eſſet in corpore fuſis lachrymis altiùs ingemiſcens cum impetrandi fiducia ad orationem ſe proſternit corde contrito & humili orans vt meritis & interceſſione B. Guillelmi Deus eum à iam dictæ infirmitatis anguſtia liberaret: petit & accipit: quærit & inuenit: pulſat ad ianuam miſericordiæ & vltro aperta eſt ei. Oratione enim completa ſtatim fugatur infirmitas, pruritus cedit, & in loco corroſo facta eſt carnis generatio locum replens vacuum nullo morbi ſeu deformitatis prioris veſtigio remanente.

XVII. De Cæcâ illuminatâ.

Vidua quędam de Liriaco quandam habebat filiam ſibi datam à Domino in ſuæ ſolatium ſenectutis. Quę cùm nondum ætatis ſuæ 18. annum compleuiſſet, illo diſponente qui dicit: *Percutiam & ego ſanabo, & non eſt qui de manu mea poſſit eruere,* oculorum ſuorum incurrit ſubitam cœcitatem. Nulla lippitudo, nulla prorſus macula videbatur in oculis, & tamen eos aperiens non videbat. Teſtabatur publicè Ioannes Canonicus Liriacenſis & Preſbyter cum multis aliis viris & mulieribus fide dignis, quòd quando dicta cœca, quæ paullò ante videns erat, matre ſua ſibi ducatum pręſtante ingrediebatur Eccleſiam Liriacenſem, pedes ſuos frequenter ad gradus Eccleſiæ offendebat. Ducit mater filiam ad Beati Guillelmi tumulum, & implorans ibi illuminationem filiæ, recedentibus alijs per octo dies à tumulo non receſſit, filia in cæcitate adhuc permanente. Timens autem ſe fruſtratam penitus de ſalute filiæ, prorupit cum lachrymis in hęc verba: O Beate Guillelme quò ſe vertet ancilla tua quę in te ſolo totam ſuam habebat fiduciam, quę te ſemper ſincera dilexerat charitate. Cur dereliquiſti me ſolam deſolatam, qui fere nulli alij negas exauditionis beneficium fideliter poſtulanti? Pater Sancte, recordare verbi tui quod in corde meo tenaci memoriæ commendaui, quod inter alia verba vitæ quæ proponebas in villa noſtra fidelibus protuliſti dicens:

Orate pro me Pastore oues meæ, quia pro vobis oro. Vos autem viduæ orate pro me magis quàm cæteri quia pro vobis oro, vt magis vobis valeant preces meæ. Ego quidem ab illa die orauì pro te diebus singulis nec dum percepi virtutem orationis tuæ mihi in aliquo profuisse. Vix hæc verba mater finierat quod exclamauit filia: Mater, Mater, exaudita est oratio tua: confortare & confide in Domino quia modò video, quæ quando veni penitus non videbam. Probatur in hoc quod dicebat filia, quia per foramen acus quantulumcumque gracilis, immittebat & traijciebat filum, vt volebat. Læta mater reuertitur, læta redit & filia, quia mirificauit in eis Dominus misericordiam suam meritis & intercessione B. Guillelmi relegando ab eâ, quæ cæca fuerat, cæcitatem.

XVIII. De Squinanciaco liberato.

Vir quidam de parochia Blangiaci qui vocabatur Stephanus, squinanciæ morbo periculosissimè laborabat: quia subortum erat ei apostema intra fauces quod totum guttur penitus occuparat. Nec loqui poterat, nec cibum sumere, nec quod in os eius ponebatur liquidum deglutire, sed immissum in os eius per nares illicò redundabat. Cum autem via vitalis spiritus sic præclusa respirare non posset, iam suffocationi proximus, quod verbis non poterat mente deuotissima Beati Guillelmi custodiæ se commendauit. Innuebat autem candelam fieri, quæ in illis partibus vulgo cerale dicitur, quo facto, & collo eius circumuoluto, statim emisit per os saniem copiosam, cuius fœtore pati non poterant circumstantes. Statim autem surgens, & in vigorem pristinum restitutus, currit ad tumulum Beati Guillelmi quantas poterat Deo & B. Guillelmo actiones referens gratiarum & fidem faciens, quòd ad inuocationem Beati Guillelmi mente conceptam fuerat liberatus. *Nec plura sunt in dicto Codice.*

TRANSLATIO ET MIRACVLA Sancti Gundulphi Præsulis.

Ex Codice MS. Ecclesiæ Sancti Austregisili de Castro.

SIcut summa æternæ felicitatis remedia promere videntur qui ea quæ de miraculis Christi & Sanctorum viderunt, vel ab aliis audierunt, fideliter referunt, ita delinquere in Deum & sanctos æstimandi sunt, qui eadem videntes miracula & audientes, chartis tradere & æternæ memoriæ negligunt, & sub silentio quantum in ipsis est, occultare non formidant. Vt quid enim diuina potentia, vel per se, vel per seruos mira in mundo operari dignaretur, si ea silentio contegi voluisset? aut quid miracula vocarentur, si nullus videret qui ea miraretur? Vult ergo omnipotens Deus miracula idest consueta beneficiorum suorum opera mundo demonstrare, vt qui non credunt verbis, miraculis ad fidem trahantur; & qui iam crediderunt, Diuinitati tenacius adhærescant. Non igitur in talibus silere rationabile est, cum sit rationabile & Deo gratum referre quod verum est. Quæ ergo de miraculis Christi aut Sanctorum eius, vidimus aut audiuimus ab aliis qui in Christo locuti sunt, vera referentes, ad posteritatis vtilitatem literarum apicibus tradendum est.

Fidelibus populis Deum intimasse credimus quatenus corpus B. ac piissimi Gundulphi Mediolanensis Archiepiscopi ad honestum sepulturę locum transferrent. Hic namque propter mala suæ ciuitatis quæ per eum Dei iustitia nondum sedare disposuerat ab eadem vrbe digrediens, comitante grege Discipulorum suorum ac sociorum, transcensis Alpibus Bituricas partes adiit & Siluam vastitate eremi à frequentia humanæ conuersationis & accessu valde remotam inibi reperiens Eremiticæ vitæ & contemplationi vacare studuit. Quantas cruces, quanta tormenta corpori suo intulerit, quantum bellum contra seipsum excitauerit, quamdiu in hac eremo & in vitâ permansit, non est nostræ modò intentionis replicare: præsertim cùm illi scripserint, qui piis eius actibus interesse meruerunt, & opera iustitiæ quę per eum Dominus operari dignatus est, viderunt.

Expleta itaque huius vitæ laborioſæ militia, plenus Deo & virtutibus poſt diutinam maceratione carnis & crucifixionem terræ corpus, cœlo ſpiritum Deo vocante reddidit. Cuius corpus per manus ſociorum ſuorum in eadem ſiluâ piâ cum deuotione humatum eſt. At vero ſanctæ Eccleſiæ creſcente famulatu, Chriſtiani illius temporis inde corpus piiſſimi Confeſſoris auferentes Nobiliacum tranſtulerunt, & in Eccleſia dedicata in honore matris miſericordiarum in medio choro Eccleſiæ terræ mandauerunt, vbi ſacra eius oſſa longo tempore quieuerunt.

At quoniam quicumque per chorum illum tranſibant atque ad altare ad vota ſua ſoluenda proficiſcebantur, ſuper eum irreuerenter veſtigia ponebant, iterum inſpiratione Diuinæ bonitatis Chriſtiani eum de illo humili loco leuandum & deſuper terram tumulandum iudicauerunt. In eaque Eccleſia vbi hoc dignè fieret ſcilicet inter vitream capitis Eccleſiæ & altare locum honeſtum elegerunt. Cum autem de terra corpus illud ſanctiſſimum eleuarent ita denſa nebula ad inſtar noctis totam repleuit Eccleſiam, vt vix qui aderant, ſe inuicem valerent intueri. Tanta autem miri odoris abundantia nebulam illam ſubſecuta eſt, vt tamquam paradiſi dulcedine perfunderentur vniuerſi. Sed & roſa tam rubei coloris & virentis in ſarcophago cum eo inuenta eſt, ac ſi recens de ſua arbore vellicata fuiſſet.

Forte huic officio dum omnes indulgerent, quidam Archipreſbyter Bituricenſis Eccleſiæ, quem bene nouimus, Goſcellinus nomine, pio furto inſeruiens vnum de oſſibus ſuſtulit, & in manicâ ſuâ reponens abire voluit, ſed Diuina iuſtitia hunc recedere volentem, ſic cœcitate percuſſit vt videre non poſſet. Iam quærit ducem quo ducente redeat, quia viam qua pergere debeat nequaquam videt: nondum tamen ſe furti reum confitetur. Expectat infelix ſine furti confeſſione luminis reditum obtinere. Concurrit multitudo plebis, vident tam repente cœcum fieri, quem modo luminis claritate viderant gaudere. Quærunt tam repentinæ cœcitatis cauſam quomodo id ſibi acciderit, quidue fecerit vnde hæc luminis priuatio fuerit ſubſecuta. Diuinâ coactus virtute & Sancti Gundulfi tactus timore furtum confitetur. Volebam, inquit, huius piiſſimi Confeſſoris mecum memoriam in Eccleſia mea habere & inter alias quas habet reliquias collocare & venerari; ſed quoniam huius voti mei effectum habere non poſſum, ecce os, quod furripueram, reddiditque os quod in manica ſua abſconditum habebat, & in momento lumen recepit.

In pago Bituricenſi quoddam caſtrum ſitum eſt quod ab antiquis pro ſua magnitudine Nobilis villa vocabatur, in qua Eccleſia eſt in honore Beatæ & glorioſæ Mariæ & ſancti Gundulfi Mediolanenſis Epiſcopi, cuius corpus ſanctiſſimum inibi venerabiliter quieſcit humatum. Quædam itaque matrona ſecundùm ſæculi reuerentiam bene nobilis Aqualeja nomine in eadem villâ morabatur, qua poſteaquam vir ſuus ab eâ recedens ſanctæ religionis & Monachi habitum ſuſcepit, minimè continuit, ſed carnalis concupiſcentiæ inflammata ardoribus neminem ferè qui ad eam accedere vellet, dicitur repuliſſe. Hanc Diuina dignatio ad pœnitentiæ lamenta edocens, paterno verbere, vt rei probauit euentus, caſtigare diſpoſuit. Namque morbus, qui ſacer ignis à Medicis appellatur, tam velociter pedes illius prius in tumorem verſos & nigredinem corripuit, vt primâ die accenſionis flamma illius incendij ambulandi officium mox ei penitus abſtulerit. Venerat celebris dies vigiliæ Matris miſericordiarum in qua fidelium multitudo ad veſpertinale officium ſonantibus ſignis ſolet conuenire. Quæ illa audiens, quia per ſe ambulare non poterat, ad Eccleſiam ſe portari præcepit, in qua per totam noctem peruigilans, nullum qui in Eccleſiâ remanſiſſet vel orare, vel quieſcere ſinebat, ita eam feralis incendij flamma vexabat. Hæc ſupina iacebat & ceruice parietes Eccleſiæ tundens & palmis terram percutiens Eccleſiæ pauimenta, rupta cute manuum, fluido ſanguine fœdabat. Lecto autem poſt lucis exortum ad Matutinalem Miſſam Euangelio, cum, vt mos eſt, fideles ad altare oblationes munerum ſuorum deferrent, illa quia pedibus non poterat, genibus & manibus per terram repens, nullo adiuuante, ad altare cum magno labore & dolore peruenit; & quanta potuit deuotione Sacerdoti obtulit oblationem.

Deinde ante altare glorioſæ Matris miſericordiarum & S. Gundulfi proijciens iacuit proſtrata, donec ſubito exiliens magnâ vociferatione clamare cœpit: ſana ſum, & in-

geminare: ſana ſum. Venite ergo populi omnes & mecum pro tam feſtinâ ſalute laudate Dominum. Flent populi præ gaudio, exultat fœmina pro ſalute ſibi à Deo conceſsâ: lætantur Monachi pro miraculo & cantantes altiſſimè, Te Deum laudamus, ſigna ſolemniter pulſari fecerunt. Mulier autem quæ ſanata fuerat, in tertiâ die poſt acceptam ſanitatem pedibus ſuis ſine calceamento Baſilicam B. Mariæ Carnotenſis quæ trium dierum itinere à domo ſuâ diſtare perhibetur, gratias actura expetit. Ibi ſe ante altare proijciens & matri miſericordiarum gratias agens oblationem obtulit, ac peracto voto incolumis remeauit ad ſuos.

In SS. Innocentium ſolemnitate populus in Eccleſiam S. Gundulphi de more conuenerat & ſanctarum miſſarum quæ iſto die feſtiuè aguntur, intererat ſolemnijs: cum ecce ignis vehemens in quadam magna domo multo plena fumo & ſtipuli in medio villæ videbatur accenſus. Concurrunt populi vt illius incendij flammas extinguerent, ſed fruſtrà, nam vis ventorum & ignis volans ita conualuerant, vt alias manſiones ante & retro, retrorſum & ſiniſtrorſum iam corriperent. Clamor fugientium, tumultuſque lugentium peruenit ad Monachos qui iam rumorem incendij acceperant & ſibi metuebant, ne pariter res eorum flamma inuolueret. Accipientes itaque corporalia Eccleſiæ ſuper quæ Dominici Corporis fit ſacratio & brachium S. Gundulphi piiſſimi Confeſſoris (quod intra ſepulchrum eius tempore tranſlationis corporis eius ad ſubueniendum rebus afflictis reſeruatum fuerat) multitudine eos populi comitante contra incendium deferunt & flammis feruentibus obijciunt, non ſine clamore multitudinis & mœrore, qui res ſuas miſerabiliter deuaſtandas incendio ſubjacere cernebant. Quo facto ita furor ignis & incendij conquieuit & decidit, ac ſi diuinâ voce increpatus minimè auderet amplius releuare caput. Veſtio quidem exterius apparebat in domibus, ſed nullam illarum interiùs flamma conſumpſerat, excepta illa in qua prius deſæuiit incendium.

Eiuſdem in Martyrologio Romano & Additionibus Molani ad Vſuardum quotannis recurrit mentio. Quintodecimo Kalendas Iulij, ſeu 17. Iunij, in pago Bituricenſi Sancti Gundulphi Epiſcopi & Confeſſoris. Pagus verò appellatur modo, *le Bourg S. Gondon*, à Giemo quod quidam Gennabum vocant impoſito Ligeri fluuio tribus leucis diſtans.

Eiuſdem S. Guillelmi vitæ ac rerum præclarè geſtarum ſumma capita, ex Breuiario veteri Eccleſiæ Bituricenſis ad x. Ianuarij.

B. Guillermus Bituricenſis Archiepiſcopus nobilis genere, à quodam auunculo ſuo nomine Guillermo Sueſſionenſi Archidiacono literis & moribus eruditus ab adoleſcentia ſuâ in Pariſienſi & Sueſſiononſi Eccleſiis Canonicus effectus eſt. Qui dum robur virile attigiſſet, moleſtias ſæculi ferre non valens & omnibus renuncians ad Grandimontenſem eremum conuolauit.

Ibique in quâ conſcientiæ puritate vixerit coram Innocentio Papa tertio in Generali Concilio declaratum eſt. Poſt hæc verò in eodem ordine Grandimontenſi quadam turbatione ſubortâ, Guillermus mente tranquillus ad Ciſtercienſem Ordinem in Monaſterium Pontiniacum ſe tranſtulit.

Conuerſatus autem ibi diuinitus & Prior effectus poſtmodum in Abbatem Fontis-Ioannis & exinde ad Karoliloci Monaſterium ibidem per electionem officium ſuſcepit Abbatis. Hic vir beatus, vt fertur, carnem ſuam nullo tempore maculauit, nec ex quo ſæculum dereliquit quacumque infirmitate detentus carnes alicuius perſuaſione comedit.

Interea autem contigit vt Bituricenſis Eccleſia ſuo viduata paſtore, ſub electionis dubio fluctuaret: Cumque electionem eiuſmodi contraria diuerſorum altercatio impediret omnia vota conuenerunt, vt quem Odo Pariſienſis Epiſcopus quondam Cantor Bituricenſis è tribus Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis Archiepiſcopum nominaret, eidem conferretur.

Tunc præfatus Epiſcopus in Eccleſia B. Marię de Salis Bituricenſis ſuper hoc vna nocte vigilans, cùm mane Miſſam celebraſſet, ex reuelatione diuinâ eligendum Guillelmum Abbatem Karoliloci euidentius comperit. Et cum Eccleſiam Bituricenſem, vt eum pronunciaret, ingrederetur, obuios habuit à Capitulo miſſos qui eun-

dem pro concordiæ vnitate instantissimè postulabant. Quod sic factum potius creditur esse ex vocatione Diuinâ quam electione humanâ.

Pontificali igitur infulâ decoratus, licet inuitus, oblatæ sibi dignitatis oneri succubuit non honori, misericordia exuberans quam erga pauperes & afflictos semper habebat. In assumpto Pontificali officio non defecit de animarum sibi commissa curâ sollicitus, vt eas Christo lucrifaceret aut in confessionibus audiendis aut in prædicationibus per se vel alios ad hæc idoneos sedulus intendebat.

Cumque his & aliis virtutibus quamplurimis præmineret, addidit illi Dominus illam gratiam meritorum, vt viuens etiam miraculis coruscaret. Nam Presbyterum quemdam Capellanum S. Germani de podio prope Bituris, qui vsum sinistræ manus, ita vt celebrare nequaquam posset, per dimidium annum, amiserat, audita prius eius confessione, pristinæ restituit sanitati.

Inter miranda etiam ipsius opera ferè semper iocundus & hilaris fuit quod multum displicebat austeris. Vitium etiam detractionis in tantum abhorruit, quod si inter detractores aliquomodo incideret, verba aut detractoria mutando, materiam scindebat: aut si verba persisterent detrahentes, penitus abscedebat, nolens ab his polluì audiendo quæ nunquam ipsum polluerunt in loquendo.

Postpositis autem his & aliis quamplurimis quæ narratio longa nimis protenderet, cruce quadam die assumpta volens ad Albigensium fines contra hæreticos proficisci, cum itineri necessaria iam præparasset, infirmitate correptus est.

Peractis enim Natalis ac Circunciſionis Saluatoris nostri mysteriis se dissolui sensit. Tunc maximâ populi multitudine ad eum in Ecclesia Bituricensi congregatâ, cum eis verbum Dei prædicasset, sermone completo, & benedictione populo data, febrili calore correptus ad domum rediit.

Sentiens igitur quod eum febris incessanter affligeret fratribus conuocatis extremæ-vnctionis Sacramento humiliter ac deuotè susceptо cœlesti se pane refici instantissimè postulauit. Vt autem Dominum ac Redemptorem suum ad se venire cognouit, licet iam corporis viribus esset destitutus, de stratu suo prosiliens cunctis admirantibus gressu concito processit obuiam Saluatori. Quia vires quas infirmitas denegat, charitas ministrat.

Ipsum ergo Dominum in cuius nomine omne genu flecti docuerat, flexis genibus totus in lachrymis resolutus sæpius prostratus & sæpius erectus vt iterum se prosterneret, adorauit. Cui agonem suum & suos qui erant in mundo commendans Oratione Dominicâ & Apostolorum Symbolo prout potuit prælibatis iunctis manibus oculis in cœlum subleuatis corpus & sanguinem Redemptoris nostri cum fletu largissimo & corde contrito degustauit.

Cum igitur proximum se sentiret morti, cum cilicio, vt semper fuerat indutus, de stratu suo ad terram deponi se fecit, vt quod terrenum est, terræ relinquens, spiritum qui de cœlo est regnis inferret cœlestibus. Et ita paulo post spiritum suo reddit conditori.

Audito piissimi Præsulis decessu subitò commota tota ciuitas Bituris in ipsa hora cum cereis & luminaribus ad Ecclesiam B. Protomartyris Stephani, vbi tam sanctum corpus ferebatur, eidem officia exhibituri conuenerunt.

Sanè eodem die circa horam vespertinam cum vniuersitas Cleri & populi ad celebrandas sui Pastoris exequias conuenisset per dimidiam fere horam globus igneus in aëre suspensus instar stellæ coruscantis supra S. Protomartyris Stephani Ecclesiam omnibus apparuit.

Monachi igitur Karoliloci qui sanctum eius corpus, vt ipse in testamento suo ordinauerat, ad Monasterium suum curru & omnibus iam paratis deferre volebant, tantum miraculum ac populi deuotionem videntes petere ac manus apponere formidarunt. Sed vt venerunt, vacui ad propria redierunt.

Decedentibus ergo Monachis spe & expectatione sua prorsus frustratis, Clerus & populus ardentissimâ deuotione sanctissimi viri corpus cum honore debito ibidem sepelierunt sese deinceps per multa miracula declarantis.

Sepulto venerabili ac sanctissimo patre Guillelmo in dicta Bituricensi Ecclesiâ, cum iam vnusquisque ad propria remeasset, multi de ciuitate & de vicinis locis, qui variis detinebantur languoribus, humiliter ac deuotè ad sancti tumulum accedentes pristinam illicò receperunt sanitatem.

In Translatione die vij. Maij.

Miraculorum gratia simul & gloria crebrescente, quæ per B. Guillermum dignatus est Dominus operari, Cleri & populi deuotio excitata sanitate beati viri quam miraculorum assiduitas in tanta gloriâ reuelabat, sub tenebris ignorantiæ apud exteras regiones non est passa teneri.

Ad sedem namque Apostolicam solemnes nuncij semel, secundò & tertiò diriguntur. Impetrato verò super inquisitione de vita eius, meritis, miraculisque faciendâ Venerabilis vir Guillermus Antissiodorensis Episcopus & duo religiosi Abbates Cisterciensis Ordinis, qui hoc susceperè mandatum, plures viros religiosos, & alias personas Ecclesiasticas & sæculares iuratas examinauerunt diligenter, & ad eandem sedem eorum testimonia diligenter & solemni examinatione probata sub sigillorum suorum cautâ inclusione transmittunt.

Præsentibus ergo bonæ memoriæ domino Geraldo Bituric. Archiep Simone Cantore & pluribus alijs Canonicis Bituricensibus pro canonizatione viri sancti vehementer insistentibus, cùm vsq; adeo fuisset in negotio illo procellum, vt sententia proferri deberet intra diem præfixam, hoc iudicium humanum, quod aliquando titubat in diuinis, huiusmodi virtus declarata miraculi confirmauit.

In Vigilia octauæ xviij. Maij.

Eo tempore quo canonizandus erat B. Guillermus Bituricensis Archiepiscopus, erat Romæ quidam Venerabilis vir Decanus de Boëmiâ, Deum timens, cui dormienti diuinitus releuata fuit hæc canonizatio.

Cúmque respondisset se nescire quis esset ille S. Guillermus cùm de remotis valdè partibus illuc aduenisset, dixit illi vir ille facie resplendens qui sibi apparebat, quod erat sanctus qui per Apostolicum Collegium infra breue tempus canonizari debebat.

Expergefactus autem Decanus ille & aliquantulum de visione turbatus, adjecit ei vir ille si vis, inquit, negotium tuum pro quo huc venisti expediri in breui dic sæpe psalmum illum: Iudica Domine nocentes me.

In Octaua xiv. Maij.

Cúmque Decanus ille iterum obdormisset, ecce præfatus vir, sicut in primo visu apparuit illi & omnia quæ prius dixerat replicans adiecit ad vltimum quod ei de negotio suo male accideret, si circa hæc ageret negligenter.

Surgens ergo Decanus ille quam citius, horisque matutinalibus decantatis abiit ad honestum virum & maturum Pragensem Episcopum, qui ei notus erat, & narrauit ei secretò visionem suam.

Deliberauerat interim Papa cum fratribus de negotio B. Guillermi & ad tractandum huiusmodi negotium euocari præcepit omnes Archiepiscopos & Episcopos, qui tunc Romæ præsentes erant. Et dum miracula B. Guillermi legerentur, Episcopus ille Pragensis recordatus visionis præfati Decani, coram omnibus enarrauit. Quo audito omnes Deum glorificantes, vt sententia proferretur, postularunt. Surgens ergo in medio summus Pontifex (Honorius tertius) B. Guillermum Bituricensem Archiepiscopum Sanctorum catalogo pronuncians præcepit ascribendum.

De Canonizatione S. Guillermi respondet Pontifex. Ex Cartulario Bituricensi.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Bituricensi, & dilectis Filijs Decano & Capitulo, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex tenore literarum vestrarum accepimus, quod misericordia Redemptoris quæ seruos suos in regno glorificat fidelitatis æternæ, ac interdum glorificat in præsenti, diebus istis in quibus abundat iniquitas refrigescente charitate multorum ad deuotionem Christiani populi excitandam & fidei augmentum per S. memoriæ Willelmum prædecessorem tuum, Frater Archiepiscope, in partibus vestris crebra miracula operatur, ad cuius tumulum per inspirationem illius qui corda fidelium illuminat & accendit de diuersis regni Francorum partibus, nullo mouente vel prædicante, maxima multitudo concurrit, vbi multi languentes restituuntur pristinæ sanitati. Vnde cùm tanta lucerna, quæ vitæ merito & opinionis odore dum fruerętur

luce præsenti apud omnes effulsit, non sit ponenda sub modio, sed super candelabrum potius statuenda, dilectum Filium Magistrum P..... Ecclesiæ vestræ Cancellarium ad sedem Apostolicam destinastis cum eo & per eum nobis humiliter supplicantes, vt illum faceremus adscribi Sanctorum catalogo venerandum. Nos igitur ex hoc referentes laudem & gloriam Creatori qui in suâ Majestate mirabilis faciens signa & mirabilia magna in terris per seruos suos ad imitandum piæ conuersationis exemplum non desinit mirabiliter operari, per illorum gloriam sempiternam opem nobis conferens salutarem. Quia iudicium istud Diuinum est potius quam humanum ad præsens in eo non duximus procedendum, æstimantes consultius expectare vt Deus magis ac magis clarificet quem iam clarificare inchoauit, quatenus in tempore opportuno ad tam arduum iudicium exequendum ipso præstante securiùs procedamus. Datum Laterani quinto Kalend. Ianuarij Pontificatus nostri anno tertio-decimo. Hæc tum respondit Pontifex quæ supremi numinis cooperante gratiâ, cum miraculis maioribus in dies firmarentur, visum est denuò Apostolicam compellare sedem scriptis literis quibus in hunc modum resj ondisse traditur idem.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis Filijs Decano & Capitulo Bituricensis S. & A. B. Literas quas pro Sanctorum Catalogo adscribendo piæ recordationis VVillelmo Archiepiscopo vestro, nostro Apostolatui destinastis, paterna benignitate recepimus deuotionem vestram in Domino commendantes quod ad hoc negotium promouendum, cum tanto desiderio aspiratis. Verum quia Sacrosancta Romana Ecclesia in hoc negotio, vt pote valdè arduo & ad Diuinum potius quàm humanum iudicium pertinente cum multâ consueuit maturitate procedere, ad præsens in eo non duximus procedendum; sed adhuc decreuimus expectandum vt is, qui eum, sicut creditur, clarificauit in cœlis, amplius clarificet ipsam in terris ad sui nominis gloriam & honorem, ita quod securiùs procedere valeamus, ad præfatum negotium exequendum. Datum Laterani sexto Kalendas Iunij, Pontificatus nostri anno decimoquinto.

B. Guillelmus ab Honorio III. Sanctorum albo inscribitur. Ex Tabulario Bituricensis Capituli.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Etsi electi dicantur pauci respectu multitudinis vocatorum, non est tamen aliquatenus dubitandum quin ex tanto fidelium numero eligatur maxima multitudo. Vnde & Propheţ conquerenti se solum esse relictum, omnibus aliis interemptis, est responsum à Domino: Reliqui mihi septem millia virorum qui ante Baal genùa non curuauerunt, & B. Euãgelista Ioannes, cùm reuelatum sibi numerum signatorum ex duodecim tribubus conspexisset, vidit turbam magnam quæ dinumerari non poterat, amictam stolis candidis & tenentem palmas in manibus coram Deo. Porro iustus & misericors Deus fideles suos, quos prędestinauit ad vitam, omnes quidem coronans in patria, quosdam eorum secundùm altitudinem diuitiarum sapientiæ suæ ac misericordiæ glorificat & in via vt frigescentem iam in pluribus charitatis igniculum accendat, mirabilium nouitate suorum, & prauitatem confundat hæreticam dum ad Catholicorum tumulos faciens miracula pullulare, manifestè demonstrat eos habuisse dum viuerent fidem rectam. Ipso igitur piæ recordationis Willelmum Bituricensem Archiepiscopum quem in vita non solum virtutibus, sed etiam signorum ostensionibus insigniuerat, faciente post obitum celebrioribus miraculis coruscare, Venerabilis Frater noster Archiepiscopus & dilecti filij Canonici Bituricenses ipsum per Apostolicam sedem adscribi Sanctorum Catalogo instanti deuotione ac deuota instantia multoties petierunt. Cùm autem necessaria maturitate diu suspensa fuisset petitio eorundem eo quòd cùm huiusmodi iudicium Diuinum sit potius quàm humanum, difficile est mortalem hominem iudicare de illis qui veste mortalitatis exuti cum Christo creduntur viuere ac regnare. Demum ipsis propter miraculorum frequentiam petitionem prædictam humiliter replicantibus, nos ne ministerium nostrum Diuinæ dignationi mirificanti sanctum suum subtrahere videremur, Venerabili fratri nostro Antissiodorensi Episcopo & dilectis filijs Bonradij & Calouiensi Abbatibus Cisterciensis Ordinis dedimus in mandatis, vt, cùm opera pietatis in vita &

miraculorum signa post mortem ad hoc quod quis reputetur Sanctus in militanti Ecclesia requirantur, licet ad sanitatem animæ opera sola sufficiant in Ecclesia triumphanti, diligentissimè inquirerent de vtroque, & quæ inuenirent fideliter redigentes in scriptis ea nobis transmitteret sub suorum munimine sigillorum, quatenus per eorum relationem instructi in negotio ipso securiùs Domino inspirante procedere valeremus. Qui primò iuxta mandati nostri tenorem de illius conuersatione ac vita, ac deinde de miraculis inquisitionem facientes per legitimos testes & omni exceptione majores & adstrictos iuramenti vinculo diligentem, inuenerunt ipsum sanctæ conuersationis odorem aliis fuisse dum viueret, & insignium miraculorum multitudine post obitum claruisse. Quæ tum quia nota sunt, tum quia præ sui multitudine non possent sub breuitate narrari, præsenti paginæ non duximus inserenda, melius æstimantes scripturo glorioſam eius Historiam vniuersa relinquere quàm paucis auctoritatem bullæ nostræ appositione præstando, eam reliquis quodammodo derogare. Ipsis autem miraculis, quæ inquisitores prædicti nobis sub suis sigillis inclusa, prout in mandatis, receperant, transmiserunt, examinatis per quosdam de Fratribus nostris primitùs diligenter, ea demum in pleno consistorio fecimus solemniter recitari eius sanctitatem morum & signorum virtutem ad fauorem petitionis pro qua prædicti Archiepiscopus & Canonici vna cum Episcopis & Prælatis Bituricensis Prouinciæ aliisque quam pluribus vehementer instabant, concurrere videremus, Diuinum & humanum secuti iudicium de Fratrum nostrorum consilio, post multam deliberationem habitam cum eisdem, necnon cum Archiepiscopis & Episcopis existentibus apud sedem Apostolicam, quos ad consilium nostrum admisimus, de Diuina misericordia & eiusdem sancti meritis confidentes ipsum sanctorum catalogo duximus adscribendum statuentes vt in die depositionis ipsius Festiuitas deuotè à Christi fidelibus annis singulis de cætero celebretur. Quocirca deuotionem vestram monemus in Domino & hortamur per Apostolica vobis scripta præcipiendo, mandantes quatenus eiusdem Sancti memoriam cum celebritate debita venerantes eius apud Deum suffragia humiliter imploretis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum decimosexto Kalendas Iunij, Pontificatus nostri anno secundo. Eiusdem Canonizationis meminit Appendix Altissiodorensis Chronici, his verbis Anno 1218. Quo Simon Montis-fortis in obsidione Tolosæ ictu petrariæ percussus occubuit, WILLELMVS quondam Bituricensis Archiepiscopus, cum iam diu miraculorum gloria claruisset, canonizatur à Papa Honorio & Sanctorum catalogo sociatur. Sed iuuat loquentem iterum audire Pontificem.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Diuinæ benignitas pietatis sanctos & electos suos in cælestis regni felicitate locatos ad hoc in terra miraculorum coruscatione clarificat, vt fidelium per hoc excitata deuotio eorum suffragia dignâ veneratione deposcat. Vnde cum B. Willelmum Bituricensem Archiepiscopum quem Dominus claris sicut nobis plenè constitit miraculis illustrauit, Sanctorum Catalogo adscripserimus, monemus vniuersitatem vestram in Domino & hortamur quatenus eius apud Deum patrocinia deuotis mentibus imploretis. Cùm autem eius venerabile corpus sit de loco in quo est, ad alium transferēdum, nos de Beatorum Petri & Pauli, & ipsius glorioſi Confessoris meritis confidentes vniuersis qui ad solemnitatem eius ipso die quo transferetur, vel etiam infra octauas cum deuotione conuenerint, quadraginta dies pœnitentiæ injunctę relaxamus, omnibus, qui ad eiusdem Translationis solemnitatem futuris annis ipso Translationis die reuerenter accesserint eandem indulgentiam concedentes. Datum Romæ apud S Petrum decimosexto Kalendas Iunij Pontificatus nostri anno secundo.

ELOGIVM HISTORICVM S. HONORII
Martyris, die 9. Ianuarij.

SAnctus Honorius, cuius iampridem memoria fit in Breuiario Diœcesis Pictauensis, natus est apud Buzencaium oppidum Bituricensis Diœcesis *Buzançois sur la riuiere d'Endre, entre le Berry & la Touraine*, & in Tenezayo vico Pictauensis Diœcesis occisus est, in loco, vbi etiam nunc ædicula ipsius nomini consecratam

cernere

cernere est, *Tenezay en Poitou.* Neque plura hactenus occurrerunt. Hoc verò, breue licet ieiunúmque Summarium, debemus Litanijs Pictonicis ab Illustrissimo Rupipozæo Antistite pridem euulgatis, quibus nonnulla licebit adiungere quùm è Buzencaio, cuius loci patronus habetur S. Honorius, vitam illius integram, si quæ ibidem delitescit, nancisci fuerit mihi concessum.

SANCTI IACOBI EREMITÆ
Elogium Historicum.

Ex prolixiori vita, quam aliâs lege in veteri Codice Monasterij Sancti Sulpitij Bituricensis.

SAnctus Iacobus, natione Græcus, patre cognomine Felice, matre Hermena editus, militaribus in adolescentia studiis implicatus, Leoni Græcorum imperium moderanti familiarissimus fuit. Huic frater senior extitit Herpillinus iampridem in partem Domini assumptus, cuius frequentibus de contemptu mundi atque æterna felicitate sermonibus, eò tandem deductus est, vt susceptæ veræ conuersionis ad Deum voluntate ab illius loci Episcopo decisa cæsarie Clericus fuerit ordinatus. Cúmque ad perfectiora quæque inardesceret animus, natali relicto solo Galliæ fines expetendos censuit. Conscensa itaque naui Genuensium peruenit ad vrbem, vbi mulierem Petronillam nomine oculorum orbitate laborantem fusa prius prece sanauit, agrósque ac vineas à tactu grandinis illæsas conseruauit.

Eorum ingratitudinem perosus Iacobus clam fugit & Galliæ remotiores sinus expetiit & pertransiens Lugdunum ad Aruernos venit propter famigeratissimum Fredegisum Episcopum Claromontensem cui hærere optabat, vt disceret sanctiora, quia præsul erat sermone & opere potens, & sanctus vbique prædicabatur. Accessit igitur ad eum Iacobus & narrato vitæ suæ discursu, factus est cum Episcopo cor vnum & anima vna, à quo Presbyter ordinatus est, sed pro amore solitudinis secretum petiit habitaculum: inde Bituriges adiit; ad quam vrbem cum deuenisset, & sanctorum memorias, quæ præcipuè in eadem celebrantur, frequentasset, ad extremum Nauense quoque Monasterium, hoc est Abbatiam Sancti Sulpitij in suburbio Bituricæ ciuitatis extructam visitauit.

Sanctus vir Fratrum illorum charitate exhilaratus prudenter considerans, aut se debere communiter viuere cum fratribus, si cum illis versaretur, aut secedendum esse vt austeritatem vitæ persequeretur, variis cogitationibus in diuersa propositum suum rapientibus, tandem elegit secedere in eremum, ne singularitate vitæ turbaret infirmos. Circuiuit igitur per gyrum regionem & inuento secessu suo proposito arridenti in ditione magnifici viri Roberti, reuertitur ad Monasterium Benedictinorum, reuelat locum sibi placitum; sed rationem adipiscendi ignorans, de malo adipiscendi inijt consiliũ cum Fratribus, quibus visum est posse fieri quod optabat, si dominum Saxiaci, qui amplissima circũquaque territoria possidebat adiret & posceret ab eo facultatem construendi gurgustioli, vbicumq; desertorum sibi grata apparuisset habitatio, vt semotus à turbis & conspectu hominum eremita solitarius viueret. Vbi sic consultũ est, maturè adiit Principem Robertum, cui exponit votum suum & illico gratulabundus Princeps tota libertate plura concessit quàm petebatur, valdè gauisus quod sancto viro fuisset dignus in suis terris dedisse habitaculum. Robertus siquidem Saxiaci vici & circumjacentis regionis dominus, vir potens & nobilis ex Regum Francorum genere ortus erat, & quod optabilius est, Christiana pietate insignis, cui affectu & origine respondebat vxor eius, nomine Agana, ex patre Wichfrido Comite quondam Bituricensi Regali prosapia exorto & matrona Oda nomine filia, & hi omnes à sanguine Regio Francorum traxerunt originem. Iacobus autem desiderio potitus, & gratiarum actione acta tam benigno domino locum obseruatum & anachoresi congruum offerenti, siquidem in ripa minoris Saleræ locus situs erat, indicia ostendens olim illic fuisse habitationem hominum propter ruinas murorum, hic illicque eminentes. Hunc, inquam, locum cui Saciacus vicus nomen fuisse dicitur, duodecim milliaribus à Biturica ciuitate distans, elegit in habitationem sibi verus Eremita, séque illic posse latere propter siluarum vmbracula æstimauit. Ne autem illi esset

frequens procedendi necessitas ad Monasterium propter sacrificij mirandi hostiam offerendam, emendicatis eleemosynis à gente vicina ædificauit ædiculam paulo angustiorem suo tuguriolo, vbi secundùm animi sui affectum, comite quodam Ioanne famulo crebrius Dominicum corpus in Missa immolabat, &c. Si quis tantæ abstinentiæ fidem adhibere voluerit, ipse dominus Robertus & Agana iugalis eius exemplo hoc euidenti comprobauerunt, &c.

Morti proximus pronunciauit in proximo reuersuram esse ab Aquilone gentem Danorum, quos vulgus Normannos vocat, cuius crudelitatem Monasterium illud Benedictinorum vnde nuper egressus fuerat, experiretur, direptis ac vastatis ad illud pertinentibus. Addiditque propediem venerandum Archiepiscopum Bituricensem Radulfum fatis concessurum, cuius prouidentia sic Bituriges gubernabantur, vt à cunctis Pater patriæ esset vocatus. Prædixit quoque futuræ famis inopiam. Pridie verò quàm decederet, aperiri sibi sepulchrum iussit in oratorio quod propriis construxerat manibus. Quod cum fuisset ingressus, flexis genibus, in oratione erectis sursùm oculis defungitur terrestri vir admirabilis, fruiturus vitâ cœlesti æterna in cœlis tertiodecimo Kalendas Decembris (seu 19. Nouembris.) Qui plura velint nosse, inquit Author ille ætate suppar, interrogent superstites Capellæ Gilonis, & vera esse quæ diximus, experimento probabunt.

Eiusdem Iacobi Eremitæ quotannis, tùm in vetustissimo, tùm in recens excusis Ecclesiæ Bituricensis Breuiarijs, festiuus recurrit dies 19. Nouembris, trium, vt vocare solent, Lectionum: Integram verò eiusdem Sancti vitam cum eruditissimis obseruationibus ad Saxoniam, vt appellat, Francicam spectantibus, expectamus à V. C. Iacobo Cholet, in Parisiensi Curia Causidico celeberrimo.

ELOGIVM BREVE
BEATÆ IOANNÆ REGINÆ
BITVRIGVM DVCIS.

ORdo B. MARIÆ semper Virginis à B. IOANNA filia Ludouici XI. sorore Caroli VIII. coniuge Ludouici XII. Regum Galliæ institutus ab Alexandro VI. Papa confirmatur. Cui quidem Ludouico cùm diu ante regnum Ioanna nupsisset Duci adhuc Aurelianensi, is Carolo absque liberis defuncto in regno suffectus, suasu Aulicorum Procerum, ne Britanniæ Armoricæ Ducatus abalienaretur, Annam eius hæredem, & Caroli viduam duxit vxorem, Ioanna dimissâ. causta diuortij, metus præferebatur, & quòd non sponte eam duxisset, sed compellente Virginis patre Ludouico XI. quódque illius adeò corpus nunquam attigisset. Neque Ioanna se opposuit, sed libens ad alterius, æternique Regis cultum se conuertit, ac mente quidem tranquilla, quòd Alexandrum VI. Pont. Max. indulsisse, atque, vt loquuntur, dispensasse intellexisset. Ducatum porrò Bituricensem donum acceperat, cuius se fructibus, Bituricensi in vrbe agens tolerauit, & alia pijs vsibus impendit. Ordinem in honorem cultúmque Deiparæ Virginis ab ipsa institutum, Alexander Papa anno 1501 primùm confirmauit, procurante R. P. Gilberto Nicolao, Ordinis S. Francisci, qui postea Gabriel Maria est nuncupatus. Post Alexandrum, Iulius II. anno 1506. deinde Leo X. annis 1515. & 1517. idem institutum approbarunt, & priuilegijs stabiliuerunt. Vniuersa porrò Virginum Annuntiatarum Regula nonnisi decem capitibus constat, quæ decem primarias Deiparæ virtutes in Euangelijs expressas ob oculos ipsis proponunt imitandas, nimirùm castitatem, prudentiam, humilitatem, veritatem, pietatem seu deuotionem, obedientiam, paupertatem, patientiam, caritatem, & compassionem seu dolorem; nec ex Basilij, Augustini, Benedicti, Francisci, aut alterius sancti Patris præscripto, sed ex ipsis verbis Euangelicis Regula huius Ordinis est concinnata. Vtuntur veste talari leucophæa, in testimonium vitæ pœnitentis quam profitentur; chlamydem candidam ex humeris in pedes desinentem gestant in memoriam virgineæ puritatis Deiparæ, quam æmulantur. Ornantur insuper scapulari rubeo in formam Crucis ante pectus adaptato, memoriæ Passionis Dominicæ assiduè in mentem reuocandæ. Eadem verò toto vitæ

decurſu ſanctiſſimè tranſacto, ferè quadragenaria Biturigis quarto die Februarij obdormiuit, anno 1505. & in primo inſtituti Cœnobio à ſe ibidem excitato condita eſt, vt in Chronico obſeruauit Aubertus Miræus, cuius verbis licebit addere quod ſingulis annis in Bituricenſi, cæteríſque earumdem Monialium Annuntiatarum, vt vocant, Cœnobiis, recitati aſſolet, eiuſdem Beatiſſimæ Reginæ elogium breue ab illuſtriſſimo Eduorum Antiſtite Ludouico Donio Attichio, Sammarthanis Fratribus, à R. P. Hilarione Coſtano, aliíſque, qui copioſiùs res eius geſtas, virtutéſque proſequuntur, deſcriptum.

Obiit inclyta, & meritis plena, B. Ioanna de Francia, Illuſtriſſima quondam Regis filia, & ſoror alterius, videlicet Caroli VIII. quæ viro ſoluta caſtè viuens, mundo orbata, & diuinis ac ſacris addicta, totius Ordinis ſacrorum Beneplacitorum Euangelicorum fundatrix & rectrix extitit pientiſſima: Cuius ſacrum pignus Biturigis honorificè ſepelitur, miraculis clarens. Porrò nunc Beata in cælis laureata, perpetuò cum Beatis Deo fruitur, die 4. Februarij defuncta, anno Domini milleſimo quingenteſimo quarto.

Bullam Leonis X. ex ipſo autographo originali à me ante annos 14. deſcriptam, placet hîc ſubiicere, vt ex ea Lectores intelligant, quo deuotionis affectu cùm beata Ioanna, tum cæteræ Moniales eius filiæ ac ſequaces, præcipuas Beatiſſimæ Virginis Deiparæ virtutes colere hactenus, atque æmulari ſtuduerint, probante in omnibus Sede Apoſtolicâ.

LEO EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, ad perpetuam rei memoriam.

Ad ea quæ circa decorem Religionis, & perſonarum quarumlibet, tam virorum quàm mulierum, ſub ſuaui Religionis iugo, Altiſſimo famulantium ſtatum ſalubriter dirigendum tendere noſcuntur, paternâ ſollicitudine proſpicientes, prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, ea quæ propterea emanarunt approbando & innouando, illarum conſeruationi & augmento, ac nouæ regulæ de mandato noſtro editioni, pro animarum earumdem perſonarum ſalute libenter intendimus, & illas ſpiritualibus muneribus confouemus; & vt ea quæ pro diuini cultus augmento, & Religionis propagatione, & animarum Chriſti fidelium ſalute prouidè facta fuiſſe comperimus, vt firma perpetuò & illibata perſiſtant, libenter, cùm à nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus; & alia circa ea ſtatuimus & ordinamus, provt ſalus animarum perſonarum earumdem, & piâ perſonarum, præſertim ex nobili & alti ſanguinis ſtirpe deſcendentium, ac nobis & Sedi Apoſtolicæ deuotarum expoſcit deuotio, & id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Dudum ſiquidem felicis recordationis Alexandro Papæ ſexto prædeceſſori noſtro, pro parte B. memoriæ Ioannæ de Francia tunc Ducíſſæ Bituricenſis expoſito, quòd ipſa, quæ, vt aſſerebat, à Regio ſanguine trahebat originem, B. Mariæ Virginis, cuius ab ineunte ætate continuè deuotiſſima fuit, virtutum, & ſuorum præclarè geſtorum contemplationi toto cordis affectu intendens, cupiens tunc terrena in cæleſtia, & tranſitoria in æterna, felici commercio commutare, congregatis in vnum omnibus, quæ ex Euanglica lectione per eandem Virginem Mariam, dum in hoc ſæculo eſſet, geſta reperiuntur, quandam regulam, ſecundùm quam aliquæ mulieres virtutes eiuſdem B. Mariæ imitari, ac religioſè & honeſtè viuere volentes in domibus, tam per ſeipſam Ioannam Ducíſſam, quàm alios Chriſti fideles, de bonis à Deo eis collatis, ædificandis, in quibus etiam aliqui Fratres, in loco tamen ſeparato, pro earum ſpiritualibus & temporalibus obſequiis pro tempore deputati exiſterent, ſub clauſura ac cura & regimine Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, Altiſſimo famulari poſſent, cum conſilio tunc bonæ memoriæ Epiſcopi Albienſis, ac quamplurimorum proborum virorum illarum partium in ſacra Theologia Magiſtrorum ſæcularium & religioſorum ordinari, & confici, & pro regula eiuſmodi certas ordinationes, Decem Beneplacita eiuſdem B. Mariæ Virginis continentes, quæ perpetuis futuris temporibus obſeruari deberent, fieri procurauerat, ac quòd mulieres, ſorores & fratres præfati ſecundùm virtutes eiuſdem B. Mariæ Altiſſimo famulantes nominari deberent, voluerat. Idem Alexander prædeceſſor volens tam ipſius Ioannæ, quàm Annæ etiam de Francia Ducíſſæ Borbonij, & ipſius Ioannæ ſororis, votis & piis deſideriis annuere, & attendens omnia in dictis ordinationibus contenta per

præfatum Episcopum Albiensem, Prælatum vtique bonæ & timoratæ conscientiæ, ac singularis doctrinæ & prudentiæ primò, & deinde ex commissione sua per dilectum filium Ioannem Annium, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Theologiæ Professorem, ac sacri Palatij Apostolici Magistrum, diligenter & accuratè examinata, & per eos, tanquam canonica, salubria, & vtilia laudata fuisse; ac per dilectum filium Gilbertum Nicolai, tunc Guardianum Domus Ambasiæ, Ordinis eiusmodi Fratrum Minorum de Obseruantia nuncupatorum, Turonensis diœcesis, eiusdem Theologiæ Professorem, & prefatæ Ioannæ tunc Confessorem, coram eodem Alexandro tunc personaliter constitutum. Dudùm etiam examinata & laudata regulam, & statuta, ac ordinationes huiusmodi per quasdã suas litteras authoritate Apostolicâ confirmauit, & approbauit, ac voluit & mandauit illa obseruari debere, & nihilominus tam eidem Ioannæ, quàm aliis Christi fidelibus, domos prædictas ac Monasteria pro ampliatione dictæ Religionis in aliquibus locis ad hoc conuenientibus, & honestis, pro tunc introductis, & aliis introducendis sororibus, ædificandi licentiam & facultatem concessit, illorúmque locis & domibus ac Monasteriis, & sororibus huiusmodi, vt omnibus & singulis priuilegiis, prærogatiuis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis, fauoribus & indultis Ordini Fratrum Minorum, ac illius domibus & locis per Sedem prædictam, sub quacumque forma & expressione verborum concessis eatenus, & in posterum concedendis, vti, potiri & gaudere liberè & licitè possent & deberent; prefatâ authoritate, de specialis dono gratiæ indulsit, & quampluribus aliis priuilegiis, concessionibus & gratiis communiuit. Et deinde piæ memoriæ Iulius Papa secundus, etiam prædecessor noster, regulam & ordinationes huiusmodi per alias suas litteras dictâ authoritate Apostolicâ similiter confirmauit, & approbauit, ac amplioribus fauoribus, gratiis & indulgentiis decorauit. Et successiuè per nos accepto quod etiam in Hispaniæ partibus, Domino concedente, alia mulierum Religio, quæ Moniales, siue sorores Conceptionis, siue de Conceptione B. Mariæ nuncupantur, creuerat, quæ pariter regulam ab eodem Iulio prædecessore confirmatam habuerant; & quas quidem mulieres Hispaniæ Principes de mandato præfati Iulij prædecessoris huiusmodi sub cura & regimine dictorum Fratrum Minorum de Obseruantia, quemadmodum prędictæ de Annuntiata siue Decem Beneplacitorum reguntur & gubernantur, regi & gubernari voluerant. Et pro parte ipsorum Fratrum Minorum, sub quorum cura ipsæ sorores seu Moniales degunt, videntium diuersa Religionum genera Religiosarum mulierum multiplicari nobis suppliciter supplicato, vt ex duabus prædictis Regulis à Sede Apostolica approbatis, vnam, quam tam de Annuntiata quàm de Conceptione sorores huiusmodi seruare tenerentur, componi & ordinari facere dignaremur.

Nos attendentes expediens & vtile in Dei Ecclesia fore, atque earumdem sororum animarum saluti expedire, vt sub vna & eadem regula & denominatione viuerent, & duabus regulis, ad euitandas tot diuersitates Religionum, quæ verè vna dici poterat, cùm sub nomine B. Mariæ, ambæ compositæ essent; per alias nostras in forma Breuis litteras prędicto Gilberto Nicolai Ordinis Minorum huiusmodi de Obseruantia nuncupatorum, tunc Generali Vicario Vltramontano dedimus in mandatis, vt ex dictis duabus regulis, vnà cum aliquibus sacræ Theologiæ Magistris, atque Definitoribus Capituli Generalis eorumdem Fratrum Antuerpiæ, Prouinciæ Coloniæ, nouissimè celebrati, vnam tantùm Regulam componeret, & huiusmodi Religionum genera in vnum genus Religionis vniret, & alia mandaret, & faceret, quæ earum saluti & Ecclesiæ Dei expedire viderentur, prout in singulis litteris prędictis plenius continetur.

Cùm autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictarum sororum seu Monialium petitio continebat, idem Gilbertus litteris nostris prædictis sibi præsentatis ad illarum executionem formâ seruatâ ritè procedens in dicto Capitulo Generali, cum consilio prædictorum, & quamplurimorum aliorum proborum & doctissimorum virorum, ex dictis duabus regulis vnam compegerit & composuerit, quæ vtrisque sororibus & Monialibus huiusmodi conueniens existit, & in vnum volumen redegerit, & huiusmodi duo Religionum genera in vnum vniuerit, prout in regula huiusmodi, cuius tenorem per dilectum filium Ioannem Ferrariensem, dicti Ordinis Prędicatorum & Theologiæ Professorem, dicti sacri Palatij nostri Magistrum diligenter inspici, & de verbo ad verbum præ se nibus inseri fecimus, plenius continetur,

pro parte tam sororum huiusmodi, quàm etiam dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Margaritæ de Lotharingia Ducissæ Alenconij, quæ ad præfatam glorioſissimam Virginem Mariam, ac sorores & Ordinem huiusmodi singularem gerit deuotionis affectum, nobis fuit humiliter supplicatum, vt regulæ prædictæ de duabus in vnam de mandato nostro compactam, pro illius subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adiicere, aliásque in præmissis opportuna prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur qui Religionis propagationem, ac diuini cultus augmentum, & animarum salutem nostris potissimùm temporibus, supremis desideramus affectibus, ac ad ipsam B. Virginem etiam semper gessimus & gerimus singularem deuotionis affectum, attendentes omnia & singula in dicta regula, vt præfertur, de duabus in vnam redactâ, contenta, & per præfatum Magistrum dicti Palatij diligenter & accuratè examinata, & per eum tanquam canonica, salubria, & vtilia laudata fuisse, huiusmodi piis & honestis nobis, vt præfertur, porrectis supplicationibus inclinati, regulam prædictam sic ex duabus in vnam, vt præfertur, de mandato nostro compactam, ac omnia & singula in ea contenta authoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, illámque & illa per vtrasque sorores Ordinis huiusmodi, tam in Galliæ quàm Hispaniæ, & quibusvis aliis mundi partibus, nunc & pro tempore existentes, in virtute sanctæ obedientiæ obseruari, & sub vna & eadem regula & denominatione, videlicet Beatæ Mariæ Virginis perpetuò viuere, & nuncupari debere decernimus; & nihilominus omnia & singula priuilegia, immunitates, concessiones, gratias etiam Christi fidelibus de ædificando domos seu Monasteria Religionis & Ordinis huiusmodi, in quibusvis mundi partibus, in locis ad hoc conuenientibus, & alia omnia tam per Alexandrum & Iulium prædecessores nostros huiusmodi, quàm etiam per nos concessa, authoritate & tenore prædictis confirmamus, approbamus, & innouamus, ac Fratribus ipsis, vt perpetuò de dictis Monialibus & sororibus curam & regimen habeant, & eisdem sororibus & Monialibus, tam in Gallia quàm Hispania, & vbilibet existentibus, vt dictis Fratribus, qui pro tempore ipsis sororibus per habentes authoritatem præficientur, obediant & pareant, ac perpetuò subiiciantur, ipsíque Fratribus pro obsequiis earumdem sororum pro tempore deputatis, quòd in dictis locis manere, & ab eisdem sororibus vitæ subsidia sine aliquo conscientiæ scrupulo liberè & licitè percipere possint & valeant, præcipimus & mandamus, eísque concedimus & indulgemus, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis & consuetudinibus dicti Ordinis Fratrum Minorum, iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis, cæterísque contrariis quibuscumque. Cæterùm, quia difficile foret præsentes litteras, & omnia in eis contenta in quibusvis locis vbi expediens fuerit, deferre, volumus, & eâdem authoritate decernimus, quòd transumptis earum manu alicuius Notarij publici confectis, & subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, plena vbique fides in iudicio & extra adhibeatur, quemadmodum adhiberetur & adhiberi deberet ipsis originalibus litteris, si essent exhibitæ vel ostensæ. Tenor verò dictæ Regulæ sequitur, & est talis.

In nomine Domini. Incipit regula & vita sororum B. Mariæ Virginis. *Maria Virgo purissima*, etsi plena fuerit omnibus gratiis & virtutibus, tamen noluit Spiritus Sanctus quòd in Euangelio specialis quædam mentio solùm fieret de decem Virtutibus. Vnde sorores, quarum regula & vita est, imitari Virginem gloriosam, quantum humana patitur fragilitas, faciendo scilicet, dicendo, & cogitando, quæ Virgo in Euangelio legitur fecisse, dixisse, & cogitasse, debent cum summa diligentia prædictas decem Virtutes opere complere, vt de illis verè dicatur, qualis mater fuit, tales & filiæ, & sint sorores Virgini conformes corde, verbo, & opere. Verùm, quia primò in Euangelio mentio fit de puritate Virginis, debent etiam sorores primò de puritate & castitate seruanda sollicitè cogitare, & ea opera, dum viuunt, facere, quæ Virgo ex virtute castitatis legitur fecisse. Ex virtute autem castitatis legitur Virgo virginitatem vouisse, & cum virginitate sanctum Ioseph desponsasse, & Gabrielem interrogasse: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Ad exemplum & imitationem Virginis, quæ fuit hortus conclusus totius puritatis, sorores voueant perpetuam cum perpetua clausura castitatem, & verum Ioseph, Dominum IESVM

ſponſum accipiant in perpetua caritate, & nulla verba vani amoris aut dicant, aut à quoquam audiant: ſed per ſuam caſtitatem cum ſolo IESV earum ſponſo velint habere familiaritatem. Ad habendam autem perfectiùs hanc caſtitatem, fugiant ſuſpecta conſilia, nulla etiam habeant verbo, ſcripto, nutu, vel dono ſuſpecta conſortia cum perſona ſæculari, aut religioſa: ſufficiat ſororibus IESVS earum ſponſus, qui pulchrior eſt vniuerſis, & totus deſiderabilis. Eſt autem ſororum clauſura arctiſſima, ſicut & caſtitas puriſſima; quia nec egredi poſſint ad extra, nec aliæ perſonæ ingredi poſſint ad earum Monaſteria. Non tamen infringitur ſororum clauſura, quando fit ingreſſus aut egreſſus, concurrentibus, ex parte ſororum euidenti neceſſitate, & ex parte ſummi Pontificis, Apoſtolicâ conceſsâ authoritate: ſicut nec infringitur, cùm intrat Prælatus pro viſitatione, aut Confeſſor pro Sacramentorum adminiſtratione, & mortuarum ſepelitione; aut Medicus pro infirmarum curatione, aut faber pro neceſſaria rerum reparatione: ſicut etiam non infringitur, quoad egreſſum, quando egrediuntur ſorores ad exemplum Virginis, conſilio Gabrielis, id eſt Prælati, pro noua Monaſterij ſuſceptione, vel antiqui reformatione, aut neceſſaria ſororum tranſlatione.

Maria Virgo prudentiſſima ſemper fuit, & ex prudentia ſua, quæ ſequuntur, fecit. Nam cogitabat qualis eſſet Gabrielis ſalutatio, & conſeruabat omnia verba quæ de Chriſto, aut à Chriſto dicebantur, conferens in corde ſuo; & quia fugit in Ægyptum pro filio conſeruando, non rediens niſi priùs Herode defuncto, & non vadens vbi erat Archelai habitatio. Ad exemplum & imitationem Virginis ſorores debent eſſe tardiloquæ, quia ſolùm ſepties legitur Virgo locuta fuiſſe, debéntque non leuiter loqui, ſed dicenda præmeditari, ſimiliter & agenda, & in corde iugiter conferre, ſi ab eis regula earum obſeruetur, vitáque ipſarum IESV ſponſo placita inueniatur. Nam perfectiſſima prudentia eſt ſcire placere Deo, & cauere ab omni, quo Deus offenditur, peccato; maximè autem fugiant, & caueant ab Herode & Archelao, id eſt, à vitio inanis gloriæ, & impatientiæ. Nam draco occultè inſidiatur, leo apertè iraſcitur. Quæ duo præcipuè fugâ vincuntur. Ad habendam autem perfectiùs hanc Virginis prudentiam, ſeruent ſorores ſtrictiſſimè in receptione Nouitiarum, vt ad exemplum Virginis nulla penitùs ingrediatur in domum Mariæ, & Monaſterium ipſarum, niſi Gabriela aut Ioſepha, id eſt, corpore forti & ſana, mente fideli & catholicâ, carens infamiæ notâ, animo recta & prompta, ad legendum ſufficienter edocta, nulli perſonæ ſæculari vinculo ligata.

Maria Virgo humillima ſemper fuit, cuius Dominus humilitatem reſpexit. Ex humilitate autem, quæ ſequuntur, fecit: nam turbata timuit, laudata à Gabriele, cum humilitate reſpondit, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Ad exemplum & imitationem Virginis, ſorores fugiant officia & gradus. Nam ſicut labes peſſima in Religione ambitio cognoſcitur, ſic in Religioſa, virtus vera eſſe dignoſcitur, quando exteriùs deſpecta, interiùs lætatur. Vera enim humilitas eſt, lætari, cùm deſpicitur, & triſtari dum exaltatur; numquamque proprio ſenſui credere: nam ſemper dicit, Fiat ſecundùm verbum tuum, & non ſecundùm meum. Quare ſorores in Capitulo & ſuis conſultationibus proprias opiniones non defendant, ſed credant communitati, quæ plus Spiritu Sancto regitur, quàm ſoror vna ſingularis. Dicant ſemper Matri, Fiat mihi ſecundùm verbum tuum; nec ſe excuſent aliquando à Matre reprehenſæ, præcipuè in Capitulo. Ad habendam autem perfectiùs hanc humilitatis virtutem ſorores ſemper diligant & reuereantur Matrem Ancillam, ſicut vicariam Mariæ, quia reuerà ipſa tenet locum Virginis Mariæ. Mater autem Ancilla ſorores ſuas vt cariſſimas filias amet & conſoletur: Singulis Sabbatis teneat Capitulum culparum, in quo cum magna humilitate pœnitentias Matris ſorores recipiant, ſcientes Capitulum pro huiuſmodi culpis purgatorium eſſe. Cum diſcretione autem Mater puniat ſorores, applicando, iuxta exemplum boni Samaritani, oleum cum vino. Sint autem ſollicitæ ſingulæ Matres, vt ſaltem ſemel in anno ſingula earum Monaſteria viſitentur à Prælatis ipſarum. In qua viſitatione præcipuè inquirat Viſitator de caſtitate, duplicique clauſura, de caritate & pace fraternâ, de paupertate & humili obedientia, de officio diuino & oratione ſancta.

Maria Virgo veriſſima & fideliſſima fuit, & ex veritate fidéque, ea quæ ſequuntur, fecit. Nam poſtquam filium Dei ex humilitate & obedientia concepit, ad montana aſcendit, & in domum Zachariæ intrauit, ſanctámq; Elizabeth ſalutauit; cui Eliza-

beth dixit: Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. O Virgo veriſſima, & fideliſſima, quanta opera ex fide feciſti! Dominum concepiſti, & ad Deum, & Dei fidem conuertere omnes voluiſti. Ad exemplum & imitationem Virginis ſorores debent eſſe in fide fortes, nec aliquam recipere poſſint in Religionem ſuam, niſi fuerit Catholica & fidelis, non excommunicata, nec de crimine hæreſis ſuſpecta. Nam cùm ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, quomodo poſſibile eſſet quòd in Religione, quæ tota eſt dedicata ad Virgini & Deo placendum, reciperetur aliqua in fide dubia? Teneantur ſingulæ Matres cum conſilio Diſcretarum à Domino Papa illum ex Cardinalibus petere in Protectorem, qui eſt Protector Fratrum Minorum huius Religionis ordinatione Apoſtolicâ Prælatorum, vt ſemper ſubditæ & ſubjectæ S. Eccleſiæ Romanæ, in fide ſtabiles obſeruent virtutes & beneplacita Virginis Mariæ. Ad habendam perfectiùs veritatis virtutem meditentur ſorores, ſecundùm ſententiam deuotorum Virginis veritatem, non ſolùm fuiſſe fidei, ſed etiam verbi: vnde piè creditur quòd Virgo in ſalutatione dixerit, *Deo gratias*, vel, *Pax tecum*, propter votum veritatis, quod antè emiſerat. Sint igitur ſollicitæ ſorores, vt in verbis ſuis ſint ſemper veraces, quia Chriſtus veritas eſt, qui perdet omnes qui loquuntur mendacium. Vnde ſorores perpetuum ſeruent Euangelicum ſilentium: Monaſticum autem ſiue Clauſtrale etiam perpetuò ſeruent in Eccleſia, Clauſtro, Dormitorio, & Refectorio. Item à dicto Completorio vſque ad Primam diei ſequentis, & quandocumque iuſſu Matris pulſatur campanella ſilentij.

Maria Virgo deuotiſſima ſemper fuit, & ex deuotione, quæ ſequuntur, fecit. Nam Deum attentiſſimè & lætanter laudabat dicens: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Singulis annis in Hieruſalem aſcendebat, & filium ſequebatur ad audiendum ſermones eius, & cum Apoſtolis perſeuerabat in oratione: ſæpéque legitur reuerſa in Nazareth. Ad exemplum & imitationem Virginis debent ſorores ſummè artem Deum laudandi & orandi addiſcere, nec poteſt in Religione ſoror damnari in morte, quæ in vita chorum & orationem amauerit. Habeant, qui ipſis ſermones faciant, ſi poſſibile ſit, ſaltem in feſtis ſolemnibus, quos attentè & deuotè audiant, quia, Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Nazareth, id eſt, Eccleſiam frequentent, ad quam ſemper obedientiis impletis reuertantur. Officium faciant ſecundùm Ordinarium Romanum, faciendo ſemel in hebdomada de Conceptione IESV, & ſemel de Conceptione Matris IESV, niſi occurrat feſtum ſolemne, aut duplex, & hebdomada ſancta. Feſtum autem ſimplex tunc occurrens celebrandum, tranſeat in feſtum Commemorationis. Singulis autem diebus, quibus non fit de Beata, fiat de ipſa commemoratio die noctúque, exceptis feſtis & octauis Domini Sabaoth. Sorores laïcæ pro Officio diei dicant Coronam Domini IESV, quæ continet triginta tria Pater noſter, & totidem Aue Maria; & pro Officio B. Virginis, Coronam ipſius, quæ continet ſexaginta tria Aue Maria, & ſeptem Pater noſter. Sorores verò ſeruitiales ad extra, ſine habitu Religionis commorantes, recipiant tertium ordinem Virginis, & dicant Officium illius Ordinis. Fratres autem apud ſorores commorantes, authoritate Apoſtolicâ poſſint in Miſſa & Officio conformare ſe ſororibus, & quantum poſſibile erit, ſeruetur à ſororibus oratio mentalis tanto tempore, quanto Chriſtus in cruce ſtetit mortuus. Nam ſine mentali oratione perfectio in Religione paruula eſt, aut nulla. Sorores communicent ordinariè de quindena in quindenam, & in diebus feſtorum Domini Sabaoth, & Virginis Mariæ, & Cœnâ Domini, primâ Dominicâ Aduentus, & primâ die Quadrageſimæ, in feſto Omnium Sanctorum, & in feſto S. Franciſci. Ad habendam autem deuotionem & reuerentiam ad illud digniſſimum Sacramentum, de quo ſingulis quintis feriis ſaltem commemoratio fiat in Miſſa, ſicut ſextâ feriâ de quinq; Plagis, niſi impedimentum occurrat alicuius feſti, aut octauarum. Præterea ſatagant Matres, ſi poſſibile eſt, vt ſaltem in die Euchariſtiæ, & per octauas, iugis memoria & laus habeatur per ſorores ad hoc deputatas.

Maria Virgo obedientiſſima fuit ad Deum, & ad homines propter Deum: vnde ex ſua obedientia, quæ ſequuntur, fecit. Nam ex obedientia filium Dei conceptum, cùm eſſent impleti dies purgationis, partum in Templum tulit, par turturum aut columbarum obtulit; Cæſari Auguſto obediuit in Bethleem eundo, & ibi profitendo. Ad exemplum & imitationem Virginis ſorores obedire debent Deo, decem eius præcepta obſeruando, turtures offerre, veram de peccatis confeſſionem faciendo;

& columbas, Deum toto corde amando. Item sorores promptè obedire debent Prælatis, Patribus, & Matribus, cogitantes quòd Virgo, quæ ex obedientia Deum conceperat, etiam stans in obedientia, hominis scilicet, Augusti Cæsaris, Deum peperit. Non enim potest soror sine obedientia Deum concipere, aut fructum salutis afferre. Ad habendam perfectiùs obedientiæ virtutem, sorores vnam per electionem communitatis habeant Matrem Ancillam, cui sicut Vicariæ Virginis Matris, cuius locum tenet, obedire debent; & ipsa, tanquam locum tenens Matris Dei, sit exemplar & speculum omnis virtutis & perfectionis. Non dijudicent sorores obedientias Matris, sed promptè obediant, ac si Virgo Maria præciperet. Eligatur etiam à Communitate vna Vicegerens, quæ vices gerat Matris absentis. Debent autem ambæ semper, & vbi non possent bono modo, saltem altera ipsarum manere & stare cum sororibus, præcipuè in choro, operatorio, & refectorio. Eligantur præterea à Communitate septem Discretæ, quarum consilio, vnà cum consilio Vicegerentis Mater vtatur in arduis rebus, & quæ sint magnæ importantiæ. Mater verò quæ præsumeret in huiusmodi aliquid attentare sine ipsarum consilio, accusetur coram Visitatore, & acriter puniatur. Per Communitatem etiam eligatur vna istarum Discretarum in Matrem Vigilantem, cuius officium est quatuor perficere. Primò, explorare scilicet, si sorores post Completorium sint recollectæ intra clausuram interiorem, & suas cellas. Secundò, significare Matri secretè sorores quæ non sunt recollectæ in cellis. Tertiò, cum Matre Vicegerente, & seniori Discretarum audire scilicet litteras Matris, tam quas Mater mittit, quàm quas recipit. Quartò, ordinare scilicet quæ & quando sorores ibunt ad Confessionale, ita quòd nulla præsumat ire, nisi missa à Matre Vigilante, vel Matre Ancilla, quando aliquis casus specialis occurrit. Cogitent sorores, quòd propter Deum & Virginem abnegauerũt proprias voluntates; & ne sint sacrilegæ, caueant ne sequantur proprias affectiones, sed humiliter obediant Matri, etiam difficilia præcipienti. Sorores in hac Religione nunquam emittant votum professionis ante suæ ætatis quintumdecimum, nec recipiantur ante quartumdecimum, aut post quadragesimum, nisi receptio causam vrgentissimam haberet. Cùm autem sorores faciunt professionem, dicant in hunc modum: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Virginis Mariæ: Ego soror N. promitto & voueo Deo, & Virgini Mariæ, & omnibus Sanctis, & tibi Matri toto tempore vitæ meæ obseruare regulam B. Mariæ Virginis, viuendo in castitate, cum clausura perpetua, & in obedientia & paupertate sancta, obediendo Generali & Prouinciali vicariis Obseruantiæ Minorum, Prælatis per regulam sororibus à Sede Apostolica datis. Et Mater Ancilla respondeat: Si hoc obseruaueris, promitto tibi quòd Maria in morte tua nuptias celebrabit tecum cum filio suo. Et sorores omnes altâ voce dicant, Amen.

Maria Virgo patientissima semper fuit, & ex patientia sua fecit quæ sequuntur. Sustinuit patienter Herodianam, Iudaicámq; persecutiones: Item filium suum triduò mœsta requisiuit, & inuento filio piâ maternáque locutione dixit: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Ad exemplum & imitationem B. Virginis sorores debent desiderare aliquid pro nomine sui sponsi portare & sustinere, & quotidiè crucem ferre, & lætari atq; gaudere, dum persecutiones multas patiuntur, quia dicit Dominus Iesvs: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Et, Si compatimur, ait Apostolus, & conregnabimus. Quæ ergo tolerant mala propter Christũ, honorem in cælo recipient cum Christo. Debent etiam confortari, si fortè Deus non tam citò illas exaudiat, aut ab eis inueniatur, & perseuerare quærendo triduò scilicet cõtritionis, confessionis, & satisfactionis. Ad perfectiùs habendam hanc patientiæ virtutem, cogitent sorores quanta Christus pro nobis sit passus, & quod si nihil aduersi & paupertatis sustineant propter Christum, non possunt peculiares esse amicæ & sponsæ Christi. Felices sorores, quæ desiderant reprehendi & argui, & ex corde optant ab aliis vilipendi, & à cæteris sororibus conculcari, quoniam talium est regnum cælorum!

Maria Virgo pauperrima paupertimè semper vixit, & ex paupertate, quæ sequuntur, fecit. Iesvm reclinauit in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio; pannis inuoluit, & non ex serico, & vbere suo pauit, carens scilicet delicato & seculari nutrimento. Ad exemplum & imitationem Virginis debent sorores hanc Euangelicam margaritam amare & obseruare, sine qua ruunt ferè omnia Religionis Monasteria,

nec

nec facilè hęc duo simul manere possunt, diuitiæ & deuotio. Sorores IESVM reclinant in præsepio, quando amant cellas, & cubilia vilia; pannis inuoluunt, quando grossis & rudibus pannis induuntur; lacte nutriunt virginali, quando in cordibus suis turpes cogitatus non recipiunt. Ad habendam autem hanc sanctam paupertatem, debent sorores, quarum paupertas in habendo omnia in communi, & nihil in proprio, attendere ad Nouitias & Professas: vt Nouitiæ nullâ parte recipiantur cũ labe simoniæ; Professæ verò vigilẽt ne vltra necessarios redditus nouos acquirãt, nec procurẽt, aut emi faciant quæ curiosa sunt, quin potiùs labores manuum suarum manducent, sicut Virgo faciebat. Mater Ancilla, & omnes sorores, quantũ possibile fuerit, ament & sequantur operatorium, sitq; vna campanella propria operatorij, quâ pulsatâ, omnes sine exceptione, quæ proprias non habent obedientias, diligentissimè ad operatorium volent & conueniant, Psalmos nominum Filij & Matris operãdo persoluant, deinde sub silentio opus manuale continuent, nisi Mater licentiam loquendi dederit, vel legendi: Nulla autem soror præsumat opus agere, nisi quale Mater ordinauerit, & omnes potiùs ea custodiant & seruent quæ sunt cõmunitatis, quàm ea quę sunt ad vsum particularem sororibus concessa; proindéq; Mater inuigilet, vt necessaria sororibus infirmis & sanis, prout opus vnicuiq; fuerit, ministrentur, sitque Mater sine exceptione personarum, ne cùm ad vnam oculum iactat, alteram offendat, & congruo tempore prouideat ea, quæ alio tempore inueniri minimè possent.

Maria Virgo pissima, & misericordiæ plenissima semper fuit, & ex misericordia & pietate sequentia fecit. Filium lacte nutriuit, ab Herode custodiuit, in Ægyptũ portauit, in Cana Galilęæ vinum postulauit, & ministros salutari doctrinâ illuminauit. Ad exemplum & imitationem Virginis sorores debent IESVM lacte puritatis, sanctisq; cogitationibus, & mundis affectionibus nutrire, opera misericordiæ spiritualia & corporalia implere. Etenim cùm Virginis dicãtur esse spirituales filiæ & sorores, debent cum Virgine misericordissima & ipsæ esse misericordes. Vincat hæc Religio cęteras in duobus, in puritate & caritate, siue pietate, quia sponsæ sunt illius, cuius Virgo Mater est, & cuius Pater fœminam nescit; & quia animam suam posuit, & corpus & vitam dedit pro amicis suis. Ad habendam perfectiùs hanc virtutem, cogitent quomodo Monasterium in quo sorores mutuò se non amant, carcer est diaboli, in quo non habitat Christus; quia vbi caritas, ibi Deus est. Faciant igitur quotidianum sermonem, iuxta Virginis primam deuotionem, vt scilicet sint aduocatæ pacis, & errantium saluatrices, nec aliena considerent peccata, & aliis facilè dimittant, si velint sua sibi à Domino dimitti. Non capiant oculi Matris requiem, si fortè nonnullæ fuerint inter aliquas sorores lites, aut iurgia, donec illas reconciliauerit; vel si fortè difficiles inuenerit ad reconciliationem, trinâ monitione pręuiâ, illas incarceraverit; sempérque vnus aut plures apud sorores habeantur carceres, sed humani. Super omnia fiat misericordia infirmis, & talis, qualem sanè vellent rationabiliter sibi fieri. Seruent cum caritate paupertatem, quia virtutes sunt sorores mutuò conuiuentes, & cohabitantes, nec vna alteram expellat.

Maria Virgo dolorosissima in hac mortali vita fuit, & ex compassione filij fecit, quæ sequuntur. Verba Simeonis sæpè animo reuoluit, iuxta crucem filij morientis stetit, vulnera passi & loca passionis sæpè considerauit, & visitauit. Ad exemplum & imitationem Virginis sorores debent in corde aliquem fasciculum myrrhæ crucis portare, & iugiter compati Christo, & de fontibus Saluatoris, id est, quinque plagis haurire aquas salutis; cum Samaritana doctrinam vitæ & veritatis, cum Magdalena lacrymas contritionis & compassionis, cum Maria Virgine fontem lacrymarum dilectionis & deuotionis. Ad perfectiùs habendam hanc virtutem compatiendi Christo, & eius mortem flendi, debent sorores scire, quòd hæc gratia non inuenitur in terra suauiter viuentium. Delicata est hæc gratia, nec datur admittentibus mundanã lætitiam. Soror quæ optat ad hanc peruenire gratiam, necesse est vt abstinẽter & sobriè viuat, & corpus duro & vili tegumento vestiat. Vnde quoad abstinentiam, sorores ieiunent ieiunia Ecclesiæ, & feriis sextis, & Sabbato, toto tempore vitæ suæ, infudéntq; vt in cibo & potu sine excessu vitam agant. Liceat eis ter in hebdomada, scilicet feriâ primâ, 3. & 5. vti carnibus in prandio tantùm: nullo autem tẽpore sanæ carnibus vescantur in cœna. Sorores verò quæ ieiunare voluerint in Aduentu & Quadragesima, Christi & Apostolorũ, benedictæ sint à Virgine; nullæ tamen hoc tempore Aduentus & Quadragesimarum duarum prædictarum ieiunent, nisi ad beneplacitum &

discretionem Matris Ancillæ. Quantum ad habitum, debet habitus sororum esse vilis, & talis coloris, qualem fertur Virgo habuisse, & quali legitur Christus indutus fuisse. Nam fuit à Matre veste inconsutili coloris, vt dicitur, cinerei indutus, & Caiphâ lutoso turpi & nigro velatus, ab Herode veste alba derisus, à Pilato vero rubeâ siue coccineâ illusus. Conformiter sorores quæ sponso suo & Matri eius conformari debent cogitatu, & gestu & actu hos quatuor colores portent, & vbi Matribus expedire videbitur, etiam in capite similitudinem coronæ gerant. Habeant igitur in habitu colorem cinereum, in velo nigrum : nam & Virgo mortem filij lugebat velum nigrum ferendo, in scapulari verò & mantello gerant alios duos colores, scilicet album in mantello, & rubeum siue iacintium in scapulari. Verùm quia hilarem datorem diligit Deus, & sorores quærit Christus, quæ sibi seruiant cum gaudio, omni amoto scrupulo, aut inquietudinis vel timoris nubilo, sciant sorores ad omnia supradicta se obligatas obligatione pœnæ vel disciplinę : obligatione autem peccati aut culpæ non sint obligatæ sorores, nisi ad septem, quæ sequuntur : Ad Castitatem, clausuram, obedientiam, paupertatem, officium Diuinum, religionis habitum & regulare ieiunium. Est permissum Matri, cum consilio Discretarum & Confessoris, vt possit dispensare cum tribus vltimis, vt scilicet infirmæ aut debiles, aliæque sorores aliam causam legitimam habentes, iudicio Matris & Confessoris, vnà cum Discretis, non teneantur pro tempore ad tria vltima supradicta.

Nunc verò finem regulæ in verâ perseuerantiâ faciat vltimum verbum de Matrâ Virgine in sacrâ positum scripturâ, quod est: *Erant omnes perseuerantes in Oratione cum Mariâ Matre IESV.* Perseuerent ergo sorores in obseruantiâ suæ regulę secundum exemplar quod monstratum est illis in Virgine, quia soror, quæ perseuerauerit vsque in finem, salua erit, & in gloriâ æternâ regnabit cum IESV sororum sponso, & cum omni virtutum exemplari perfectissimo Virgine Mariâ. Amen.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, decreti, præcepti, mandati, concessionis, indulti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quintodecimo, vndecimo Kalendas Iunij, Pontificatus nostri anno tertio.

ALIA BVLLA EIVSDEM PAPÆ data anno MDXVII.

Ex ipsemet originali pariter descripta.

LEO Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo filiabus matribus Ancillis nuncupatis & aliis sororibus Monasteriorum vbilibet consistentium ordinis Beatæ Mariæ Virginis, salutem & Apostolicam benedictionem. Regulam professionis ordinem Beatæ Mariæ Virginis, quem nos professionem alias traditam & per felicis recordationis Alexandrum Papam VI. prædecessorem nostrum approbatam & confirmatam ac declaratam & quam nos ob sinceram deuotionem, quam ad eandem Virginem Dei genitricem semper gessimus & gerimus multiplicibus gratiis, priuilegijs, fauoribus & indulgentiis auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & etiam confirmamus ac ampliamus, illámque per vos puro corde & pura mente & cum debita veneratione seruandam præsentibus insertam ad vos duximus transferendam, cuius regulæ & vitæ vestræ tenor sequitur & est talis.

In primis & ante omnia præ oculis vestris continuè ipsam Virginem habeatis iactantes cogitatus vestros & aspectus in ipsam sicut Magi in stellam. Sit Virgo exemplar vestrum, sit oraculum, sit regula, & nullum aliud studium habeatis, nisi & Virginem imitando perfectè sponso vestro placeatis. Hæc est enim prudentia vestra, consilium, vocatio, religio & finis, vt Deo sincerè per Virginem placeatis. Verùm quia modus Virginem imitandi, & ad illius exemplum Deo placendi qui in Regula vestra positus est, totus ex Euangelio sumptus est, necesse habetis ea scire quæ Euangelium dicit Virginem habuisse, cogitasse, dixisse, vel fecisse. His enim quatuor mo-

dis affertur in Euangelio nobis Virgo elucidabilis & imitabilis, quam teste scriptura si elucidauerimus, vitam æternam habebimus. Scitote igitur, dilectæ filiæ, & in memoria semper habetote, quòd quamuis Virgo Maria plena fuerit omnibus gratiis & virtutibus, Spiritus tamen sanctus voluit & fecit, quòd ab Euangelistis solùm decem commemorarentur. Has decem virtutes quas teste Euangelio Virgo habuit, debetis habere, & omnia quæ per illas Virgo legitur cogitasse, dixisse aut fecisse, debetis cogitare, dicere & facere, & ita secundùm quamlibet harum virtutum tripliciter habetis Virginem imitari corde, ore & opere: in quo profectò stat & consistit omnis perfectio & regulæ vestræ vera completio.

Capitulum I. De virtute Castitatis Mariæ Virginis inter virtutes eius primò in Euangelio commemoratæ, quam debent sorores habere & secundum illam debent Virginem tripliciter imitari.

Mariæ Virginis dinumerare in speciali omnes virtutes non possumus. Illas igitur solùm commemorabimus quæ specialiter in Euangelio commemorantur, in quo legimus primò virtutem puritatis esse commemoratam, vt sciant sorores, quòd primò habent intendere & omnem sensum applicare vt ad exemplar Virginis tanquam veræ sponsæ suo sponso placeant in castitate, & ea cogitent, dicant & faciant quæ Virgo legitur in Euangelio ex puritate cogitasse, dixisse, aut fecisse. Legimus autem in Euangelio Virginem ex sua virginali puritate, vt Deo placeret perfectissimè, primò virginitatem vouisse, secundo sanctum Ioseph desponsasse & tertiò Gabrielem interrogasse dicendo: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Sorores ad exemplar & imitationem Virginis, vt Christo sponso suo placeant, vouent cum perpetua clausura perpetuam castitatem, & verum Ioseph, scilicet IESVM, accipiunt in sponsum in perpetua charitate, & tertiò nulla vana quærant & nulla verba vani amoris aut dicant, aut audiant, quia cum solo IESV earum sponso quærunt habere familiaritatem. O quàm dulciter & lætanter morietur soror illa quæ in vita sua nullum præter IESVM amatorem habuit! Ad habendam autem perfectius hanc castitatem, fugiant sorores otium, crapulam, suspecta consortia & consilia, vultus corporisque ornatum, vocalem cantum vt hominibus placeant, solique suo sponso placere quærant & studeant qui totus est desiderabilis, amabilis & pulchrior vniuersis. O quot animas otium & crapula perdiderunt! O quot consilia, familiaritates, literæ, munuscula infecerunt & damnarunt! O quot conscientias vultus cantúsque ad malum deduxerunt! Felix illa soror quæ dicere corde & ore potest: IESVS amor meus, IESVS sponsus meus, IESVS Deus meus & omnia. Est autem sororum clausura arctissima, sicut & castitas purissima: quia nec egredi possunt ad extra, nec aliæ personæ ingredi possunt ad intra in ipsarum Monasteria. Non tamen infringitur sororum clausura: quando intrat Prælatus pro visitatione, aut Confessor pro sacramentorum administratione & animæ commendatione, mortuarúmque sepelitione, vel Medicus pro infirmarum curatione, aut faber pro necessaria rerum reparatione. Similiter non infringitur clausura sororum quoad egressum, quando sorores egrediuntur ad exemplum Virginis, consilio Gabrielis, id est consilio & obedientia Prælati pro noui Monasterij receptione vel antiqui reformatione, aut necessaria sororum translatione. O quam speciosum & spatiosum regnum soror recipiet in futuro sæculo, quæ in hoc mundo propter Christum se inclusit atque incarcerauit in claustro, maximè si clausuram non solùm localem, verum etiam cordialem seruauit, scilicet per fenestras sensuum, nihil vanum intrare permittendo & corde ad extra per affectionem non exeundo, sed intus solum IESVM toto corde & affectu amando, & in illo solo delectationem & consolationem quærendo.

Capitulum II. De virtute Prudentiæ Virginis secundo loco in Euangelio commemoratæ, quam debent sorores habere, & secundùm illam Virginem tripliciter imitari.

Maria Virgo prudentissima semper fuit, & ex prudentia sua, vt Christo placeret quę sequuntur, cogitauit, dixit vel fecit. Nam cogitabat qualis esset Gabrielis salutatio, & conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo, & fugit in Ægyp-

tum pro filio conseruando, nec rediit inde nisi prius Herode defuncto, & quintò fugit à loco vbi erat Archelai habitatio. Ad exemplum & imitationem Virginis sorores, vt placeant Christo & Virgini non debent leuiter loqui, sed esse tardiloquæ, quia solùm septies legitur Virgo locuta fuisse, debéntque dicenda præmeditari in corde, antequam ore fari, vt ad exemplum Virginis caueant à verbis otiosis, & ab omni mendacio, quia perdet Deus omnes qui loquuntur mendacium. Vnde in hac Religione sorores perpetuum seruant silentium Euangelicum, Monasticum autem siue Claustrale seruant, sicut fuerit à suis Prælatis statutum. Et cum perfectissima sapientia & prudentia in hoc consistat vt sciat quia placere Deo est cauere ab omni quo offenditur Deus peccato, debent sorores ingiter conferre in corde suo quomodo ab eis regula Mariæ Virginis obseruetur, & si vita illarum coram IESV munda & placita inueniatur: maximè tamen debent sorores cauere ad exemplum Virginis ab Herode & Archelao: non enim vacat mysterio quòd solùm hos duos Reges legitur Virgo fugisse. Nam per Herodem vitium carnis, & per Archelaum vitium ambitionis significatur. Hæc autem duo peccata meliùs fugâ quàm pugnâ vincuntur, dum scilicet soror fugat omnem familiaritatem & abhorret omne officium seu superioritatem. Tunc autem dicitur soror redire defuncto Herode, quando sic est in ea mortua caro & fugata ambitio, vt officia quæ recepit per solam vim obedientiæ recipiat. Ad habendam autem perfectiùs hanc Virginis prudentiam seruent sorores strictissimè in receptione nouitiarum, aut nullæ penitus ingrediantur in domum & Monasterium Mariæ, nisi Gabrieles, id est Angelicæ scilicet mente ac corpore, fortes, fideles & Catholicæ, sine nota infamiæ, ad legendum sufficienter edoctæ, & nulli personæ sæculari vinculo ligatæ.

Capitulum III. De virtute Humilitatis Virginis tertio loco in Euangelio commemoratæ, quam debent sorores habere & secundùm illam Virginem tripliciter imitari.

Maria Virgo humillima semper fuit, cuius Dominus humilitatem respexit. Ex humilitate autem sua vt Deo placeret cogitauit, dixit & fecit quæ sequuntur: Primò turbata fuit, siue timuit laudata à Gabriele, & secundò cum humilitate respondit Gabrieli dicens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Ad exemplum & imitationem Virginis sorores timeant & turbentur, dum laudantur, aut in aliquo officio ponuntur. Vera enim humilitas tunc esse in sorore dignoscitur, quando laudata exterius, interius tristatur & turbatur; sicut vera superbia in ea esse non ambigitur, quando in officio sublimata, vel ab aliquo laudata exhilarescit & lætatur. Humiliter sorores in capitulis & consultationibus se gerant, non se excusent, aut defendant, proprias opiniones supra illam communitatis non præferant, nec affectiones proprias sequantur, sed semper dicant: Fiat mihi secundùm verbum tuum & non secundùm meum. Ad habendam autem perfectiùs hanc humilitatis virtutem sorores habeant vnam Prælatam, cui obediant & quam diligant & reuereantur, sicut vicariam Mariæ Virginis, quia reuera ipsa tenet locum illius, & ideò non secus accipiant obedientias matris quàm si ab ore Virginis proferrentur, caueántque summopere, ne obedientias matris dijudicent, sed simpliciter obediant. Mater autem Ancilla sorores suas vt carissimas filias amet & consoletur. Singulis Sabbatis ordinariè teneatur capitulum culparum, in quo cum magna humilitate sorores recipiant pœnitentias Matris scientes huiusmodi capitulum esse purgatorium sororum humilium Cum discretione autem Mater puniat sorores applicando iuxta exemplum boni Samaritani oleum cum vino. Sint autem sollicitæ singulæ matres, vt saltem semel in anno singula Monasteria earum visitentur à Prælatis ipsarum, in qua visitatione præcipuè inquirat Visitator de castitate & triplici clausura, de charitate & pace fraterna, de paupertate & humili obedientia, de officio Diuino & oratione sancta. Et poterit Visitator in sua visitatione si causam sufficientem inuenerit iudicio communitatis deponere Matrem.

Capitulum IV. De virtute Fidei Virginis quarto loco in Euangelio commemoratæ, quam debent sorores habere, & in qua debent Virginem tripliciter imitari.

Maria Virgo fide firmissima fuit, & ex fide sua vt Deo placeret, cogitauit, dixit, aut fecit quę sequuntur. Nam Filium Dei fide humilitate & obedientiâ concepit, ad montana ascendit & in domũ Zachariæ intrauit sanctámque Elizabeth salutauit & quintò credidit dicente sancta Elisabeth Virgini: Beata quę credidisti, quoniam perficientur in te quę dicta sunt tibi à Domino. Ad exemplum & imitationem Virginis sorores, vt Christo placeant, debent esse fide fortes, quia sine fide impossibile est placere Deo, IESVM concipere, aut in montana perfectionis ascendere, aliquid boni in domo Zacharię id est Ecclesia vel Religione facere aut Beatam Elizabeth salutare id est participem Sanctorum & Ecclesię bonorum esse. Nulla potest recipi in religione ista nisi fidelis & Catholica de nulla hęresi suspecta, nec ab Ecclesia Romana excommunicata. Nam cùm impossibile sit sine fide placere Deo, quomodo fieri posset quòd aliqua reciperetur in ordine isto qui totus dicatus est ad placendum Deo nisi fidelis esset & orthodoxa. Ad habendum perfectiùs hanc fidei virtutem summè caueant sorores ne se immisceant quibusdam curiosis vel scrupulosis phantasiis de fide, sed simpliciter credant sicut credit sancta mater Ecclesia. Teneantur autem Matres petere à Domino Papa vnum de sanctæ Romanę Ecclesię Cardinalibus, qui sit Protector huius Ordinis, vt sorores semper obedientiam & reuerentiam debentes sedi Apostolicæ subiectæ sint Ecclesiæ Romanæ, quatenus stabiles in fide obseruent virtutes & beneplacita Virginis Mariæ.

Capitulum V. De virtute Deuotionis siue Orationis Virginis quinto loco in Euangelio commemoratæ, quam debent sorores habere & secundum illam Virginem tripliciter imitari.

Maria Virgo deuotissima semper fuit, & vt Deo placeret ex deuotione quæ sequuntur cogitauit, dixit aut fecit: nam Deum attentissimè & lætanter laudauit dicens: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Singulis annis in Hierusalem ascendit, Filium sequendo illius sermones deuotissimè audiuit, sæpe in Nazareth redit, & quintò cum Apostolis in oratione perseuerauit. Ad exemplum & imitationem Virginis debent sorores vt Christo placeant super omnia addiscere artem & scientiam Deum laudandi & orandi, officium diuinum dicant secundum Ordinarium Romanum & singulis diebus faciant de Virgine Maria, iuxta vocationem suam, nisi Dominica aut Festum duplex, vel aliud quod colitur à populo & clero occurreret. Vbi verò Monasteria sororum fundata sunt de Annunciatione, Conceptione, Eucharistia, Compassione, siue sanctæ Mariæ de Pietate, aut sanctæ Mariæ de Doloribus, aut de Consolatione, vel sanctæ Mariæ de Virtutibus, & huiusmodi, dicant sorores officium de huiusmodi ipsarum fundatione. Festa autem quæ sunt de Kalendario Romano alia à prædictis transeant per Commemorationem. Singulis autem diebus quando non fit de Beata Virgine, fiat de ipsa Commemoratio singulis horis diurnis & nocturnis. Conceditur autem fratribus apud sorores commanentibus, vel seruientibus, quòd possint auctoritate Apostolica in Missa & officio se conformare sororibus. Sorores autem Laicæ pro officio diei dicant Coronam Domini IESV quæ triginta tria Pater noster, & totidem Aue Maria continet: pro officio verò Virginis dicant Coronam maximam B. Mariæ quæ continet septuaginta duo Aue Maria & septem Pater noster. Sorores verò & fratres seruitiales ad extra commorantes habitum religionis non deferant & pro officio suo dicant officium tertii Ordinis Mariæ Virginis: de quo ordine semper existant. Sorores communicent ordinariè de quindena in quindenam, & in diebus Domini Sabbaoth & Mariæ Virginis, in Cœna Domini, Prima Dominica Aduentus & prima die Quadragesimæ, in Festo omnium Sanctorum & in Festo Diui Patris Francisci, cuius Ordinis Prælati & Fratres per sedem Apostolicam habent regere sorores huius Religionis: Ascendant sorores in Hierusalem mentali & non solùm vocali orationi vacando, satagant matres vt sermones habeant, præcipuè in Aduentu & Quadragesima & singulis magnis totius anni festiuitatibus, quos attentè & deuotè

audiant, quia soror quæ ex Deo est, verba Dei audit. In Nazareth redire est in cellam vel in Ecclesiam, completis obedientiis mox redire, vt tempus inutiliter non expendant & meritum non perdant quod acquisierant: Perseuerare verò in oratione est Ecclesiam & officium Diuinum frequentare. Ad habendam verò perfectius hanc virtutem orationis ament sorores hæc duo super omnia, chorum scilicet & dignissimum Eucharistiæ Sacramentum. Sint vigiles matres & verbo & exemplo doceant sorores hæc duo quærere; & quando possibile erit iudicio matrum per totas octauas Eucharistiæ fiat iugis laus tanti sacramenti per sorores ad hoc per matres deputatas. Præcipua enim deuotio Virginis fuit ad Missam, siue ad dignissimum Sacramentum altaris.

Capitulum VI. De virtute obedientiæ Virginis sexto loco in Euangelio commemoratæ, quam debent sorores habere & secundum illam tripliciter Virginem imitari.

Maria Virgo obedientissima semper fuit tam ad Deum, quàm ad homines propter Deum, vnde ex sua obedientia vt Deo placeret quæ sequuntur cogitauit, dixit aut fecit. Nam ex obedientia Deum concepit, & cùm impleti essent dies purgationis, filium suum in Templum tulit, par turturum aut columbarum obtulit, Cæsari obediuit in Bethleem eundo, & quintò ibidem professionem fecit se subiectam Imperatori profitendo. Ad exemplum & imitationem Virginis sorores vt Christo placeant obedire debent Deo, decem eius præcepta implendo, turtures offerre, veram confessionem de suis peccatis faciendo; similiter & columbas, Deum toto corde diligendo, & Deo post diem completam, antequam vadant ad lectum opera sua præsentare, rationem reddendo. Debent etiam sorores propter Deum obedire suis Prælatis, patribus & matribus cogitando quod Virgo, quæ ex obedientia conceperat, etiam stans in obedientia hominis scilicet Augusti Cæsaris, Dominum peperit. Nam sine obedientia non potest soror bonum concipere, nec bonum opus parere & facere. Ad habendam autem perfectius obedientiæ virtutem tenentur sorores per electionem communitatis vnam habere Matrem Ancillam, & illi firmiter obedire: & quia huiusmodi Mater locum tenet Virginis, debent sorores talem eligere quæsit vas electionis, virtutis & totius perfectionis: Eligatur præterea à communitate vna Vicemgerens, quæ scilicet vices gerat Matris absentis. Sint autem istæ duę semper cum suis sororibus maximè in Choro, Operatorio & Refectorio, & vbi ambæ non possent, saltem vna illarum semper ibidem cum sororibus stet. Eligantur præterea à communitate ad minus septem discretæ, quarum consilio vna cum Vicegerente semper vtatur Mater in rebus arduis & magnę importantiæ. Mater verò quæ præsumeret in huiusmodi absque prædictarum consilio aliquid attentare, accusetur coram visitatore, & acriter puniatur. Recordentur sorores, quòd propter Deum quando ad Religionem venerunt, voluntates proprias abnegarunt, & quod sacrilegæ fiunt quando proprias voluntates & affectiones resumunt. Nulla emittat votum professionis ante ætatis suæ annum quintumdecimum, nec recipiatur ante quartumdecimum aut post quadragesimum, nisi receptio causam vrgentissimam haberet. Cùm autem sorores faciunt professionem, dicant in hunc modum.

In nomine Sanctæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus Sancti dignissimæque Virginis Mariæ Dei Matris, ego soror N. promitto & voueo Deo ac Virgini Mariæ & omnibus Sanctis & tibi Mater toto tempore vitę meę obseruare regulam Beatæ Marię Virginis viuendo in castitate cum perpetua clausura, & in obedientia atque paupertate sancta conformando mores meos ad regulam eo obligationis genere quo regula & per regulam sorores obligantur. Mater verò dicat: Si hæc obseruaueris, promitto tibi quod Dominum IESVM sponsum habebis in cœlis. Et omnes sorores assistentes respondeant alta voce. Amen.

Capitulum VII. De virtute Paupertatis Virginis septimo loco in Euangelio commemoratæ, quam debent sorores habere & secundùm illam tripliciter Virginem imitari.

Maria Virgo pauperrima pauperrimè semper vixit, & ex paupertate, vt Deo placeret quæ sequuntur cogitauit, dixit aut fecit. Nam hospitata fuit in loco pau-

perculo, quia non erat ei locus in diuersorio, Iesum reclinauit in præsepio cum boue & asino, pannis inuoluit & non exserico, & quartò vbere suo pauit carens alio pro filii alimento. Ad exemplum & imitationem Virginis debent sorores hanc Euangelicam margaritam paupertatis amare & obseruare, sine qua ruunt ferè omnia Religionis Monasteria: nec facile hæc duo in vno inueniuntur Monasterio scilicet diuitiæ & deuotio. Sorores tanquam peregrinę morantur in Monasterio sicut in non suo domicilio, Monasteria sua & ædificia sine curiositate & sumptuositate construantur. IESVM reclinant in præsepio quando amant cellas & cubilia vilia: inuoluunt pannis quando rudibus & grossis induuntur: lacte nutriunt virginali quando in cordibus suis turpes cogitationes non recipiunt. Ad habendam perfectius hanc sanctam paupertatem vt Christo placeant debent sorores quarum paupertas est habere omnia in communi & nihil in proprio, attendere ad duo: primò ad nouitias, vt nullo pacto recipiantur cum labe simoniæ: secundò attendant ad possessiones & reditus, vt scilicet non emant aut recipiant, vel quærant superfluos, nec aut alia pro vestimentis aut curiosis operibus; sed studeant tum propter otium euitandum, tum vt labores manuum suarum manducent, tum vt sequantur Virginem quæ suis manibus laborabat, sequi operatorium, pulsatáque campanella operatorij omnes sorores sine exceptione non habentes particulares obedientias, ad illud volent & conueniant, ibique operando psalmos nominis IESV & nominis MARIÆ persoluant: deinde sub silentio opus manuale continuent. Mater tamen si viderit expedire, potest dare licentiam sororibus vt loqui valeant, vel vt vna alius operantibus aliquid legat. Nullum autem opus in operatorio fiat nisi quod Mater iusserit, & potius debent omnes custodire res communitatis, quàm quę sunt concessę vni sorori particulari, vigilétque Mater vt prouideatur singulis maximè infirmis, prout vnicuique opus erit, & caueat Mater à speciali affectione, ne dum plus ad vnam aspicit, alteram offendat. Congruo autem tempore fiant prouisiones pro infirmis & sanis, præcipuè illarum rerum quæ alio tempore minimè inueniri possunt.

Capitulum VIII. De virtute Patientiæ Mariæ Virginis octauo loco in Euangelio commemoratæ, quam debent sorores habere & in illa tripliciter Virginem imitari.

Maria virgo patientissima semper fuit, & ex patientia vt Deo placeret quæ sequuntur cogitauit, dixit aut fecit. Nam sustinuit patienter Herodianam Iudaicámque persecutionem, filium triduo mœsta quæsiuit & tertiò inuento filio læta quadam & materna loquutione dixit: Fili quid fecisti nobis sic: ecce ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Ad exemplum & imitationem Virginis sorores vt Christo placeant, desiderare debent aliquid pro nomine sui sponsi sustinere & quotidie crucem tolerare & facere, & debent gaudere quando persecutiones multas patiuntur, quia dixit Dominus IESVS: In Patientia vestra possidebitis animas vestras: & Apostolus ait: Si compatimur & conregnabimus. Sorores ergo quæ tolerant mala in hoc mundo propter Christum, honorem recipiunt in cœlo à Christo: debent etiam consolari si fortè Deus non tam cito illas exaudit, vel ab eis inuenitur, & perseuerare IESVM quærendo per triduum, scilicet per contritionem confessionem & satisfactionem, & piè conquerendo debent familiares collocutiones & quæstiones facere Christo sicut sponsę solent facere sponso. Ad perfectiùs habendam hanc virtutem patientiæ cogitent sorores quòd multæ sunt quæ IESVM non inueniunt, quia illum triduo non quærunt, sed biduo, non enim faciunt confessionem bonam & validam, quia aliqua peccata celant & tacent: cogitent præterea quod nihil sic facit peculiarem amicum IESV sicut propter IESVM lętanter injurias pati.

Capitulum IX. De virtute Pietatis siue caritatis Mariæ Virginis, nono loco in Euangelio commemoratæ, quam debent sorores habere & in illa tripliciter Virginem imitari.

Maria Virgo amore ardentissima & pietatis atque misericordiæ plenissima semper fuit, & ex sua charitate vt Deo placeret quæ sequuntur cogitauit dixit vel fecit: Nam filium lacte proprio nutriuit, ipsum ab Herodis persecutione substraxit, in

Ægyptum transferendo, de suo proximo sollicita fuit, vinum in Cana Galileæ postulando, & quartò ministros salutari doctrina instruxit illos monendo & illuminando. Ad exemplum & imitationem Virginis vt Christo placeant sorores debent IESVM lacte nutrire; Sanctis scilicet affectionibus nullum præter ipsum amando & cum nullo nisi cum IESV familiaritatem & consolationem quærendo: præterea ipsum deferant in Ægyptum in suis tentationibus, de morte quæ per Ægyptum significatur cogitando: opera verò misericordiæ corporalia & spiritalia faciant per vnum postulatum & documentum datum significata, cum enim huius religionis sorores sint & dicantur speciales & peculiares religiosæ Virginis Mariæ, debent cum Virgine misericordiæ plenissima, & ipsæ misericordiæ esse plenæ: vincat hæc religio cæteras in puritate, humilitate, & pietate, quia Virgo gloriosa has tres virtutes inter cæteras peculiariter dilexit. Ad habendam perfectiùs hanc virtutem cogitent sorores quomodo Monasterium, in quo se non amant sorores, est Monasterium Diaboli, in quo Christus non habitat, quia factus est in pace locus eius, & quòd sine amore quidquid faciunt, perdunt. Faciant igitur sorores quotidianum sermonem pacis, iuxta primam deuotionem Virginis, vt scilicet pacem semper inter sorores ponant contendentes reconciliando, omnes excusando, & pro pace semper aduocando, facilè dimittant alis offensas si volunt quod Deus suas illis dimittat, nec aliena videant, sed sua semper ante oculos peccata ponant, quia hæc est veræ charitatis & humilitatis conditio. Mater verò Ancilla sit sollicita quod eius oculi non capiant requiem, nisi prius reconciliauerit sorores inter se litigantes vel odio se persequentes, aut de alis detrahentes, vel malè loquentes: multas enim animas perdidit lingua maliloqua. Semper autem vnus aut plures in singulis Monasteriis habeantur carceres fortes, sed humani, & infirmis sororibus amplior fiat charitas & misericordia, ita quòd sanæ infirmis faciant & seruiant, sicut vellent sibi rationabiliter fieri & seruiri si infirmæ essent. Debent tamen cogitare quod virtutes sorores sunt, & charitas non debet expellere à Monasterio paupertatem.

Capitulum X. De virtute Doloris siue Compassionis decimo loco in Euangelio commemoratæ, quam debent sorores habere & secundum illam triplicitèr Virginem imitari.

Maria Virgo doloro sissima & mortis Filij compassione plenissima semper fuit, & vt Deo placeret ex compassione Filij quæ sequuntur cogitauit dixit aut fecit. Nam verba Simeonis: Tuam ipsius animam pertransiuit gladius, sæpe animo reuoluit, iuxta crucem Filij morientis stetit, vulnera Filij sæpe considerauit, & quartò loca Passionis continuè visitauit. Ad exemplum & imitationem Virginis vt Christo placeant sorores, debent in corde iugiter ferre fasciculum myrrhæ; ideo hæc Crucis virtus decima est & vltima, & finalis in ea religiosarum consistit perfectio, quandiu in hac valle miseriæ viuunt. Ad habendam perfectiùs hanc gratiam Crucis & hanc virtutem compatiendi Crucifixo, cogitent sorores quòd hæc gratia non inuenitur in terra suauiter viuentium: vnde soror quæ optat peruenire ad hanc gratiam Crucis, cogitare debet quòd necesse est illi, vt abstinenter & sobriè viuat, & corpus suum vili & duro tegumento tegat, in solo sponso consolationem suam quærat & accipiat, & quod etiam in suo vestimento sui sponsi mors reluceat; vnde quoad abstinentiam sorores debent iejunare toto tempore vitæ suæ sextis Feriis & Sabbato: nam & Virgo illis duobus diebus fuit in luctu & dolore maximo: possunt autem feria prima, tertia & quinta vti carnibus in prandio tantùm: nam serò quandiu sanæ sunt nunquam carnes comedant: vbi tamen aliquæ sorores, habita prius licentia matris vellent iejunare in Aduentu & tribus Quadragesimis scilicet Christi, Mariæ & Apostolorum benedictæ sint à Christo & à Virgine, & à Sanctis Apostolis: quoad habitum verò sororum qui debet esse vilis & grossus, hic seruetur modus vt scilicet induantur professæ sorores modo & formâ quâ fuerunt IESVS earum sponsus & Virgo Mater induti, quatenus sint sorores actu & habitu conformes sponso suo Christo & Matri eius, ita vt tam Mater quàm Filius reluceant in sororum vestibus & habitibus. Verùm quia sponsos & sorores quærit Christus quæ sibi seruiant & Matri eius cum gaudio & pace atque securitate conscientiæ, omni amoto scrupulo & inquietudinis timorisque nubilo, sciant sorores se non obligatas esse obligatione mortalis culpę nisi ad sex: scilicet

ſcilicet ad caſtitatem, clauſuram, obedientiam, paupertatem, ad officium diuinum perſoluendum, & ad ſuæ regulæ ieiunium obſeruandum: ad cætera autem quadraginta Virginis opera in regula deſcripta, non tenentur niſi obligatione pœnæ, vel diſciplinæ; & præterea, quoad duo vltima illorum ſex quæ ſunt obligatoria, poteſt Mater diſpenſare cum conſilio Diſcretarum, & Prælatorum, vel Confeſſoris; ita quòd factâ diſpenſatione, ſorores infirmæ vel debiles, vel aliam cauſam legitimam prædictarum iudicio habentes, non teneantur pro tunc ad Officium dicendum, & ieiunium obſeruandum.

Nunc verò poſtquam omnes modos Euangelicos poſuimus, in quibus poteſt Virgo Maria elucidari, & imitari, finem regulæ in perſeuerantia faciamus: Nam & vltimum verbum in ſacra Scriptura de Virgine ſcriptum eſt, quòd erant omnes perſeuerantes in oratione cum Maria Matre IESV. Perſeuerent ergo ſorores in obſeruantia ſuæ regulæ, quia, quæ perſeuerauerint vſque in finem, ſaluæ erunt. Viuant igitur vitâ Mariæ, & moriantur morte Mariæ, vt perpetuò regnent in cælo cum Maria & Domino IESV CHRISTO, ſororum ſponſo, & filio Virginis Mariæ. Amen.

Verùm quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula loca, in quibus de eis fides foret fienda, deferre, Volumus, & Apoſtolicâ auctoritate decernimus, quòd ipſarum tranſſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, in iudicio, & alibi, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, ampliationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, octauo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno quinto.

Additiones aliquot à R.P. Gabriele Maria factæ auctoritate Apoſtolicâ, eius manu ſubſcriptæ, & ſigillo munitæ.

Verùm quia non eſſet tantæ auctoritatis & ſecuritatis, niſi dictis adjungerentur cum ſigno meo & ſigillo, loca, & formæ additionum prædictarum auctoritate Apoſtolica factarum; hinc eſt quod ſubſequuntur in ſpeciali, ne fiat mutatio alia, teſte ſigno meo manuali, & ſigillo officij mei.

Additiones factæ ſuper Capitulo quinto.

Additio prima Capitulo quinto, vbi dicitur, Et ſingulis diebus faciant de Beata Maria Virgine iuxta vocationem ſuam, additum, regularem vel localem. Et vbi ſubditur, Dominica, aut Feſtum duplex, aut ſolemne; & vbi additur, Dicant ſorores Officium de huiuſmodi ipſarum fundatione, additum eſt, alternatiuè.

Sequuntur Additiones factæ Capitulo decimo

Primò vbi dicitur, Nam pro quandiù ſanæ ſunt, nunquam carnes; additum eſt, ſine diſpenſatione, comedant. Deinde dum ſequitur de ieiunio in Aduentu Domini, additâ priùs licentiâ Matris, additum eſt, & Diſcretarum, & Confeſſoris. Deinde dum ſequitur, Induantur ſorores profeſſæ modo & formâ quâ fuerunt Chriſtus earum ſponſus, & Mater eius induti; additum eſt, ſcilicet griſeo habitu, albo, & rubeo quibus IESVS in paſſione ſua vſus eſt, & velo nigro quo vſa eſt poſt mortem Filij ſui Virgo Maria, quatenus vt in libro. Deinde dum ſequitur, Sciant ſorores ſe non obligatas eſſe niſi ad ſex, additum eſt, niſi ad ſeptem, ſcilicet, ad caſtitatem, clauſuram, obedientiam, paupertatem, ad Officium diuinum perſoluendum, ad ſuæ Regulæ ieiunium obſeruandum, & ad ſuæ Religionis habitum deferendum; & ideò conſequenter additum eſt, quoad tria, vbi fuerat ſcriptum quoad duo, & antea nunc verò poſitum eſt ieiunium ſeruandum, vel habitum deferendum.

FINIS.

ELOGIVM HISTORICVM B. IOSBERTI Monachi. 29. Nouembris.

BEATVS Ioſbertus Monachus in Eccleſia ſanctæ Mariæ, quæ eſt Dolo Monaſterio, quotidiè decantabat quinq; Pſalmos incipientes à quinque litteris ipſius Dominæ, Magnificat, Ad Dominum cùm tribularer, Retribue, In conuertendo, &, Ad te leuaui, vnicuique Pſalmo ſubjungens Antiphonæ vice, Aue Maria, Verſ. Poſt partum, & Collectam, Concede nos famulos, &c.

II. Anno Domini 1186. in feſto S. Andreæ cùm Superior ad matutinas preces Chorum circumiſſet, nec Ioſbertum reperiſſet, ad cellam illius properans, inuenit defunctum, & quinque explicatas roſas ex ore, oculis, auribúſque erumpentes, ſingulaſque vnâ ex illis quinque litteris, & primo verſu reſpondentis Pſalmi inſcriptas.

III. Attoniti hoc ſpectaculo Monachi, Archiepiſcopum Bituricenſem (is eo tempore erat Henricus de Soliaco, ſancti Guillelmi deceſſor) accerſierunt, qui tantæ rei nouitate, tantóque exhilaratus miraculo, immenſas gratiarum laudes Deo, ſanctæque Genitrici reddidit, quæ deuotè ſibi ſeruientes honorare non deſinit.

IV. Pontificalibus ergo ornatus indumentis, cereis, crucibus, thuribulis, magnáque ſtipatus Clericorum & Monachorum cateruâ, reuerenter accedens ad defuncti corpus, roſam quæ de ore eius erumpebat, manu ſuâ tulit, quâ facilè ſubſequente, cæteræ protinus emarcuêre, priſtinúmque decorem amiſêre, eâ ſolâ quam Præſul ex ore veluti decerpſerat, viriditatem ſuam & pulchritudinem conſeruante.

V. Summarium hoc debemus diligentiæ Georgij Coluenerij Doctoris Duaceni, qui in Notis ad Thomam Cantipratenſem, quod deerat in vulgatis editionibus capitulum reſtituit in ſummum decus Biturigum noſtrorum, laudémque B. Virginis, in cuius imagine anno ſequenti 1187. die 30. Maij, & ſequentibus, admiranda prorſus contigêre portenta, de quibus nos plura alibi diximus. Paulò aliter narrantur iſta in Martyrologio Gallicano ad hanc diem, vbi, & ſequenti, mentio fit Ioſcionis Bertiniani, ſeu Sithienſis apud Morinos Monachi.

ELOGIVM HISTORICVM SANCTI IVSTI. die 14. Iulij.

SANCTVS Iuſtus cum ſancto Vrſino Româ profectus, nondum Bituricas venerat nunciandæ fidei causâ, cùm graui morbo correptus, nono ab vrbe milliario deceſſit è viuis, & à Magiſtro ſepulturę mandatus in loco, qui ripę Auarici ſeu Vtrionis imminet, medio itinere inter Bituricenſem vrbem & Regiodunum, ab eóque nomen accepit, *ſainct Iuſt entre Bourges & Dun-le-roy ſur la riuiere d'Auron*; cùm anteà, ſi fas eſt credere, Vrbs noua, ſeu Nouauilla diceretur.

II. Inde ſucceſſu temporis venerandum ſancti Confeſſoris corpus tranſlatum eſt in Eccleſiam, quæ cùm anteà in honorem ſancti Symphoriani Martyris erecta fuiſſet, cognomen poſtmodum mutuata eſt à ſancto Vrſino, cùm anno circiter DLXX. è proximis vineis, præſentibus ſanctis Præſulibus Probiano Bituricenſi, & Germano Pariſienſi fuiſſet cum maximo honore primi Biturigum Apoſtoli corpus in ſuburbium Biturice ciuitatis deductum.

III. Summarium hoc excerpſimus tùm ex vetuſtiſſimo Bituricenſis Eccleſiæ Breuiario, tùm ex aliis Hiſtoriæ Biturigum noſtratium monumentis. Hoc quoque tempore 14. Iulij die recolitur quotannis memoria ſancti Iuſti in tota Biturigum diœceſi, ſub titulo & nomine Confeſſoris; ideóque mirum mihi prorſus viſum eſt, quòd in ſupplemento Martyrologij Gallicani adſcriptum legitur: Tertio Nonas Nouembris, Ad Vtricionem fluuium propè Bituricas natalis ſancti Iuſti Martyris, qui cum beato Vrſino Epiſcopo ad vrbem Bituricam proficiſcens, milliario nono ab vrbe diſſitus migraſſet ad Chriſtum, ab eodem ſancto Vrſino condignè ſepultus eſt in orientali plaga vrbis. Hæc ibi, quæ pluribus non vacat, excutere.

PASSIO S. LAVRIANI HISPALENSIS EPISCOPI.

Ex Codice MS. Ecclesiæ de Castro Bituricensi.

PRÆFATIO.

PASSIONEM B. Lauriani Episcopi & Martyris solertiâ tuæ sagacitatis compellente, Frater, suscepi corrigendam. Laboriosum quidem opus & difficile, vtile tamen. Cùm perlegissem verò diligentiùs præfati operis seriem, animaduerti scriptoris vitio fuisse deprauatam, & solemnitatem Kalendarum, quibus glorioſum consummauit martyrium illius imperitiâ immutatam. Nam quod sanctus Pontifex Laurianus felix martyrium quarto Nonas Iulias compleuit, testantur Martyrologiorum vetustissimi codices tam Romanorum, quàm Galliarum. Ex quibus prospectis pluribus, sollicitâ inuestigatione placuit inserere huic præfatiunculæ quomodo reperi: *Quarto Nonas*, inquit, *Iulias in territorio Biturigæ ciuitatis vico Vastino, natale sancti Laurian Episcopi & Martyris, cuius caput Hispalim in Hispanias deportatum est.* Quidam etiam nostri temporis Poëta describens Martyrologium heroïco carmine, per totum annum iisdem Kalendis B. Laurianum martyrizatum asseuerat, inquiens:

Lauriane tenens meritorum nomine quartas, sc. Nonas.

His ita elucidatis, precor obnixè vt hoc opus quod te compellente summo labore peregi, libentissimè suscipias, & si adhuc in eo inueneris corrigendum, manente charitate, emendare non differas.

TEXTVS IPSIVS PASSIONIS EMENDATÆ ab Anonymo scriptore.

BEatissimus igitur Laurianus Pannonienſium territorio oriundus, parentibus quamquam paganis, nobilissimis tamen genere glorioſus effulsit: qui ab ineunte ætate diuinâ gratiâ præuentus, ab his contagiis quibus solet iuuenilis ætas illici, expers fuit. Nam à quodam suæ gentis, suæque parentelæ Catholico adhuc infantulus parentibus insciis sublatus, Mediolanensis Ecclesiæ gremio est delatus, sacróque baptismate renatus, ac Clericus factus, ibidémque liberalibus disciplinis haud mediocriter eruditus, prędictæ Ecclesiæ extitit alumnus. In iuuentutis namq; flore erat in abstinentia strenuus, in eleemosynis largus, in vigiliis pernox, in orationibus assiduus, in ieiuniis frequens, in recreandis pauperibus solers, in sermone modestus, in ira mitis, in hospitalitate præcipuus, in omni studio specialis militiæ præclarus, fulgenti eloquio illustrans corda fidelium, & spiculo diuini verbi transuerberans tumentia pectora repugnantium perfidorum. His ergo atque huiusmodi proficiendo accrescens robore corporis & animi, vicesimo quinto ætatis suæ anno electus à Clero, testificatus à plebe, Diaconatus suscepit officium.

Interea Episcopus vrbis Hispalis, maximis Arianorum affectus iniuriis, qui viru suæ doctrinæ pestiferę cunctam penè infecerant Hispaniam atque Gothiam perfido Rege Totilâ (*potiùs, vt suspicor, Agilâ, qui tunc in Hispania Vvesegothis præerat*) erroris huius hæresis assertore, finito humanæ vitæ termino, cum palma victricis lętitiæ perennem feliciter adeptus est gloriam. Manſit autem Hispalensis Ecclesia, mater ac metropolis Hispaniæ, biennio fermè absque Pastoris officio, donec Episcopi eiusdem Prouinciæ pariter congregati, B. Laurianum illuc diuinâ prouidentiæ clementiâ ad destruendam prefatæ hęresis prauitatem, ab Italia directum in eadem vrbe ordinarunt Pontificem. Pastorali itaque super oues Dominicas sumpto regimine, tanta in eo cælestis gratia virtutibus rutilans splendebat, vt sine intermissione salutem vitæ æternæ prædicans, multa illius meritis miranda, operante diuinâ virtute, fierent in plebe.

Egregius igitur Pontifex cùm per decem & septem annos vt robustus prælitator

Christi mucrone spiritus, quod est verbum Dei, prædictam hæresim assiduè bellaret, nec vinceret, quodam die Dominico, expletis matutinis laudibus, cùm semiuigilans in stratu suo requiesceret, ante exurgentis lucis crepusculum adstitit ante eum iuuenis præclarus aspectu, in vestibus candidis, vocauitque tertiò blando sermone dicens: Lauriane, Lauriane. Cui beatissimus Pontifex mente vigil respondit: Adsum. Cui iuuenis: Surge, inquit, & recede ab hac plebe maligna; non enim meretur tuo aspectu frui, neque tuis suffragiis muniri: Noli tardare, sed perge velociter; ego enim ero dux itineris tui. Hæc quoque ciuitas sub maximo discrimine erit diebus multis, & atteretur fame, & periclitabitur pessimâ peste, pluuiáque carebit annis septem, donec reliquiis tuis decorari mereatur, tandémque festa à lenociniis sui sceleris resipiscet. Surgens itaque B. Laurianus, peracto ex more Missarum officio, muniens sese corporis ac sanguinis Christi mysterio, plebem iniquam intrepidus alloquitur vsque in horam diei tertiam. Deinde accepto baculo, muros ciuitatis cum lacrymis circuiens, clamabat dicens: Omnis hæc ciuitas in angustia erit multis diebus, donec diuino respectu visitetur, ac more Niniuitarum pœnitentiam agentes, à prauis erroribus conuertantur. Eadem verò die post occasum Solis exiens ab vrbe, Clusorem venit ad portum, vbi cùm paululùm quiesceret, iuuenis ille qui Hispale eum de itinere monuerat, adfuit dicens: Lauriane, fuge, & cœptum carpe iter, quia Rex crudelis Totila equites veloces post te dirigit, qui te Hispalim reducant. Surgens itaque Clusorem portum egreditur: tantus verò custodes pauor inuasit, vt nullus auderet interrogare, quis es? aut, quo vadis?

Inlucente autem die, dum iter ageret, cœcus quidam in tugurio secùs viam sedens, clamauit dicens: Sancte Dei qui transis, ora pro me nimiùm peccatore, luminibus cordis ac corporis orbato, vt videam oculis, & corde credam, & sequar te. Cui B. Laurianus respondit: Quod postulas, non est meum dare tibi; sed si credis, omnia possibilia credenti, à D. IESV CHRISTO mereberis sanari: Attamen si mecum pergere deliberas, da mihi funiculum tuum, & esto comes itineris mei, ego regam gressus tuos. His alloquiis acquiescens cœcus, dedit funiculum in manu eius, & abire iam cœpit. Cúmque non longè adhuc essent ab ipso tugurio, aperti sunt oculi eius, & ait: Obsecro, Papa, quis est iste iuuenis pulcherrimus, qui te præcedit in vestibus niuei candoris? Cernens quoque B. Laurianus quòd cœcus ille videret, ait: Vade, frater, Dominus tecum; tu enim melior me es: En Dominus quem vides, reddidit tibi lumen, illi Deo seruies; rogo tamen vt me sequentibus, neque me, neque hoc signum pandas.

Eâdem verò nocte, monente Angelo, qui in effigie iuuenis eum monere consueuerat, manè consurgens, in portu Helnæ nauem ascendit, atque Massiliam perrexit. Cúmque portam ciuitatis ingrederetur, ecce defunctus efferebatur prædiuitis filius, qui vnicus erat illi. Cernens verò B. Laurianus lugubre funus, quæ sit tanta lamentatio percunctatur. Agnito tandem quid esset, ait: Iste iuuenis non est mortuus, sed dormit. Ad hanc vocem supplex pater aduenit, & exclamat dicens: Sancte Dei, redde vitæ, mihíque hanc charam sobolem, & posside facultatis meæ infelices opes. Cui B. respondit: Diuitias, quas mihi promittis, provt competit pauperibus dispertiri studeto, & quâ horâ hic iuuenis ab hac luce recessit, edicito. Cui dum diceret, hodie post gallicinium; ait B. Laurianus: Desine flere, atque in domum tuam reuertere cum pace, corpúsque iuuenis illuc referri mandato, accensísque luminaribus per totam noctem, præcipe vigilias agere sine lamento: Ego autem vadam ad Basilicam B. Victoris Martyris, & credo fidenter quòd illius orationibus resuscitet Dominus IESVS CHRISTVS filium tuum. Pergens ergo vir plenus Deo ad sepulchrum B. Martyris in orationibus procumbit, noctémque ducens peruigilem, eâ horâ quâ defunctus fuerat, sacro obtinuit interuentu, vt gelidum iuuenis cadauer rediret in vitam. Sancto autem adhuc in oratione prostrato, Angelicus ille iuuenis ex more adfuit, dicens: Lauriane, surge, & maturiùs nauem ascende, & nauiga Romam, quia iuuenis pro quo oras, hâc horâ surrexit; & pater eius hortatur ciues, ac fide eos firmat, vt in ista te retineant ciuitate, quatenus tuo patrocinio protegantur. Surgens ergo sine mora B. Laurianus, Angelo ducente, Italiæ peruenit ad littora, ibidémque quos reperit diuersis infirmitatibus afflictos, cœcos, claudos, mutos, surdos, ac variis languoribus debiles, suis orationibus diuinâ operante virtute, sanauit omnes.

Denique recto tramite cœptum prosperè carpens iter, venit Romam, susceptúsque ab Apocrisario, nuntiatur illius aduentus venerabili Papæ. At ille cum decore iubet eum ad se introduci, imperátque ei Missarum sacramenta publicè in Ecclesia B. Petri peragere: Erat enim solemnitas Cathedræ quinto decimo Kalendas Februarij. Præcepto autem B. Laurianus à Papa mandato respondit: Obedientia quæ senioribus præbetur, Deo exhibetur: Ego autem libentissimè vestris imperiis obediam. Ingrediente autem eo Ecclesiam cum decore Pontificali, tantus odor suauitatis eam repleuit, ac si adueniente B. Petro cum maxima caterua Martyrum multa odoramenta iocundi odoris ibidem redolerent. Post Missarum expletionem, cum immenso Episcoporum, Clericorum, ac nobilium Romanorum comitatu ibat ad prandia, & ecce ad portam Apostolorum Principis iacebat egenus grauatus senio, & contractus vetusto morbo: Erat enim annorum fermè sexaginta trium, cuius à natiuitate genua & brachia ita aruerant, vt nec ambulare, nec palpare quidem valeret. Is confidenter vt suimet misereretur, virum Dei totis nisibus implorat, dicens: Sancte Dei Lauriane, adjuua me; te enim expectant anni miseriæ meæ, vt tuis orationibus mea debilia membra vigorem percipiant. Et protinùs addidit: Adjuro te per eum qui cœcum à natiuitate illuminauit, ne me prætereas. His precibus B. Laurianus commotus, vnà cum Episcopis, ac numerosæ plebis agmine ad Basilicam B. Petri regreditur, atque prolixo diei spatio in oratione prostratus, impetrare meruit, quod deuotè quæsiuit. Veniens denuò ad senem ait: Iube ministris vt te sine mora perducant ad B Petri limina; illius enim meritis sanaberis. Ad hanc vocem continuò surrexit, diúque quæsitam, quam natiuitas negauerat, senectus promeruit sanitatem.

Dum verò aliquandiù esset Romæ amicabili iussu detentus à venerabili Papa, prædictus iuuenis, quem fas est credere Dei Angelum, ei in oratione posito prænuntiauit finem martyrij hoc modo: Lauriane, constans esto, oportet te sepulchrum Confessoris mei Martini inuisere, ibíque oratione perfectâ in territorio Bituricо vicum vastæ solitudinis martyrio tuo destinatum adire, qui prisco vocabulo Vastinus nuncupatur: Rex enim Totila apparitores dirigit ad omnes Prouincias, qui te interficiant, & caput tuum Hispalim deferant. Nam Templum in eadem vrbe ædificabitur, in quo caput tuum decenter positum venerabuntur, & sic demùm propitiabor iniquitati eorum, & clemens ero illis, & pluuiam, & fructum terræ tribuam. Viriliter age, Lauriane, ecce merces tua magna nimis. Ad hanc vocem confestim surrexit, atque pernici gressu, lætóque animo, quod iussus fuerat, agere compleuit. Nam ad sepulchrum B. Martini oratione factâ, regressus ad locum sibi destinatum intrepidus venit, ibíque missi ficarij à Rege perfido, caput illius amputauerunt quarto nonas Iulij, ac nimio terrore perterriti, velut amentes, capite relicto, fugere cœperunt. Mirabile dictu! B. Laurianus caput suum in manibus tollens, ibat post eos, clamans more viuentis, & sic dicens: Expectate, Nolite fugere; sed accipientes hoc caput, Hispalim deportate, illíque reddite, qui vos propterea huc misit: qui accepto capite, osculantes manus eius ac pedes, projecerunt corpus in quandam speluncam, & abierunt. Interea præfatus Rex Totila B. Benedictum nixus tentare garrulitate vagâ an spiritum prophetiæ haberet, agnitus ab eo, ac vehementer coërcitus, minùs crudelis fuit.

At hi qui caput deportabant, mox vt Gothorum metas intrarunt, tanta inundatio pluuiæ eos præcedens, cunctam Hispaniam intrauit, vt à nemine cunctaretur beatum Laurianum è vestigio Hispalim intrare, atque deinceps illius munimine iugem fieri salutem. Audiens ergo Rex Totila inæstimabilem thesaurum ad munimen totius patriæ aduenire, compunctus corde, accersitis Episcopis cum Sacerdotibus, & Optimatibus, depósito regali indumento, per vniuersam Hispaniam triduanum indixit ieiunium, atque in cinere & cilicio, nudatis pedibus obuiam venit, itinere trium dierum: susceptum caput detulit Hispalim, vbi Episcopus ordinatus fuerat cum magno decore, ac psallentium comitatu; ædificauitque Ecclesiam in honore illius, vbi posuit decenter illud venerabile caput, & sic ab eadem Prouincia omnis plaga cessauit.

Sanctus autem Eusebius Arelatensis Episcopus, dum consuetè post Matutinas cum Clericis Altaria circuiret, atque diutiùs ad sepulchrum beati Cæsarij Confes-

foris orans iaceret, præstolantibus duobus Diaconibus, finem orationis, vigiliis oppidò fessus contigit vt obdormiret. Cùmque huiusmodi sopore deprimeretur, apparuit ei clarissimus vir mitissimo aspectu in vestibus candidis, & ait: Eusebi, perge velociter in pagum Bituricensium, ad vicum qui Vastinum dicitur, ibique in saltu vastæ solitudinis require speluncam, in qua corpus Martyris mei Lauriani iacet, qui hâc tertiâ die à latrunculis Hispaniæ ibidem decollatus est; qui etiam caput eius, me iubente, Hispalim deferunt, vt per eius gloriosum martyrium eadem Prouincia à longa sterilitate in fœcunditatem mutetur: vestimenta quoque munda tecum tolles in sepulturam. Cùm autem speluncam ingressus fueris, occurrent tibi duo vrsi: tu verò ne timueris, quia ad custodiendum corpus Martyris missi sunt, & ipsi tibi illud ostendent. Et hoc tibi signum: Cùm ad amnem Ligerim veneris, transibis vbi nunquam facultas transeundi fuit. Ad hanc visionem sanctus Eusebius surrexit, & concito gressu iussa perficiens venit ad Ligeris fluuium, inuenitque paruam nauiculam à nemine vnquam visam, in qua erat nauta pulcherrimus aspectu, vestibus indutus pretiosis: qui cùm à sancto Eusebio interrogaretur, vnde, & quis esset? respondit: Cur requiritur nomen, quando non exigitur naulum? Hoc dicto, in puncto temporis amne transmisso nusquam comparuit. Sanctus quoque Eusebius huius mysterij arcanum intelligens, silentium dedit, & ad locum destinatum recto tramite Vastinum peruenit, atque in ostio speluncæ, sicut ostensum fuerat, duos vrsos inuenit, qui depositâ omni feritate, mansueti facti, vultu demisso, vsque ad beati Martyris corpus sanctum Episcopum præcesserunt. Nimirùm prouidentiâ mirabili, tamdiu equos & omnia gyrando custodierunt, donec corpus beati Martyris sepulturæ traderetur. Hoc peracto, capite submisso, quasi benedictionem peterent, redierunt in saltum. Sanctus quoque Eusebius supra corpus beati Martyris Lauriani Ecclesiam in honore beati Petri Apostoli ædificauit, & dedicauit quarto decimo Kalendas Decembris, in loco in quo virtutes multæ fiunt extunc & modò, ad laudem & gloriam Domini nostri IESV CHRISTI, cui est honor & imperium in sæcula sæculorum.

Amen.

Addenda ex Martyrologiis Romano, Bedæ, & Vsuardi.

Quarto Nonas, seu die quartâ Iulij, in territorio Bituricensi, sancti Lauriani Episcopi Hispalensis, & Martyris, cuius caput Hispalim in Hispania delatum est. At Beda eodem die sic habet: In Biturica ciuitate natale sancti Lauriani Martyris, & depositio sancti Dalrici Episcopi & Confessoris.

Ioannes verò Vasæus in Chronico Hispaniæ ad annum 544. hæc habet.

Hoc tempore qui de Sanctis Hispaniæ scripserunt, memoriæ mandant beatum Laureanum Hispalensem Archiepiscopum, natione Pannonium, missis à Totila Ariano tunc in Italia Ostrogothis imperante, qui ipsum occiderent, Angeli admonitu in vltroneum exiisse exilium, ac septem pòst annis, eiusdem Totilæ imperio in Francia capite truncatum. Caput Hispalim delatum, ciuitatem multis calamitatibus, quibus hoc toto septennio laborauerat, asseruisse. Corpus à beato Eusebio Arelatensi Episcopo in Biturensi (lege Bituricensi, & intellige non de ipsa Metropoli, sed de alia quæ Vastinum, *Vatan* appellatur) ciuitate pie sepultum.

Digitized by Google

PASSIO S. LEOPARDINI MONACHI.

Quam ex codice MS. Siluiniacensis Cœnobij partim descripsit, partim exscribendam curauit R. P. Iac. Sirmondus.

PRÆFATIO.

SAPIENTIA Dei Patris, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, illud cælestis satietatis conuiuium, multis & innumerabilibus relucere facit splendoribus Sanctorum. Qui licet in diuersis sint disseparati terrarum locis, in illa tamen summæ Trinitatis vnitate, propter testamentum Domini, & leges paternas, permanent in amore fraternitatis, & sic vnus spiritus retinet eos semper, & vna fides. Talem itaque laudabilis vnanimitatis coniunctionem ille spiritus veritatis & vnitatis perficit, quem solliciti semper seruãt illi in vinculo pacis, quibus vnum corpus & vnus spiritus efficitur in vna spe vocationis æternæ, à quibus vnus Dominus sapitur, vna fides colitur, vnum baptisma tenetur. Quibus est enim vnus Deus & Pater omnium, qui supra omnes, & per omnia, & in omnibus præsidet. Hoc istam enim regiam veritatis & salutis viam firmo & libero cursu cucurrerunt beatissimi, veríque Dei cultores, Porcianus & Leopardinus. Hi enim carnali adjuncti propinquitate fraternitatis, vterque elaborabat voluntarius, ne in fine dierum perderent laborum suorum salutares fructus.

CAP. I. *Quali patriâ sint nati, & qualem habuerint infantiam.*

Hi etenim beatissimus Porcianus & Leopardinus Aruernensi patriâ sunt nati, & procreati, & pueritiæ suæ tempora quodam maturioris ætatis senili reddebantur moderata, & succrescentem dierum suorum numerum, quotidianis sanctificabant incrementis virtutum, adhærentes Domino IESV plenâ fide, & constanti spe, & perfectâ caritatis dulcedine. Patriæ namque Aruernensis lata & spatiosa amplitudo ab ipsis non solummodò captabat meliorationis & emendationis exemplum, sed etiam multi & innumerabiles populi de longissimis aliis regionibus veniebant ad eorũ laudationis famam, quam maiorem esse laudabiliorémque acclamabant, quàm audissent, dum ad propria reuertebantur. Multis namq; & innumerabilibus fidelibus Domini proficientes ipsi ad exequendum æternæ felicitatis donatiuum, venientes veniebant cum exultatione, reportantes manipulos cælestis regenerationis cum maxima laude.

CAP. II. *Qualiter exiit à patria sua.*

In hoc tali laudum studio insimul laborantes beati Deóque dilecti Porcianus & Leopardinus, tandem beati Leopardini placuit animo, vt illi Dominico obediret præcepto: Exi de terra tua, & de generatione tua. Hic etenim beatus Leopardinus de terra & de generatione sua, Aruernensi videlicet, exiit, qui in terra demonstratæ obedientiæ, illud antiquæ benedictionis donatiuum recipere promeruit, quo dicitur: Benedicens benedicam tibi, & multiplicabo te. Audiens namque veridicæ relationis quotidianâ certitudine, quia tempore Theoderici Regis, Biturigis præsidet in Archiepiscopali sede beatus, magnúsque totius Religionis decus Sulpicius Pius laudis nomine, ad eum veniendi viam assumpsit deuoto corde: quem post aliquantos dies inueniens, magnâ ab eo susceptus est dilectione; & cum eo aliquandiù commoratus, indicibili coniunctus est animi familiaritate. In ipsa mutuæ dilectionis sententia permanet ille sanctus Sulpicius, pietatis & misericordiæ eminens columna, & ille sanctus Leopardinus felix aduena. Continuabant diem & noctem in Dei seruitio cœlesti per hoc complacentes magisterio. Vnâ autem dierum sanctus Leopardinus cordis sui desiderium sancto Patri Sulpitio aperuit, indicans ei nunquam se velle foras eius Episcopij terminũ habitationem eligere, vel alicubi remane-

re; vnde daretur ei locus in eiusdem confinio, vbi securè & fiducialiter posset seruire omnipotenti Deo.

Cap. III. *De donata licentia redeundi.*

Cuius sanctissimam probitatem Reuerendus sanctus Sulpitius recognoscens, dignum sæculi memoriale, dixit ei: Vade, & vbicumque volueris, in nostro habitare Episcopij termino, securus remane, & cœlesti consolatus adjutorio viue. Acceptâ autem paternæ benedictionis licentiâ, ad illum prædictum Porcianum repatriauit: cui iungebatur non solummodò spiritali, sed etiam carnali dilectione, & fraternitate; cui & itineris sui vias, & prosperitatis suæ causas aperuit, & qualem, & quantum animæ & corporis sui Aduocatum beatum inuenisset Sulpitium insinuauit, & qualiter idem præfatus Pontifex in suo Episcopio eum commanere permisisset, demonstrauit. Qui beatus Portianus fratris sui Leopardini congaudens prosperitati gratias reddidit Deo omnipotenti, vel quia post aliquanta dierum spatia recepisset eum cum alacritate maxima, vel quia donata fuisset ei licentia commanendi vbicumque ei placuisset in patria Biturigensi, vnde idem beatus Porcianus fratri suo Leopardino multis precibus suasit, ne prolongatæ à se stationis sedem eligeret, sed talem, vt vterque alter alterum in proximo videre potuisset.

Cap. IV. *Qualiter locum Viuaris elegerit in Borbonensi vico.*

Huic præcordiali fraternæ suasionis precatui sanctus vir Leopardinus assensum præbuit, & in Borbonensi vico valdè habilem & delectabilem locum, Viuaris nomine, expetiit: qui fundus erat cuiusdam Principis, nomine Ardei, secundùm Deum, & secundùm sæculum multâ reuerentiâ digni. Hic nobilitatem suæ magnæ potestatis humiliabat sub manu Dei omnipotentis. Vnde quilibet Christianorum fidelissimè complacebat expetere illius consolationis manum, cum beneplacito animo. Audiens autem sanctus Dei Leopardinus prædictum fundum à variis ipsius Ardei esse potestatis, supplex eum adiit, deprecatúsque est eum, vt in Oratorio, quod erat in honore Dei & sancti Symphoriani consecratum, liceret ei perioluere Domino quotidianæ laudationis canticum.

Cap. V. *Quòd ipse fundus ei datus fuerit.*

Quam petitionem, vt erat benignus, benignè suscipiens, non solùm quæ precabatur, consensit; verùm etiam post comprobatam sancti viri Leopardini stabilitatem, totum ipsum Viuaris fundum cum omni integritate eidem Beato tradidit, & condonauit sub testamento legum & chartarum, & sub principali stipulatione Regum. Ipsius autem fundi donatiuum idem beatissimus Leopardinus sanctissimo post Deum suo Aduocato Sulpitio condonauit, qui & eidem beato viro auctoritate Episcopali prædictum fundum commendauit, & ad ipsum locum Viuaris exhortatum & honoratum repatriare permisit: vbi idem beatissimus vir Leopardinus postea liberè & fiducialiter cum quibusdam Fratribus Deo omnipotenti seruiuit, multósque pro Dei amore sudores ad effectum salutarem perduxit. Erat autem in diuinorum operum studiis sedulè deditus, orationi inuigilans, misericordiæ actibus insudans, admonitionis Euangelicæ non immemor, quâ primùm regnum Dei quærere iubetur, & iustitiam Dei, quotidianas cum mortificatione carnis & peccati, Christo Deo hostias immolabat, eidémque opere non contraibat, quia mortuus mundo & sæculo remanebat, nam vt iustitia eius in sæculum sæculi permaneret pauperibus, viduis & orphanis, dispertitor & donator necessitudinum suarum manebat hilaris. Per hæc virtutum incrementa incedens, & crescens Dei misericordia, bonam suæ laudis famam circumquaque terrarum effulgurabat, illúmque sui fidissimum amicum prædictum Ardeum in omnibus lætificabat.

Cap. VI.

Digitized by Goog

CAPVT VI. *Quanto honore eum Ardeus tenuerit.*

Vnde ab eodem Ardeo magnis semper honoratus beneficijs B. vir Leopardinus, omni quoque cultui honoris annumeratus ex hoc maximè eidem viro habebatur admirabilis, quia pro oblata sibi honorificentiæ quantitate se in omnibus humiliabat & secundùm Psalmistam se clamitabat miserum & inanem dicens, *Ego autem mendicus sum & pauper.* Illius nempe sanctæ scripturæ medicamentum retinens, & quasi in se quoddam antidotum super inliniens quo dicitur, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam à Domino Deo.* Gratiam namque à Domino Deo Omnipotenti idem B. vir Leopardinus magnam tenuit, qui per iustitiæ certamina immarcessibilis gloriæ coronam de manu Domini recipere in fine dierum suorum promeruit. Hic etenim B. vir Leopardinus in prædicto iuris sui alodo Viuaris se exercebat interiùs & exterius elaborabat vt fratribus qui in eodem loco Christo Domino seruiebant, victus necessaria non deessent. Illud enim Apostolicum quotidie replicabat in animo præceptum, quo dicitur: *Qui non Laborat, non manducet.* Cui & illud Propheticum promissum fidem sibi vendicabat, *vt labores manuum suarum manducaret* de quibus in æterna satietate debriatus, & super aquam refectionis educatus beatus esset, & bene eiin perpetuum succresceret.

CAP. VII. *De quodam Alodo Viuaris loco.*

Inter cætera etenim illius prædicti Viuaris Alodi prædia quidam bene erat amplitudinis campus positus in Albinienſi Parochia, qui in proprios altaris vsus S. Symphoriani deuenerat antiquo legum sancitu. Hunc dum vir Domini excoleret maximo cultu, & pro iusti laboris recompensatione labor impositus labori ad præoptatos multiplicaretur sumptus, quædam mulier miserrimarum miserrima inuidiæ stimulis accésa, nomine Blitildis, in proprios vsus, oblita iustitiæ præsumit computare. Quàm sæpius vir Domini Leopardinus à præsumptionis suę tortitudine monuit cessare debere, ne prouocaret S. Symphorianum ad iniuriarum suarum incitamentum, dum suæ hæreditatis ei tolleret Alodum, sed despecta exhortationis & deprecationis sancti viri assiduitas eidem Blitildi in fine generauit ampliatas pœnas. Nam infructuosam ficulneam sicut maledixit Dominus, sic & hanc Blitildem fertur, quam maledixit S. Leopardinus.

CAP. VIII. *Quantas insidias Blitildis sit passus S. Leopardinus.*

Permanens itaque eadem Blitildis in malitiarum suarum nodis, postea cœpit disquirere occultè, quomodo B. virum Leopardinum potuisset perdere. Nam in aperto hoc nec audebat facere, vel pro mariti sui Ardei timore, cuius erat coniux, vel pro nimio aliorũ amore, quo idem vir Domini vinciebatur. Vnde Iesabelis infecta antiquo maledicto infecit quondam deceptionis suæ instinctu, etiam ipsum S. viri nutricium, vocabulo Placidum, valdè nominis sui contrarium, qui per aliquot dierum spatia malè postulati virus in corde suo celans zizaniam, S. viro Leopardino quantùm occultiores, tantùm grauiores disquirebat insidias; in tantum scilicet, vt persuasrici malitiæ Blitildi in omnibus complacens per omnia assensum præberet. Illámque simplicitatis & innocentiæ columbam, S. scilicet Leopardinum, perderet.

CAP. IX. *Post peracta diuina Mysteria visitat Fratres.*

Quodam namque die post peracta Missarum solemnia, quòd S. viro Leopardino quotidianus erat vsus, eidem prædicto Placido commendauit, vt præpararetur sibi caballus, quo posset Colobero Ecclesia visitare fratres velocius. Qui corde infecto malitia, præcepto quidem S. viri obtemperat; sed & ad illam nequitiarum amatricem Blitildem celeriùs appropiat, motum eius & viam insinuat, adesse voti sui perquisitam fortunam annuntiat, quo poterit S. Dei virum Leopardinum perdere si non negligat super illud opus inuigilare. Adiungit quoque ille subdolus nutricius, magnæ falsitatis conuentum esse apud S. Symphorian: Ecclesiam multarum pecuniarum quantitatem quæ in eius deueniret partẽ, si idem vir haberet vltimum diem vitæ. A tali igitur malę

Digitized by Google

persuasionis nuntio, animus Blitildis ignescit illicò, ingenium perficiendæ nequitiæ excogitat, quæ sibi ille milleformis artifex præparat, qui se in Angelum lucis multoties transfigurat.

CAP. X. *Quatuor viri euocantur in morte Sancti.*

Quatuor denique malefici discipulatus sui subsellliones euocat eadem Blitildis, & conceptam & diu ruminatam animi sui rubiginem eis denudat, quibus promittit, quia si eum eraserint, perficiendo sua iussa, non remanere eos vltra in seruulorum loco, sed in carorum filiorum numero. In præsentia tamen numerosam acciperent pecuniarum quantitatem, vt non fastidirent precantis Dominæ opus, & vt accelerarent eius iussa perficere velocius insinuatur & motionis illius hora eis insinuatur, quia in proximo transiret per lacum, qui vocabatur Salgorus. Postquam insinuatur transitus viæ eius, commendat eis, vt pertranseuntem Dei virum arriperent, mortique ac celerrimè traderent, ossa quoque prę mortui corporis sic in profundum terræ transponerent, vt in perpetuo inueniri non possent. Assumunt plorabundæ precepta Dominæ, & ad prænotatum locum arripiunt viam concitè. Et pertransiit inde S. Dei Leopardinus Sacerdos Colobero, ingratiam charitatis fratres, vt dictum est, visitaturus.

CAP. XI. *Sanctus vir Colobero reuertitur.*

Vnde quodam die reuertens, & iuxta locum sui itineris prædictos ministros obdormisse videns pertransiit, & in vno proximo locorum, quid agere vellent, expectauit. Surgentes verò à somno, dum S. Dei Leopardinum redisse cognouissent, in lamentis & doloribus permanentes, & super somnolentię & pigritiæ suæ torpore multa conquerentes inrecuperabilis consolationis afficiebantur dolore. Quam quidem pro sui pigritiâ potuisset eos sanctus Dei reuertens derisui habere, sanctus verò Domini Leopardinus insanientium debacchationi auditæ condolens, Martyriique coronam sitiens, eósque adpropians, illud Dominicæ passionis pro se responsum reddidit dicens, *Ego sum, quem quæritis* Tunc ministeriales imperatæ perditionis Sanctum Dei afficiunt pœna acerrimæ cædis. Securim quoque capiti infigunt, & sic videlicet quasi emortuum relinquunt.

CAP. XII. *Post multa flagella reuertitur.*

Post peractæ igitur tantæ impietatis officinam, dum læti reuertuntur ad Blitildem dominam suam, sanctum Domini Leopardinum cœlesti antidoto sanatum, eósque à longè subsequentes aspiciunt, laudes Domini acclamantem, hilarem', & Angelicum vultum habentem. Cúmque iterum totis nisibus dolo pleni, & fallacia repleti ad Dei Sacerdotem redire conarentur, vt gladio eum trucidarent nefando; tantus subitò illorum mentes inuasit timor, & tremor, vt nemo eorum ipsum auderet respicere. Sed vnus post vnum fugam accipiens incerti & profugi per syluas, & concaua montium huc illúcque discurrebant. Tandem fessi & dilaniati corpore & veste adsistunt conspectibus dominæ. Cui aperiunt qualiter S. Dei Leopardinum post multa corporis flagella manibus & pedibus ligatis dimisissent mortuum, securi caput percussum grauiter, & qualiter eos expauisset, eósque pro sui pauore fugam inire compulisset. His verò auditis in iram conuersa illa Blitildis maleuola diuersis flagellis eos torqueri commendat. Sed inter flagella promittunt in proximo satis placere voluntati Dominicæ, si eis daretur locus & terminus, quo sanctum rursus inuenire possent Leopardinum. Huic probrosæ promissioni attestantes se daturos inquisitionem, dimittuntur, dehinc in deceptionem sancti viri Leopardini astutioris insidiæ causas machinantur. At omnipotentis Dei virtus & sapientia inter agendum talia Beatum Leopardinum in Niuernensi pago maxima extulit celebritatis gratia.

CAP. XIII. *De quadam Paralytica.*

Erat quædam matrona in eodem pago Niuernensi satis potestatiuæ dignitatis

Digitized by Google

exuberans numero, & per multa dierum ſpatia perdito omnium membrorum officio ſolius linguæ particula fidei & neceſſitatum ſuarum partem edicere valebat. Quæ ſuæ domus famulos prece monuit attentiùs, vt trans Aleris flumen quendam eximiæ ſanctitatis virum perquirerent, nomine Leopardinum, qui pro Chriſto multis affectus fuerat pœnis, pro quibus reſumpturus eſſet in fine dierum coronam perennitatis. Inſinuat eis & perfecti & habilis corporis qualitatem, vultumque cum canicie capitis hilarem & angelicum: Mores quoque eius totius religionis, ſanctitatis, & pietatis plenitudinis inſignes. Hunc tamen numquam ſe vidiſſe, vel de eo aliquid ab hominibus didiciſſe aſſerebat; ſed ille ſpiritus Domini, qui vbi vult ſpirat, illum talem virum pro ſui ſalute inquirere inſinuat: exquiſitæ pietatis & religionis præoptata perſona inuenitur, & precantis, & tranſmittentis dominæ ſumma neceſſitas aperitur. Quam deprecationem ſanctus vir, & cauſa magiſtralis humilitatis: nec præſumptuoſa ſuſcepit; & tamen deuictus innatę ſibi pietatis dulcedine in longum non diſtulit. Redire nuncios ad dominam iubet, illico ſe ſubſequuturum promittit in proximo ad conſueta Miſſarum ſolemnia interim præparatus belligerator inclytus, & inter immolatæ redemptionis gaudia illi præmortuæ mulieri aduenit ſanitas diu deſiderata.

CAP. XIV. *Quod vitæ ſuæ finem annunciauerit.*

Dehinc peracto oblati ſacrificij myſterio Fratribus ſuis, & cæteris fidelibus pacem & vltimum vale tribuit, & ſui agonis curſum & terminum vitæ ſpiritu Dei edoctus appropinquare innotuit, dicens: Appropinquat mihi vitæ meæ finis, quia callida inuectione Blitildis illum noſtrum nutricium nomine Placidum deputatum ecce doleo initium viarum ſuarum bonæ ſpei fructu conſecrans, oblitus fructuoſæ diſciplinæ, oblitus moderatæ reuerentiæ, finem dierum ſuorum expectat in poſterum gemens, & vlulans, quam quidem ſuper caſum noſtri interitus multos perquirit argumentationis anfractus. Poſt commendatos igitur Deo & ſpiritui eius filios, poſt ordinata Monaſterij Viuaris neceſſaria, poſt annuntiatę paſſionis ſuæ qualitatem, ad prędictam in Niuernenſi pago venit mulierem. Hanc miſerentis Dei miſericordia inuenit ſuper adeptæ ſalutis & ſanitatis iocundantem vota, eámque Dominici corporis viatico muniens, & in omnibus lætam & alacrem dimittens ad conſequendam victricis brauij palmam idoneam talem Dei ſeruus inuenit viam.

CAP. XV. *De Martyrio eius.*

Tranſmeato igitur Aleris flumine, proſpicit ille Sanctus Leopardinus, amator veritatis & iuſtitiæ, illos veternoſæ impietatis miniſteriales, quos pro interfectionis ſui pecuniis, prece, & imperio quondam conduxerat Blitildis maliuolo animo, quos ſuper ſuæ interfectionis argumentum cupidos & ſitibundos recognoſcens, eorúmque rabiem non expaueſcens imitator illius, qui dixit, *Ego ſum via, veritas & vita*, inchoatam viam non dimiſit, à veritatis tramite non omutuit, ſed pro ea in futurum ad vitam perennitatis feliciter peruenit. Sic illa miſerorum effera rabies illum Dei amicum, conciuem Angelorum, magnumque ſolamen hominum, Sanctum ſcilicet Leopardinum comprehenderunt, duriſque loris vincientes à conſpectu pertranſeuntium hominum abduxerunt, & tetris profundiſſimæ ſyluæ locis tranſpoſuerunt, vbi ſitibundam veſaniam inſanientis animi cædibus, verberibúſque, flagellis & diſtortionibus in ſancti corpore ſuperimpoſitis exſaturantes illud pretioſum capitis Margaritum nonas Octobris penè reddiderunt detruncatum: Defendebat autem caput in exanimi tamen corpore iam in cœleſtem regis inſertum diademate. Sic ille ſectator Dei egregius Leopardinus Martyris eſt palmam conſecutus, & in illorum numero adſciſcitur coronatus, qui Iezabelis & Herodiadis reprehendentes præſumptionem mercati ſunt perpetuam ad gloriæ & honoris coronam per æquiſſimum recompenſatorem meritorum Dominum noſtrum IESVM-CHRISTVM. Miniſtri igitur officinæ illius immiſerabilis exſaturati & inebriati ſanguine Martyris Sancti Leopardini foſſam ſuffodiunt

altissimæ profunditatis, vt inibi ita S. Leopardini Martyris corpus celaretur, vt numquam inueniretur. Sed illi miseri nescientes, quia non est potestas, non est consilium contra Dominum, quantùm celare contendunt peruersitatis suæ tyrannidem, tantùm id manifestatur per totum orbem. Quanti denique Sanctus idem vir in vitâ suâ apud Deum fuerit, testantur multa & admiranda miracula, quæ facta sunt in pretiosi corporis sui demonstratione & inuentione sanctissima, quæ cuilibet fideliori vel fidelissimo, si fuerint admiranda, non erunt tamen incredibilia. Quoniam quidem, dum scierit scriptum, *omnia possibilia sunt credenti*, credulitatis suæ frontem sustentabit fiducialiter ad illum verum lapidem, qui positus in caput anguli, veteris & nouæ legis arcana declarat impenetrabilibus augmentis iocundi prodigij.

Cap. XVI. *Miracula inuentionis eius.*

Denique vir domini Leopardinus sub profundissimo telluris aggere sepultus, dum eum nec sui; nec vicinorum proximi reperiunt, disponente largitate Dominicâ, tali se præmonstrari voluit mysterio. Nam quilibet pastores pecorum minare volentes emissum sibi peculium ad nota & consueta pastoris pascua, cogente cœlesti artificio, illud opus euincere non valuerunt vllomodo. Vnde illa numerositas quadrupedum per montes & concaua vallium, per lata & inuia quæque locorum ad illum properat, nescius thesaurum quem fraudulenta malignitas seruorum, iussu ante dictæ Blitildis, nimiæ profunditati commiserat terræ. Circa hæc tenebrosæ & densissimæ syluæ loca depascens aduentitium peculium inconsueti loci gramina, & custodes pecorum huc, illúcque oberrantes, mirantur vastæ & amplæ solitudinis secretum, id acclamantes accidisse pro aliquo prodigio signorum. Inter hanc angulosam disquisitionem amicę curiositatis, dum in quodam circùm adiacentis syluę loco vertunt oculos, dextram sancti adeò dilecti Martyris Leopardini super terram conspiciunt, magnúmque luminare ad caput & ad pedes eius adesse vident. Huius admirandæ visionis signo expauefacti pastores, & in loco inusitatæ habitationis positi relinquunt pascua, illa fugiunt loca inhabitabilia, prędicunt omnibus coacta negotia sui itineris, & annunciant cunctis visa miracula cuiusdam sepulti corporis: Huius admirandæ visionis fama, sicut lætificauit fidelium Dei corda, sic perterruit illam malæ curiositatem Blitildis. Quæ vt suspitiosius numquam requieuit, sic numquam requieuit propter suam maliciam in sanctum Dei Leopardinum diu longéque retentam.

Caput XVII. *Quod in Hiauram corpus Sancti proiicitur.*

Tali nuntio perterrita Blitildis subselliones suæ euocat malitiæ fautores, tum procrastinata hora edicit eis pastorum veridicum nuntium super sancti Martyris Leopardini corporis demonstrationem, & replicat populi gaudium & veretur suæ exprobrationis notam, si huius rei non euacuauerint famam. Et precatus eos, vt accederent ad suæ notitiæ locum, quo sanctum proiecerant corpus, & de eo subtraherent interfecti cadauer effossum. Cui alligetur & grauissima ponderis mola, sicque in profundis Hiaurę gurgitibus demergeretur sine mora. Cui detestabili impeno quasi secundæ Iesabelis obtemperantes, & ad suæ certitudinis locum properantes audita comprobant visa, nam dexteram Sancti Martyris Leopardini foris terram, & magnas vident ad caput eius & ad pedes ardere candelas, sed felle amaritudinis inebriati, & timori Domini in omnibus contrarij, sicut eis iussum fuerat, extrahunt ab elemento terræ Sancti Martyris corpus venerabile & sic proiiciunt illud in aliud elementum Hiaurę aquæ, quasi inde non possit eum omnipotens Deus famulis & fidelibus suis ostendere, vel reddere. Demerso denique Sancti Martyris corpore in aquarum altissima profunditate, quasi secura, & quasi victricis laboris palmam assecuta esset Blitildis, sed consilium & securitatis eius momentum diuinæ pietatis est magisterio disturbatum.

Cap. XVIII. *Quòd sanctus apparuit Ardeo.*

Nam ille magnæ dignitatis Ardeus, qui semper S. viro Leopardino manserat

Digitized by Google

familiarissimus, à cuiusdam senioris sui curte reuertebatur, & pro exercitij & iocunditatis vsu, & pro delectationis suæ apparatu obambulabat vno die secus Alueris flumen cum suo accipitre, si forte aliquam auem posset captare; & dum huc atque illuc iocundando discurreret, accessit ad prædictum lacum Hiauram, qui non longè positus erat ab Alerico flumine, & ecce videt subito B. Leopardinum super ripam prædicti laci residentem, & sustinentem in scapulis nimij candoris duas columbas. Eum quoque illuminabant altrinsecus duo luminaria supra candelabra posita. Quod postquam Ardeus vidit, oblitus ioci sui oblitus accipitris sui intremuit, & obstupefactus fugit, regredientéque quantocyus domum visa est illi claritas super se rutilare continuatim. Vox quoque cœlitus emissa, quæ diceret: Sacerdos domini Leopardinus in paradiso exultat lætus, hodiéque Blitildis igne torquebitur infernali. Hoc cœlesti magisterio ipse Ardeus edoctus, quòd maliuolo scilicet instinctu coniugis suæ Blitildis S. Dei Leopardinus coronam gloriæ recepisset de manu Domini, domum subintrat, vt si, ita esset rei veritas disceret. Perquisita itaque Blitildis coniux de salute & de sospitate S. viri Leopardini, elatiori fastu respondit nec scire, nec curare illius inepti claritatem: Nec qualecumque vitæ vel mortis habeat discrimen. At ille amator Dei non infimus Ardeus, quem S. viri succendebat zelus, superbienti mulieri indignans, caput ipsius baculo, quem manu tenebat, percussit, & audita & visa illi replicauit: Quæ nimiùm despexit, & hæc verba indignans euomuit, scire pro certo poteris, quia si aliquod virtutis signum per illum virum vnquam factum fuit tuum amicum Leopardinum, statim viliores mei mancipii quantulacumque persona in Sanctorum fortissimorum transnumerabitur numerum, & gratiam S. superbientis & indignantis mulieris falsiloqua responsa eidem genuerunt imposterum animæ damna & corporis morticina.

CAP. XIX. *Quod corpus S. in Alueris flumine proijcitur.*

Interim audito visionis talis signo, & doloris sui augmentum celans Blitildis in animo, suæ impietatis fautores euocat, & magnis pecuniis eos obligat, & maiora promittendo hortatur eos, vt ad certas Hiauræ lacus profunditates veniant, & exinde Martyris corpus tàm mirabiliter se demonstrantis abstrahant: non dispares igitur iubentis dominæ imperio ad prædictum locum veniunt, & tunc contis, & vncinis, aliorúmque instrumentorum artificiis sancti corpus abstrahunt. Aliud quoque quasi sapientiùs commentum celandi excogitant. Paratur quoddam vas, quod dicitur tonna, vbi Sancti reponuntur membra, & inuecta simul multa congerie lapidum in Alueris fluminis prouiciunt profundum. Talis officinæ ministeriales post peracta iussa redeunt ad dominam suam alacres quasi scilicet tunc vbi essent consilio sapientiori inuento, quod viuere eos faceret cum quiete & domina coram lætaretur pro sancti corporis perpetuali absconsione. Gauisa tali nuntio Blitildis, subintrat domum hilaris, festiuum gaudium in animum inducit, quod in proximo deposuit. In se ipsa comprobans, quod dicit Auctor: *Ante ruinam exaltatur cor.*

CAP. XX. *De horribili morte Blitildis.*

Nam ad purgationis locum residens, & sancto viro Leopardino detrahens, Arii pœna damnata, malitiarum & inuentionum suarum vltima habuit consilia. Prædicta itaque Blitildis obiit cum sui probrosa memoria. Quantus postea Beatus Martyr Leopardinus effulserit miraculorum prodigiis nec enarrare est nostræ possibilitatis ex toto: Sed in eiusdem Sancti Martyris confidens post Dominum adiutorium appono dies præmeditandi, stilum assumo timidus perscribendi. Eundem autem S. Dei Leopardinum in profundissimis Alueris fluminis gurgitibus proiectum diuinę pietati placuit reuelare tali signo nostris temporibus non frequentiùs vsitato.

CAP XXI. *De reuelatione eius.*

Apud S. Symphoriani Martyris Ecclesiam Viuaris loci, quidam erat simplex & innocens Monachus, qui inibi omnipotenti Deo seruiebat, deuotus hic pro sancti viri amore, eiusdem Oratorij locum debitâ colebat seruitute, ieiuniis, & orationibus va-

cans, & in lege Domini inuigilans, ad magnæ perfectionis ascenderat tramitem; qui audito sancti viri termino vitæ, audito passionis eius martyrio, implacatissimo dolore cruciabatur. Quandoquidem laborum suorum sic insperatò perdiderat leuamẽ magistrale, decrescebat illi quotidianus & continuus doloris stomachus, quia nesciebat quoquo locorum sancti Patris sepultum esset corpus, perquirebat hoc indeficientissimo cordis desiderio, solúmque in inuestigatione sua illud Canticorum ei delectabatur canere discursu assiduo: *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea; quæsiui illum, & non inueni* Sed consuetudinario bono animæ inuestigantis sui desiderabile idem simplicitatis Monachus assuefactus, dum in terris perdit viarum suarum discursus, à supremis remanet perfectè consolatus. Hic post consuetæ orationis lassitudinem, in somnis videt votis suis congruam visionem. Euigilans enim prædicit apparuisse sibi in somnis quendam virum miri decoris & pulchritudinis, qui sanctam vestem, quæ cuculla dicitur, quam eidem Monacho sanctus vir Leopardinus pro charitatis signo dederat in Alarico flumine cum deuotione iubet mittere. Cœlesti visione vt pote sitibundus tali negotio fidem accommodans vestem assumit commendatam, & ad locum properat demonstratum & secus ripam fluminis profundos cœlesti pietati orationum & lachrymarum fundit gurgites. Orat quoque ne priuetur desiderii sui fructu, & ne visionis alacritas vanæ & inani ascribatur illusioni. Assumptis denique pennis fidei quæ transponit montes de loco ad locum secundùm veridicum dictum Euangelij, vadit prædictus Monachus ad insinuatum locum, & iactat cucullam in flumine. Hæc in medijs fluctibus Angelicis deducta manibus, vbi sanctus Leopardinus erat, ostendit, & Monachum lætum reddidit. Ipsa denique vestis per aliquot horarum spatia super sancti viri corpus manebat immobilis, prædicens eò loci adesse thesaurum incomprehensibilis pretij qui desideratus diu fuerat, multis quoque delectabilis manebat. Quod ille simplicitatis videns Monachus, multúsque vtriusque sexus populus super stupendi miraculi signum sentiunt diuersi diuersum, coniicientes quidam & eundem sanctum Dei velle locum inhabitare, vbi vestem religioni deputatam vidissent tàm leniter & tàm morosè remansisse. Sed ille, cui non inerat temporaliter scire quod regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud fide tamen deuicit, quod terreno artificio non potuisset, si ad illud opus se vertisset. Nam terram lachrymarum replens riuulis, pectus tundens pulsibus assiduè diuinæ exauditionis fontem aperit, qui sub momento sancti Martyris Leopardini corpus à profundissimis aquarum abstractum gurgitibus ad ripam transposuit. Quod adhuc nullo artificio in vase, superius tonna nominato, reconditum erat, & vbi illa malæ suasionis subsellio consentanea nimium Blitildis malignitas transposuerat, aperit illico vas prædictum & inuenitur intrinsecus cœlestis Imperatoris margaritum, sic adhuc illæsum atque mundum tanquam ipso die fuisset reconditum in antro ipsius tonnæ: signum verò sui Martyris solummodo circa collum apparuit in modum fili rubei. Extrahentes denique sancti Martyris corpus de illius receptaculi speciebus miri odoris suauitas emanauit, quæ cinnamomi & balsami euinceret & exuperaret delectationem, omnémque transcenderet terreni boni odoris suauitatem.

Cap. XXII. *Quod ad inuentionem eius corporis venit populus multus.*

Etenim diuinæ prouidentiæ credimus complacitum fuisse, vt ad inuentionem corporis sancti ac Deo dilectoris Leopardini multus & innumerabilis conueniret vtriusque sexus populus, qui regressus in suam patriam enarraret visa miracula, Deum quoque benediceret mente deuota, ipse denique laudabilis memoriæ Ardeus cum omni familiâ suâ cognationisque suæ multitudine maxima ad implendum sancto corpori obsequium aduenit, omnem quoque honorificentiæ curam exhibuit, quæ sibi possibilitas administrauit, & quantum affectum dilectionis & amoris reseruauerit sancto Leopardino adhuc viuenti in carne demonstrauit anxius dolor & lachrymarum continua irrigatio fusa propter obitum sancti viri. Inter multiplicia tamen honorificentiæ donaria, quæ Beato viro ante consecutum finem dierum eius obtulit, isdem Ardeus cum deuotione maxima etiam de illo prænominato fundo Viuaris eidem testamentum donationis reiterauit, & ampliatis mancipijs, & adiunctis multorum prædiorum adiacentijs legalibus scriptis astipulauit.

Digitized by Google

CAP. XXIII. *De quodam contracto sanato.*

Post solemnia venerationis sancto corpori exhibita, dum eiusdem Martyris corpus ad sepeliendum portaretur, quod quidam aduenit attendens & expectans suffragium sancti qui perditus erat pedum officio, & damnatus manebat oris alloquio. Nam huic nec plantæ, nec genua adiuuabant ad peragendum aliqua itineris officia, & ad incrementum miseriarum suarum & perditum habebat oris alloquium. Hoc duplex namque membrorum posse perditum restituit fides, quæ mortua est sine operibus secundùm Apostoli dictum, reseruatus tamen ei videndi thesaurus, ex quo multa & innumerabilia miracula per B. Martyrem quotidie videbat fieri: incitabat eum eiusdem sancti expetere suffragium, & dum officio auditus reseruato sibi cœlitus intonant eiusdem sancti miraculorum prodigia & pietatis, concalescit cor ipsius illud experiri iter salutis. His geminis sensibus sospitatis adiuncta fides pauperis submonet eum, vt adductus feretrum, quo sanctum corpus positum erat, tangeret: & dum inter multam populorum turbam extensis brachijs & erectis manibus pallium, quo sancti corpus coopertum erat, tetigit, ad sanitatem rediit, & diruptis infirmitatum omnium nodis hinc currere plantis, hinc Deum laudare cœpit formato sermone linguę & oris.

CAP. XXIV. *De inuento sarcophago.*

In Gestatorio namque feretri positus S. Martyr Leopardinus præclara & spectabilia miraculorum prodigia in terris profundebat instantiùs. Inter multiplicia tamen vnum quoddam adiungimus speciosissimum, quod vtinam nec vilitate componentis, nec rusticitate fastidiat sermonis. Sarcophagum namque ligneum, vbi sancti Martyris reponerentur membra, quidam ministri vadunt facere in quadam syluâ, quæ erat scilicet in prospectu ipsius Viuaris fundi expectantibus interim illud opus multorum populorum turbis. Dum autem ad tale negotium faciendum prospectant, & circunspiciunt ministri sicvbi maneat conueniens arbor subito, vehementi ventorum impulsu vna quædam abradicatur, reuellitur à profundo, circumcirca autem remanentibus alijs in radicatione suæ soliditatis. Ipsam denique arborem in vsu perficiendi Sarcophagi tota deliberatione deputant animi; vnus eorum in locum quo submota est arbos introspicit apertissimæ quantitatis & pulcherrimi decoris lapideum sarcophagum. Tunc verò demonstratæ benedictionis munus sodalibus suis ostendens lætos omnes & alacres reddidit, tam pro suscepti laboris fine imposito, quàm pro cœlestis doni munere præmonstrato.

CAP. XXV. *De Sanguine eius inuento.*

Hoc namque laudabile signum miraculorum subsequitur non dissimile, quod nos illud æternæ promissionis credere admonet Euangelicum, quo dicitur quia *nec capillus de capite illius peribit qui in patientia animam suam possidebit.* Victricis etenim patientiæ palma sanctum Dei Leopardinum consequi fecit æternæ hæreditatis gaudia, qui per iustitię & veritatis gradiens vias non metuit subire glorioſi Martyrij pœnas. Quanti etenim apud illum æquissimum retributorem meritorum & laborum sanctus iste Martyr Leopardinus fuerit, & per eum patrata miracula produnt, & specialiter admirabilis inuentio eius sanguinis demonstrat: à demonstrato namque lapideo Sarcophago dum ante dicti Carpentarii cooperculum similiter lapideum submouent intrinsecus ampullam inæstimabilis speciositatis aspiciunt, sic recenti repletam sanguine, ac si profusus inibi fuisset eodem die. Hunc namque eundem sanguinem fortitudo Angelicæ administrationis, prouidente & dispensante diuinâ dignatione eo loci transposuit, dum beatus vir capitalem sententiam temporaliter subiit. Hic ante tumulationem suam sanctus vir Leopardinus in gestatorio adhuc positus feretri & multa prodigia miraculorum peragit memoriâ digna. Nam hoc Sarcophagum quo tumularetur diuinitus præparatum demonstrat, & sui Martyrij sanguis sic mirabiliter inuentus affirmat. Illud autem Sarcophagum ad Ecclesiam S. Symphoriani apportant, & in conuenienti loco ad sepeliendum collocant.

CAP. XXVI. *De quodam cæco.*

Hîc tantis famulantibus miraculorum ſignis tranſponitur Gleba ſancti Martyris Leopardini in eodem ſarcophago diuinitus inuento, & in ſui tumulatione qualiter æternæ luci complaceret, oſtendit: nam dum ſuperimponitur ſarcofago cooperculum, quidam cœcus inter cæterum reſidens populum inueteratæ cæcitatis inibi depoſuit tenebras, merito ſancti Martyris Leopardini, & aſſumit videndi peroptatas vias. Qui anxios miſeriarum noſtrarum langores, interuentu conſuetæ pietatis in perpetuum ſanet, præſtante Domino noſtro IESV-CHRISTO, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit paſſio S. Leopardini.

ALTERA PRIORE BREVIOR
Beati Leopardini Paſſio.

BEatus Leopardinus, Aruernenſis territorij accola, Clotarij Francorum Regis temporibus floruit. Huic extitit frater germanus Sanctus Portianus, quos prædiues quidam tanquam vernaculos poſſidebat. Ij cum vicinum quoddam Monaſterium identidem frequentarent, concepto altioris vitæ propoſito, attonſi in Monachos ab Abbate recepti ſunt. Vbi cum per aliquot annos Deo pari mentis ſeruiiſſent affectu, Beatus Leopardinus audita S. Sulpitij Bituricæ ciuitatis Archiepiſcopi fama, amplioris rei ſpe euocatus obtenta fratris facultate ad eundem venerabilem tranſiit patrem, cum quo in Nauenſi Cœnobio non paucos tranſegit dies.

Cùm verò quodam tempore Leopardinus Sulpitio voluntarem agendæ in Anachoreſi pœnitentiæ inſinuaſſet, approbatâ Pius pater tam cari ſodalis voluntate, Viuarienſem ei offerens fundum, & quæ ipſi ventura erant, pronuncians: Vade, inquit, dilecte Domini de illius ſecurus adjutorio: equidem eiuſdem loci beneuolum reperies poſſeſſorem: perficies quoque, quod mente tractaſti: verumtamen non hæc eadem abſque vitæ tuæ diſpendio conſeruabis.

Egreſſus autem à S. Præſule ad fratrem ſuum venit, quem illius Monaſterij iam Abbatem reperiens, eidem quomodo omnia ex animi ſui ſententiâ obueniſſent, expoſuit. Vnde verò abſcedens cùm illuc, quo tendebat, peruenisſet, pro reuerentia almi Præſulis Sulpitij à clariſſimo Principe Ardeo digniſſimè ſuſceptus, deſiderij continuo ſui compos efficitur. Vbi tantis poſtea refulſit virtutibus, vt in breui fratrum multitudinem in extructa ibidem S. Symphoriani Baſilicâ congregaret. Hæc autem Eccleſia cùm opportunis quibuſque rebus liberalitate fidelium dotata foret, inter alia ipſius prædia, quidam erat magnæ amplitudinis campus, quem idem ſanctus cum Fratribus, vt inde vitæ ſibi neceſſaria compararent, excolebat.

Bichildis verò memoratæ Principis vxor nihil à mulierum detrahens ingenio inſcio abſentéque viro prædictum campum in ſuos ſuorúmque deputat vſus. Quem cum vir ſanctus repeteret ſtudioſiùs, illa necem eius machinata quendam ex Monachis Placidum nomine in ſuam traxit ſententiam. Cùm ergo quadam die Fratres, qui Colobero reſidebant, viſitaſſet, in reditu Bichildis miniſtros in ſuam perniciem deſtinatos offendit, à quibus de equo præceps in terram actus loriſque grauiter multatus, ac demum impacta in caput ſecuri non mediocriter vulneratus eſt, ſed diuina illicò ſanatus ope ad Monaſterium citiùs rediit.

Poſt breue rurſus tempus rogatus à vidua quadam, vt ſanitatis ſibi conferendæ gratia Niuernenſis territorij quantociùs tenderet fines, licet ſuum iam imminenere cerneret interitum, petenti tamen profecturum ſe maturiùs repromiſit. Conuocatis itaque fratribus ſingulos ad obſeruanda, quæ tradiderat, vitæ inſtituta animauit, injunxitque præterea, vt quę Deo propitio & auctore Sancto Sulpitio in eiſdem partibus ſuſceperat, à præfato Principe, Nauenſi Monaſterio iure perpetuo poſſidenda tranſirent.

Indulta igitur huic mulieri viduæ ſanitate, cùm iam reuerteretur, ſæuiſſimos, ſicut prius,

Digitized by Goog

priùs, passus est insidiatores, qui impetu facto, diuersa cum membrorum laceratione vexarunt, nullâque tormentorum asperitate contenti, caput tandem ipsius præciderunt.

Cæterùm hæc ex veteri MS. Lectionario, quod nobis litteratissimus ac religiosissimus Abbatiæ sancti Sulpitij quondam moderator, nunc verò sancti Germani Parisiensis Prior, R. P. Bernardus Audebertus, pro summa sua humanitate vtendum dedit, recisis inutilibus, in pauca contraximus. Verùm hoc sibi cúmque veritate pugnare docet ex Gregorio Turonensi cap. 2. libri de SS. Patrum vitâ petita ἀπόδειξις, quæ sic instituí potest. Beatus Leopardinus à sancto Sulpitio Pio, qui anno duntaxat Christi circiter 625. Episcopatum iniit, ad fratrem sanctum Portianum regressus, dicitur eum iam reperisse Abbatem: Ex Gregorio verò Turonensi, qui ante annum 596. obierat, exploratum est beatum Portianum iam senem, atque Abbatis fungentem munere circa annum Christi 530. saltem ante 534. quo Theodoricus esse in viuis desiit, ad exercitum eiusdem venisse Principis. Verba Gregorij hæc ipsa sunt: *His diebus Theodoricus* (Clodouei scilicet maior natu filius, postquam à Thoringia sanus incolumisque rediit vlturus rebellionem Arcadij. Qua de re plura idem Gregorius libri tertij Hist. Francorum, capp. 9. & 12. & alibi.) *ingressus Aruernum terminum, omnia exterminabat, cuncta deuastabat. Cúmque in Arionensis vici pratis castra metasset, antedictus senex* (Portianus scilicet Abbas) *ad occursum eius properat, quasi pro populo rogaturus, &c.* Decepit ergo rudes chronologici calculi viros, Clotarij nomen multis Galliarum commune Principibus, ac propensiùs quàm par esset, ad sua suorúmque facta amplificanda studium plures Monasteriorum alumnos in sexcentos induxit errores, dum quæ successu temporis, variósque ætatum flexu, aut Principum gratiâ, reformationúmque prætextu, amico fœdere conjuncta fœdere, ea à primis initiis simili nexu ligata, isdémque obnoxia fuisse legibus aut conditionibus obuoluta existimarunt. At de iis plus iam satis. Quia verò in eadem sancti Leopardini vita Coloberonensis Monasterij mentio fit, reuocat in memoriam verba Gregorij Turonensis, qui in eadem sancti Portiani vita meminit B. Protasij, qui tunc apud Caubidobrinse Monasterium habebatur reclusus. Quæ an duo distincta fuerint Cœnobia, an vnum duntaxat vitio Librariorum variis expressum vocibus, an aliud ab eo, quod modò Cambonensis Præpositura dicitur, quis certò ac citra diuinationem asserere possit? Id tamen haud obscurum in propriis nominibus diuersos sæpè variare scriptores, cùm apud eundem Gregorium, is qui dicitur in Historia cap. 13. libri 3. Sygiualdus, in laudata S. Portiani vita appelletur Siginaldus, &c.

ELOGIVM HISTORICVM B. LEOCADII Senatoris.

BEATVS Leocadius, seu Leucadius, ex primis Galliarum Senatoribus oriundus, patriâ, quantum coniecturâ possumus assequi, Lugdunensis fuit, ex stirpe nimirùm nobilis illius Vettij Epagathi, qui sub Antonino Vero, vt refert Eusebius Pamphili libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 2. & sequentibus, Lugduni pro Christi nomine martyrium passus fuit an no Æræ Dionysianæ circiter 167. vel 177. quamquam apud Biturigas, prædia multa, facultatésque possederit: vt tùm ex Dolensi vico, vbi in Ecclesia SS. Stephani & Saturnini lapideum quidem eius sepulchrum; Lusoris verò filij marmoreum etiamnum visitur, tùm ex aliis indiciis pronum est intelligere.

II. Hic cùm Auarici primariâ in vrbe Biturigum domum, vel vt alij appellare malunt, palatium haberet, Ecclesiæ construendæ aptissimum, à paucis, iisque infimæ sortis hominibus recens, non à sancto Vrsino, vt vulgò creditum est, sed à sancto Sæuiciano, alióve aliquo discipulo, fortè S. Gatiani, aut S. Austremonij, alteriúsve ex Septem viris illis Galliarum Apostolis ad Christianam fidem conuersis, enixè rogatus, repudiatis, quos illi obtulerant, trecentis aureis cum argenteo disco, illud vltrò ac sponte sacris vsibus mancipauit; cúmque idem profanæ superstitionis errore esset adhuc implicitus, paulò pòst factus est Christianus.

III. Hæc est nunc (verba sunt Gregorij Turonensis libri primi Historiæ Fran-

corum, cap. 31. Ecclesia apud Biturigas vrbem prima, miro ordine composita, & primi Martyris Stephani reliquiis illustrata: sanguinis nimirùm parte aliquâ, vt constat ex eiusdem sancti Antistitis capite 33. libri primi, de Gloria Martyrum.

IV. Nulla sancti Vrsini in tota hac nobilissimi Francorum Historici narratione cui prima debemus nostratis Historiæ rudimenta, vel leuissima occurrit mentio immò potiùs indubitata opinionis nostræ confirmatio, quidquid passim nostri omnes scriptores magni, minutique dictitarint hactenùs Leocadium à sancto Vrsino baptizatum, siue exeunte primo Christi Seruatoris sæculo, sancto Clemente in viuis adhuc superstite; siue longo pòst temporis intervallo, sub Imperatore Decio, aut Galieno, alióve aliquo ex eius successoribus; quæ sententia placuit inter cæteros Benedictino Monacho Anonymo, Bituricensium Episcoporum Historiæ auctori, quam à nobis primùm ex ipso autographo integrè ac bonâ fide vulgatam huius voluminis initio, iam olim ab anno 1603. in paucissima contractam Ioannes Chenutius edidit in lucem, nonnullis idemtidem interpolatis, & pro sua venditauit. Hi enim ab anno Christi Domini 253. ad 280. sancti Vrsini Pontificium producunt, adeóque intra eos quoque limites Leocadij, filiique eius Lusoris ætatem circumscribunt, haud satis, ni fallor, commodè, cùm Ecclesia sancti Stephani miro opere composita, & sepulchra Dolensia, Constantini Magni Imperium, & Christiana tempora potiùs exprimant. Aliunde verò mihi persuasissimum sit sanctum Vrsinum Apostolorum vixisse tempore, cùm eorum fuisse discipulum apertè declaret ipse Gregorius cap. 80. lib. de Gloria Confessorum, quæ delibata velim ex prolixiori in eam rem disputatione.

V. Cæterùm multa de Leocadio commiscuntur nostrates Historici. 1. Burgundiæ & Aquitaniæ imperitasse, ac Biturigum nominatim fuisse Principem. 2. Sancto Lusori filio inferiorem, vt vocant, Bituriam à Caro fluuio ad Crausiam Wartampámque amnes, *le bas Berry depuis le Cher iusques à la Creuze & la Guartampe.* Caremuzello verò maiore natu filio, qui pertinacissimè Religionis nostræ sacrosancta mysteria auersatus semper fuisse dicitur, superiorem Bituriam ab eodem Caro fluuio ad Ligerim vsque fluuium tribuisse, &c.

ELOGIVM HISTORICVM SANCTI LVSORIS Confessoris. Die 1. aut 4. Nouembris.

SANCTVS Lusor, beati Leocadij filius, in Albis, id est, intra Octauam ab ipsa Christianæ ablutionis susceptione, migrasse fertur à sæculo, & in Dolensi Biturigensis termini vico, siue vrbe, quæ sub parentis erat ditione, sepultus est in Ecclesia sanctis Stephano & Saturnino Martyribus dicatâ, vbi in crypta positus super pauimentum sepulchrum habet ex marmore Pario mirabiliter exsculptum: verba sunt Gregorij Turonensis, cap. 92. de Gloria Confessorum, quæ verissima esse etiam nunc post tot sæcula, & crypta ipsa subterranea, & ex albo marmore sepulchrum fermè ex omni parte integrum, insculptæque illi variæ figuræ tam dilucidè demonstrant, vt aut cœcus sit, vel mente captus, qui prisca hæc Religionis antiquæ vestigia supplex non veneretur. An verò titulo ac nomine beati ipsius Lusoris exsculpto insignitum sit, viderint illius loci indigenæ & spectatores αὐτόπται.

II. Eodem loco Gregorius Turonorum Antistes, duo refert virtute sancti Lusoris facta miracula, quorum primum præsentiâ sancti Germani Parisiorum Episcopi fuit cohonestatum circa annum Christi 570.

III. Per totam Biturigum diœcesim, & non in ipso dumtaxat Dolensi Monasterio, festiua sancti Lusoris memoria pridiè Nonas, seu quartâ die Nouembris celebrabatur quotannis, ante triginta proximos annos, cùm in vltima editione Breuiarij D. Rolandus Hebert nomen sancti, trésque de eo insertas Lectiones, multis meritò reclamantibus, expunxit, vt iam obseruauimus in nostris ad Kalendarium Bituricense Notis. Eiusdem quoque perhonorifica habetur mentio in Martyrologio Venerab. Bedæ, pridiè Nonas Nouembris, vbi corruptè dicitur Illusor; & in Additionibus Molani ad Vsuardum. At in Laurentiano Martyrologio, cuius excerpta, quæ ad Galliæ Tutelares pertinent, ante aliquot annos in lucem emisimus, ad calcem Romani Martyrologij in vernaculam linguam à nobis conuersi, hæc leguntur: Kalendis

ipſis Nouembris: In Galliis, territorio Biturigo, nuncupante Dolis vico, ſancti Luſoris pueri, & Confeſſoris, qui vulgò dicitur, *ſainct Ludre.*

PASSIO S. MARCELLI MARTYRIS, eiúſque ſocij ſancti Anaſtaſij.

Ex apographo R. P. Iacobi Sirmondi Soc. IESV *Theologi.*

POSTQVAM Filius Dei carnem de Virgine aſſumens, terras illuſtrare dignatus eſt, & pro genere humano crucis paſſionem ſuſtinuit, ſequipedes reliquit beatiſſimos Martyres, qui ſanguinem glorioſum pro eius nomine fuderunt, vt vbi caput præceſſerat, illuc membra ſequerentur. Igitur cùm crudeliſſimi Imperatores tyranni & principes aduerſus ſanctos Dei Martyres & Chriſtianos fortiter dimicarent, erat eo tempore in vrbe Roma Decius Imperator cum Magiſtratibus & Satrapis ad requirendos diſcutiendóſque Chriſtianos: in qua vrbe puer Marcellus fideliſſimus Chriſtianus, literis benè eruditus & moribus, ibidem commorabatur. Cúmque Decius cum ſuis ſatellitibus alios blandiente ſæculo ad idola adoranda conuerteret; alios qui ſe Chriſtianos fatebantur, diuerſis cruciatibus puniret, erat in illo tempore in vrbe Roma beatus Sixtus Epiſcopus, ſub cuius doctrina puer Marcellus enutritus & doctus fuerat. Tunc beatus Sixtus Epiſcopus veniens ad Decium Imperatorem, dixit ei: Imperator, non debes Deum cæli & terræ deſerere, & idola adorare. Nam Propheta dicit: Dij qui cælum & terram non fecerunt, pereant de terra, & hi qui adorant ea. Tunc Imperator ait ad Epiſcopum: Ingredere, & ſacrifica Apollini, qui continet vniuerſum mundum, & omnem terram regit. Tunc beatus Sixtus reſpondit: Ego Deum, qui cælum & terram fecit, ipſum adoro, & ipſi ſacrifico; Apollinem quem dicis, dæmonem non adoro, ſed illum qui regnat in cælis, & habet poteſtatem peccatores igne perpetuo maneiperi, & iuſtos coronare. Tunc iratus Decius iuſſit eum diuerſis pœnis cruciari. Cùm vidiſſet puer Marcellus varias tormentorum pœnas Epiſcopum ſuſtinere, venit ad beatum Laurentium Archidiaconum, & ait ad eum: Domine mi, & Pater Laurenti, beatus Sixtus Epiſcopus, & Magiſter, & Doctor noſter, multa patitur pro Chriſto tormenta. Tunc ſanctus Laurentius corroborans ætatis eius infantiam, ait ad eum: Marcelle, genitor tuus Egiathas noluit Chriſtum credere: nam mater tua Marcellina, & frater tuus Saturninus, & Dionyſius iubente ſancto Clemente Papa vrbis Romæ, partibus Galliarum ad fidem Chriſtianam gentes inſtruendas directi ſunt: vade ad eos, & non pereas in manibus inimici diaboli. Tunc exiens ſanctus Marcellus de vrbe Roma cum Anaſtaſio viro Chriſtiano, peruenit vſque Lugdunum, & audiuit edictum quod Aurelianus Imperator Auguſtodunenſi vrbe propoſuerat ad perſequendos Chriſtianos. Heraclius autem illius temporis Proconſul, ibidem aderat, & circuibat omne imperium ipſius ad requirendos deſcribendóſque Chriſtianos. Sanctus Dei Marcellus profectus vt iret vbi erat frater ſuus Saturninus Epiſcopus, peruenit vſque Argentomago, vbi Heraclius Præſes reſidebat. Mulier igitur quædam habebat filium circiter annorum trium, cœcum, claudum, & mutum. Sanctus verò Marcellus venit ad hoſpitium mulieris, & ait ad eum mulier: Domine, video in te vultum Angelicum, obſecro vt filium meum ſurdum, mutum, & claudum per orationem tuam reſtituas incolumem. Credo namque in Deo tuo quod obtinere poſſis apud illum. Vt vidit ſanctus Marcellus fidem mulieris, dixit ad eam: Adfer filium tuum ad me; & accipiens eum, poſuit ſuper genua ſua, & imponens ei manum, orabat ad Dominum. Completâ oratione, oculis apertis, viſum recepit; & reſtitutis greſſibus, reddidit eum matri ſuæ incolumem. Tunc cùm veniſſet Heraclius Præſes, ecce quidam nomine Tranquillinus dixit ei: Ingreſſus eſt regnum tuum homo quidam qui ſigna facit: filium mulieris cœcum, ſurdum, mutum, & claudum videre, audire, & pedibus ambulare fecit. Tunc Heraclius Præſes irâ commotus, iuſſit eum ſibi præ-

sentari, & interrogauit eum dicens: Dic mihi, vnde es? aut de qua prouincia vel ciuitate huc veniſti, & quæ ſigna facis? Sanctus Marcellus reſpondit, Chriſtianus ſum; ab vrbe Roma exiui, & propero ad ciuitatem Toloſanam, vbi fratres mei Saturninus & Dionyſius commorantur. Tunc Heraclius ait: Dic mihi vocabulum patris & matris tuæ. Reſpondit puer, & dixit: Pater meus Egiathes, & mater mea Marcellina. Reſpondit Præſes, & dixit: Quantum video, latuiſti nobis? mutos loqui facis, magnum Apollinem deſpectum habes: Dic mihi, quem Deum colis? Sanctus Marcellus reſpondit: Ego adoro Dominum IESVM CHRISTVM Saluatorem noſtrum. Præſes dixit: Die cras tinâ ingredere, & ſacrifica Apollini, & Herculi, & Dianæ matri Deorum. Sanctus Marcellus dixit: Deos quos tu dicis, non ſunt Dij, ſed ſunt perditio animarum & credentium in eis. Tunc iuſſit Præſes ſanctum Marcellum comprehendi, & in eculeum extendi, & à lictoribus cædi, iuſſitque eum deponi, & dixit: Aurelianus Imperator ſingulis Adminiſtratoribus atque Rectoribus qui cum eo ſunt, iuſſit membra eorum qui ſe Chriſtianos dicunt, cacabo comburi, & in craticula aſſari. Tu verò audi nos, & non multa tormenta patiaris. Sanctus Dei Marcellus reſpondit: Tormenta tua ego, Præſes, non timeo, quia habeo fidem meam, quam per baptiſmum accepi. Tunc Præſes iuſſit in renibus eius lapidem magnum imprimi, vt facilè membra Beati diſrumperentur Vt vidit Præſes quòd tormentis ſuis nihil famulo Dei noceret, iuſſit eum in craticula aſſari; & dum aſſaretur ſanctus Dei Marcellus, dixit de craticula ad Præſidem: Præſes, iam aſſata eſt caro mea; verſa, & comede. Et dixit ad eum Præſes: Per Deum Solis, & per ſeptuaginta & ſeptem Deos, & Dianam matrem Deorum, quia variis tormentis faciam te interire, ſi non ſacrificaueris magno Apollini, & Herculi; & ſi eis ſacrificare volueris, ſecundum te faciam in regno meo. Dixitque ei ſanctus Marcellus: Si vis vt ſacrificem Diis tuis, congrega omnes Principes tecum, & adſiſtam in Palatio ego & ſacerdotes Deorum tuorum, vt omnes videant quia ſacrificem Apollini. Tunc Præſes iuſſit miniſtros circumire, & dicere vt omnes populi conuenirent in templum Deorum, quia Marcellus famulus Chriſti ſacrificabit Deo magno Apollini. Mulier verò, cuius filius per orationem ſancti Marcelli reſtitutis oculis, auditu, & greſſibus erat incolumis, diſſoluens crines capitis ſui, & ſcindens veſtimenta ſua, & tollens filium ſuum, tranſiuit per mediam turbam populorum, & clamauit voce magnâ dicens: Væ tibi, Marcelle, qui mortuos ſuſcitaſti, cæcos videre feciſti, claudos ambulare; & nunc ingreſſus es Apollini ſacrificare: deſtruis hodiè populum, qui per te in Chriſto credere deſiderabat: nam dicebat, Domine, non permittas hoc fieri. Dicebat autem ad Idolum: Væ tibi, diabole, & operibus tuis! Sanctus verò Marcellus audiens vocem mulieris, obſtupuit. Facto ſilentio vocauit eam, & dixit ei: Depone infantem in terram; & cùm dimiſiſſet infantem, dixit: Chriſtus qui illuminauit abſcondita tenebrarum, ipſe tibi imperat, Sta ſuper pedes tuos, & veni huc. Eâdem horâ ſtatim ſurgens, venit ad famulum Dei, & inclinans Sanctus, manu leuauit infantulum, & dixit ei: Tibi dico, puer, ingredere in templum paganorum, & dic Apollini, Exi velociter, vocat te famulus Chriſti. Et ingreſſus puer in templum, dixit diabolo: Apollo, tibi dico, diabole, ſurde, ſine voce mute, abſque manibus & pedibus, qui es perditio animarum ritè credentium; famulus Chriſti vocat te foras. Eâdem horâ exiuit foras, & cœpit clamare: IESV Nazarene, omnes ad te traxiſti, & infantulum iſtum de poteſtate mea eripuiſti. Et veniens dæmon, ſtetit ante famulum Dei, dixitque ad eum ſanctus Marcellus: Tu es Deus paganorum? Reſpondit dæmon, & dixit: Nonne cognoſcis, Marcelle, qui ſum? Ego ſum verus Deus in me credentium, & non maneo ſuper ſtatuas. Sanctus Marcellus dixit: Miſer tu contra te egiſti, & projectus es de regno Dei; Impero tibi vt in abyſſo conſiſtas, & ibi eſto vſque in diem magnum iudicij, quando redditurus eris rationem pro animabus quas perdidiſti. Et ingreſſus ſanctus Marcellus, omnes ſtatuæ Herculis, quæ ibidem aderant, ceciderunt, & in vnum factæ ſunt ſicut puluis, & dixit ſanctus Marcellus: Fugite Dij paganorum, deſcendite in inferiora terræ cum patre veſtro diabolo. Et dixit Præſes: Marcelle, ego te rogaueram, vt tu Diis meis ſacrificares; nam tu eos comminuiſti, & læſiſti eos. Iratus Præſes, iuſſit eum extendi, & cædi fuſtibus; & iuſſit venire miniſtros ſuos, & dixit: Exhibete cacabum, & infundite in eum ſulfur, picem, & ſtuppam, & bitumen; præcepitque Sanctum

in cacabum missi, & tunc eliminens cacabus, leuauit flammam cubitis quindecim, & nihil mali gessit; & iussit Sanctum in craticula deponi, & stetit super pedes suos; & surrexit sanctus Marcellus sicut fuerat, & nulla in eo apparuit plaga; & dixerunt circumstantes: Dei misericordia est apud hominem istum, quia superauit omnia opera tormentorum, & comminuit omnem stabilitatem eorum. Et cùm hæc dixisset, iratus est Præses, & iussit sanctum Marcellum in custodiam teneri, quousque cogitaret quomodo eum perdere posset. Tunc dixit Præses ministris, vt producerent Sanctum foris de custodia, & ducerent eum in montem, & decollaretur, quia nullum tormentum famulo Dei Marcello nocere potuit.

Compleuit autem sanctus Marcellus martyrium suum in bona confessione, in loco Argantomago, mense Iunio, tertio Kalendas Iulij, sub Aureliano Imperatore, & Heraclio Præside. Cùm vidisset beatus Anastasius, qui erat minister sancti Marcelli, quòd eum interfecissent, flectens genua sua, orauit ad Dominum horis duabus, & dixit: Domine IESV CHRISTE, qui eduxisti nos de terra vbi nati sumus, & eripuisti nos de manu inimici diaboli: quia secuti sumus te, Domine Deus omnipotens, & glorificauimus nomen sanctum tuum; noli me separare à famulo tuo Marcello, & cum ipso merear ad agnitionem veritatis introire. Tunc ait Præses: Anastasi, sacrifica Diis, vt non per multa tormenta pereas, quæ Marcellus magus in nostra præsentia passus est. Dixit ei Anastasius: Diis tuis ego, Præses, abominationem facio, quia fidem habeo, quam per baptismum accepi. Tum Præses iratus iussit eum in eculeo suspendi, & dum cæderetur, tradidit spiritum. Compleuit autem beatus Anastasius martyrium vnà cum beatissimo Marcello quinta Sabbati, hora nonà, regnante Domino nostro IESV CHRISTO, cui imperium, virtus, & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit passio sancti Marcelli Martyris.

EADEM ACTA SANCTORVM MARCELLI ET ANASTASII Martyrum.

Contracta ex prolixioribus, cum duobus Hymnis, &c.

MARCELLVS puer, fidelissimus Christianus, literis benè eruditus & moribus, filius Ægei infidelis, & Marcellinæ Christianæ, discipulus sancti Sixti Episcopi, sub Decio Imperatore Romæ morabatur, qui videns magnam in Christianos persecutionem, consilio sancti Laurentij Gallias petiit cum Anastasio viro Christiano, ad requirendos fratres suos à S. Stephano Episcopo Romano in eas partes missos ad prædicandum Christi Euangelium: qui cùm ad Argentomachum vsque peruenissent, vbi Heraclius Præses residebat, magnam exercens in Christianos crudelitatem, ad hospitium mulieris venit cuiusdam, quæ filium habebat circiter annorum trium, cœcum, claudum, & mutum; quæ viso Marcello ait: Domine, in te video vultum Angelicum, obsecro te vt per orationem tuam restituas incolumem: Credo namque in Deo tuo, quòd obtinere hoc possis. Vt vidit Marcellus fidem mulieris, dixit illi: Affer filium tuum ad me, & accipiens eum super genua sua posuit, & imponens ei manum, orauit ad Dominum. Completâ autem oratione, oculis apertis visum recepit, & restitutis gressibus, auribúsque reseratis, ruptis linguæ vinculis, reddidit eum matri suæ incolumem. Tunc cùm venisset Heraclius Præses, quidam nomine Tranquillinus dixit ei: Ingressus est in regnum tuum homo quidam, qui signa facit, filium mulieris surdum, mutum, claudum, & cœcum audire, loqui, videre, & pedibus ambulare fecit. Heraclius iussit illum sibi præsentari, & interrogauit eum dicens: Vnde es tu? de qua prouincia, vel ciuitate huc venisti, & quæ signa facis? Marcellus respondit: Christianus sum, ab vrbe Roma exij, propero ad ciuitatem Tolosæ, vbi fratres mei Saturninus & Dionysius commorantur. Tunc Heraclius ait: Dic mihi nomen patris tui & matris. Respondit puer: Pater meus Ægeus

dictus, & mater mea Marcellina. Dixit Præses: Quantum video latuisti nobis, mutos loqui facis, & magnum Deum Apollinem despectui habes? Dic mihi, quem Deum colis? Respondit Marcellus: Ego adoro Dominum IESVM CHRISTVM Saluatorem nostrum. Præses dixit: Die crastinâ ingredere, & sacrifica Apollini, Herculi, Dianæ & matri Deorum. Marcellus dixit: Dij, quos tu dicis, non sunt Dij, sed sunt perditio animarum credentium in se. Tunc iussit illum comprehendi, in equuleum mitti, à lictoribus cædi, in renibus eius magnum lapidem imponi, vt faciliùs membra disrumperentur. Vt vidit Præses quòd Marcello nihil suis tormentis noceret, præcepit eum in craticula assari; & ait illi: Per Deos meos non te dimittam, sed in momento te perdam, nisi sacrificaueris Deo magno Apollini & Herculi; & si eis sacrificare volueris, magna tibi dabo præmia. Cui respondit Marcellus: Si vis vt sacrificem Diis tuis, congrega omnes Principes tuos tecum, & assistant, & sacerdotes Deorum tuorum, vt omnes videant quia sacrifico Apollini. Tunc Præses iussit ministros suos circuire omnem ciuitatem, & dicere vt omnes populi conuenirent in templum Deorum, quia famulus Christi sacrificabit Deo magno Apollini. Mulier verò, cuius filius per orationem Marcelli incolumis factus fuerat, hæc audiens, dissoluit crines capitis sui, & scindens vestimenta, tollénsq; filium suum transiuit per mediam turbam populorũ, & exclamauit voce magnâ dicens: Væ tibi, Marcelle, qui mortuos suscitasti, cœcos videre fecisti, claudos ambulare, & nunc paratus es Apollini sacrificare? destruis hodiè populum, qui per te in Christum credere desiderabat. Marcellus vocem mulieris audiens, obstupuit, factóque silentio, eam vocauit, & dixit: Depone infantem in terram; & cùm dimisisset, ait: Christus qui illuminauit abscondita tenebrarum, tibi imperat, Sta super pedes tuos, & veni huc. Inclinauit se Marcellus, manu leuauit infantulum, & dixit ei: Tibi dico puer, Ingredere in templum Paganorum, & dic Apollini, Vocat te famulus Christi. Et ingressus puer in templum, dixit: Apollo, Famulus Christi vocat te foras. Eâdem horâ exiuit foras dæmon, & cœpit clamare, & dicere: O IESV Nazarene, omnes ad te traxisti, & infantulum istum de potestate mea eripuisti. Dixit ad eum Marcellus: Tu es Deus Paganorum? Respondit dæmon: Nonne cognoscis, Marcelle, qui sim. Ingresso Marcello in templum, oratione factâ, omnes statuæ Herculis, quæ ibidem erant cum ipso templo cecidérunt, & in vnum factæ sunt sicut puluis. Et dixit Marcellus: Fugite Dij Paganorum, descendite in inferiora terræ cum patre vestro diabolo. Iratus Præses contra Marcellum, iussit eum in equuleo extendi, fustibus cædi, in cacabum mitti, sulfure, pice, bitumine, & oleo plenum, de cacabo super craticulam mitti. Surrexit Marcellus nullâ apparente plagâ; & quia nullum tormentum ei nocere poterat, præcepit eum in montem Castri Argentomachi educi, & ibi decollari, mense Iunio, tertio Kalendas Iulij, tempore Aureliani Imperatoris, & Heraclij Præsidis. Quod cùm vidisset Anastasius, orauit ad Dominum, & dixit: Domine IESV CHRISTE, qui eduxisti nos de terra vbi nati sumus, & eripuisti nos de manu inimici diaboli, & sequuti sumus te, Domine Deus omnipotens, & glorificamus nomen tuum: Noli me separare à famulo tuo Marcello, vt cum ipso merear ad agnitionem bonitatis tuæ introire. Cui dixit Præses: Anastasi, sacrifica Diis meis, vt non per multa tormenta pereas sicut Marcellus magus. Quod cùm recusasset, iussit eum in equuleo suspendi, & à lictoribus cædi, & cùm cæderetur, tradidit spiritum. Compleuerunt autem martyrium suum sancti Marcellus & Anastasius quinta Sabbati, horâ nonâ, regnante Domino nostro IESV CHRISTO, cui est imperium, honor, virtus & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Hymnus primus.

Gloriam mundo rediens micanti
Circulo Titan geminum reducit,
Vota persoluat geminata miti
Plebs pia Christo.

Hic Anastasi faueas beato
Iuncte Marcello, iuuenile robur,
Qui libens summo dedit igne cocta
Carne Tenanti.

Digitized by Go

Viderat Sixtum ſenio rigenti,
Omne pœnarum genus, irretortà
Mente perpeſſum, ſimilis peroptans
Vincere pugnâ.
Hinc ſibi tantùm meriti parauit,
Mira virtutum Deus, vt per illum
Signa patrarit, quibus ampla tendit
Nomina ſeclo.
Ritè ter quinos puer acer annos
Vix adimplerat fidei probatæ,
Cum tuo ductu Pater alme, nectar
Hauſit amœnum.
Qui ſuos linquens, patriam, domúmque,
Dum petit Gallà regione fratres,
Surdulum, mutum, geminóque ſanat
Lumine captum.
Fundit exilis rubei Lyæi
Copiam plenæ ſitulæ lagenæ,
Quo fouet largus ſitibunda fidæ
Agmina plebis.
Frendis, Heraclì malè ſane, bruti
Cultor argenti, lapidiſque duri,
Hunc putans Chriſto variis ſubactum
Tollere pœnis.
Sicut argentum rutilà probatum
Septuplum flammâ, puer iſte, plumbum,
Pectines, cratem ſuperans & enſem,
Sidera ſcandit.
Hunc, Anaſtaſi ſenior ſequutus,
Nobili fulges nitidus triumpho:
Bituri gaudent duplici patroni
Corpore fulti.

Gloriam Patri, Soboli, ſacróque
Flamini, tellus, mare, dent & aſtra,
Qui potens omnem moderatur orbem
Trinus & Vnus. Amen.

Hymnus ſecundus.

Noctis obſcuras animus tenebras
Purus abrumpat, gemmóque feſta
Sideri gaudens recinit piarum
Cantica laudum.
Ortus inſano genitore Sanctus,
Matre ſed clarà puer ad ſuperna
Totus aſpirans refugit caduci
Gaudia ſeculi.
Quos Toloſatum retinebat ora,
Dum petit fratres fidei calore
Martyrum turba iuuenis meretur
Candidus addi.
En tuas ridet, malè culte, pœnas;
Ridet, Heraclì, tua blanda ridet
Verba Marcellus, ſuperans & ipſos
Fortior ignes.
Qui pedes, linguam, ſonitum, dedítque
Lumina, idolum vocat, atque dæmon
Iuſſa Marcelli ſtatuam ſequutus
Frangit iniquam.
Toſtus vt piſcis: Satis, inquit, aſſum
Verte, manduca, miſer, atque diſce
Quòd IESV *ſeruum nequeas vel arte*
Frangere flammæ.
Huic Anaſtaſi parili coronâ
Fis comes, & te colimus libenter:
Vos poli nobis pariter ſacratas
Poſcite ſedes.
Amplior præſtet Patris hæc poteſtas,
Hoc det & Gnatus ſapiens, ſacérque
Spiritus ſummâ bonitate regnans
Trinus & Vnus. Amen.

Notanda porrò ſunt verba quæ ex capite 9. libri primi vitæ S. Genulphi parte alterâ Bibliothecæ Floriac. deſcripſimus. Decij tẽporibus alij à ſede Apoſtolica ęquè Gallias directi traduntur: ex quibus S. Saturninus vrbis Toloſanæ primus Epiſcopus fuit, qui poſt aliquod tempus ſui aduentus ibidem Martyr emicuit glorioſus. Marcellus quoque, qui apud Argẽtomum caſtrum eouſque pro Chriſto vitiliter certauit, donec palmã martyrij victor gloriosè obtinuit. SS. autem Genulphus & Genitus, &c.

Marcelli & Anaſtaſij mentio occurrit in Martyrologiis Romano & Vſuardi ad diem 29. Iunij glorioſis Apoſt. Petri & Pauli celebrandis triumphis conſecratum, vnde factũ eſt, vt in aliquam proximè ſequentis Iulij diem differri ſoleret annua SS. Martyrum feſtiuitas, tùm in hoc Bituric. Collegio, ob inſignes reliquias, tùm in ipſo S. Marcelli Prioratu & oppido, quod veluti ad radices Argẽtomachi iacet. Quæ cùm ita ſint, ſubiit enimuerò mirari, cur in Martyrol. Gallicano in 29. Iunij diem conferatur inuentio corporum SS. Martyrũ; agonis verò clara dicatur memoria die 11. eiuſdem menſis, hoc elogio: Pago Argentomo in Bitur. Præſulatu SS. MM. Marcelli & Anaſtaſij, qui ſub Decio perſecutionis flammâ contra Chriſtianos accensâ, idola colere recuſantes, vnúmq; Chriſtum Redemptorem adorandum profitentes, ab Heraclio Præſide in pios quoſque furente comprehenſi, cùm ab hac confeſſione nullis potuiſſent blanditiis vel tormentis cohiberi, ex altæ turris faſtigio dirè præcipitati ſunt. Cuius trophæi monimentum in hunc diem vſque turris ipſa corũ cruore tincta perſtat perſpicuum. Fuit quidem turris Heraclij dicta in caſtro Argentomagenſi, &

ex ea demissos in præceps fuisse sanctos Martyres negant eorum Acta, ex quibus Encomium hoc perbreue decerpsimus.

VITA SANCTI MARIANI EREMITÆ.

Ex vetustissimo Ecclesiæ Bituricensis Breuiario ad diem 19. Septembris.

MARIANVS ingenuis parentibus Bituricæ vrbis procreatus, à primæuis florentibus annis sponsam suam cum omnibus mundi huius illecebris derelinquens, Deo se summâ mentis integritate deuouit; & cùm per sex annos sub S. Faterio in Monasterio Princiaco Monachus extitisset apud Spinolatium vicum per 44. annos eremiticam vitam ducens, illic Deo omnipotenti orationibus, ieiuniis, ac vigiliis vacans, multis claruit miraculis. Cùmq; ibidem quàdam vice S. Animius nepos eius ab eo sollicitâ percunctatione rimaretur qualiter defiguratum inediâ corpus ipsius tantam vigiliam posset sustinere, respondit: Ego olim aliquoties hic per aduersantis tentationes & insidias soporatus, dulci fui requie pressus: quod dum ageretur, subitò serpentium multitudo totam cellulam meam repleuit; & cùm in me circumquaq; irruentes sibilis & toruis aggressibus vulnus mihi lethiferũ minitarentur, mox galeâ salutis armatus, & crucis vexillo signatus, vt adorationem redij, fugientes nunquam comparuerunt. Vnde postmodum nullo excubiarum tempore sopore depressus sum. Deinde cùm post aliquod tempus Tetradius Bituricensis Pontifex Basilicam ipsius Sancti dedicasset, & eum Presbyterij honore vellet insignire, abnuit, dicens: Non propter honorem sæculi, sed propter humilitatẽ, cuius sublimitas Christus est, se vastam solitudinẽ expetisse. Et cùm ipse Pontifex certam sibi caritatiuè pecuniam offerret, velut noxia venena contingere noluit. Anno denique quo polorum alta conscendit, Terentia Abbatissa partem barbę ipsius Sancti quam radi fecerat, in nitida capsula pro singulari præsidio in Dei nomine tanquam pretiosissimas reliquias super pectus suum recondit: propter quam postmodum multas virtutes Deus operatus est.

Ex Martyrologijs Romano & Vsuardi.

Decimo quarto Kal. Sept. seu 19. Aug. in territorio Bituricensi S. Mariani Confess. At verò, vt iam suprà insinuatum est, huiusce sancti festus dies tribus Lectionibus per totam diœcesim quotannis recolitur, non 19. Augusti, sed Septembris 19. vt patet ex tribus diuersarum editionum Breuiarijs quibus vsi sumus.

Ex Gregorio Turonensi, lib. de Gloria Confess. cap. 81.

Fuit autem in ipso (Biturigum) termino MARIANVS quidam Eremita, cui non erat alter cibus nisi poma agrestia; & si ei aliquoties à quibusdam mel delatum fuisset, aut si ipse reperire potuisset in siluis, hoc ei erat cibus: qui cùm plerumque viseretur à plurimis, quodam tempore à quærentibus non poterat inueniri: inuestigantes denique eum viri qui venerant, deprehenso vestigio inuenerunt locum, in quo flexo genu aquam hausit à fluuio, & exinde progressi reperiunt eum sub vna arbore malo iacentem mortuum: vnde celebre ferebatur in populo eum elisum ex arbore spiritum exhalasse. Sed euidenter non est congruum, quoniam à nullo refertur visum. Tunc viri qui aduenerant, eleuantes attulerunt ad vicum Euaunensem (seu Euaonensem) quem ablutum, dignisque indutum vestibus sepelierunt in Ecclesia. Festa obitus eius per singulos celebrantes annos, atque conuenientes populi, crebrò ab infirmitatibus sanabantur. Quidam autem de vicinis annonas diù infectas aquâ ac germine producto conflatas, facto igne super vimina contexta torrere parat ad pocula facienda. Accedens autem vnus vicinorum eius ait: Quid tu, ô homo, hoc detineris in opere? An ignoras quòd solemnitas est beati Mariani? Qui cum furore respondit: Putásne, ô tu qui hæc loqueris, quòd homo elisus ex arbore propter compendia gulæ Angelorum sit relatus consortio, vt Sanctus debeat adorari? Melius est enim opus necessarium in domo exercere, quàm talem Sanctum excolere.

Quod

Digitized by Google

Quod ille audiens discessit, & cum reliquis ad Basilicam Sancti obiit relicto domi vicino in opere laborante. Nec mora, flante vento apprehenditur domus incendio, exuritur omnis, nec quidquam de substantia restat hominis. Exinde eleuati globi flammarum super hospitiola aliorum quæ circumlocata erant; huius hominis aream sepes, tuguriola vel porcorum, vel animalium, reli quique, quæ ad eum pertinebant flamma peruasit. Nec quicquam remansit huic misero, quod non fuisset igni succensum. Quod si euenisse quis fortuitu putat, admiretur quod nulli vicinorum circumjacentium nocuit. Quid nunc agis ô cruda rusticitas, quæ semper in Deum & eius amicos murmuras, vt tibi exinde damnum acquiras?

Alterius igitur hominis malitia furis boues abstulerat, qui apprehenso vestigio & inter infusos aqua viarum tramites ad profundas luti voragines perdito, ad sancti recurrit sepulchrum, fusâque oratione dum de Basilicâ fuisset egressus aduertit hominem per aggerem publicum venientem, qui boues illæsos ante se cum caballo ex itinere lassos prosequens adducebat. Turbatus enim fuerat à via & quasi amens factus in illam partem de qua egressus fuerat, mente turbata redibat. Cognoscitque vir ille boues quos perdiderat, hos recipiens hominem absque calumnia redire permisit, quia cognouit hoc sibi per virtutem S. MARIANI præstitum, cum in illa hora reperit perditum, qua eius adiuit plenus fide sepulchrum. Quæ postquam gesta sunt diligentiore cura Confessorem Dei plebs cœpit excolere Bituriga; Hęc ille.

ELOGIVM HISTORICVM B. MAVRINI Monachi ij. Octobris.

Le Bien-heureux Maurin Moyne.

BEatus Maurinus ortu Biturix cœlestis patriæ amore, Monasterium tum percelebre Sancti Germani Autissiodorensis petijt, vbi ab Mamertio Abbate sanctissimo paternè susceptus humilitatis & paupertatis colendæ affectu, boues vt pasceret, impetrauit, animę interim obseruator intentissimus.

Cum verò Diuinę gratiæ radijs coruscaret etiam inuitus & latere cupiens ad tractum Lemouicensem directus est, vt Fontaneti coalescens Cœnobium suis charismatibus locupletaret, vbi dum opera lucis exequitur beato fine consummatus Christo vocante supernam migrauit ad gloriam. Ita clarissimus Andreas Sausaius, paginâ 1179. Martyrologij Gallicani.

VITA SANCTI MENVLPHI EPISCOPI

Ex Codice MS. Ecclesiæ S. Austregisili de Castro.

CVm iam per orbem terrarum caligine errorum depulsâ lucéque veritatis exortâ, fides Sanctæ Ecclesiæ in omni regimine Dagoberti Regis Francorum pace vteretur tranquillâ sancti per mundum tanquam venales flores floruerunt, &c.

In insula maris Oceani quæ barbara lingua Yrlanda nuncupatur, id est ferrea, terra, vir Sanctus & Venerabilis Menulfus procreatus est qui diuina inspiratione per motus, relictis parentibus ac cognatione sua, majorem Britanniam relinquens nauigio delatus peruenit ad minorem in Prouinciam ciuitatis, quæ ab Antiquis Oximorum nuncupatur: cuius Sanctus Chorentinus Antistes erat. Hic vocauit Menulfum ad se & quæsiuit vnde esset & qua de causa illuc deuenisset. Qui respondens Britannica lingua fatetur se Yrlandum esse genere & in Dei seruitio se exercere velle, &c.

Ordinatus igitur & Ecclesiastico officio deuotus ita perfectione vigebat vt cum deditus Deo oblationem quotidie offerret, macerationę sui corporis ipse hostia viua Deo placens fieret. Erat enim fide deuotus, &c.

Cum autem per aliquod tempus omnibus placens prudenter sibi commissum fœnerat talentum accidit vt iam dictus Antistes obiret. Plebs autem & clerus maximâ dilectione S. Menulfum amplectens non patiebatur eum à se sequestrari. Cúmque vir sanctus ordinem Episcopatus adeptus fuisset, non cessauit sancta prædicatione gregem sibi commissum fideliter edocere, &c.

Quodam tempore cum disposuisset Romam pergere, quidam vir nobilis regionis illius, qui iam per multa tempora sub manu Britanniæ Principis arcta tenebatur custodiâ, audiens & admirans illius sanctitatem astitit ei in animo, quia si sub carcerali custodiâ non premeretur, ad tanti viri prædicationem vellet in Christo renasci & eius affatim benedictione perfrui. Quæ supernæ pietatis visitatio citissimè viro Dei innotuit, qui misit ei annulum suum dicens, ne de misericordia Dei desperaret, sed potius Diuinæ pietati incessanter gratias ageret. Quem ille benignè suscipiens catenas, quibus obstrictus fuerat, credulâ cordis intentione de eo tetigit, cunctisque qui astabant videntibus, ruptis nexibus libero pede ad iam dicti Pontificis mœnia properauit. Mox prostratus B. viri pedibus de concesso munere gratias agens renatus sacro fonte baptismatis, & instructus allocutione Diuini sermonis lætus ad propria remeauit.

Venerandus igitur Pontifex votis suis nihil defraudans religiosis quibusdam secum adhibitis fratribus, iter, quod proposuerat, aggressus est. Qui Romam veniens cum Domino Apostolico de suo & populi commodo locuturus, à venerabili Papa honorabilis Pontifex dignè susceptus est. Sed ne fama sanctitatis illius populo Romano occultaretur ante ipsorum limina Apostolorum quidam paralysis morbo per multa tempora detentus Dei viro obuius extitit petens ab eo inopiæ suæ aliquid necessarij administrari. At vir Dei de Domini confisus misericordia quærenti viro terrenam substantiam impertiuit membrorum sospitatem signo crucis. Quo de facto Dominus Papa hilaris effectus videns sanctitatem religiosi Antistitis cœpit eum monere multis sermonibus vt secum amplius moraretur, &c.

Qui cum fratribus suis regrediens per pagum Bituricensem, in locum venit qui Malliacus appellatur: ibique prænunciauit fratribus imminere finem vitæ suæ certúmque diem & horam prædixit obitus sui. Eo igitur die quo dissolutionem sui indicauerat corporis fratres & consortes sui flentes in vnum collecti sanctitatem eius exorare cœperunt vt sicut eorum Magister iustitiæ extiterat in terris, ita sibi dignaretur esse sua intercessione perennis patronus in cœlis. Qui cum ipsos vt in sancto perseuerarent proposito moneret Sacramento corporis sanguinisque Dominici semet muniens membrorum compage protensa & collocata veluti obdormiret quarto Idus Iulij ossa linquens humo inter verba orationis spiritum reddidit, tamà dolore mortis illæsus, quàm à contagione criminis extiterat alienus. Sic vir sanctus ac iustus ad Dominum suum migrauit perpetua gloria coronatus exultat in sæcula sæculorum. Amen. *Claudius Robertus in Dagoberto ſ6. Bituricenſi Archiepiſcopo hæc habet.* Præterea in vita S. Menulphi Episcopi dicuntur ossa ipsius reuelata, præsente Dagoberto Archiepiscop. Bituricen. tempore Adalgasiæ Abbatissæ in vico Maliaco, qui nunc de eius nomine dicitur *S. Menoul en Bourbonnois.* Quod quidem Auctarium fateor nondum in meas incidisse manus.

De eodem ex vetustissimo Bituricenſ. Ecclesiæ Breuiario, Ad diem duodecimum Iulij mensis.

B. Menulphus Episcopus de Britannorum genere oriundus dicitur extitisse. Hic iter arripiens Romam ad limina Apostolorum Maliaco vico obiit: vbi se in vltimo loco cœmeterij B. Germani causâ humilitatis petiit sepeliri.

Postea vero quidam Princeps Arcadius nomine propter quendam suum militem ibi per merita sancti à contractionis infortunio liberatum fecit super ipsius tumbam fabricari Ecclesiam quæ quàm citò vsque ter fuit ædificata, ter fuit ex semetipsa lapsa.

Quod idem Princeps cernens & cur hoc fieret ignorans superni opificis clementiam exorando splendorem inæstimabilis claritatis cœlitus lapsum vidit super locum illum in quo per eum erat Ecclesia construenda & sacra eius ossa transferenda. Quod vt agnouit, opere compleuit.

Digitized by Google

VITA S. PHALETRI CONFESSORIS.

Ex Legendario Ecclesiæ Carobrianæ in finibus Biturigum & Turonum.

REligiosorum vita virorum quantum est meritis clarior, tantum sit voce celebrior populorum: quia dum illi vniuersis precum suarum interuentu beneficia præstant in sua laude linguas excitant singulorum. Vt autem meritis & precibus Beatissimi Patris nostri Phaletri, cuius hodie, Domino concedente, festiuitatem celebramus, fideles valeant adjuuari, tanti viri gesta magnifica dignum duximus enarrare ad exemplum: & primum paucis verbis eius perquirere vitam, ne legentibus tædium pariat lectionis prolixitas.

Fuit igitur vir Venerabilis PHALETRVS in Aquitaniæ plaga vrbe Lemouicorum Catholicis & clari generis parentibus oriundus. Hic inter nouella vitæ exordia & adolescentiæ annos, in quibus ætas illa laqueis solet decipi, ita voluptates omnes pede calcauit, vt plenus virtutibus ad supernæ vitæ patriam totis affectibus videretur anhelare. Cúmque Beati Phaletri pater hæc virtutum signa in filio suo adhuc tenero inspiceret, erat enim ad obediendum attentus, & ad vitia calcanda maturus, ita vt in illo iuuenili tyrocinio iam senectutis esset exemplum, eum clericali charactere insigniri fecit, & liberalibus artibus ac litterarum studiis tradidit imbuendum. Sed interea non minus orationi quàm lectioni vacabat, oculos enim semper in cœlum dirigebat. Non autem scurrili vanitati, neque vlli animum voluptati relaxabat, sed totum quod erat, id totum Christi mancipabat seruitio. Et si aliquando in publicum processisset, tamen erat intra carcerem cordis semper inclusus, nec aliud extra se respiciendum prætulit quàm Christum, quem in suo pectore fidelis portitor semper bajulauit. Visis quoque & cognitis in Beato Phaletro pater his virtutum indicijs certior ad plenum de filij sui laudabili proposito effectus cogitabat quomodo eum arctioribus vinculis posset astringere. Et patefacto mentis suæ arcano viro Venerabili Cuthberto Episcopo vitæ sanctimonia & virtutibus plurimùm commendato, eius consilio Beatum Phaletrum hoc etiam cum maximâ humilitate postulantem ad sacros ordines fecit promoueri, atque ab eodem Episcopo benedictione susceptâ Diaconus rite ordinatus est.

Susceptis itaque B. Phaletrus Ordinibus sacris per annum ferè in domo paterna commorans Christi militiam, quam deuotè assumpserat, vigiliis, orationibus & iejunijs insistens fideliter exercuit. Lucebant in eo siquidem præclaræ virtutes: nam temperantia eum fecerat moderatum, abstinentem, parcum, pudicum, tacitum, verecundum: Fortitudo contra incitamenta carnis, mundi delitias & diaboli versutias fecit eum viriliter dimicare: Prudentia prouidum, & iustitia reddidit Deo & hominibus charum. Desideria sancta in dies multiplicabat & trutinâ rationis vitia castigabat. Nulla vnquam eum voluptas corrupit. Erat illi Christus laus tota, perfecta gloria, delectatio pura, spes vera, securitas firma. Quidquid in mundo pretiosum videbatur, illi vilescebat. In aduersis constans fuit, in prosperis modestus, in habitu simplex: neque enim Sacerdotium studebat suscipere, sed mereri.

Proinde cùm B. Phaletri eximiæ virtutes ac sanctitas per circumuicina loca elucerent, velut clara inter stellas Luna minores, ne popularis aura sanctum eius propositum impediret, inspiratione diuina peregrinationis in eo accenditur desiderium. Et propterea patre & matre, patria, parentibus & amicis relictis, spretisque caducis huius mundi bonis propter Deum, loca sancta, & illa præcipuè, in quibus D. N. IESVS-CHRISTVS natus, nutritus, conuersatus, passus & sepultus est, adire disposuit. Vnde mane surgens & ætherei spectans orientia solis lumina sic profusa ad Deum oratione dixit: Dirige me Domine in veritate tua & notam fac mihi viam tuam: spiritus tuus sanctus Domine deducat me in viam rectam, quia ad te leuaui animam meam. Et facto Crucis signo, baculóque peregrinationis accepto, cœpit in nomine Domini ambulare. Vbicumque autem via egressum ducebat, Ecclesias, loca sancta ac Martyrum & Confessorum sepulchra cum magna reuerentia visitabat. Nullo vnquam tempore peregrinationis suæ niueo vsus est elisio, nec cibos coquorum sumpsit industria præparatos. Erant tantùm dapes terrestres, quia aut herba lapathi aut graui maluæ sa-

lubies corpori, aut excussa arboribus poma seu paruis pressa dumetis fraga, & lubricus amnis famem & sitim eius depellebant. Non in pluma iacebat, sed humi posita membra sopori mandabat. Sic votum peregrinationis suæ implendo vir sanctus peragratis Alpibus Romam vsque peruenit, & aliquantis diebus illic moratus Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Ecclesias & alia loca sancta in vigilijs, ieiunijs & orationibus deuotè visitauit.

Postmodum verò vir sanctus peregrinationis suæ implendæ accensus desiderio ad littus Ausonium mare conscenderat, iter suum Constantinopolim versus dirigens: sed humani generis inimicus sanctum eius propositum impedire satagens, cùm iam triduo & duabus noctibus aspirantibus auris nauigasset, ita mare tempestatibus & procellis agitauit, vt desperantibus, nautis proximum sibi naufragium cernerent imminere. Itaque siue errore viæ, siue ventorum rabie conturbati ad Africanam regionem præter spem applicuerunt. Gratias autem Deo agens B. Phaletrus, quòd eum & socios suos in tantis positos periculis liberasset, post triduum iterum mare conscendit; & licet diabolo instigante iterum se attollens æquor & altius vndas erigens nauem eius variis modis concuteret, Deo tamen annuente ad portum illum deuenit in quo Libycus terminus Ægyptum contingit. Ibi autem per nouem dies quiescendi causa permansit. Inde verò Sardiniam tenuit, & hic quia Christianissimam reperit nationem, trium mensium spatio moram traxit & à Principe terræ illius qui Benignus vocabatur, benignè susceptus est & procuratus. Abhinc rursu prospero beatissimus Phaletrus Constantinopolitanæ ciuitatis mœnia consequitur. Sed ibi propter indisciplinatæ gentis malitiam paululam moram fecit. Marinis igitur iterum se submittens periculis nauem conscendit, & nautæ noctem diemque remigio laborantes sinistris ventis grauati fortè eum Hierosolymam deducunt, qui gratias agens Deo cum magna reuerentia & deuotione loca sancta visitauit.

Dum quadam die more solito diutiùs orationi incumberet, ecce subito super eum in aere vox cuiusdam animæ clamantis audita est dicens: Sancte Phaletre serue Dei adiuua me, quia tenet me inimicus, qui me ad infernalia ducit tormenta! Ad hanc vocem B. Phaletrus flexis in terram genibus, totóque corpore terræ incumbens pro animi illius liberatione attentè orauit, surgénsque ab oratione vehementer inimicum increpauit præcipiens eum Christi nomine, ne animam pretioso eius sanguine redemptam vltra vexare præsumeret, qui statim ad imperium B. Phaletri animam relinquens euanuit, eáque per eius preces fuit suo corpore restituta: nuper enim dissoluta erat à corpore cuiusdam iuuenis qui Lerianus (aliàs Lecianus) vocabatur, & deinceps quo vixit tempore B. Phaletro adhæsit, eique obsequium quod poterat, præstitit.

Hoc miraculo facto Iacobus Patriarcha Hierosolymitanus cum omni populo Christiano extensis ad cœlum palmis, toto corde Deum in Diuo Phaletro seruo suo benedixit & laudauit. Inde verò vir sanctus vna cum Leriano, quem suscitauerat, perrexit ad Montem Olueti, vbi præfatus sanctus Patriarcha cum aliquibus Christianis sub tributo Saracenorum Deo seruiebat, adoratóque loco in quo steterunt pedes Domini humiliter, & valedicto præfato Patriarcha & aliis Christianis, comite Leriano Romam reuertitur & visitatis iterum locis & Beatorum Petri & Pauli liminibus, ab Agano Romanæ Ecclesiæ Cardinali viro Apostolico qui eius sanctitatem nouerat, Stephano Papæ præsentatur à quo humanissimè susceptus est, quique eum apud se & sanctam Romanam Ecclesiam multis precibus retinere voluit. Sed vir sanctus cupiens omnino peregrinationis suæ votum perficere hinc discedens ad Agennensium ciuitatem peruenit, in qua maximæ virtutis Osius præerat Episcopus, à quo gratissimè exceptus est. Vacans autem ibidem orationibus & ieiuniis Vadiæ mulieri mutæ à natiuitate & cæcæ loquelam simul & visum suis precibus restituit. Agennensium etiam agros singulis annis grandine, gelu & tempestatibus vastatos suis orationibus liberauit. Quibus patratis miraculis confluentium ad se populorum vir sanctus meritus occursum ad Venerabilem virum Dionysium tunc Aruernorum præsulem se contulit & hinc discedens ad Cœnobium sanctissimi patris Benedicti, orationis gratia, perrexit.

A Cœnobio verò Diui Patris Benedicti ad Ecclesiam beatissimi Vrsini primi sedis Patriarchalis Ecclesiæ Archiepiscopi qui in Euangelio Nathanaël vocatur & Sancti Philippi frater dictus est se transtulit, in quâ visitato cum sincera deuotione

Digitized by Goog

ſancti ipſius ſepulchro, vox ad eum ferventius in oratione exiſtentem de cœlo facta eſt, dicens: Surge Phaletre, & vade ad locum qui dicitur Carobryas circa fines Bituricos & ibi peregrinationis tuæ terminum præſtolare. Ad quem locum tunc vepribus & dumis condenſum & propter aſperitatem nullo habitatore cultum vir ſanctus, Angelo duce, intrepidus perrexit. Et conſtructo ibi tuguriolo cum ſacello, in quo reliquias Beatæ Mariæ Virginis quas Hieroſolymis ſecum detulerat honorificè poſuit, aſſociatiſque ſibi Deodato & aliis probis viris in omni tempore vitæ ſuæ in orationibus, in ieiuniis & vigilijs Deo & B. Mariæ fideliter deſeruiuit.

Diuulgata autem per circumuicinas regiones Beati Phaletri ſanctitate, affluebat ad eum ſingulis diebus virorum & mulierum, ſenum, puerorum languentium & aliorum variis infirmitatibus detentorum eius ſuffragia petentium innumerabilis multitudo. Vnde quicumque ad eius limina peregrinus veniebat, ſi languens, ſi mœrore conſumptus, ſi in tribulatione poſitus, ſi ab æmulis laceſſitus, ſi cæcus, ſurdus, mutus, vel claudus, ibi vnuſquiſque voti ſui compos lætus ad propria remeabat. Inter cætera verò huius ſancti Confeſſoris virtutum inſignia, ſingulare à Deo donum obtinet, quòd infantes paruulos labore conſumptos ſuis meritis reddit incolumes & ſanos. Hinc eſt quod præcipuè Aurelianenſibus, Bleſenſibus, Turonenſibus, Cœnomanenſibus & Andegauenſibus populis ſingulis diebus dicti ſancti limina viſitantibus & eorum infantibus languore preſſis multa dictus ſanctus præſtat ſanitatum & beneficiorum ſuffragia.

Cognoſcens denique vir beatus certis cæleſtibus indiciis finem migrationis ſuæ imminere, Deodato Præpoſito ſuo & cæteris fratribus ſuis vocatis præcepit, vt corpus ſuum in tuguriolo ſuo, in quo nunc requieſcit, ſepulturę traderent. Et facto eis ſermone de mutua inter ſe pace & dilectione, ſacramentiſque Eccleſiaſticis receptis, felix migrauit ad Dominum nono Kalendas Decembris anno ætatis ſuæ ſexageſimo, & ſepultus eſt in tuguriolo ſuo, in quo precibus & meritis dicti ſancti innumerabilia operatur miracula Diuina clementia ad laudem & honorem D. N. IESV-CHRISTI qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Hæc fere omnia, reiectâ Præfatione & quibuſdam mutatis, edita ſunt cum officio eiuſdem ſancti Phaletri Confeſſoris Pariſijs apud Ludouicum de Heuqueuille, anno 1647. & nobiliſſimo generoſiſſimoque viro D. Carolo de Rabeau dicata à Franciſco Bruneau Presbytero in Cœnobio ſanctæ Farę commorante: nonnulla quoque addita ſunt quæ modo ſubijciam ne quid deſiderari meritò poſſit.

Homo qui à dæmone vexabatur ante eius cellulæ oſtium clamauit: ſerue Dei aperi oſtium cellulæ tuæ, vt ingrediar. Conſiderans autem ſanctus Phaletrus, quòd fortè aliqua tentatio maligni ſpiritus eſſet, ſolo decubuit, orationem huiuſmodi fundens ad Dominum: Domine IESV-CHRISTE, Deus de Deo, lumen de lumine, oſtende mihi vtrum ex parte diabolica vox iſta fluxerit quam ego audiui, an ex parte humana. Tunc ſurgens aperuit oſtium cellulæ, ſtatimque cœpit dæmon per os hominis ei dicere: Serue Dei Phaletre, parce miſero igneis catenis ligato. Sanctus ergo intelligens hominem à dæmone vexari, reſpondit: In nomine Domini noſtri IESV-CHRISTI tibi præcipio ſpiritus immunde, vt exeas ab homine iſto. Qui ſtatim vlulatum teterrimum diræ vocis emittens exiuit ab eo.

Materfamilias ægritudine prævalida laborans, cui nullus Medicorum ſubuenire poterat, audita fama beati viri, poſcit fimbriam veſtimenti eius per nuntium ſibi deferri, quam cùm tetigiſſet, ſtatim ab infirmitate ſuâ ſanata eſt. Inter cætera verò huius ſancti Confeſſoris virtutum inſignia, ſingulare à Deo donum obtinet quod infantes paruulos, &c. Cúmque iam adeſſet optata dies (obitus) viri religioſi qui de vicinis locis ad eum viſitandum conuenerant, hortabantur vt aliquid ex oblata charitate accipiens corpus ſuum tantiſper reficeret. At ille, alias quàm beatę immortalitatis epulas iam amplius guſtare non valens: ſilete fratres, aiebat, ſilete, nolite faſtidium mihi ingerere. Et facto ſermone de mutua pace, &c.

Poſtquam verò à fidelibus corpus eius ſepulturæ traditum eſt, vir nomine Berricus peſſimâ vexatus rabie, ad eius tumulum reuerenter acceſſit, quod videntes fideles, qui aderant & inſaniæ eius compatientes, vehementer ingemuerunt, cúmque pro eo orarent Dominum, repente ſanus effectus eſt. Martinus quidam nomine de vrbe Turonica, cùm iam à multo tempore claudus fuiſſet ad ſepulchrum viri Dei

se fecit deportari & in Dei nomine gradiendi recepto officio, sanus & gaudens ad propria reuersus est.

Alius de Gorronis (forte Gordonis) castro Verennius nomine diu iam amissis luminibus, cùm ad sepulchrum Beati Confessoris Phaletri exoraret, recepto visu, sanitati pristinæ est redonatus. Mulier immundi spiritus infestatione multum vexata, mox vt ad sancti viri sepulcrum aduenit adjuuante Domini gratia, per eius merita sanata est. Hæc & alia innumerabilia miracula, &c.

Ibidem extant Prosa, Hymni, Antiphonæ numeris illigatæ, tréſque Lectiones quibus breui gyro constringitur sancti Phaletri vita, quam modò prolixiorem exhibuimus.

I. Phaletrus in vrbe Lemouicâ, Aquitaniæ prouinciæ: Catholicis & claris ortus parentibus, à teneris annis ab omnibus voluptatibus immunis, totum se diuino mancipauit obsequio. Clericus factus, literarum studiis à patre est traditus, sed non minus orationi quàm lectioni vacabat, cùm sacerdotium haud potius intenderet suscipere quàm mereri. Cæterùm à Cudberto Episcopo sacris initiatus, virtutibus insignis vt populi concursus atque honores, more suo, fugeret, loca sancta, eáque in primis quæ Christus sua corporali præsentia consecrauit, deuoto ac forti animo, plurimos labores, diuersaque maris pericula sustinendo, adire contendit. Tandem Ierosolymam perductus, iuuenem nomine Lerianum, cuius anima ad infernalia ducebatur tormenta, reuocauit ad vitam.

II. Valefacto autem Iacobo Ierosolymitano Patriarchâ, comite Leriano, Romam reuersus est: Vbi à Stephano Papa humanissimè susceptus, apud eum & sanctam Romanam Ecclesiam, multis precibus retineri nequiuit. Hinc ergo Agenæ ab Osio pissimo Episcopo benignissimè exceptus, Vadiæ mutæ à natiuitate, ac cæcæ, loquelam & visum restituit, & Agenenses agros quotannis aeris iniuria vastari solitos, liberauit. Ibi quatuor annis transactis, postea venerabilem Dionysium Aruernorum Præsulem adiit, apud quem quinque annos degens, ab eo Presbyter ordinatus est. Demum Biturigibus cælicâ voce admonitus, Carobriam locum circa fines Bituricos tunc dumis condensum, & propter asperitatem à nemine cultum, Angelo duce, vitæ suæ ibi vltimum diem expectaturus, abiit.

III. Probis itaque associatis viris, cum tuguriolo construxit sacellum, sacris, quas Ierosolymis detulerat, decorando reliquiis. Et cùm miræ esset sanctitatis, pro cibo & potu, modico pane, herbis & aqua, multis diebus interpositis, contentus: & pro cubili, solo, solitarius in tecto, vigiliis & orationibus insistens, dæmones ab obsessis vnico verbo fugabat, & ægros solo sui vestimenti tactu, etiam absens curabat. Sed & quauis infirmitate, & corporis & animi laborantes, maximè infantulos languore pressos, sic reddebat incolumes, vt omnes ad eum vndique confluerent. Denique vt, reuelatione diuina, jamjam cælestè connubium sibi parari nouit, corporali alimento deinceps vti renuit. Et facto sermone de mutua pace & dilectione, sacramentisque Ecclesiasticis receptis, mox migrauit ad Deum, nono Kalendas Decembris, anno ætatis suæ sexagesimo, sepultusque est à fratribus Deo ordinante, in suo oratorio, in quo meritis ipsius multa patrantur miracula.

ELOGIVM HISTORICVM S. PRINCIPINI
Martyris 12. Nouembris.

SAnctus Principinus natione Gothus cum Sanctâ Maurâ matre suâ & vndecim fratribus eius filijs in Gallias profectus à Sancto Martino Turonum Antistite baptizati sunt: quod cùm resciuisset Agrippinus Gothorum Rex missis in varias prouincias satellitibus imperauit vt fideles illos neophytos cum matre trucidarent.

II. Principinus prope Yurayum ad Oculi fluuij ripam haud procul Herissonio Bituricensis Diœceseos oppido, cælestia seorsim meditans, *Yuray sur la riuiere d'Eulh pres d'Herisson en Bourbonnois*, ab vno ex illis speculatoribus inuentus, cognitaque eius tum patriâ tum religione, mactatus est, amputato securi capite quod in terram decidens, Deo gratias, pronuntiasse perhibetur.

III. Alterum subinde miraculum prodit: nam cadaueris truncus erectus in pedes manúque dextera caput præcisum gestans per longa marium strata, ductu Ange-

lico ad Ecclesiam Sancti Petri, *Sainct Pierre de Chasteloy parroisse d'Herisson*, peruenit, vbi cæcus quidam Macarius nomine ad corrogandam stipem residere pro more solitus, stillantibus ex sacro vulnere sanguineis guttis oculos illinens cœcitate depulsâ, recepit visum, sanctique Martyris corpus terræ demandauit.

IV. Summarium hoc scripsimus ex vitâ quam in veteri Sanctorali Siluiniacensis Prioratus extare testatur Domnus Sebastianus Marcalius libro sexto Antiquitatum Siluiniacensium paginâ 307. & sequentibus, qui & addit totam rei gestæ narrationem figuris expressam, nominibúsque adscriptis distinctam legi in ipsa sacri corporis thecâ quæ majori imminet altari, ac Festum quidem S. Principino diem eodem in Cœnobio celebrari 12. Nouembris, Translationem verò recoli sexto Ianuarij.

ELOGIVM HISTORICVM S. SIGIRANNI Abbatis, ad diem 4. Decembris.

SAnctus Sigirannus, solo Biturico, nobili loco natus, patrem habuit Sielaicum; seu Sigeliacum, qui postea fuit Archiepiscopus Turonensis circa tempora Dagoberti Regis. Adolescens peracto Turonis studiorum curriculo, in comitatum Flaucadi se adjunxit, Regísque paulò pòst Pincerna factus est.

II. Repudiatâ Adroaldi principis filiâ, quam pater ei desponderat, relictáque aulâ Regiâ ingressus Basilicam sancti Martini Turonensis antistitis comam sibi demi iussit, séque Deo in perpetuam dicauit seruitutem. Quod cùm audisset pater, in Clericorum album filium adscripsit: moxque in Archidiaconum electus, à Stephano quodam vrbis Quæstore stimulis inuidiæ inflammato in custodiam detrusus est, sed eo teterrimâ morte in vltionem sceleris sublato, liber sanctus vir, erogato in pauperes patrimonio, & abdicato Archidiaconatu, nudus nudum Christum sequi constituit.

III. Faluio cuidam Episcopo, qui ex Hibernia Turonensem veneratin prouinciam, socium se addidit Sigirannus, vt regularis disciplinæ præceptis ab eo imbueretur: cum quo aliisque Romam adire decreuit: vnde reuersus ope Flaucadi in loco saltus Brionensis, dicto Millebeccus, *Meobec ou Maubec*, cellam ædificauit: tùm Longoretum petiit, locum in eodem saltu peramœnum, quem fluuius Clasis alluit, *Lonrey en Braine sur la Claise, où est l'Abbaye qu'on nomme de Sainct Siran en Braine*, vbi & ex lignis primò Cellam condidit, diuinóque afflatus spiritu mortem Flaucati, quæ in annum Christi 647. referenda est, præuidit, & Monasterium ædificauit sub Regulâ Sancti Benedicti (quam tamen appendicem quidam adtextam putant post tempora Ludouici Pij) in quo multis clarus miraculis ad Christum migrauit pridie nonas, seu quarto Decembris die.

IV. Summarium hoc excerpsimus ex Compendio quod R.P. Hugo Menardus in obseruationibus ad Martyrologium Benedictinum concinnasse se fatetur ex veteri Legendario Abbatiæ Sancti Sigiranni cuius mentionem non reperi in Antiquis Martyrologiis, neque in Breuiario Bituricensis Diœceseos. Extat apud Chopinum libri secundi Monasticon capite seu sectione 19. Regiæ auctoritatis diploma quo Dagobertus Rex Longoreti & Mollispeci seu Millebecci fundationes probat, anno, vt ait, Christi 640. ex quo, inter cætera colligi potest Sigelaicum, non tantùm Turonensem fuisse Comitem, sed etiam Bituricensem.

VITA PROLIXIOR EIVSDEM SANCTI Sigiranni Abbatis.

Quam descripsimus ex Apographo Illustrissimi ac Reuerendissimi D. FRANC. BOSQVETI Episcopi Monspellensis.

1 Athleta Christi Sigirannus, solo Biturico nobili ex progenie ortus, meritis tamen & fide suum nobilitans natale ad præmium vitale feliciter nascitur

peruenisse. Huius quoque propagator pater carnalis extitit Sigelaicus eiusque genitrix bonis omnibus insistens famulatrix prædicto viro sortita est felici in connubio. Ex his ergo duobus rite conjunctis bonæ indolis proles beatus processit Sigirannus, qui etiam à primaria ætate à parentibus Turonis ciuitatem est transuectus & in Scholis traditus, quatenus litterarum primordij, vt solet in pueritia, Domino fauente perciperet efficaciam. Dehinc verò transacto tempore Flaucado cuidam potenti viro causa nutriendi adjunctus, Francorum in palatium deuenit, ibique ab eodem ad altiora, vt sæculi dignitas se habet, venerabiliter prouocatus Puerna Regis in pueritia deputatus est.

II. Eodem tempore supradictus genitor eius Sigelaicus Episcopus Turonis iam dictæ vrbis est sublimatus, ibique conjunctus in amicitia cuidam potentissimo viro Adoaldo scilicet nomine eius filiam suo vt esset vxor prefato sponsauit filio. Cuius mens scilicet Sigiranni patre prorsus nesciente omnimodo iungitur tendens ad Dominum & à sæculi actibus nititur eum fore quantocyus alienum. Illud semper præ oculis ponens: *Quia qui amicus esse voluerit huius sæculi, inimicus Dei constituitur*, quia nempe præscitus erat & præordinatus ad vitam iuxta Apostolum, qui ait: *Quos præscinit Deus hos & vocauit, quósque vocauit hos & glorificauit.* Hic beatus ad carnalem thalamum nullatenus declinare neque se obligare maluit, quandoquidem se iam Deo deuouerat esse seruum. Namque, vt aiebat fieri in aula regali vt ex nobili prosapia geniti secundùm sæculi dignitatem diuersis fulciantur honoribus variisque circundentur ornatibus. Hic per omnia beatissimus animum ad astra subleuans oculósque à superfluis sæcularibus comprimens, totis ad Deum nisibus iugiter flagrabat oculorum obtutibus.

III. Si quando verò pro Regali honorificentia ac ne dispar inter sodales esse videretur, vestium se decore indueret, ac cingulis se hinc inde ornaret, & comptus oculis intuentium incederet, intimo tamen cordis affectu humillimum retinens spiritum suo in pectore semper deuotissimè beatificabat Dominum. Immò etiam vt fertur sub indumento vestium pretiosarum, crebrò cilicio vtens humilitatem, quam ab ineunte pueritia ætate semel Domino deuotus conceperat, in habitu vili etiam deinceps Domino fauente exercere studebat. Nimirum omnem ornatum quo exterius in Regis præsentia vti solebat, domum ad propriam remeans à se protinus abiciebat, humillimúmque ac despectum alium induens iam quid quandoque Domino annuente acturus esset demonstrabat.

IV. Denique sponsam quam pater, si Dominus permisisset, futuram ei prouiderat desponsandam, ita omnimodis refutandam vitandamque censebat, vt non solùm huic sponsæ in conjugio sociari voluisset, verùm adeò ab huiusmodi sexus consortio se elongari decreuit, vt nullatenus secum in aliquo misceri permisisset commercio. Audierat enim non surdus auditor Apostolum intonantem ac dicentem sibi. *Bonum est mulierem non tangere.* Illud quoque quod alibi ait: *Soluta es ab vxore, noli quærere vxorem* Hæc idem vir beatissimus & omni laude venerandus iam corde sitibundo exhauriens, quod audierat voluebat semper intrinsecus animo, quod postea explere cupiebat toto nisu in Domino.

V. Verè etenim hic beatus per omnia Sigirannus licet corporaliter inter homines in ætate scilicet iuuenili viuendi foret constitutus inter athletas tamen Dei atque Christicolas toto desiderio conuersationem habere videbatur, omni scilicet cum auiditate pertractans, & vtique explere desiderans quod Apostolus de se suique similibus ait: *Nostra autem conuersatio in cœlis est.* Cúmque in his plerumque aliisque similibus sanctis meditationibus de die in diem ròboratus in Domino viriliter transigeret, ac die noctúque pervigil in sanctis operibus, deuotúsque existeret, podetentim Domino annuente terreni Regis palatium deserens desuescere cœpit, quod iam olim pro nihilo fastidióque computabat. Vnde et à Domino etiam deinceps non immerito est collatum, & vt eius imposterum sanctitas demonstraret per omnia est attributum, poli ad sidera, æterni scilicet Regis palatium sine cuiuspiam impedimento ceu pennigero leuique gressu properare quiuisset, illud prorsus Dauidicum corde & animo indefessè tripudians, summóque cum gaudio feliciter decantans ac dicens: Beatus quem tu eligis Domine, inhabitabit in atrus tuis.

VI. Interim verò dum hæc agerentur, nutu Dei consilium iniit, quatenus Turonicam vrbem quantocyus adiret, illustrisque Confessoris Martini limina penetrasset

set, séque inibi totum in Domini seruitio pro æterna scilicet beatitudine mancipasset. Ventúmque est ad id. In Christo equidem duce per vias rectas fortiter incedens hic beatus de quo loquimur Sigirannus præfatam ad vrbem aduenit, Ecclesiámque dicti Antistitis Martini apud Deum, vt illi foret in præsidium adiens inuiseret. Quinetiam septa huius sancti Templi cautè ingrediens, ac deuotè hinc inde perlustrans, eius ad sepulchrum vsque peruenit, ibíque diutissimè, ac deuotè beati Martini suffragia postulans, sic demùm quod dudùm exoptauerat, sui capitis comam, vt perpetim Christi in sorte Clericus permaneret, totondit. Quod audiens Pontifex, qui tunc huic præerat ciuitati, gratanter accepit, quódque etiam hac in re iam peractum erat, libenter indulsit; immò etiam, si fortè vacat, in gremio fidelium Clericorum eum collocare decreuit, ac deinceps dum aduenerit in cœtu inibi inhabitantium vnanimem esse delegauit.

VII. Cùm hic electus Dei intra gregem foret admixtus, sanctísque actibus iugiter esset intentus, Deo charitatis gratiâ cunctis se studebat reddere aptum, vt omnibus se cernentibus atque colloquentibus videretur placere. Namque singulis quibusque, tam senioribus quàm coæqualibus, necnon subjectis ita fiebat affabilis & congruus, vt per eius mellifluam nectareámque eloquentiam omnes circumquaque illi adhærescere cuperent, eiúsque sancta vestigia imitari vellent. Dum igitur taliter sicque Deo deuotus existeret, & supernæ vitæ patriam totis nisibus anhelaret, ab omnibus loco illo degentibus vnanimiter Archidiaconus est electus, atque à Pontifice illius ciuitatis omnibus Ecclesiis illius diœcesis est subrogatus. Sed idem athleta Christi perspicuus, & belligerator præcipuus, quantò forinsecus in sublime extolli videbatur ab hominibus, eò apud se humilia sentiebat intrinsecus, iuxta illud præceptum sapientissimi Salomonis: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.*

VIII. Sic denique omnipotenti Domino suffragante eodem almifico Sigiranno in hoc culmine instituto peractum est, vt quidquid contra piorum Principum decreta, quorum quondam laudabilis extiterat vita, ineptum atque contrarium reperiri potuit ad pristinum statum prudentissimè est reuocatum. Nam eleemosynas de rebus propriis pauperibus omnibus, videlicet viduis & orphanis, miseris ac destitutis ita strenuè largitérque distribuit, vt penè in prædiis, quæ ei ex posteritate parentum successerant, quid vel parumper residuum esset. Dum hęc igitur ab eodem Sancto iugiter agerentur, Deóque placata eius opera fierent, antiquus hostis, qui bonis semper & sanctis insistens vt destruat, atque molitur vt feriat, immisit in cor cuiusdam perfidi, nomine Stephani, qui tunc videbatur Rector prædictæ ciuitatis, sub ditione scilicet fisci calliditate superatus, quatenus sub custodia eum publicâ mãciparet. Sed quâ de re hoc faceret, nihil aliud quid inueniri quiuerat, nisi quia hic Beatus piis sanctísque operibus insistebat, quòd esset amens, aliis mentiendo affirmabat. Sed idem verè Dei cultor Sigirannus, quia non amentiâ erat infectus, sed sanitate, & merito bonorum actuum apud Dominum foret venerandus, confestim Christo opitulante omnibus est patefactum, per eius scilicet magnificè gesta, diuinitùs patrata. Namque infelix prædictus ac crudelis tyrannus, qui Dei electum frustrà conatus est constringere loris, validísque mancipare compedibus, ipse, vt fertur, amens effectus, & à quodam spiculatore in sua scilicet amentia superatus, vitam amisit miserrimus, gladio interemptus. Non quòd hic pius ac pater eximius malum pro malo huic reddere vellet, qui in se peccantibus non vicem reddere, sed indulgentiam paterno amore nouerat exhibere: sed actum tantùm Domino permittente, vt reor, creditur fore, qui sua miracula in Sanctis suis nonnunquam infidis, etiam vt crederent, misericorditer vult demonstrare.

IX. Quapropter hic Deo deuotissimus, & vigil ingenio Christi Leuita necnon Confessor Sigirannus Domini præcepta deinceps prouidus adimpleuit, magísque se in tantis actibus studuit exercere: quin etiam mundi caduca pro nihilo deputans, patrimonia sua, & omnia quæ habere poterat, egenis & pauperibus erogans, solum Deum promereri satagebat attentiùs. Audierat enim insignis prouisor, nec impiger operator Euangelium, intonantémque ipsum Dominum, ac dicentem: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me.* Illud quoque quod alibi ait: *Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ergo electus hic Dei famulus his sanctis monitis sagaciter

obedire contendens, Dei largiente clementiâ agere nullatenus distulit, quod monendo non segniter audiuit. Tunc etiam ita semetipsum ex omnibus nudare vel spoliare studuit, vt Christum, qui de semetipso ait: *Filius hominis non habet vbi caput reclinet*; per omnia nudus sequi potuisset. Quinimò cum illo qui pro nobis patibulum crucis sustinuit, cum ipso cruci figeretur, crucémque post ipsum deferret, abnegando seipsum. Erat enim idem almificus atq; egregius Christi Confessor in sanctis actibus valdè admirabilis, & in sancta conuersatione præcipuus: nam illis in locis, in quibus ipse natus, aut conuersatus fuerat, vix aut nullatenus reperiri poterat similis, vel qui eiusdem imitari potuisset exemplum.

X. Accidit autem illo tempore, vt quidam Episcopus ex partibus Hiberniæ adiret istis in partibus, Faluium scilicet nomine, qui sanctitatis gratiâ præpotens atque fultus, sanctisque actibus ad plenum erat expertus, cuius etiam vita hinc inde, ac longè latéque procul redolens propalata est in audientium auribus. Quod etiam hic audiens Sigirannus, studuit se illi viro coniungere, & corde & opere omni cum amore illius sanctis actibus adhærere; à quo equidem in religione sanctitatis vitæ quam olim conceperat, viriliter est roboratus, maximè quia plerique ei erant contrarij, eò quòd priscorum Patrum normam tenens, cum sanctitate & iustitia vitam suam peragere satagebat. Denique Faluius Romam tunc temporis directus, beatus necnon Sigirannus eius est vestigia insecutus. Quod in circuitu huc illúcque audientes nonnulli eorum exempla sequuti, cupientes ab eis sanctâ doctrinâ omnimodè imbui. Quíque prædicti etiam illustris viri viam, quam cœperant, peragrantes, sanctorum loca hàc illácque perlustrantes, tandem Romam adierunt in sancta conuersatione sodales. Instabat enim tunc temporis botryorum collectio, id est, vindemiæ sectionis ad prælum vsque deducentis. Cùm verò tantisper ibi vnanimes demorati essent, vidissétque iam sæpè dictus almificus Sigirannus incolas loci illius immensis laboribus desudare, maximéque in hoc tempore vindemiarum solet accidere, non minimè fatigari, relictis paulisper, provt tempus dictabat in contubernio fratribus, quibus erat in sodalitate deunctus, cuíq; pauperum necessitudinem fore vidisset, afferebat subsidium cunctis. Dicebat enim iste Beatus se nullatenus velle percipere victum, nisi quem proprio acquisiuisset labore manuum; illud videlicet adimplere gestiens carmen Dauidicum: *Labores manuum tuarum manducabis: beatus es, & benè tibi erit.* Taliter quoque hic Beatissimus loci illius hominibus largifluam charitatem atque misericordiam exhibens, tantam ab omnibus incolis, Domino fauente, gratiam est adeptus, vt secundùm Apostoli dictum, fieret spectaculum Angelis, cunctísque se cernentibus intuentium oculis. Dum tamen ita perageret in sodalitate quâ se iunxerat omni cum humilitate reuertens, vnanimem se sociare curabat. Sanctorum siquidem se inculcare cupiens normam, Apostolorúmq; salutiferam vnanimitatem, illud reducebat ad memoriam: *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & pacem habete inter vos.* Ita deinde hic Dei cultor diuinitùs inspiratus, tantam à Domino promeruit gratiam, vt qui eius colloquium meruerunt petere, ex diuersis floribus adornati sanctorum videlicet actuum relatione ab eo ritè instructi ouantes ad se redierunt imbuti. Nonnulli equidem è propinquis regionibus, oppidis, atque castellis mellifluam eius & vsquequaque magnificam prædicationem audientes, sæcularia ac caduca quę libenter inquirebant, conuersi ad Deum funditùs reliquerunt; & qui aridi, & sine fructu bonorum operum à Deo alienati in sæculo diligebant, Domino largiente, ad eundem quantocyùs reuersi, moribus & vitâ fructum iustitię accumulabant. Námq; Sanctorum acta, libróque diuinos pro iugi assiduitate legendi secum vsque detulit adiens Romam, quatenus sanctarum scripturarum imbutus scientiâ, séque & alios confirmare quiuisset in sancta religione atque doctrina.

XI. Interea verò dum taliter in sancto negotio insisteret Flaucadus prædictus, vt fieri solet, homo prædiues Francorum in palatio florebat præ omnibus. Datâ verò sibi occasione vt fertur pro quibusdam causis dirimendis, B. Sigirannus à Roma progrediens iterum ad prædicti Flaucadi amicitiam repedauit: siue, vt opinor, quia ab eodem in Regis palatio pridem fuerat collocatus: cum quo etiam diutiùs moras innectens, suísque mellifluis affaminibus se illi conglutinans, in eius amorem non mediocriter est illapsus: qui nimirùm coniuncti in sancta meditatione, tractare cœperunt qualiter pro Dei amore locum instituerent vbi sub norma ac sancta religione Deo deseruirent, Monachi vitam præsentem transigere quiuissent. Tunc quidem

Digitized by Google

locum compendiosum, vt illis visum est, qui Mille-pecus dicitur, intra saltus Brioniæ elegerunt, ibíque ad opus prædictum, provt posse fuit, quantocyùs ædificare cœperunt. Etenim licet per tempus exiguum, vt fieri assolet primitùs, paruulam tamen construxit cellulam in eodem loco, in qua aliquantisper temporis sub sancto Ordine cum paucis fratribus est conuersatus, & in sancta religione non minimùm est solidatus. Dúmque inibi diebus ac noctibus perui gil ipse sanctus in Dei laudibus Deo prolixiùs vacaret, nutu Dei accidente alium commodum reperit locum in ipsius Flaucadi prædio, cuius Longoretus noscitur esse vocabulum. Nam idem locus in dicto saltu Brioniæ situs est, habens è regione fluuium decurrentem, Clasiam vocitatum. Et quia idem Flaucadus eodem in loco propinquam habebat domum, per ipsius voluntatem B. Sigirannus haud procul à domo figens tentorium paruulum ex lignis, illis in diebus, vt fieri solet in primordio, iuxta condidit habitaculum. Verùm Flaucadus, cuius erat ipsa domus, cùm sæcularibus diuitiis esset redimitus, & in carnali voluptate per omnia deditus, necnon in Regis palatio sublimatus, aduersus quemdam virum Christianissimum, suúmque primùm alumnum, nomine Vuillebaldum, elatus fastu superbiæ, eumdem neci vt traderet, cœpit insistere. Quo etiam tandem deuicto, Regísque consultu superato, ac mortuo, dum malignum vtiq; votum suum incunctanter peragit, semetipsum interiùs exteriúsque morti addixit; & quia ei malum pro bonis reddere maluit, cui nimirùm oportuerat reddi bona pro bonis, vndecimo pòst die transacto, exitiale funus meritò est adeptus.

XII. Interea verò dum ita res agerentur, nullatenus à nobis est reticendum quid huic, de quo loquimur, B. Sigiranno à Domino est collatum. Quidam enim vir Magnobodus conscius (legendum arbitror, Consul) videlicet Pictauensis, nuper provt quiuerat, huic sanctissimo viro in amicitia se deuinxerat, qui etiam cùm præpotens esset, & in facultatibus prædiues, oleum in vasculo quo solet recondi, B. Sigiranno libras mille, vt fertur, impósito plaustro pro munere direxit. Cúmq; illius Legatarij qui illud ad hominem Dei vsque deduxerant in iam dicto pusillo loco, quod sibi velut tuguriolum ex lignis contextum, vt suprà meminimus, nuper construxerat ad degendum, deponere vellent, idem Beatus diuinitùs inspiratus, prohibuit illis dicens: Deo bonorum omnium largitori gratias referimus, fratres! deinde amico benevolo, qui nobis causâ dilectionis hoc munus contulit: sed nunc hoc in illo nullatenus deponi poterit: sed expectate paulisper, quia non post multum dabit Dominus locum vbi vobis erit opportunum deponi. Tertio igitur pòst die Flaucadus mortuus narratur, quòd hic vir per Spiritum Sanctum præuiderat afflatus. Cognito itaque ab omnibus, quòd vt vir Dei in spiritu præuiderat, locus ei à Domino fuerat alibi præparatus, illuc ocyùs aduentantes, deposuerunt olei dolium: illo nempe in loco, qui Longoretus dicitur, eius inhæserat animus. Nam eodem in loco adiens, ibíque fauente Domino, ipsóque Flaucado innuente, & propinquis eius deinceps sub sancta Regula à beato Benedicto edita degens, congruum ibi Monachorum construit ædificium. Quod idem Monasterium per plurima annorum curricula strenuè regens, illud magis operibus ditauit, plurimósque ex circumquaque ad Dei cultum aduocans sub sanctorum Patrum instituto vitam illis transigere monuit. Sed ista prælibantes, illud quoque nequaquam putaui silendum, quod illis in diebus per hunc virum almificum cunctipotens Dominus mirificum patratus est miraculum. Quâdam itaque die, cùm per aliquod negotium dirimendum iterum ad suam dictam cellulam deuenisset, vocabulo Millebeccum, quidam aduenientes latrunculi, equos, quos ipse vel sui insederant, furtiuè vt venerunt, eos noctu abstulerunt. Totâ ergo nocte illâ circumquaque per deuium cum illis diuertentes, putabant se recto calle longiùs ire: facto autem manè diluculo, ac diei aurorâ coruscante, præfati latrones cum equis quibus insederant, ad ipsius cellulæ ianuam, vnde sibi eos nequiter adsciuerant, licet illi nolentes reperti sunt sospites. Quo itaque cognito, fures equitésq; extemplò, equis relictis, fugâ immani perrexêre: equi verò, Domino annuente, meritísq; ipsius almifici Sigiranni iure proprio recepti sunt. Quanto putamus amore Dei hunc sanctissimum Sigirannum dignum existere in cælo, cui tot beneficia contulit in terra diuina clementia. Quapropter præfati maligni & perfidi, qui contra hunc virum iniquè agere decreuerunt, in malo suo cælitùs frustrati, eorum iniquitas mentita est sibi. Nam peracto negotio propter quod ad præfatum deuenerat locum, scilicet Millebeccum, progrediens inde vti ad Cœnobium itidem repedaret,

die aduesperascente, ad quandam deuenit villam. Sed quod ibi per eundem idemtidem patratum sit miraculum operæpretium puto, vt fiat omnibus in propatulo. Magnificus ergo vir iste in villam nocte iam vicinâ aduenies, cùm congruo etiam in loco fratribus secum comitantibus resedisset, ac more solito in lege Domini attentiùs meditaretur qualiter ad cælum peruenire quiuisset, candela in manu pueri causa accidente extincta est in illorum medio consistentium. Tunc puer cum rubore, ac si à patre ignominiosus abscedere quantocyùs cupiens vt lumen citiùs reaccenderet, quod per suam extinxerat negligentiam, cui puer sicut erat clementissimus B. Sigirannus ait: Noli, fili mi, in eundo diutiùs fatigari: námque nobiscum lumen adest diuinum, quo illustrari poterimus, si pius permiserit Dominus. Mox ergo abeo impresso in candela crucis signaculo, confestim illis cælitùs lumen est restitutum, quod casu fuerat extinctum. Nempè idem pater egregius ab illo qui ait: *Ego sum lux mundi*; intrinsecùs veraciter illustratus ab ipso, nihilominùs lumen percipere meruit, quo se illustraret, & alios.

Hunc ergo almificum omni cum deuotione veneremur; hunc per omnia iugi assiduitate cum laudibus recolamus. Hic itaque verè beatus ritè ab omnibus est venerandus, quia illorum Christicolarum compar effectus, quos actio felix rexit in astris, tanta & talia promereri diuinitùs meruit, licet adhuc carnigerum corpus gestaret. His ergo transactis, iter quod ad Cœnobium cœperat, tantumdem peregit: At verò Monasterium adiens, in seruitio Dei quo se iam ardenti animo deuouerat, omni cum studio ac sedulus peragebat: nempè SS. Patrum monita perlegens, eorúmque iussa florigera iugiter carpens, séque & sibi subjectos ad vitale commercium sagax propinare (fortè prouocare) studebat. *Nec plura in vet. cod. vnde ista primùm deprompta.*

ELOGIVM HISTORICVM SS. SILVANI, seu SILVINI, Siluestri, & Rodenæ. 22 Septembris

SANCTVS Siluanus, seu Siluinus Presbyter, quem fuisse Zacchæum Hierosolymitanum ferunt, à Sancto Petro Româ in Galliam missus est cum B. Siluestro, quem paulò pòst mortuum ipso tactu baculi, quem à S. Petro ad eum reuersus acceperat, excitauit à mortuis, & cum illo iter inceptum prosecutus est.

II. Excepti hospitio à quodam viro nobili filiam eius Rodenam Coruisculo adolescenti desponsam salutaribus baptismi aquis, quas enixè postulabat, tingere renuerunt.

III. Cùm ad oppidum Biturigũ Leprosium, *Leroux en Berry*, quod etiam dictum olim fuisse Gabatum sibi quidam persuadent, peruenissent, populóque congregato, Christi fidem prædicarent, præsens affuit propositi memor Rodena virgo, ab iisque tandem baptizata, Christum cum eis euangelizare cœpit.

IV. Coruisculus cõperto quòd Rodena sibi desponsa sanctos viros fuisset insecuta, cursu rapido cum militibus prædictum ad oppidum venit; quod vt ad aures Beatæ Rodenæ personuit, statim forcipibus, quibus pannos incidebat, arreptis, nasum, labia, auréque sibi abscidit, vt sic deturpata, sponsi animum prorsus à se abalienaret.

V. Hoc resciens Siluanus, ipso Coruisculo præsente, partes amputatas locis ita propriis restituit, vt nullum in eius vultu cicatricis vestigium appareret. Quo miraculo, aliisque permoti, non solùm ipse, eiúsque comites, sed plurimi etiam ex accolis viciniſq; baptizati sunt, Ecclesiámq; in honorem Dei & B. Petri erexerunt.

VI. Siluano posthæc sanctissimè mortuo decimo Kalendas Octobris, seu 22. Septembris, quo die apud Leprosenses quotannis eius memoria colitur, habetúrque eiusdem Sancti mentio in Martyrologiis Romano, Vsuardi, Laurentiano, aliisque, cùm SS. Siluester & Rodena exequiarum complessent officium, ipsi quoque subitâ sublati morte, post duarum horarum spatium ad Christi conspectum euolarunt.

VII. Strictim pauca hæc decerpsimus ex Lectionibus, quæ in antiquis extant Breuiariis Bituricensis diœceseos, ad diem vigesimum tertium Septembris, non vigesimum secundum, quòd, vt expressè notatum est in Calendario præfixo Missalibus anno Christi 1522. excusis, dies ille dicatus sit glorioſis triumphis SS. Martyrum Mauricij & sociorum eius militum Thebææ Legionis.

Digitized by Google

VIII. Hinc verò errorem eorum corriges, qui Siluanum à Siluino disjungunt, duósque nobis pro vno sancto obtrudunt; sic enim die vigesimo secundo Septembris scribunt: In territorio Bituricensi sancti Siluani Confessoris vitâ hominibus quidem absconditâ, at Deo cognitâ beatissimi: sicut sanctitatis eius diffusa pridem gloria toto illo tractu testatur. Tum sequenti die: Bituricis S. Siluini Confessoris, qui viam diuinorum mandatorum postquam magnâ obseruantiâ percurrisset, omni virtutum exercitatione nobilis peruenit ad præmium.

IX. Alibi quoque adiciunt hoc veluti ἐπίμετρον: Porrò, cuius Apostolico zelo incendium exitialis cultus idololatriæ in plerisque Aquitaniæ locis sopitum est eiusdem meritis morbidus ignis extinguitur, & membris ægris refrigeria Domino largiente præstantur. Colitur potissimùm in antiquo Monasterio Dolensi, vbi die vigesimâ sextâ huius mensis propriam habet cum speciali officio celebrationem.

Eadem ex vetustissimo Ecclesiæ Bituricensis Breuiario.

Siluanus Presbyter cum socio suo Siluestro à B. Petro Apostolo in Gallias missi, cùm ad locum Bethaniæ, qui non distat multùm à Roma, peruenissent, Siluester migrauit à sæculo: quem cùm Siluanus sepelisset, de ipsius absentia anxius an solus pergeret Romam, rediit, & B. Petro fratris abscessum tristis nuntiauit.

Quo audito, Apostolus vt in hoc appareret quàm mirabilis esset Dominus in Sanctis suis, virgam pastoralem quam manu tenebat, ei tribuit dicens: Charissime fili Siluane, reuertere ad tumulum fratris, & in nomine IESV CHRISTI iube surgere mortuum, dicque ei vt injunctæ obedientiæ tecum prosequatur officium. Reuersúsque Siluanus, & tacto corpore baculo, antequam verba finisset, Siluester tanquam de somno surrexit incolumis.

Incedentes autem, cùm diuersas Italiæ partes, fluenta doctrinæ euangelizando, peragrassent, nocte quadam indigentes hospitio, nobilem quemdam adiêre virum, qui eos, licet paganus, pio tamen humanitatis commotus affectu, quasi peregrinos secum nocte illâ detinuit.

Hominis autem istius erat filia virgo, nomine Rodena, cuidam nobilissimo iuueni, nomine Coruículo, desponsata. Hæc seruis Dei interrogatis, vt agnouit quòd essent Christiani, statim afflata Sancto Spiritu, noctis silentio ad eos ingressa ait: Serui Dei omnipotentis, precor exurgite, & me, quam diabolus conatur seducere, in Dei vestri nomine baptizate.

Sancti verò sacerdotes dixerunt ei: Hoc commodè modò facere non possumus, sed cùm ad oppidum Gabarum in pago Biturico, vbi Gentilium error maximè feruet, quo tendimus, paulò pòst peruenerit, optato perfruetis desiderio. Cúmque ad iam dictum oppidum, quod nunc Leuroux dicitur, sancti Dei peruenissent, & die quâdam populo ibidem congregato prædicarent, sancta Rodena eorum obtutibus præsentatur; & statim baptizata, cœpit cum eis euangelizare IESVM.

Elapso posthæc modico tempore, Coruículus eius sponsus futurus, comperto quòd ipsa Sanctos Dei fuisset insecuta, furore succensus, assumptis secum quadraginta quatuor militibus, ad præfatum oppidum cursu rapido peruenit; quod vt ad aures beatæ Rodenæ personuit, statim forcipibus, quibus pannos incidebat, arreptis, & naso, labris, & auribus, vt despecta videretur, abscissis, sic deturpata, obuiam sponso veniens, ab eo repudiata est.

Sanctus autem Siluanus hoc videns, ipso Coruículo præsente, partes abscissas in locis suis ita restituit, vt nullum in ea cicatricis signum appareret. Coruículus autem his non obstantibus, contra Sanctos Dei animo induratus, equis ascensis cum suis digreditur. Sed cùm ad milliaria procul essent, equis eorum contra naturam in terra sicca mergentibus, ipsi etiam officio pedum amisso, genibus & cubitis repentes, ad Sanctos Dei veniam & baptismum deuotè poscentes redierunt.

Tanta igitur mirabilia vicini loci eiusdem circumquaque audientes, cum ipsis baptizati sunt. Quo facto, sancti Sacerdotes in honore Dei, sanctique Petri Apostolorum Principis, Ecclesiam ibi dedicauerunt: In qua Dominus noster IESVS CHRISTVS laudari & benedici dignatus, tantam gratiam infudit, vt quicumque cœcus, claudus, leprosus, paralyticus, dæmoniacus, aliisve infirmitatibus obsessus, illuc de-

uotè aduenerit, incolumis ad propria remeauerit. Post aliquod autem tempus sanctus Siluanus diebus & sanctitate plenus, vt cum Christo regnaret se dissolui sentiens, lecto discubuit; quâ de re præ omnibus aliis Silvester & Rodena gementes dicebant: Cur nos, Pater, deseris? Quibus ille: Luctum, quæso, dimittite, non vos diù relinquam. Et his dictis, concinentibus Angelis migrauit ad Christum. Deinde expleto exequiarum officio, intra duarum horarum spatium beatus Silvester & Rodena corporali subitò percussi molestiâ, tumulati, Patris suppleuêre præconia, & à Christianis iuxta eum sunt sepulti.

In Breuiario verò recentiore, iussu D. Reginaldi de Beaune, edito anno 1586. sic incipit Lectio: Beatus Siluanus, quem Zacchæum Hierosolymitanum fuisse ferunt, cùm in Gallias ab Apostolo Petro, &c.

Ex Martyrologio Romano & Vsuardi.

Decimo Kalendas Octobris, seu 22. Septembris, in territorio Bituricensi, sancti Siluani Confessoris. Qui dies cùm dicatus sit glorioſis triumphis sanctorum Mauricij & sociorum, sancti Siluani festiuitas proximè consequenti die, hoc est 23. per totam diœcesim nouem Lectionibus peragitur.

Ampliorem verò alicubi latere de sancto Siluano tractationem Historicam constat ex sequenti miraculo à beato Martino Turonensi Archiepiscopo, vt volunt in loco, qui Leprosum vulgò nuncupatur, perpetrato.

Incipit quoddam miraculum beati Martini Turonensis excerptum de vita sancti Siluani.

CVm igitur Martinum sacræ dulcedo solitudinis affatim vendicaret, proximorum inde necessitatibus condescendens, sæpiùs prodire in publicum cogebatur: Erat enim suum Apostolicum illud, Siue mente excedimus, siue sobrij sumus vobis. Per Bituricense igitur territorium iter aliquando faciens, deuenit ad vicum, cui ex euentu miraculi nomen Leprosi editum est. Dominus siquidem illius vici erat honorabilis, & diues, sed leprosus. Cùm igitur diuus Martinus ad Ecclesiam sancti Siluani orationis gratiâ diuertisset, (non enim irreuerenter Ecclesias præterire consueuerat) in ipso sacræ ædis introitu dominum supradictum leprosum offendit. Martinus maturus ingreditur; porrò ille egrediens agnoscit hunc esse Martinum, illum signipotentem, illum Archipræsulem Turonicæ vrbis magnificum & glorioſum virum, ad cuius imperium nulla morborum genera non curantur. Qui & mortalibus imperat, & lepræ contagione laborabat, solo medetur oſculo. Animatus igitur magnitudine viri, & præsumens de potentia, seruis suis propè astantibus *ogrios & famulos diui Martini iubet ad domum deduci, instrui cõuiuium tanti hospitis condignum reuerentiæ. Ipse verò cum multis pro foribus egressuri præstolatur aduentum. Interea Martinus vt semper frequentissimo discipulorum sanctissimo comitatu stipatus, ab æde sacra egreditur. Cui & ille genibus prouolutus, supplex exorat vt ad se hospitandi gratiâ diuertere non dedignetur, longè abesse vrbem, illo tempestiuè proficisci non posse, tandem se ægritudinis fœditate vitari non debere, esse sibi domos idoneas eius susceptioni. Tunc vir sanctus, Spiritu credo annuente, & etiam præsentiens Dei manu ibi se facturum miracula, alacri vultu pergit, & voce respondet. Sanè Domini voluntas est, vt apud te frater, hospitem, ipsius hospitalitatis solemni more accede, & præbe nobis oſculum pacis. Ille verò & Sancti tactum modis omnibus gestiebat. Pudore tamen actus ob morbi turpitudinem refutabat accessum. Hærebat igitur verecundia. At Sanctus, qui nec leprâ contaminari, sed lepræ mederi consueuerat, instanter accedit, & oſculatur eum: qui quare statim sanatus non fuerit, sanandus in crastino, illius est nosse, qui in pondere, numero, & mensura vniuersa disposuit. Fortassis, quantum potest intelligi, pusillæ fidei erat homo, qui necdum mereretur accipere salutem. Porrò, sacri hospitis vsus colloquio, vsus pariter hortatu & doctrinâ, creuit fides eius, quâ meruit impetrare quod Martinus dare credenti potentissimus erat. Sed & ad propositum redeamus. Interea Martinus cum suis penè sequitur ad hospitium præeuntem. De communi apparatu taceo, vbi, ne quid deesset, heros copias impensarum largitatis beneuolentia, in-

Digitized by Google

ſtantia iuſſionis præparauit. Seruientes autem artis illius induſtria, clientelæ ſuæ prompta obedientia, & pro tanto hoſpite cura deuotiſſima ſatagebat. At Martini cibus etſi vt homo corpuſculo aliquid indulgebat, tamen in facienda Domini voluntate potior fuit. Celebrato igitur tam ſacro conuiuio, homo qui Martinum hoſpitio ſuſceperat, miſeriæ propriæ obliuiſci non valens, quippe & qui multa habebat æger propter dolorem non habebat ſeipſum. Accedit propiùs ad Sancti pedes, adorat, corporis ſui fœditatem oſtendit, vt ſibi ſubueniat, quod nemo alius poteſt, ſupplex adorat. At Sanctus vt totus ſemper viſceribus charitatis effluebat in Domino, hominis compatiens miſeriæ, ſeſéque etiam eius profitens debitorem, vtpotè qui ſe ſuóſque pauerat, de Domini miſericordia fidere iubet, ſe interceſſorem pro eo non defore pollicetur: hortatur interim ad animæ puritatem, Miſſarum ſolemniis craſtino intereſſe, inter communicandum ab ore ſuo ſumere pacem, ipſum quoque ſacris myſteriis communicare. Interea non patitur ſolitarium eſſe ſolitudinis amatorem Martinum: tanta enim multitudo ante hoſpitium congregatur, vt vix locus caperet, quod Sancti deuotio capiebat.

Cùm igitur poſt matutinorum ſolemnia Martinus egreſſus lętum ſui occurſum omnibus exhiberet, videt elationem gallinarum, altilium, pullorúmq; non minimam multitudinem, & conuerſus ad circumſtantes: Miror, inquit, cùm tantum hic pullorum videam, gallinarúmque examen, quod nullum illorum procliuium naturâ auium hâc nocte cantauit. Tunc qui aderant, reſponderunt: Domine, inquiunt, non miretis; ſanctus Vrſinus, huius noſtræ Bituricæ ciuitatis Archiepiſcopus, cùm abhinc aliquando iratus diſcederet, hanc iracundiæ ſuæ notam villæ huic reliquit, vt eo diſcedente irato, ſilentio ſuo pulli gallinarum ſanctitudinem eius teſtarentur, quam bruti homines non ſentirent. Et Martinus: Satis eſt, inquit, innocentes aues tantas luiſſe pœnas, nec frater noſter Vrſinus, credo, iraſcetur, ſi eas vice eius abſoluimus, quas ille ligauit. Et addidit: Afferte mihi, inquit, annonam; cúmque frumentum attuliſſent, benedictum auibus dare iubet. Mira res! Videres volucres acceptâ benedictione Martini, nouo quodam tripudio reſultare, nouâ voce redditâ decantare Martinum, Martini præconia, ac ſi ſenſatis vocibus iubilarent. Quibus geſtis, Martinus Miſſas celebraturus procedit, leproſus ſupradictus deuotus ab ore Martini pacem accepit, ſacro-ſancta myſteria de ſanctis eius manibus ſumit. Tunc mirum in modum ſingulare illud ſacrificium, quod animæ ſanitatem operari conſueuerat, etiam corporis, meritis Martini, ſalutem operatur. Nam qui leproſus & immundus acceſſerat, viuifico cibo ſaginatus, ſanus & mundus reuertitur; Chriſti gloria in Martino, & in Chriſto Martini potentia prædicatur.

ELOGIVM HISTORICVM SANCTÆ SOLONGIÆ

Virginis & Martyris. 10. Maij.

SANCTA Solongia haud procul Auarico primariâ Biturigum ciuitate, ex honeſtis nata parentibus, in vico vocato, In Valle de Villemond, tantâ ab ipſis propemodum incunabulis gratiâ fuit à Deo prædita, vt & ad ipſius intuitum curarentur infirmi, & dæmones ab obſeſſis corporibus expellerentur, eíque fulgura, venti, aues, pecora, ſimiléſque rationis expertes creaturæ, tanquam primæuo innocentiæ ſtatui reſtituta foret, obtemperarent. Quin & ipſam Virginem die noctúq; fulgentiſſima ſtella ſingulari Dei munere antecedebat.

11. Auditâ Virginis ſanctæ pulchritudine, Principis filius (fortè Vicecomitis, aut alicuius Biturigum Comitis: neque enim quo vixit obiitve tempore beata Chriſti Martyr mihi hactenus liquidò compertum fuit, quamuis non ignorem quæ de Bernardo Comite, & Frotario Archiepiſcopo ab anno dumtaxat 876. ad 884. Bituricenſem ſedem obtinente, ex quodam MS. codice Cœnobij RR. Patrum Auguſtinianorum paſſim circumferuntur.) eam ſibi coniugio ſociare decreuit, raptámque ac reluctantem, & minas non ſecùs atque vana promiſſa conſtanti animo reſpuentem equo impoſuit ſuo; vnde illa exiliens iuxta fontem in tranſitu arenoſi cuiuſdam riuuli, ab infano iuuene verſo in odium amore, obtruncata gladio, marty-

rium pro tutanda virginitate perpessa est ab vrbe Biturica, milliario ferè septimo, seu leucis circiter tribus.

III. Ter IESV protulit nomen amputatum Virginis caput, quod ipsa propriis sumens in manibus à fonte, propter quem decollata fuit, ad locum, in quo Ecclesia ipsius in honorem Deo ædificata est, Angelico ductu mirabiliter deportauit, multisque ibidem miraculis splendescere deinceps cœpit, fugatis dæmonibus, effractis carcerum claustris, restituto cœcis visu, surdis auditu, &c.

IV. Summarium hoc contraximus ex nouem Lectionibus, quæ die Maij decimâ in eadem Ecclesia matutinis in precibus recitantur. Memini me quoque in communibus Bituricensis diœceseos Litaniis nomen sanctæ huius Virginis cum aliis annotasse; neque alienum fuerit abs re nostra integrum hîc apponere Hymnum, quo Beatæ merita festis cantibus concelebrantur cum Lectionibus nouem in eius Ecclesia recitari solitis. Vitam integram cum miraculis Gallicè nuper edidit Biturigibus Reuerendus Pater Honoratus Nicquet, Societatis IESV Theologus, & tunc Collegij Bituricensis Rector.

HYMNVS.

Iam gratulemur hodiè
CHRISTO, *Sanctorum gloriæ,*
Qui beatæ SOLONGIÆ
Æterna dedit præmia.
Hæc beata SOLONGIA
Solum Christum puro corde
Dilexit ab infantia,
Immunis ab omni sorde.
CHRISTVM *credens,* CHRISTVM *colens,*
Et amans super omnia:
Sathan calcans, mundum spernens,
Et carnis frangens vitia.
IESVM *quem viuens detulit*
Scriptum in corde ingiter,
Trino sermone protulit,
Moriendo feliciter.
In cælesti collegio
Hæc beata SOLONGIA
Pudicitiæ lilio
Coronatur cum gloria.

Villa-montis honoratur
Odore sui nominis:
Riuus fontis rubricatur
Eius colore sanguinis.
Hæc humanum coniugium
Amore CHRISTI *respuit,*
Propter quod & martyrium
Virgo sancta sustinuit.
Caput abscissum leuauit
Fauente CHRISTI *gratiâ*
Et ad locum deportauit,
In quo nunc est Ecclesia.
In quo sanantur languores,
Ipsius sanctis precibus
Morbi, febres, & dolores
A multorum corporibus.
Laudem, honorem, gloriam
Trinitati altissimæ
Per beatam SOLONGIAM
Psallat chorus dignissimè.

LECTIONES NOVEM.

I. Sancta Solongia in Bituria, in vico vocato, In Valle de Villemond, propè ciuitatem Bituricam, ex honestis & catholicis parentibus extitit oriunda: pulchra facie, sed pulchrior fide; corpore iuuencula, sed animo cana: Deo timorata, & bonis moribus fœcundata: edocta cum Tobia ab infantia timere Deum, & abstinere ab omni peccato; portare etiam iugum Domini ab adolescentia cum sancto Hieremia ad salutem perpetuam considerans esse bonum. Dum enim esset ætatis septem annorum, quo tempore meritò computaretur iuuenis, Deo tamen ipsam clementer præueniente in benedictionibus dulcedinis, videbatur in ipsa mentis senectus immensa: ipsa námque in ætate tenera quibusdam virtutibus, & gratiæ palàm florere conspiciebatur indiciis, quæ copiosior foret super eam in posterum diuinæ benedictionis gratia diffundenda.

II. Nam cùm beata Solongia infantiâ simpliciter domi fideli parentum custodiâ iam transactâ ad annos annos pubertatis transiisset, quo videlicet tempore humani corporis procliuitas per carnis lasciuiam ad multimoda vitiorum genera se solet diffundere, nequaquam concupiscentiæ fræna laxauit: non enim ludebat cum ludentibus, nec cum iis qui in vanitate ambulabant, aliquando participem se præbebat; Deo námque suam pudicitiam ab adolescentia commendauit, ipsum solum

&

Digitized by Goog

& verum sponsum eligens, corruptorem suæ carnis etiam per conjugalem copulam cognoscere & recipere non consensit. Non enim arbitrabatur conueniens res momentaneas, transitorias, vanas, inutiles & caducas præponi debere veris & æternis diuitiis & delectationibus sempiternis. Propter quod mundam semper seruauit animam suam & non diebus neque noctibus à colloquiis diuinis & orationibus cessabat suam pudicitiam commendando.

III. Et quia Deus in sanctis suis mirabiliter operatur, voluit quod ipsa quam tantis interius in anima repleuerat Karismatibus gratiarum exterius per miracula mundo clara colendáque diuinæ virtutis testimonijs appareret, vnde tantam gratiam est à Deo mirabiliter consequuta, quod ad ipsius intuitum curarentur infirmi sicut enim legimus quod ad vmbram B. Petri Apostoli curabantur infirmi, sic & ista Deo dilecta Virgo, si quemquam in infirmitate positum conspiceret, confestim ab omni ægritudine curabatur. Accepit etiam à IESV-CHRISTO amabili sponso suo propter carnis & spiritus munditiam super immundos spiritus potestatem. Nam dæmones ab obsessis corporibus expellebat: & quia obediendo Christo ad placitum legem Euangelicam pura mente seruabat, tanquam foret ad statum primæ innocentiæ restituta, creaturæ irrationales eidem tanquam à Deo subiectæ obediebant ad nutum, ac si Propheta Dauid de ipsa vaticinatione vetidica prædixisset: *Omnia subjecisti sub pedibus eius; oues & boues vniuersas insuper & pecora campi: volucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Quando enim ventis & fulguri imperabat, statim malitiam amittebant. Aues etiam & pecora si quæcumque damna in parentum suorum & proximorum segetibus inferebant, continuò ad ipsius imperium recedebant.

IV. Igitur Virgo Solongia ætatem moribus prætergrediens tenebrosam dæmonis fallaciam, caliginosámque carnis voraginem, necnon mundanarum rerum horrendum cahos spiritus claritate cognoscens splendorem lucis æternę & speculum sine macula IESVM tota mente, fide & dilectione sequuta ab ipso D. N. I. C. verâ luce micantis sideris splendore fuit visibiliter honorata. Nam ad serenitatem & claritatem animæ ipsius Virginis declarandam misit sibi Deus stellam quandam fulgentem & claram quæ ipsam Virginem die ac nocte antecedebat, quatenúsque ad orandum vel psallendum Domino procederet, disponebat. Erat reuera condignum vt Solongia quæ solum Solem iustitiæ interius gerebat in pectore, siderei luminis splendor exterius refulgeret in corpore. Audiens siquidem filius Principis patriæ famam Virginis Solongiæ quæ pulchritudine sapientia & bonitate similem non haberet, cucurrit ad locum anxius animo cogitans quatenus ipsius conjugio frueretur.

V. Perueniens itaque lasciuus iuuenis ad locum in quo Virgo pudicissima residebat, visa tanta pulchritudine, amplius igne ardentis libidinis bulliebat. Verùm quia cautum erat legibus, ne quis virginibus inferret molestiam violenter, cœpit eam ad sui amorem variis promissionibus necnon blandis sermonibus protinus inuitare. Patrem namque suum dicebat esse Principem patriæ diuitijs potentissimum, quarum successio ad ipsum, vt dicebat iure hæreditario pertinebat; pulchritudine etiam, nobilitate, ac fortitudine præcellere cæteros se iactabat, nec posse sibi similem in prouincia inueniri. Promittebat etiam, quod omnium bonorum suorum ipsam dominam faceret si voluntati ipsius gratum præberet assensum. Beata verò Solongia in Christo firmata vanas promissiones & verba inania, necnon iuuenis elatam iactantiam mente firmissimâ contemnebat. Ipsa verò in gratia Sancti Spiritus solidata & vera sapientia illustrata, horrens iuuenis connubia, sic eum creditur fuisse affata: Illi æterno & optimo Domino meo IESV-CHRISTO qui pulchritudine, sapientia, virtute, potentia, & omnium bonorum abundantia præcellit omnia, fui ab infantia mea, sum & ero perpetuò dedicata, propterea ipsi soli seruo fidem qui me per suam gratiam desponsauit.

VI. Cúmque Virgo sancta talia iuueni respondisset ipsius connubia paruipendens, in amore Christi constantissimè radicata, iuuenis flagitioso deceptus amore ad inferendam molestiam & violentiam Virgini se conuertit. Volens itaque leno sacrilegus sponsam Christi rapere & thesaurum pretiosissimum virginitatis violenter auferre, Virgo Christi fugæ quærens præsidium declinauit à loco. Tandem insequitur prædo sæuus, captámque rapit velociter & super equum ascendens,

ipsam verò super collum equi antepositit & cursu velocissimo fugiens deferebat. Tunc virgo sancta se videns inter duo discrimina constitutam, velut altera sancta Susanna, cui vel castitatis dispendium, vel mortis periculum imminebat, plus elegit per Martyrium incidere in manus hominis, quàm virginitatis amisso lilio derelinquere legem Dei sui. Quare de manibus lupi rapacis exiliens iuxta fontem in transitu riuuli equo lapsa sponte cecidit in grauella. Tunc insanus ille iuuenis videns se à Christi virgine vilipensum, amorem mutat in odium, matrimonium in homicidium, & sæuus corde, manu sæuior arrepto gladio caput Virginis amputauit.

VII. Decollata Virgo Sanctissima terram tenebrarum & miseriæ pro terra remissionis & æternæ gloriæ Martyrij titulo felici commercio commutauit. Equidem IESVS-CHRISTVS has pœnas omnium rationum viuentium conuenienter iudicauit, quòd illa quæ in conualle huius miseriæ lilio conuallium resplenduerat venustate pudoris, in montibus æterni luminis flore campi per palmam Martyrij redoleret. Vt pote quia dilectus fidelis IESVS-CHRISTVS tanquam botrus Cypri inter mentis ipsius vbera per gratiæ dulcedinem inuitata felici quiete pausauerat, veluti myrrhæ fasciculus per mortis amaritudinem ipsam, per glorioſa miracula euidenter faceret redolere. Nam & caput ipsius truncatum à corpore ter IESVM-CHRISTVM meruit nominare. O verè digna anima quæ veri botri dulcedinem intra tui cordis vasculum integro corporis dono per totam vitam seruaueras, calcato torculari per passionis Martyrium, ruptóque corporei vasis spiraculo, odorem tanti nominis non potuisti aliquatenus continere! Verè Beatę Magdalenæ spirituale sequuta vestigium quæ fracto alabastro pretiosissimum vnguentum effudit super caput Domini & domus impleta est ex odore vnguenti. Nempe, Virgo sanctissima, fracto per passionem tui pretiosi corporis alabastro nardus tui nominis, dum esset in accubitu suo, dedit suauitatem odoris, quo vniuersa domus Ecclesiæ odoriferis gratiarum muneribus est impleta.

VIII. Igitur felix Solongia ad laudem Dei de seipsa duplex in vitæ suæ vespera obtulit holocaustum, corpus videlicet per salutarem victimam passionis exterius in atrio deuotè sacrificans, & animum per feruentissimam charitatem in templo interius per continuum orationis studium offerens thymiama. Dedit enim caput corporis pro Christo capite fidelium animarum. Dum enim truculentus carnifex caput Virginis amputasset, ipsa caput suum propriis sumens in manibus à loco in quo decollata fuerat vsqûe ad locum in quo Dei prouidentia & sua electione honorificè requieſcit, ductu Angelico mirabiliter deportauit, in quo loco à fidelibus personis Deum timentibus fuit honorificè tradita sepulturæ. Ibidem enim processu temporis, fauente Christi clementia & fidelium deuotione iuuante, in ipsius nomine fabricata est Ecclesia quæ vsque hodie à sancta Solongia per totam Bituriam nuncupatur.

IX. Quàm verò hæc Virgo glorioſa in vita eximiæ sanctitatis extiterit post etiam transitum multis miraculorum prodigiis superne bonitatis magnificentiam dignanter ostendit. Dum ad eius inuocationem & merita, si tamen petentium fides & deuotio suffragetur, omnipotentis Dei virtus cæcis visum, surdis auditum, mutis verbum, claudis gressum, ac paralyticis sensum restaurauit & aridis, insuper confractis & ruptis salutem integram reddidit: inclusos carceribus potenter eripuit: ex obsessis corporibus dęmones effugauit. Transiit autem B. Solongia in pago Biturico ab vrbe Biturică milliario fere septimo, truculenti homicidæ decollata gladio propter custodiam castitatis. Cœpit autem virgo sanctissima continuò, vt dictum, est multis & magnis coruscare miraculis, vt sublimitas sanctitatis eius Dominicæ faciei super radiante respectu quæ viuens in carne per exempla perfectæ iustitiæ innotuerat mundo, ipsa iam regnans cum Christo ad omnem fidei firmitatem per miracula Diuinæ patientiæ comprobaretur in cœlo. Innumera quoque in diuersis partibus ipsius meritis exuberare non cessant beneficia Dei, sicut experiuntur frequenter incolæ regionis illius qui in suis aduersitatibus, periculis & necessitatibus per Beatissimam Virginem Solongiam fideliter inuocatam se sentiunt exauditos, præstante D. N. I. C. qui cum Patre & Spiritu Sancto regnat in sæcula. Amen.

MIRACVLA SANCTI SVLPITII PII Archiepiscopi Bituricensis.

Auctore Anonymo, sed antiquo, qui vitam eiusdem sancti Præsulis se scripsisse profitetur.

Descripsi ex Codice MS. 851. Abbatiæ S. Victoris Parisiensis : in quo post Vitam à RR. PP. Joanne Bollando & Godefrido Henschenio editam, sequuntur istæ virtutes Miraculorum, quæ post transitum eius factæ sunt.

PRÆFATIO.

INstaurat nostra molimina ad humana murmura renouanda Beatus Sulpitius dum vitam virtutibus probat. Quamuis lege obitus dispoſuerit carnem, tamen sine carne superstes adhuc cernitur atque tenetur quærenti adsistens, & se numquam abscondens precanti. Et quoniam pollicitum me dudum in parte superiori, quam de vita ipsius illustris ore indigno edidi vobis fuisse reor, vt de insignibus miraculorum quæ post siderea penetralia fultus triumphator egregius gesserit breui sermone plura perstringerem. Nunc tempus adest de tanta mole potentium virtutum exiguam saltem contingere partem. Quamquam vniuersos fines ab eius virtutibus ac si solis splendor miraculorum claritas refulsisset, tamen è multis gestis paucissima tangam. Scilicet non ornato politóque sermone, sed causis manifestis obstupendisque laudes aggrediar extollere tanti Patroni: & quali signo virtutis primò claruerit in fronte lectionis prætexam.

I. Cùm artes quorumdam opificum erga tumulum glorioſissimi viri penetralia quęque opere celeri decoris gratiâ explerent, vtique rutilante bacca vel diuersorum coloribus lapidum refulgeret, ardentique desiderio labori insisterent iugi, dumque vnius diei spatium de patientia vel miraculis ipsius Sacerdotis quæ in corpore Deo placito gesserit mutuo conferentes peregissent ieiunando diem, vigilando tenebras, tempus vtrumque duxerunt, ita vt facto mane canerent cum Propheta: *Oblitus sum manducare panem meum à voce gemitus mei.* Et arripientes opera assueta dictis talibus preces fuderint: Dei Sacerdos Sulpiti, adesto iam reuisere celeriter gregi derelicto quem quondam præaffectu fouisti & animas quas ob tui amoris contemplationem hesterno ieiunare fecisti, hodie iam refice fessos. Necdum preces compleuerant, & ecce inter marmorum fragmina reperiunt aureũ probum cui Cæsaris antiquissimi manebat expressa figura: exultantes subitò ac trementes, nemo interea audet cęlestia attingere dona, tandem indicant Monasterij Patri. Tum ille concito properat cursu, & cum Sacerdotali cætu leuat cælestia cum canticis dona. Iámque salutis præcepta mitia indulget sanè in refectione artificum reperit fermè pondus medij sicli.

II. Cúmque salutis humanę velut lucerna in sublimi posita fulgens gratia reluceret, & penetralia vrbis rumoris flamma lustraret: ecce subito Maurinus cæcus de Materiaco fundo dum præcedente duce infra mœnia stipem quæreret, vbi talia comperit cursu veloci, magis pendente de latere duce quàm fronte præcedente properat, & vbi veneranda requiescunt membra, prostratus occumbit. Et mox de illo vasculo ante tumulum B. Sulpitij suspenso liquere huic cæco litis oculis cœperunt refetata patescere limina, & infusæ paulatim adsuescere luci quam ætas amiserat tenera, & sentiens percepisse egregia lumina tantæ gratiæ famam vbique respersit per ora. Nam senem quendam de ordine Leuitarum Monasterij pater qui hodie superest, vt ab ipso didici, iunct s comitibus fouit à Monasteriolo quod Sorbarius dicitur digressum. Cui obducta nube oculorum latebat visus & infusa tenebris fermè 30. per annos macularum tegmina priuauerant luce. Vbi se miserum clamitans Abbatis obtutibus intulit tenui liquore oculis infuso illico tegmina suspensa & vix fugata: didicit iam redditam captiuam cernere lucem.

III. Postquam hoc virtutum opus celeberrimum ciuitatis mœnia compleuisset, certatim occurrentes cuncti quorum vel mentes dæmones vel corpora morbi obruerant, orantes medelam membris, hi gressus stabiles, hi sensus recipientes exultantes abibant. Præcipuè tamen è cunctis, quid cuidam, Landegisilo nomine, quem Dæmonum turba totum captiuum iure tenebat per intercessionem famuli sui Christi contulerit gratia, dicam. Dum acerrimè more venantium bacchans, nemorum quodam die efferus secreta lustraret, dæmonum telis impetitus cessit repente, pectúsque fœdarum legionum effecit templum. Cúmque socij tandem procul eum reperiunt, nec valent pauci vincere furentem qui cunctis debacchans, & dentibus frendens venenato ore efficiebatur sodalium hostis. Interea vndique vallatum catenis muniunt, tetrum ad vrbem prouehunt, ad locum pertrahunt tumuli sacri. Tum dæmonum legio fallax per obscessum corpus in modum organi varias exprimit voces, & nunc vibrans venena serpentis sibila perflat. At vbi ante sacrum sepulchrum ventum est, inter trahentium manus adjutus dæmonum ope solutus ferreis nodis septa sancti Sepulchri vt penniger repente transiliit. Nec mora hostis enixiùs cœpit sæuire iam perditus, frendere maxillis, dentes nudare minaces ingentem exercens morsibus iram. Dum fugiunt trepidi nec quisquam obsistere audet. Quid moror? Vbi regnum sancti corporis molitus conscendere, tactum est manibus noxiis, artus neruique cœperunt nigrescere protinus & collisus repente post tergum terram corpore pressit. Turbantur cuncta tumultu spargens innumeros per credula corda pauores. Illico is cui officium erat, excurrit ex dicto liquore perfundere semianimem: & subitò ejecta dæmonum turba per triduum contexuit solum. Tandem quasi à sopore excitus graui in semet paululum reuersus quidnam sibi ignoranti accessisset à sociis percunctatus & gesti notam agnoscens longa de pectore suspiria trahit. Et confestim aduolutus genibus Sacerdotum orat vt non solum mentis, verùm quantocyus sæcularem deponeret habitum. Et accepta forcipe capitis sui propriis abscidit cæsariem manibus: mentéque alacri repedauit domum: & nisi fallor incolumis hodie supersit.

IV. Nec longum post tempus de Baguriaco fundo, qui est in conspectu Basilicæ Sancti vxorem suam quidam arreptam ab immundo spiritu ardenti fide ad limina templi proijcit, & his verbis intulit preces. Te exoro Antistes Beate, Angelorum consors, hominum salus, horribilem propellas de vxoris meæ corpore morbum, reddásque mariti natorúmque tenerorum solatia vitæ. Tunc vbi ante sepulchrum gloriosum fecit stare, collisa repente procubuit, simulque dæmon illico purgato corde fugatur. Tunc vir exultans cum vxore mente alacri domum remeat ouans.

V. Exhinc quidam à Sedonno Colonia quæ duodecim millibus fermè à Basilicæ atriis distat, vinctus offertur in Templum cuius spiritus ater mentem immundam impleuerat lacerans virtute furoris quoscumque attingere valuisset. Nec poterat rapidum quisquam retinere furentem, nisi ferreis vinculis cathenarum & nisi à pluribus comprimeretur. Inter manus trahentium vincula quæque rumpebat & obuios quoscumque laniabat. Cúmque dura ceruix dæmonum adstricta habenis orationi procumbere reluctaretur, vi Sacerdotum & vulgi quod sequebatur oppressus, oleo sancto perfusus, illico ab eo acerrimus abiit dæmon, & sic graui pondere discusso admirans exultabat iam sospes de donis supernæ salutis.

VI. Quidam sub religionis habitu Aurelianorum à finibus quem totum obsesso fœdarat corpore lepra, ad veneranda procubuit Antistitis membra: precatur auidè vt tamdem careat languoris pondere tanti. Semet interea poscit liquore perfundere sancto. Vnctúsque lurida membra, renouatur paulisper, suam carnem miratur, niténsque cutis æquiparat gratiam puerorum. Et ita demum exultans properat reuisere patriam incolumis.

VII. Sub tenebris ab vtero degens quædam puella cum parentibus properat ad tumulum sanctum & ex necessariis vnus alumnisque Pontificis, pene omnium ciuium charus & notus, quem febriis iugi lege recursa ad quartum reditura diem ita semper repetendo ruinas consumpserat, vt afflictum corpus nihil medelæ sentiret: dum strepitando terræ prostratus ventura patitur die; hæc verò solo adhærens salutis sustinet dona futuræ ad sunt vtrisque subito ætherea dona. Ipse sentit paulatim mollito corpore suis medelam infundi venis: hæc verò attactu parui liquoris suspensa tegmina macularum vix amota oculis didicit iam reddita ferre acies lumenque nouum mirata recepit. Vterque iam sospites redierunt ad propria.

Digitized by Google

VIII. Nec sanè prætereundum quod iuuenis quidam ad sacrum dehinc sepulchrum offertur cui sæuitiâ dæmonis rapta fuerat visus auditúsque substantia. At vbi perunctus oleo propulsus fuit de pectore dæmon. Sanè redierunt officiis sensus & rudis homo in sermonibus è quibus per duodenos ferme annos neque vnus aures eius penetrauerat per magisterium comitum ad puerilia verba redactus quasi in cunabulis fari nitebatur. Et ita recepto dono salutis permanserunt in officio membra.

IX. Exhinc Doda quædam ex Neuernensium mœnibus diuersorum humeris euecta cuius ita nerui marcuerant, vt genua genis & planctæ adhærerent natibus, vbi curuato corpore & conglomeratis artubus illata sepulchro manibus vlnisque trementibus perfusa sancto liquore sanatur, nullóque indigens adminiculo ad suum remeat diuersorium.

X. Quemdam ex Sapaugia pago horrido morbo intexerat lepra. Hic cupiens corpus fœdatum de vnguento sancto habere linitum, ante glorioſum sepulchrum pauimento membra prosternit & semet aptans sub exundante lucerna sensit per membra salutem & dispergi celerem renouatum in carne nitorem.

XI. Nequaquam latent quæ erga Consortiam quandam eximio perfunctam honore, parentibus claram, celsam sæculi dignitatibus, vxorem Esonis, qui quondam culmine moderaminis Galliarum partem rexit, gesta sunt. Quæ etiam ipsius sancti Sacerdotis charitatis lege ob probitatem morum carissima fuit. Nam cum Massiliæ mœnibus consumpta graui morbo teneretur, irrumpit à pro foribus quidam & secum de oleo lætitiæ nostræ parum liquorem detulisse fatetur. Cúmque turba plangentium Deo gratias & laudes de dono supernæ muneris resonaret, protinus oblato liquore totis compagibus irrigatis, propulso vitiati fellis morbo, veterem expellit subita virtus dolorem. Reddita igitur pristina virtute mox mirante populo mulier valida surgit & dat laudes Deo per sancta altaria.

XII. Cum fidelis quędam Bella nomine ex Carantomago (forte Argentomago) fragrante in pectore fide de sæpedicto sancto liquore lenticulam suam à Basilicâ millibus fermè 30. absque vehiculo senili iam corpore ad suum diuersorium deportasset, & in quadam cellula sublimiter candidis tecta linteaminibus collocasset, illico cellulam sacrans ad venerabile donum quod detulerat iugiter preces & ieiunia geminans excubias omnibus pœne noctibus celebrat. Tandem manibus vlnisque trementibus, amotis velis parumper attrectat lenticulam: ecce densæ refulgent aureæ vndique sparsæ per vasculum guttę, & fletum fundens præ gaudio nunc suspiria longa de pectore trahit, nunc terram corpore premit, nunc ad limina satagens pergit propinquorum duntaxat euocare cateruam. Et ne diutius morer, quosdam de fratribus in Monasterio eminus sito conuersantes protinus euocat & gesta per ordinem cum lachrymis fatur: stupent mirantúrque pariter vniuersi, aspirant sursum credentium corda. Alij interea sanctum liquorem vertisse in aurum putant, alij industria artificum auri fragmenta in eodem vasculo inserta aiebant. Sed Dei athletæ ad corda dubia roboranda lenticulam vacuant, liquorem in concaua fundunt, infusámque lymphis curiosius mundant & attrectant, nec quicquam ex auro in vitro reperiunt. Repleto vasculo oleo rursum mirum in modum sparguntur vndique aureæ guttæ & insertæ rursum vitreo crate vsque hodie permanent fidelium in admiratione.

XIII. Nec multum post tempus à Phrotinas prædio ipsius Pontificis quædam fœmina in grabato euecta ex dicto liquore est peruncta firmatis corporis vsibus statum sanum ad suam domum propriis humeris vectat.

XIV. A Lemouicorum vrbe cœcorum se bissenus numerus offert in atriis templi, flexoque poplite curuis genibus magno murmure perstrepunt: sancta interea penetrant, tumulum vallant, genas lachrymis rigant, pectora verberibus tundunt. Quid multa? Nec mora, cœperunt fidelium pectora post spatia longa nouam cernere lucem. Et paulo post surgentes atque in se agnoscentes dona superna incolumes ad propria repedarunt.

XV. Cùm viri ex Turonorum Pictauorúmque mœnibus charitatis lege connexi Christi iussa complentes omnibus suis renunciatis ad sepulchrum B. Sulpitij orationis causa properassent & Massiliæ consensa naue ad Orientalem axem pergerent, exorta tempestate, injectóque in fluctus olei liquore sedatâ, nautæ inter se affatibus conferunt quæ tanta qualisque sit ei promissa gratia, vt sola inuocatione nominis eius, etiam

freta concita meritis submittant colla. Egressi igitur ex classibus in Africanum latem templum in eius nomine miro opere extulerunt, in quo signorum variis modis Christo largiente refulget.

XVI. Cum vnus ex Mauritiroronno * Diœcesi de fœnore suo quendam reposceret, tandem dementi temeritate is cui fœnus creditum fuerat reluctans abnegat ac mutuata reddere renuit. Vtrique iurgant: iusiurandum fœnerator ab æmulo flagitat, locum eligit ad venerabile sepulchrum: aduersarium euocat, viam cum eodem carpit, piè monet vt inductam partem pecuniæ mediam soluat & sub ira cælesti ne crudeliter ruat. Is autem cui mente vesana totam captiuam iure tenebat persistit negans & cum eminus oculis infidelibus mœnia vrbis circumlustraret, vbi intuitus est aulam Regis superni, dentibus infrendens serpentis sibila perflans, post tergum allisus corruit & protinus efflauit miser spiramina vitæ. Etenim sceleri suffragia sancti fidelium medela dispiciunt cùm velox ex supernis præconiis infidelium digna illabitur vltio. Et quia interdum iniustos iusto terrore diuinitus cogit cælestis gratia virtute sentire, vt sæpe rebelles præcepta Regum ad verbera cogunt.

XVII. Recurrente glorioſi Antistitis natalis die dum excuteret quidam purgarétque aream, à proximis arguebatur cur ob metum sancti Pontificis cuius dies placitam omnibus quietem tribueret, seruile auderet exercere opus solus. Non Deus, inquit, sed homo nostri conditione par Sulpitius iste. Subito arentibus venis obriguit neruorum cuncta compago. Et virgam quam sacrilega manu teneret astrictam repente gerens reus pœnitudine fera cum corpore morbido ad sanctum properat tumulum: & quem paullo ante mens superba despexerat, nunc enixis vocibus humiliter inuocat. Vbi stipante agmine Sacerdotum contractior absque succo manus extendi non valeret ex liquore laudabili demulsa paulatim arentes artus venarum humore rigantur. Et extensa manu virga adhæsa procul extemplo resilit. Diuino verbere cæsus repedauit sospes ad propria lætus.

XVIII. Obsidione quadam ex reipublicæ prædio exhibentur vincti in vrbe ferme 70. traduntur vinculis rei astrictis nectuntur ergastula membris, statuitur regalibus iussis tempus in quo alij distentis membris malè pendula carne exponerent cruciandos artus, alij facibus consumpti, alij truncati interirent. Interea magis gemitu quàm verborum sono proclamant suffragia sancti Sulpitij: soluta caternæ vincula de collo prosiliunt. Et cum se se rumore placito mutuò exhortarentur, custos carceris obseruans eminus audito fragore reos non nexos pene spiritum efflat, & non superno, sed humano ingenio, aut per carmina Mathematica (fortè Magica) vincula tanta putans feciſſe soluta rursum lictorum accersiens ministerium curiosius nudos artus nectit, claustra munit, caput concutit, cædem ante tempus minatur. Interea dies adest expectata votis, & crassa caligo vrbem inuoluit obtectam. Grata quies blando sparserat sopore pectora militum, marcebant oculi somno custodum, adsistunt humanæ vota salutis & iterum ceciderunt catenæ quæ pallentum stringebant colla reorum, subito omnium vincula soluuntur & carceris septa: certant gratantes sanctos penetrare aditus & attonitis cunctis ingrediuntur atria Templi. Iam verò hoc donum quæ dignè lingua loquatur sic auxilium affuisse reis vt cuncti trepidas penetrarent cateruas & nemo eis inferre moliretur aduersa quos dextera Christi suffragante famulo tuebatur.

Aderat demum quarta Sabbati dies, & quidam sacrilegus nefanda temeritate duos fortioribus vinculis reos in templo munit mirum in modum, vt ſub innumeris testibus clarescceret gratia Christi: denso agmine templum stipauerat vulgus. Et ecce dum solemnia celebrantur diuino contrita malleo vincula intuentibus ac mirantibus cunctis procul salierunt. Interea currit vndique sexus & ætas omnis adest, vacuæ residunt custodibus ædes & vocibus omnium in cælum attollitur clamor, ab omni cætu referuntur debitæ laudes; Christum linguæ per omnia sonant, Christum per omnia laudant. Quid mirum est eadem Dominum fauentem compleſſe per seruum qui plura ministris spondere dignatus est, quorum sursum sublimia corda vocauit.

Hæc pauca ausus præpete percurrere verbo signaui indoctus populo relegenda fideli. Qui quærit scriptum parum mirabitur, gesta mirari satis est quod talem Antistitem post longa vrbs Biturica promeruit tempora & perpetuo gaudet plebs vniuersa patrono eo largiente qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Go

Vnum alterúmve omiſi & pauca identidem reſecui aut mutaui, ne frequentibus ſtribiliginibus & barbariſmis lector offenſus ſcriptorem ſimul exſcriptorémque damnaret.

Inter excerpta Reu. & Ill. Domini Monſpelienſis ex MS. Codice Vitarum qui extat apud V. C. Franciſcum Ducheſnium, reperi fragmentum ſequens ex vita S. Sulpitij Bituricenſis Epiſcopi pag. 410.

Poſcente Auſtregiſilo Bituricę vrbis Epiſcopo Theodericum Principem, vt ſibi licentia daretur participationem docendi ei in Eccleſia tradere eò quod ad ipſum doctrinæ gratiâ multitudines conuolarent. Honora Regia defertur auctoritas vt deciſa cęſarie Clericatus ſuſciperet onus. Et ſuccedentibus gradibus anno ex eo amplius præpoſitus cæreis Leuiticum adeptus officium Eccleſię miniſtrauit. Interea magis magiſque ſignorum gratia cingebatur. Et cùm à fidelibus de eo Clothario Principi fuiſſet ſuaſum, illico ab Epiſcopo poſcit, vt pro ſalute ſua ac exercitus ſui licentia daretur, & vir beatus in ſuis caſtris Abbatis officio potiretur.

ELOGIVM HISTORICVM S. SVLPITII, cogn. SEVERI, Archiepiſcopi Bituricenſis.

Ex Breuiario Bituricenſi anno 1587. excuſo.

SVlpitius cognomento Seuerus, primus huius nominis, Bituricenſis Archiepiſcopus ordine vigeſimus ſeptimus, quantò nobilioribus natalibus, tantò moribus floruit clarior: qui vt ſe ad Diuinum præparabat miniſterium, prima Clericatus ſui initia à SS. Scripturarum lectione auſpicatus eſt.

Interea defuncto vrbis Antiſtite omnium voce ſimul cum Regis Gunthranni fauore, repulſiſque ab eodem Principe hanc dignitatem turpiter ambientibus, hac voce, non eſt, inquit Rex, boni Principis Sacerdotium venundare, ne turpis lucri infamia notetur: neque ſubditorum oblatis muneribus illud comparare, ne labe ſimoniæ inficiatur. Sulpitius Seuerus Bituricenſis Archiepiſcopus & Patriarcha læta populi acclamatione ſubſtituitur.

Qui Paſtoralem curam ita exercuit, vt illi in ſummo honore ſumma eſſet humilitas; malebat emendare, quam damnare, & vt proprium ei nomen erat, ſeuerum ſe vitiorum cenſorem præbebat. Tandem anno Præſulatus ſui ſexto, quarto Kalendas Februarias plenus diebus atque ſanctitate per multas tribulationes ab hoc mortalium ſæculo venerabilis Antiſtes migrauit ad Dominum. Cuius corpus in ædę ſacrâ B. Vrſini honorificè requieſcit.

Plura vide apud R. P. Ioannem Bollandum & ſupra pag. 32. Patriarchij Bituricenſis.

VITA ET ENCOMIA SANCTI VRSINI, SIVE VRSICINI, primi Biturigum Antiſtitis.

Deſcripſimus ex MS. Codice 851. Monaſterij Canonicorum Regularium S. Vrſini in ſuburbano ciuitatis Pariſienſis.

DOmino noſtro IESV-CHRISTO de Maria Virgine temporaliter nato, vt hominem redimeret à diaboli laqueo atque cæleſtis doctrinæ prædicamenta populo in terris tradente, plerique qui prædeſtinati erant ad vitam æternam libenti animo, atque attentis auribus amplectebantur. Qui verò cruciandi atroci gehenna, flammáque perpetuo erant comburendi aſpernabantur, atque nolentes haurire præcepta vitæ, vltro tendebant ad mortem. Quo in tempore Beatus VRSINVS natus fuit in ſæculo qui poſtea renatus aqua & Spiritu Sancto Angelorum modo tripudiat iunctus collegio. Hic autem audita ſaluberrima prædicatione Domini dicentis: *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus: & qui non accipit*

crucem suam & sequitur me, non est me dignus, relicto patre & matre & quidquid in mundo videbatur habere, Domini IESV-CHRISTI disciplinæ perseueranter decreuit inhærere. O felicem discipulum, qui talem ac tantum meruit habere Magistrum sub cuius doctrina omnis est sapientia, sicut scriptum est : *Omnis sapientia à Domino Deo est & cum illo fuit semper & est ante eum.* Miracula verò quæ Dominus noster operatus est corporaliter contemplatus & prædicationis mellifluæ verbis sanctissimis iugiter cum beatis Apostolis persuasus fidei cœpit calore feruescere, adeò vt in numero LXXII. Discipulorum vnus Princeps post Apostolos constitueretur. Qui etiam Dominicis plenissimè imbutus sacramentis inter ipsa Sacratissimæ cœnæ conuiuia ad legendum à Domino deputatus est officio, atque peracta cœna quemadmodum Dominus lauerit pedes Discipulorum non solùm meruit videre ; verumetiam sermonem & mandata suæ dilectionis quibus eos instruere pius Magister non cessabat, dignus est habitus audire. Intuens quoque passionis illius pœnas nimio cum Apostolis affectus est mœroris incommodo. Verum die tertia Resurrectionis diuulgata immensa repletus est lætitia ; & vt omnium careret erroris nebula per dies xl. quibus post resurrectionem conuersans fuit cum sanctis Apostolis loquens eis de regno Dei vir sanctus eisdem interesse meruit.

Denique Ascensionem illius ad cœlos, & quemadmodum nubes susceperit eum ab eorum oculis, postquam intuens fuit, rediens Hierosolymam cum aliis permansit, atque in die sancto Pentecostes omnibus pariter in vno loco sedentibus, sicut in Actibus Apostolorum legitur, *Factus est repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & replenit totam domum, vbi erant sedentes. Tunc apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Et repletus est Spiritu Sancto cum aliis & cœpit loqui variis linguis prout Spiritus Sancti gratia administrabat. O quam admirabilis vir iste, qui eruditus est cum Apostolis, electus de plebe, vocatus à Saluatore, Spiritus Paracliti corroboratus piâ consolatione ! Igitur longum est reuoluere quam plures Iudæos sæuos & Gentiles perfidos ad fidei Catholicæ culturam iussus ibidem à Beato Petro Apostolorum Principe aliisque sociis conuerterit. Sed & illud dignum est relatu quod in prædicatione Protomartyri Stephano fidelissimus, quousque à Iudęis lapidatus fuit, exitit socius. Cuius postea collegit diligenter fusi sanguinis guttulas & secum pro illius commemoratione detulit, sanctúmque corpus illius cum viris timoratis sepulturæ tradidit. O beatum virum geminæ dilectionis ardore feruentem, qui Iudæorum minis non exterritus non solum officiosissimè curauit Protomartyris exequias adimplere : verumetiam collecti sanguinis reliquias cum magno tractauit honore. Scriptum enim nouerat : *Honorandi sunt amici tui, Deus.* Postea verò reuersus ad B. Petrum Apostolorum Principem, omnia quæ sibi acciderant & quanto dolore afficeretur pro amisso socio per ordinem narrauit. Ad quem Petrus ait : Oportet nos, Fratres carissimi, prædicationi operam assiduè impendere: messis enim multa, operari autem pauci. Ergo mecum labora & sis adjutor & particeps in tribulationibus nostris, quoniam qui plus laborat plus mercedis accipiet.

Postquam hæc sibi mandata sunt in omnibus & per omnia quæ gerebantur à B. Petro diligenter curabat quasi fidelis & prudens seruus obedientiam præbere. Fuit enim cum eo in resurrectione Tabithę & in paralytici Æneæ curatione. Præterea quod fuerit cum eodem quando venit Cæsaream ad Cornelium Centurionem virum religiosum perlongum est retexere, qui meruit admoneri ab Angelo, manifestè vt mitteret propter Petrum qui ostenderet quid eum oporteret agere. Quid plura ? Cum prædicto Apostolo venit vsque Romam, vbi & vidit quem quantúmque conflictum cum Simone Mago gesserit, & quomodo in adolescentis defuncti resuscitatione eum vicerit & volantem à dæmonibus sustentatum ad terram prostrauerit. Cúmque ob huiusmodi factum crucifigeretur B. Petrus ex præcepto Neronis Imperatoris, ante crucem B. Vrsinus vnà cum fidelibus Christianis planctum & gemitum facientibus plorans & gemens affuit. Quos blandè & benignè de cruce consolatus est dicens : Nolitè flere, sed gaudete mecum, quia vado parare vobis locum : & sicut tradidit mihi Dominus meus IESVS-CHRISTVS potestatem ligandi & soluendi, principémque me vobis constituit : sic & ego Clementem accepta ligandi soluendiq; potestate principem vobis constituo virum iustum, mansuetum, Deúmque timentem & homines diligentem. Huius ego sanctitati Ecclesiam committo regendam, vt ad

plagas

placas terrarum quibus est adhuc nomen IESV-CHRISTI incognitum, strenuos mittat & fideles Prędicatores. Nam per os Psalmistæ Spiritus S. de nobis prædixit: *In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.* Suscepta igitur B. Clemens cura Ecclesiæ sollicitus eorum quæ sibi à B. Petro Apostolo fuerant commendata, vt fides Catholica per omnia esset climata prædicatione fidelium propalata prædicatores disertos & constantes in fide ex tota assumpsit Ecclesia, beatissimum Vrsinum, Dionysium Athenienſem ab Apostolo Paulo conuersum, Martialem, Saturninum, Trophimum, Paulum, Austremonium ac Gatianum & eorum discipulos quos sic allocutus est. Oportet, inquit, Fratres charissimi, doctrinam sancti Euangelij nos prædicare per vniuersum mundum & annunciare regnum Dei, vt idolorum cultura quæ per diabolum adinuenta est, expellatur, & fides Christiana quæ vera est, mentibus hominum inseratur, vt omnis mundus postposita vana superstitione, vni Deo seruiat, à quo conditus est. His & huiusmodi à beato Clemente instructi documentis atque accepto ab eo pacis osculo flentes ab inuicem Româ egressi Christi milites inuictissimi recto itinere Galliarum fines ingressi sunt. Tunc Dionysius Martyr Parisius vrbem, Saturninus Tolosam, Martialis Lemouicam, Trophimus Arelatum, Paulus Narbonam, necnon Austremonius Aruernenſem expetiit vrbem.

Sanctissimus verò Vrsinus cum suo tantùm discipulo meritis & nomine Iusto Bituricenſium fines, ducente Spiritu sancto, ingressus est. Cùm autem ipsius ciuitatis mœnia adire deliberasset vt prædicationis Euangelicæ semina in ea spargeret, contigit discipulum suum febre valida infirmari. Qui etiam milliario ab vrbe nono in orientali plaga super Vtrionis alueum vltimum claudens diem feliciter migrauit ad Christum. Cuius corpus B. Vrsinus prout potuit ibidem multùm tristis sepelire curauit. Porrò ab incepto itinere non desistens solus ad eandem vrbem peruenit intrepidus, calore fidei armatus, & Domini munitus auxilio dicentis; Nolite timere, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Succedente denique aliquot dierum curriculo, Diuina cœpit proferre dogmata, disputans de Fide Catholica & adhortans recedere ab idolorum cultura quæ sunt ab hominibus condita, oculos habentia sine visu, aures sine auditu, nares absque odoratu, manus sine palpatu, pedes sine gressu, sicut dicit Psalmista: *Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, &c.* Docebat itaque sanctissimus prædicator credere in vnum Deum creatorem omnium rerum, statuas & idola non Deorum, sed dæmonum aut igne cremare aut in fluuios præcipitare. Ad cuius inauditam prædicationem pauperum & inopum vtriusque sexus stupens ad eum conuenire cœpit non minima multitudo. Quos ad agnitionem veri Dei peruenire cupiens magis atque magis prædicatione reficere non cessabat. *Esurientes implenit bonis & diuites dimisit inanes.* Demum etiam ipsi potentes fama prædicationis illius à pauperibus cognita, ad hæc eadem cucurrerunt audienda: ad vltimum inspirante Spiritu Sancto qui per os illius loquebatur, majoris dignitatis viri nobiles non solùm conuenerunt, verumetiam credere in vnum Deum audita prædicatione illius professi sunt. Baptizata est ergo ab illo pauperum & potentum vtriusque sexus non minima multitudo. Tunc aduersarius ille diabolus Christiano nomini semper inimicus, qui primum hominem sua decepit fallacia & à Paradisi gloria sua expulit inuidia cœpit huic seruo Dei multimoda præparare scandala. Suscitauit enim contra eum nefandissimos idolorum cultores qui sibi vehementi obiurgatione studuerunt esse contrarij, dicentes: Quid facimus quia hic homo multos ad Dominum suum conuertit? Si dimittimus eum sic, omnes sunt credituri sermonibus illius. Auferamus de medio nostri hominem Deos nostros blasphemantem, leges & ceremonias patrum nostrorum subuertentem. Nec mirum si discipulum persequi conabantur, qui dominum & magistrum IESVM-CHRISTVM carnaliter inter homines conuersantem incessanter odiis persecuti sunt. Ipse namque discipulis suis sic dixit: *Nolite mirari si odit vos mundus, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Et iterum: *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

Igitur ex more pastorum super lupum oues dilaniantem canes incitantium, sic & Domini seruum hominibus pia verba prædicantem aggressi sunt cum canibus quasi populum deuorantem: & cædentes eum fustibus expellebant à ciuitate dicentes: Recede à nobis; scientiam viarum tuarum nolumus. Qui cùm expulsus & à longè fuisset ab vrbe profectus, in dubio positus quid ageret ignorabat anxius: verùm orationi diutissimè incumbens precabatur Dominum dicens: Domine IESV-CHRIS-

TE qui nos elegisti de mundo & ad cognitionem tui nominis peruenire fecisti, quem etiam per vniuersum mundum annuntiare iussisti dicens: *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* tibi lachrymabiliter preces effundo vt hic populus deceptus errore diabolico, idolorum superstitionem respuat, teque verum Deum agnoscat qui es benedictus in sæcula. Completa autem oratione repente per Spiritum S. admonitus est nihil timendum esse, nec ciuitatem derelinquere quoniam erat possessurus; & cui à Domino antequã mitteretur Archiepiscopus fuerat destinatus. Itaque seruus, vt pote Spiritus Paracliti consolatione releuatus, redire festinauit ad vrbem. In quâ prædicationis suæ semina constanti voce orsus est populo aperire, adeò vt audito circumquaque Christi nomine atque manifestata omnipotentię eius fama, innumera frequentis populi caterua ad eius sacra documenta certatim concurreret percipienda. Et quemadmodum ceruus sit. bundus refici desiderat ab aquarum fontibus, sic & supernæ prędicationis pocula haurire bibulis studebant mentibus. Igitur vnà Domino annuente & sermonem confirmante plebs & Proceres maxima pars Bituricensium superstitione depositâ idolorum, conuersi sunt ad Dominum loti baptismi Sacramento & insigniti sanctæ Crucis signaculo. O admiranda pietas Saluatoris, qui fusis precibus per fidelem discipulum sic molliuit corda Gentilium, vt sponte conuolarent ad percipiendam salutem animarum!

Erat in illo tempore quidam Senator Romanus nobilis genere Leochadius nomine, qui licet sub gentilitatis degeret ritu religiosus tamen erat in actibus. Audierat siquidem de Domino Saluatore ac de sanctæ fidei salute aliquid, sed nondum meruerat ad agnitionem fidelitatis peruenire. Hic autem sub potestate Romani Imperatoris constitutus in Burgundia & Aquitania potentissimè principabatur. Et quia Romanis erat subjectus ideo Regem se appellare non erat ausus. Huius erat Lugduni propria primáque aulæ Regalis sedes, secunda verò Bituris. Propter opportunitatẽ verò aquæ pabulorúmve iumentorum ad portam meridianam vrbis prædictæ idem Senator stabulum fabricare iusserat equorum, vbi postea operante diuina gratia in honorem Hippolyti Martyris Ecclesia est consecrata. Supradicti ergo stabuli locum B. Vrsinus à præfati Principis ministris impetrauit & ejecta inde omni spurcitiâ sanguinem Protomartyris Stephani, quem secum detulerat, inibi collocauit, impositaque custodia, venerationíque honorem persoluens quantum poterat, illic Missarum sacra solemnia ab eodem celebrabantur, vigiliæ ac puræ orationes indesinenter Deo persoluebantur, corporéque credentium sacri baptismatis vnda perfundebantur. Tanta denique fidei Catholicæ fama excreuit, vt pene cuncti Bituricensium incolæ ad audiendum suæ saluationis verbum illuc concurrerent. Miracula non parua in eodem loco per fidelem famulum suum Dominus operabatur. Nam cæcis visum claudis gressum & infirmantibus sanitatem restituebat optatam. Sed cùm iam innumera fidelium multitudo ad eum conueniret, majoris loci studio motus tacita mente secum reuoluebat si cubi dignitatis amplioris locus honorabilior inueniri potuisset, vbi Protomartyris Stephani reliquiæ ponerentur atque perpetuò à fidelibus Christianis cum digno honore venerarentur.

Conuenientibus autem viris ad eum ætate & consilio pollentibus cogitationem sui pectoris aperuit. Illi verò calore fidei feruentes nimio ostenderunt ei præmissi Principis aulam huic honori fore congruam. Quibus ipse respondit dicens: Quomodo tantum munus à tanto viro impetrare valebimus? Cui dantes consilium huiusmodi respondentes taliter dixerunt: si tu parua munuscula illi obtuleris, forte absque dilatione captare valebis. Quibus ipse contra velut paupertatis amator nihil se habere respondit. Docuerat enim piissimus Magister qui hunc cum socijs LXXII. dum ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quo erat ipse venturus, mitteret, sic præcepit: *Nihil tuleritis in via, neque peram, neque in zona æs, neque duas tunicas habeatis.* Hoc præceptum non absurdè vir sanctus audiens nihil habere voluit. Tunc illi persuasis plebibus, trecentos aureos cum magno vase argenteo, quod vulgo affertam vocant, congregantes, Lugdunum, vbi tunc temporis sępedictus morabatur Princeps, sanctum virum hortati sunt ire. Vnde fauens ille iter accelerando peregit. Quo cùm peruenisset iam dicti Principis obtutibus se manifestauit; oblatóque vase cum præmissis aureis, eosdem eiusdem celsitudini præsentauit. At mitissimus Princeps clementer eum interrogauit dicens. Quis, inquit, es? Aut vnde venisti? Aut quo appellaris nomine? Respondit se Omnipotentis D. N. IESV-CHRISTI discipulum esse &

Digitized by Google

Vrſinum appellari vocabulo, & à beato Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore ab vrbe Româ cum ſociis quibuſdam ad Gallias directum fuiſſe ad prædicandum nomen D. N. I. C. Se verò ſolum Bituricenſem veniſſe ad vrbem, Domino annuente vbi non paruam multitudinem acquiſierat. Et ille: Quid, inquit, à nobis placet impetrare? Cui B. Vrſinus reſpondens dixit: Si quod expeto tibi facere placuerit, aulam quam in Bituricenſi poſſides vrbe, altiſſimo omnipotenti Deo & eius Protomartyri Stephano tribues, vbi eius reliquias dignè reponere poſſim. Nutu autem Domini pia voluntas Principis preces ſuſcipiens B. Vrſini ita clementer reſpondit; vtinam Deo cœleſti placuiſſet, vt domus mea domus orationis fieret. Mox beatus Confeſſor Domini Vrſinus pauca cœleſtis vitæ verba illi aperiens quod Catholicæ religionis fidem ſuſciperet atque in fonte ſacro in Chriſti nomine baptizatus exiſteret, exorſus eſt. Præfatus Princeps reſpondens, Taliter, inquit, ſi vitæ ſpatium fuerit mihi auctum, ſummo Deo ſeruire ſtudebo. Quem S. Vrſinus blandis precibus precari orſus eſt illicò vt accepto ſuæ oblationis precio prædictam domum concederet Altiſſimo, in qua ſanguis ſupradicti poni poſſet Martyris. Ad quem continuò reſponſo perſonat iſto: Niſi, inquit, tui contemptorem me diceres muneris ex tuo nihil ſumerem, ſed ex meo potius concederem. Extenta ergo manu ex vaſe ſupradicto tres accepit aureos, & hæc dixit Dei famulo: Reuertere, cœleſtis Domini cultor, reuertere cum muneribus tuis ſubitò & domum quam petiſti à nobis ſuſcipe, atque in honorem Dei tui & eius Protomartyris Stephani dedicare ſtudeto, ſicut viſum fuerit. Ego autem parui temporis ſpatio illuc redibo & de meis rebus quæcumque placuerit tibi libenter accommodabo & in Deum tuum quoniam verus & ſolus eſt, quemadmodum oporteat me credere docebis, & audire à te fidei Chriſtianę regulam operâ dabo. Suſceptis itaque literis glorioſi Principis ſigillo munitis, Bituricenſem reuerſus eſt ad vrbẽ. Prolatis autem literarum certiſſimis indiciis ab ipſius aulæ conuerſationibus honorificè, vt decebat, ſine cunctationis dilatione ſuſceptus eſt. Quod vbi à Chriſtianis hoc modo eſſe actum compertum eſt, gaudio magno repleti ad eum ſine Gentiliũ terrore conuenire cœperunt. Occultabantur enim metuentes idolorum cultores, antequàm S. Vrſinus venerabilis Principem Leochadium adiret. At ipſe velut pater pius in filios ſic exultabat in fideles populos quos Eccleſiæ quotidie fontis baptiſmate regenerando parturiebat. Quod enim à pio didicerat Magiſtro: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum*, hoc ſemper & vbique tam ipſo actu exercere, quàm verbis etiam explicare laborabat. Præfatæ denique aulæ ſuſcepta peruaſione diligenter purgare & omni ſpurcitia mundare ſtudioſè ſatagebat. Ipſi autem rectores in quorum poteſtate ante procurabatur, poſita gentilitatis ſuperſtitione, per Beatiſſimi Vrſini ſuauiloquam prædicationem ad Catholicæ fidei culturam peruenire meruerunt. Quorum ope largiflua & opere continuo in pauci temporis curriculo aliis auxilij copiam prout facultas erat miniſtrantibus Chriſtianis dudum Regalis aula cœleſtis eſt Dei Eccleſia conſummatâ. Quæ in ipſo die Kalend. Octob. in honore ſummæ & indiuiduæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus S. in commemoratione Protomartyris Stephani cum Chriſtianorum non parua multitudine ſolemniter dedicata eſt. In qua præfati Martyris ſanguinis reliquias tranſtulit, & honorificè, ſicut oportebat, in pretioſiſſimo loco condidit. Prædictam verò Eccleſiam, quam ex ſtabulo prius conſtruxerat, ad baptiſterij vſum deſtinauit. His ita rite peractis beatiſſimus Vrſinus Archiepiſcopatus ſui dignitate à Domino ſibi conceſſa tandem remota Paganorum moleſtia, quorum multimoda fuerat vexatus, iniuria cœpit vti cum fideli Eccleſia. *Nec plura exſtant in prædicto Codice Victorino.*

Ex vetuſtiſſimo Breuiario, quo olim vſa Bituricenſis Eccleſia.

Nouem Lectiones.

Suſcepta B. Clemens Eccleſiæ cura ſollicitus eorum quæ ſibi à Beato Petro Apoſtolo fuerant commendata: videlicet vt fides Catholica per orbis climata prædicatione fidelium propalaretur, miſit in Gallias quamplurimos prædicatores diſertos & conſtantes in fide de quibus Sanctus Vrſinus cum vno tantum Diſcipulo meritis & nomine Iuſto Bituricenſium fines, Spiritu Sancto ducente, ingreſſus eſt.

Cumque Bituricæ ciuitati appropinquaſſet Diſcipulus eius nono ab vrbe miliario febre validâ correptus migrauit ad Dominum. Cuius corpore ibidem ſepulto Beatus Vrſinus, licet triſtis, tamen fidei calore armatus, & Domini munitus auxilio

ad eamdem vrbem peruenit intrepidus. Ad cuius prædicationem nouam hanc & inauditam cœperunt primùm pauperes & inopes conuenire.

Deinde etiam ipſi potentes, cognita à pauperibus eius prædicatione, ad hæc eadem concurrerunt audienda. Ad vltimum vero Spiritu Sancto inſpirante, qui per os illius loquebatur, viri nobiles conuenerunt, & audita eius prædicatione, relictis idolis ſuis, in vnum verum Deum ſe credere profeſſi ſunt. Baptizata eſt ergo tunc ab illo pauperum potentium, & nobilium vtriuſque ſexus non minima multitudo.

Tunc aduerſarius ille Diabolus nomini Chriſtiano ſemper inimicus cœpit huic ſeruo Dei multimoda præparare ſcandala, ita vt idolorum cultores eum cum canibus inſequentes & fuſtibus cædentes quaſi legem eorum ſubuertentem à ciuitate eiecerunt dicentes: Recede à nobis: ſcientiam viarum tuarum nolumus.

Qui cùm expulſus ab vrbe fuiſſet in dubio poſitus quid ageret, ignorabat anxius, ſed vt ſtatim orationi incubuit, Spiritus Sancti admonitione ad vrbem regreſſus eſt in qua profundiora Chriſti verba prædicans, quaſi omnes Chriſto annuente & ſermonem confirmante ad Dominum conuerſi, loti ſunt baptiſmi Sacramento & inſigniti Sanctæ Crucis ſignaculo.

Sed cùm iam ad Deum innumera fidelium multitudo conueniret, conſilio Majorum ciuitatis, datis ſibi trecentis aureis in magno vaſe argenteo, Lugdunum adijt, vbi tunc temporis Princeps Leocadius, qui totam Aquitaniam & Burgundiam regebat, morabatur. Quem cum mitiſſimus Princeps quis eſſet & quid peteret interrogaſſet, dedit ei aulam ſuam regiam Bituricenſem, vt Eccleſiam Deo & Beato Protomartyri Stephano conſecraret, & in ea ipſius Sancti Protomartyris cruoris reliquias honorificè collocaret: in qua poſtmodum Eccleſia ipſe Princeps cum filio ſuo Luſore paruulo & cuncto exercitu ſuo baptizatus eſt.

Poſtquam autem ipſe Princeps ſæcularis iuſtitiæ curam depoſuit, tanto fidei calore exarſit, vt pote omnes antiquiſſimos Bituricenſis pagi vicos in quibus proprias poſſidebat aulas cum redditibus vniuerſis Sancto Protomartyri Chriſti Stephano & famulis Eccleſiæ ſuæ deſeruientibus perpetuò delegauit. Quam quidem Eccleſiam ex Regali aulâ in breui temporis curriculo ope largiflua, & opere continuo conſummatam idem Beatiſſimus Pontifex Vrſinus ipſo die Kalendarum Octobrium in nomine S. Trinitatis & B. Protomartyris Stephani ſolemniter dedicauit.

Ordinauit autem poſthæc idem ſanctiſſimus Pontifex Vrſinus per Diœceſin ſuam Eccleſias, Sacerdoteſque & Leuitas, & cuiuſque ordinis viros qui inibi fideliter deſeruirent, docens eos ſobrios ſemper & pudicos eſſe. Sed cùm poſthæc decreuiſſet Dominus famulum ſuum pro tanto labore remunerare, diem exitus ſui de corpore ei quodam febris dolore deſignauit. Sed antequam ex hoc mundo migraret ad Chriſtum, conſecrauit Eccleſiæ ſuæ Bituricenſis loco ſui ſucceſſorem Senicianum religioſum virum & bonis moribus ornatum.

Conſecrato autem Beato Senitiano in Bituricenſis Eccleſiæ Cathedrâ, Beatiſſimus Vrſinus, completo Pontificatus ſui anno viceſimo ſeptimo, die quarto Kalendarum Ianuariarum vinculis carnis abſolutus ſanctitate plenus & miraculis, Angelorum pſallentibus choris tranſlatus eſt ad gaudia paradiſi ſtolâ indutus iocunditatis.

Antiphonæ ad Pſalmos.

Sanctus iſte, cuius annuum Feſtum honore recolimus, in prima natiuitate Nathanael, in ſecunda Vrſinus vocatus eſt.

Antequam renaſceretur, à Saluatore meruit laudari, ac verus dici Iſraelita, in quo dolus non erat.

Quis vnquam poterit eum laudibus extollere, quem mundi redemptor voluit ſuo teſtimonio approbare.

Audita ſalubernima prædicatione Domini dicentis: Qui amat patrem & matrem pluſquam me, non eſt me dignus, eius diſciplinæ perſeueranter inhærere decreuit, parentibus & omnibus quæ habebat, relictis propter nomen Chriſti.

Miracula quæ Dominus noſter corporaliter operatus eſt contemplatus, mellifluâ prædicatione iugiter cum Beatis Apoſtolis perſuaſus eſt. Feruore fidei cœpit adeo caleſcere, vt poſt eos reliquorum vnus Princeps conſtitueretur.

Dominicis pleniſſimè imbutus Sacramentis ad ipſum ſanctiſſimæ Cœnæ conui-

uium à Domino deputatus est officio legendi, dignus & meritus videre & audire quod ibi actum sit à Domino.

Intuens Passionis Dominicæ pœnas nimio cum Apostolis affectus est mœroris incommodo.

Die tertia Resurrectionis Domini gloria diuulgata, immensa cum plurimis repletus est lætitia.

Per dies quadraginta quibus Dominus post Resurrectionem suam Discipulis suis apparuit hic sanctus interesse meruit.

Ascensionem Domini ad cœlos postquam cum Apostolis intuitus fuit, cum eis Hierusalem redit: Et cum eisdē completis diebus Pentecostes Spiritu S. repletus est.

B. Stephanus hunc Sanctum Dei socium in doctrinâ Euangelicæ prędicationis Hierosolymis habuit, quousque à Iudæis pro fide Christi lapidatus fuit.

Huius collegit diligenter iste Sanctus fusi cruoris guttulas & secum pro illius commemoratione detulit, sanctúmque corpus ipsius cum viris timoratis sepeliuit.

Postea reuersus ad Petrum Apostolorum Principem, omnia quæ sibi acciderant, & quanto dolore afficeretur pro amisso socio per ordinem enarrauit.

Admonitus à S. Petro secum assiduè prædicationi vacare quasi fidelis & prudens seruus ei per omnia studit placere.

Cum illo fuit Ioppe in paralytici Æneæ curatione & resurrectione Thabitæ eleemosynariæ.

Cum prædicto Apostolo Romam venit, vbi vidit quantum conflictum cum Simone Mago gesserit, & eum in resurrectione cuiusdam adolescentis vicerit, & quomodo illum volantem dæmonibus sustentatum ad terram prostrauerit.

B. Petrus cùm ex præcepto Neronis Imperatoris crucifigeretur, S. Vrsinus ante crucem adfuit, vbi magni mœroris gladio transfixus est cum aliis Christi fidelibus planctum & gemitum super eum flentibus.

Suscepta B. Clemens Ecclesiâ, prædicatores disertos & constantes in fide ad Euangelij fidem direxit in Gallias.

Aliò alijs abeuntibus S. Vrsinus cum suo tantum discipulo nomine Iusto Bituricæ ciuitatis fines ingressus est.

Cum autem gratiâ prædicationis vrbem adire deliberasset, contigit discipulum suum febre valida correptum infirmari.

Ab vrbe miliario nono est locus vbi est infirmatus, obiitque dupliciter Iustus, & prout fieri potuit à Magistro sepultus est.

Tunc calore fidei armatus & Domini munitus auxilio solus relictus ad eandem vrbem peruenit interritus.

O admiranda pietas Saluatoris! qui per Vrsinum fidelem discipulum sic molliuit corda gentilium, vt vnanimes conuolarent ad percipiendam salutem suarum animarum.

PROSA.

A Clemente læta mente
Missus est Bituriam:
Vt à gente non credente
Purget ignominiam.
Hic Beatus hospitatus
In quodam hospitio,
Habitantes ægrotantes
A lepræ contagio.
Et mundauit & sanauit
Et complens officium,
Prædicauit nec cessauit
Docens Euangelium.
Plebs huic currit, sed occurrit
Diutum superbia,
Tandem credunt, & accedunt
Innumera millia:
Baptizantur, & mundantur
Ab omni sparcitiâ.
Hunc laudemus & oremus
Vt secum in gloria
Valeamus viuere.

HYMNVS PRIMVS.

O quam dignis celebrandus
Dies iste gaudijs,
Et queis dignus, venerandus
Vrsinus præconijs!
Non fraudatus nec fraudandus,
Socij, obsequijs.
Clemens quidem Petri more
Nomen Christi prædicat,

* *

Tantæ messis paucos fore
Messores significat:
Prædicandum cum labore
Discipulis indicat.
Multis missis post & ante
Prædicare veniam,
Hoc Vrsinus commendante
Deposcit Bituriam.
Solo Iusto comitante
Iussam subit patriam.
Hic Vrsino prædicante
Clementis imperio
Iussus Deo permittente,
Recessit de medio.
Solùm vrbe iam absente
Nono miliario.
Non turbatus casu mortis
Vrsinus tam subitæ,
Sed in fide Christi fortis
Licet absque comite,
Patefactis vrbis portis,
Intrauit sollicitè.
Gloria & honor Deo, &c.

HYMNVS SECVNDVS.

Exultemus & lætemur
Organis cantantibus,
Congaudentes gratulemur
Vrsino cum laudibus
Et constantem admiremur
Hunc in suis casibus.
Christum docet adorandum
Qui viuit per sæcula.
Ad Vrsinum blasphemandum
Currit gens incredula:
Canes ad hūnc effugandum
Soluuntur à copulâ.
A gentibus ferè pressus
Fugit hic perterritus,
Sed ad vrbem est reuersus
Ad Angeli monitus:
Christi seruum se professus
Legis docet aditus.
Ab errore reuocatæ
Sancto prædicamine,
Multæ gentes inspirante
Diuino spiramine
Per Vrsinum baptizatæ
Sunt in Christi nomine.
Ab errore reuocato
Ferè cuncto populo
Ipso Rege baptizato
Cum Luzore paruulo
Cursu vitæ consummato
Migrauit à sæculo.
Gloria & honor Deo, &c.

HYMNVS TERTIVS.

Ad honorem Saluatoris
Lætetur Bituria,
Pangat sacri Confessoris
Vrsini præconia;
Per quem Gentilis erroris
Recessit spurcitia.
Nathanaël nominatus
Non inunctus Chrismate
Post Vrsinus est vocatus
Assumpto baptismate
Christi verbis attestatus
Verus absque schismate.
O quam felix Sanctus iste,
Quam dignus præconio
Cui cœnæ tuæ Christe
Deputata est lectio:
Cuius pectus mulcet triste
Visa resurrectio.
Christum vidit ascendentem
Consternatus animo,
Spiritúmque descendentem
Die quinquagesimo.
Præsentes & se replentem
Sensu feruentissimo.
Demum lingua bipertitâ
Cum cæteris loquitur
Prædicando verbo & vitâ
Stephanum subsequitur
Donec Israelitica
Plebe saxis teritur.
Gloria & honor Deo, &c.

Ex Martyrologio Parisiis edito anno 1537.

Vigesimo nono Decembris apud Bituricam Aquitaniæ Primatiam Depositio Beati VRSINI Confessoris, primi Bituricensis Archiepiscopi, à Beato Clemente ad prædicandam Christi fidem illuc transmissi, quem tradunt Historiæ Nathanaelem fuisse appellatum, & in Cœna quando Dominus pro mundi redemptione statum passurus erat Lectoris vsum officio.

Ex Tabulario S. Dionyſij apud Doubletum pag. 676.

Dagobertus Dei gratia Francorum Rex, notum volo fieri D. P. & F. quod Eccleſiæ BB. MM. Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij de Francia damus & concedimus noſtrorum conſilio optimatum, & aſſenſu Domini Auſtaldi Pictauorum Epiſcopi Eccleſiam de Plombata, Eccleſiam ſcilicet quam in honore B. Mariæ ſemper Virginis, & SS. Angelorum Beati Confeſſores VRSINVS, Martialis, Cacianus & Iulianus compoſuerunt: Eandem vero Eccleſiam ipſi Angeli Deo conſecrauerunt, Eccleſiam dico quæ eſt inter duas valles ſita prope aquam quæ dicitur Vigona ſupradictis Martyribus liberam & ab omni ſeruitio abſolutam concedimus, &c. Neque hic tantum primus VRSINO locus adſcribitur: obſeruauit enim iampridem Claudius Robertus in ſua Chriſtiana Gallia in Litanis Breuiarij Rothomagenſis auctoritate Illuſtriſſimi Card. Caroli Borbonij emendati ſtatim poſt Apoſtolos primum Diſcipulorum Domini inuocari S. VRSINVM.

Certum porrò, quod monet Chenutius, ad ſepulchrum Beatique VRSINI ſacra lipſana, meritis ipſius vexatos à Diabolo liberari: quemadmodum & Caſulam, qua in humanis agens idem Diuus vtebatur, incognita noſtris artificibus materia mirabilique ſtamine operéque contextam, quámque videmus hodie tantum ſumi in Miſſa mediæ noctis Natiu. Domin. ab eo qui celebrat in Eccleſia Collegiata B. Mariæ de Salis, oculorum lippitudini mirabiliter prodeſſe, ſi ipſam tantummodò tetigerint.

MIRACVLA S. EVSITII CONFESSORIS.

Suo ſuperius loco pag. 376. reſtituenda.

Ex Bibliotheca Regia aliſque Codicibus calamo exaratis deſcripta.

PROLOGVS.

LIbellum de Vita Beati Confeſſoris Chriſti Euſitij flagitante Odulfo inter nobiliſſimos magno & clariſſimo viro nuper ſimplici ſtylo edidimus, quem quidem non à nobis ſumpſimus, ſed ab antiquis ſchedulis exceptum, non verbum è verbo, ſed ſenſum è ſenſumore cauti interpretis ſequendo, fidémque eorum quæ dicebantur non nobiſmetipſis, ſed antiquo relatori, vel fideli famæ aſcribendam iudicantes, compegimus. Quia verò apud venerandum B. Euſitij ſepulchrum multa & innumera quotidie pene fiunt miracula, petiit idem vir clariſſimus Odulfus, vt de eiſdem miraculis, quæ ibidem per Chriſti potentiam patrantur, pauca perſtringerem, & ad laudem Chriſti, gloriámque eius piiſſimi Confeſſoris, vtilitati audientium ſiue legentium profutura ſtylo mandarem. Cuius petitionem cùm abnuere fas non iudicarem, Chriſti cooperante clementia inſtiti vt potui. Sanè quia beatiſſimo Patri noſtro Gregorio in libris Dialogorum, quos ad Petrum Diaconum ſuum ſcripſit, moris eſt, vt cuncta quæ ſcriberet, quibus auctoribus compererit intimaret, in hac parte præcellentiſſimi illius ſanctique Apoſtoli veſtigia ſequimur, videlicet, vt per ſingula quæ ſcribimus auctores ſcripti noſtri vel nomine, vel circunſtantiis accidentium deſignemus, & quaſi quibuſdam titulis in fronte narrationis auctoribus præfixis ſubſequens Hiſtoria fide dignior habeatur. Suſcipe ergo Lector meus & hunc noſtræ ruſticitatis libellum, nec in eo requiras leporem eloquij, ſed teipſum excita ad laudem & gloriam nominis Chriſti cuius ſunt cuncta quæ mira fiunt in mundo viſibili, vel etiam in eo qui oculis non infulget noſtris.

I.

Dilectiſſimo Fratre noſtro Rainardo, qui cum ſupradicto nobili viro Odulfo diu conuerſatus eſt, quod narro miraculum, referente cognoui: Quidam paralyticus nomine Maynerius omnibus membris diſſolutus ad Eccleſiam B. Confeſſoris Chriſti Euſitij deportatus eſt. Ibi ergo diu decumbens ſalutis auxilium ſine intermiſſione die noctúque à ſancto Dei flagitabat. Non multo ergo interjecto tempore qui om-

nibus, vt dixit, membris dissolutis aduenerat, cœpit conualescere, scabelluliſque innitens Ecclesiam frequentare, sed antequam integram sanitatem à sancto consequeretur, eiusdem Patris virtute fretus, suisque scabellulis nihilominus innixus Romam petiit, à B. Principe Apostolorum Petro salutis imploraturus auxilium. Sed Petrus Ecclesiæ fundamentum quod facere poterat, implere distulit, vt quanta esset virtus in nostro Eusitio panderetur. Reuertens ergo Roma supradictus Maynerius antequam Sancti Eusitij locum reuiseret, montem Sancti Michaëlis petiit, Turonis adiit & in Ecclesia Beatissimi Martini orationum suarum vota persoluit. Et tum demum ad Beati Eusitij sepulchrum reuersus est. Sed cùm iam limina Basilicæ contingeret, eius ossium iunctura cunctorúmque artuum compages vno fragore sonuerunt: illicóque erectus in proprium statum nouitate miraculi plurimos occurrere cogit. Iamque cœtus Ecclesiam ingreditur, gratiarúmque actionem Domino & fideli eius famulo fideliter persoluens de sui sospitate cunctis qui in eodem loco habitabant, ingens gaudium fecit: sed non multo interjecto tempore denuò Romam profectus est, multisque Sanctorum prostratus orationibus tandem ad suum curatorem reuersus est. Iamque perfectæ virtuti corporeæ restitutus, coma deposita, Monastico schemate vestitus est. Nunc die noctúque Domino & sancto eius Eusitio fideliter deseruiens patrati in se miraculi non ingratus, sed satis idoneus testis est effectus.

II.

Relatione supradicti Rainardi & Warnoardi Presbyteri cognoui mutum multis coram positis ante S. Eusitij sepulchrum nuper recepisse sermonem. Nam dum idem mutus ad locum supradictum accessisset, nec multo facto interuallo Missarum solemnia celebrarentur, ipse sacrum tumulum adiit & ei cui per silentium corda loquuntur, mœstis gemitibus tacitus preces fundere cœpit: sed antequam Sacerdos secretam, quam cœperat, compleret orationem, ille terribilem vocem edidit effusóque ingenti sanguinis riuo, claro districtóque eloquio Ecclesiam complere cœpit. Accurrunt omnes vndique, audiunt loquentem quem solis nutibus intentum & sermonis officio priuatum Basilicam viderant introeuntem. Ille sanus atque alacer ad propria reuertitur, illi ad magnificandum Deum sanctúmque eius Eusitium tota mente conuertuntur.

III.

Isdem quibus supra vsus sum, referentibus, cognoui præterito anno quendam rusticum filium paruulum à natiuitate cæcum ad Basilicam qua beatissimus Eusitius requiescit, deportasse. Cúmque Missarum solemnia celebrarentur & populus vota consueta sancto offerret altari, infantulus ille in vlnis patris positus oculis apertis cœpit manum extendere & dicere patri: Vides pater, quam pulchros cereos & quam speciosas candelas gens ista deportauit? Quo dicto depositus à paternis humeris per Ecclesiam sine duce discurrere cœpit, & accedens ad altare quod semel patri dixerat, cœpit astantibus intimare. Completis itaque Missarum solemniis, filium quem à sancto pater receperat, curatori suo reddidit: & sic lætus cum eodem tantillo diuinitus restituto ad propria remeauit.

IV.

Ex nostra familia quidam orationis causa B. Eusitij adiere memoriam quos nobilissimus vir supradictus Odulfus benignè susciplens humanè tractauit & per eos tale quiddam de operibus S. Eusitij nobis intimauit. Ad mensam, inquit, meam panis deputatus est qui super altare B. Eusitij oblatus fuerat. Ex eodem pane vnus discumbentium cani sibi importunè adsistenti projecit. Sed canis videns panem, obseratis faucibus hæsit & eum nullatenus contingere præsumpsit. Ille qui dederat nouitate miraculi perculsus, cani panem cœpit intingere, vt quid hoc esset, plenius posset approbare; sed canis sic refugiebat panē ac si quis eum insequeretur cum lapide. Quod vbi ad me perlatum est, per me ipsum volui rem experiri. Cúmque viderem quòd canis nullatenus illum panem attingere præsumeret, iussi vt ei de alio pane nobis parato daretur: sed alium panem sibi oblatum tam auidè canis assumpsit, vt protinus omnes cognosceremus non illum refugisse panē, sed sanctificati illius panis extimuisse virtutem.

V.

In Burgo Bleſenſi, qui Euenna, ſeu Vienna dicitur, Herbertus nomine Preſbyter manebat, qui ad ſepulchrum B. Euſitij frequentiùs venire conſueuerat, contigit quadam die, dum à Sancto reuerteretur, vt burgus ille hoſtili impetu peruaderetur: Ingreſſi ſunt domum illius Preſbyteri ſatellites, ingentes vtres efferendi vini gratiâ ſecum afferentes. Effractis itaque oſtiis, apothecam ingrediuntur, & vinum violenter auferre conantur. Preſbyter è contrà: Vinum, inquit, Domini mei, ſancti Euſitij eſt, ne illud efferre tentetis, ex ſancta illius authoritate vobis interdico. Illi non acquieſcentes, ſed potiùs in eumdem Preſbyterum ſæuientes, non ſolùm frontem vaſis vinarij, ſed & latera eius ferro effodiunt, & vinum educere tentant. Mirum dictu! elementum liquidum in tantam duritiam conuerſum eſt, vt non illud vinum, ſed potiùs æs inſecabile æſtimares: diù ergo fruſtráque laborantes, cùm ſibi rem cedere non viderent, ab incœpto ceſſarunt. Illis ergo confuſis, & iam recedentibus, Preſbyter acceſſit, & de vino eodem, quantum libuit, efferens, eiſdem ſuis prædonibus, vt biberent, efferre cœpit. Obſtupefacti illi, & admirantes tam de virtute Sancti, quàm de liberalitate Preſbyteri, biberunt quidem, ſed vtribus vacuis abierunt. Porrò Preſbyter vtrem vnum eodem vino repleuit, & ad ſepulchrum B. Euſitij quantocyùs properauit. Cúmque Clericus Eccleſiæ cuncta quæ fuerant geſta narraſſet, vtrem illum cum vino in conſpectu Altaris appenderunt: ſed quandiù vinum in eo perdurare potuit, quicumque æger ex fide acceſſit, eo vino hauſto, ſanus & incolumis receſſit.

VI.

Quanti vigoris prouidentia beatus iſte Pater terminos ſuos, vel eos qui ad ſe fugiunt, tueatur, multis quidem manifeſtum eſt: ſed ex facto quodam, quod à fratre Rainaldo audiui, ab ipſis quoque incredulis fides adhiberi poteſt. FVLCONIS Comitis hoſtis per regionem illam tranſibat: ingreſſæ ſunt phalanges prædonũ immunitatem Patris Euſitij, pars eorum cuiuſdam ſuburbani porcum, pars altera equeſtris viri abſtulit pauonem. Pars eorum qui pauonem abſtulêre, ab equis propriis deciden-tes, cruribus coxíſq; confractis, debilitati ſunt; vtrum euaſerint nobis incertum: aſt alij porcum, pauonémq; ad hoſpitium deferentes, nullo pacto, nullóq; ingenio neq; ipſis feruentibus aquis adhibitis agere potuerunt, vt ſetam porco, plumam adimerent pauoni. Quod videntes in admirationem conuerſi, dominis ſua reſtituerunt, & pœnitentiâ coram Sancto acceptâ, exemplum ab inuaſione temperandi cæteris prædonibus præbuerunt.

VII.

Glorioſiſſimo viro ſupradicto Odulfo per internuncios referente cognoui, quod narro miraculum. In pago Carnotenſi, vico qui dicitur Nuceretum, mulier erat quæ corporis ingraueſcente moleſtiâ, lumen amiſerat oculorum, permanſítque in eadem cœcitate octo ferè annis. Sed cùm celebre beati Euſitij nomen, & quæ Chriſtus per eum operabatur, ad eius peruenisſet aures, ſpe recuperandæ ſanitatis accensâ, duce filiolâ quam enutriuerat, quæque loco filiæ in omnibus ei obſequebatur, ad ſupradicti Patris memoriam properare contendit. Sanctæ Pentecoſtes tunc venerandi dies erant, & in ipſa ſacra hebdomada, ſextâ feriâ, ad optatum locum peruenit. Sabbato ergo ſequenti atque Dominicâ, continua in precibus perſtitit: ſed lumine non impetrato ſecundæ feriæ manè inluceſcente remeare diſponit. Cúmque ad portum peruenisſet, nauímque operiretur, eadem dux quæ greſſus eius regebat, conuerſa ad Monaſterium, dixit Dominæ reuertenti: O mea Domina, verè fateor nunquam locum tantæ pulchritudinis me aliquando vidiſſe. Quod illa audiens, ingemuit, & ab imo cordis alto protracto ſuſpirio proclamauit: E ſancte Euſiti fama virtutum tuarum pertacta, vt à te illuminarer, ad te acceſſi: ſed iniquitatibus meis præpedientibus, neque Altare tuum, neque Eccleſiam tuam tantæ, vt audio, pulchritudinis videre promerui. Ecce redeo cœca, exemplum cæteris futura, ne tua deinceps requirant ſuffragia. Cúmq; hoc cum ingenti amaritudine peroraſſet, conuerſa ad Monaſterium, priſtino mox perfuſa lumine, lucem cæli, ipſam Baſilicam, & cuncta circumjacentia claro intuitu contemplari cœpit. Feſtino ergo curſu ad ſui illumina-

torem recurrens, citato Clero, multóque coëunte populo, gaudium magnum de sui sospitate cunctis astantibus fecit, digniſque gratiarum actionibus Christo & fideli eius famulo persolutis, post paucos dies semper benedicens Dominum, & Sanctum eius magnificans Eusitium, læta & incolumis ad propria remeauit.

VIII.

Quidam rusticus nomine Martinus in Cenomanicis partibus prædatorum manibus comprehensus, custodiæ deputatus est. Hic anteà Basilicæ nominatissimi Eusitij limina aliquoties reuisens, seipsum illi vt adjutorem in omnibus inueniret, more antiquorum, seruum tradidit. Qui cùm in custodiam, vt diximus, duris compedibus vinciretur, multa quoque grauiora passus, quinque dies maneret ieiunus, tandem ne aliquatenus hinc exire valeret, in caueam huiusmodi operis vsibus constructam præceps recluditur. Vna autem Sabbati cùm iam quinta imminebat dies, ex quo ille talia pati cœperat, sanctissimi Eusitij sibi nomen ad memoriam reuocatur, quem gemitibus & lachrymis ipsâ horâ inuocans ait: E, sanctissime ac multùm reuerende Eusiti, qui tuorum mendicitatem parentum miseratus, teipsum, ne fame perirent, pro vili deputasti pretio; te, Domine, per illam imploro misericordiam, quâ illos mortis interitu liberasti, me quoque de pessimis tormentis, quibus super humanum crucior modum, ruptis nexibus absoluas, & meis pedibus liberum iter præbeas. Ad hanc subitò vocem, compedum vinculis in dissolutionem confractis, omnibúsque quibus videbatur includi claustris procul remotis, liberum Deo opitulante, iter sibi patuit, & coram custodibus, qui eum in custodia seruabant, nullo contradicente, viam ad sanctissimi Eusitij sepulchrum arripuit, indéque ad propria incolumis, gaudénsque, Deo adjuuante, qui regnat in sæcula, sub festinatione repedauit.

EXPLICIT.

Digitized by Google

SELECTÆ VITÆ
ALIQVOT
SANCTORVM
SANCTARVMQVE AD
Aquitaniam ſpectantium.

INDEX VITARVM ALIQVOT SANCTORVM AQVITANIÆ.

SANCTI *Almiri* Confessoris.
S. *Alpiniani*, discipuli sancti Marcelli.
S. *Amantij*, Rutenensis Episcopi.
S. *Amandi*, Discipuli sancti Sori.
S. *Austremonij*, primi Aruernorum Episcopi Acta, Translationes, Miracula, & quòd eius ossa Mausiacum à Pipino Rege translata, ibidem seruentur.
S. *Baumiri*, Confessoris.
S. *Balsemij*, Martyris.
Bernardi Guidonis, Episcopi Lodeuensis, cum Præfatione Sanctoralis, &c.
S. *Constantiani*, Abbatis.
Præfatio vitæ *sancti Eligij*, authore sancto Audoëno.
S. *Eparchij*, Confessoris.
Translatio & Miracula *sanctæ Faustæ*, &c.
S. *Ferreoli*, Lemouicensis Episcopi.
Acta & Miracula *sanctæ Fidei* Agennensis.
S. *Fidoli*, Confessoris.
Excerpta quædam de *sancto Floregio* Episcopo.
S. *Frambaldi*, Abbatis.
B. *Gaucherij*, Confessoris.
Transitus *sancti Genij*, Confessoris.
B. *Israëlis*, Canonici Doratensis.
S. *Iuliani*, Martyris Briuatensis.
S. *Iuniani*, Confessoris.
S. *Iustini*, Confessoris.
S. *Leobini*, Carnotensis Episcopi.
S. *Licerij*, Coseranensis Episcopi.
B. *Menelei*, Abbatis Atuerni.
S. *Mentanæ*, Virginis.
SS. *Orientij*, *Taurini*, & *Austindi*, Episcoporum.
S. *Pardulfi*, Confessoris.
S. *Prudentij*, Martyris Miracula.
Liber Tripertitus de B. *Roberto* Casæ-Dei Abbate, & alia cum Catalogo Abbatum.
S. *Sacerdotis*, Episcopi Lemouicensis.
Passio SS. *Sauini* & *Cypriani*, & vita *sancti Sauini* Eremitæ.
S. *Sori*, Confessoris.
S. *Stephani de Mureto*, primi Patris Ordinis Grandimontensis Vita, Translatio, Releuatio.
S. *Theobaldi*, Confessoris.
S. *Theofredi* Martyris duplex Passio.
S. *Verani*, Caullicensis Episcopi.
S. *Vitturniani*, Confessoris.
Prologus in vitam *sancti Vrsi* Confessoris.

Digitized by Google

VITA SANCTI ALMIRI CONFESSORIS.

incerto, sed antiquo scriptore.

EX VETERIBVS LEGENDARIIS Diœceseos Cenomanensis.

PROLOGVS.

COMPVLSI à Fratribus, imperante etiam Pontifice nostro beato Domnolo, scribere sancti Almiri vitam, ne inobedientes appareamus, adjuuante Spiritu Sancto, qui in prædicto Sancto requieuit, stylo suo tenui aggredimur. Præcipiente quippe Domino nostro IESV CHRISTO legimus sic: *Aperi os tuum, & adimplebo illud*: Idcircò recitanda sunt quæ in exemplum bonæ actionis diuulgata, lucrum faciunt animarum, atque suis imitatoribus proculdubiò proficiunt in augmentis.

Incipit vita, cui præmittuntur nonnulla quæ æquè ad sanctos Auitum, Carilephum, Vlphacium, Boamirum, Senardum, alióq; pertinent.

REgnantibus, atque gubernantibus Childeberto atque Clotario fratre eius Monarchiam Regni Francorum, & feruente Christianitatis cultus augmento, quidam sanctæ vitæ desiderio diuinitùs accensi, relinquentes patriam suam, parentes, prædia, & omnia, atque propria Monasteria deserentes, arctioremque quærentes vitam, veniunt in pagum Cenomanicum: Ex quibus quidam iuxta eremum Partici; quidam verò per alia loca exstirpare propriis manibus laborauerunt, quæ Domino largiente ab eiusdem Parochiæ Episcopo Innocente suis precibus impetrauerant.

Inter quos primi fuerunt sanctus Auitus, & sanctus Carilephus: hi enimuerò calore fidei inflammati, & diuino amore accensi, peregrinando venerunt. Quidam etiam eos postea sequuti sunt: quidam autem ex eis coniuncti venerunt in prædictum pagum Cenomannicum, id est, sanctus Almirus, sanctus Vulphacius, sanctus Boamirus, & S. Senardus, cum aliis sociis, & reliquis subditis ac discipulis eorum. Erant enim, vt dictum est, sanctus Carilephus & sanctus Auitus primi & magistri eorum; Auito verò omnes obediebant, quia hæc facere inter se decreuerant; & quidquid ipse eis præciperet, libenter implere cupiebant. Ad eius quoque consilium & imperium reliqui recurrebant, & sibi ille siue in vasta eremi solitudine, siue in aliis locis cellulas ædificare præcipiebat, vel vbi eos exstirpare, & noualia facere hortabatur, ibi ea cum eorum discipulis operari benigniter satagebant. Ibi enim

tempore ſupradictorum Regum Francorum, id eſt, Childeberti, & Clotarij eius fratris, qui valdè Dei ſeruos, & peregrinos, atque maximè communem vitam ſtudentes ducere diligebant, præfati ſancti viri ab Aquitania exeuntes, & maximè de pago Aruernico pro Chriſto exules facti, Aurelianis veniunt, ibique cum ſancto Maximino haud longè ab vrbe prædicta eo tempore ſub ſancta regula orantes, quidam ſacerdotes ad pagum Cenomanicum properant, & iuxta eremum, quæ Particus dicitur, in locis abditis latitant, & opere manuum ſuarum viuere ſatagunt, orantes, ac deprecantes die noctúque obnixis precibus, flexíſque poplitibus Deum cæli, vt alia loca & benè apta inuenire valerent, in quibus ſinguli ſingulas cellulas ædificantes, animas diabolicâ fraude deceptas, in eis, Domino fauente, ſub ſancta regula lucrari mererentur. Quorum preces & lacrymabiles orationes Dominus exaudiens, eis petita clementer conceſſit, atque deſideria eorum ſuâ gratiſſimâ clementiâ adimpleuit. Quorum fama vulgata eſt, quia diù latere non potuit, nec Dominus eam ſub modio abſcondere voluit, ſed vt ſuper candelabrum luceret, omnéſque in domo Dei habitantes, lumen eorum viderent, & bonis eorum exemplis informarentur, atque eorum conuerſatione inſtruerentur, & multi per eorum exempla ad vitam peruenire mererentur æternam.

Mox verò vt memoratus ſanctus Innocens, qui eodem tempore in prædicto pago Cenomanico Epiſcopus erat, eandem famam audiuit, miſit ad eos ſuam conſolatoriam epiſtolam, & ſuum ſacerdotem, nomine Benedictum, vt interrogando eos diligenter inquirat cuius conuerſationis eſſent, aut vnde venirent, vel quid agere proponerent: Intimans etiam eis, quòd ſi in eadem parochia morari, vel cellulas conſtruere, vt ei dictum erat, vellent, ipſe eis loca daret, in quibus ſecundùm profeſſionem eorum hæc eadem perficere, Domino auxiliante, poſſent. Mox autem vt prædicti ſancti viri talem nuntium viderunt, cognouerunt à Domino Deo eorum preces exauditas eſſe, & prædicto Epiſcopo hoc ad eorum conſolationem eſſe inſpiratum, immenſas Deo gratias, & flexis genibus, & extenſis manibus ad cælum referunt, qui exaudire eos, & conſolari dignatus eſt. Per ipſum autem præfatum ſacerdotem dicto Epiſcopo etiam gratias referunt, mandántque vt quidquid ipſe iuberet, inquantum Deus dederit, voluntariè adimplerent. Intimant etiam auditâ eius ſanctitatis famâ ſe illuc aduentaſſe, & vt ſerui Domino in omnibus ſibi obedire velle.

Quorum voluntatem vt memoratus ſanctus Innocens audiuit, qui antequam eorum obedientiam audiret, grauiter id ferebat, & admodum eos arguebat, quare abſque eius licentia & conſilio ſua in Parochia quidam eorum iam oratoria ædificare inciperent, ſicut alibi de ſancto Carilepho legitur. Poſtquam, vt prædictum eſt, ſupradictus Epiſcopus eorum ſtudium atque obedientiam audiuit, & non eos ſtolidos & inobedientes eſſe velle, ſed religioſos & obedientes eſſe per omnia cognouit Conedratio vico canonico quoſdam eorum obuiam ſibi venire præcepit, vt eos gaudenter ſuſcipiens, atque ſuper colla eorum irruens deoſculatus eſt, omnémque humanitatem, vt Epiſcopum decet, eis oſtendit. Poſtea verò cantauit Miſſam, benedixítque eos, atque ſanctâ Euchariſtiâ eos ad extremum confirmauit. Denique vnà ſoluerunt ieiunium, atque cibis ſimul confortati ſunt. Tunc itaque dedit eis poteſtatem in ſua Parochia prædicandi, & homines ad ſanctam atque communem ſiue regularem vitam conuertendi, & vbicumque vellent in ſua Parochia, & in quocumq; territorio ſuæ ſedis Eccleſiæ cellulas ædificarent. Voluit enim eis ſtatim loca dare ad memorata Dei ſeruitia peragenda. Sed ipſi petierunt ſpatium vſque dum cum ſancto Auito eorum magiſtro, & cum aliis eorum ſociis hæc diligenter conſiderarent, & demùm libenter eius iuſſa & voluntatem explerent. Vnde poſtea ſimul conuenientes omnes per triduum, interueniente ieiunio & oratione, hæc conſiderantes, conſilium cœperunt vt licentiâ & authoritate præfati Epiſcopi quærerent loca, vbi ſinguli ſingulas ædificarent Eccleſias. Vnde factum eſt, Domino opem ferente, vt ſanctus Carilephus Dei ſacerdos locum ad cellulam ſibi ædificandam vnà cum ſibi ſubditis dum quæreret, inueniret locùm amœnum ſuper fluuium Aninſolam, in territorio ſanctæ Cenomanicæ matris Eccleſiæ, vbi, Domino auxiliante, ſibi cœpit cellulam ædificare, quâ ipſe modò corpore quieſcit; qui locus à nomine eiuſdem fluminis Aniſolæ nominatur. Nam ſanctus Auitus iam ſibi locum habebat inuentum, in quo & ipſe cellulam ædificauit, qui locus vſque in hodiernum diem cellula ſancti Auiti nominatur.

Digitized by Google

Qualiter autem sanctus Carilephus cum prædicto sancto Innocente Episcopo egerit, & quales cohærentias habuerunt, vel qualia instrumenta chartarum simul fecerunt in eorum opusculis, siue in Gestis Pontificalibus Cenomanicæ vrbis hactenus insertum habetur: similiter & qualiter cum sancto Auito egerit, aliquid in eorum vitis olim conscripsimus; & ideò hic non est opus tangendi, neque mihi videtur inserere: sed si quis ea pleniter scire desiderat, prædicta opuscula legat, & sic inueniet. Deinde namque authoritate, & largitione memorati Episcopi, & consilio sancti Auiti, eorum Magistri, quæsierunt illa loca, quæ postea ædificauerunt, sine quibus cellulas, opem eis non modicam prędicto sancto Innocente Episcopo ferente, construxerunt, in quibus & corporaliter modò requiescunt; quibus in locis iam repertis, sub sancta Regula Fratres congregauerunt, & viuere regulariter docuerunt, sicut vsque in hodiernum diem, Domino opitulante, regulariter studeant.

Hactenus narrata toti illi Sanctorum cœtui communia.

Sanctus itaque Almirus locum, qui hodiè Gressus nominatur, oratione inuenit, & largitione prædicti Episcopi adeptus est: qui locus à quadam petra, quæ ibi inuenta est, ad eorum acuenda ferramenta, ita nomen accepit, & retinet vsque in hodiernum diem, quem largitate Episcopi memorati, vt dictum est, accepit, atq; eius adjutorio ibidem Monasterium in honore sanctæ Mariæ & sancti Petri fecit, & Monachos sub sancta Regula degentes, quadraginta ibi, exceptis reliquis discipulis & famulis congregans, qui tam laudabilem vitam ibi Domini auxilio, vnà cum subditis sibi Monachis duxit, vt etiam virtutes per eum Dominus operatus sit. Cuius virtutum miracula non dissimulare dignum duximus: sed de pluribus pauca calamo nobis scribere imperauimus; si autem singula persequamur eius virtutum miracula, erit superfluus modus in pagina. Quis enim vndique repetat tanti viri prodigia, & quæ, & quanta virtus verborum ab eius ore processerat, & quanta vigiliarum atque abstinentiarum, cæterarúmque virtutum esset constantia, nec humanus potest explicare sensus, nec stylus prosequi; sed Dominus plus nouit, qui omnia largitus est. Quadam autem die obedientiam cum Fratribus iuxta prędictam cellulam sancto Almiro faciente contigit, vt ingens pluuia irrueret super eos: quam omnes fugientes, in quadam domicula se absconderunt, & sanctus Almirus, solúsque in sua obedientia permansit, quem nec pluuiæ ipsius gutta tetigit, sed illos qui confugerant, eorúmque obedientiam dimiserant, ita est persecuta, vt nec domus eos liberaret. Vbi etiam apparet quantum valet obedientiæ disciplina.

Dehinc cælestibus donis eius ætate crescentibus feruebat memoratus Pater pietatis intuitu, coruscabat inter Fratres obedientiæ radiis, præcellebat sanctæ charitatis luce ornatus: quoniam sicut erat ad vitia eradicanda strenuus, ita ad dona cælestia impetranda sollicitus. Est autem hoc inter reliqua venerabile documentum, quòd eius meritis claruit in nostro oppido, tempore consequenti. Quædam verò mulier dum arrepta à maligno spiritu, beatissimo Almiro præsentaretur, & pectus percutiens, lingua in ore spumans frenderet, & in omnes blasphemias cunctos irridens debaccharetur, contigit vt dæmon, qui eam arripuerat, se celare vellet, quod fieri Dominus non permisit. Tùm dæmon cognoscens se non posse celare, incidit in aures eius, in similitudinem globuli: cuius versutiam cùm Sanctus, Spiritu Domini agnoscens, fecit signum Crucis, & increpans eum dixit: Cur, dæmon, hominem, quem non fecisti, perdere festinas? Ad cuius increpationem inimicus ille durare non potuit, sed signaculo confusus Crucis, cum ingenti terrore exiuit, & sic meritis præfati sancti Almiri, anima & corpus eiusdem fœminæ liberata sunt, ipsáque incolumis ad propria remeauit.

Huic autem à præfixo Episcopo verbum prædicationis commissum erat, qui reliquos promissione regni cælestis inuitans, non cessabat in plebe verba veritatis cum fructu fidei redundantia seminare. Hinc factum est vt incestarum nuptiarum, & execrabilium copulationum vincula dissoluens, quanta pro his sustinuerit, nullus dignè potuit explicare, præsertim cùm pro his & pro cæteris iustitiæ fructibus Martyr effici cupiens, si non defuisset manus interfectoris: sed proculdubiò palmam martyrij meruit, qui voti desideria non abscondit.

Quidam autem vir magnis opibus ditatus, & armorum apparatu locupletatus, nomine Leo, qui sæpissimè memoratum Almirum volebat aut per se, aut per aliquem interimere, clàm aut manifestè. Quadam die dum ad epulum cum multis nobilibus

resideret, cœpit blasphemare, & multis infamiis onerare. qui dum hoc ageret, à quodam interrogatur, si præsens adesset, quid de eo faceret? Qui furibundè respondens, & eleuans manus ait: Sic eum percuterem, si ante nos hic esset; cuius manus statim aruit, & sic contracta est coram omnibus, vt nec ad se retrahere valeret. Quod videntes cuncti circumstantes, dicebant nutu Dei hoc accidisse propter odium quod erga Sanctum Dei post eius sanctam admonitionem conceperat. Vnde factum est, vt multi qui suas proximas habebant, se corrigentes, dimitterent, & prædicto sancto viro in omnibus obedientes fierẽt, & quidquid eis præcipiebat, libenter pro viribus obseruabant. Memoratum itaq; virum debilem Leonem cum magnis muneribus ad sanctum Almirum sui amici & propinqui adducentes, & humiliter prostrati, deprecati sunt vt pro eo oraret, suisque precibus eum sanaret: quibus Sanctus Dei respondit: Nec pro eo orare quemquam oportere, nec ei communicare debere, nisi priùs illiciti vincula absolueret coniugij, qui & incestum soluere, & quidquid ei Sanctus Dei præceperat, pro viribus adimplere pollicitus est. Hoc enim pacto, & coniugio illicito resoluto, motus misericordiâ sanctus vir, dedit ei pœnitentiam, & seclusum cum magna afflictione secum tenuit, pro quo vnà cum Fratribus quotidiè Letanias faciens, & sua per pauperes in eius eleemosynas dispergens, tempore congruo suis precibus eum absoluit, atque eius debilem & aridam manum sacro oleo in modum Crucis liniens, pristinæ suis meritis reddidit sanitati. Ab eo verò non modicum tam in prædiis quàm in aliis rebus mobilibus, in auro videlicet atque argento, siue vestibus reliquisque necessariis ad suum Monasteriolum ornandum, atq; perficiendum, necessitatésque Fratrum fulciendum percepit adjutorium.

Multa itaque alia miracula, reliquarúmq; virtutum signa ingentia per prædictum sanctum virum Dominus operatus est, quæ propter prolixitatẽ operis ac laborem vel fastidium audientium atque legentium in hac schedula inserere distulimus. His contenti simus, & maximè quia eum Sanctum Dei esse non dubitamus: si quis de eo ampliùs scire desiderat, legat eius sociorum vitas, & interroget Fratres, & multa innumerabilia bona de eo poterit inuenire; siquidem appropinquante termini sui fine, absolutionem à Fratribus petens, obitus sui diem eis certum prædixit. Porrò die & horâ quando olim eis prædixerat Sanctus, obiit, tertio scilicet Idus Septembris. Quo defuncto, & ad Christum migrante, prædictúumque Monasteriolum Gressum sub dispositione sancti Domnoli Episcopi, successoris videlicet Innocentis, reliquit, de cuius sedis Ecclesiæ iure erat: qui per electionem Monachorum ibidem regulariter Domino militantium, eis ex seipsis Abbatem dedit, & sanctum Almirum in sancti Petri Ecclesia decenter sepeliuit: in cuius obitu nonnulla signa Dominus ostendit. Videntibus enim multis feretrum, in quo de Ecclesia B. Mariæ Virginis, iuxta quam ipse obierat, vbi & Congregatio Monachorum insistebat, ab ipsis Monachis portaretur, quidam cœcus fide fisus feretrum tetigit, sicque sancti Almiri meritis lumen præclarum habere meruit; similitérque cùm eius corpus à memoratis Monachis sepulturæ traderetur, quidam mutus, linguâ palpitans, Sancti meritis liberatus, eius auxilium excelsâ voce flagitabat, cuius os nunquam antea loqui valuerat, quia mutus ipse à sua natiuitate erat: ad cuius sepulchrum innumerabilia tam visibiliter quàm inuisibiliter populis illic fideliter orantibus, beneficia, Domino annuente, præstantur quotidiè. Multorum ibidem lingua soluitur, cœcorum tenebræ radiantur, surdorum auditus integrantur, debilium infirmorúmque ægritudines curantur, & reliqua curationum beneficia innumerabilia præstantur, quæ omnia enumerare longum est.

VITA SANCTI ALPINIANI CONFESSORIS, DISCIPVLI SANCTI MARTIALIS.

Ex variis codicibus calamo exaratis post vitam sancti Martialis.

INterea, quoniam pro possibilate nostræ capacitatis obsequium B. Martialis erga Dominum, vel quæ postmodum in ipso nunc in quo quiescit loco, miracula fecerit, diximus, dignum esse censuimus, vel exigua de B. Alpiniano dicere, qui eidem incessanter adhæsit, commemoratione digna.

Sanctus

Digitized by Goog

Sanctus itaque Martialis in omnibus veram compertam habens egregij viri Alpiniani ſanctitatem, charissimo diligebat affectu, quem præ cæteris ſacra videbat inſtituta ſectari. Lætabatur itaque ſe bonum imitatorem docuiſſe, multiſque profuturum credentibus, ſi poſt obitum ſuum præfeciſſet doctorem boni verbi: ſiquidem dignus imitatione ſanctus Alpinianus fallentis mundi calcans deſideria, ac iuxta Apoſtoli vocem, quæ ſurſum ſunt quærens, non quæ ſuper terram, bonorum actuum executor aſſiduus, cæleſtium meditabatur inſtituta mandatorum. Mundanarum etenim rerum ſibi ſufficiens, quotidiani victus ſeu veſtitus in tantùm reſpuebat affluentiam, vt non ſolùm ſe abſtineret ab illicitis, ſed etiam à licitis præcaueret. O verè laudabilis abſtinentia, quæ ſe indultis negans, exemplo ſuæ inſtitutionis peccatis oberrantes, coërcet etiam à licitis. Totius ergo ornatibus ſanctitatis conſpicuam B. Alpinianus agens vitam, nobilium actuum claritudine ſubnixa, eius circumquaque diuulgabatur virtutis magnificentia. Proinde ineffabilis S. Trinitatis clementia, quæ ante mundi exordium cuncta præſciuerat, ad huius mundi euacuandam infidelitatem, huius pectus inter ipſâ ſacræ Scripturę primordia veri ſplendoris illuſtratione radiauit. Huius ſanè luminis Dauid fuerat perfuſione indutus, cùm largitatem muneris Deifici contemplatus eſt dicens: *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*: Omnipotentis enim Domini majeſtas perſpicui celſitudinem aſcendere cupientibus regni, per hunc, de quo loquimur, beatiſſimum Alpinianum videlicet, ſuorum mirabilium præeligens indefeſſum operatorem, tam animæ quàm etiam corporis incommodo laborantes, amiſſæ ſoſpitati reponere dignatus eſt. Quodam tempore cùm ſextæ diei horæ completo officio, ab Eccleſia egrederetur, obuiam habuit quandam mulierculam, quæ mortuum filium ſuũ ante pedes eius proiiciens, precabatur cum lachrymis, vt eum vir ſanctus reſuſcitaret. Cuius vir Dei Alpinianus fletu permotus, proiiciens ſe in oratione, ac poſt paululùm ſurgens, apprehensâ manu dexterâ infantis, vitæ reſtitutum matri reddidit. Iterùm alio tempore contigit, vt quidam homo manum aridam habens, ad S. Alpinianum veniret, depoſcens ſe ſanari ab illo: qui currens ad ſolita præſidia, Eccleſiam petiit, & ſumens ex aqua quam ipſe conſecrauerat, tribus vicibus ſuper manum aridam infudit, ſtatímque ſanitati reſtituit. Quidam à dæmonio arreptus, dum miſerabiliter à vicinis ſuis S. Alpiniano deducitur: quem cùm terræ proſtrati rogarent vt dæmoniacum curare dignaretur, ſigno Crucis in capite eius impreſſo, inimicum humani generis ex obſeſſo homine abjecit. Nec illud etiam ſilendum puto, quod Dominus per famulum ſuum oſtendere dignatus eſt miraculum: Tres claudi eundi officium non habentes, ad B. Alpiniani cellam deferuntur; quos vir ſanctus pio intuitu aſpiciens, plenus miſericordiæ & charitatis dulcedine, vt ſemper ſolebat, ad orationem conuertitur: in qua tamdiù Domini implorans pietatem iacuit, quoadvſque impetrato, quod petierat, vnumquemque illorum manu propriâ apprehendens, ſanos & alacres erexit. Hæc nunc pauca de pluribus ſufficiant, quia ſi vel mediam partem miraculorum eius dicere voluiſſemus, nullo modo potuiſſemus. Quis námque dignè valeat perſequi illius erga diuinorum inſtituta mandatorum indeficiens ſtudium, aut quis eloquens inueniri poteſt, vt irrefrigerabilem quam erga omnes habebat charitatem, poſſit eloqui? Erat enim caſtitate vernans, hoſpitalitate benignus, eloquio ſuauis, ſpe firmus, ſobrietate temperatus, bonitate conſpicuus, humilitate fundatus, & omnium virtutum honeſtate præclarus. Delinquentium verò fragilitati in tantùm compatiebatur, vt ſecundùm ſacræ Scripturæ textum, omnibus ſe conformans, quòd omnes lucraretur Chriſto optabat, ac lenibus ſcripturarum medicamentis ſaucia peccatis pectora confouens, omni conamine laborabat beniuolens, vt mentes vitiorum fœditate ſordentes, poſtpoſitâ lubricitatis ſpurcitiâ, ſuperni muneris gratia decorarẽtur puritatis augmento, tam corporis quàm animæ vigore pollebat, quo vas Sancti Spiritus verè dici poſſet. Pſalmodia nunquam ab eius ore ceſſabat, niſi cùm cibum caperet, vel paululùm indulſiſſet ſopori. Igitur, vt diximus, B. Alpinianus totius ſanctitatis imitator egregius, die quadam dum humi ſtratus orationi incumberet, beatiſſimus Martialis apparuit illi, talitérque illum alloquitur dicens: Quoniam, chariſſime, cæleſti præueniente gratiâ contra antiqui hoſtis inſidias inſtantiſſimè huc vſque certaſti, iam tandem pro laborum tuorum exercitatione ſummo datori placuit, quod fragile relinquens corpus, ſupernorum diteris munere gaudiorum. His beatiſſimi dictis Martialis, venerandus Alpinianus præmonitus, debi-

Digitized by Google

tas Omnipotenti retulit gratias. At beatus Martialis, cernẽte B. Alpiniano, in ergastulo cum claritate petiit cælum. Sanctus itaque Alpinianus euocato confodali suo, & religiosis Fratribus; omnia illis per ordinem quæ viderat & audierat à S. Martiale, exposuit. Quod cùm iam dictus Presbyter Austriclinianus à B. Alpiniano audisset, nimio mœrore affectus, nullatenus temperabat à fletu. Nolebat enim tam sanctissimum virum à se separari, charissimæque germanitatis dulcem amicitiam amittere. Et quamuis pro certo sciret quòd illum Paradisi beatitudo morientem susciperet, tamen tristabatur quòd corporaliter eum laxaret, cui nunquam spiritu erat defuturus. Sacra ita per membra beati Alpiniani febre inualescente, prægrauatio artuum orsa est subire vitalia præcordia. Sed dum, vt suprà diximus, fidelibus vocibus sanctum Austriclinianũ, ac reliquos, qui aderant, lachrymari cerneret, benignissimâ commonitione, ne de suo turbarentur abscessu, exhortabatur: ne quod diuina dispositio iusserat, ipsi mœsto viderentur contradicere luctu. Sed quis narrando expediat quantus tunc fidelium mentes inuaserit planctus, cùm se destitui tanto cernerent patrono? Vix námque ibi quisquam singultantia poterat dicere verba, quæ lachrymabilium gemitu interrumpebantur fletuum. Cúmque beati viri corpus gloriosa immineret resolutio, vltimò cunctis qui adstabant valefaciens, oculos, manúsque ad cælum protendit. Denique terrena penitùs derelinquens, plaudentibus Angelis æterna in requie sexto Kalendas Maij gaudens migrauit ad Christum. Peractâ itaq; sicut mos est, sacri corporis emundatione, feretro superponitur. Sed nobis absurdum facere visum est, quæ interim Sanctus miracula gesserit: Nam cœcus quidam, cui hactenus lux minimè fulserat, lucescentibus oculorum foraminibus, primum visus sui obtinuit diem. Paralytici autem nonnulli sospitatem, claudi gressum, vexati à dæmonibus curationem, leprosi cuncti emundationem, ac diuersis infirmitatibus fatigati, ob meritum B. Alpiniani, antequam corpus eius tumulatum esset, incolumitatem recipere meruerunt. Sanctissimi ergo membra Alpiniani iuxta sui quondam locata sunt sepulchra Magistri B. Martialis, regnante D.N. IESV CHRISTO, cui est honor, virtus, & imperium, & æterna majestas vnà cum Sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

VITA SANCTI AMANTII RVTENENSIS
Episcopi & Confessoris.

Cuius Authorem fuisse Venantium Fortunatum, Pictauiensem Episcopum, quidam non improbabiliter sentiunt cum Surio, qui eam pro more suo mutilauit, & mutato stylo imperfectam edidit ad diem quartum Nouembris.

PROLOGVS.

PRÆCLARO succumbit oneri pauper ingenium, támque immensæ rei sermo sterilis, & ab omni scientiæ fœcunditate ieiunus non sufficit. Quamlibet ergo infirmus humeris impositum onus obedientiæ nunc suscipiam, ignosce, quæso, Lector, cùm dissonam manibus paginam sumpseris, cùm aures tuas murmur indoctum garrulo stridore percusserit; quia non minùs culpæ est non paruisse cùm possis, quàm præsumpsisse quod nescias.

Incipit Vita cum Miraculis.

I. Igitur beatissimus Amantius Rutenæ fuit vrbis alumnus, vitâ pastor, nunc ipsius felici est patronus excessu: qui in primæuo ætatis flore, abruptis sæculi laqueis, militiam Christi perseuerantiæ definitione suscepit; & vitia, quibus pulsatur humana fragilitas, patientiæ virtute calcauit, inanes curas longè repulit, motus audaciæ constantiæ frænis tenuit, & cogitationum inter se colluctantium rebelles tumultus mentis imperio subjúgauit. Qui beato feruens proposito, & felicium meritorum splendore conspicuus, sacerdotij culmen, & sublimis cathedræ sedem promeruit. Gessit mentem fastigio honoris sui parem, nihil in eo fuit dubium, nihil duplex, nihil varium. Fuit námque in eo perfecta humilitas, prompta misericordia, in-

Digitized by Google

defessa liberalitas, sancta simplicitas. Fuit in vigiliis laudabilis, in ieiuniis fortis, in remissione mansuetus, in colloquiis sedulus, in conflictatione lenis, in iniuriis mitis, in tribulationibus patiens, in prosperis moderatus, constans in tristibus, in blandis seuerus, mitis in asperis. Nec pudore libertas caruit, nec iucunditas grauitate. Nunc breui stylo pauca virtutum eius perstringam insignia. Dabit Dominus oratione beati Antistitis dicendi vires, qui diuitias bonitatis suæ sine vllo defectu scit effundere, & nescit, cùm effuderit, variari.

II. Igitur cum in prædictæ vrbis foro consedisset Præses altiori cæteris sede sublimior, & nefarij facinoris reum vltimo crucis supplicio, & extremâ pœnâ patibuli damnasset, properat B. Antistes ad forum, petit à Præside vitam iam metu præmortui, sed non impetrat: iterat preces, sed mens superbi dira fastu non frangitur, sed acriore feruescit ira. Itaque Antistes cellulam repetit, terræ prosternitur, fundit preces, suspiria gemina emittit, tundit crebro verbere sanctum pectus; petit à Domino, quod à Præside obtinere nequiuerat. Digna illicò Præsidem immitem pœna percellit: nam in cathedra, cui altior insederat, miris repentè modis affligitur, deserit ossa vitalis calor, & soluta neruis rigentibus membra officium, quo animæ famulabantur, amittunt. Ad cellulam beatissimi viri concurritur, ab oratione Pater consurgit, ad forum progreditur. Sensit aduentum viri Præses magnâ iam sui parte præmortuus. Amissi itaque redduntur sensus, & famulantia vsibus suis in vigorem pristinum redeunt membra. Redditur ergo salus Præsidi, vita damnato; & quidquid vel ille admittendo, vel hic non dimittendo contraxerat, Domini miseratione conceditur. Denique condonata est reo vita cum crimine, & Præses meruit veniam cum salute.

III. Non longo pòst tempore sequitur clarior virtus, & tanto par merito. Erat námque haud longè ab vrbe in altiori basi eminens simulacrum, quo in loco mira multitudo gentilium confluebat. Itaque cùm dæmoniis pecudum carnes suis moribus litant, dúmque referti epulis, & vino pleni cantu perstrepunt, beatissimus Sacerdos aduenit, vidénsque exultare infelicem plebem, omni luctu grauiori lætitiâ, trahens ab imo pectore suspiria, à sacrilegij scelere eam pio hortamine reuocare pertentat. Sed semper inuisa ignauiæ remedia sunt salutis, quæ perire arbitrio suo, quàm alienum seruare consilium mauult, & modum vtilium ad modum voluptatis nititur retorquere, blandáque & noxia pro rectis ac necessariis habet. Totis ergo furoris stimulis vulgus exarsit: sed ille aduersum sæuientes arma arripiens, repetit cellulam, terræ prosternitur, fundit vberes pro hostibus preces, ingeminat pro inimicis alta suspiria; petit illis vitam, qui in necem suam certè sæuiebant. Nam ille quòd coronaretur optabat, ideò ne punirentur impij, pia apud misericordiam Domini vota fundebat. Non enim minor animi virtus est, pro inimico exorasse Dominum, quàm procubuisse pro Domino; pro persequutore fudisse preces, quàm effudisse animam innocentem. Post longa itaque suspiria sanctum eleuans caput, si nubes aliqua ab Oriente consurgeret, qui propè astabat, puerum interrogabat. Nullam ille se videre respondit. Rursus B. Pontifex terræ prostratus ingemuit, erectóque iterùm à terra capite, eadem quæ priùs à famulo suscitatur, videre scilicet se credebat, quod futurum præuiderat. Ab humo ergo Dei homo consurgens, & cælum, cui nũquam mente defuit, intuetur. Tegitur repentè nubibus dies, & mox diabolo exitium ferens terribilis tonitru fragor increpuit, paritérque infelix simulacrum ferit, diuidit, & dispergit: Fertur per aëra lapideum sacrilegorum numen: quod ita diuersam in partem vltricis procellæ turbo dejecit, vt partem nunc eius Lauterna, nunc teneat riuus, partem verò Auarionis habeat ripa fluminis in testimonium virtutis perpetuò seruatura: Partem quoque ab vrbe procul patens retinet campus rem tanti miraculi vsibus humanis ingerens, admirationem præbens, memoriam repræsentans. Itaque diuina prouidentia verberat impios, vt animæ morbum corporis afflictatione sanet, & de aduersis remedia præparans, salutem infirmitate restituit; ideóque sacrilegam plebem percussit, vt perderet eam; & piâ manu inflixit vulnera, ne ipsam puniret. Fuit ergo præsens pœna, non vitio sceleris, sed medela peccati; quæ perimeret peccatum, coërceret peccatorem: extinxit crimen, authore seruato, obortáque simul est ex dolore salus, ex ira remissio multis. Nam vt simulacrum fulminis ictu dissiluit, statim quibus inerat iuuentutis robur, quique de media nocte vergebant in senium auditu obstructis auribus caruêre. Iunior verò, minúsq; nocens ætas mansit incolumis;

Digitized by Google

sed hi, quibus altiùs serpẽtinum virus incaluerat, feriuntur. Quos ergo ad fidem prędicatio sancta non mouerat, insignis miraculi virtus impellit. Ad beatissimum etenim virum concurrunt, facinoris veniam expetunt, & merentur; amissos repetunt sensus, atque percipiunt; sentiunt sani fontis fluenta, & hauriunt. Discessit ergo vulnus illatum, curatur inuentum, nec vltra emendationem verbera illis contulerunt. Sic Dominus noster fidelis oratione serui antiquam putredinem vlcerum curauit, vulnera sanauit, flagella leniuit, iram terrore compescuit. Ita diuino munere bellator egregius prædam inimico abstulit, detulit cælo; detraxit hosti, authori restituit: cãptiuos enim reddidit libertati, prædone captiuo, vitæque mortuos, mortis authore prostrato, restaurauit. Et illicò de penetralibus cordis sacrilegi, peccati maculas, Christi amore repulit, fides abstraxit, vnda purgauit, & validissimus candor terrenos homines spiritali fidei velamento induit; sicque Pater egregius, fidelisque seruus Euangelici præcepti memor, commissa sibi à Domino felici fœnore multiplicata restituit.

IV. Aliquantulùm verò post hæc temporis fluxerat, & præcepit duobus Ecclesiæ famulis, vt in flumine, quod iuxta vrbem præterfluit, paucos pro aduenientibus pisces caperent. Haud mora, præceptis obediunt, pisces capiunt, lina legunt, ad vrbem remeant: quos milites, qui in præsidio erant ciuitatis, redeuntes offendunt. Ij hostili ritu septi potiuntur piscibus, eósque malè mulctatos flagris, relinquunt exanimes. Ad Sacerdotem famuli redeunt, & quæ iis simul ablata, illatáque fuerant, testis luctus edocuit. Beatus tamen Pontifex amissis non doluit ex contemptu, sed afflictis congemuit ex affectu. Illinc constantiam vigor tenuit, hinc lachrymas pietas fudit. Felix cùm vicit contemptu; felicior, cùm victus affectu est. Domum interea milites repetunt, nituntur prædam edomare flammis: subjecto etenim igne exultant latices, sed nouo repentè miraculo, perdit vim flamma, dissiliens & æstuans incassum furibunda, miróque repentè modo indurantur magis flammis pisces, lege mutatâ naturæ, & intractabiles duríque sensus tanti nouitate miraculi molliuntur. Interea milites ad Sacerdotem cõcurrunt, direpta referunt, genibus adhęrent, veniam facinoris petunt. Ignoscit mens pietate promptâ, donat eis crimen cum piscibus, mox quæ direpta foris pace temeratâ duruerant, flammis redeunt, & domantur. Hic B. Pontifex oratione sanctissimâ plebi ferendi necessitatem iniuriæ militibus consuetudinem abstulit infligendi, paritérque vltricium vis extincta flammarum, & emendatio militum, ac populi fuit. Præclaris gloriosísque signis stupenda succedunt.

V. Erat námque in foro, in altiori baside eminens simulacrum, quod vir beatissimus, zelo diuini amoris accensus dejecit, atque confregit. In vltionem igitur numinis sui, sacrilegæ plebis multitudo consurgit, lymphatico bellatorum furore succensa, Christi bellatori minatur exitium. Sed vir beatissimus mortem non timuit vitæ amore. Neque enim fas erat fortissimum bellatorem, præsentem timere mortem, qui æternam præsentium rerum contemptu meruerat. Itaque plebs misit nuncium viro cuidam Honorato nomine, qui erat illo tempore natalium splendore, honorum titulis, opibus, authoritate cæteris longè præstantior. Contrahit hic seruulorum solatia vrbem protinùs sede inuectus curuli petit. Et iam emensus iter dirè fremens, dira & extrema minitans vrbi aderat. In medio tamen portæ pridiè beatus Pontifex orationem ad Dominum, terræ prostratus fuderat. Quo in loco mirо stupore hæsêre bigæ, hominis illius animalia, & vt insensibilia riguêre signa. Nil agunt stimuli, nil verbera sæua proficiunt. Cùm autem vir ille insignis miraculi nouitate perculsus, ad beatissimum virum, vnum ex necessariis mittens rogauit, vt piâ eum oratione absolueret, quem meritis quasi vinculis nexuisset. Haud mora, Sacerdos aduenit, carpentum deuoluitur, persecutor adhæret Sancti genibus, rigat pedes lachrymis, peccatum fatetur, petit auxilium, & vix verba compleuerat, animalia, quæ vt duræ cautes riguerant, cælitùs receptâ mobilitate præceptis obediunt; dúmque sanctis orationibus natura nunc mutatur, nunc redditur; mens fera priùs, & dominum, vt de duris cautibus orta, non sentiens, subito fidei igne succenditur. Illicò maculas peccatorum vnda diluit salutaris, & incredulitatis nube detersâ, clarum pectori lumen infunditur. Interea vnus è famulis cursu præpeti fit dominæ tristis nuntius; quæ repentino luctu perculsa, monilia proiicit, vestimenta disrumpit, scindit crines, genásque dilacerat, irrigat fletibus vultum, ac tunso pectore suspiria ægra perfundit; &

Digitized by Google

nunc confractum, mixtúmque puluerí dominum ſuum, nunc amiſſum quaſi coniugem deflet. Turbatur domus, iunguntur planctibus dominæ lachrymæ famularum, ad vrbem mox properat, & turbata coiliſaque gerens ora, femineo ſimul furore vel planctu aggreditur Sacerdotem. Quæ vt ſerenitatem verendi vultus inſpexit, ſubito pauore contremuit. Glorioſo itaque ſtatim fidei calore ſuccenſa, genibus prouoluitur Sacerdotis; & dæmonia, quę decenti priùs ſuperſtitione coluerat, laudabili execratione condemnat. Ipſe verò illicò eam labe culparum emundans, vitæ æternæ lauacris perfudit; ſicque beatiſſimus Pontifex infelicem prædam de faucibus diaboli abſtrahens, fecit feliciter ſuam. Venerunt quoque quondam duo viri ad vrbem, infelicem vitam gerentes in ſcelere: tegunt itaque funeſta demiſſis vultibus corda, & extortis fletibus, & imo pectore abſtractis ſuſpiriis, vilium vetuſtate pannorum pauperes ſe eſſe mentiuntur. Tribuuntur eis neceſſaria victui, & ſimulatæ miſeriæ miſeratione piiſſimâ ſubuenitur. Deflent itaque vim ſeſe frigoris ferre non poſſe; tandem intra ſepta recipiuntur Eccleſiæ, víxque corda mortalium quies prima gratâ curarum obliuione laxauerat, cùm illi admittunt latrocinium, & ſacra (proh nefas!) pollutis manibus pallia adeunt, vela deiiciunt, reſeratíſque ianuis, gradu concito fugam, crimine ſtimulante, arripiunt: qui ita digno cœcitatis ſupplicio feriuntur, vt nefarij oculi, qui indices criminũ fuerant, duces eſſe fugæ non poſſent. Huc itaque & illuc incertos implicant orbes, & vacuo noctem labore conſumunt. Redditur terris dies, agnoſcitur facinus, fit ad Sacerdotem concurſus. Demõſtrat B. Antiſtes quos oratione tenuerat, aítque authores criminis prope pontem qui proximus vrbi eſt, cœcitate eſſe percuſſos, & vacuo laſſos itinere conſidere. Ad pontem ergo itur, reperiuntur nefarij criminis rei, interrogatique quò irent, quídve eis eſſet negotij, aiunt ſe longiùs velle pergere: ſed cùm eſſet hora ferè diei tertia, à cœpto ſe dicunt itinere opacæ noctis tenebris impediri. Ad Sacerdotem denique pertrahuntur. Itaque cùm vir beatiſſimus illatam ſibi iniuriam velut in ſublimi poſitus ante deſpiceret, tamen licet diuini memor eſſet præcepti, alienas noluit culpas ſine propria virtute caſtigari: nam dempto pallio ſuo, ſacrilegos bis aut tertiò in dorſo percuſſit, quod ita in eorum membris inſedit, vt omni ab ipſis atrociùs verbere ſibi eſſe putaretur. Multos quoque regulam melioris vitæ tranſgreſſos, ſancti tegminis leui tactu ad emendationis ſanitatem reduxit, ſed ſemper ſecundùm modum peccati impendebatur cura remedij, & pro qualitate culpæ ius inferebatur vindictæ. Sic ergo ſancti in oratione viri in latebris factum animæ vulnus, fortius morbi remedium ſenſit.

VI. Igitur criminoſus quidam hortulum ſancti viri, exiguum quidem ſpatiis, lętis tamen conſpicit virentem oleribus. Ampliabat ſiquidem ſpatio loci anguſtias amœna iucunditas. Statim ergo atroci mente furti facinus concipit. Itaque redditur terris occaſus diei noctis ſilentio. Vix corda mortalium alta quies dulci ſopore laxauerat, cùm ille accommodum fraudi tempus amplectens, proſilit audaciâ plenus ad ſcelera, leuíque impulſu tranſit quod obſtabat, adit hortulum, olera diripit, abire feſtinat: nullus tamen redeundi exitus patet, quia reus tenui ſepe quaſi muro vallatus, exigua obſtacula velut omni conſtructa munimine creſcere fugienti ſibi videntur in molem. Noctis ergo totius iter ſpatium hortuli fuit. Intereà roſeæ lucis ſplendor mundum irradiat, faciéque rebus redditâ, terris lux redditur. Igitur beatus ſenex in cellula, vbi ſpretis ſomnis inertibus, noctem dulci meditatione, & ſancto labore tranſegerat, vnum è Fratribus vocat, mitténſque in hortulum mandat, vt quem ibi errore laſſatum ſuo, & velut quibuſdam arctatum vinculis ita innexum crimine reperiſſet, abſtraheret. Haud mora, adit, reperit, abſtrahit. Adeſt illicò criminoſus, furtum in medio proiicit, pedes complectitur Sacerdotis. Itaque vir pietate plenus, indulget crimen, donátque furtum; monens eum ſæpè, vt ſuis potiùs neceſſaria vſibus petat, quàm rapiat, & neceſſaria ſibi tribuentis munere, non rapinæ ſcelere conferantur: ſic ergo indulgentia à Sancto ſibi conceſſa ab eo diſceſſit.

VII. Quid memorem in eodem hortulo à ſimili ſceleſto mella ab aluearibus nocturno dempta furto, delatáque domum, in picis prorſus naturam mutata, & ſtupuiſſe reum admiratione virtutis, cùm criminis non deeſſet cauſa, & conſcientia criminis torqueret authorem. Tandem verum eſt criminoſum alto mentis ſopore diſcuſſum, ad Antiſtitem properaſſe, retuliſſe furtum, ſanctiſque proſtratum veſtigiis, veniam facinoris poſtulaſſe, & perfacilè ſupplicanti indulſiſſe Antiſtitem. Et ſic na-

turam mellis non minoris rediisse miraculi fuit, quàm mutari. Ita reum pro supplicio veniam, munus retulisse pro crimine.

VIII. Dúmque his virtutum fulgeret ipse miraculis, beatum glorioſæ eius conſummationis tempus aduenit: ſed cùm fracta iam æuo membra deficerent, afflictum, mortuúmque corpus abſtinentiæ labore erat; & quod natura negauerat, meritum conferebat. Fuítque tantus in ſancto viro fidei feruor, vt inſatiabili ardore quo plus corpori diſtrictionis intuliſſet, inferre plus cúperet; & ita erant augmenta meritorum, incitamenta profectuum. Amor quippe Dei reficere animum poteſt, ſatiare deſiderium non poteſt: ſed magis magíſque, cùm hauritur, ſitim inflammat; iucunditate enim ſuà excitat appetitum, ſed non facit de ſatietate faſtidium. Igitur beatiſſimus Amantius hâc meritorũ luce fulgens, terrena terris membra condit, ſed cæleſtis ſpiritus cellà conſcendit; illic nunc intereſt choris Angelorum, hic fulget claritate virtutum; illic interpellat pro famulis voce ſupplici, hic tuetur famulos virtute ſublimi; illic petit, hic præſtat; illic vota fundit, hic votis reſpondet; illic nunc æternâ circumſeptus emicat luce, vel meritorum ſplendore claro, vel illatæ crucis roſeo ac fulgore purpureo. Nam & in ſemetipſo & perſequutor vitia exequendo extinxit, & Martyr crucifigendo corpus emicuit, adeptúſque eſt, non mortem, ſed carnis mortificatione martyrium. Et cùm ſit in conſpectu Domini pretioſa mors Martyris, dum beatiſſimus Amantius hoſtem perſequitur, & proſternit, fuit pretioſa in conſpectu Domini mors viuentis.

Hactenus quidem vitam B. Confeſſoris Amantij diuino munere, vt potui, ſtylo digeſſi. Nunc pauca de his quæ triumphator egregius geſſit, breui ſermone conſtringam. Igitur mulier quædam erat, Iuliana nomine, vidua, & anus, & pauper: quam arctabant pariter fragilitas ſenij, & ſolitudo, & egeſtas. Vigebat in ea tamen fortis animus, ærumnarúmque contemptor. Hæc quò propior diuino operi foret, cellulam prope ſancti Antiſtitis Baſilicam collocauit; vt frequentiam, quam tarda ſenectus ei negauerat, vicinitas cellulæ reſtauraret. Huic mercandi, vendendíque vini vſum neceſſitas, variarum artium magiſtra, monſtrauerat. Mercabatur itaque, vendebátque hoc modo vina, vt quod ſupererat pretij, fieret ſubſtantia laborantis; neque plus lucri caperet augmentum, quàm victus neceſſitas poſtulabat. Venit ergo ad hanc vir quidam atroci ſcelere, aliis longè criminoſis immanior, aítque ſe velle vinum mercari. Illa verò eum intra cellulam recepit vt emptorem, & vt ne diutiùs teneret eum forſitan properantem celeritatis ſtudio ſeniles caſtigat moras. Ille verò circumſpectare cœpit omnia, vagíſque luminibus vniuerſa percurrere, ſi quæ eſſent quæ viduæ ſimul & pauperi crudeliſſimus prædo poſſet auferre. Dum ergo hæc muliebri leuitate turbatur, mox ille capſulam cum exigua pecunia conſpicit, diripit, abſtulítque, & vino mercato aufugit, venítque poſt triduum quaſi innocentiam ſuam præſentialiter monſtraturus. Illa illicò nefarij furis certiſſima, cœpit euolare in faciem eius, opémque clamoribus quærere: criminoſus & ipſe conſcientiæ ſuæ ſcelere territus curſu ſubito citò ſe proripit, equúmque conſcendit. Anus prodit è cellula, cupiens præire clamoribus, quem tardo ſequi greſſu non poterat. Ad ſanctam tamen Baſilicam erigens oculos, hoc fideli deuotione, & maximâ voce proclamabat: Ne ſinas, ſumme Sacerdos, defenſórque fortiſſime, abire prædonem meum, ne deſeras viduam & pauperem, diuitiarum mearum ſolatium, & virtus mea. Cúmque hoc ſupplex depromeret, miris repentè modis conſpicit in medio atrio in morem cautis riguiſſe cornipedem. Acciderat enim vt eâ die ſacræ depoſitionis eius celebrarentur feſta annuo orbe completo, & egrediebantur de Baſilica populi expletis ex more ſolemnibus, ſtupéntque miraculi nouitate perculſi. Hærebat quoque reus ſtupens corpore, ſtabat anus innixa baculo. Fundit tandem criminoſus vberes fletus, peccatum fatetur, pecuniam reddit, & abſoluitur, domúmque remeat abſolutus. Plebs igitur tantam virtutem mirâ exultatione, & ineffabili laude ad cælos effert, & ita glorioſus Antiſtes fuit in defenſione pauperis fortis, in abſolutione criminoſi miſericors, præbuítque immenſa miracula, vel cùm audit innocentem, vel ſoluendo damnatum

Non longo verò pòſt tempore, dum ipſe in periculis adeſt famulis, ſequitur clara virtus, ac maxima. Iámque in Septimaniam quidam vinum mercari cupiens properabat, priùs tamen Baſilicam glorioſi triumphatoris ingreſſus tumulum eius, petit, ſolo proſternitur, proſperitatem poſcit itineris, vota ſpondet. Mox progreditur,

Digitized by Goo

leuíque labore diffusum emensus iter in Septimaniam venit, vinum mercatur, ad vrbem remeat. Et iam medium secundis gaudens rebus iter transgreditur. Iam summæ de vertice rupis primæ amne leni fluentem Tarnem conspicit flumen. Iam vicinus vrbi alacer eam intuetur, iam vocatus vota dissoluit. Dum ergo spe totus in vrbe est, & excelsi montis iugia cœpit itinera, repentè atroci luctu gaudia perturbantur. Nam impulsum saxo vehiculum quatitur, excussóque vehiculo vas atroci resultat sono, atque ima petens vallis, in planis tandem collabitur. Quod emptor perspiciens, abrumpit cæsariem, genásque dilaniat, & vertens ad mœnia oblitos lachrymis oculos, fatur sic paucis: Te, ô beatissime Pontifex, duce, extrema adij loca: en desertus à te iam patriæ adductus in finibus graui ærumnarum mole oppressus, dignas meritis pœnas luo. Hæc autem ingenti luctu commemorans, ad locum, in quo vas decciderat, properabat, cùm lachrymas scilicet causa lachrymarum augeret, & dolor damni præsentis maiores à misero pœnas exigeret. Cùm ergo ad locum flens venit, aspicit, repentè stupendo miraculo, vas integrum, vinóque plenum, & patronum quem querebatur absentem, virtute clarâ præsentem intelligit. Lachrymæ igitur vertuntur in gaudia, & mœror in lætitiam permutatur. Et ita fuit maioris miraculi rem patrociniis Antistitis sancti commissam sic fuisse saluatam, quàm non fuisse dilapsam; duras cautes non sensisse, dum collideretur, quàm euasisse pericula dum seruaretur; excepisse aspera, & nescisse discrimina; transisse inter prærupta, quàm si à præruptis esset integrè custodita.

Nondum quoque multorum emensa temporum orbe completo redierant curricula, cùm S. Quintianus Episcopus ante sacrosancta Altaria capacem tumuli locum elegit, vbi ipsum miro opere & laudabili arte collocauit. Nam priùs in Basilica sancti viri extensa sepulchrum velut præfulgens lampas splendore propriæ claritatis mentes expectantium illustrabat. Hoc itaque tam pulchrum facinus Episcopus mente concepit, deuotione spopondit, consummatóque opere, diem sacræ translationis constituit. Hæc ergo celerrima fama percrebuit, & non solùm diffusæ vrbis concluſa fimbriis loca, sed diuersæ etiam vrbes, confinésque prouinciæ, vel Pontifices ad id misêre vel populos. Fidei itaque conuenientia completa, venit etiam è Narbonensi vrbe Marturius Abbas quidam laudabilis, & vitâ conspicuus. Priùs tamen artifex eligitur, qui tumulo circumjecta demat: qui statim sacræ venerationis locum ingressus, audaci motu de sepulchro opposita expulit, sed illicò insurgentis dexteræ ictu percussus ingemuit, vlcicíque pœnâ temeritas prolapsa procubuit. Iámque sacræ translationis dicata dies illuxerat, quæ primos vrbis Romæ Doctores Petrum & Paulum, duo mundi scilicet maxima lumina, triumphali supplicio victores misit ad cælos. Hâc ergo die omnium expectata votis Sacerdotes adsunt, populi confluunt, oratio ex more indicitur, plebs solo prosternitur, tumulus commouetur. Mox verò repentino miraculo tanta fragrantia de tumulo ineffabilem exhalans suauitatem prodiit, vt non solùm cunctum in sancta Ecclesia populum, verùm etiam sitam in porticibus atríque plebem dulcedine nimiâ repleret, & velut quodam retributionis munere, speciali hausto reficeret. Interea subjectis manibus fidelium vehiculo, felix onus infertur, tumulo manus Marturij Abbatis comprimitur. Ille verò neque manum retrahere nititur, neque circumstantium opem, vti sepulchrum eleuetur, inquirit. Sed piis quæstibus auxilium beatissimi Amantij implorare non desinit, hæc humili voce commemorans: Noli, Sacerdos quondam noster, nunc socius Angelorum, noli opprimere manum famuli, ne seruum tuum vllo afflictionis mœrore exasperes, iucundior mihi melle dulcedo, ne sinas gaudia nostra tristitiæ nubilo maculari, gaudium & exultatio mea, quem ad solemnitatem tuam perduxisti hospitem, cellulæ reduc suæ incolumem! Vix verba finiebat, cùm eleuatur subitò sponte tumulus, & abstrahitur manus illæsa, abstractáque rursus oneri pio subiicitur.

Interea obuium sibi quendam vehiculum impulit, impulsúmque prostrauit, atq; obliquatis strati pedibus discurrens rota pertransiit: sed ita minacem impetum iussa suspendit, vt nec sensum doloris strato infligeret, nec signa liuoris imprimeret. Cucurrit ergo motu celeri, nec subjecta contriuit, sed ministeria compleuit itineris, relinquens signa virtutis. Inter hæc verò miraculorum insignia, nullo impediente labore, summo cunctorum gaudio, in loco studiosè præparato, reliquiæ sacræ conduntur. Nonnulli autem ad tumulum sancti viri vesano præsumpsêre ausu scelus priori scelere cumulare: sed correpti protinùs furore lymphatico sol-

uêre ſupplicia, afflictíque horribili fremitu, & occultis exuſti flammis prodiderunt nefas, reddiderunt ſublata, proſtratíque ſolo, veniam petiêre facinorum; ac ſine mora beatiſſimi virtute Antiſtitis, obſcenis contagiis meruêre purgari. Ita hos & vltio iuſta perculit, & miſeratio pietatis abſoluit.

Rurſus cùm aduerſus Ruthenenſes Marcomanni truces ingruerent, omnémque latè prouinciam belli nube texiſſent; atroci etenim coronâ cinxerant ciuitatem, horrebant murorum interjecto diſcrimine, ſtrictis mucronibus. Addebat etiam fiduciam hoſtibus multitudo ingens naturâ ferox, quorum fugam ſternebat paſſim dira lues, immiti enſe, fame obſcenâ. Conſurgit tandem in vltionem famulorum Sacerdos noſter, propugnatórque fortiſſimus, & ita gentem totam vno timore percuſſit, quod diſcedentes pauore fugam arriperent, ſicut vehementi furore arma rapuerant. Nam cùm fortiſſimæ gentis duces ingrederentur ex more Baſilicam, vti res ſecundas poſcerent ſuis, tumulum petiêre: ſtatim circumjecta ſepulchro velamina, nunc alteram in partem vt acta flabris nouæ virtutis miraculo ſinuantur, magnus è tumulo liquatur ſudor: commemoratione etiam mirâ ſacrum de tumulo velamen excutitur, ſternuntur ſolo Duces, pro gloria reditum, fugam pro felicitate poſcentes, & ipſi atroci priùs ſæuitiâ immanitatem tranſgreſſi feralem, in hominum mores nouo redeunt metu perculſi. Ab oratione itaque conſurgunt, terribiliq; ſono tubæ gens tota contrahitur: prodit metum pallor timoris index, factúmque trepidus ſermo miraculum: horror omnium quatit membra, nouitate virtutis placet fuga, densâ mole referuntur ad patriam. Peracto itaque triennio, hoc quo priùs veniunt furore ſuccenſi, hâc ſæuiunt immanitate bacchantes, ex hoc redeunt miraculo commoniti, hócque fugiunt pauore perculſi; & ita Paſtor egregius gregem ſuum ab incurſu luporum bis eruit vnâ virtute.

Dicam iterùm miraculum, quod ipſa Rutena vrbe teſte conſpexi. Puerum quendam Euphraſinum nomine, arcto diræ infirmitatis nexu conſtrinxerat hoſtis ille multimodâ nocendi arte ſæuiſſimus, atque ora ferocitate obſeruauerat, dempto linguæ motu, & fandi libertate ſublatâ, luebat longi mœroris pœnam diuturno ſilentio, nec vlla ad afflictum conferri poterant remedia ſanitatis. Tandem infirmus audacis fide feruore ſuccenſus, ſancti Patris tumulum petiit, & tumulo velamen contiguum ori violentus injecit, & illicò verberante ora linguæ plectro authorem Chriſtum vox clara collaudat, diuinámq; virtutem & merita bellatoris antiqui ſoluta lingua teſtatur, & ita infirmus ille è Baſilica, Chriſto referendo gratias, ſanus egreditur, totámq; exultando percurrit vrbem, tanti miraculi teſtis ac nuntius.

Item latro quidam ſæuiſſimus viatorem incautum adit, interimit, proſternítque, ſpolia diripit, ac telo vlcticis conſcientiæ perculſus aufugit. Ignoto cuidam à latrone extincti veſtimenta venduntur, quibus palàm ſine mora prolatis, innocens emptor ad ſupplicia rapitur, & alieni ſceleris pœnâ torquetur, in carcerem truditur, profertur, verberatur, carceri redditur, & comperendinato die lethalis patibuli pœna differtur. Interea intempeſtæ noctis ſilentio, diuino fulgore carcer emicuit; adeſt glorioſus Amantius, niuali ſplendore conſpicuus, mœrentem viſitat, nomen edicit, & vt crudelia tormenta effugiat, exhortatur. Illicò arcta ferri vincla diſſiliunt, clauſtra panduntur, procedit vinctorum manus, fitque nocentum ſalus, abſolutio innocentis. Patet carcer, ad Baſilicam glorioſiſſimi triumphatoris confugitur, pulſantur fores, mox ſera nouo miraculo illæſa ſolo reſiliit; & ita beatiſſimus Amantius diuino munere ab imminente exitio damnatos eripuit, ſacráque ereptos Baſilicâ, dulci gremio ſaluandos excepit.

A latrone quoque quidam in præſentia viri bonæ conſcientiæ occiditur: ſed cùm ſe latro curſu præpeti confugiens occultaſſet; innocens ille metuens ne ſtans iuxta corpus extincti, alieni ſceleris pœnas exciperet, Baſilicam B. Triumphatoris expetiit, à propinquis extincti arctiſſimè vinculis innectitur: qui offuſis fletibus maxima in conſpectu populi voce proclamat: Fortiſſime propugnator, ſi ſcis me reum, vltrici damnatum pœnâ proſterne; ſi inſpicis innocentem iniquè vinctum, iuſtitiæ defenſor abſolue. Vix verba finierat, cùm in conſpectu ſuæ plebis ferrum diſſiluit, procúlque collapſum merita bellatoris, & innocentiam laborantis virtute miraculi monſtrauit.

Nunc ergo in tantæ feſtiuitatis gaudiis omni ſupplicatione Dominum noſtrum depoſcamus, vt cum beatiſſimo ſuo Amantio iuſtè petita præſtet nobis, errata clemen-

ter

terindulgeat, qui cum Patre viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti per omnia sæcula sęculorum. Amen.

VITA IMPERFECTA SANCTI AMANDI Confessoris, Discipuli Sancti Sori.

Ex veteribus monimentis S. Martialis Lemouicensis.

PROLOGVS.

SCripturus de vitâ Beati Amandi, nonnulla aggredior vt gesta illius incomprehensa mortalibus per ordinem texere contendam: sed vt eius conuersationis primordia & aliquantorum miraculorum indicia supremáque sanctitatis edisseram. Enimuerò quis ad liquidum illius euidenter promere sufficiat actum, cùm necdum miraculorum eius multigenum deprehendatur Chaos? & quia succinctè historia prænotatur, succincto hoc etiam argumenti procœmio propalatur, vt deinceps historia promulgetur.

INCIPIT VITA.

IGitur præfatus vir Dei Amandus iuxta nominis sui etymologiam, amatus à contribulibus amoris diuini indeptus tyrocinia istiusmodi est diuina aggressus. Cùm esset miles multùm nobilis ex pago vrbis Lemouicinæ oriundus, montibus videlicet pristinis, vbi etiam monstratur illius hereditarius fundus. Ab his digressus montibus, relictis facultatibus omnem Monasticam normam est nactus. Nam humilia expetens à montibus sublimibus ima vallium adiens descendensque agello Petragorico nuncupante Genoliaco, vbi tunc agmina Monachorum degebant sub Abbate Saualo & Rege Clotario, iuncto sibi Soro Aruernico viro sanctissimo, atque Cypriano Dei electo vna deuotione vnanimes, vno diei articulo comam capitis deponentes sanctæ religionis sese mancipauerunt in obsequium, citóque ad virtutum culmen euecti ob theoreticam gratiam solitudinem elegerunt. Hic itaque vt à puero cœpit insigni virtute, in sancta religione excreuit. Nam qui puerulus moribus bonis, egregiis virtutibus cœperat prouehi, cœpit etiam Anachoreticus Monachus magis magisque ad sanctitatis summa sustolli. Cúmque tam magna conuersatione polleret, vt etiam à rudi tyrocinio ab otiosis sermonibus retraheret, omnémque obseruantiam regulæ custodiret, superadiecit quatriduauis iejuniis se torquere & orationum pernoctationibus continuatione dierum affici, eleemosynis intantum intentus quidquid orationis obtentu accipiebat, pauperibus sedulò erogabat; Istóque exortu virtutum circumquaque glorioſa laude famosus exemplum bonæ conuersationis præbebat quampluribus. Ante omnem virtutum copiam humilitate præditus qua munificentia Spiritu Christi repletus interius existebat comptus: exterius denique Spiritu Dei repletus, qui dicit: super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos? Isto modo adornatus vestem retinebat, indutus scilicet vestimento simplici tantum cilicio vtens, secundùm illud Psalmographi: *Posui vestimentum meum cilicium.* Interdum verò quolibet pergens nudatis pedibus incedebat in tantum vt æstatis tempore vermibus scaterent, exemplo vsus Prophetico, dicente Domino: *Sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus & discalceatus.* Ad stratum quandoquidem veniens super cinere & cilicio recubabat inquiens illud: *Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere, &c.*

Cætera desiderantur ex alijs Codicibus supplenda.

ACTA SANCTI AVSTREMONII primi Aruernorum Episcopi.

Ex veteri MS. Codice Ecclesiæ Lirinensis, in quo deest Prologus, cuius Apographum sua manu descriptum dederat aliás R. P. Iacobo Sirmundo Societ. IESV, V. C. Andreas Duchesnius Historiographus Regius.

COnditor excelsi residens in culmine cœli
Emicat in Sanctis, ingiter laudandus in ipsis,
Quos & mirificis mundo radiare triumphis.
Inter quos renitet virtutum lampade vernans
Magnificus Martyr decus AVSTREMONIVS orbis,
Qui meruit pasci diuini dogmate verbi,
Discipulus Christi de septuaginta duobus
Cuius clara sequens certamina lectio narrat.

INCIPIVNT GESTA ET PASSIO SANCTISSIMI Austremonij primi Aruernorum Pontificis.

IMperatoris æterni moderamine vniuersa regnorum sceptra regente, post quàm eiusdem Filius Dominus noster IESVS-CHRISTVS carneam formam, quam pro nostra salute assumere est dignatus, potentiâ quâ decebat super cœlos euexit, Sancti Apostoli per quatuor terræ plagas se diffuderunt, & septuaginta & duos eiusdem Domini nostri Discipulos, quibus, sicut sermo refert Euangelicus, ab ipso electi fuerant, paucos scilicet operarios ad multam messem, & toto dilatatam orbe, quasi agnos inter lupos, pius vt ipsorum eis iusserat Magister, direxerunt. Ante glorioſissimam namque ipsius Domini nostri passionem eis fuerat iussum, ne in vias gentium irent, & ne ipsorum ciuitates intrarent. At postquàm Iudæa suo immanissimo scelere fœdata, & sua damnabili obstinatione cæcata ipsius Redemptione salutiferam prædicationem, & Apostolorum doctrinam funditus spreuit, dicens in suis filiis Domino, *Recede à nobis, quia scientiam viarum tuarum nolumus*; isdem rerum omnium Dominus neminem volens perire, qui ideò venerat, vt populis, qui in tenebris & vmbra mortis sedebant, lumen oriretur iustitiæ, dixit eisdem sanctissimis Discipulis, *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Sancti igitur Apostoli, ipsorúmque iam dicti glorioſissimi socii cum ipso Domino conuersantes, ipsiusque sanctissimo obtutu gaudentes, nullatenus ab ipso corporali præsentiâ patiebantur se separari, quem post modum temporis in cœlis nouerant exaltari.

Post glorioſam igitur Domini nostri Ascensionem, póstque Sancti Spiritus aduentum, beatissimus Petrus Princeps Apostolorum, qui vicem Christi inter eos felicissimè gerere videbatur, aduocans ipsos sanctissimos Discipulos, humili præceptione, & dulci iussione, vt præceptorum Domini memores; non fierent segnes obauditores, imperauit, & binos ad prædicandum, prout Dominus antè eis iusserat, destinauit, & sua omniúmque Apostolorum benedictione roborauit, & Pontificali honore sublimauit. Quorum videlicet virorum illustrium, qui singulis vrbibus erant delegandi, hæc fuere nomina. Turonis dirigitur Gratianus Episcopus, Arelato Trophinus, Narbonæ Paulus, Tolosa Saturninus, Lemouicas Martialis. Aruernicam inter eos Monarchiam AVSTREMONIVS inclytus martyr post Deum suscepit regendam. Hi denique omnes secundùm Dei omnipotentis cuncta regentis dispositionem, propriam meritorum suorum sunt adepti vicissitudinem. Nam ex eisdem tantum Austremonius ac Saturninus, duo magna luminaria, per Martyrij palmam assecuti sunt æternæ felicitatis coronam. Gratianus verò, Trophimusque & Paulus, ac Martialis, verbi Dei semina vbique diffundentes, & de vasis iniquitatis innumerabiles populis sanctæ matris Ecclesiæ gremiis reddentes, in non ficta

Digitized by Google

ſanctitate viuentes, optatæ beatitudinis ſunt effecti compotes. Et licet ſic per paſſionis agonem, nec-non & alij per quietis diuturnam confeſſionem præſentem ſortiti ſint corporum metam, vnus tamen vitæ cœleſtis Senatus eos pariter in æternum retinet ouantes.

Glorioſiſſimus igitur Auſtremonius in numero ſeptuaginta duorum diſcipulorum, vt ſuprà jam dictum eſt, à Domino IESV-CHRISTO deſignatus, ipſo Domino prædicante clarifica diuini documenta magiſterij ſagaciter didicit, & quæ geſſit virtutum inſignia præſentialiter vidit. Nam & in ſacræ Cœnæ conuiuio cum cœnantibus diſcubuit, & nouo myſticóque mandato ſtrenuus miniſter interfuit. De paſſione verò Domini cum ceteris condoluit Diſcipulis, & glorioſa ipſius reſurrectionis reuelatione ſubſequenter gaudere promeruit. Illa námque benedictione ſanctificari dignus fuit, qua aſcendens in cœlum Diſcipulis benedixit. Angelorum etiam voces audire gratulatus eſt, dicentium: *Viri Galilæi, quid admiramini, adſpicientes in cœlum? Sic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.* In die quoque ſancto Pentecoſtes Spiritum Sanctum accepit cum ceteris Diſcipulis, cuius intima vnctio de omnibus illum docuit, & inſtruxit in omni ſcientia & doctrina, ſtabiliens eum in fidei ſoliditate, & confirmans in omni patientia & veritate, tribuens illi largiflua chariſmatum munera, hac clarificans ſalutari munificentia, & mirificali ditans virtutum potentiâ.

Hic Domini Martyr præclaro lumine cordis
Corporeiſque oculis meruit piè cernere Chriſtum.
A Domino dominante quidem benedicitur ipſe,
Quùm petit alta poli, carnem ſuper aſtra leuando,
Quinetiam veniente die, cùm Spiritus almus
Ignis in effigie cœli deſcendit ab arce,
Et per Apoſtolicum ſe contulit agmen honeſtum,
Affuit, emeritus ditari munere Chriſti.

Venerabilis igitur Dei cultor Auſtremonius partes Galliarum ingreſſus, & comitibus præfatis à ſe mutuò diuiſis, paucis tantùm ſecum comitando, quos à beato Petro diſcipulos & ſocios accipere meruit, retentis, Necterium ſcilicet Presbyterum, Vrſinúmque almificæ probitatis virum, Mametum quoque habentem Leuitalis ordinis officium, tellus Aruernicum, ad quod per diuinitatis diſpoſitionem delegatum ſe fore non dubitabat, adgreſſus eſt intrepidus: & innumera dæmonum delubra, quæ per eandem regionem errore fanatico cuncta colere pro dijs videbantur, vaniſſima eſſe figmenta publicè prædicabat, ſatagens ad viuifica Chriſti conuertere dogmata. Spiritus itaque ſancti virtute fretus, ac munimine verbi Dei firmiter vallatus, Aruernicæ ciuitatis mœnia incunctanter adiit, non veritus veſanæ gentis expetere feritatem, quia mens Chriſto dedita nulla formidat incommoda. Præterea euangeliſabat eis indeſinenter fidem Catholicam, quam à ſanctis Apoſtolis acceperat, videlicet vnum Deum in Trinitate venerandum, & eundem in tribus perſonis exiſtentem, in virtute ſummoperè colendum. Docebat æquè vnigenitum Dei filium de ſupernis cœlorum ad terras deſcendiſſe, pro ſalute cunctorum in plenitudine temporum. Propterea æquum non eſſe vt homo, qui eſt & rationis capax, & magno precio ſanguinis Domini emptus, ad iniurias eiuſdem Dei idolis mutis & vanis ceruices ſuas inclinaret. Prædicabat alternam dilectionem adinuicē, & quod ſibi quis mutuo iuuanime fieri optaret, alteri non denegaret. Aſſerebat omnibus bonorum operum exhibitionibus inſiſtendum, toto niſu accelerans parare viā Domino in cordibus eorundem infidelium, qui per tot ſeculorum curricula, per infidelitatem duruerant, ſaxea gerentes corda, adorantes creaturam potiùs quàm creatorem. Poſt non multum verò temporis ſpacium, reuelante ſibi ac docente Spiritu Sancto, ad ipſius regionis ciuitatem peruenit, quæ hodiéque propter præclaram affluentiam amœnitatis, & firmitatem roboris, turrium mutorúmque copia, vinearum ac nemorum abundantia, à priſcitate collium & venuſtate montium, à priſco conditore CLARIMONTENSIS vocitata eſt. Fuderat námque id terris roſeum jubar ignitum vt ſol, cum Sanctus vir cœpit euangelizaret Catholicam ciuibus doctrinam. Cuius prædicationis rumor totam repentè commouit ciuitatem. Athleta autem Domini noſtri AVSTREMONIVS Sancti Spiritus gratiâ repletus, inexpugnabilibus ſacræ fidei armis munitus, turbam gentilium honeſtate ſermonis turbatam expetit gaudenter,

illíque prædicationis documenta pronunciat confidenter. Dominicæ quidem Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis mirabile myſterium, oraculis Vatum, longè ante prædictum, apertiſſimis aſſertionibus pandens, gloriam vitæ cœleſtis prædicabat incredulis, voce affabili dicens: *Qui crediderit, & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Spargens per partes mundi regnator Olympi
Diſcipulis proprios, athletam Pontificali,
Hunc per Apoſtolicas decreuit honore ſacrari
Iure manus ſanctas, tribuens affamina grata.
Hunc etenim primum felix Aruernica tellus
Accipit exultans dono ſortita ſuperno
Pontificem, qui perſpicuam guſtauerat vndam
Dogmatis æterni de viuo fonte fluentem.
Florebat verò ſociis ſibi cœlitus auctis
Vrſino Nectarioque pijs, iuſtoque Mameto.
Exultans igitur, nulla formidine flexus
Conuocat aſſiduus gentes ad iura ſalutis.

Aruernenſes igitur ciues tam proceres quámque vrbani, necnon & pagenſes, vt audiunt terribilem incredulorum proditionem, optabilem quoque credentium ſalutem, deſiderant protinus conſequi & fidem Chriſti, & gratiam baptiſmi. Adcurrit interim populus credentium, augetur numerus fidelium: laudem Domini IESV omnes vno ore perſonant. Chriſtiana fides vniuerſorum credulitate magnificatur, ſæua Principum ſeueritas inſpirante Deo in ſuauem manſuetudinem vertitur, dira plebis duritia in blandam dulcedinem commutatur. Creſcente verò fidelium numero, vir Domini Auſtremonius Eccleſiam in jam dicta ciuitate conſtruxit, quam in beatri PETRI Principis Apoſtolorum honore dedicauit. In qua etiam Eccleſiaſticos Ordines congruenter inſtituit, probabiléſque perſonas almæ fidei ſacramentis imbutas ſacris Ordinibus inſigniuit, ac diuinis obſequiis mancipauit. Præconiali planè excolendus laude Pontifex iſte, qui primordialem ſuæ prædicationis, & magnificabilem fructum Domino IESV Chriſto, Principique Apoſtolorum beato ſcilicet Petro humili dedicat proſecutione. Sparguntur etenim diuini paſſim verbi ſemina, dilatantur valdè almifluæ Orthodoxæ Religionis documenta, diabolica euacuantur figmenta, deſtruuntur ſimulacrorum delubra, vana corruunt idola, ac viuifica ſanctæ Crucis eriguntur vexilla. Pax Chriſti nullo contradicente prędicatur, veræ ſalutis notitia fide pollente diffunditur, laudabilis prædicatio robore coruſcante magnificatur. Venerabilis quoque Pontifex ſpirituali lætatur gaudio, dum ſuo conſpicit labore & ſtudio, gregem Domini multiplici augmentari numero. Gaudebat vbique de filiorum profectibus, quos ac ſi pius pater nutrimentis fouebat cœleſtibus. Mirabilis quidem in ſuis refulgebat actibus, quia dulciſſima amplectendæ exhortationis prędicamenta multimoda proſequebantur virtutum prodigia. Glorificali autem ipſius imperio ab obſeſſis arcebantur corporibus dęmones, morborum ęgritudinibus feſſi ſtatim præoptata gratulabantur medelâ, ipſius oratione ſalutari. Viſus reddebatur cæcis, dolentibus almi ſolaminis gaudia largiebantur famine panegyrali, diuitibus exempla dapſilitatis ditiſſima erogatione pandebantur, pauperibus iura patientiæ munificalis Euangelica inſtructione oſtendebantur, vt omnibus omnia factus omnes vir Domini lucraretur. Merito enim conlaudant multi ſapientiam eius, quæ vſque in ſeculum non delebitur.

Actibus in cunctis Sanctus mirabilis iſte,
Cuius ab ore pio non ceſſant verba ſonando,
Quicquid inſtitiæ, quicquid pietatis amandæ.
Interea populus properans Aruernicus adſtat,
Audiat vt ſupplex cœleſtis gaudia vitæ.
Quos monet intrepidus ſubuertere templa Deorum,
Quò ſimulacra ſimul pereant fabricata metallis.
Vexillàque crucis tignis figuntur in altis,
Cuius & armati ſigno ſub nomine trino
Ingeniti Patris ac Geniti, non quippe creati

Digitized by Go

Verbi, consimilisque per omnia Flaminis almi
Credant esse cui constat sine tempore regnum
Trinum personis, vnum deitate perenni,
Purificantis aquæ renouati scilicet vndâ.

Laudabilis verò, & sæpe nominandus Austremonius veneratur ab omnibus, quoniam probabilibus scientiæ documentis pollebat, & vernantibus meritorum titulis florebat. Poscebat itáque sæpius, vt corde mundo, spiritu frueretur sancto: sacra etiam vnctione edoctus, spiritu potiretur recto: spiritu quoque principali subnixus fidissimus in sancta Ecclesia polleret orthodoxus, populorúmque prædicator egregius. Proferebat etenim de Thesauro suo noua & vetera, fidelium instruens corda mirificali prudentia. Nam Deificæ Trinitatis essentiam, maiestatis potentiam categorizans, vnum Deum laudabiliter magnificabat, tripudianter glorificabat, & glorianter laudabat. O laudabilem Episcopum, qui lumen veritatis, & iustitiæ tramitem sagaci pandit instantiâ, & vt felici teneatur exercitatione bona, parsimonialisque vitæ sana & prudentiali hortatur doctrina! O clarissimum virum, per quem Ecclesiæ stabilimentum roboratur solemniter, fidei fundamentum ad altiora prouehitur, ordo Catholicæ credulitatis venusta honestate decoratur, & sublimando fulcitur. Quid enim in persecutione tolerandum fuisset, placita exhortatione præmonstrabat: Quidvé in pace Ecclesiæ sectandum foret, fidelissima eruditione innotescebat. Scopon, inquiens, nostrum pœnitudine † mali, aut creperum dirigitur authoritate: sed vt id ipsum telos habeat salutare, diligenti nobis est studendum sollicitudine. Scilicet vt eò pariter tendamus, quò nostrum veraciter esse archon scimus, & vbi nostram regnare diuinitus vsiam nouimus. Topon in lege Domini die noctúque meditando, ipsius amminiculandæ præsidio quæramus, vt quærendo inuenire valeamus. Vita etenim nostra cum Christo in Deo est abscondita. Scimus quippe, quoniam cùm apparuerit similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. Tunc generosæ gratulabuntur animæ, lucis ætheris indigenæ. Somata verò terrigeno surrecta puluere beata gaudebunt immortalitate. Tunc erit adimpletus nostrorum fratrum numerus, binisque donabimur stolis, glorioſa scilicet perennitate corporis & animæ, & regnabimus cum Deo in perpetuas æternitates.

Expulerat noctis tenebras aurora diei,
Splendebatque dies rutilo sub sole per orbem,
Quùm sanctus populus pandit pia verba Magistri,
Vt nascente die sererentur semina verbi;
Ac æterna dies vitiorum pelleret vmbras.
Cordis enim proprij thesaurus semper apertus,
Semper inexhaustus radianti suggerit auro
Lucidiora Dei verbo mandata fluenti.
Æstuat ergo nimis Christo coniungere gentes,
Centuplicata Deo vt referat commissa talenta,
Firmiter esse Deum declarans omnipotentem,
Qui regit imperio terram, pelagúsque, polúmque:
Hic genus humanum mortali carne solutum,
Corporibus monstrat reparandum nobilis auctor
Christi iudicio, sed numquam rursus eisdem
Externum fieri, moriendo lege priore,
Vt crescant tormenta malis, & gloria iustis.

Sanctus dedique Austremonius Christi athleta cœptis magnopere insistens, regionem sedulò circuibat, Euangelium regni prædicans. Cui virtus diuina tanta largifluæ contulit facundiæ dogmata, vt verbi auditores diuini, Spiritu Sancto interiùs operante, Christi nominis & fidei extemplo ducerentur amore. Quibus itaque orthodoxæ credulitatis prædicabat sacramenta, eos etiam subinde purificali baptismatis abluebat vnda, sanctique Spiritus confirmationis ac perfectionis gratiam pollenter illis salubria impertiebat charismata. Prouocabat quippe illos pius affectus glorioſi antistitis, ac doctrina mirabilis, vita laudabilis, exhortatio salutaris, mundicia placabilis. In omnibus planè actibus suis prædicabilem se, exhibebat vniuersis. Erat nempe eximius doctor, iustitiæ sectator, veritatis dilector, sanctitatis splendor, strenuus orator, munificalis Ecclesiarum fundator, Humilitatis fundamentum,

patientiæ exemplum, largitatis supplementum, castimoniæ speculum, & totius honestatis ornamentum. In quo splendebat charitas perfecta, sinceritas alma, jocunditas sincera, clericalis prudentia, honorabilis temperantia, intimæ puritatis fortitudo prævalida, affectabilis scientia, sanctæque venustatis elegantia. Inter alias denique virtutes erat prudens consilio, ingenio pollens, facundia præpotens, Dei præceptis omnigeno nisu parens, ad cœlestem anhelabat patriam tendens. Nam quotiensçúmque in aridis vel montanis locis verbum Dei adnunciare decreuisset, & aqua ad baptizandum defuisset, ita illi virtus diuinæ aderat gratiæ, vt inuocato Christi nomine ex profundo terræ fontes produceret aquæ viuæ. Clarissimis ergo, vt diximus, signis radiante beato Præsule, itaut nullo in loco latere potuisset, prodentibus eum energumenis quos ipse curabat, cœpit se omnis populus eidem offerre, relicto gentilitatis ritu. Quos ipse vndâ sanctificationis respersos benignissimis instruebat documentis, quatinus supernis inhiarent, postquàm Christi gratiam agnouissent. Et quidem ex eis tanta Domini sunt gratiâ repleti, vt & suffragatores magistri forent, & cooperatores verbi Dei, qui paulò ante cultores idolorum detierant: & vbi dæmonum delubris ante latuerant, ibi summo Deo magnis jubilationibus concrepabant. Vnde & tantus ardor fidei, Domino annuente, in eorum cordibus incanduit, vt tam multiplices ibi Ecclesias conderent, quantas in nulla aliarum regionum constructas esse cernimus. Est namque locus in confinio Aruernicæ Diœcesis, qui antiquorum relatione priscorum à Dominis tribus sortitum retinet nomen. Illuc quippe semel in anno conueniebat beatus Austremonius, necnon æquè egregius Lemouicensium Martialis, & inclytus Saturninus Martyr Tolosanus, tanquam luminaria huic mundo micantia. Conferebant inter se de supernis, de statu Ecclesiæ Catholicæ, ac de suarum ouium profectibus mutua alternatim confabulatione differebant; vel si fortè in alicuius plebe aliquis Hæresiarcha oriri videretur, qui maximè in primordio nascentis Ecclesiæ pululare videbantur, mutuo verborum jaculo funditus ab Ecclesia euelleretur, vel si à proprio errore non resipisceret, inter biothanatos proscriberetur. Qui ad inuicem sanctissima collatione examinata, vnusquisque ad propria repedabat ouilia.

Signifer insignis pater Austremonius, atque
Clarificum lumen fidei, splendénsque lucerna,
Exuerat pius vt tetra caligine cunctos,
Quos nutribat populosa Aruernica tellus.
Incessanter adit villas, castellaque cuncta,
Hortatúrque fidem baptismate sumere sanctam,
Per quam clausa poli reseratur janua nobis,
Et sine qua nulli regnum cæleste patebit.
Nec mirum, cùm ritè sui sit nominis hæres.
Sicut enim ventus, qui nomine dicitur Auster,
Dicitur ac alio Zephyrus, tamen vnus vtérque
Imbribus irroians terras fœcundat aristis.
Sic pater egregius cœlestis pascua vitæ
Erogat in populis, locuples pietate salubri.
In quo fons inerat vitæ, & sapientia vera,
Idcirco tenet deductum nomen ab austro,
Quem fratres summo studio veneremur ouantes.

Cum ergo fama viri Dei ob magnum suæ sanctitatis meritum, multarúmque frequentiam virtutum, longè latéque diuulgaretur, ex vicinis ciuitatibus nobiles viri & mulieres, plurimæque populorum phalanges cateruatim ad eum concurrebant. Quibus mystica cœlestis vitæ pabula affluenter ministrabat, & optabilem corporum animarumque salutem, annuente clementiâ superni arbitri, impendebat. Pia namque sollicitudine erudiebat discipulos in omni sapientia ac sanctitate. Operæprecium videtur & illud non reticere, quod quædam extitit causa, qua ad Bituricensem pagum ire decreuit; Dispositúmque peragens iter, reperit quendam virum illustrissimum nomine Cassium cum suis fratribus graui infirmitate toto corpore ipsóque vultu dehonestari. Quos ab eadem ægritudinis incommoditate ereptos, pristinæ sospitati reddidit lætos. Erat autem præfatus vir Cassius natalium splendore decoratus, & quod multæ benignitatis esset, suorum affinium protestabantur edicta.

Digitized by Google

Qui quantæ sanctitatis fuerit, cuiusve meriti, finis probauit, in quo omnis laus securè canitur. Pro Dei námque amore ad palmam vsque martyrij dicitur peruenisse. Itaque Beatus Austremonius ad Bituricensium ciuitatem perueniens, populum adhuc in fide nimium vacillantem, suo studuit roborare documento & exemplo. Et inibi aliquantisper commoratus, in eiusdem Cathedræ Pontificatu populi petitione sublimauit Beatum Vrsinum discipulum suum, nobilitatis apice pollentem, & per omnia Deo placere studentem. Clericorum ergo & Laicorum rebus prudenti moderamine dispositis, ad Niuernensem pagum iter direxit. Ad cuius vsque incolas perueniens populum adhuc erroribus implicitum gentilitatis, idola adorando, dæmonibus sacrificando, sua salubri & dulci prædicatione ad veritatis cultum, nec-non & fidei æquitatem conuertit. Ergo in Dei timore populo confirmato, lætus in Domino Aruernica repedauit ad arua. Fertur etenim, quod Lemouicinam regionem fulgidis suæ * radijs maxima ex parte illustrauerit, & ad fidem Christi frequenti visitatione conuerterit. Aquitaniæ etiam secundæ magnificus extitit prædicator, præcipuúsque instructor, spiritalium quoque charismatum strenuus largitor. Hæ nempè regiones illum vt præsulem venerabantur, vt inclytum recolebant doctorem, vt venerabilem honorabant fautorem, totóque mentis desiderio condignum illi exhibebant honorem. Hic eum laudabat ac si magnæ prudentiæ virum, ille vt principalem extollebat Episcopum. Hic illius probabilem mirabatur eloquentiam, ille humilitatem eius prædicabat; & patientiam. Desiderabant quidem potentes viri & religiosæ mulieres eum sæpiùs cernere, quibus consueuerat salutariter iocunda modesti hortaminis consilia propinare. Peroptabant identidem pauperes frequentiùs illum intueri, quia gratissimo eius solamine gaudebant se clementer recreari. Iam quippè grandæuus erat ætate, decorâ splendidatus canicie. Cúmque exterior homo honesta venustaretur pulchritudine, interior pollebat morum probitate, & coruscibili meritorum speciositate. Quia verò exemplo Marthæ in actuali vita diu Christo Regi libenti animo ministrauerat, cœpit cordetenus meditari de laudabili studio Mariæ, quæ contemplatiuæ specimen vitæ gerebat, quia optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Et intra se dixit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam*: Vt sedens secus pedes Domini, audiam iugiter verbum illius. Hæc vir Domini Austremonius secum sedulè reuoluens, disposuit negocia omninò relinquere secularia, terrenásque flocci pendere occupationes. Denique xxx. & vi. annis cum magno certamine Pontificatum eiusdem vrbis rexit, & perseuerauit vsque ad tempora * Imperatoris. Prouidit ergo ex suis Discipulis solertes quosque & industrios viros, qui & rerum amministratione ceteros, & prudentiæ sagacitate miro callerent ingenio. Qui & zelo diuini amoris referti æquitatem diligerent, & non haberent dolum in lingua sua, nec exercerent malum in proximos suos. Hos itáque tanquam bases columnarum ceteris præfecit, monens eos vt insçios & rudes docerent, omnésque ad meliora prouocarent, vt à fide quam ab ipso didicerant, minimè deuiarent. Aduocans námque vnum ex ipsis, voluit ei Ecclesiasticos committere Ordines, vt ipse postmodum Heremiticam solitariámque vitam ducere liberiùs potuisset. Cui & dixit: Accipe, frater charissime, curam pastoralis officii, eamque sic tracta & age, sicut coram Deo, ipsi immortali Regi coram Sanctis omnibus rationem redditurus in tremendo examine. O felicem Pastorem! ô bonum dispensatorem qui vtique impleuit præconialem perspicuæ dispositionis affectum, quo sciebat sibi diuinitus augeri incrementa virtutum. Aruernensi siquidem Ecclesiæ, cui ipse præerat, beatum VRBICVM, licèt inuitum, semet tamen cogente, Clero etiam eligente, populóque consentiente, strenuum constituit Episcopum. Hanc etiam ordinationem Clerus & populus idcirco minus molestè gerendam esse censebant, quia illum intra patriam mansurum fore ipso innotescente sciebant. Iste planè Pontifex miro, doxo-logóque callens ingenio, ordinabili voto, & prudenti consilio, sibi commissam gubernabat Ecclesiam. Quæsiuit profectò adiutorium, quo æquanimiter pondus quiuisset ferre sibi impositum, non vt secum portanti sacri iuuaminis subtraheret solatium: sed vt pariter portantes maius negociarentur præmium. Ecce, vt ita dicam, verè Israëlita, in quo dolus non est, quoniam quicquid facit, rectissima intentione, & sincera ordinat deuotione. Ecce, inquam, fidelis dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempo-

re. Ibi enim est eruditio spiritalis gratiæ, facilis patet norma iustitiæ His ritè peractis, preciosus Domini Austremonius populorum frequentiam non ferens, & aniles laudum strepitus vulgi refugiens, in Pontificali quoque culmine positus, fauores adulantium perhorrescens, toto animi proposito spiritali theoriæ decreuit inhærere. Omnibusque modis oblectamenta mundi respuens, ipse ad meridianam plagam heremum concupiuit, & ad quod perueniens Monasterium construxit, in loco qui vocatur Yciodorus, vt tantò ibi Domino vacaret liberiùs, quantùm à mundiali hominum strepitu erat segregatus. Vbi non modicam Monachorum constituens turbam, Apostolicam vitam, quam pleniter didicerat, feliciter illis tradidit conseruandam. Ad exemplum videlicet beatorum Apostolorum, & per ipsos credentium, docens eos viuere, de quibus dicitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

*Fama beata dehinc * vulgantur vbique,*
Concurruntque ad eum populi, gaudentque caterua
De cunctis properare locis, vt mystica verba
Intenti capiant, doctis animisque recondant
Quæ præclara fides depromit Martyris almi.
Quos athleta Dei miserans informat & ornat
Virtutum exemplis diuinæ lucis & armis.
E quibus Vrsinus cœlesti dogmate plenus
Eligitur Præsul populo quoque Bituricensi,
Omnis consensu populi, precibusque petentis.
Pastor præficitur dignè venerandus, amandus.
Sed cupiens hominum strepitus vitare beatus,
Quos jam subdiderat Christo baptismate sacro.
Accelerat fundare locum, qui nomine dictus
Antiquitus fertur Flauiacus, quem vocat ipse
Yciodorum ab aquis, idem quibus insitus inest,
Ecclesiamque dicat Petri sub honore beati:
Exultans illicque diu viuendo moratur,
In quo constituit Monachorum sancta manere
Agmina, legis Apostolicæ sectantia cultum.

Quadam namque die cùm preciosus Domini Austremonius non longè à Monasterio quod ipse construxerat, iuxta Elaueris fluuiũ consisteret, & luculento sermone populũ alloqueretur, populósque, quos per fidem Domino adquisierat, verbo prædicationis veluti nouella plantaria cælestibus irrigaret monitis: ostendit Dominus per eũ hoc ammirandę virtutis prodigium, ex quo partim datur intelligi, quanta excellentia sit tanti viri acta perpendenda. Duo si quidem rustici cum suis venientes operariis & plaustris, prædictum volebant fluuium nauigio transmeare, vt ad siluam pergerent, quæ vltra flumen erat, ligna cædere. Cùm itaque peruenissent ad locum, vbi sanctus vir prædicabat, cæteris prætereuntibus, vnus illorum diuino, vt credimus, nutu inspiratus, paululũ substitit, quo verba prædicantis audiret, & ab eo benedictionis gratiam humiliter impetraret. In exordio quippe nascentis Ecclesiæ, talis erga prædicatores erat consuetudo, videlicet vt finita prædicatione, eulogias communionis gratiâ acciperent omnes à prędicatore. Vnde rusticus ille, antequàm conscenderet, iuxta morẽ à sancto viro eulogias petiit. Quibus acceptis, cũ sociis protinus nauẽ conscendit. Vertunt interim fluctiuagas per alueũ Elaueris vndas, repentina pernicies ventorũ impulsione exoritur, trãsuersa viatione subitò prora dirigitur, & dũ puppis vndoso monte ad alta sustollitur, illa procliui dejectione in ima delabitur. Procellosis ictibus nauis hinc indè allidítur, atque lamẽtabili naufragio demergitur. Quid plura? pereunt vtiq; omnes, præter illũ, qui à S. Austremonio eulogias acceperat. Cumq; idẽ ipse ad litus natando tenderet, diabolus in aëra ad alterũ diabolũ cœpit horribiliter clamare, Sancto Pontifice, omniq, populo
" audiente. Heus? inquiens, quid facis? quid pigritas? Cur non festinas illum submer-
" gere, qui ad litus festinat natando euadere? Occupa velociùs illum, ne transnatet flu-
" uium, & possit viuere. Cui alter: Magna quidem auiditate, ex omni etiam voluntate
" hoc feciſſem, si mihi vllatenus possibile fuisset. Sed hoc ipsum non permittit fieri
" salutiferi potentia Christi, propter meritum Sancti Austremonij, & propter fidem eius-
" dem viri. Officit quoque mihi crebra præsentis intercessio populi. Expulit enim nos

de

de finibus Aruernicæ regionis Episcopus iste, in virtute & nomine illius Christi: qui « resurgens à mortuis, claustra destruxit inferni, & subuertit potentiam Principis no- « stri. Hęc audiens sanctus Austremonius, magno repletus gaudio dixit: O cæli rector, « terræ fundator, aquarum creator, omnísque creaturæ dominator, Rex regum, Do- « minus dominantium, gratias tibi cernuâ deuotione ago, qui per filium tuum vnicum « Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, triumphalem seruis tuis de antiquo ho- « ste concedis victoriam. Cuius inenarrabili potentiâ arcus fortium superatus est, & « infirmi accincti sunt robore. Domine, non est qui similis sit tibi, qui eripis inopem « de manu fortiorum eius. Vt enim vidit prælibatum hominem de aquæ periculo ere- ptum, vaticinali aduersus dæmonem vtens apostrophe, lætabundus intonat verbis: *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei, exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudine nubium, similis ero Altissimo.* At verò propter superbiam tuam, superam perdidisti gloriam. Dela- « psus es etiam ad erebi profunda, vt inlamentabili cœnosæ colluuionis voragine, « multimoda cum tuis complicibus luens tormenta, experiaris quanta proprio * com- « miseris gaudia. Quid adhuc inaniter moliris, pretiosâ morte redemptis machina- « menta ingerere lethiferæ seductionis? CHRISTVS, inquam, IESVS de te pollen- « ter triumphat, cuius victoriam nos studemus affectabili voto vniuersis prædicare, & « salutifera viuificæ Crucis vexilla nullius laudis titulo passim eligere, ait, sicut à ve- « ridicis vaticinatum est Prophetis: Benedicantur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificent eum, & ab omnium ore incessanter dicatur: *Benedictus Deus Israël, qui facit mirabilia solus, & benedictum nomen majestatis eius.* O spectaculum lamento & laude plenum! Lamento enim in perditione illorum hominum, qui naufragâ periclitatione demersi sunt, quia prædicationem sancti Antistitis spreuerunt, nec ab eo panem salutis acceperunt, & ideò traditi Satanæ perierunt. Laude verò in illius saluatione hominis, qui perfectæ fidei tenens sacramentum, à sancto Pontifice munus suscepit eulogiarum, cum quibus pariter vitæ indeptus est spatium. Inde quippe inexpertus est salutare beneficium, vnde almæ fidei, sanctæque credulitatis mirabile cognouit mysterium. In quo itaque miraculo & Christiana Religio laudabiliter mirificatur, prædicabiliter laudatur, mirificando prædicatur; & glorioſum almi Præsulis meritum tripudianter propalatur, augmentabiliter magnificatur, ac iocundanter ab omnibus veneratur.

Iste Dei Martyr, quamuis compleuerit ipso
Officium Monachile loco, quem diximus antè
Se sibi construxisse suis de rebus opimis:
Iunctus quo Monachis Domino seruiret ibidem.
Non tamen à populis vnquam solamina tollit
Pristina, sed magnis signis in plebe refulget.
Ex quibus audaci præsumo retexere dictu,
Vnum prodigium Christi virtute coruscum.
Cùm solito plebem innumeram, fortissimus heros
Alloquitur, mandata Dei sermone reuoluens,
Angustam prope quam Christo fundauerat ædem:
Scilicet ad fluuium Elauerim de nomine dictum,
Quidam cum socio properans vt transeat amnem;
Rusticus in sylua quærens sibi cædere ligna,
Subsistit, à socio declinans, qui perit, vndas.
Hoc agit, vt sibi succurrat benedictio sancta,
Quà pius ipse pater populorum pectora firmat:
Inde petens flumen, dum puppis ad alta procellis
Subrigitur veluti mare labitur ocyùs vndis,
Adfuit alma salus aliis, pereuntibus illis.
Nando cúmque tremens ad littus tenderet, ecce
Insonat aërij vox horrida dæmonis atri,
Exclamans alio, Quid agis, crudelis, inique?
Viuere cur finis hunc? cur non submergere tentas?
Aliter ad hæc, Quia tutus ibit benedictus ab isto

Præsule nos pellente suis de finibus istis.
Cunctli mox laudes festinant reddere Christo
Martyre cum sancto, qui summo vernat Olympo.

Longo igitur tempore beatus Domini Austremonius in hac regione feliciter conuersatus, in Apostolicæ sanctitatis excellentia vitam ducens, innumera virtutum operatus est insignia, quæ nunc stylo prosequi supervacaneum ducimus: præsertim quia & valdè erat difficile, inter tot innumeras plebium cohortes frequentantem eum, & quodammodo discurrentem agnosci, nisi declarantibus signis. Nam claudis gressum reddendo, mortuos ab inferis vitę reddēdo, energumenos ab obsessis dęmonibus liberando, cœcis lumen præbendo, leprosos curando, aliarúmque mirandarum signa virtutum patrando, totam gentem Aruernicam, Domino fauente, ad fidei æquitatem conuertit. Signa enim, vt ait Apostolus, non sunt fidelibus, sed infidelibus.

Edita luminibus variis ceu sidera fulgent
Stelliferi cæli, sic Sancti præmia iuxta
Sumunt pro meritis, variisque nitoribus intra
Regis Olympiaci miranda Palatia vibrant.
Iste tamen Martyr pretiosus, clarior omni
Lumine Solis adest, pietas cui maximè Christi
Præstat vt foret exemplum virtutis in æuum.
Delicias sibi nempè putat ieiunia sancta,
Tradere membra quidem nescit lassata quieti.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto
Errat & in vultu grauitatis semper honestas,
Atque pudicitiæ summæ pudor immaculatus.
Orat cum lacrimis, deuoto pectore anhelans
Solem iustitiæ, qui sanctos prouehit ad se.
Summum iure bonum, æternum luménque bonorum,
Qui quemcumque sibi perspectat corde fidelem
Militiæ propriæ dignatur iungere sancta,
Mœnibus astriferis secum regnare peropians.
Denique pro minimo ducit cruciamina carnis,
Quæ patitur diuturna senex venerabilis iste,
Ni succumbat amore Dei, mucrone cruoris,
Martyrum amabilium victricia signa sequendo.

Omnis igitur Ecclesia Sanctorum optimè nouit qualiter Hierusalem pro commisso in Saluatore piaculo, vltrici vastatione à Tito sit subuersa, & Vespasiano. De qua subuersione idem Dominus IESVS antè prædicens: *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram consternent te, & filios tuos, qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, qui non destruatur, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Quidam enim Iudæorum gladiali excidio, quidam famis penuriâ, lethifera in obsidione, imò etiam sæuissimâ populatione perierunt. Perplures etiam vili numismate venditi, in captiuitate sunt miserabiliter deducti. Sícque perdiuersi, vt Dauidica compleretur vaticinatio, spiritali de eisdem Iudæis effata præsagio: *Disperge*, inquit, *illos in virtute tua, & destrue eos, protector meus, Domine*; & gentes cognoscerent eius populi, de qua hæc veridica recitatur Prophetia, execrabilem in CHRISTVM IESVM blasphemiam, & incredulitatem, & ex pernicioso lapsu Iudaïcæ gentis, ipse spiritali gratiâ inspirante, credendo declinarent perpetuæ captiuitatis detrimentum, ac fidei perciperent sacramentum, æternæque salutis præsidium. Per idem verò tempus non modica Iudaïcæ gentis agmina in vrbe Aruernica videbantur esse diffusa. Multi námque ex ipsis illâ in parte, quâ venerabilis Pater Austremonius iamdictum fundauerat Monasterium, mapalia sibi ad habitandum, vtpote peregrini, móxque pro immani scelere dispersuri, construere disposuerunt. Reuerendus itaque vir, strenuúsq; orator, beatusscilicet Austremonius, cùm sæpiùs eis viam salutis, & notitiam æquitatis, formámque credulitatis prædicando panderet, prophetali quoque sermone illos increpabat dicens: Quid est, Israël, quid est quòd in terra inimicorum es? Inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum his qui in inferno sunt, dere-

Digitized by Google

liquisti fontem sapientiæ. Si in via Dei ambulasses, habitasses vtique super terram. Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vt scias simul vbi sit longiturnitas, vita, virtus, vbi sit virtus oculorum. His verò auditis, plurimi compungebantur, & pœnitentiæ remedia votis omnibus à sancto viro deprecabantur, sancti gurgitis lauacro abluebantur. Sed & antiquus hostis videns sibi perisse, quos per famulum suum Austremonium Dominus acquisierat, & dolens innumerabiles populos per eius prædicationem de suis faucibus extrahi, toto suo illo antiquo conamine suæ artis apodixen per hanc perfidam gentem in virum Dei conatus est exercere. Verùm, cùm beatus Præsul hunc infelicem populum propter piaculum in Saluatorem commissum, multis increpationibus argueret, atque ex diuinarum Scripturarum authoritate ostenderet, pro salute gentis humanæ de cælo eum descendisse ad terras, & incarnatum de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, isdem perfidus populus nullo modo ei præbebat assensum; nec solùm de quibus eos monuit, ex incredulitate & duritia sui cordis pœnitentiam non egerunt, sed insuper in eius necem apertis persecutionibus conspirarunt.

Qualiter excolitur tellus dumosa labore,
Proferat vt dignos fructus, ita sanctus & iste
Sentes de populis vitiorum pellere certans,
Destruit errorem gentilem sæpè monendo,
Vt necis auctorem vitent, lucémque sequantur,
Quæ cunctos saluat, vegetat, sublimat, honorat.
His sanctis fidei monitis demulcet & ipsam
Iudaicam plebem, quæ tunc morabatur eadem
Vrbe colens scelerata deos, quos sculpserat ipsa,
Atque suos patrios venerans polluta Penates.
Maxima pars quorum lauacrum compuncta petebat
Baptismi, assiduis lacrimis peccata luendo.
Námque dolebat in his se lapsam sponte ruinis,
Quæ magis exitium barathri mortale parauere,
Quàm decus & requiem vitæ cælestis amœnæ.
Talia conspiciens fieri sæuissimus hostis,
Atque dolens grauiter, quòd sanctus straverit omnes
Gentiles pedibus, Iudæos prouocat ardens,
Quos habuit semper feruenti fraude sequaces,
Vt Sanctum perdant, subitò quoque factio frendens
Plebis Iudaicæ, prauas sub fraude latenti
Præparat insidias insonti. Sed pius heros
Omnia contemnit, spernit, certamine victor.

Sanctus igitur Austremonius Athleta fulgurantes Euangelicæ doctrinæ radios passim nullatenus formidabat diffundere, sed credentium corda lampabili splendore spiritalis gratiæ illustrat, & celsa virtutum fastigia almorum exemplis actuum subleuat. Quid plura? omnes quotquot ad vitam æternam præordinati erant, conuertit, & baptismatis vndâ purificauit. Denique inter competentes, qui fide orthodoxâ catechizabantur, filius Principis Iudæorum, patre nesciente, affuit, & vt gratiam baptismi consequeretur, à viro Dei humiliter postulauit: quem sanctus vir cum reliquis baptizauit, sibique in filium adoptauit, & Lucium nominatim vocauit, vtpotè de infidelitatis tenebris ereptum, & luce veritatis illuminatum, sacris etiam carismatibus prudenter imbutum, æternæque sanctitati laudabiliter dedicatum. Completis ergo ex more baptismi sacramentis, vir Domini Austremonius multiplici feruore deifici amoris succensus, villam, quæ Plauziacus nuncupabatur, expetiit, in qua ex fidelium circa manentium sumptibus Ecclesiam construxit, eámque in honore beati Petri Apostolorum Principis dedicauit. Princeps autem Iudæorum vt comperit filium suum à venerabili Pontifice esse baptizatum, intolerabili confusus dolore pariter ac mœrore, ingemuit, & vehementissimè succensus irâ, vtpotè diabolicâ instigatus malitiâ, proprium tandem filium, paterno vtique carens affectu, quodam projecit in puteo, ne illum Christi Ecclesia haberet viuum, ex quo alij Iudæi acciperent credulitatis exemplum. Quod cùm sancto Austremonio fuisset nuntiatum, mox cum collegio fidelium ad Iciodorense regreditur Monasterium; &

conuocatâ ſecum caterua Fratrum, cum thuribulis & crucibus, coruſcíſque cereorum luminibus, pergit ocyùs ad puteum; ex quo mox ſancti Lucij Martyris iuuenile corpus à Fratribus extrahitur, & ad locum ſepulchri cum dulciſluo canore hymnidicæ modulationis deducitur. O Iudaicam perfidiam omnibus ſæculis execrandam, quæ priùs in Dominum crudeliter ſæuit, ſeruos quoque lethifero afficere infortunio non deſiſtit! Nec ſufficit illi percuſſiſſe olim gregis paſtorem, ſed etiam ipſum inſectatur grauiſſimô odio gregem. Iſte námque peroſus pater, ſi tamen pater dicendus eſt, qui paternos in filium non ſeruauit affectus, Chriſtianis, licet inuitus, venerabilem exhibuit Martyrem. Perdidit infelix paterni reuerentiam nominis, orbatus affectabili dignitate feliciſſimæ prolis. Cúmque titulum Chriſtianitatis in filij mortificatione cupit omninô delere, facit potiùs, vt omiſſo infidelitatis errore, Lucius typico inſignitus nomine, ſcribatur cælitùs in libro vitæ. Lucius námque puer ad Chriſti tyrocinium ſancti Antiſtitis ſagaciſſimâ eruditione inſtruitur, probabili authoritate prouehitur, & protegibilibus armis munitur. Lucius ſub annis pueritiæ præſtantiſſimè Chriſti militiâ fungitur, & officiali ſeueritate crudelis parricidæ occiditur, propriíque ſanguinis effuſione perfunditur. Beata certè, & prædicanda puerilis ætas, quâ veternoſæ machinationes antiqui hoſtis mirabiliter deluduntur, quâ impiiſſimus pater à piiſſimo filio veritatis gratiâ ſpernitur, quâ infidelitas confunditur, & Deifici vexilla tyrocinij coruſcabiliter panduntur. Hæc eſt illa ætas, quæ in glorioſo Martyre Lucio magnificabiliter prædicatur, & poloſo honoramine clarificatur: Lucius etenim puer Chriſtianiſſimus, fide deuotus, ſpe robuſtiſſimus, charitate ardentiſſimus, agonotheta robuſtiſſimus, Martyrq; promptiſſimus, veritate cælitùs iubente, munificalibus Angelorum obſequiis excipitur, atq; in choro Martyrum fulgido diademate felicis victoriæ coronatur. Ipſum profectò Chriſticolæ vt laudabilem venerantur Martyrem, cernuíſque depoſcunt orationibus, vt eum pro ſe apud Deum perpetuum habeant interceſſorem.

Horrea complentur Chriſti redimita maniplis
Viuificæ meſſis, noſtro gaudente patrono,
Paſſim doctrinæ radios diffundere ſanctæ,
Qui datus eſt nobis ſpecialis in orbe Magiſter.
Filius interea cuiuſdam Principis orat
Iudaici vulgi diuino munere tactus,
Vt mereatur aquæ viuentis fonte renaſci.
Lucius à lucis ſortitus nomine nomen,
Qui differre nolens Sanctus quod quærit, & optat,
Erudit ad plenum, quà mente lauacra ſubire
Debeat, & ſacro renouat baptiſmate lethum.
Talia cúmque patris ſæui referuntur ad aures,
Frendet, & inſanit, nimiúmque doloſus oberrat
A patris affectu, ſitiens extinguere morte
Magnificam prolem, & meritorum germine claram.
Tandem vipereis inſtaurans arma venenis,
Perimit inſontem, puteóque retrudit in alto,
Sperans infelix facinus tam grande latere.
Dic natura potens, vbi ſunt tua iura paterna,
Cùm pater interimit natum de ſe generatum.
Mox Chriſti famulo vt ſanctas defertur ad aures
Crimen hoc horrendum, Monachorum cum grege ſancto
Illuc ire parat, ſanctum corpúſque ſepulchro
Sublatum foueà clementer tradit honeſto,
Egregius Martyr conſtanter & ipſe futurus.

Glorioſus denique Auſtremonius dum ſancti Martyris Lucij ſepulturæ implet officium, beati Marij diſcipuli ſui lugubrem excipit nuntium. Quinetiam illi eundem venerabilem virum ægrotatione detineri innotuit, & vt ad eum ocyùs viſitandi gratiâ iret, eius ex parte commonuit. Direxerat enim illum beatus Auſtremonius, vt montana peragrans loca, vices Pontificis exequendo, homines erroris tenebroſitate cœcatos, coruſco fulgore ſuæ prædicationis inluminaret, & ad tramitem æquitatis deduceret. Quod & fecit, bonorum exempla actuum monſtrando, & prædicabilia

Digitized by Google

virtutum patrando prodigia. Sanctus itaque Austremonius, vt expedito cursu illum inuisere posset, beatum Necterium, laudabilem Presbyterum, sui itineris facit socium; necnon & beatum Mametum, venerabilem Archidiaconum. His ergo secum comitantibus, vallem expetit Iornensem, vbi venerandus vir Marius infirmitate detentus manebat. In eodem autem itinere diuertit ad quandam villam, quæ Marojolus vocitatur, in qua fabricatam ab incolis Basilicam Apostolorum Principis in honore dedicauit. Inde quidem concitis gressibus ad virum Dei Marium, vir Domini Austremonius peruenire contendit. Contigit námque vt antequam sanctus Antistes ad beati Marij peruenisset hospitium, eundem virum Dei è sæculo iam migrasse, fulgidáque cælorum palatia nutu Dei subisse. Sæpè nominandus itaque Præsul beatus Austremonius sanctum corpus Athletæ Christi nouo cum digna veneratione tradidit mausoleo, nouámque super eum, vt dignum erat, Basilicam sumptibus fidelium circa manentium ædificauit, ipsámque eius in honore solemniter consecrauit. Nobiles etenim viri, quos beatus Marius salutari prædicatione ad viam veritatis conuerti fecerat, eidem Ecclesiæ beati Austremonij suggestione ex prædiis suis in vsus Clericorum ibidem omnipotenti Deo, sanctóque Mario seruientium, triginta mansos voluntate promptissimâ condonauerunt. Quam donationem voluerunt vt sanctus Antistes Episcopali authoritate confirmaret, vt nullus subsequentium vllâ temeritate violare eam auderet. Hoc enim beatissimi Præsulis sinceritissimâ ammonitione faciebant, qui magnoperè desiderabant honorare sanctam Dei Ecclesiam, & fidem corrobore catholicam. In vtroque siquidem pollet mirabilis, id est, & desiderabili prædicatione, & prædicabili operatione. Strenuâ námque dispensatione Ecclesias Dei vtilissimis commoditatibus dotando nobilitat, vt in terra viuentium centuplicatam portionem secundùm Dei promissum recipiat. Direxerat etiam plures discipulos in montana, prædicationis causâ, ex quibus ad eum vnus illuc venit reuerendus vir, scilicet Antoninus, qui etiam innotuit ei, qualiter omnipotens Deus per eos sacramentum fidei hominum mentibus inseruerat, & quomodo amor vitæ æternæ in eis excreuerat: qualiter etiam vniuersalis plebs obnixè postulabat, vt iret dedicare Basilicam nouiter ędificatam in loco, qui Compendiacensis dicitur. Quod vir Dominī audiens, omnipotentem Deum, qui facit mirabilia solus, sincero corde glorificauit, séque iturum, vt populus petebat, veraciter promisit. Ordinatis ergo ibidem Ecclesiæ ministris, supradictum cum discipulis adiit locum. Ibi etiam Ecclesiam in honore sancti Michaëlis Archangeli consecrauit, & Ecclesiastico ordine nobilitauit. Cúmque per aliquod tempus ibidem degeret, & populorum errata prædicabili castigatione emendaret, conuenerunt ad eum vndecumque discipuli eius, quos illas in partes ad prædicandum transmiserat. Quibus venerabilis Pastor salutaris fluenta doctrinæ affabili effusione propinabat, & vt parsimoniali obseruatione ad sanctarum arcem virtutum conscendere niterentur, honestâ vrbanitate mirabilis facundiæ hortabatur. Ascendebat siquidem in cordibus eorum perfectissimum & saluberrimum amore cęlestis patriæ, prædicando illis Helisiam iocunditatem perennis gloriæ. Suadebat vtique eis, quo terrena flocci pendendo desideria, Christo Regi toto conamine, totáque virtute, semotâ vtique simulationis technâ militarent, vt ab eo absque vlla cunctatione splendidam perpetuæ felicitatis coronam perciperent. Prędictus interim Iudæus Iudæorum nequissimus, quod de carnali filio crudeliter fecit, de spiritali patre eiusdem filij iam Martyris, beati scilicet Lucij, omnigenis facere nisibus gliscit, vt qui malignâ persuasione interfecit sanctum Martyrem, dolosâ machinatione beatum occidat Austremonium. Magnificus nempè Antistes Austremonius magnoperè cupiebat, vt diximus, per martyrij agones victorias consummare triumphales. Quod sancti diù discipuli perspicaci curiositate animaduertentes, indicare studeant magistro, quòd isdem nequam populus de ipsius interitu totâ mentis auiditate pertractaret, dicentes illi: O ter quaterq; beate Domine Pater, num ignoras huius vesanæ gentis Iudaicæ perfidiam in tui grassare perniciem? Certè quod fatemur, vt palàm sit tibi, noueris hunc cœtum malignum suis machinationibus dolosis paternitatem tuam ocyùs extinguere velle, & si fas sit, nomen tuum funditùs à viuentibus aboleri velle. Vnde, vt tui curam agere magnoperè digneris, sancte Pater, oramus: quia in huius insanissimæ gentis dolos te incidere valdè pertimescimus. Nouimus enim, quia qui cæli terræque Rectorem carne visibili mundo apparentem interficere non sunt veriti, fortè nec tuæ miserebuntur reuerendæ senectuti. Et tè

» ſancto Patre erudiente didicimus, quia in occaſu boni Paſtoris magna extat ruina
» ſubjectæ plebis. Quod ne huic innumerabili populo per tuam eruditionem Domi-
» no adquiſito proueniat, magnâ ſagacitate tuam paternitatem prouidere congruit.
Quæ cùm vir Domini à diſcipulorum ore, mente tranquillâ, & vultu alacri hauſiſ-
ſet, ſic demùm ora reſoluit, & intimâ alacritate gauiſus, magnáque hilaritate perfu-
» ſus, dixit: O quàm deſiderabilem nuntium, qui mihi prænuntiat mei cordis deſide-
» rium! O felicem me, ſi peruenire quiuero ad cleoneum certaminis ſtadium, in quo
» diutiùs finitur machia, & inclyta in virtute tonantis, meritóque agon zantis lauda-
» tur victoria! Cúmque plus ſolitò lætior incederet, diſcipuli ab eo perquiſierunt, mi-
» rantes quid ſibi iam dictus nuntiaſſet legatus. Et ſanctus Antiſtes: Felix, inquit, hu-
» ius famæ relatus, ſi ad dictorum fidem proueniat effectus. Optimúmq; eſt pro Chri-
» ſto huius corporeæ molis ſubire diſpendium, ſi ex eo peruenitur ad felicitſſimum ſu-
» pernæ beatitudinis immarceſſibile brauium. Nam quod fateor vt palàm ſit omni-
» bus, ſciatis me pro Chriſti Domini amore innumeras velle peti cruces, horren-
» dos quoque belluarum hiatus, & innumera tormentorum genera, quouſque vitalis
» flatus deficiat, non timere; maximè cùm amplectendum ſit eorum dolo occumbere,
» qui in Domini IESV nece manus truculentas iniicere non timuêre. Populum au-
» tem ſuum Deifica omnipotentis clementia ſuâ ineffabili prouidentiâ vbique circum-
» teget, & miſericordia, quâ eum voluit reuocari à tenebris ad ſe, qui eſt vera lux, fine
» tenus non deſiſtet tueri, & conſeruare. Omnibus quoque indeſinenter monita ſalu-
» tis ſuggerebat, ita inquiens: Filioli, ſufficiat vnicuique hactenùs ſua exercuiſſe ſtu-
» dia, & ſuimet voluptatibus deſerviſſe. Reliquum ſupereſt, vt quod quiſque viuit,
» Deo viuat, & non ſibi, qui redditurus eſt vnicuique ſecundùm opera ſua. Ex qua re-
ſponſione diſcipuli oppido mœſtificantur, grauia ſubinde ab imis pectoribus ſuſpi-
ria trahuntur, internus animi dolor flebili lamentatione panditur, afficiabilis cor-
dium mœſtitia lachrymabili ejulatu, ac lamentabili planctu manifeſtatur. Pallentes
quidem genæ fluidis lachrymarum riuulis irrigantur, inter creberrimos etiam ſin-
gultus verba præ doloris magnitudine negantur. Sed ſanctus Dei athlera & vene-
rabilis Præſul ſupernâ ſtratus gratiâ, nimiæ illorum triſtitiæ paterno compatiens affe-
» ctu, conſolatorium eis ſermonem fecit, dicens: Cur mihi, chariſſimi, ſolitò triſtiores
» efficimini? Num arbitramini me pro Chriſti Domini amore certaminis agonem per-
» timeſcere? Scitote, quia pro eo cuncta, quæ à quouis hictore poſſunt excogitari, ſup-
» plicia ſum paratus perferre. Si enim Chriſtum Dominum oportuit pati, & ita intrare
» in gloriam ſuam; quis ego ſum, qui pro eo pati recuſem? Vtinam vel idoneus ſim diſ-
» cipulorum eius ſequi veſtigia, qui per ampla orbis ſpatia, varia ſunt perpeſſi tormen-
» ta! Non eſt enim ſeruus maior domino ſuo, neque Apoſtolus maior eo qui miſit il-
» lum. Nam de mea ſalute contriſtari nolite, ſed potiùs congaudete meæ felicitati,
» quia beatum & felicem me fore incunctanter cenſeo, ſi in confeſſione veritatis per-
» ſeuerans, proprium pro ipſa veritate ſanguinem fudero. Mea proculdubiò augmen-
» tabitur gloria, ſi cùm palæſtralis finierit pugna, remunerari cælitùm meruero glorifi-
» cali victoriâ. Mihi quippe viuere Chriſtus eſt; & mori, lucrum. Miſericordiæ etenim
» eius omninò meum committo deſiderium, vt ipſe ſuâ ordinatione diſponat eum, à
» quo conſtat totius bonæ voluntatis exordium. Non enim ſeparabit me à charitate
» illius vltrà mundi tribulatio, non temporalis anguſtia, non immanis perſequutorum
» ſæuitia: quia licet, permittente Domino, corpus diuerſis fatigare acerbitatibus, ad
» vltimum quoque occidere poſſint, animam in poteſtate nullatenus poſſunt habere.
» Qui enim promiſit nobis, nullum ex noſtris periturum fore capillis, faciet miſericor-
» diter vt nullum ex noſtris pereat membris; ſed integer ſpiritus, & anima, & corpus
» in eius aduentu eruetur. Spiritus etenim meus de ergaſtulo carneæ corruptibilitatis
» egredi oppidò deſiderat, vt Domino cælitùs confiteatur. Sed ſi vobis in peregrina-
» tione adhuc poſitus neceſſarius ſum in caſtris fidelium, vt infidelium * adquirere ſata-
» gam, pro amore IESV CHRISTI militare non abnuo. Multò autem eſt melius eſſe
» cum ipſo, ſi, vt ſpero, mei deſiderium animi celeri temporis meatu compleatur. Non
» vos igitur mei terreat abſentia corporis, quia magis ſubuenire vobis potero, cùm ad
» beatitudinem, quam Deus promiſit ſe diligentibus, ipſo ſuffragante peruenero. Cor
» meum quippe, & caro mea exultauerunt in Deum viuum, qui non priuabit bonis eos
» qui ambulant in innocentia. Cúmque vir Domini talia proſequeretur, mitigauit ali-
quatenus mœſtitiam illorum. Inter amicabiles denique complexus, grata miſcentur

oſcula pacis, eiſque paternali affectatione vale dicens, Epiſcopali etiam authoritate « benedixit, & poſt benedictionem hæc affamina intulit: Sequimini, inquiens, me, « fratres amantiſſimi, non inceſſu pedum, ſed ſacrâ imitatione, quâ Dominum IESVM « docui certatim eſſe ſequendum. Tenete, quæſo, formam doctrinæ illius, quam, me « docente, didiciſtis. Non vos frangat vllus terror mundanæ potentiæ, neque occu- « pet labilis amor execrabilis philargyriæ, nec infauſtæ colluuio diſtentet gaſtrimar- « giæ. Sed & inter proſpera & aduerſa viam tenete regiam, quo nec proſpera vos inſo- « lenter extollant, nec aduerſa turbabiliter dejiciant. Seruando itaque almæ fidei ſalu- « tare propoſitum, capietis æternæ remunerationis præmium. His dictis, beato iuſſit « Necterio, vt prædicamenta veræ ſalutis Antrambenſi ſtudiosè miniſtraret populo. Ipſe verò cœpit protinùs remeare ad ſupradictum Monaſterium, aſſumens ſecum beatum Mammetum tantùm, Diaconum ſuum. Cúmque Monaſterio adpropinquaſſent, in quodam termino diſtante vno & eò ampliùs ſtadio, B. Auſtremonius orandi gratiâ ſubſtitit, flexíſq; in terram genibus diutiſſimè orauit. Pollente etenim fide, fidiſſima illius mens perennis conſcia coronæ, indicibili inflammabatur amore perpetualis gloriæ. Non dubitabat etiam pro Chriſto ſuſtinere quicquid non ſolùm tormentorum Iudaica, verumetiam omnis humana poterat ſæuitia excogitare. Iam quippe mundo altior, magis de triumphali victoria in Chriſti fiducia, quàm de ſenilis corporis meditabatur agonia.

Interea prælibatus Iudæorum Princeps, miſſis in via latenter exploratoribus, præſtolabatur aduentum eius. Vt autem eum aduenisſe comperit, ipſis innoteſcentibus, occurrit illi in prædicto loco cum ſuis complicibus. Mammetus verò Diaconus eius, vt vidit illos occurrere, timore perterritus, beatum reliquit Auſtremonium. Non longè quidem ab eodem loco quandam ingreſſus eſt ſpeluncam. Et quia ſanctum Antiſtitem metu paſſionis ſolum reliquerat, deinceps à conſpectu hominum remotus, in eadem ſpelunca ſolitariam duxit vitam. Chriſti verò miles Auſtremonius à Iudæis comprehenſus, pro fide Chriſti flagris atrociſſimis cædebatur. Sed inlata ſibi tormenta ſentire non poterat, quia CHRISTVM IESVM ſuo ſemper in ore habebat. Et quia fides in eo mirabiliter pollebat, Chriſtum pro quo patiebatur, negare non poterat. Cúmque diù vexaretur, apparuit illi Angelus, vt pio ſolamine eum confortaret. Auſtremoni, inquit, glorioſiſſime Præſul Chriſti, ne frangaris ſup- « plicio, ſed magis gratulare de præmio, quod mox percepturus es in cæleſti palatio. « Expectat nempè te mirabilis Angelorum cœtus, cæleſtium quoque Virtutum exer- « citus, candidatus etiam Martyrum Chorus, in quo ſemper lætaberis perpetuâ gloriâ « decoratus. Hâc itaque conſolatione perceptâ, athleta Chriſti Auſtremonius, ac ſi « nouus præliator nouitate glacialis perfuſus lætitiæ, ouanter agonizabat in certamine. Senilia quidem eiuſdem corporis membra inter diriſſima carnificum verbera virtute pollebant robuſtiſſimâ. Mens quippe felicis patientiæ conſcia, murmure carebat ac querimoniâ. Non enim auferebat immaniſſima ab eo lictorum veſania fiduciam tripudialis victoriæ, quia corroborauerat mentem illius altiſſima virtus diuinæ potentiæ. Felix vtrique palæſtra, in qua Chriſti athleta fideliter decertat, quo deſiderabile trophæum æternæ glorificationis obtineat. Pertimeſcit interim nefandiſſimus Princeps, ne tam crudelis in ſanctum Auſtremonium ſæuitia Chriſtianis circa manentibus ab aliquo viatore nuntietur; & ideò præoptat illum ocyùs occidere, ne fortè à fidelibus viris per vim rapiatur. Quod etiam identidem ſanctus Antiſtes metuebat, ne glorioſo diademate martyrij diù deſiderato, breui temporis ſpatio fruſtraretur. Simile etenim deſiderium habebant ſceleſtiſſimus Princeps Iudæorum, & magnificus Chriſtianorum Antiſtes, ſed diſſimili conditione. Ille quidem, vt ſeruum Dei extingueret, & vniuerſalem Eccleſiam de interfectione tanti Pontificis mœſtificaret: Iſte verò, vt inclyto martyrio cæli decoraret palatia, & Eccleſiam Chriſti triumphali ſplendificaret victoriâ. Iubet ergo timidus ac deteſtabilis Princeps præuaricali cenſurâ ſanctum Dei Antiſtitem capitali velociùs puniri ſententiâ. Traditur denuò crudeliſſimis carnificibus, inſuperabilis Chriſti miles hinc inde impellitur, iteratáque ſubſannatione illuditur, & illudendo terra tenus proſternitur. Cúmque in terra genua fixiſſet, gladiator ſuper eum ſtetit, capútque illius gladiali ſecamine amputauit. Inde verò velociùs recedentes, almum caput venerandi Martyris ſecum detulerunt, & in puteo, quo nefandiſſimus Princeps iam pridem ſuum projecerat filium, iactauerunt. Mirabilis quidem Deus, qui in ſanctis ſuis ammiranda

valdè exercet magnalia. Vt enim oſtenderet quantæ ſanctitatis, quantíque meriti venerabilis Antiſtes & Martyr inſignis fuerit, mirabili cum virtute ſignorum mirabiliter honeſtauit: Nam eodem momento, quo abſciſſione gladij ſanguis ex eius capite fluxit, ſub pedibus illius fons aquæ de terra prorupit. Mirabilis quippe productio fontis, euidenter teſtimonium ſuæ indicat probitatis. Tellus quippe ammirandum ac probabile dedit indicium, cùm ſanctus Auſtremonius ſuo ſanguine purpuratus migrauit ad cælum. In qua etenim hora eius anima eſt egreſſa à corpore, hymnidicis ſtipata choris, Angelorum obſequio in ſpecie columbæ viſa eſt ad cæleſtia deportari. O virum omnigenâ laude dignum, cui, iubente Domino, famulatur militia Angelorum! O Martyrem almifluæ venerationis gloriâ ſublimandum, quem Dominus IESVS cenſuit ſuper omnia bona ſua conſtituendum! De quo tripudianter exultat mirabilis concio Patriarcharum, cui plauſibiliter congaudet clariſſimus ordo Prophetarum, quem ſublimiter honorat chorus Apoſtolorum, qui etiam in glorioſo cœtu reſidet Martyrum, laureatus ſplendido diademate virtutum. Felix pro certo Aruernica regio, quæ tanto gaudet Patrono, cuius etiam gloriali ſemper adjuuatur merito, & præſidiali munitur patrocinio. Dignum itaque eſt, vt beatum Auſtremonium omnis veneretur mundus; quia de illo gratulatur in cælo vniuerſalis ſanctorum exercitus. Nuntiatur intereà diſcipulis, athletam Chriſti Auſtremonium à perfidis Iudæis eſſe interfectum. Proh dolor! quis poteſt expedire quantus mœror, quantúſve luctus pariter & gemitus diſcipulorum irrepſit corda? nimirùm, quia extincta erat corporaliter lampabilis eorum lucerna. Curritur etenim cum magna cordis mœſtitia, cum ſumma curritur diligentia, vt ſciatur quò ſint poſita ſancti Præſulis ac venerandi Martyris membra. Inuenitur verò tandem ſanctiſſimum corpus abſque capite, afficiuntur inde proculdubiò intolerabili mœrore pariter & angore. Impletur protinùs cælum lamentabili clamore, reboant hinc inde voces mœſtifico plo-
» ramine. Inter querulos denique planctus tali etiam vſi ſunt famine: O beate Auſtre-
» moni, vt quid inter naufragia ſæculi gregem tuum tam citò reliquiſti? O ſanctiſſime
» Pater, cui nos regendos, & ſalutari normâ inſtituendos commiſiſti? Quis noſter erit
» amodò paſtor, ac dux? Quis tam ſtrenuus doctor, ac præcipuus? In quo prudentia-
» lis inueniemus conſilium probitatis? in quo gratiſſimum ſolamen intimi amoris? in
» quo prædicabilem exhortationem veræ Religionis? Tu qui es, vt ait Dominus IE-
» SVS, ſplendida lux mundi, qui etiam per mortem carnis mundum viciſti, in nomi-
» ne eius ſis memor noſtri, vt te poſſimus ſequi ad gloriam cæli, quò te ſequendum ſæ-
» piùs monuiſti. Studet intereà vti res geſta erat, VRBICO quantocyùs mandare Epiſcopo. Qui cùm cognouiſſet Magiſtrum ſuum ab impiis Iudæis fuiſſe interemptum, indicibili permotus triſtamine, aggregatâ illicò Cleri ac populi multitudine ſecum, expeditâ viatione, ad Iciodorum peruenit Monaſterium. Diſcipuli verò corpus ſanctiſſimi Martyris in Eccleſiam ab eo in honore ſancti Petri dedicatam cum condignis officiorum muniis detulerant. Dolent præterea detrimentum ablati capitis; ſed protinùs è regione callis recentia intuentur veſtigia ſanguinis. Cúmque eadem proſequerentur veſtigia, venerunt vſque ad puteum, & cognouerunt in eo fuiſſe projectum caput ſancti Martyris. Sed is, cuius moderamine ſæculorum ordo decurrit, ſuorum vbique fidelium curam gerens, religioſos citiſſimè præparauit viros, qui pretioſum caput ab aquoſo eruerent domicilio, & meliori reconderent mauſoleo. Repentina námque huius facti opinio peruolauit ad omnium aures Aruernorum. Factus quoque eſt concurſus populorum repentè, concordi vnanimitate plan-
» gentium pariter ac lugentium. Qui ſunt illi, qui interfecerunt Paſtorem noſtrum?
» tollantur de medio Chriſtianorum. Epiſcopus interim cum Clero triumphales exequias beati Martyris ſolemni peragit voto. Diſcipulorum quoque chorus hymnidicas preces fundendo, ſanctum Martyrem commendat omnipotenti Deo. Miſcetur quippe luctus cum iubilo vocis, perſtrepit ejulatus populi valdè plangentis, & inter canoras modulationes hymnidic ęiubilationis ad locum deportatur polyandrij venerabile corpus S. Auſtremonij. Illius etenim glorificabile corpus in Cœnobio Iciodorenſi ſepelitur præciſi in loculo lapidis. Quo peracto, tanta cœperunt ad huius egregij Martyris loculum micare virtutum inſignia, quanta nullius valet effari lingua viuentium. Nam & ex aqua putei illius, quo ſanctum caput eſt projectum, multitudo languentium fideliter hauriens, meritis ſancti viri ab omni eruebantur incommoditate, optatæque reddebantur ſoſpitati. Singulis quoque annis, eodem die quo beatus

tus Martyr relinquens terrena, penetrauit sydera; eius putei lympha ab imis supergrediens, sua mirabiliter videbatur humectare ora largi flua, & quasi inundantem sancti Martyris designans virtutem. O beate Austremoni, quàm dulce mihi est, pietatis & humilitatis gratiâ, tuum flere martyrium! quàm charum est, amoris & honoris causâ, tuum laudare triumphum! quia sicut in vtroque polles laudabilis, ita in vtroque refulges mirabilis. Te quidem honorare laudifluum est, quia omnis qui te solenniter honorat, CHRISTI IESV mirabilem potentiam, qui te glorificauit, sine dubio magnificat. Te enim exorare proficuum est, quia inde optabilis impetratur delictorum venia, & cælestis adipiscitur gratia. Nunc verò securus de te ipso, sisque de collegio tuorum sollicitus seruulorum, vt tuo fulti suffragamine, mereamur de virtute in virtutem proficere, quo Deum deorum in Sion securi possimus videre. Omnes etiam, qui tuam solemnitatem humili concelebrant deuotione, præsentiali fruantur pace, & perceptâ delictorum remissione, tecum glorientur æternâ clarificatione. Compleuit igitur beatus Austremonius glorioſum agonem suum, die Kalendarum Nouembrium, anno à Passione Domini nostri IESV CHRISTI 64. Rege Regum regnante, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Gens mimica bonis semper Iudæa nefanda,
Astutam vulpem vapido sub pectore portans,
Diximus vt suprà, vestrum hunc furibunda patronum
Tradere molitur morti pro nomine Christi.
Principis instinctu, qui natum lumine vitæ
Audax priuarat, vacuans vitalibus auris.
Ergo patens miles capitur, trahiturque cruentis
Iudaicis manibus tragicali sanguine dignus.
Sicque diù tortum confortans Angelus inquit
Cælitùs apparens ad letha, Dei venerande,
Regi dilectus supero, gaudere memento.
Gaudia percipies nullo labentia fine.
Redditur his dictis Sanctus constantior almis,
Non trepidans Christi nomen sublime superbis
Proclamare senex Iudæis, donec ab ipsis
Attritus pœnis pro Christo sponte tetendit
In terram genibus prostratis flexile collum.
Cui super assistens ictu deliberat vno
Ceruicem capitis gladiator plectere sanctam.
Sic quoque summa peti conscendens, clarior astris
Astat in arce paregis iam victor Auerni.*
O quàm laude sacrâ cælis terrisque colendus
Martyr hic egregius, quem Christus censuit almo
Pro meritis decorare libens diademate cælo.
Dignus laude quidem, quem laudant agmina cæli,
De quo mundus ouans exultat ritè patrono.
Summa Creatori nostro sit gloria semper,
Die Kal. Nouembris gloriosa vota redduntur,
Sexageni quatérque anni à Christi morte dicuntur,
Præsulis Austremonij ad glorioſum vsque triumphum.

Denique muniis exequiarum expletis, VRBICVS Episcopus conuocans ad se ciuitatis Senatores, regionisque Primores, indixit illis vt detestabilem Iudæorum Synagogam cum suo Principe absque dilatione comprehenderent, & quicumque ex eis fidem Christianæ Religionis mallent obseruare, doxoloco catechisati in scrutinio, salutari abluerentur baptismatis gurgite, ac pro Christi amore permitterentur viuere. Qui verò pertinaci renuissent infidelitate, pœnali mulctarentur mortis damnatione. Cuius placabili edicto mox parentes comprehensi sunt Iudæi execrabiles: quibus comprehensis, præconariâ voce clamatum est, vt vnum è duobus eligerent, aut Christo Regi militare, aut mortis supplicia luere. Illi námque qui vocem Angeli audierant, dum beatus agonizabat Austremonius, in certamine dicentis: Austremoni, ne frangaris supplicio, sed gratulare de præmio, quod mox percepturus es in cælesti palatio; Ammirabile etiam viderant signum, quando caput eius

est amputatum, fontem scilicet aquæ de terræ visceribus fuisse diuinitùs productum, pollucibili voluptate crediderunt, aliisque quamplurimis credere persuaserunt. Qui verò in sua remanserunt perfidia, iustissimâ diristimæ mulctationis afflicti pœnâ, transitoriæ mortis pertulêre tormenta. Postquam temporalia multimodæ vexationis ac macerationis verbera, vacua & lacerata relinquentes corpora, diuino examine damnati, pœnalia petiêre tartara, luituri horrida perpetuæ mortis supplicia. Quibus ad nihilum redactis, cœpêre religiosi viri, diuini amoris zelo feruidi, eundem locum, quo sanctum Martyrem tumulauerunt, summo cum honore venerari. Multíque ex longinquis regionibus aduentantes, magis beati Martyris Austremonij expectabant suffragia. Cuius ope freti, & munimine fulti, quacumque incommoditate detinebantur, eruti, sani & alacres ad propria reuertebantur. Multis itaque prædiorum largitionibus, haud prolixo temporis interstitio idem excreuit locus, in tantùm etiam vt ex plurimorum abundantia sumptuum plurimæ circa ipsum Cœnobiorum Ecclesiæ construerentur. Quod itaque assertionalis antiquitas prisco patuli notaminis in culmine testatur, ipsa quoque operosa facies pauimenti pluribus in locis euidenter fatetur. Quodam igitur tempore Quadragesimę, cùm Sacerdos diuina ex more celebraret mysteria, beatus Austremonius (mirabile dictu!) de suo, cunctis qui aderant cernentibus, exiit sepulchro; & procedens ante Altare, eleuatâ iuxta morem Episcopi, manu dexterâ, Sacerdoti, omníque populo benedixit; ac benedictione completâ, ipsis videntibus, ad proprium regressus est sepulchrum. Permansit autem sanctæ Religionis cultus, honoris etiam status eiusdem loci, quousq; permittente iustissimâ Dei omnipotentis censurâ, propter innumera hominum facinora, paganorum grassata est longè latéque sæuitia. Cuius feritatis immanitate multæ ciuitates sunt depopulatæ, plurima castella funditùs destructa, Monasteria solo tenùs diruta, & quæ tunc erant hominum habitacula, facta sunt præ nimia vastatione ferarum cubilia. Per idem tempus Iciodorense Monasterium laudabili plurimarum stipamine Ecclesiarum prædicabiliter vallatum, ferali barbarorum manu noscitur fuisse depopulatum, penitúsque subuersum. Quâ tempestate etiam antiquiores Monachi, qui sciebant vbi & qualiter erat conditum venerabile corpus S. Austremonij Præsulis, rupto Parcarum stamine, tenuêre vias vniuersæ carnis, sicque remansit incognitum eiusdem S. Martyris sepulchrum. Recolenda tamen sui nominis memoria posteris semper fuit nota. Sopito verò turbine bellorum, ac redeunte pacis tempore, vbi tot quondam fuerant Monasteria, duo reparantur Oratoria, in quibus illi qui remanserant, diuina implebant officia. Quomodo verò eadem strages, tragœdiarúmque funestæ clades gestæ sunt, qui nosse pleniter cupit, recurrat ad librum, quem de Germanorum gestis nouerit scriptum. Námque, sicut inibi refertur, postquam flagitiosissimus Rex Theodericus regnum Francorum peruasit, nimiâ ardens crudelitate, simúlque cupidine, Gallias, & Aquitaniam, Papiámque ciuitatem, vnà cum Langobardia, violentâ peruasione cœpit; & vt valeret solus potiri regna peruasa, bellum cum fratribus egit apud Viennam, antiquissimam vrbem; in quo bello fratrem superauit, nec nónque occidit. O auri sacra fames, quid non cogis agere mortales? quæ hunc miserum venenosâ radice totius iniquitatis ita lethaliter infecisti, vt hoc agere præsumeret quod facere verentur belluæ. Sed eius exercitus pertæsus diutinâ expeditione, & prælíorum labore, in Ducem suum arma parant conuertere. Qui veritus ne regno cum dedecore priuaretur, atque truculentæ neci daretur, conuocans quosque Proceres sui exercitus, tali hortamine eorum iram fregit, & animus eorum tali ammonitione cupiditatis suæ vinxit: O fortissimi & inuictissimi milites, omnium laborum immemores, iam ad cupiendarum * multarum prædam præparamini, qui nunc vsque fame & algore, necnónque bellorum inruptione nimiùm laborastis. Eo quippe vobis terram prætendam diuitem auri argentíque metallis, omniúmque frugum fertilem. Quâ peruasâ, è vestris cordibus memoria pristini laboris recedet funditùs. Sicque Aruernis ingressus, Monasteria & Ecclesias solo tenùs, vt iam prælibauimus, coæquans, nimiáque grassatus nequitiâ, Briuatensem vicum, sicut in libro Miraculorum beati Iuliani legitur, irrupit, & concupiscibilia quæque disrupit, neque sacræ ædi pepercit. Indéque progressus, Iciodorense adiit Cœnobium, & eum pristinâ gloriâ, sicut eadem passio docet, spoliauit, & ad solitudinem redegit. Aruernis quoque ciuitatem obsidens, se capere ratus, nutu Dei propriâ spe est frustratus. Sed ne stratematicon videamur texere, his

omissis, ad propositum, vnde euagati sumus, Altithroni iuuamine reuertamur. His ita gestis, Dei fideles, licet rarissimi, qui remanserant, duris silicibus, vel præruptis montibus, seu abditis cuniculis tutamine defensi, ne Dei cultus funditùs in eis deperiret, Oratoria pro capacissimis Basilicis, pro suo modulo restaurare cœperunt, cùm funditùs omnium Monasteriorum cultus Aruernis positorum deperisset. Sub eodem ferè tempore quidam vir illustrissimus, cognomine CAVTINVS, Archidiaconatus functus officio, Iciodorensem locum suscepit ad regendum. Cuius temporibus cernentes plurimi sedatam tempestatem iamdictam, authorem pacis Dominum non vt oportuerat glorificauerunt, sed apponentes secundùm Psalmographi dictum, iniquitates super iniquitates suas, cum magis ad iracundiam prouocauerunt. Quibus meritò sic contigit, sicut olim Ægyptiaco populo. Cuius omnia germinantia postquam grando consumpsit, quicquid fuit reliquum, locusta superueniens corrosit; & vt per Prophetam dicitur, *Residuum grandinis comedit bruchus, & residuum bruchi comedit locusta, vastauit rubigo.* Statimque subinfert: *Expergiscimini miseri, & flete.* Nam quicquid Deo odibilis reliquit Theodericus, postmodùm gens Wandalica nimiùm effera, de vagina suæ crudelitatis egressa dissipauit. AVITVS autem successor beati PROIECTI, auferens ab Iciodoro corpus beatissimi Austremonij, iuxta corpus sui antecessoris, sicut in ipsius translatione pleniter referendum est, Wluico transposuit. Sed Deus omnipotens colla Regum Francorum iugo suæ fidei subjugauit, victoriámque eis clementi dignatione contra barbaros concessit: sicque ipsorum, cæterorúmque virorum saniori mente viuentium, & probitati operam dantium suffragamine paulatim mater Ecclesia, quæ ceu homo ignobilis inculta manebat, pristinum decorem cœpit resumere, & suum infortunium pedetentim abiicere, sacráque Religio certatim augmentum resumere. Inter quos Reges, vnum diua sublimitas prælegit PIPINVM cognomine, qui sicut Titan suo iubare, laricomorúmque vibratione, tetrum tegimen nebularum facessit & detegit: ita suo auxilio & labore nocuum destruxit, & proficuum, immò salutiferum cultum auxit. Cui venerandus Rex, nimiúmque solers & industrius, Deo gratam iussit aggregari Synodum, in qua fuêre Præsules clarissimi, & Comites innumeri. Cùm his ergo iamdictus Rex plurima, prout diuina sublimitas concessit, de fide sanctæ Trinitatis contra Deo contrarios hæreticos disputauit, & incorrigibiles quosq; de suo regno cum suis complicibus exturbauit. Aperto quoque demùm proprio ærario, infinita munera Dei fidelibus pro suo libito ad restaurationem Ecclesiarum, & sartatectorum reparationem deuotissimè contulit. Huic sacratissimo iure interfuit præuius ROTGERIVS, Dúxque maximus Pitagoreæ linguæ probatus, & signifer egregius.. Hic ortus ex Francorum genere, clariórq; Agamemnonio germine, in Curia supradicti Regis altus est nobiliter; qui moriente Aruernorum quodam Comite, nomine HECTORE, à Rege sæpefato EVFRASIAM eius suscepit sobolem, cum qua celebrans dulces hymenæos, omnia quæ patris ipsius fuerant, suscepit iure. Hic ergo inclytus Comes locum maximum in honore Domini Saluatoris construxit, quem KARROFVLVM, quasi ob ofulam dignitatis KAROLI, eius patre iam defuncto, ipsius Karoli amminiculo onoma indidit. Cui loco castrum, quem Inciſſam-petram vocant, vt condigna repocia ab ipso mundi Saluatore mereretur percipere, tribuit, quem cum iamdicta Eufrasia, iam nominato Hectore iure hereditario adquisiuit. Sed his omissis, cœpta gradiamur semita. Abbates igitur, qui regiæ majestati aderant, ab eo perceptis maximis muneribus, quíque gratanter ad propria redière: inter quos extitit quidam præclarus, ipsi Regi admodum dilectus, nomine LANFRIDVS, qui omnigenâ prece sibi tribui popoſcit almi Austremonij corpus, quem diù continuerat humatum Vvluicense Cœnobium. Nil iam coniiciens Rex, nomine fisus amminiculo *, sacrum merito à terrigeno cespite aufert, ac subito* cælibatum manibus laudabiliter sustentatur. Prætereà tres pueri vultu decoréque pari, ac venustate luculenti, sertis religatas inuicem manus, rosarúmque speculis redimiti, ad exequias conuenêre: quorum vnus peplum apprehendens, subinde ceruical operto, non illic vbi occiput, sed vbi discriminat sinciput, manum iniiciens, tres rosæ flores tulit: videlicet prima, sacram ferre hæredem; secunda, lætos vernulis afflare honores; tertia, vim superam in præsidium incunctanter coaptandam*. Hisoris sunt simul. Quod superi voluêre, licet de pectore fixis. Sed nunquam mage, velle disparamus. Paretut præcluibus locus aptus vt olim. Post hæc signifero Regis monstrabat, partésque vin-

ciri, honorationis celsæ affectatione. Pernix in vallibus triumphat Ianuarius cauis. Cantemus, atque amemus. Nunc vos pudici, nostra cum vestra laude iungite. Sub cespite soma, honorabili voto medio aquis. Cuius summa plaga Meridiani Flauiacus adornatur. *Explicant gesta & passio sancti Autissiodorensis Episcopi & Martyris.*

INCIPIT REVELATIO CORPORIS BEATI AVSTREMONII.

Post longæua annorum curricula, quo glorioſus, totóque orbe nominandus Martyr Domini AVSTREMONIVS in palæstra Cedar huius, cuius incolatum orthogibra à Paradisi sede lapsus, suis iure hæreditario dimissa filiis, cum diabolo felici confligens congressu, consummato brauio atque agone martyrij, cœlestia victor conscenderat regna, eiúsque sacrosancta sòmata vili sub cippo in Iciodorensi quieuerant humata Cœnobio, contigit dissuetudine longâ malorum, hominum crescente miseriâ, eiusdem piissimi Patris corpus seruitio priuati condigno, oblita innumera beneficia, quæ isdem ibi egerat degens in hac vita. Ideóque libuit diuinæ sublimitati mundo palàm facere, qualis, quantúsq; esset isdem Martyr, cùm eum tali modo voluit innotescì. Non enim poterat lucerna igne S. Spiritus vehementer accensa, sub modio reponi, sed supra candelabrum eleuari; vt omnibus qui in domo Dei sunt, lucere valeret. Arduam igitur Aruernicæ sedis cathedrã Præsul pro suo modulo Dei fultus amminiculo tunc regebat, qui, vt reor, quodam felici præsagio pro ipso suo opere, in quo prudens extitit, CAVTINI nomen sortiuit. Námq; isdem antequam Pontificali sublimaretur throno, Ecclesiam, in qua, vt iam diximus, vili sub gleba, & humili sub cespite cæleste illud & pretiosum latebat thesaurum, in suo Archidiaconatu regebat. Igitur dum quadam nocte in lectulo Cellæ suæ, quæ huic Basilicæ erat contigua, temporibus pressis decumberet, aure capessit clarissimum, sed tamen tenuissimum sonum quarũdam vocum laudes Deo resonantium: qui continuo metu percitus, stratu semet excutiens, attonitúsq; quod hauserat aure, gliscens cognoscere oculis, confestim aspicit interiùs, cernitq; eundem templum magno radiare fulgore, sed non materiali lumine. Hæsitabat námq; intra se quid hoc esset. Cella quippe ipsius adeò tenebat fastigia celsa, vt cœnaculum fenestris templi esset aptatum. Et ecce, iuxta tumulum cælestem cernit assistere militiam, radiantem supra Solis iubar, salutifera crucis vexilla in manibus tenentes, cereósq; gestantes vltra solitum morem fragrantes. Podera quoq; & ciclades, quarum amiciebantur tegmine, niuium superabant candorem, omnísq; musci balsamíq; odorem: qui quantò eandem visionem curiosiùs cupiebat cernere, tantò eius visus hebetabatur splendore. Credo virtutem fore Angelicam, quæ ad tumulum B. Martyris excubias celebratura conuenerat. Cùm verò illa almifica discessisset turba, ipse ad se rediens, facto mane aduocat
» socios & ciues. Tùm inquit: O nugecleriui * in hac Basilica cur deperiit reuerentia
» Patris nostri, & cur est frustratus seruitia alumnorum eius solertiâ tot per sæcula ipsi
» dignè exhibita, vestrâ torpente ignauiâ? Quo dicto, thecam Martyris iubet vallari cancello, & postmodùm honore excoli maximo. Ex hoc ergo si frequens oratio super tumulum Sancti deuota fundatur, auxilia ab ipso sacro Antistite semper impetrantur. *Explicit reuelatio.*

INCIPIT EIVSDEM PRIMA TRANSLATIO.

Igitur non post multum accidit temporis spatium, vt Vvandalorum gens crudelissima, suam cupiens augeri famam, dilatare & gloriam, vniuersam penè vt inuaderet Galliam. Quæ vrbes destruens, castra euertens, Ecclesias dissipans, Monasteria, villásque depopulans, maximam stragem Christianorum faciens, nullum propriâ vlteriùs sinebat potiri vitâ, quem in sua poterat reperire præsentia. Cuius persecutionis tempestate, præclara vrbs Aruernica, licet multis floreret pompis, & robustorũ virorum defensaretur gladiis, turrium murorúmque tutaretur propugnaculis, euitare non potuit, quia diuinis destituebatur auxiliis, eò quòd necdum, vt oportebat, authorem honorificabat suæ salutis. Sunt enim hactenùs in monimentum priscæ ipsius nobilitatis, murorum tantùm signa celsa leuantes fastigia, non ad aliud vtilia. Ecclesiis quoque eiusdem pagi penè solo æquatis, contigit, heus! proh dolor! eundem locum,

quo ſanctus Domini Auſtremonius quieſcebat, deſolari, & ipſum pretioſiſſimum margaritum Regis æterni diademate aptum, veneratione hominum funditùs priuari, & quod priùs ignorantia, hoc ei poſtmodùm, quod grauiter eſt gemiſcendum, Sacerdotum egit ignorantia. Námque tunc temporis beatus AVITVS, vir ſtrenuiſſimus, Præſulatum gerebat Aruernicæ ſedis: qui præteritorum flagellorũ reminiſcens, atque mœrore tabeſcens, illius Boanargis valdè animabatur famine, quo nos dicit per multas anguſtias & tribulationes regnum Dei oportere intrare. Cùm ergo orationi dans ſemper operam, feſſa membra commendaſſet quieti, in vna noctium adeſt ei mediæ noctis in libramine, vir in viſu viuido vultu, canis decoratus, oculis ardentibus, ingreſſu mirabilis, aſpectu terribilis, qui ſic infit: Et heus tu! inquit, cur ignauiâ torpens ſomno deprimeris, mœroréq; confectus tabeſcis? Et cùm magnum apud Deum habeas patronum, qui omne quod ab eo petierit, dicto citiùs facillimè impetrare poſſit; eo neglecto, fratrum eius, aliorum ſcilicet Sanctorum auxilia requiris? Námque pro certo noueris, quia quamdiu eius beatiſſimum corpus veneratione debitâ caruerit, tua apud Deum deprecatio effectum minimè perceptura erit. Ergo impiger ſurge quantocyùs, & alibi eius ſanctiſſimum transfer corpus; quia quæ huic ciuitati accidit peſtilentia, hâc maximè fuit ob cauſa. Nam vt certior tibi meus fiat ſermo, à loco qui vocatur Iciodorus, Vluico Cœnobio beatiſſ. Auſtremonij glorioſiſſimũ defer corpus, vt per eius glorioſiſſima merita, humano generi ianuam ſuæ miſericordiæ aperiat Deus. Quâ viſione perſpectâ, Præſul memoratus à ſtratu exurgens, omnipotenti Deo gratias reddidit, Fratréſq; aduocans, omnem textum huiuſce viſionis per ordinem narrauit. Aggregatâ itaq; vtriuſq; ſexus haud modicâ plebe, adiit locum quo ſanctiſſ. corpus quieſcebat, iunctis ſibi pariter Monachorum Clericorúmq; cæteruis. Supplicatâ itaq; altithroni clementiâ, cùm iubente Præſule, vrna vbi S. Martyris artus quieſcebant, aperiretur, & exinde ſanctum corpus leuaretur, tantæ ſuauitatis odor inde eſt exortus, ac ſi aromata multa & balſama ibi ſpargerentur: intantùm, vt omnes qui aderant, faterentur eum Paradiſiaco illo nectare dulcedinis perfrui, quod ſponſa poſtulat lætabunda: *Trahe me, inquit, poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Leuantes itaq; S. Martyris glebam cum hymnidicis cantibus, & populorum plauſibus, perueniunt, comitante Deo, in quodam, non dicam puellarum, ſed pullarum Monaſterio; quia nigredinem, quam habitu geſtabant, comitante diabolo in corde gerebant, ibíq; diuertuntur hoſpitandi gratiâ. Ipſum quoque Monaſterium conſtructum fuerat in honore peccatricis Marię, & Marthę ſororis. Tùm ille chelydrus, qui Adam primigenam à florigera ſede depulerat, quíque omnis bonitatis ſemper nouit eſſe contrarius, totiúſq; charitatis inuidus, recurrens ad ſolita fidiſſimáq; ſibi arma, immittendo ſe in aliquarum ſororum cordibus, linguâ viperea talibus conuiciis lacerare ſanctum non timuit corpus. O, inquit, Fratres dilectiſſimi, illud corpus quod attuliſtis exanime, dicite cuius ſit, vel quo cenſeatur nomine. Quibus reſponſum eſt à Fratribus: Hoc, inquit, corpus venerabile quod cernitis, ſanctiſſimi pro certo noueritis fore Auſtremonij præcellentiſſimi Patris, primi & ſummi Aruernorum Præſulis: quibus illæ, vti dæmonibus plenæ, Iſtum, inquit, veſtrum Auſtrebodium quem dicitis, quantociùs vobiſcum auferte, & hinc recedite; quia niſi hoc citiùs feceritis, non abſque magno veſtrorum detrimento iniuriati recedetis. Hæc autem dicentes cum magno furore, aliáque plurima conuicia in Sancto Dei iaculantes, propriis non clauſtris, ſed antris ſe abdunt. Altitonans ergo, qui nil inultum abire patitur, quíque per Prophetam terribiliter dicit: *Nolite tangere Chriſtos meos*, id eſt Reges & Sacerdotes, *& in Sanctis meis nolite malignari.* Itémque: *Qui vos*, inquit, *tangit, pupillam oculi mei tangit*; ipſarum damnabilem nugacitatem adeò voluit terribiliter percelli, & auſterè vlciſci, vt hæc audientes, vlteriùs nequaquam audeant in Sanctos Dei vlla conuicia rabido ore proferre. Nam aliæ earum à dæmonibus captæ, aliæ propriis laqueis necatæ, aliæ etiam febribus & diſſentericis conſumptæ: nonnullæ vtique profluuio ventris laborantes, & cum ipſis ſtercoribus propria exta digerentes, vermibúſq; ſcaturientes, interemptæ; cunctæ ex hac fragili vita infra breue ſpatium temporis infeliciter migrauêre. Sícque completum eſt in eis quod in lib. Sap. ſcriptum eſt de impiis: *Duplici*, inquit, *contritione contere eos, Domine.* Poſt non multum itaque temporis ſpatium, videns ſupradictus Pontifex eundem locum deſolari, aduocans turbam Clericorum & laicorum, præcepit vt iterùm amouerent glebam S. Martyris, & ad locum, qui vocatur Vluicus, ſicut ei diuinitùs, vt ſu-

prà iam dictum eſt, reuelatum fuerat, deferrent. Vigilatâ igitur nocte vnâ, & vigiliis ex more celebratis, cum gaudio & tripudio corpus S. Martyris auferentes, adduxerũt ad Cœnobium quod vocatur Vvluicus, vbi S. Martyr & Pontifex PRÆIECTVS iacet humatus, & iuxta ipſius buſtum, S. AVSTREMONIVM locandum decernũt. Cúmq; inibi eius ſancta membra diù quieuiſſent, nolens diuinitas geminum decus Eccleſiæ ſuæ, hæc videlicet duo magna luminaria vnius loci contineri anguſtiâ, placuit iterùm diuinæ majeſtati S. Martyrem ab eodem remoueri loco. *Explicit.*

INCIPIT EIVSDEM SECVNDA TRANSLATIO.

Opitulante Altithroni potentiâ, adjuuante clementiâ, iam nunc tempus inſtat, quo beatiſſ. Auſtremonij athletæ inſignis ipſius obtentu pandatur tranſlatio ſacra. Eſt igitur locus antiquâ nobilitate valdè eximius, & religione præclariſſimus, ab Aruernica vrbe decem diſtans millibus, vocabulo MAVSIACVS: quem locum antiquis in temporibus CALMINIVS conſtruxit, Romuleæ vrbis Senator egregius; quémq; B. Petri Apoſtolorum Principis, paritérq; almi Martyris Capraſij inſigniuit pigneribus, auxítq; muneribus, & amplificauit agrorum poſſeſſionibus, datis ſimul & præclaris prædiis, cum ſeruorum mancipiis. Quem locum præfatorũ patrum ſub honore ſacrari iuſſit, ſcilicet vt quorum ſacroſancta continebat pignera, ipſorum interuentu & auxilio ſuffragaretur per ſæcula. Sed poſtquã almus Martyr Auſtremonius illuc Domino fauente eſt delatus, tranſiit ad gloriam ipſius ſancti nominis, & vocabulum eiuſdem Cœnobij. Cuius ſacri Archiſterij inerat Rector æternæ & felicis memoriæ LANFRIDVS cognomine, qui tam Deo, quámque hominibus, omnimodis ſtudebat placere; ſicque imitari ſatagebat Martham, vt nequaquam negligeret Mariam. Eius cordi omnipotens Deus immiſit ſalubre conſilium, iuxta illud Apoſtolicum: *Omne*, inquit, *datum optimũ, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*: ſcilicet vt cum ſibi credito Monachorum grege adiret Regem ſereniſſimum, domnum vtique PIPINVM, ſuppliciter exorans eum, quatenùs ei aliquem ex primoribus SS. Martyrum Aruernæ ciuitatis ad ſuum ei liceret transferre Monaſterium. Præfatus autem Rex tunc temporis Aruernis ciuitate nimiis florens pompis morabatur, magnâ ſuorum Procerum comitatus cateruâ, & tam Germanorum, quámque Aruernorum ſtipatus frequentiâ. Idem verò Auguſtus audiens petitiones iamdicti Patris, vt probis libens ſemper aurem accommodabat dictis: ſimúlq; memor ſomnij quod pridem viderat, ſe quaſi in exceſſu mentis Vvluico adeſſe, & ibidem orandi gratiâ Baſilicã B. Martyris Prejecti ingreſſus, videbat quoddam tribunal auro ſplendidius, à quibuſdam perſonis venerãdi omnimodis habitus ſancto altario ſuperponi, ſicque quendam Regem gemmatum, atque incredibili pulchritudine adeò præditum, vt innumerum ceroſtratum adſtãtium lumina obnubilarentur eius majeſtatis ineffabiliter radiantis à gloria, ipſo in tribunali ſedere, & multa illi Sanctorum millia aſtare. Inter quos almus Auſtremonius togâ aureâ prætextus, ſtolâ comptus, planetâ indutus, ad quoddam iter expiendum quaſi paratus adſtabat; & quem ſibi eadem poteſtas ſocium huius itineris dirigeret, inquirebat. Ad quem: Socium, quem dilectiſſime requiris, hunc habeto, qui hùc modò orandi causâ intrauit, ſicque honorificentiſſimus Pater dans manum Regi, extemplò egrediebatur. Cui iſdem, quò tendere haberent, inquirebat. Sanctus verò reſpondit: Eſt, inquit, iuxtà locus domni & magiſtri mei Petri Apoſtolorum Principis honore dicatus, cognomine MAVZIACVS. Et hoc à Domino accepi in mandatis, vt ſub mea tutela & munimine eum accipiam, & omnium quæ ibi geruntur, ipſiúſq; inſpector & prouiſor exiſtam. Cúmq; hæc dixiſſet, craſſis ſe ſub nubibus contulit, & hæc viſio ab ipſius Regis oculis diſparuit: qui auditâ petitione Abbatis, alacer effectus, cum omni illa regia magnificentia, Epiſcoporum quoque & Abbatum, ac Clericorum haud exiguo numero, Vvluico aduenit, & de Sanctorũ corporibus illuc tumulatis ſciſcitatus, didicit B. Auſtremonium doctorem & magiſtrũ Aruernici ruris extitiſſe, & eius incolas ad fidei rudimenta conuertiſſe, & ab Iciodorenſe Cœnobio hùc delatũ fuiſſe; qui ſtatim gaudio magno repletus, diuinóq; ſpiramine tactus, ſicut Sapiẽtia proteſtatur: *Cor Regis in manu Dei eſt, & quocumq; voluerit vertet illud*: ſtatim iubet Abbati vt celerem nuntium Fratribus dirigat, vt quantocyùs properent, & cum Dei iuuamine beatum ſibi deferant Martyrem; qui ſtatim cum ingenti exultatione feſtinantes, & ad indicium regiæ authoritatis IOSEPH ipſius Regis Apocriſiarium, qui poſt eius diſceſsũ

Digitized by Google

Abba extitit Tiernensis Cœnobij, secum habentes, noctem illam peruigilem ducunt & sanctiss. Martyris thecam referantes, ipsius sacratiss. corpus ad transferendũ educunt. Cùm ergo illud aperiretur mausoleum, tanta exinde fragrantia est exorta, vt omnium aromatũ excederet suauitatem. Vincebat enim Sabea, terebintenáq; thura: non ei æquari quibant, opobalsama, cassia, nec fistula, omniúmq; pigmentorũ genera. In crastinũ ergo Phœbo suo iubare aurea sydera obfuscante, terrísq; suum lumen sereniss imè infundente, Rex inclytus diademate insignitus, & nobiliss imo ostro tectus, cum suo illo magnifico comitatu lætus adcurrit, totáq; protinùs regio obuiam venit, afferentésque inde S. Martyrem cum plausu & nimia alacritate populorum deferunt. Augustissimus verò Rex, adinstar Dauid Regis, qui olim ante Arcam Domini ludebat, oblitâ regali purpurâ, præ gaudio omnem illam insignem vestem lachrymis perfundebat, & ante S. Martyris exequias exultabat, ipsiúsq; sacratissima membra propriis humeris euehebat. Erat autem hiems. Ianus quippe tunc Februo locum dabat, & alterno tunc successu vicem ipse sumebat. Cúmq; læti & alacres iter carperent, subitò tantæ densitatis nix cœpit elabi, vt totum rus Aruernicum operiret. Et quod est mirabile dictu, per omne illud itineris spatium, quo sanctum corpus portabatur, nil omninò niuis cecidit. Credo, vt ostenderet Dei gratiâ salutem illi euenire regioni, B. meritis Martyris, & non vt impedimentũ generaret populis. Cuncti ergo ægroti, & hi, quibus natura negauerat lumen, vt S. Martyris loculum tangere meruerunt, salutem pristinam receperunt. Nam & hi gressibus receptis, incolumes sunt effecti, necnon & isti optatæ lucis sunt compotes facti, & multi alij sanitati redditi. Denique affatim vrgebantur eis innumera populorũ agmina, quousque ventum est ad Cœnobium, cui vetustus conditor MAVZIACO nomen indidit, eò quòd inter aquas conditus sit. Est námque idem locus intantùm fertilis & amœnus, vt penè nullius rei videatur indigus. Ibi ergo Deo fauente tunc B. Austremonius cum magno est honore locatus! in quo loco hactenùs tanta eius vigent beneficia, & florent merita, virtutúmq; per singulos dies incrementa, quanta nullius mortalium explicare valet lingua. Quæ si scriberentur per singula, forsan reor quòd à pluribus dicerentur apocrypha. Anno ab Incarnat. Do. nostri IESV CHRISTI DCCLXIIII. Indict. 2. regnante verò domno PIPINO anno 24. acta est hæc translatio. Eodem tempore imperabat Romanis Constantinus filius Leonis Imperatoris.

Explicit translatio secunda.

INCIPIT TEXTVS LIBRI MIRACVLORVM.

Insignia mirandorum actuum gesta, quæ Diuinitati placuit ostendere per gloriosum Martyrem Austremonium, Aruernicæ gentis Præsulem atque Doctorem in Cœnobio Mauziacensi, quo ipse humatus quiescit, nostræ non est facultatis retexere, quia humanæ capacitatis vires excedunt. Nam rerum opifex Dominus, qui nullius eget laude, post ipsius sanctiss. agonis triumphum, in præfato loco ammirandas admodũ peregit virtutes, ad comprobandum sui fidelissimi testis meritum. Simul & humana ratio inde percipiat suæ vtilitatis iugiter emolumentum, vnde virtutum cernit indesinenter oriri incrementum. Illorum sanè Sanctorum obtentu apud Majestatem summi Dei nos muniri credimus in terris, in quibus sic euidenter nitescunt prodigia virtutis.

Explicit textus.

INCIPIT LIBER MIRACVLORVM.

Erat quidam vir nobilis genere ex territorio Turonico, qui infandæ pestis quatiebatur dæmone: qui à caris & notis in Basilica beatissimi Martini Episcopi Turonensis deductus, ab eodem est dæmone liberatus. Sed exiens fertur clamasse: Quia huius Sancti « meritis expellor à te, scias te iterùm crudeliore spiritu inuadendum; à quo si denuò li- « berari volueris, vade Aruernis ad Monasterium Mauziacum, quo Austremonius Mar- « tyr quiescit, & eum tuę salutis restitutorem esse cognosce. Cuius vocis effectus continuò subsequutus est, atque ab atrocissimo correptus dæmone, ad præfatum locum, quo pestifer spiritus eum ire docuerat, pergens, Basilicam sanctissimi intrauit Martyris: ante cuius tumulum cùm aliquandiù iacuisset, dæmoniacum virus cum misero euomens cruore, sanæ menti redditus est; ibíque triduò gratiarum actiones Domino persoluens, & B. Austremonium suum asserens liberatorem, ad propria repedauit.

Nec illud silendum reor, quod eodem tempore per B. Austremonium gestum est. Fuit

Digitized by Google

quidam nomine Aldegeus, graui membrorum incommoditate detentus, nullam sui habens valetudinem corporis per annos quinque. Affines itaque sui & parentes ad Basilicam sancti Martyris eum aduehunt, & cum eo totam ducentes noctem perui gilem, virtutem adesse sentiunt Martyris: nam sospitati redditus, qui alienis fuerat euectus humeris, reuersus est gressibus propriis. Haud dissimile contigit hisdem in diebus miraculum. Erat quidam homo, vocabulo HILDEBERTVS, qui pedum debilitate mulctatus, gradiendi funditùs amiserat vsum. Delatus est ergo ante Martyris venerabile sepulchrum: quem supplici conatu exorans vt sui misereretur, adfuit propiciatio diuinitatis, receptóque pedum robore, incolumis stetit, & cum ingenti alacritate, publicâ voce laudans Martyrem sanctum, ad propria est reuersus. Sub eodem ferè tempore adiit limina iamdicti glorioli Martyris quædam mulier videndi priuata officio, quam comitatus est quidam claudus, cum duabus eiusdem sexus feminis, non impari gressus debilitate mulctatis. Deducti ergo in Basilica, sanctum que in excelsis proclamantes Austremonium, adfuit diuina clementia nexus soluere miserorum. Valtè námque, quem diuina depresserat cœcitas, in lucem commutato, gaudens mulier circumcirca oculorum orbes voluebat; & qui aliorum viribus fuerant euecti, redintegratis basibus pedum, ouantes huc illúcque curritabant, sicque redierunt ad sua. Adducuntur itidem tres cœci, qui diutinâ cœcitatis caligine depressi, à magnarum opum affluentia ad exilem erant inopiam delapsi. Vnus quidem sexus masculini, duo vero feminei, parique voto Altithroni altis vocibus exorabant clementiam: quorum gemitibus diuinitati annuere libuit, & vt cunctis patesceret meritum Martyris, atrà depulsâ caligine, illustrantur videndi iubare.

Eodem die aduehuntur duo claudi cum duabus feminis eiusdem inualetudinis, ad præclari Martyris limina: cuius vt intrauerunt atria, deificâ fauente clementiâ, adepto pergendi robore, alacriter curritando repedarunt ad propria. Præterea, aliud factum mirabile, quod sæpedictus Martyr peregit, non puto silendum. Beatum námque Petrum Apostolorum Principem, quem Deus ætheræ custodem deputauit aulæ, cunctos curare posse languentes, nemo sanæ mentis ambigit. Quidam itaque pœnitens Romam adiit, beati Petri suffragia petiturus, vtraque brachia ferro vincta habens: ante cuius sepulchrum cùm cernuus exoraret Omnipotentis misericordiam, illicò ex sinistro brachio ferrum nutu diuino disruptum est, & ex eodem sanus effectus est. Sequenti verò
» nocte facta est vox diuinitùs ad eum huiusmodi: Surgens vade Aruernis in Galliam, &
» perquire locum Mauziacum vocabulo, quo Martyr Austremonius humatus quieuit;
» quò, dum aduenieris, alterius brachij sanitatem recuperabis. Qui consurgens festinè, Aruernis venit, & ad iamdictum Cœnobium iussionis diuinæ haud segnis exequutor peruenit: vbi dum ante corpus beatissimi viri sua vota persolueret, repentè ab illius brachio ferrum procul exiliuit, & optatam recepit sanitatem. Vnde claret sanctum Martyrem nullo supernæ Curiæ Senatu visionis diuinæ non dissociari à beato Petro in beamine, cui concors fuit in pœnitentis reddenda sanitate.

Adducitur ex longinquo quidam dæmoniacus arctissimis nexibus catenarum vinctus. Cúmque ante sepulchrum Martyris sancti miseris modis quateretur, inter plurimos circumstantes percontatus est eum quidam Monachus multa. Ad quem ille huiusmodi
» responsum dedit: Quid me interrogas? tibi minimè respondere volo. Sed hoc scito,
» quia nocte transactâ hic Austremonius ante Majestatem diurnam adstabat, supplicans
» pro his quorum corpora vexare non desistimus, vt ab eorum dominatione procul eiice-
» remur. Tunc isdem interrogauit eum horam suæ egressionis. Cui & inquit: Scio quia
» mox vt signum horæ tertiæ motum fuerit, ab hoc homine exibo. Quod & ita factum est. Nam vt ad laudes Deo concinendas signum insonuit, ille pestifer spiritus, relicto hominis domicilio, vacuas recessit in auras.

Veniunt etiam tres cœci ex multo iam tempore videndi iuuamine destituti, poscentes à sancto Martyre luminis donum; quorum preces diuina majestas exaudire decreuit: nam sancti Martyris freti meritis, fugatâ nocte, & ingresso die, qui venerant palpando, redière videndo.

Alio itaque tempore venerunt tres viri & duæ feminæ, immundorum spirituum infestatione vexati, beati Martyris Austremonij exposcentes suffragia. Virtute ergo diuinâ, meritísque Sancti, compulsi sunt dæmones hominum relinquere domicilia, & inhabitabilia hominibus, auibúsque expetere deserta; sanæque menti redditi, ouantes repedarunt ad sua.

Patratum

Patratum est à Domino per glorioſum Martyrem aliud memorabile miraculum, quod minimè cenſeo reticendum. Quidam namque toto corpore leprâ reſperſus ad beatiſſimi viri tumulum deducitur, qui etiam ſpiritu immundo tenebatur obſeſſus. Cumque per aliquot dies ante ſepulchrum Sancti Martyris excubaret, cum ſua coniuge, & interno gemitu ſupplicationis preces accumularet, quatenus à gemina incommoditate liberari mereretur, ſpe ſua fruſtratus non eſt. Nam meritis ſancti viri expulſo dæmone, cutis quoque per omnia recuperauit candorem. Sicque vtraque peſte carens adeò ſibimet congratulabatur, vt fateretur ſe nec ad proprium redire agellum, nec ſacrum eundem locum vlteriùs relicturum. Suggerente itaque ſibi coniuge, vt reuerterentur, ſuoſque reuiſerent parentes, penitus non adquieuit, ſed obiurgata ea, dixit ei: Sine me triduò Domino ſanctóque Martyri, pro adepta ſanitate gratiarum " perſoluere vota, & quod nobis denuò viſum fuerit peragemus. Non ambigo hunc " ſanæ mentis extitiſſe hominem, qui malè ſuadenti uxori non credens, magis ele- " git ſanctum magnificare martyrem pro impenſa ſanitate, quàm rurſus ſeculi ſe implicare actibus. Biduò ergo in Dei permanens voto, tertia ingruente die, ex hac luce migratus eſt.

Quoniam propenſiorem fidem eis accommodamus quę oculis intuendo diiudicamus quàm illis quę auribus audiendo vix credimus: nunc adgrediamur ea, quę per B. Martyrem Auſtremonium expectatione coram poſiti fieri vidimus. Venit namque à Toloſanæ gentis climate quędam puella nobili edita proſapia, cui lumen negauit natura in tantùm, vt ſecundùm illius Euangelici cæci nati, ſed à Domino per liniamenta luti illuminati figmentum, vultus iſtius puellæ non ſolùm tenebroſum eſſe, ſed nec palpebrarum veſtigia quo oculorum orbes eſſe deberent ſignificaret. Hæc ergo ducentibus manibus Mauziacenſis Baſilicæ atria ingreſſa, ante beati Martyris Auſtremonij mauſeolum ſe poni debere rogauit. In ſiniſtra itaque parte cancelli, quod curuatura maceriæ tegitur, totam noctem peruigilem ducens, ante pullorum cantum ſenſit ad ſe venerabilem virum, vultu venerabilem, manus ſibi per faciem extergentẽ. Cumque oculi illi reformarentur, dextróque ad plenum redintegrato ſiniſter perficeretur, ſubitò quidam ianitor illic quieſcens obſcæni fœtoris miſerum emiſit ſonum. Quo ſanctus prouocatus abſceſſit, minorque inuentus eſt ocellus dextro, tamen perfectè videns, extitit in teſtimonium rei geſtæ, ſanguis ab eius genis eliciens, multo tempore oſtentans parietem ſanguineum. Erat verò nomen puellæ Kariſima, percontabaturque omnes cuius ſtigmatis idem eſſent, totius eſſentiæ prorſus ignorans ſpeciem.

Explicit liber Miraculorum.

QVOD SANCTI AVSTREMONII OSSA Mauſiacum à Pippino Rege tranſlata ibidem ſeruentur.

Additamentum partim Sirmundi, partim alterius manu deſcriptum.

NOtiſſimum manet vniuerſis B. Auſtremonium primum Aruernorum Epiſcopum apud vicum, qui dicitur Yciodorus, vitam illuſtri conſummaſſe Martyrio. Gens enim Wandalica, ipſum poſt longè temporis deſtruxit locum. Poſt cuius deſtructionem Beatus Auitus Claromontenſis Epiſcopus oraculo inſtructus Angelico, corpus B. Auſtremonij ab Yciodoro tranſtulit Wluicum. A quo loco Pipinus inclytus Rex Francorum ad petitionem Lanfredi Abbatis Mauſiacenſis Adeberto Claromontano Epiſcopo præſente, poſtea deportauit Mauziacum. Vbi pro reuerentia B. Martyris plurima reliquit inſignia. Scilicet cachos cryſtallinos, & lapides pretioſos, & auri plurimum de quo fieret vas, in quo corpus B. Auſtremonij honorificè reconderetur. Itaque Adebertus Epiſcopus Claromontanus, qui cum Lanfredo Abbate corpus eiuſdem Martyris Mauziacum tranſtulerat in vltimis agens, credens ſe apud Deum eiuſdem Martyris meritis iuuari in Eccleſia Mauziacenſi tumulari voluit in teſtimonium veritatis. De capite verò eiuſdem glorioſi Martyris hoc certiſſimum habemus, quòd eo tempore, quo Domnus Rex Pipinus corpus ſæpe-fati Martyris ex Wluico ad Mauziacum transferebat, Roggerius Aquitaniæ Dux, ab eodem Pipino Rege caput eiuſdem Martyris loco maximi muneris extorſit,

& ad castrum sui iuris, quod Petra-incisa dicitur, transtulit. Qualiter vero ipsum caput apud Yciodorum delatum sit, breuiter pandimus.

Præfatus Dux Roggerius Monasterium maximum in honore Domini Saluatoris construxit, quod Karrofulum ob honorem Karoli nuncupatum : cui loco castrum supradictum, quod Petra-incisa dicebatur, in quod caput B. Austremonij transtulerat, in perpetuum possidendum concessit. Denique irrumpentibus Paganis apud Pictauorum pagum, delati sunt thesauri Monasterij Sancti Saluatoris Karrofensis ab eiusdem Monasterij Monachis apud Aruernos ad castrum, quod Petra-incisa dicebatur, eò quòd munitus esset locus, & suæ proprię possessionis. Euolutis verò multis annorum spatiis, Monachi, qui pro custodia thesaurorum missi fuerant, inierunt consilium, vt ex filiis pagensium, qui sibi vicinores erant, Monacharent. Quatinus sibi succedentes in eodem castro Monasteria in perpetuum haberent. Transacto longo temporis spatio Monachi supradicti de hoc mundo migrauerunt; vno tamen superstite Gisleberto nomine. Tunc Bernardus vnus de ijs, quos monachauerant, & enutrierant, adeptus est thesaurorum custodiam. Exinde cœperunt tractare, quomodo se & suos sodales à subiectione Abbatis & Monachorum Karrofensium possent abstrahere. Igitur superuenit festiuitas B. Austremonij, & præfati Monachi inierunt consilium, vt si possent præfatum castrum euerterent, & Monasterium Yciodorum olim à Sancto Austremonio constructum reædificarent, & supradictos thesauros, cum ijs, quæ ad ipsum castrum pertinebant, sub ditione suæ potestatis redigerent. Rogauerunt autem præfatum Gislebertum, quem sibi Abbatem præfecerunt, vt adirent visitandi gratia locum, in quo olim inclytus martyr Austremonius iacuerat humatus, & caput ipsius ferrent, vt cum honore diem festum celebrarent. Quod & factum est. Tunc ergo pretiosi martyris caput, quod Dux Roggerius in caput aureum miro opere fabricatum recondiderat, à prædicto castro, quod nunc Sanctus Yuonius appellatur, apud Yciodorum delatum est, cum supradictis thesauris. Solemnitate igitur peractâ, Bernardus, de quo supra locuti sumus, circa mediæ noctis medium siti laborans, quendam famulum, nomine Benedictum, ad puteum ire iussit, vt aquam sibi deferret. Qui vrceolum accipiens in manu, cùm ad puteum accedere vellet ad hauriendam aquam, vidit supra marginem putei duas adesse personas, qui pauore perculsus retrogradus redire festinanter cupit. Quem vna de personis euocans dicit : Cur non appropias huc haurire aquam ! Noli timere, sed constans esto. Nam certissimè scias me esse Austremonium huius loci fundatorem : & ob hoc tibi modò appareo, vt cognoscas hunc locum à me visitatum, vt reædificetur ; sed caue, ne alicui vsque ad finem vitæ tuæ dicas. Quia si alicui dixeris, statim lumen oculorum amittes. Cùm hæc & alia multa Beatus Austremonius dicto famulo prædiceret, ab oculis eius disparuit. Famulus itaque hausit aquam de puteo & eam ei à quo missus fuerat, detulit. Bernardus siquidem sæpe dictus videns vultum illius pallidum, eum interrogauit, quid vidisset. Famulus verò professus est se nil vidisse. Quem Bernardus iterum atque iterum interrogauit quid vidisset, famulus verò pro nihilo visionem & quæ audierat dicens, narrauit ei omnia, quæ audierat & viderat, qui statim lumen oculorum (vt ei sanctus Austremonius prædixerat) amisit: hoc in libro miraculorum plenius reperies.

Igitur peracta solemnitatis die, præfatus Bernardus petiit à Gisleberto Abbate, vt in eodem loco basilicam miræ magnitudinis in honore præfati martyris reædificarent. Post paucos dies Gislebertus prædictus Abbas cum Bernardo & cæteris Monachis castrum supradictum cæpit destruere, & ex lapidibus ipsius castri Monasterium ædificare. Quo ædificato, petierunt à Domno Bernardo Episcopo, qui tunc Ecclesiæ Claromontis præerat, vt ipsam Basilicam in honore Sancti Austremonij & Sancti Petri dedicaret. Quod & factum est. His ita gestis, non multum post tempus Gisleberto Abbate defuncto Bernardus successit, post Bernardum Girardus quem interfecerunt Monachi eiusdem loci, & in Turre, quam ipse construxerat, sepelierunt. Cui Girardo successit Robertus Abbas Cantinobensis : huius tempore Hugo Decanus Yciodorensis supradictum castrum cœpit reædificare. Defuncto Roberto, adeptus est Abbatiam Hugo. Quo migrante Gaubertum, qui apud Mausiacum in schola fuerat educatus, eiusdem Yciodorensis Ecclesiæ regimen suscepit, huius tempore error Yciodorensium Monachorum,

qui Beati Auſtremonij corpus ſe habere inaniter garriuit, pullulauit. Quod quomodo, & quare acciderit, huic inſerere ſcripto operæ-pretium duximus.

Iſte Gaubertus, ſicut diximus apud Mauſiacum nutritus & educatus fuit. Sed quia poſt Dominum Mancionem Abbatem Mauſiacenſem eidem Eccleſiæ Mauſiacenſi Abbas ſubſtitui voluit, nec valuit, ſpe ſua fruſtratus, poſtea Monaſterij Yciodorenſis Abbas Eccleſiæ fuit, & quia ab Eccleſia Mauſiacenſi repulſam paſſus fuerat, ad ſe vleiſcendum totius nequitiæ ſuæ arma conuertit Nam cùm certiſſimè ſciret B. Auſtremonium olim à Domno Pipino Rege Mauſiacum tranſlatum, & ibi contineri, non eſt veritus quorumdam Sanctorum corporibus Titulos in nomine Beati Auſtremonij imponere, & mendacium ſuum quibuſdam fictitiis & falſis memorabilibus aſtruere, &c.

Hoc rumore Mauſiacenſes omnes tam Monachi quàm Clerici, quàmque Laici permoti, & hoc ad opprobrium Eccleſiæ Mauſiacenſis fieri arbitrantes, quamuis de gleba beati Auſtremonij certiſſimi ſint, & hoc omnes penè Aruernorum Eccleſiæ teſtentur, quæ in antiquiſſimis ſcriptis tranſlationem olim à Domino Pipino Rege factam continent, verentes tamen Eccleſiam Mauſiacenſem glorioſo Patroni ſui nomine, & beatâ ipſius famâ, quæ vbique venerabilis habetur, priuari; præfatis Yciodorenſium fallacijs obuiare decreuerunt, & quantus theſaurus de corpore beati Auſtremonij apud ipſos maneat, palam oſtendere. Exinde domnum Robertum Claromontenſem Epiſcopum humili poſtulatione rogauerunt, vt ad ipſorum Eccleſiam accedere dignaretur, & quantus theſaurus de corpore Beati Auſtremonij penes ipſos abſconditus maneret, diligenti oculo non refugeret intueri. Quorum precibus præfatus Epiſcopus annuens, locum Mauſiacenſem petiit, & vas, in quo corpus Beati Martyris Auſtremonij poſitum erat, aperiri iuſſit, & ipſum corpus, ſicut ab inclyto Rege Francorum Pipino, lineis & ſericeis linteaminibus inuolutum & reconditum fuerat, & deſuper ſtudioſiſſimè corrigiis ligatum, ne ſolui de facile poſſet, inſuper ipſas corrigias impreſſione ſigilli Pipini Regis, & aliorum duorum ſigillorum munitas, vt tanti Regis opus autenticum permaneret, in rei certitudine inuenit. Epiſcopus verò vt vidit à parte ſigillorum fiſcellam illam, in qua beati Auſtremonij corpus continebatur, non ſine damno ſigillorum poſſe reſerari, ab alterâ parte corrigias ſcindi iuſſit; vt oſſa beata intus latentia ſuo circumſtantiúmque conſpectui oculo ad oculum apparerent. Quod & ita factum eſt. Epiſcopus itaque ipſa beati Auſtremonij oſſa precioſa oculis inſpexit, manibus tetigit, & digitis attrectauit

Huic tàm præclaræ oſtenſioni corporis Beati Auſtremonij adfuit W. Præpoſitus Claromontenſis auunculus dicti Epiſcopi, & W. Abbas Eccleſiæ Mauſiacenſ. & Arnaldus Abbas S. Illidij & Durantius Abbas S. Andreæ, & Amblardus Abbas Riomenſis, adfuerunt etiam de præcipuis Monachis Eccleſiæ Mauſiacenſis quamplures, & cum ipſis etiam Clericorum, Militum, & Laicorum nonnulli, hæc demonſtratio facta fuit ſubtus maius altare in inferiori crypta, quæ vocatur Confeſſio. Igitur oſſa Glorioſi Martyris Auſtremonij, dictus Epiſcopus, & Abbates prænominati, in vas illud, vnde fuerant aſſumpta, ſagaci ſtudio repoſuerunt honorificè, & illud vas diligentiſſimè fuit reconſignatum, quouſque in aliud vas multò pretioſius tempore opportuno venerabiliter tranſponatur.

Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini 1197. IV. Idus Aprilis, Luna nona decima, feria quinta ſeptimanæ Paſchalis ſolemnitatis, Cæleſtino Romanæ Sedis exiſtente Pontifice, Roberto Aruernorum Præſule, Philippo Francorum Rege, Wilelmo Mauſiaci Abbate. Erubeſcant igitur, & ſileant omnes ſugillatores, & aduerſarij Mauſiacenſis Eccleſiæ, quia quicquid ſtuduerunt doli vel fraudis contra ipſam machinari ſuper corpus Beati Auſtremonij, velint nolint, ipſum venerabile corpus habet, poſſidet, & veneratur: quod euidentiſſimis veritatis præconiis ad laudem & gloriam beati Auſtremonij & ſalutem populi Chriſtus diſpoſuit ſic fieri, cui & honor & gloria cum Patre & Spiritu Sancto per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

VITA S. BAOMIRI, SIVE BAVMIRI CONFESS.

Ex Apographo Illustrissimi ac Reuerendissimi Præsulis Monspelicnsis.

SAnctus itaque Baomirus suis precibus in vasta eremo solitudinem in loco videlicet, vbi Brigiæ riuulus surgit, inuenit, quam largitione S. Innocentis Episcopi Cenomanensis meruit, cuius fultus auxilio in eodem loco aliquos Monachos in sancta regula degentes congregare studuit, atque cellulam inibi construere in honore Sancti Petri cœpit, & Monasterium ædificare ibidem inchoauit: sed antequam illud pleniter perficeret, defunctus est, & ipsum locum eius discipulis & præfato Sancto Innocenti Episcopo construendum dimisit. Ipsius numque Sancti Boamiri obitum & præsecuta & post secuta sunt miraculorum insignia.

Supradictus igitur S. Boamirus virtutum miraculis insignis viam veritatis sequutus, de nobili genere veniens in Cenomanium aduentauit pagum. A sancto ergo Innocente postea Presbyter est dedicatus, atque Alba in loco quo sub eius ditione degnit & modò quiescit, est ordinatus. Erat ergo vita clarus, moribus temperatus, sapientia impletus, medicina eruditus & spiritualibus donis refulgens: multarum virtutum bonis locupletatus, Episcopo suo multis vtilitatibus proficiens & maximè in prædicatione necessarius. Erat enim abstinentiæ deditus, castitate floridus, in charitate feruens, in eleemosyna laudabilis, in vigiliis singularis, in oratione assiduus, præceptis Domini obtemperans & iussionibus Episcopi sui in omnibus obediens. Quidquid verò ore dicebat, operibus adimplere satagebat. Tantis enim bonis exuberauit, vt etiam miraculorum signis sua oracula clarescerent.

Ipso itaque tempore erat in pago Cenomanico rupes excelsa arborum plena, & diuersorum ornamentis constructa, ad quam hominum multitudo venire solebat, vt etiam per totam Hebdomadam festiuos dies celebrarent ibidem. Ad cuius subuersionem ab antedicto Episcopo Sanctus Baomirus mittitur, sed diabolus homines instigans, quorum animas fraude deceptas ibidem tenebat, necem prædicti viri præparari non distulit. Cuius machinamenta sanctus vir spiritu prænoscens, fecit iejunium & orationem, quæ tantum apud Deum prævaluit, vt etiam supradictum fanum ignis de cœlo deuoraret, & sic victus meritis prædicti sancti viri diabolus inde abscessit, ac confusus confugit.

Illud etiam operæpretium est memoriæ commendandum, qualiter egerit cum Francorum Rege Childeberto. Sanè cùm pro quibusdam negotiis Ecclesiasticis à S. Episcopo Cenomanico missus sit ad Childebertum, accidit vt eius aduentus latuerit Regem memoratum. Sed cùm ei postmodum nunciatum esset stare missum Episcopi pro foribus, minimè tamen ante eum ipsa die peruenit. Cúmque eandem noctem sanctus vir pervigilem in oratorio duceret, Rex valdè à febre correptus cœpit anxius esse: sed dum à morbo torqueretur, recordatus est Missi sancti Episcopi videlicet Baomiri, quem cùm requisisset, & non inuenisset, ait: Meritò hæc patior, quia eum non recepi vt debui, & ideò his tactus doloribus tribulor. Cùm mane facto præfatus sanctus vir adesset venerabiliter Regi præsentatur, cuius Rex legationem audiens dulciter suscepit. Quibus peractis, prostrauit se ad pedes eius enarrans qualiter ei pro eo per noctem acciderat. Cui emendatione promissa, & omnibus eius expostulationibus adimpletis, & numquam ei talia deinceps accidere pollicitus, ab eo scelere absoluitur, & liquore sancti olei delibutus, eius meritis & precibus sanatur. à Rege quoque & Regina seu satellitibus eius plurimùm honoratus suum reuertitur ad pastorem, cuius etiam meritis haud dubium memorata acciderunt. Cui impetrata renuncians etiam per ordinem qualiter ei acciderunt retulit. De cuius aduentu & impetratu Episcopus lætatus, absoluit eum, & ad cellulam propriam honoratum remisit.

Deinde transacto tempore eóque iniam dicta cellula sua Domino militante, à multis iam audita sanctitatis eius fama, allatus est ei quidam hydropicus, qui iam tribus annis à lectulo surgere nequiuerat, pro quo amici eius & parentes sanctum Dei rogant; vt illum saltem manibus contrectaret: cuius ventrem & crura S. Baomirus contrectans & liquore olei sanctificati in modum crucis liniens suis preci-

bus sanum reddidit. Non multo verò post tempore quidam vir nomine Ago, natalibus clarus & opibus multis locupletatus, lumine caruit oculorum; sed dum per multos medicos duceretur & ei nihil proficeret, sed quantum plura medicamina inferebant tantùm ille deterius semper haberet: ad vltimum namque dederunt ei amici consilium, vt acceptis multis muneribus veniret ad sanctum Baomirum, quorum consilio vsus, fecit vt imperauerant. Deductus autem ad sanctum virum prostrauit se ad pedes eius humiliter postulans vt sui misericordiam haberet, & ei aliquid visus daret, ne in tenebris semper versaretur. Cúmque sanctus vir eum interrogaret, qualiter ei hoc accideret & scisscitatus sua culpa ei hoc accidisse cognouisset, dedit ei consilium vt veram ageret pœnitentiam, quia aliter sanitatem impetrare non valeret. Qui accepta ab eo forti pœnitentia, eáque ibidem dignè peracta, cùm tempus absolutionis aduéniret, cum manus impositione absoluit eum sanctus Dei Sacerdos, vt ordo docet canonicus. Cui postmodum oculos saliua proprij oris contingens superfudit liquorem sacrati olei deprecans Dominum, vt cum amissione criminum etiam lumen redderet. Cuius preces Dominus exaudiens reddidit prædicto cæco lumen pristinum. Vnde datur intelligi quia per culpam multi perdunt lumen exterius & interius, & cùm verâ pœnitentiâ crimina delentur & lumina redduntur.

Sequenti etiam tempore cuiusdam viri manum arefactam cum sacrati fomento olei virentibus neruis desperata munia reparauit, & suis precibus sanitatem redintegrauit. Dæmonia verò à compluribus visibiliter ejecit, atque videntibus cunctis, sanauit: Febribus etiam laborantes suis sanctis precibus innumerabiles sanauit, de quibus & superstites hodie nonnulli nobiscum degunt. Obiitque S. Baomirus tertio Nonas Nouembris. Reliquarum autem magnarum virtutum insignia non est necesse hic inserere, quia testis extat nobiscum tumulus, quo fiunt sæpissimè eius meritis magnarum virtutum miracula.

Post Breuiarium Siluanectense in Ordine pro Ecclesia S. Frambaldi, in qua requieſcit corpus S. Baumiri, ad diem quartum Nouembris habetur hæc vita in nouem Lectiones contracta. An verò diuersus sit ab eo S. Baumadus, cuius reliquiæ seruantur in Ecclesia Cathedrali Tutellæ in Lemouicensibus, alijs disputandum relinquo.

VITA INTEGRA SANCTI BALSEMII
Martyris incerto Auctore.

Cuius fragmenta quædam exhibuit V. C. Nicolaus Camuzatus pagina 334. Promptuarij Antiquitatum Tricassinarum ex Codice MS. Prioratus Ramerudensis, septem leucis ab vrbe Trecorum, vnica ab Arceyano oppido semoti.

BEatus Athleta Dei Balsemius ciuitate Lemouicas extitit oriundus: qui parentibus generosissimis propagatus ab eisdem viris peritissimis sub clericali schemate datur edocendus. Isque ætate & gratia transcendens annos pueritiæ, indeptus gradibus Ecclesiasticis Deo largiente tandem pincerna Christi factus est sublimatus Diaconij arce, & ritè honore Leuitico decoratus, quia secundùm nomen suum Balsama fidei & iustitiæ in sese gestando, spiritu Dei agebatur & nectar caritatis antidotáque virtutum ferebat quocumque vertebatur. Audiens autem quod B. Basolus auunculus eius (erat enim de genere ipsius in quodam loco Franciæ Eremiticam vitam ageret sicut ceruus sitiens fontem aquæ non quieti sese dedebat, donec ad eum pertingeret. Vnde à ciuitate Lemouicas egressus gratia visendi eundem præfatum sanctum, iter longinquum est aggressus. Tandémque attingens loca Campaniæ, deuenit ad quamdam ciuitatem, Arceyas nomine, nam dicitur illo tempore ciuitas fuisse, nunc autem villam omnes non ignoramus esse.

Contigit autem eo tempore Vandalos impiissimam gentem à finibus suis dimotam loca quædam inuasisse Franciæ, & maximè fines ipsos, qui circumcirca contigui sunt Campaniæ. Inclytus Domini Athleta Balsemius, de quo serie huius orationibus agitur, id loci gratia Diuina se comitante attigit, quo palmam martyrij ipse cui famulabatur indesinenter Christus largiri delegit: præueniens namque ipsos

Vandalos cœpit monitis & verbis salutaribus exhortari eos, quatenus viam erroris desinerent, & à diaboli laqueis, quibus captiui tenebantur, resipiscerent. Exinde legitur in Salomone: *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Feroces & sæui frendentes in eum belluarum more iniuriantes & exacerbantes nimis acerbè ad vltimum duxerunt super quoddam montis supercilium, & capite amputato, eóque interfecto comparauerunt sibi viam baratri & mortis, similes illis qui crucifixerunt Dominum, clamabant: *Sit super nos Sanguis & super filios nostræ posteritatis.*

Accidit tunc mirandum & insigne miraculum in Domino nostro IESV-CHRISTO, qui in suis nimis glorioſus est, oppido glorificandum. Nam beatus miles Christi mox vt decollatus est, caput proprium in manibus deprehendit, & ante interfectores suos gradiendo incedens quasi milliario vno gestauit. O admirandum & à sæculis inauditum miraculum, hominem decollatum gradiendo gestari per sese seipsum! Quis non miretur in operibus tuis domine IESV, quis non obstupescat ad talia & horum similia quæ fiunt tuo nutu? Sed vt dixisti Euangelica voce: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea in æuum manebunt*: habemus quæ propriis locutus es discipulis, & quæ patrando complesti, & quæ quotidie comples in tuis adelphis. *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Angelicam non dubiè credimus conuenisse choream ad tanti militis & Martyris Domini animam excipiendam, qui exequiarum eius vigilias excubando, talem pro eo concinerent melodiam: *Beatus quem elegisti & assumpsisti Domine, habitabit in atrijs visionis æternæ.*

Impiissimi & sceleratissimi illi postquam hunc sanctum indiderunt neci, cernentes quod beatissimus is caput suum ferendo ante eos incederet more triumphali, repente iterum in eum bacchantes & pariter insequentes comprehenderunt, & in puteum quendam (erat namque puteus ante eos ea via quam vir Domini petebat) proiecerunt, & lapidibus glebisque terræ ipsum puteum obstruxerunt. Ibidem margaritum Domini pretiosissimum diu multumque temporis iacuit repositum: sed quia ipsa veritas per se, ciuitatem supra montem positam non posse abscondi est protestata, ad commune omnium vtile & profectum placuit, vt hunc Sanctum cunctis innotesceret, ac diuulgaret Diuina potentia, quem iam glorificauerat in cœlo, apud homines magnificans mirificaret in mundo.

Erat in ciuitate Lemouica, de qua hic aduenerat Sanctus, filia Regis illius patriæ cæca, quæ hac calamitate patre & propinquis in mœstitia persistentibus diu vallata noctu diúque, quid remedij sibi proueniret, inuestigabat nimiùm anxia. Dominus verò æternus qui vniuersis subuenit coactis periculis & necessitatibus cernens eam coarctari huiuscemodi passionis angoribus, nocte quadam ipsam soporantem præmonuit huiusmodi passionis allocutionibus. Vade, inquit, in Franciam ad ciuitatem, Arceyas nomine, & ibidem reperies puteum obstructum lapidibus & tellure, quem emundari ab omni sorde faciens inuenies in ipso maximum thesaurum: Ipse verò, quem dico, thesaurus, martyr Domini est pretiosissimus, ab impiissimis hominum olim trucidatus, & malignitate eorum instigante post abscissionem capitis ab iisdem inibi projectus & vocatus Balsemius. Hunc tu dum leuaueris & aromatibus circumliniens inuolues linteis, ex lympha quam reperies, oculos lauabis, móxque aperietur tibi acies optatæ visionis.

Matrona præfata tale vt vidit somnium, vltra quàm credi potest, admirari cœpit secum, tandemque patre & propinquis super hoc negotio accitis, & omnibus quæ sunt itineri congrua optimè præparatis, cum agmine multo militum vehiculo imposita, aggreditur viam iam dicti aromatis. Attingens ciuitatem prædictam Arceyam, seriatim, vt sibi fuerat imperatum, ordinatè omnia adimpleuit, & margaritum super solem lucidissimum Balsemium à puteo extraxit, ex lymphâque lotis oculis lumen quod diu cupierat, recepit. Ex hinc nimis gratulabunda de misericordia per Dei famulum sibi impertita, Christi militem inuoluens nitidis linteaminibus reposuit in ea quæ ibi iuxta erat Sancti Petri Ecclesia, retro altare eiusdem Basilicæ, decenter & reuerenter conditus in lætitia & gratulanter de lumine sibi concesso ouans repetit propria.

Posthæc Comitissa Hensendis Domini Helduini Comitis mater audiens omnia quæ gesta sunt de sancto hoc, per sese accessit, & cum honore maximo ab eodem in quo iacebat mausoleo XXI. Kalendas Septembris eleuauit, & totum corpus auidè

rapuit fauſtiſſima illa, & ad caſtrum ſuum, Ramerudum vocabulo, deferens ſanctæ Dei Genitricis Mariæ poſuit in Eccleſia, quam tam ex filij ſui, quàm ex ſuis denarijs conſtat fabricatam. Porro ex tunc hic beatiſſimus Domini cum honore debito recubans multis imbecillibus impartitur gratiam ſanitatum cum B. Mariâ D.N. IESV-CHRISTO pro eis ſupplicans, qui viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Hæc pauca de nonnullis hic ſuccinximus, ne forſan quilibet maniis ductus reprobando fidelibus Dei diceret ſtolidiſſimus. Ecce propatulum eſt martyrium huius ſancti. Ecce qualiter expleuit curſum agonis ſui. Nunc vultui Dei ſemper aſſiſtit ſublimatus gloria & honore & ſociatus martyrum turmæ innumerabili fruitur felici iocunditate. Quis idem ſplendoribus glorioſiſſimus æternaliter allectus perpetuarim intuetur eum, cui in hac præſenti, dum aduixit vita debitum exhibuit officium famulatus. Etenim quia quandiu in huius ſoli ergaſtulo moratus eſt, opere adimpleuit illud Domini verbi, *Qui mihi miniſtrat me ſequatur*, haud dubium xenio illius Dominicæ ſponſionis quo remunerati ſunt talia adimplentes, ab eodem ſponſore remuneratur, *vbi ego ſum, ibi & miniſter meus*, indeſinenter degendo & palmario vitæ fruendo ſtabilietur. Vbi tripudiatim ouans exultat connexione Apoſtolorum, decoroſitate Patriarcharum & Prophetarum, conſenſione velut roſæ vernantium Martyrum, conſocialitate quaſi violæ albentium Confeſſorum, incorruptione ſeu lilio rutilantium virginum, poſſidétque gloriam indicibilis gloriæ & ſtolam immortalitatis æternæ. Præſtolatur porrò poſthac duplicem ſtolam, cùm in fine mundi carnis ſimul & animæ percipiet immortalitatem æternam: Sanè nulli dubium eſt plurima poſt triumphum Martyrii hunc ſanctum in Domino feciſſe miraculorum inſignia, quæ nec memoriæ aut ſcripto ſtuduit mandare mortalium incuria: ignauiæ potius & ſcurrili ſocordiæ dedita, quam inſigni exercitio theoricæ vitæ ſubdita. Siquidem non dubitamus eum cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, paralyticis vim membrorum reddidiſſe, dæmonia ab obſeſſis fugaſſe, reliquáque miranda peregiſſe, quæ ſtolidi & ſegnes non ſategerunt memoriæ aut ſtylo commendare. Nec illud nempe prætereundum, quòd ſuperſtites interfectorum eius tali denotati ſunt elogio, quia vniuerſi balbutientes & quaſi ſubſannantes prius habeantur rectæ locutionis officio. Nos ergo cœptis finem imponentes orationum munus accedamus ad ſanctum implorantes.

Arbiter æthereas qui iure tuetur habenas,
Quique propago Patris numen ſeruat Deitatis:
Flamine cum ſancto, cui gloria perpes ab æuo.
Auxilium precibus nunc impetret ipſe Beatus,
Quos regat is famulos & nos tueatur alumnos.
Sanctificet populum, votum quoque compleat ipſum
Quatenus hymnidicis modulando carmina verbis
Ac pariter operando pijs cum carmine factis,
Præmia luciflui mereretur cælica regni
Is Deus homo fiuat qui nos ditione gubernat,
Cui mera Majeſtas, regno pax, ſumma poteſtas,
Et honor, imperium cui permanet omne per æuum
Quiſque fidelis homo verè reſpondeat. Amen.

VITA BERNARDI GVIDONIS ORD. PRÆD. Epiſcopi Lodouienſis

Anonymo Auctore cum quibuſdam aliis eodem ſpectantibus.

Ex MS. Codice Sanctorali Bibliothecæ Fratrum Prædicatorum Toloſæ, cuius mihi Apographum propria manu deſcriptum cum pluribus alijs communicauit Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus FRANCISCVS BOSQVETVS *Epiſcopus Monſpelienſis.*

Breuis Chronica de vita & moribus, ac scriptis & operibus Domini Episcopi Lodouensis actoris & compilatoris huius libri, qui intitulatur, Speculum Sanctorale.

FVit vir venerabilis modernis temporibus de terminis Fratrum Prædicatorum Conuentus Lemouicensis, Dominus videlicet Frater Bernardus Guidonis Ordinis Fratrum Prædicatorum Episcopus Lodouensis. qui in Presbyterio Ecclesiæ Fratrum Lemouicensium cum ad sinistram altaris in decenti ac eminenti tumulo fabrefacto ex letone requiescit.

Hic ex vico vocato Roeria prope Rupem-Apis eiusdem Lemouicensis Diœcesis oriundus iuxta proprietatem sui nominis tanquam nardus odorifera vita pariter & doctrina odorem suauissimum Deo & hominibus emanauit. Fuit siquidem vir magni consilii, magnæ experientiæ expertæque prudentiæ ac religionis probatæ, vir modestus atque sensatus ac humilitate profundus, fama, gratia, scientia ac eloquentia clarus. Gesta quoque Sanctorum & Illustrium virorum ac antiquitates notabiles ac memorabiles gerens in pectore, expromens in tempore opportuno ac commendans per scripturam memoriæ cum diligentia ne perirent. Assimilatus insuper in fidei feruore, in zelo ac sinceritate religionis Patribus primitiuis.

Hic ex Lectore Fratrum Prædicatorum Albiensium factus est ibi Prior: vtrumque officium Lectoratus quam Prioratus tam ibi quàm in Conuentu Carcassonæ, vbi præfuit Prior annis tribus (forte quinque) videlicet tribus annis in Albia & duobus in Carcassona, simul gessit & laudabiliter adimpleuit. Fuit etiam Prior Castrensis annis IV. & duobus in Conuentu Lemouicensi Deinde inquisitor Tolosanus annis fere XVIII. qui etiam simul cum officio inquisitionis officium Procuratoris Ordinis in Curia Romana annis fere quatuor gubernauit.

Hunc misit & destinauit Dominus Ioannes Papa XXII. Pontificatus sui anno primo dum præfatis officiis Inquisitionis & Procurationis fungeretur pro pace reformanda ad vrbes & partes Italiæ & confirmanda. Tandem cum XXXV. annis in supradictis officiis ac in ambaxiatis per Romanam Curiam sibi commissis per omnia laudabiliter se gessisset, factus fuit per eundem Dominum Ioannem Papam XXII. in regno Castellæ primò Tudensis Episcopus, ac deinde infra annum per eundem translatus, octo ferè annis Episcopatui præfuit Lodouensi in Prouinciâ Narbonensi.

Hic Dominus Bernardus mente deuotus & sermone iucundus solitus erat dicere suis familiaribus, quos post pressuram studij ac negotiorum circa horam noctis interdum ad se aduocabat, vt proponeret aliquis eorum aliquod verbum honesti & iucundi solatij asserens non esse probum virum qui vadit ad dormiendum nisi semel in die fuerit iocundatus. Sed hic sobriè illo solatio vtebatur, ac tandem verbis ædificatorijs, quibus mirabiliter affluebat, in deuotione huiusmodi solatium terminabat.

Hic etiam fuit vir in verbo & scripto multa facundia præditus, in omni bonitate conspicuus, in aspectu & affatu gratiosus & in his quæ ad religionem & labis hæreticæ exterminationem pertinere possunt plenissimè eruditus. Vnde eo libro Actorum Capituli Generalis, quem ipse ad instantiam Fratris Aymerici Magistri Ordinis Prædicatorum XII. compilauit, præmisit tractatum quendam deuotum deuotis; de quatuor in quibus Deus Prædicatorum Ordinem insigniuit, in quo cuncti Fratres noscere poterunt sui status primordia & progressus. Librum quoque de Practica officii Inquisitionis secundùm materiæ exigentiam in partes quinque distinctum admodum vtilem Inquisitoribus, Inquisitor ipse existens pro successoribus ordinauit. Chronicam quoque famosam valde de Romanis Pontificibus Imperatoribus ac Regibus Franciæ, à IESV-CHRISTO suum faciens principium, stilo veraci ac diserto vsque ad sua tempora continuauit. Vitas quoque Sanctorum ad instigationem & rogatum Reuerendi Frat. Patris Berengarij Magistri Ordinis XIII. postmodum Archiepiscopi Compostellani, cui ordinatio Fratris Iacobi de Voragine diminuta & in plerisque dubia videbatur, originales legendas Sanctorum relegens pluréque Sanctorum superaddens, noua ac Ecclesiæ Dei fructuosa non modicum quadripartita compilatione inseripsit.

Hic

Digitized by Google

Hic etiam Dominus tam ſinceri erat affectus ad matrem ſuam religionem, quæ ipſum educauerat, vt Epiſcopus exiſtens Auenioni cum multa deuotione fecerit profeſſionem inter manus Magiſtri Ordinis Prædicatorum Fratris Barnabæ, dicens formaliter poſitis manibus ſuis intra manus Magiſtri: Ego Frater Bernardus Guidonis Epiſcopus Lodouenſis facio profeſſionem & promitto obedientiam Deo & Beatæ Mariæ, & Beato Dominico & tibi Fratri Barnabæ Magiſtro Ordinis Fratrum Prædicatorum, quòd ero tibi obediens tuiſque ſucceſſoribus vſque ad mortem.

De iſto Domino Fratre Bernardo teſtatus eſt ſocius ſuus Frater Petrus Sicardi qui pluſquam XV. annis confeſſionem ſuam quaſi continuè audiuerat, quòd ipſe paratus eſſet iurare, quòd nuſquam confeſſus eſt ſibi aliquam culpam in qua ipſe cognouerit ſeu iudicauerit eſſe mortale peccatum.

Hic tandem Pontificatus ſui anno octauo poſt multa virtutum opera & laudabilia & inſignia facta quæ geſſit in Epiſcopatu Lodouenſi, tam in eleemoſynis, quàm in ædificiis, quàm etiam in libris ordinandis pro conſeruatione perpetua iurium illius Eccleſiæ, ſicut hæc latiùs notata reperiuntur in Chronica Epiſcoporum Lodouenſium, quæ incatenata in choro eiuſdem Eccleſiæ ante ſedem Epiſcopalem conſeruatur. Habita prius & obtenta à ſuo Confeſſore auctoritate Domini Ioannis Papæ XXII. plena indulgentia peccatorum ſuorum, ſuſceptis deuotè Eccleſiæ Sacramentis in nocte ſubſequenti Feſtum Sancti Thomæ Martyris circa diei Auroram expletis LII. annis ab ingreſſu Ordinis Prædicatorum in caſtro de Lauroſio Lodouenſis Diœceſis feliciter in Domino obdormiuit, anno ſcilicet Domini MCCCXXXI. ætatis verò ſuæ anno LXX. vel LXXI. portatus inde Lemouicas per ſuos (ſicut ipſe viuens ordinauerat) poſt ſolemnem funeris exequiationem in Eccleſia ſua Cathedrali Lodouenti, ad Conuentum prædictum Fratrum Prædicatorum tumulandus. ***

Eiuſdem Bernardi Guidonis Præfatio Sanctoralis: ſiue Epiſtola ad Ioannem Papam XXII. præfixa Præfationi.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino IOANNI, diuinâ prouidente clementiâ ſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Frater BERNARDVS GVIDONIS, Dei ac eius Apoſtolicæ ſanctitatis gratiâ Epiſcopus Lodouenſis, ſeipſum modicum id quod eſt, ad deuota pedum oſcula cum obſequio deuotæ ac debitæ ſeruitutis. Primitias laboris dudùm mihi impoſiti & iniuncti per venerabilem Patrem Dominum Berengarium, tunc Magiſtrum Ordinis Fratrum Prædicatorum, nunc verò gratiâ Dei ac veſtrâ Archiepiſcopum Compoſtellanum, circa opus Speculi Sanctoralis, iure vobis offero tanquam ſummo Principi Sacerdotum, priores videlicet partes duas eiuſdem operis corrigendas & elimandas, tam limâ veſtri excellentis ingenij, quàm librâ iudicij præeminentis. Sciens quod quidquid probaueritis in eiſdem, bonum erit, & melius; & quod correxeritis, erit rectum. Suſcipiat itaque, obſecro, benedicta Sanctitatis veſtræ manus interim, quaſi duos manipulos florum, priorem videlicet, ac ſecundam partem eiuſdem Speculi Sanctoralis, prout in Præfatione ſequentis totius operis deſcribuntur, donec reliqui duo manipuli florum eiuſdem Speculi Sanctoralis collecti fuerint, & conſcripti: vnus videlicet de Roſis Martyrum, & poſtremus de Confeſſorum Violis, & Liliis Virginum, ſi vita comes fuerit cum ſalute, Deo propitio & actore. Datum Auenioni XIII. Kalendas Auguſti, Pontificatus veſtri anno VIII. Verbi autem Incarnati MCCCXXIV.

Epiſtola Ioannis XXII. Romani Pontificis ad Bernardum Guidonis Epiſcopum Lodouenſem.

IOANNES Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri BERNARDO Epiſcopo Lodouenſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Librum intitulatum, Quartàm Partem Speculi Sanctoralis, quem nobis tua Fraternitas deſtinauit, animo læto ſuſcipimus tuæ ſollicitudinis ſtudium laborioſis vigiliis adhibitum in opere dicti libri plurimùm in Domino commendantes, & tam de ipſo, quàm de aliis tri-

bus partibus prioribus eiusdem Speculi per te similiter anteà nobis missis, eidem fraternitati tuæ gratiarum actiones vberes exoluentes. Datum Auenioni XII. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno XIII. Dominicæ verò Incarnationis MCCCXXIX.

Præfatio totius operis Speculi Sanctoralis; De contentis in eo, atque de ordine contentorum.

Aureas Sanctorum vitas post inclytam eorum, magnámque fidei constantiam & virtutem, atque bonorum operum vsq; in finem perseuerantiam summo sanctorum Patrum studio inuestigatas, & codicibus atque apicibus studiosiùs commendatas, moderata præsentis operis compendiositas conabitur explicare. Nihil enim intelligentiæ faciliorem paratadit um, quàm breuitas non obscura. Sanctorum itaque legendas veteres & nouas relegens, & ex vtrisque non noua videndo, sed potiora eligendo, prætermissis apocryphis, atque superfluis quantum licuit resecatis; veritate tamen & integritate historiæ semper saluâ, in vnum colligere studui, quæ dispersa inueniebantur in multis. Authenticas scripturas, & illas quas Romana Ecclesia nequaquam susceipi prohibet, tam cautiùs, quàm tutiùs prosequendo, in vno compingens opere quatuor partibus compartito, ne quantitas vnius voluminis nimia videretur, & esset. Et vt possit haberi pars quælibet eorumdem distincta secundùm propriam materiam in suo volumine separatim, in quo tanquam in speculo legentes, possint inspicere limpidiùs Sanctorum facies singulorum. Quod ideò Sanctorum, seu Sanctorale Speculum non incongruè poterit in titulo prænotari.

In prima itaque parte præsentis Speculi Sanctoralis primò agetur de Festiuitatibus pertinentibus ad Dominum IESVM CHRISTVM, qui est caput totius Ecclesiæ, & est causa omnium festiuitatum dierum & temporum, quas sancta Ecclesia tam rationabiliter quàm salubriter instituit & celebrat per anni circulum, ab Aduentu Domini in Officio Ecclesiastico inchoando. II. De Festiuitatibus pertinentibus ad eius sacratissimam Genitricem, ex qua natus est. III. De duobus Festis pertinentibus ad Dominicam Crucem, in qua passus est Christus pro salute generis humani. IV. De Festo Angelorum. V. De Festo Omnium Sanctorum. VI. De Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum. Vltimò, de Festo Dedicationis Ecclesiæ. Atque hæc est continentia primæ partis.

In secunda verò parte Speculi Sanctoralis describuntur ea quæ per ordinem consequuntur. I. Præcursoris Domini sancti Ioannis Baptistæ prænuntiatur conceptus per Angelum, & eius natiuitas gloriosa, & sanctitatis eius præclara præconia, & prærogatiuæ honoris eius. 2. Decollatio eiusdem ac martyrium sub Herode Antipa, impiâ Herodiade suggerente. Tertiò verò sequuntur sanctorum Apostolorum actus & gesta, & inclyta trophæa, sumendo exordium ab Apostolorum Principe Petro, & Coapostolo eius Paulo, prosequendo de alus per anni circulum, sub eodem ordine quo eorum natalitia in Ecclesia celebrantur, adjungendo de Euangelistis duobus, Luca videlicet & Marco. In fine verò partis eiusdem conscribuntur legendæ aliquorum de lxxij. Discipulis Domini IESV CHRISTI, illorum quorum gesta reperire potui, & habere: quia non omnium ad manum habere potui, sed paucorum, nec etiam nomina singulorum. Poterunt autem postmodum aliorum Discipulorum legendæ subscribi suo ordine, in eodem volumine, ab illis qui eorum gesta inuenerint, & habuerint temporibus opportunis. Et hæc est continentia secundæ partis, quæ cum prima parte in vno eodémque volumine conuenienter poterit contineri.

In tertia verò parte Speculi Sanctoralis conscribuntur agones, & triumphi, & coronæ Martyrum purpuratæ vtriusque sexus, cuiuscumque ordinis & ætatis, incipiendo à Protomartyre Stephano & Leuita, & sanctis Innocentibus, prosequendo de aliis eodem ordine quo in Kalendariis & Martyrologiis dies singulorum natalitij per anni circulum sunt notati. Et hæc continentia tertiæ partis, quæ propter sui magnitudinem ac multitudinem Martyrum habeatur in suo volumine separato.

In quarta autem & vltima parte Speculi Sanctoralis describuntur vitæ & legendæ sanctorum Confessorum, & Virginum vtriusque sexus, incipiendo à S. Siluestro

Digitized by Goo

Confessore, atque summo Pontifice, & prosequendo de reliquis eo ordine, quo per anni circulum occurrit vniuscuiusque ipsorum felix transitus de hoc mundo, seu natalis dies in Kalendario annotatus. Hæc autem pars vltima ex causa consimili habeatur in volumine separato.

Ea igitur necessitas laboris in præsenti opere fuit; quoniam in modernis compilationibus Legendæ Sanctorum veteres, rerumque gestarum historia per ipsos compilatores breuitati studentes, sic in plerisque decisæ sunt, vt videatur pars non modica detruncata. Item de pluribus Sanctis nulla prorsus habetur mentio in eisdem, de quibus agitur in præsenti.

Sequitur Tractatus de quadruplici Aduentu Domini, &c.

In parte tertia de Martyribus post vitam & passionem sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi multa congeruntur miracula, & folio 43. habetur hæc epistola.

Venerabilibus Dominis, & dilectis in Christo Fratribus Archiepiscopo & Capitulo Cantuariensi, P. Aruernorum qualiscumque Minister, quidquid potest pauperis deuotio, & pectoris oratio. Quamplurimùm de beatissimi Thomæ Martyris meritis confidimus, & intercessione: votum vouimus Domino sepulchrum eius visere, & nos ipsius orationibus commendare. Cùm autem in proximo itineris essemus, emergentia negotia nos à suscepto proposito reuocarunt. Quod ergo vobis præsentaneo affatu asportabamus, referre vobis absentes notificare decreuimus, quod idcircò confidentiùs asserimus, quoniam multorum veridicâ relatione illud cognouimus. Siquidem in vico Camcensi, qui in Episcopatu nostro situs est, quędam puella die quâ viro suo nupsit, loquelam amisit, & per tres annos muta manens, sermonem aliquem vel vocem articulatam proferre non potuit. Contigit autem, Domino ordinante, quòd quidam miles de memoria B. Thomæ Martyris rediens, vas aquæ sanctificatæ ad locum, qui dicitur Maentiacum, qui in territorio Lemouicensi constitutus est, secum detulit, & eam languidis ad se confluentibus misericorditer erogauit. In loco autem vbi collocata fuit aqua, plura per Martyrem suum miracula Deus operatur, quàm nostro valeant sermone concludi. Audiens autem suprà memorata puella populosam turbam ad prædictum locum confluere, profecta est illuc, & in oratione pernoctans, cœpit suffragium glorioſi Martyris modis quibus poterat implorare. Peractis autem vigiliis, cùm de sanctificata aqua, cuius suprà meminimus, ipsa gustasset, solutum est continuò vinculum linguæ eius, & distinctè & apertè sermocinari cœpit.

VITA ET MIRACVLA SANCTI CONSTANTIANI, ABBATIS ET CONFESSORIS.

Ex veteribus membranis Collegij Claromontani Parisiensis S. I. descripta.

REGENTIBVS atque tenentibus Childeberto & Clotario, &c. *similia iis quæ præmittuntur vitæ sancti Almiri.*

Tempore ergo Childeberti atq; Clotarij Regum Francorum, Cenomanicum adeuntes Ducatum à sancto Innocente Episcopo benignè susceptì, ac Sacerdotes Domino dicati, ab eo sunt ad prædicandum directi. Dedit itaque S. Innocens sancto Constantiano vicum Hebron, de cuius videlicet sedis Ecclesiæ iure erat. Ad præfatum nempè vicum Hebron sanctæ Cenomanicæ matris Ecclesiæ Titularis ac Presbyter ordinatus fuit, illúcque ad prædicandum directus. Erat tunc consuetudo, quæ hactenus apud nos seruatur, vt in omnibus vicis Fratres congregati in vnum, communem vitam ducerent, & omnia in commune haberent. Quam vitam iamdictus Episcopus erigens & releuans, tales quærebat viros, qui hanc condignè ducerent. Sed suprædictus S. Constantianus, ac socij eius, non solùm communem vitam, sed & regularem, ac pauperem ducere cupiebant, atque labore manuum, vt iam dictum est, suarum viuere satagebant. Erat enim præfatus sanctus Constantianus genere nobilis, sacris literis pleniter instructus, moribus temperatus, formâ pulcher,

locutione affabilis, prædicationi deditus, vigiliis & orationibus assiduè incumbens, cibo & potu parcissimus, & cæterarum virtutum dote repletus.

Cùm autem iam tempus aduenisset vt Dominus athletam suum virtutum miraculis demonstrare voluisset, contigit quâdam die Dominicâ eum in prædicto vico Missam celebrasse, & quendam cœcum, dum diuina verba seminaret in populo, ad eum clamasse, atque dixisse: Adjuua me, Domine Pater, ac Sacerdos sanctissime, vt lumen oculorum habere merear, quoniam credo me tuis precibus posse sanari. Cui sanctus vir præcepit in Ecclesia excubare, atque noctem peruigilem mihi cum sancta oratione & meditatione ducere. Eandem verò noctem similiter sanctus vir cum eo peruigilem in oratione duxit. Mane autem facto, & oratione peractâ, tactu saliuæ oris sui, cœco reddidit visum.

Aliud quoque miraculum, quod demùm eiusdem sancti viri meritis ●..... est nihilominùs commemorandum. Quâdam vice quidam iuuenis puer allatus est sub tali voto, vt si eum curaret, in perpetuum suus efficeretur famulus: quem parentes posuerunt ante ædes eius, dicentes, nunquam amplius sui curam habere, nec inde eum referri debere. Videns autem eum Sanctus tam miserabiliter derelictum, misericordiâ motus tetigit linguam eius saliuâ oris sui, & peractâ oratione, posuit eum iuxta Altare; qui eâdem die, meritis prædicti sancti viri cœpit loqui, quem Sanctus literis eruditum totondit, ac postmodùm mihi Monachum fecit.

Nec silendum signum est quod eius meritis in die Assumptionis sanctæ Mariæ claruit. Quidam homo, nomine Bundus, dum eodem die ad Ecclesiam curreret, in quendam puteum cadens, à vicinis eiusdem loci pro mortuo inde extrahitur. Quod cùm nuntiatum esset præfato sancto viro, quod ad Ecclesiam currens, & ad eius officium festinasset, & in puteum corruisset, atque mortuus esset: ipse misericordiâ motus, rogauit eum ad se deferri: qui, vt allatus est, tetigit eum, atque sacrato oleo vnxit, & videntibus cunctis, vnà cum reliquis Fratribus prostrauit se in oratione; qui diù pro eo orans, redditur ei flatus, atque eodem die, eius meritis & precibus pristinæ restituitur sanitati.

Denique dum quidam vir, nomine Ansericus, cùm graui infirmitate diù pressus esset, & à nullo hominum sanitatis remedia posset obtinere, ad vltimum iam in desperatione positus, iam fati sacerdotis sancti obtutibus est præsentatus: cuius oratione, atque sacrati olei vnctione antedictus sanatur infirmus, & sanitati est restitutus.

Sequenti verò tempore allata est ei quædam puella dæmonio plena, quam confestim orationis commodo à dæmonio liberauit.

Sequuntur & aliæ virtutes. Quâdam námque die, dum ad obedientiam haud procul ab eadem cellula vnà cum Fratribus pergeret, allatus est ei quidam puerulus vnicus, ad quem mater pueri lacrymando dixit: Serue Dei, facta est hâc nocte ad me visio per quendam virum Dei, qui præcepit mihi, vt hunc puerulum tibi afferrem, vt officium linguæ accipiat. Ad quam Sanctus Dei stupefactus respondit: O dulcissima soror, à Domino poscenda est illi medicina, non à me homine peccatore: tu autem excuba in Ecclesia, & ora pro eo, atque offer oblationem; ego autem reuertens de obedientia, orabo pro illo. Fecit itaque mulier vt homo Dei præceperat. Ipse autem reuersus de obedientia, orauit vnà cum Fratribus pro eo, & sacrato oleo tetigit interiùs exteriúsque labia eius, atque pernoctans cum eo in oratione, sic crastinâ die eius meritis recepit linguæ officium.

Denique non multo post tempore quidam cœcus, qui per longa senectutis tempora lumine carebat oculorum, adducitur ad sanctum virum, qui saliuâ oris sui tangens oculos, & sacrati olei liquore perungens, inuocato Christi nomine, pristinum ei restituit lumen oculorum.

Deinde tempore aliquo transacto, accidit vt quidam ex suis fraterculis tam grauatus esset infirmitate, vt vltimo suspirio iam grauaretur: ad cuius funus currunt fratres, vt iam animam Domino commendarent, & posteà illum sepelirent. Cuius finis cùm Sancto esset nuntiatus, ait: Dominus Fratrem illum potest reddere, ne nos eius absentiâ & obedientiâ grauemur, sed eius auxilio fruamur. Tu verò curre citò, & obedientiâ fraternâ præcipe illi, ne nos absque nostra præsentia derelinquat. Cui Frater inquit: Nisi citò veneris, minimè eum viuum reperies, quoniam nec ego eum viuum reperire spero. Cui Sanctus: Vade, inquit, & perfice quod tibi iniunctum est. Ego verò interea, Domino annuente, Missam cantabo, & post peractum offi-

Digitized by Goog

cium subsequar te, vt Communionis Dominicæ eum confirmem sacramento. Fecit Missam, vt dixerat, & peracto officio, sacri Corporis & Sanguinis Domini communione eum confirmauit, & iam mutum ac singultientem reuocauit à funere, & pristinæ sanitati & obedientiæ restituit; qui multo pòst viuens tempore hæc eadem nobis retulit. Tantam enim Dominus gratiam præfato viro contulit, & abundantiam donauit, vt iam suprà commemoratum est.

Clotarium denique Regem persequentem Chramnum filium suum suscipere meruit, & charitatem ibidem facere, atque iejunium soluere persuasit. A quo tam ex rebus fisci, quàm ex aliis bonis atque muneribus ditatus est, ad construendum & immeliorandum eundem locum. Ipse verò benedicens memoratum Clotarium Regem Francorum, prophetauit ei victoriam super æmulos suos, insuper & filium suum habere. Quod & nutu Dei, meritis, vt credimus, ipsius factum esse haud dubium est.

Reliquorum autem signorum & virtutum quæ gessit, prolixitatem vitantes, hîc inserere distulimus. Fecit námque iuxta prædictum vicum, præfati Episcopi fultus auxilio, cuius ex largitione memoratum vicum habuerat, cellulam, in qua Monachos & viros religiosos communem vitam ducentes, & amantes, congregauit non paucos, atque regulariter eos viuere perdocuit. Nam antedictus sanctus Constantianus suis meritis & precibus à multis dæmonia ejecit, nonnullis cœcis visum reddidit, ægrotos vnctione sacrati olei, atque febricitantes multos sanauit.

Obiit ergo supradictus sanctus Constantianus die Kalendarum Decembrium, atque à suis discipulis ac Monachis est sepultus in iamdicta sua cellula honorificè: ad cuius tumulum fiunt magnarum virtutum miracula, auxiliante atque regnante Domino nostro IESV CHRISTO, qui viuit & gloriatur Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

IN VITAM
S. ELIGII NOVIOMENSIS EPISCOPI,
Prologus S Audoëni Rothomag. Archiepiscopi, à Laurentio Surio omissus.

Qui cum vita integra habetur in pluribus MSS. codicibus.

CVM Gentiles studeant sua figmenta prolixis pompalare stilis, & sæua nefandarum renouent contagia rerum, ac plurima Niliacis tradant mendacia bibliis, eorúmque vana tantùm discurrat gloria, qui veterum nectunt mendacia; cur nos Christiani salutifera taceamus miracula Christi, quo possimus sermone vel tenui ædificationis historiam pandere plebi: præsertim cùm & Ecclesiasticâ traditione, Apostolicâ admoneamur authoritate de Sanctorum gestis, seu virtutibus nonnulla commemorare, vt scriptum est: *Memoria Sanctorum cum laudibus.* Et illud: *Laudemus viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi, vt fit memoria eorum cum benedictione, & nomen eorum maneat in æternum.*

Quotiescumque ergo Sanctorum solemnia anniuersario curriculo celebramus, aliqua ex eorum gestis ad vtilitatem Christianæ plebis conuenientia in Christi laudibus recitare debemus. Nam reuerà Christi muneris est, quidquid in Sanctis eius laudabile. Quoniam igitur omnium penè miracula Confessorum, & multiplices victoriæ Martyrum, literarum monumentis habentur inditæ, multíque nobilium ex gestis eorum reliquêre molem voluminum: non modò vel exiguum iuxta qualitatem ingenij aptare tentamus librum, in quo de ortu vitæque cursu, & glorioso obitu sancti ac beatissimi Confessoris & Episcopi Eligij, quæ ad plenum experti sumus, adjuuante supremâ gratiâ explicare suscepimus. Id etiam ante nos iam factitatum ab aliquibus eruditissimis comperimus. Sed quia curis illi sæcularibus illigati, & vt ipsi profitentur, cum festinatione finiêre sermonem; indignum duximus, vt tam larga bonitas, támque eximia sanctitas arcto parcóque attenuaretur affatu. Quamuis ergo & nos tantæ rei narrationi minùs simus idonei, indignumque videatur tam laudatæ

Hiſtoriæ exiguum puſillúmq; fieri authorem: tamen quoniam & mihi olim voti eſt & fratrũ charitas eadem frequenter expoſcit, ſi Dei iuuerit fauor, quæ mihi comperta ſunt, quæque ad memoriam Dominus reduxerit, quamquam imperito digeram ſtylo, non leporem ſermonis inquirens, ſed Sancti ſimplicem vitam, ſimplici ſermone ipſius animatus precibus enarrare tentabo: eius vitæ curſum, licet ſermone inculto, ingenti tamen amoris obtentu ferre conabor in publicum, vt cuius eſt vitæ cum Chriſto memoria, gloriæ relatu celebretur in mundo, breuéque vitæ ſpatium æterna memoria compenſet in ſæculum, atque in hominum ore dulci commemoratione viuat in terris, qui cum ſupremis beatè viuit in cælis. Et ſi quidem velit quis omnem eius ordinem vitæ literarum tradere monumentis, certum eſt quia tanta ſunt, quæ & volumen magnum requirant, & otium.

At ego cùm ſim, ſicut ſum profeſſus, imperitus ſermone, & cùm excellentius ſit virum ſanctiſſimum mirari quàm loqui, cùm etiam doctiſſimi quidquid de eo dicere potuiſſent, minùs procul dubio ſit quàm meretur, tamen ardore dilectionis plus in illo quid velim, quàm in me quid poſſim conſideraui. Nam cùm ſim debitor decem millium talentorum, vel exiguum meæ ruſticitatis debitum reddere conatus ſum: culpam ſcilicet metuens ſilentij incurrere, ſi agnita miracula, vt piger ſeruus ſilendo occulerem, ne vel vnius talenti creditam quantitatem dum niterer cautiùs cuſtodire, culpâ defoſſæ pecuniæ non carerem. Idcircò optimum fore arbitratus ſum, vt pecuniæ commercium, quod ab Omnipotente accepi, in laudibus Omnipotentis expenderem; atque id quod ab eodem adeptus ſum indignus, eidem conferrem ſubjectus. Vnde Lectorem obſecro vt vilitatem noſtri ſermonis non vſquequaque deſpiciat, quia etſi vtcumque eloquenter poſſit oratio promi, ita ſtylum placet corrigere, vt nec ſimplicibus Grammaticorum ſectando fumos diſpliceat, nec ſcholaſticos etiam nimiâ contemptus ruſticitate offendat; ſed perpaucis operta, cunctis prorſus retexat aperta. Nam & Eccleſiaſticum dogma etiamſi habeat eloquij venuſtatem, ita eum diſſimulare debet, ac fugere, vt non otioſis Philoſophorum ſectatoribus, ſed vniuerſo loquatur hominum generi. Nec enim operis eſt diuinæ doctrinæ ſophiſticè & eloquenter ſignare ſermones, cùm ſcriptum ſit: *Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt.* Non enim eſt data illi à Domino gratia. Quid enim legentibus nobis Grammaticorum diuerſa argumenta proficiunt, cùm videamus potiùs ſubuertere quàm ædificare? Quid, inquam, Pythagoras, Socrates, Plato, & Ariſtoteles nobis philoſophando conſulunt? Quid ſceleratorum næniæ Poëtarum, Homeri videlicet, & Virgilij, & Menandri legentibus conferunt? Quid, inquam, Saluſtius, Herodotus, & Liuius Gentilium texendo hiſtorias, Chriſtianæ proſunt familiæ? Quid Lyſias, Gracchus, Demoſthenes & Tullius arti oratoriæ inſiſtendo, Chriſti puris atque præclaris poſſunt comparari doctrinis? Quid Flacci, Solonis, Varronis, Democriti, Plauti, & Ciceronis, aliorúmque ſolertia, quos enumerare ſuperuacaneum puto, noſtris iuuat vtilitatibus? His itaque omnibus cum ſuis vanis ſtudiis omiſſis, ad ſimplicem propoſitæ properemus hiſtoriæ ſeriem. Adeſt ille Plaſmator, qui linguas infantium facit diſertas, cuius gratiam nobis adeſſe ſupplices optamus, vt, ipſo annuente, Confeſſoris ſui palmas gradatim narrare poſſimus. Quapropter Lectores obſecramus, & per glorioſum Chriſti aduentum obteſtamur, vt ſi quis hæc legens amore captus exemplare voluerit, ſyllabarum detrimenta ſummoperè obſeruet, & dudum conſcriptis exemplaribus turſus conferat corrigenda; vt quæ cum ſtudio & ſollicitudine ſcripta ſunt, cum cura & diligentia tranſcribantur. Hæc idcircò, quia plerumque videmus nonnulla volumina, & præcipuè Sanctorum geſta, ita ſcriptorum vitio deprauata, vt ſtudioſis quibuſque non ſolùm lectitare, verumetiam manibus ſit contingere faſtidium. At noſtra hæc, ſi placet, oratio per incolumem ſtatum Catholicæ ſeruetur Eccleſiæ. Nam præmium laboris noſtri vltima confido penſabit dies. Sed ne prolixa præfatio priùs faſtidium generet, quàm Lectoris ſupercilium hiſtoria inclinet, licet cum verecundia Fratribus quidem obedientiam: ſed illi impendo, de quo non dignè loquor, iniuriam, ſed tribuet veniam; confido enim quòd deuotione non offendo. Nunc verò hæc prima in fronte ex eius vita propono.

Explicit prologus. Vitam, quia prolixior, in aliud tempus differemus.

VITA ET MIRACVLA SANCTI EPARCHII CONFESSORIS.

Ex Sanctorali Bernardi Guidonis, pluribusque aliis MSS codicibus.

POtissimum est illas enarrare virtutes, quæ veraces esse noscuntur. In hac ergo sancti Eparchij vita, nulla à me superflua aliquis putet esse adjecta, cùm hæc quæ dixero, sub oculis omnium fuerint peracta. Etsi non vrbanitate sermonum, saltem rudimento verborum in hoc loco conscripta: Vnde precor vt à quocumque sapientissimo viro fuerint prolata, placitâ bonitate emendet, & vt legentes potiùs fidem adhibeant factis, quàm reprehensionem inferant dictis. Ergo quid per ipsum in hoc sæculo, auxiliante Domino, gestum sit, referemus.

Eparchius igitur Petragoricæ vrbis genitus fuit, cuius pater Felix, siue Oriolus nomine; mater verò Principia vocabatur. Cùm verò ipsum felix partus exposuit, in Deo iugiter lætabatur innocens infantia. Cùm autem annos ageret circiter septem, in vrbe præfata literis traditur edocendus, & cùm inspirante Domino pleniùs eas didicisset, exinde ab auo suo Felicissimo tunc temporis Comite benignè est receptus. Quem ille Cancellarium sibi instituit: quam rem magis adolescentiæ causâ detentus exercuit, quàm animi voluntas permitteret. Et cùm apud ipsum ter quinos annos egisset, relictâ sæculari militiâ, & insciis omnibus, Sedaciacum expetiit Monasterium, séque pedibus Abbatis Martini prostrauit, & se Monachum fieri postulauit. Et cùm intercedente Dei misericordiâ, licet inuitis parentibus, est impletum quod petiit, injunctum est ei vineam colere, & terram proscindere, & omne seruitium, vt moris est, adimplere. Quod ille benignè suscipiens, & cuncta perfectè perducens indicabat ei habitus pauperis, quod sibi Christus proficiebat diues; ieiunabat quotidiè, vigilabat, & orabat assiduè, perseuerabátque in misericordiæ operibus: multos quidem languidos, vel à dæmonio vexatos suâ purgabat oratione.

Cùm eodem ferè tempore ad Lemouicini agelli Monasterium (Lemojallo agello Monasterij) cum Victoriano Monacho iussus carperet iter, vidit capreolam summâ velocitate currentem, quæ fœtus suos, quos reliquerat, festinabat lactare. Orauit secum vir beatus vt eum expectaret. Cui illa non solùm expectandi præbuit officium, verumetiam humiliato capite ipsum adorare occurrit, & eius manus osculata est. Quam ille tactam manu leniuit, & signo Crucis armauit, atque licentiam eundi ei permisit in pace. Alio quidem tempore ad Senocellam causâ orationis, vel ad occursum S. Aquilini cum Ruderico (Munderico) Monacho properabat, & inuenit auem supra pullos suos sedentem, quæ ad illius orationem immobilis astitit. At ille pullos cum benedictionis alloquio manu propriâ perlustrauit, & reliquit ire in pace auem illæsam.

Dum hæc quæ diximus, & alia multa, Domino iubente, perficeret, cœpit ipsa publicatio sæculi sibi esse horribilis, sicque occultè suum deserens Monasterium, solum se Christo, & misericordiæ operibus committens, perrexit ad inclusionem inquirendam. Et dum circuiret pagum Engolismensem, puerum nomine Gradulfum (Gratulphum) morte peremptum in villa Anglesis (Anglensi) ad supplicationem Monachorum vitæ restituit, & alium in Burdegalensi suâ reuocauit oratione.

Cum autem loca singula peragraret, ad vrbem Egolismam, iubente Domino, peruenit, quam secretiùs voluit pertransire: sed agnitus à ciuibus, indicatus est Aphthonio ipsius vrbis Antistiti. Quem ille sicut de ipso præcellens fama iactauerat pleniùs recognoscens, gauisus factus, eum cum magna exultatione suscepit. Et cùm causam eius deuotionis intellexit, ire eum longiùs non permisit, sed ipsum pleno cordis amore secum astrinxit, atque locum, quem desiderabat, tanquam eremi solitudinem & desertum ostendit. Quo viso, vir beatus non tantùm loquebatur ore, quantum gaudebat ex corde, eò quòd esset locus remotus, & fons aquæ fluentis emanans, & Carantonus fluuius ab alio latere flueret. Post hæc, dum proferret, quòd exul cœpisset esse in terris, & valdè nimiâ vicinitate ciuitatis esset detentus, noluit absque nutu sui Pontificis vel Abbatis in optato loco recludi; sicque ipsum vir san-

ctiſſimus Aptonius Epiſcopus cum miſſis ſuis, id eſt, Frontonio Archipreſbytero, qui poſteà meruit Epiſcopalem dignitatem; & Artemio Archidiacono, per omnia Chriſti famulo; & Artemio Defenſore ad Sabaudem Epiſcopum, & ad ſuum Abbatem ad pacem percipiendam, & ab obtinendum quod voluerat, deſtinauit: qui regreſſi, etſi vix tandem, optimè cuncta ei nuntiant, & benignè permiſſa.

Cùm autem in ciuitate moraretur, & ei fuiſſet manſio præparata condigna, cùm omnes intra domus ſepta ſomnus cepiſſet, ille ſolus, nullóque ſciente, relicto ſtratu ad locum vbi debebat recludi, ambulauit per noctem. Cúmque rurſum & orationem peregiſſet, ſublatum lapidem ad caput ſuum poſuit; & cùm ſe in eodem loco ſopori dediſſet, vox Chriſti ad eum facta deſuper dicens: Eparchi, hic permane, iam amplius noli vacare. Quam ipſe ordinationem Fratribus ore proprio referebat; & dum in ciuitatem fuiſſet regreſſus, ſub hora diei tertia venit ad carcerem, in quo plurimi vincti tenebantur, & cùm cuſtos carceris ibidem præſens adeſſet, emiſit à foris piiſſimas preces, nec multùm ſibi defuit quod ſuggeſſit. Oſtia enim carceris ſub arduo ſunt aperta imperio: & virga ferrea foris ſunt ejecta, & per plurima loca quaſſata. Et cùm omnes carcerarij ad Eccleſiam confugium donarent, cunctus populus hæc per Eparchium facta fuiſſe clamabant, & laudibus Domini manibus applaudebant.

Cùm iam gradum Preſbyterij Apronio tradente accepiſſet, & in recluſionem fuiſſet repoſitus, referam pauca de pluribus; Quidam virtute reſtitutus ipſius vocabatur Redemptus, habebat vas cum melle repoſitum, quod à quodam fure ſublatum recipere ſollicitè ipſe perquirens, eum cum ipſo vaſe manifeſtè inuenit. Et cùm hoc Cramnulfo Comiti ab ipſo fuiſſet ſuggeſtum, & in ſua præſentia omnia manifeſtè fuiſſent adducta, latro ipſe tormentis grauiſſimis applicatus, & tam hoc quàm alia maiora facinora confeſſus, ſuſpendi omnibus modis iubetur ab ipſo. Pro cuius vitæ obtentu valdè vir beatiſſimus deprecatus fuit, dum diceret eum pro ſua cauſa mori non debere: ſed nullâ ratione apud eum obtinere potuit, quod etiam plurimùm poſtulauit; ſicque vocato vno de Fratribus, Gratiano ſcilicet Preſbytero, ſicut hæc geſta de eius ore cognouimus, iuſſit ei collectis infirmis & matricularijs ad portam ciuitatis rei expectare euentum. Cúmque miſer fuiſſet ſuſpenſus, & eum morti traditum reliquiſſent, furca ipſa ad eius orationem tota comminuitur, & ligamenta vnde erat colligatus, ſoluta ſunt, & ad ciuitatem validiſſimum arripuit curſum. Videns autem hoc Comes, militibus iuſſit equos aſcendere, vt antequam Eccleſiæ attingeret limina, eum præoccuparent. Cúmque non minima multitudo poſt eum cœpiſſet equitare, mirum adfuit, quòd vtique omnes ante conſpectum Comitis in medio tabeſcerent itinere. Et ille comes occupatus à matriculis, vitam habuit ad eius orationem ereptam. Item alium eodem inſequente Comite, pro illius vita ſupplicite eum exorauit, quod ei non ſolùm non præſtitit, ſed eum verſis pedibus ſuſpendit: qui ſimili modo ad eius orationem ad veſperam de longinquo ſpatio ad ipſius peruenit præſentiam.

Cara verò ſibi Araniola (Aranea) dicta, ex genere nobili procreata, toto corpore contracta ad famam beatiſſ. viri peruenerat in carruca. Cùm autem in eius præſentiã introiſſet, magnâ voce rogauit, vt eius pietas ſibi ſubueniret. Demùm cùm apud ipſũ ſeptem diebus fuiſſet cõmorata, per eiuſ orationem priſtinam ſanitatem recepit. Cui tanta fides inualuit, vt literas eius receptas quaſi munus retineret abſconſas. Poſteà verò dum in domo ſua ſuper littus maris adeſſet, vidit nautas grauiſſimum perferre periculum: ſed currens acceptâ epiſtolâ feſtinanter ad ripam maris venit, porrectiſq; manibus eam contra mare extendit, & altâ voce clamauit, dicens: Serue Dei Eparchi, in nomine Chriſti, per hæc pignora literarum tuarum libera iſtos nautas à præſenti procella; & ſtatim incolumes euaſerunt periculum. Nec hoc ſine diuino fuit nutu, quòd nauis ipſa, omnibus portis relictis, fluctibúſque valdè oppreſſa, ad eius peruenit præſentiam.

Geneſiam quoque feminam leprâ percuſſam mundauit: tribus cœcis lumen reſtituit: de Gaudemia legionem dæmonum ejecit. Quidam vir Artemius (Atermius) nomine, de parentibus non infimis editus, cùm ſcripturas ſacras tractaret, & ſeruus Dei eſſe cuperet, cùm non eſſet Clericus ordinatus, in Sanctonico ſe recluſit. Cùm verò non minima annorum curricula in ipſa recluſione conſiſteret, & crines ei longiſſimi accreſcerent, à dæmone arreptus, exinde egreſſus eſt, dicens ad Childebertum Regem ſe iturum, & quòd non minus eo eius facultas dominaretur eius regnum

viribus

viribus eius exploraret. Cùm autem hæc parentes sui viderent eum non sanâ mente meditari, pariter assumpto, quasi cum ipso ad Regis properarent præsentiam per viam aliam ad Eparchium cœperunt adducere. Cúmque appropinquassent ad vrbem, recognouit se ad domni Genesij vicum quod Agolismam ducebatur. Nec tardiùs erupit in vocem ad Eparchij aspectum se nolle ire. Cùm verò hoc nimiùm recusaret, manibus injectis occupauerunt eum qui cum ipso erant, & eo super equo imposito, manibus ligatis & pedibus sub ventre equi perstrictis, ad Eparchium eum perduxerunt vinctum. Quo intromisso, cœpit crines concutere, & pro capillis dicens se sanctitatis comparem non habere. Cùm verò hoc ageret, & conuitia pessima ipse ab ore suo proferret, digitis suis palmis affixis, sanctus Eparchius ad fenestram accessit, & in manibus eius Crucis signaculum dedit. Quas cùm signasset, cum graui illius voce ad sanitatem adduxit. Die autem sequenti iussit eum more laici detonderi. Ille verò clamabat: Quis ita audax esset, qui eius crines amputaret; attamen vix tandem fuerunt incisi. Die autem aliâ Clericum eum fieri ordinauit. Cúmque hoc fuisset impletum, statim obmutuit diebus multis, & nullum appellauit, nullúsq; de ore eius vanus sermo processit. Nec multò pòst eum sanum omninò restituit, & postea Diaconus factus fuit.

Salomon quoque vnus ex suis caballum ipsius tempore hyemali dirigendum acceperat: sed veniens seruus Eurulfi (Ebrulphus) quem præ omnibus diligebat, furtim eum sustulit, & cùm ab ipso fuisset occultè productus, à dæmonio statim correptus cœpit miser voce clamare validâ quod fecerat. Et sic alij simulatâ petitione, quasi languore aliquo tenerentur, eulogias sancti Eparchij quæsierunt. At vbi introgressi sunt qui venerant post datam suggestionem, statim eis dedit responsum quod fallaciter eius munia postularent, qui res suas furati essent. Nam ipse erat qui suum furatus erat equum: sed non multò pòst morati, caballum ipsum ad eius reduxerunt præsentiam. Obstupefacti autem ad inuicem loquebantur, quomodo omnia potuisset agnoscere, & eulogias tamen eis non denegasset: sed infelix ille antequam eas acciperet in suo scelere ipso dæmone perpetrante interiit; & quantacumque aliquis, siue bona siue mala de eius fama iactabat, omnia præfatis eius auribus intimabat.

Item seruus quondam Leontij ex vrbe Sanctonica, pro suo facinore boiâ grauissimâ fuit impeditus, & cùm iam diutinâ laceratione ipsius pedes deficerent, audiens laudem beati viri, ad eum fecit confugium, projectúsque in faciem obsecrabat eum, vt ipsum suâ liberaret oratione. Videns autem sanctus Eparchius quòd esset arcto vinculo constrictus, & ingenioso, licet non desperaret de diuino artifice, sed vt videret si ab homine potuisset exolui, conuocauit Fratres, vt eum suo eriperent magisterio. Cúmq; vndique boias percuterent, & infelix ille voces intolerabiles emitteret, dicens se ita impeditum ab eo liberari non posse, sanctus Eparchius dixit: Date malleum in manibus ipsius, & prostratus in orationem cum lacrymis surrexit, dicens: Dominus soluit compeditos; & statim vt ferijt tribus vicibus, confracta cecidit ad pedes eius catena. Sed cùm præliator Christi semper contra dæmones dimicaret, compellentéque necessitate vt ad energumenos catechizandos ampullam cum oleo acciperet, festinus adfuit inimicus. Cùm enim ille manum suam ad ipsam accipiendam extendit, serpens immanissimus eum in manu percussit. Cùm verò intelligeret nulla esse figmenta diaboli, non se carminibus sanum effici postulauit, sed ad orationem continuò sollicitè accessit: manus autem eius non tumuit, sed etiam Dei pietas incolumem reseruauit.

Item cùm tempus vigilandi eueniret, non diebus, neque noctibus orare cessabat, & Monachis suis non solùm laborare, sed nec panem etiam coquere nunquam permittebat, nisi tantùm orationi insistere. At vbi cùm panem ad vescendum habere concupiscerent, vultu tristi clamabant ei dicentes, quòd periclitarentur fame. At ille lætâ facie, & sedulâ prædicatione monebat eos, dicens: Fides famem non timet. Exempla quoque Eremitarum eis sæpiùs exponebat. Quia verò eius benignè suscipiebant colloquia, & Deo psallebant iugiter, nunquam eis defuerunt exenia, vnde & ipsi reficerentur, & egenis substantiam ministrarent. Denique sicut de chartarum voluminibus certâ ratione subtraximus, plusquam duo millia hominum collatis muneribus suis noscitur redemisse. Ne autem in narratione signorum ampliùs volumina extendam, cætera, quæ facta sunt, prætereo, ne prolixitate operis fastidium lector incurrat. Nam quantis vicibus carcerem rupit, vel quantos ab im-

mundis ſpiritibus, vel à diuerſis infirmitatibus liberauit: longum eſt dinumerare per ſingula.

Veſtitus quoque eius ac victus aſperrimus fuit: vinum verò, & reliqua delicati potus genera refutauit, & nullus ex ſuis, niſi ſecretiſſimus Miniſter, vnquam vidit eum edentem. Sub quanta verò afflictione Quadrageſimæ diebus erat! quàm creber in orationibus, quàm humilis in ſuſcipiendis Fratribus, quàm ſeuerus in corripiendis, quàm alacer in exhortandis, non eſt noſtræ poſſibilitatis reuoluere. Nam eius abſtinentiam nulla vnquam infirmitas fregit. Et vt ad extremum veniamus, cùm annos 39. in recluſione expleuiſſet, nullo tædio fatigatus, die Kalendas Iulij emiſit ſpiritum. Mox verò grande eius extitit miraculum, quòd inter triginta & ampliùs hominum millia in vico Mugrio (vel, 30. & ampliùs exinde millibus vico Iuegio) horâ diei tertiâ, dum quædam puella à dæmonio torqueretur, tranſitum ipſius enarrauit ſummâ voce, & relictis omnibus, iter in quo nunquam fuerat, tam auidiſſimo curſu arripuerit, vt eo die ad veſperam in eius Baſilica curationis remedium expectaret. Die autem ſubſequenti à nequiſſimo eſt mundata ſpiritu. Conuenerant enim ciues ad beati viri funus, & dum in eius planctu omnes lugerent, ſimul etiam quo ſepeliretur tractarent, dum multi multa conferrent, & Baſilicarum eligerent loca, præ cæteris vir clariſſimus Alexander nomine, ingreſſus Baſilicam, locum, in quo iacuit, oſtendit. Sed in quantum rei veritatem percipimus, eo in loco dormierat olim, quando Chriſti audierat vocem. Illud etiam prætereà ſilentio non tranſibo, quòd tonna vini dum ad eius Baſilicam ædificandam diſpenſaretur, & penè iam peruenisſet ad imum, noctu redundauit expleta. Hæc verò & alia complura ab eo noſcuntur eſſe peracta, præſtante Domino noſtro IESV CHRISTO, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Item de Virtutibus eiuſdem ſancti Eparchij.

De beatiſſimi Eparchij Preſbyteri virtutibus, & operibus quæ Dominus per eum fecit, quæ vſque ad requiem conſcriptam ab eo vocatus eſt, immemorem charitatem veſtram eſſe non reor, quia, recitante Lectore, vobis in parte iam manifeſta ſunt & aperta. Nunc verò quantas & quales poſt humatum eius corpuſculum ad locum ſepulchri, vel per multarum terrarum ſpatia vbicumque articulorum ipſius reliquiæ conditæ ſunt virtutes, Dominus per ſeruum ſuum reuelare dignatus eſt, veſtris auribus, in quantum ipſe permiſerit, intimabo.

Igitur cùm inclytæ memoriæ Cariberus Rex ad regendam patriam Carlonenſem adueniſſet cum gloria, quamplures ex Francorum genere nobiliſſimi viri, Proceres, Optimates, ad Regis obſequium conuenerunt, ex quibus vnus Dulciadus nomine, in territorio Engoliſmenſium Comitiuam obtinuit dignitatem. Cùm verò lucubratâ oratione properaſſet ad Baſilicam ſanctiſſimi viri, velum quod matrona deuotionis animo ad ſepulchrum obtulerat, ad oſtium Eccleſiæ affixum pendebat, primò inueri cœpit, & quod oculo nequam conſpexerat, concupiuit, atque turbido vultu Abbatem alloqui cœpit, & omnes ibidem commorantes ſuis obtutibus præſentari præcepit, móxq; expleuit ſcelus opere, quemadmodum ſerpens qui repit pectore, repit & ventre, & venenum habet in ore. Vrbis cuidam purè innuit, quòd niſi velum ſibi gratis dirigeretur, graues eis iniurias, hominibúſque ſuis inferret. Illi verò zelantes eius beneuolentiam, velum ei causâ muneris conceſſerunt. Quod cùm læto animo recepiſſet, ſuper ſtratum ſuum poni præcepit. Cùm autem noctis tempus adueniſſet, crapulatus à vino, in eodem lectulo proſtratus accubuit: ſed mox cùm ſe dediſſet ſomno, in graui febris irruit tædio, vocauítque puerum, vt velociter velum reportaret ad tumulum: ſed ipſe membratim diſtentus, in vulnere longo tabefactus dolore corporis, & velum reddidit, & vitam finiuit in ſcelere.

In ipſius Regis tempore, duos viros quidam Comes Palatij eius in catenarum vinculis præcepit poni ſuper quodam crimine accuſatos, qui per virtutem ſancti Eparchij iurantes illius criminis ſe eſſe inſontes noctis tempore, cùm cuſtodes à ſomno fuiſſent depreſſi, catenæ ipſorum confractæ ſunt, & curſu veloci ad Baſilicam properantes, ex mortis periculo liberati ſunt. Vvaragailſus quoque Comitiuam exercens militiam, morbo regio contractus, & neruorum debilitate afflictus eſt, qui ad ſepulchrum viri deportatus eſt in feretro, quaſi vt ſepeliretur in tumulo. Sed pius

Dominus, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat, per seruum suum Eparchium restituit ei corporis sanitatem. Albinus iterùm vir Sanctonicæ ciuitatis magnificus, longo tempore languore detentus, carri postulauit vehiculum, & ad memorati viri sepulchrum deuoto animo expetiuit ipsius auxilium: quem Dominus sanum præcepit ad suum redire præsidium. Iolita verò femina viri magnifici Fingonis filia, oculorum pupillâ offuscatâ, per aliquod tempus in domo orbata lumine sedebat, & debilis; quæ ad sepulchrum sancti Eparchij per paucos dies deprecando Dominum, lumen recipere meruit pristinum.

Quædam eodem modo matrona, nomine Dodolena, febribus vexata, allata boum vehiculo, ad sanctum peruenit Cœnobium: quæ indubitanter orans, pristinam recepit sanitatem. Verùm quia Kalendis Iulij vir Dei de sæculo vocatus est ad cælestes epulas, cùm per annos singulos eius celebraretur festiuitas, cœcus lumen desiderans, ad eius festinabat accedere limina; adhibitóque quodam puero, qui ei præbebat adminiculum ad eundum, cùm pontem super Carantoni alueum inter cateruam populi inuenisset imperuium, clamabat voce quâ poterat: Sancte Eparchi, tuum mihi præsta auxilium, vt merear ad sanctum tuum properare sepulchrum. Tunc de cælo splendor veniens, suos tetigit oculos, & ita perfectum recepit lumen: statímque carpens viam, ad hominis Dei peruenit memoriam. Nec mirum qui cœco sedenti in via, & clamanti viuens, clarum restituerat lumen, sic potuit per interuentionem suam præstare visum cælitùs pauperi supplicanti. Duæ rursus feminæ tunc temporis per baptismi lauacrum fuerunt annexæ, inter quas antiquus hostis seminauit discordiam: Nam cùm vna alterius rei furatæ reputaretur esse obnoxia, per iusiurandum constituit ad sepulchrum sancti Eparchij se purgare; sed conturbatione populi, ad locum destinatum nequiuit accedere. Vnde fidem habens illa quæ causam suam amiserat, quòd tantum verbo iurisiurandi in loco quo stabant, se non esse ream veraciter affirmaret. Cùm itaque altera furatæ rei conscia, manus leuare ad sanctum sepulchrum vellet, minimè adimpleuit; sed in terram cadens, de admissa noxa confessionem coram hominibus dedit.

Nicasius quoque tunc temporis Engolismensis Episcopus, in ciuitate Burdegala Ecclesiam sacri Ordinis in honorem S. Eparchij deuotè constituit, vbi etiam reliquiarum eius pignora cum magna gloria, Deo auxiliante, collocauit. Quodam verò tempore cùm naues Britannicæ armatæ velis & remigio pro exercendis negotiis ad portum eiusdem ciuitatis accederent, mare, vento flante, intumuit, & insistente procellâ, carina mergi cœpit. Tunc omnes lassati quasi ad mortem, remissâ voce quâ poterant, cum lacrymis proclamant: Sancte Eparchi, manum porrige liberis, libera perditos, quos hostis iniquus vult sibi prouidere captiuos; statímq; Eparchij meritis pius adfuit Dominus, & in vocem proruperunt, magnúmque miraculum videre meruerunt. Quia ipse iuxta verbum Euangelicum, imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Hi verò qui in puppi residebant, ad sanctam Ecclesiam orantes peruenerunt, & munera quæ portabant, fide integrâ Deo obtulerunt.

Quidam verò homo diues, Almodio nomine, deganciam vini ad festa solemnia beati Confessoris direxerat ad pauperum refectionem: sed missus immisericors medietatem vini in eleemosynam tantùm dedit: aliam verò ad suæ voracitatis ingluiem satiandam reportabat. Denique rota carri comminuitur, vasculum fractum cum vino in foueam cecidit. Ostensa est autem inibi auaritia, & malitia hominis, vt non lucrum suæ gulositatis ipse adipisceretur, nec etiam mercedem de commisso sibi à domino reportarit. Quidam homo afflatus spiritu nequam, pallas desuper sanctum sepulchrum abstraxit more furtiuo: sed quantum putabat iter arripere ad eundum, tantum ingrediebatur ad locum vbi furtum fecerat. Ad sepulchrum itaque amens, infelix, & perfidus pallas reddidit, & rediit confusus.

Eonaldus quidam homunculus contractus corpore, itavt nec gressum facere posset, ad Basilicam ipsius Sancti venit, repertáque cælesti medicinâ, propriis pedibus, & erecto corpore ad locum vnde venerat, remeauit. Claudius Faber nocte peranfractam vitream in Basilicam introiuit, argentum de ipso sepulchro furtim abstrahere voluit: sed in mente sui sceleris conscius, cum grandi metu quod fraudauerat, præsentauit. Hoc quoque non silendum puto, quod nostris temporibus actum fuisse discerno, ideò quod veraciter contigit, assignabo: Gregorius Turonicæ vrbis Episcopus dixit: Obiit Eparchius recluſus Engolismensis, vir magnificæ sanctitatis;

per quem Deus multa miracula ostendit, de quibus, relictis plurimis, pauca perstringam. Igitur Petragoricæ vrbis incola fuit, sed post conuersionem Clericus factus Engolismam veniens, cellulam sibi ædificauit, in qua, collectis paucis Monachis, orabat assiduè. Et si ei aliquid auri vel argenti offerebatur, aut in necessitatibus pauperum, aut in redemptione captiuorum totum distribuebat. Panis in cellula illa, eo viuente, nunquam coctus fuit; sed à deuotis fidelibus, quod necessitas exegisset, afferebatur: magnam enim cateruam populorum oblationibus deuotorum fidelium redemit, plurimorúmque malorum venenum Crucis signo sæpè compressit. Dæmones de obsessis corporibus oratione suâ abjecit, & iudicibus plerumque, vt culpabilibus ignoscerent, dulcedine profusâ imperauit potiùs quàm rogauit. Nam ita erat dulcis alloquio, vt ei negare non possent, cùm fuisset indulgentiam deprecatus. Quodam verò tempore, dum pro furto quidam ad suspendendum duceretur, qui & in aliis multis sceleribus, tam in furtis quàm homicidiis accusabatur ab incolis, & hæc ei nuntiata fuissent, misit Monachum suum ad deprecandum Iudicem, vt licet culpabilis ille vitæ concederetur; sed insultante vulgo atque vociferante: Quòd si hic dimitteretur, neque regioni, neque Iudici posset esse consultum, dimitti non potuit. Interea extenditur à trochleis, virgis ac fustibus cæditur, & ad patibulum condemnatur. Cúmque mœstus Monachus hæc Abbati renunciasset: Vade, inquit, attende à longè, quia scito quòd ei quem homo reddere noluit domino suo, ipse vitam redonabit. Tu verò, cùm ad eum accesseris, protinùs apprehensum eum adducito in Monasterium. Monacho autem iussa complente, ille protinùs se ad orationem conuertit, ac tamdiù cum lacrymis ad Dominum fudit preces, quoadvsque diruptis catenis, terræ rectè tueretur appensus. Tunc Monachus apprehenso eo, Abbatis conspectibus incolumem repræsentauit. At ille gratias Deo agens, Comitem accersiri iubet, dicens ei: Semper me benigno animo solitus eras audire, fili dulcissime; & cur hodie induratus hominem, pro cuius vita rogaueram, non laxasti? Et ille, Libenter te audio, Sancte, & alios Clericos; sed insurgente vulgo, aliud facere non potui, timens super me seditionem moueri. Et ille: Tu, inquit, me non audisti, Deus autem me audire dignatus est; & quem tu tradidisti morti, ille ad vitam restituit. En, inquit, coram te adstat sanus. Hæc eo dicente, prosternitur ad pedes Comitis stupentis quòd videbat eum viuere, quem in mortis interitum reliquisset. Hæc vtique ego ab ipsius Comitis ore. Sed & alia multa fecit, quæ siquidem ad narrandum longum esse putaui.

Post quadraginta igitur & quatuor annos reclusionis suæ parumper febre pulsatus, tradidit spiritum, prostratúsque à cellula, sepulturæ traditus est. Magnus autem conuentus hominum, vt diximus, ab eo redemptorum in eius processit exequiis. Vvaldericus verò Sanctonicæ ciuitatis vir perspicuus, deuotionis animo Monasterium, & domum ad pauperum necessitatem in suo prædiolo super Carantoni fluuium, cui constat Montem esse vocabulum, ædificari fecit in honorem sancti Eparchij: & cùm egressus fuisset de sæculo, Monachis ipsum decreuit pro remedio animæ suæ. Gratharius verò vir iniquus & pessimus, potestate superbiæ accinctus, pro socero conatus est possidere Monasterij agrum. A quo Pater Monasterij Rusticus sæpiùs postulauit, & vsque ad eius genua prouoluens descendebat, vt redderet agrum, vnde pauperes, quibus delegatus fuerat, sustentarentur: sed ille non solùm illũ non reddidit, verùm etiam fructus inde prouenientes in horreis suis recondebat. Indictum est Monachis ab Abbate triduanum ieiunium, & quod sagacitas non putauerat, accensus est febre validâ, & stomacho supereffluente, cum gemitu clamabat miser & trepidus: Sancte Eparchi, reddo quod abstuli, remitte malum quod perpetraui. Missum itaq; festinanter misit, qui vas argenteum ad Cœnobium deportaret, & se reddendam villam eorum nuntio designaret. Sed iussu Domini, sicut Ananias & Sapphira seueritate sancti Petri percussi sunt, ita & iste auarus & cupidus iudicio sancti Eparchij & villam reddidit, & vitam finiuit. Quanta autem Dominus per seruum suum ostendere dignatus est miracula, longum est dicere per singula. Nam multi qui oppressis corporibus à diabolo vexabantur, liberati sunt; & plures infirmi & imbecilles à diuersis languoribus vexati, & febricitantes typo frigoris, quartanis videlicet & quotidianis febribus afflicti, ac secretiori infirmitate detenti, medelam corporis receperunt ac sanitatem. Nonnulli etiam à catenarum vinculis, & à cataſtæ tormento, & pedum ferreis vel ligneis carchannis absoluti sunt. O verè vir beatus, constans in

opere, largus in eleemosynis, promptus in oratione, qui non longè à ciuitate manens, erat quasi in vasta solitudine constitutus. Iustus & fortis, prudens & temperatus. Et quicumque habens infirmitatem deuoto animo, & promptâ voluntate ad eius sepulchrum expetebat sanitatem, lætus ad domum redibat, & cum magna alacritate, præstante Domino nostro IESV CHRISTO, cui est honor & gloria, virtus & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Eiusdem Vitam paulò ab hac diuersam edidit Gononus in Appendice ad Vitas Patrum Occidentis, pag. 428. & seqq.

NARRATIO
DE MIRACVLIS IN TRANSLATIONE Reliquiarum sanctæ Faustæ, & aliorum, patratis.

Cuius partem aliquam edidit Andreas Duchesnius Tomo II. pag. 400. ex MS. Codice Ecclesiæ Lemouicensis.

TEMPORE quo post Domini nostri IESV CHRISTI Incarnationem DCCCLXIV. annus impletus est, obtinente Regnum Francorum Carolo Rege, filio Ludouici magni Imperatoris, grassata ingens persecutio in Ecclesia Christi, in regionibus Aquitaniæ, seu Gasconiæ. Siquidem Paganorum barbaries, quos vsitato sermone Danos, seu Normannos appellant, à suis sedibus cum innumerabili exeuntes nauali gestamine, ad Sanctonicam, siue Burdegalensem vrbes sunt adueeti, indéque passim in præfatis discurrentes prouinciis, vrbes depopulando, Monasteria, Ecclesias, necnon & cunctas hominum ædes igne cremantes, non paruas hominum strages occidendo dederunt.

Eo verò tempore apud Gascones, quibus montes Pyrenæi vicini sunt, Ducatus apicem Arnaldus, vir inlustèr obtinebat. Hic etenim filius cuiusdam Comitis Petragoricensis, vocabulo Ymonis, fuerat, & auunculo suo Sanctioni, qui eiusdem gentis Dux fuerat, in Principatum successerat. Denique idem Arnaldus sæpiùs cum præfatis Barbaris, ob defensionem sanctæ Ecclesiæ, præliando certauerat, & multos ex tetra illa atque spurcissima natione interficiens, maximam ad vltimum sui nobilissimi exercitus partem amiserat.

Erat autem tunc in pago Lemouicino à præfatis Paganis incensum Monasterium, quod Solemniacum more antiquo vocant, vbi memoratus Arnaldus maximâ charitatis deuotione erat astrictus, ob hoc videlicet, quia nouerat eum à S. Eligio Nouiomagensi Episcopo in honore sancti Petri Apostoli nobiliter fuisse constructum, & maximam habitatorum illius Cœnobij fuisse regulæ sanctæ obseruationem. Tantam etenim erga ipsum Architerium habebat deuotionem, vt spondens voueret se in eodem pro Christi amore comam capitis sui depositurum, & Monasticis semetipsum subdendum disciplinis. Posteà verò id implesset, nisi inopinatâ morte præuentus fuisset.

Hic verò dum incolumis adhuc in suo statu persisteret, curam ferens memorati Cœnobij, admonebat sæpiùs Monachos eiusdem loci, vt partes Gasconiæ, quas regebat, pro adipiscendis sanctorum Martyrum reliquiis penetrarent; ipséque illis hoc spondebat prouisurum, ne inanem paterentur itineris laborem. Visum est autem Abbati Monasterij, & omni ipsius Congregationi, vt aliquem ex Fratribus pro prælibato negotio illò mittere deberent. Miserunt autem quendam Monachum Religiosum, scilicet Sacerdotem nomine Aldarium, cum nepote eiusdem Ducis Arnaldi, nomine Gotafrido, qui in illis partibus tunc iter carpebat.

Hactenus Editio Duchesniana.

Aliquandiù ergo prædictus Frater cum sui itineris comitibus apud memoratum Principem commoratus est, anxiam iugiter in sui pectoris antro gerens mœstitiam, verens ne fortè illud quod mente conceperat, non ad votum impleret. Gestiebátque ne fortè habitatoribus sæuis regionis illius quod agere proposuerat, manifestum fieret, ne ab ipsis impeditus, suo sancto non valeret satisfacere desiderio. Sanè cùm

multa Sanctorum pertransisset loca, & opportunum non vidisset vt cœptum negotium explere potuisset, & iam ad propria redire decernerent; hi cum quibus ire decernebat, tandem peruenerunt in territorio Fidenciaco, vbi Ecclesia mirificè olim in honorem sanctæ Faustæ Virginis & Martyris constructa, & ab ipsis quos suprà taxauimus Paganis combusta fuerat. In eadem deniq; Basilica, sanctissima membra huius Martyris, completo pro Christo glorioſissimo triumpho, tumulata à Christianis fuerant, & congruo honore longissimis temporum successibus venerata.

Igitur cùm per Dei voluntatem hæc quæ retulimus, memoratus Frater comperisset, confisus de Dei omnipotentis miseratione, simúlque authoritate & consensu supradicti Iudicis fretus, quodam diei crepusculo, transeunte noctis excursu, antequam res ab incolis eiusdem loci posset agnosci, paucis secum sociis adhibitis accedit ad sanctæ Faustæ Virg. & Mart. sepulchrum. Cúmque aliquandiù ibidem in oratione cum lacrymis incubuisset, & Domini auxilium & Sanctæ ipsius suffragium imploraſſet, cum immenso tremore & fiducia operculum sarcophagi, in quo sancta membra quiescebant, reuoluit. Eadem verò horâ, cùm iam in lucem prolata forent sancta pignora, tãtus tonitrui fragor cęlitùs intonuit, vt hi qui aderãt, nec vnius horæ interuallo corporaliter se putarent esse superstites. Nec victus est tremore tanti fragoris deuotissimus animus prædicti Fratris: sed mox suos socios quos sibi adsciuerat, vt solatium ferrent ferendarum reliquiarum, immani terrore perculsos, desperatósque esse conspiciens, vt constantiam fidei resumerent, admonuit, & quod deuotè agere inchoauerant, vt viriliter perficere studerent, exhortari curauit. Quid multa? leuantur sanctissima ossa ex tumulo, vbi multo tempore iacuerant, & linteaminibus præcipuis inuoluta, cum magna exultationis lætitia ab his à quibus inuenta fuerant, feruntur ad propria.

Sanè nec prætereundum est silentio, quod Dominus meritis tantæ Virginis, ad cuiusdam fluminis vadum ostendere est dignatus. Denique hi, qui tunc secum tantum thesauri munus ferebant, cùm aduenissent quodam in loco, vbi cuiusdã fluminis vadum transfretare conati sunt, pluribus aquarum imbribus, qui præteritis inundationibus fluminis ripas impleuerant, tunc tantâ profunditate experti sunt aquam, quam transmeabant, creuisse, vt aliter nonnisi natando littus contingere cum equis suis possent. Contigit autem Monachum præfatum cum reliquiis memoratæ Virginis, quas secum in sportula ferebat, pedestri labore trans torrentem remansisse. Nam vehiculus qui eum ferre debuerat, cum illis qui primitùs vadum transierant, fortuitu vacuus, neminem in dorso suo ferens transmeauerat. Petiit itaque ab his qui iam transierant, equum sibi reduci, sed impetrare non valuit, quoniam exterruerat eos ingens vadi altitudo. Quid ille faceret, vel quò se verteret primò ignorans, tandem salubri reperto consilio, ad orationis præsidia conuersus, lacrymabili prece Domino supplicat, vt meritis sanctæ Martyris Faustæ, quam gestabat, incolumis impetum transmeare posset. Nec mora facta Domini aduenit auxilium. Quidam enim rusticus in eodem loco ex incolis loci illius religioso Domini Sacerdoti & Monacho obuius factus est eâdem horâ. Quem idem Domini famulus rogare cœpit, vt vadum præbendo sibi ostenderet, & pro hoc illi ipse mercedem condignam tribueret. Sed ille primò recusare cœpit, timens vim aquæ inundantis. Tandem victus precibus hortatur seruus Dei admonitus, vt fide armatus, aquæ altitudinem ingredi non dubitaret; edito signo Crucis vadum ingressi, inueniunt aquam fluminis ex Domini præcepto eadem horâ in tanta extenuatione exsiccatam esse, vt vsque ad genua sibi non peruenirent, quæ paulò antè dorsa equorum supereminens operuerat.

Tanto ergo viso miraculo benedicentes Dominum, iter cœptum læti carpebant. Inde itaque digressi, post paucos dies peruenerunt in pago Tornensi (fortè Toronensi) & fessi labore, quodam in loco substitêre, qui dicitur Nõnaris, prope castrum Asnense. Erat autẽ in eodem loco haud valdè procul Cella sita, vbi Monachi commanebant, & ipsi in præfato Monasterio Monachi, propter prædictam Paganorum sæuitiem, ad delitescendum erant, sub Præpositorum suorum inibi regimine degentes, atque Monasticam disciplinam diligenter obseruantes: cum quibus etiam cohabitare solitus erat ille Frater, de quo superiùs sermo habitus est. Fundus autem in quo Cellula sita erat, vocabatur Briuaciacus, & pertinebat ad ius dicti Monasterij. Quo in loco Sanctorum reliquiæ erant reponendæ: Non solùm enim sanctæ Virginis Faustæ, sed & nonnullas sanctæ Dei Genitricis Mariæ semper Virginis, necnon

Digitized by Goog

& sanctissimi Confessoris Martini Turonicæ sedis Episcopi, quas repererant in Ecclesia memoratæ Virginis, prædicti viri secum ferebant.

Cùm cognouissent autem prædicti Monachi iam propè adesse suos sacrum thesaurum sibi deferentes, inenarrabili perfusi gaudio occurrunt eis in loco vbi paulò superiùs memorauimus eos subsistitisse. Detulerunt autem secum Fratres, qui obuiam venientibus ierunt, cruces & candelabra cum cereorum & candelarum plurimarum, necnon & thuribulorum ornamentis. Aduenerat etiam cum eis populi multitudo non modica, quæ ex vtroque sexu, ex vicinis pagis conglobata, cum ingenti deuotione ac lætitia, sancta excipiebant pignora. Quæ cuius essent meriti, palàm omnibus illicò Dominus ostendit. Denique cùm cerei & candelæ, quæ sine lumine delatæ fuerant, antequam reliquiæ è loco vbi depositæ fuerant, leuarẽtur, à nemine accendente, infusum diuinitùs lumen in cunctis apparuit, & tantâ virtute repletum est, vt nullo ventorum flamine, nullóque aëris incommodo extinguerentur donec quò tendebatur, ventum est. Denique cùm nubes aquâ nimis densata, Solis claritatem obfuscaret hominibus, & indicium daret pluuiæ, quæ etiam de fidelibus turbis hymnum Deo persoluentibus, timor pluuiarum meritis Sanctorum interuenientibus, sine pluuia conuersus est in claritatem virtute diuinâ; factúmq; est, vt sine alicuius aëris incommodo peruenirent ad propria, qui sacra gestabant pignora. Cùm verò peruenissent ad Cellulam, quam suprà taxauimus, laudes Deo canentes ingressi, condignè iuxta Altaris cryptam deposuerunt, quæ piè ac fideliter detulerant, vbi immensa beneficia sanitatum, Domino in Sanctis suis operante mirabiliter fiunt vsque in hodiernum diem.

VITA S. FERREOLI LEMOVICENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Descripta ex Breuiariis Lemouicensibus antiquis.

BEATVS Ferreolus, vir illustris ex diœcesi Lemouicensi, sicut posteritati reliquit priorum authoritas, extitit oriundus. Erat autem opere sanctus, corpore castus, & charitate diffusus; liberalium artium disciplinis eruditus, conuersatione cælicus, vestium splendorem despiciens, ciliciis de pilis camelorum factis ad carnem vtebatur; diebus cunctis, exceptis Dominicis, ieiunabat; vinum non bibebat nisi lymphatum intantum quod videbatur vini speciem non habere. Noctibus singulis horâ matutinali exurgens posteà legebat Psalterium cum Letania & Collectis, pluribus ac crebris genuflexionibus ac teritionibus carnem suam edomabat. Et cùm sanctorum Petri & Pauli limina peragraret, nomen Domini in via prædicabat, verbum Dei signis & prodigiis roborabat, infirmantibus vniuersis salutis remedium conferebat. Cúmq; fama eius sanctitatis ad summi Pontificis Leonis notitiam peruenisset, obuiam ei abiit, & in domo sua charitatiuè susciplens, eiúsque colloquiis dulcissimis delectatus, maximo cordis & oris iubilo iocundabatur. Et cùm ad propriam regionem visitatis Sanctorum liminibus redire disponeret, sanctus Leo Papa in visu edoctus, pronuntiauit ipsum beatum Ferreolum electum in Episcopum Lemouicensem. Móxque idem Pontifex Leo beatum Ferreolum, Deo disponente, Episcopum consecrauit, & gradu Pontificali insignitum, dato sibi osculo pacis, ad prædictam ciuitatem Lemouicensem, ad quam illum Deus elegerat, in Pastorem animarum authoritate concessâ direxit. Euolutis autem paucis diebus, cùm ex diuina reuelatione in eadem vrbe eius præstolaretur aduentus, Sacerdotes vniuersi, cognito ipsius proximo occursu, cum Clero & populo obuiam exeuntes, magno illum cum gaudio susceperunt. Adeptâ itaque Pontificali dignitate beatus Ferreolus, ne lucerna lumine accensa sub modio latitaret, Catholicæ fidei doctrinam, & Euangelicæ prædicationis arcana, vt bonus Pastor ouibus sibi à Deo cõmissis viuâ voce pandere cœpit, ieiunando, orando, prędicando, eleemosynas multas faciendo, virtutum flores in populis seminauit. Cúmq; tempore illo factâ plagâ in ciuitate Lemouicensi & Lemouicino ex diuersis morborum incursibus, videlicet dysenteria, febribus, & aliis incommodis populus cruciaretur, B. Ferreolus cum viris religiosis intrans Ecclesiam B. Apostoli Martialis, conspersus cinere, cum fletu & gemitu per triduum

ieiunus perstitit ; & vt Dominus populum de tanta clade liberaret, Deo sacrificium obtulit. Eo autem in oratione perseuerante, Angelus apparuit, dicens: Ferreole, exaudita est deprecatio tua ; statimq; plaga populum dereliquit. Beatus námq; Ferreolus & Aredius Abbas sanctus de eadem parentela, vt fertur, exorti fuerunt contemporanei (ergo centum annis remoti à Pontificatu S. Leonis Papæ.) Et cùm S. Aredius de hoc sæculo emigrasset, B. Ferreolus Lemouic. Episc. per nuntios euocatus ad obitum eius celeriter venit : tardè tamen accedens, super corpus B. Aredij amarissimè fleuit, quia eum viuum non inuenisset, & eundem S. Aredium cum debitis obsequiis, & Missarum solemnitatibus B. Ferreolus Pont. reuerenter tradidit Ecclesiasticæ sepulturæ. Cúmq; vltimum diem sibi proximum adesse sentiret, congregatis Fratribus & Clero dixit : Christi monita seruate, & mandata eius adimplete, & iudicia Dei tremenda formidate, & memoria mea vobiscum sit. Et omnibus de transitu eius mœrentibus, dolorem compescuit, & fletum verbis consolatoriis propulsauit. Deinde diuinis refectus sacramentis, manus & oculos ad cælum attollens, feliciter anima è corpore emigrauit 14. Kal. Oct. Sepultus in Ecclesia S. Pauli. Deinde propter ruinam Ecclesiæ, translatus ad Abbatiam S. Augustini. In transitu eius splẽdor maximus super domum eius de cælo descendit, iterúmq; ad cælum reuolauit. Concurrentibus populis, ipsum in quadã capsa lignea posuerunt, vt manus eius per quasdam capsæ fenestrulas deosculandæ aduenientibus remanerent; vnde fuit tantus cõcursus, vt vsque in alterum diem non potuerit sepeliri. Et cùm Ecclesia S. Augustini per incursus Gothorũ & Vandalorum deserta apparuisset, corpus eius per antiquam nobilitatem Dominorum de Turribus fuit in eorum castello delatũ. Deinde in Ecclesia Parochiali apud Annexonium, supra Altare in capsa deaurata repositum: cuius meritis plurima præstantur à Domino infirmantibus remedia sanitatum.

ACTA SANCTÆ FIDEI VIRGINIS ET Martyris Agennensis.

Ex quamplurimis calamo exaratis codicibus vulgata.

SANCTA FIDES de Agenno ciuitate oriunda fuit, & ex parentibus clarissimis splendidissima proles procreata, alumna loci illius in ortu, facta est patrona in passionis obitu. Nobilis quoque veterum & generosâ stirpe parentum, sed facta est Christi munere nobilior, quia stolâ virginitatis candidâ induta fulgens fidei in Domino IESV CHRISTO odorem bonæ suauitatis protulit. Vitam námque temporalem perdere voluit, vt possideret æternam, quia ab ipsius infantiæ cunabulis Dominum IESVM CHRISTVM dilexit, & suum dixit esse authorem. Iuuenis quidem corpore tempore passionis erat ætate, sed sensu & opere senex manebat. Pulchra erat facie, sed pulchrior mente : virginitatis námque candore formosissima, vultus quoque hilaritate serena. Igitur cùm eodem tempore Præses nomine Datianus, à profanis Diocletiano & Maximiano Imperatoribus directus (qui tunc Romanæ arcis primatum regere videbantur) Agennum vrbem ingrederetur, dolo instigatus diaboli, quatinus sacrilegos beneficiis remuneraret, atque Christianis ibidem metu ipsius latentibus atrocissimas pœnas inferret, continuò beatissimam Fidem accersiri iussit, & suis conspectibus duci præcepit. At illa se sponte ministris offerens, corpúsq; suum vndique signo sanctæ Crucis muniens, orabat ad Dominum dicens: Domine IESV CHRISTE, qui tuos semper in omnibus adjuuas, adesto nunc mihi famulæ tuæ, & præbe ori meo sermonem acceptabilem, quem in conspectu tyranni huius respondeam. Et armata sanctæ Crucis vexillo, fronte, ore, pectoréque Spiritu Sancto roborata, hilari animo perrexit. Cùm autem staret coram Præside, blando sermone ait ad eam : Quod est vocabulum nominis tui ? Cui consequenter sancta Fides nullo metu perterrita respondit : Fides nomine & opere vocor. Præses dixit : Quis cultus, inquit, religionis ac fidei tuæ ? Ad hæc sancta Fides respondit : Ab exordio iuuẽtutis meæ Christiana sum, & Domino IESV CHRISTO totâ mentis intentione deseruio, illiúsque nomen confiteor, illi me totâ deuotione committo. Præses verò callidissimâ simulatâ tranquillitate paulò indulgentiùs respondit : Accipe, inquit, ô iuuenis puella, pulchritudini & iuuentuti tuæ necessarium consilium, & cessa ab hac confessiõne, & sacratissimæ Dianæ sacrifica; quia ipsa est sexui vestro consimilis, & multis

multis te ditabo muneribus. Quam promissionem Christi Virgo velut nihilum deputans ita respondit ; A Patrum traditionibus cognoui, quia omnes dij gentium dæmonia ; & tu mihi blanditiis persuadere vis, vt ego eis sacrificare debeam ? Præses verò ira commotus ait ad eam ; Vt quid Deos nostros dæmonia esse dicere præsumpsisti ? Aut prostrato corpore diis sacrifica, aut diuersis te faciam interire suppliciis.

Tunc sancta Fides secura de præmio, exemplo magnorum martyrum roborata, has audiens minas, desiderans à terrenâ vitâ ad supernam migrare gloriam, in hac vociferatione prorupit, dicens ; Ego pro nomine Domini mei IESV-CHRITI non solùm pati parata sum diuersa tormenta, sed & mortem in eius confessione subire desidero. Tunc præses magis furore succensus, iussit satellitibus suis, vt Sanctam Virginem inferrent in lectum æreum, & superpositam per quatuor partes extendi, ignemque supponi præcepit, vt eius tenera membra tam crudeli disrumperentur supplicio. Itaque candentem craticulam sanctissima Virgo vltrò conscendens, diuaricatis membris per quatuor partes extenditur, lorisque ferreis coartata, per flammeam cratem prouoluitur. Cui impij Ministri ferreis batillis ardentes prunas subijciunt, adipéque flammis iniecto ad latera vsque torrida incendia subuolare cogunt. Quod videntes qui aderant, vnâ voce clamauerunt dicentes ; O Impietas & iniusta iudicia ! Innocens & Dei cultrix, & primæ dignitatis honore præfulgens, cur absque vllo facinore grauissimis supplicijs mancipatur ? Multi enim sunt quorum nomina ignoramus, qui ea die videntes Sanctæ Fidis constantiam, à sacrilego dæmoniorum iugo pia colla soluentes, crediderunt in Dominum IESVM-CHRISTVM, & glorioſam sunt coronam Martyrij consecuti.

Eo namque tempore cùm hæc agerentur, à Deo electus, martyrque futurus Sanctus Caprasius, cum cæteris Christicolis persecutionem sacrilegi Præsidis declinans ad Septemtrionalem vrbis plagam sub foramine cuiusdam rupis latebat, & cuncta quæ intrà murorum ambitus gerebantur, clarâ oculorum acie perspiciebat. Sub eiusdem quippe diei articulo, ab ipso speluncæ foramine ad vrbis propugnacula aspectum dirigens, vidit Sanctam Martyrem super carbonum incendia, impiorum immanitate torreri. Eleuatis igitur oculis intuens in cœlum, orationem Domino profusis precibus effundebat, vt famulam suam in præsenti certamine faceret esse victricem. Rutilusque Athletas Christi eleuatis oculis cœlum totâ mentis auiditate prospexit, & iterum humo prostratus petebat Dominum, vt ei cœlestem virtutem ostenderet ; Sicque petitionis suæ desideratum assecutus effectum, vidit de nubibus columbam, vt niuem candidam descendere, & coronam interlucentibus gemmis suprà solis splendorem rutilantem, cœlestibusque margaritis refulgentem, super caput glorioſæ Martyris ponere. Denique ipsam Dei famulam nineo, splendidoque habitu indutam prospiciens, agnouit ipsam Dei Martyrem perpetuæ salutis brauium esse assecutam, quam tanto munere videbat cœlitùs ditatam. Columba igitur è cœlo veniens, vt diuina potentia in reliquum tempus circà Martyrem sacram mirabilior fuisse prædicaretur, blando alarum volitatu, dulcique alarum applausu cum imbrifero rore totam vim flammarum extinxit, pyrámque torridi incendij quasi irriguis fontibus tali volitatu omnino repressit.

Vidit etiam vir Sanctus Beatissimam Fidem veluti palæstram non tortorum ictibus læsam, non igne exustam, neque sauciatam corpore, sed cœlestibus ornamentis stare. Quàm virtutem tam præclaram, támque mirabilem mox vt Dei famulus prædictus Caprasius spiritualibus oculis conspexit, supernis gaudijs dignam esse futuram intellexit. Tunc securus non imparibus meritis eandem gloriam subiturus, Rupim sub quâ habitabat, dexterâ suâ percussit, & continuò indè fons aquæ iugis emanauit, qui vsque in hodiernum diem indeficienter currens, salutis remedium virtute Dei cunctis aduenientibus præstare non desinit. Quocumque enim tædio languoris quilibet detentus fuerit, mox vt de ipsius rupis fluento gustauerit, optatam salutem recipiet meritis Sancti martyris. Qui vultu hilaris, spiritu alacer, corde intrepidus, cæteris ignorantibus, ad locum, vbi glorioſa Virgo, & Martyr Fidis flammarum patibula sustinebat, improuisus aduenit Christum publicâ voce prædicans. Quem statim audiendum impius Tyrannus suis aspectibus statui iussit. Ille verò intrepidus coram eo stetit. Et Præses ei patriam, nomémque, genúsque requirit.

Digitized by Google

Ad quem Sanctus Caprasius, in primis, quod præclarum est, Christianum me confiteor, in cuius regenerationis lauacro Caprasius à Sacerdote nuncupor. Hoc audito, præses blandis eum cœpit lenire sermonibus; Video te, inquit, decorum iuuenem, qui si fortè sermonibus meis adquieueris, poteris in palatio summorum Principum amicitiâ perfrui, & multa consequi prædia. Tunc Sanctus Caprasius cœlestibus mirabilibus attonitus, Sanctæque Martyris Fidis exemplo ad supernam coronam spem totam configens ità respondit; In illius desidero habitare palatio, quem à Baptismo dilexi, & redemptorem omnium in se credentium semper agnoui. Præses dixit; Vellem te, ô Iuuenis, ab hac malesana pertinaciâ reuocare, & prædiorum amplis possessionibus ditescere. Ad hæc Sanctus Caprasius respondit; Ab illo credo consequi indeficientia prædia, qui est fidelis in verbis suis; & sanctus in omnibus operibus suis. Præses autem vt vidit immutabilem mentem eius, & inluctabilem sermonem, ait suis; Vereor cum homine isto diutius certare, ne ab eo iurgus fatigatus vincar. Tunc iubet ministris eum assumi, & sine vllâ pietate carnes eius lamari. Cúmque hoc factum fuisset, fortiter pœnas toleranit, atque alacri vultu constanter Christi nomen populis præsentibus prædicare non destitit. Qui pietatis affectu super eum lacrimantes, magnóque eiulatu frementes, vnâ voce clamabant, dicentes: O Impietas, & inaudita iudicia! cur sanctum Dei omni bonitate ornatum, tantâ crudelitate vis perditum?

Erat enim Beatus Martyr amabilis omnibus, & inter tormentorum examinationem speciali decore vir Angelicus, cuius constantiam nullâ iniuriarum vi superandam, nullóque excogitatorum argumento cruciatuum reprimendam, duo fratres nomine, & meritis, Primus, & Felicianus admirantes, amore Dei toto anhelo pectore flagrantes, tam fide, quàm & opere, continuò huic se agoni sociauerunt, mortisque periculis se alacriter immiscerunt. Quos omnes ad iugulum mortis vnâ conspiratione confertos mox vt vidit sæuus ille carnifex, blandimentis demulcere, minisque eos terrere cœpit. Sed ne sic vllo modo flectere potuit. Sicque in irâ graui commotus, vt se aduersus eos nullatenus prævalere sensit; ad vltimum datâ sententiâ, omnes simul cum beatâ virgine, & gloriosâ Martyre Fide duci ad delubra præcepit; vbi aut dijs immolare, aut capitibus flexis certum omnibus foret vitam finire.

Ducti sunt ergo Christi milites, vnà cum Beatâ Fide ad prædictum locum: vbi cùm nullâ vi potuissent compelli ad sacrificandum, capitibus cæsis vnius diei hora, cum triumpho Martyrij ad coronam gloriæ felicitèr simul meruerunt peruenire; vt quibus pulchra, & venerabilis extitit societas in fidei constantia, esset pulchrior atque excellentior in Martyrij societate felicitas.

Quos Christi summa cum veneratione cœlestium virtutum inter Beatorum spirituum consortia ouantes asciuit, cum quibus stola immortalitatis decorati, & corona gloriæ immarcessibilis laureati, inenarrabili claritate perfruuntur. De quorum passione pridie nonas Octobris nos gaudere, & illustrare voluit, qui gloriatur in sanctis suis Dominus noster IESVS-CHRISTVS, cui est cum Deo Patre & Spiritu Sancto honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Horum ergo corpora tormentis miserabilibus laniata, cæsisque capitibus obtruncata infidelis Gentilitas in plateas, tanquam neglecta reliquit: quæ deuota Christi plebecula latenter cum summa veneratione colligens, & sacri effusionem cruoris mundissimis pannis extergens, indigno tantæ sanctitatis in loco, sepulturæ commendarunt; vbi non tam sepelisse, quàm recondidisse viderentur. Graui enim percussa pauore verebatur, ne sanctorum corpora malignorum inuidia alàs transferrentur; aut quod nefarium est, tetris vicini gurgitis fluminibus mergerentur, & sic Sanctæ Christianitati malitiosè abnegarentur. Sed Dei prouidentia à fidelibus actum est, vt vrbs, quæ eos habuit inquilinos, tripartito, ortus videlicet, passionis, & sepulturæ honore ditata, eosdem ad promerendam omnipotentis Dei gratiam habere mereretur & patronos. Quo in loco multis annorum recursibus sancta iacuerunt corpora, donec ablata omni Gentilitatis prophanitate S. Dulcidius Episcopatum susciperet, & pastoralem curam gerens pro omnium salute vigilaret. Cui Præsuli ante omnia placuit, vt sanctorum reliquias ab indecenti eleuans loco, in eorum veneratione noua constructa Basilicâ, in lucem efferret, Ecclesiâ ipsâ Sanctæ Virginis titulo dedicatâ. Qui cùm tantum thesaurum aperiret, non tamen incredulus, sed metu, & reuerentiâ terri-

tus diutiùs dubitaret; ad vltimum per noctis quietem admonitus, ne negligenter dimitteret quod fideliter cœperat, conuocatis Monachorum turbis, ac cœteri ordinis prælatis, secretum suum omnibus detegit; quorum consilio adiutus, ad effectum vsque perduxit. Eorum autem votis cætera plebs concordans sanctorum reliquias de loco ignobili honorificè erigunt, & in locum sacrum statuunt; quorum meritis ad salutem omnium innumera cœlitùs patrantur miracula, præstante Domino nostro IESV-CHRISTO, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LIBER DE MIRACVLIS SANTÆ FIDIS Virginis & Martyris.

Auctore Anonymo, sed antiquo, quique vndecimo post Christum sæculo vixisse, ex historiâ suâ deprehenditur.

Ex veteri MS. Codice Bisontinæ Chifletiorum Bibliothecæ descriptum misit ad me R.P. Petrus-Franciscus Chifletius Societatis nostræ Theologus.

CAP. I. *De Witberto, cuius oculos radicitùs euulsos Sancta Fides redintegrauit.*

ADhuc in pago Rutenico, vbi & beatissima requiescit Fides in vicinià vici Conchacensis, Presbyter quidam, Geraldus nomine, superstes habitat, qui habuit consanguineum, ac in Pontificali confirmatione filium, nomine Vvitbertum, suæ domus vernaculum, rerúmque suarum procuratorem strenuum. Hic aliquando Vvitbertus festiuitatis gratia ad Concham perrexerat. Completáque de more solemni lucubratione vigilię, in crastino, id est in ipso solemnitatis die, recidiuo redibat tramite; cum offendit sinistrâ fortunâ præfatum Dominum suum, occulto zeli odio aduersus se commotum. Hunc Presbyter, cùm in peregrino habitu cominus cerneret, verbis pacificis in primo aggressu ita affatus est. Ecce, Vvitbertus, Romeus, vt video, effectus es: Sic enim in eadem patriâ, sanctorum peregrini appellantur. Est respondit; etiam Domine, à festiuitate Sanctæ Fidis reuertens. Tum verò de cæteris quasi amicabiliter exquisito, dat licentiam abeundi. At cùm paululùm sese præterirent, respiciens post tergum Iudaicæ proditionis Sacerdotes (si tamen Sacerdotem, qui sacrilegio Sacerdotium contaminat, vocari fas est) iubet homini, vt paulisper opperiatur se. Quem consecutus, mox à suis vtrobique vallatum teneri præcipit. Quod cum ille vidisset, nimio metu intremiscens, summâ cuius criminis arguatur, percontari cœpit. Cui vir perfidus huiuscemodi minaciter dedit responsum; malum mihi feciſti, & peius factum ire paras; & ideò non aliter, quàm ipsis tuis oculis satisfaciens, mihi supplicium dabis: nec tamen apertiùs, quasi præ pudore, designauit modum culpæ. Namque est Sacerdotibus inhonestum de Zelotypio suo agere iudicium. Siquidem huius mali causa, de suspicione constuprandę mulieris fuerat exorta. Ille verò vt erat rei ignarus, omnigenæ culpæ purgationem satis confidenter profert; Ecce, inquiens, Domine, omne nefas, quo tibi suspectus habeor, si est vt palam detegas, legaliter refellere paratus, non æstimo inueniri posse, quo pacto iram tuam, tuorúmque fidelium incurrere debeam. Ad quem ille: Cessent, inquit, cessent superfluæ excusationis ambages: Iam enim dudum conclamatum est, datâ sententiâ, vt oculis careas. At ille gladiatorio sibi animo insistere, irreparabilémque suæ destructionis horam imminere, nec vllum pretij locum fore vlterius cernens, adhuc tamen quamuis de præsenti diffidens salute, huiusmodi clamorem addit; Domine, indulge quæso veniam, & si non propter innocentiam meam, saltem pro amore Dei & Sanctæ Fidis, cuius amore impræsentiarum gesto sacrum peregrini habitum. Ad hæc torua bellua nec Deum, nec sanctam eius magni pendens, effero furoris rugitu frendens, diu conceptum blasphemiæ venenum ita verbis euomit sacrilegis. Nec Deus, nec Sancta Fides hodie, inquit, te liberabit, neque eos inuocando proficies, vt à manibus meis impunitus

abeas: neque eò confugies, vt ob peregrini habitus reuerentiam, cùm sis mihi iniquissimè iniurius, te incontemptibilem, inuiolabilémque habeam personam. His dictis, iubet hominem dari præcipitem, oculósque innocentis violenter eripi. Sed cùm nullum suorum (qui tres erant tantùm, quorum nomina propter barbarismi prætermittimus horrorem) ad tantum facinus impellere potuisset, illum ab eisdem saltem grauari impetrans, repente idem elapsus ab equo, digitis quibus sanctum Christi corpus contractare consueuerat, sui filioli oculos violenter abstraxit, humique negligenter proiecit. Non sine virtutis supernæ præsentiâ, quæ non sinit homines diuinæ curæ exortes, & semper adest propè inuocantibus se in veritate, facitque iudicium iniuriam patientibus. Nam qui tum ibidem adfuere, cernere continuò niueam meruere columbam; Aut certè, vt ipse adhuc patrator facinoris solet asserere, pica extitit. Quæ pica, vel columba, ocellos miseri recenti cruore illitos in ipsâ horâ suscepit ab humo, supráque montuosæ telluris altitudinem eleuata, ad Conchas deferre visa est. Quod tamen idem cùm vidisset sacrilegus, pœnitudine ductus lacrymari cœpit profusiùs. Cui ab vno sociorum eius idem facere incassum, tardéque dictum est. Indeque abiens, sacram missæ celebrationem posteà aut propter perpetratum scelus non præsumpsit, aut (quod verius videtur) propter rem sæcularem omnino neglexit. At verò mater huius Geraldi læsæ innocentiæ vehementi affectu compassa, prædictum Vvitbertum domi receptauit, cunctáque sibi necessaria, donec sanus factus est, benignissimè suppeditauit. Cum quâ etiam eadem tempestate obuersatus fuerat, non tam ex præcepto sui senioris, quàm declinando atrocitatem ipsius, quæ in illum idem senior, sæuior solito exercuisset, ex quo falsi zeli vulnus in corde percepisset. Is denique sanus effectus, eodem anno arte ioculari publicum quæritauit victum, indéque quæstum accepit, adeò vt (sicut modò assolet referre) oculos vltrà habere non curaret; tanta eum & lucri cupiditas, & commodi iocunditas delectabat. Euoluto itaque anno, impendente sollemnitatis die, cùm pridie ante vigiliam membra sopori dedisset, astitisse sibi inenarrabilis elegantiæ visa est puellula, aspectu Angelico, atque sereniissimo, facie candidâ, roseóque rubore guttatim respersa; Quæ inæstimabili vultus vigore omnem humanum superexcellebat decorem. Quantitas verò non alia erat, quam ea quæ passionis tempore fuisse legitur, id est, statura puellaris, nec dum prouectæ ætatis. Vestes erant amplissimæ, auróque per totum intextæ mundissimo, ac subtili picturæ varietate circumdatæ. Manicarum verò quantitas ad vestigia vsque dependens, in minutissimas rugas præ sui magnitudine subtiliter contracta. Sed & ligatura capitis in orbem complicata bis binis perspicui candoris emicabat margaritis. Verùm pusilli corporis habitudo nihil aliud mihi significare videtur, quàm quòd passionis tempore (sicut diximus) iuuenis legitur fuisse. Mox verò vt ad incœpta redeam, eadem beatissima, fulcro cubilis innixa, suprà dexteram dormientis malam, leniter suauitérque manu admotâ, sic infit: Dormis-ne, Vvitberte? Cui ille ait; Quis es, qui me vocas? At illa respondit; Ego sum Sancta Fides. Ad quam ille; Quid causæ accidit, hera, vt ad me venires? At illa respondit; nihil aliud, nisi vt te visam. Vvitberto verò gratias agente, ipsum rursùs Sancta Fides interrogat; Cognoscis ne me? At ille eam, ac si iam dudum visam, recognoscens, sic visus est respondere; etiam benè te video, hera, & optimè cognosco. Dic etiam mihi, quomodo te habeas, inquit, quámque prosperè tua res agatur. Ille respondit. Optime, hera, rebus meis succedit fortuna, cunctáque Dei gratiâ sunt erga me prospera. Cui illa; & quomodo, ait prospera, quia lumen cœli non vides? Ille enim, vt fit in somnis, aliter quàm res erat, videre putauerat. Qui mox ad hunc finem interrogationum, oculorum reminiscitur amissorum: & quomodo, inquiens, videre possim, qui anno præterito à tuâ festiuitate remeans, iniusti Domini violentiâ oculos miser perderim? Et illa; nimium, inquit, Deum offendit, grauitérque summi artificis iram irritauit, qui te immeritum corporis detrimento damnauit: Verùm, si crastinâ luce, quæ erit martyrij mei vigilia, Conchas perrexeris, emptasque duas candelas, vnam quidem ante aram Sancti Saluatoris, alteram quoque ante aram, vbi gleba corporis mei condita est, apposueris, oculorum de integro reformatorum decore mereberis gaudere: Si quidem pro illatâ tibi iniuriâ, cœlestis iudicis pietatem ingenti clamore ad misericordiam permoui, Deúmque pro salute tuâ sedulæ precis instantiâ tamdiu fatigaui, quamdiu ipse impetratæ optionis effectus, facilem exorabi-

Digitized by Google

lémque redderet. Hæc vbi dicta dedit, cœpit iterum atque iterum, abituro inſtare. Et vt celerrimè pergeret, obnixiùs monere, immo de pretio emendæ ceræ hæſitanti, ita conſulere; mille homines, quos numquam vidiſti, inquit, tibi ſunt daturi. Præter hæc tamen, vt præſens negotium facilius peragas, perge feſtinus præſenti diluculo ad Eccleſiam huius Parrochiæ. Sanè hæc erat, apud quam ipſe oculos amiſerat, quæ ab antiquo Spariacus vocabatur: Ibique miſſam audiens, ſex denariorum reperies datorem. At ipſo pro conſolationis beneficio condignas grates rependente, virtus cœleſtis rediit. Continuò ergo experrectus præfatam expetit Eccleſiam; Vbi cùm vniuerſis omnem hanc viſionem expoſuiſſet per ordinem, omnes pro deliramento reputauerunt. Nec tamen cœptis deſiſtens cùm ſingulos ſigillatim ſupplicando, circumfuſam rogitaret multitudinem, quęrens duodecim oppignerare denarios, è cœteris tandem quidam Hugo ſe præferens, huic apertâ crumenâ gratis ſex nummos cum obolo porrexit; qui tantum, quem in viſione acceperat, exceſſit numerum. Tunc non immemor viſionis Diuinæ, fit certior de futurâ promiſſione. Quid verbis opus eſt? Adit locum, viſionem prodit ſenioribus, emit cereos, apponit altaribus, excubat coram aureâ ſacratiſſimæ Virginis Imagine. Circa autem medium noctis videtur videre, in oculorum ſibi exciſorum locellos geminas fulgoris quaſi baccas, aut pluſquam lauri arboris magnas, deſurſum emitti, penitúſque infigi. Quâ ſtatim reuerberatione confuſus cerebrum, verſuſque in ſtuporem obdormiuit. Cùm autem matutinæ laudes agerentur, propter concentum, & vociferationem pſallentium experrectus, videtur ſibi fulgentium luminarium, hominúmque ſeſe motantium quaſi vmbram conſpicari. Verùm pro interno cerebelli dolore, ſui pene oblitus quod rei veritas erat minimè credulus, ſomniare potiùs arbitrabatur. Tandem cùm paulatim, quem inter tempora conceperat, ſtupor deficeret, cœpit iam apertius rerum formas diſcernere: Atque in ſe vix reuerſus recolit viſionem: manibuſque appoſitis contrectat rediuiuæ lucis feneſtras carneis integerrimè pupilis in fronte reformatas. At continuò adhibitis teſtibus, immenſam Chriſti magnificentiam immenſis prædicauit laudibus. Fuit igitur ineffabile gaudium, inaudita lætitia, incredibilis ſtupor, dubium penè diſcrimen, vtrum ſomni imaginatione, an rei veritate tam inauditum miraculum cernerent, præcipuè his qui prius eum nouerant. Inter hæc res ridicula, plausúque dignissima accidit; nam vt erat homo puriſſimæ ſimplicitatis irrepſit ei in corde ſuperflua timoris trepidatio. Fortè illum Geraldum qui ſibi dudum oculos euulſerat, ad publicam (vt fit) ſolemnitatem aduentaſſe, ſibique denuò, ſi caſu obuium haberet, fretum maiore manu, renouatum oculorum decus exciſum ire: Ideircò ergo inter confuſum promiſcuum turbæ ſtrepitum quò potuit occultus elabitur. Nondum tamen ad plenum de recuperati luminis dono erat certus, tantus eum rei ſtupor inuaſerat, cùm fortè inter anguſtias turbarum ad Eccleſiam concurrentium, iam claro die aſinum offendit appoſitum. Quem cùm fuiſſet intuitus; virili ſeueritate increpitans, ſic infit; Heus tu, homo, quiſquis es, inepte, abige aſinum tuum, ne fiat viatoribus offendiculum. Hic primùm de veritate facti factus certiſſimus ſeceſſit præpete fuga ad quendam notum ſibi militum, cuius municipium in eminenti rupe ſitum ità natura rerum vndique munierat, vt omnimodis machinis inacceſſibile videretur, non à Conchis longiùs, quàm ſexdecim millibus. Ad id ergo propter inexpugnabilis vallis tuitionem confugiens, vix aliquando à Monachis multâ prece exoratus, multáque ſecuritate donatus rediit. Quod cùm plerique omnes tam ex longinquis, quàm proximis regionibus confluentes, pro inaudito miraculo eum certatim videre feſtinant, nonnulla ei beneficia indulſiſſe abeuntes gratulantur. Quæ res vt ex omni parte dubietate careret, non ſtatim vbi ſæpe dictus Vvitbertus oculis priuatus extitit, illum miſeratio ſanauit; verùm (vt ſupradictum eſt) toto anno à ſalute ſuſpendit, attéque etiam ſcurrilitatis compluribus ſuis prouincialibus oculis captum notauit, notátúmque cunctis, ad vltimum ſanauit. In quo nihil eo inferius geſtum eſt miraculum, quod in Euangelio de cœco nato legitur: & etiam multò mirabiliusi; ſiquidem ipſa veritas ſequaces ſuos maiora vtique quàm ſe facturos eſſe promiſerit; inquiens; Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet; & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado:

Cap. II. *De Mulo resuscitato.*

Veniens quidam miles de pago Tolosano, Bonus filius nomine, cuius filius adhuc superstes eodem censetur vocabulo, ad sanctum Virginis locum cùm iam non longius à Vico Conchacensi, quàm duobus fermè abesset millibus, iumentum cui insidebat, nescio quo morbo percussum, repente fit exanime. Conductis ergo rusticis, vt cadauer corio detegerent præcepit. Ipse verò pro cuius amore iter egisset, ad sanctam processit Virginem; soloque decumbens, fundit preces, expromit vota. Postremo ante auream sacratissimæ martyris imaginem, de amissione Muli conquestus est. Nam quia idem Mulus præstantissimus, pænéque incomparabilis fuisset, propterea nimis grauiter triste tulerat amissum: Præsertim cùm in bono opere desudanti inimicus prævalens damnum sibi intulisset. Cuius fidei soliditas, non paruâ laude videtur extollenda, nam vbi ab oratione desiit, Mulus pedibus, quibus iam tenebatur, excoriandus, vtrumque rusticum calcitrando longiùs arcens (mirum dictu!) rediuiuo prosiluit saltu, atque per media montium cacumina sociorum animaliuin inhians vestigiis prorumpit ad vicum. Cerneres animal, vt hi qui præsentes affuerunt, persæpe nobis testantur, iuxta modulum bruti sensus, recuperatæ vitæ gaudio fluitare, corámque Ecclesiâ cursitando per plateam, quodammodò factoris bonitatem sentire, ac proinde crebro hinnitu grates Deo referre, qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Quem præcipites rustici insecuti, cruentatos adhuc gestantes cultros, visum prodigium super Mulo adhuc dubitantibus enarrant. Et vt certa opinio non modo videntium ore esset contempta, sed etiam quadam expressâ scripturâ omnem ambiguitatis euacuaret errorem; hic in vtroque posteriore crure, recentium plagarum sulcos, instar vetustissimarum cicatricum, pilis etiam canescentibus eadem horâ solidâ iunctura reformatos, donec superfuit Mulus, resurrectionis indicium. Miles verò Deo, sanctæque eius pro gratiarum actione vnum aureum offerens, retrò vnde venerat, reuertitur ad patriam: Ipsóque animali Sanctæ Fidei remisso, plurimis postinde annis plurima ei donaria delegauit.

Cap. III. *Item simile Miraculum.*

Miles quidam Geraldus, haud obscura persona, morabatur in pago Ruthenico, in villâ videlicet, quæ Villaris nuncupatur, distans à Conchis ferè sex passuum millibus. Hic cùm Româ aliquando rediret, accidit vt Mulus quem à fratre suo Barnado clerico acceperat mutuò, nescio quo vitio fractus deficere cœpisset. At ipse Sanctæ Fidis, quam vt vicinam habebat, miraculorum recordatus, vouit eidem pro salute animalis candelam, longitudinem habituram. Nec tamen conualescens Mulus, verùm multò magis grauatus occidit. Quod videns homo, hospiti suo venundat corium. Cui cùm nequissimus hospes quam minimum pretium porrigeret, ratus quia & sinihil daret, itidem tamen haberet, ille Geraldus valdè indignatus, per varias cæsuras in longo, & in transuerso sulcat cadaueris latus; ne videlicet se inde abeunte, infidelis hospes integro tergore gauderet. Denique arrepto suæ peregrinationis bacillo, extincti iumenti oculum cuspide perfodiens, caudámque percutiens, ita furibundus infit; Quid nunc detrimenti S. Fides pateretur, si inter alia sanitatum dona, huic etiam mulo sanitatem reddens, tam longam candelam sibi sortiretur? Modò miser duplici discrimine ferior, inter vias pedestris remanendo, & in patriam decies denos solidos fratri persoluendo; Tanti enim ambo inuicem germani de Mulo illo conuenerant, si fortè mortis periculum incurrisset, & vix ille hæc pauciſſima verba compleuerat, cùm reuiuens Mulus saltu citissimo constitit quadrupes. Et ne quis nisi à verâ morte illum æstimaret exilire, in ipso puncto temporis, quo id actum est, vernabant in modum picturæ vniuersa detruncatæ cutis stigmata, non iam perfusione cruoris recentia, sed vt de alio dixi, quodam nitore lanuginis ceu veternosa. Quo facto memoratus Geraldus maximè gauisus, redit domum, Deóque ac sanctæ eius gratias egit ingentes, factique miraculi nouitatem passim disseminauit. Nota nobilitas viri pariter, & fides omnibus erat; Qui ne temerè, vel garrulè quicquam videretur referre, mulum vulneribus notatum habuit impræsentiarum. Hoc ipsi Monachi,

Digitized by Google

sed & alii complures, qui ipsum Geraldum posteà plus millies viderunt, mihi narrauerunt. Sed vt ad finem verborum properemus, quis insanus vltrà hominum resurrectionem fore dubitet in futuro, quando iam in præsenti resurgunt etiam animalia?

CAP. IV. *De Anulo negato & posteà Sanctæ Fidi reddito.*

Quædam nobilis matrona auditâ famâ de virtutibus Sanctæ Fidis, illuc abire parauit. Quæ cùm iter inceptaret, recordatur iam aliquantulum à limine progressa, quòd peregrinantium anulos Sancta Fides in somnis quæritaret. Mox ergo retrò facit pedem, propriúmque anulum de digito detractum, arcessitæ cubiculariæ custodiendum committit. Cape hunc, inquit, atque seruato dum redeo, ne fortè Sancta Fides quæsitum, si detulero ad Conchas, mihi auferat. Nempe hæc astutè, tanquam alicuius cautela declinare possit illius prouidentiam, qui antequàm fiant præuidet omnia. Quid plura? It mulier, soluit orationum debita, atque redit cum pace. Nocte consecutâ, virginea species somnianti apparet; Quæ cùm rogata, Sanctæ Fidis vocabulo suam notitiam innotescceret, protinùs vt sibi detur imperiosâ auctoritate anulus monet. Mox mulieri se anulum habere dissimulanti suggerit hera ipsum esse, quem abiens ad Conchas, ne sibi daret, cubiculariæ commisisset. Mane facto expertecta mulier, diuinam visionem velut fantasticum, vel inane somnium reputat. Sed finem rei quare diutiùs immorer? Illicò mulier tam efficaci febris igne, per vniuersum corporis spatium æstuare incipit, vt vix vnâ horâ consistere posset. Ita tamen triduo passa, redit in se, reminiscitur culpæ, confitetur negligentiam. Mox ergo vt præcepit equum sterni, vt videlicet recidiuo tramite ad Sanctam Fidem remearet, nimius ardoris remittitur æstus: sicque sana it, & gaudisa redit. Non modicum lucrum reputans permutare anulum pro salute.

CAP. V. *De Manicis aureis.*

Iam vero quanta per Sanctam Fidem huiusmodi miracula Dominus operari dignatus est, nemo potuit omnia retinere, neque ea quæ retenta sunt, vlli vacat scribere. Pauca tamen de his quæ audiui, præfatis volo subnectere; Ita quidem vt nec nimio silentio taciturnus, nec nimiâ verbositate odiosus videar. Scio ante nos dictum; omne rarum pretiosum. Et ideò ad comparationem reliquæ vniuersitatis scribo rara, vt sint pretiosa. Indulgebit ergo Christus veniam, quòd sciens prætereo plurima. Arsendis vxor Vuillelmi Tholosani Comitis (fratris illius Poncij, qui ab Artaldo posthæc priuigno suo, dolo interfectus fuit) habebat armillas aureas, vel potiùs (quòd vsque ad cubitum continuabantur) manicas, mirifico opere, gemmisque pretiosis insignitas. Hæc cùm in suo nobili stratu aliquando sola accubuisset, videt per somnium ante se ac si speciosissimæ puellæ formam pertransire: Quam cùm præ nimiâ miratur elegantia, tali rogitatione aggreditur; Dic, inquiens, hera; quænam esse videris. Sancta Fides humili respondit voce roganti; Sancta Fides ego sum, noli dubitare virago. At illa contrà admodùm supplicans, ait; O Sancta Hera, vt quid ad peccatricem accedere es dignata? Tunc in eadem hora negotium aduentus sui Sancta Fides intimat percontanti. Da mihi, inquit, manicas aureas, quas habes: pergensque ad Conchas, aræ Sancti Saluatoris superponito eas. Hæc enim est causa, quamobrem tuam expetierim præsentiam. Ad hęc prudens matrona, non tantum munus absque fœnore passa abire, sic ait; O Sancta Hera, si per te Deus me masculà prole fœcundari dederit, id libenti animo quod iubes exequar. Ad quam Sancta Fides; Hoc omnipotens creator, ait, pro famulâ suâ facillimè faciet, si quod postulo non negaueris. In crastinum mulier hoc responso sollicitata, perquirit studiosissimè quo in pago vicus, qui Conchas vocitatur, situs sit: nondum enim Conchacensium virtutum notitas, nisi rarò, fines suos excesserat. Quo ab his qui comperant comperto, ipsamet peregrini functa officio, aureos eo brachiolos cum summâ deuotione detulit, Deóque, ac sanctæ eius obtulit. Ibique venerabilis matrona aliquot Dominicæ Resurrectionis dies honorabiliter agens, suáque præsentiâ solemnitatem honorans, deinde ad propria redit. Quæ iuxtà diuinæ visionis pro-

missionem concepit, & peperit masculum. Rursusque grauida facta, enixa est alterum; Quorum nomina, primogeniti Raymundus, secundi Henricus. Hæ posteà manicæ in opus tabulæ fuerunt consumptæ.

CAP. VI. *De Muliere, quæ vsurpauit Anulum, quem altera moriens Sanctæ Fidi reliquerat.*

Est quoddam oppidum vico Conchacensi contiguum, cui sub ditione Monachorum quidam Austrinus præsidebat; dudum cuius nos successorem vidimus: nec tamen miraculum quod dicere inchoamus nostra ætate fuit antiquius. Hic Austrinus Anulo, quem vxor nomine * moriens Sanctæ Fidi promiserat, alteram nomine Auigernam sponsauit; prorsùs prioris coniugis dicta, tanquam delirantis reputans. Verum postmodùm proteruæ negligentiæ digitum, qui alieni iuris auro depictus ostentabatur, intolerabili tumore doloris cœlestis damnauit iustitia. Vsque adeò, vt totum pœnè Anulum turgens pustula super accrescente carne contingeret. Ità videlicet vt Anulus adacto ferro non posset secari, sine digiti detrimento. Cúmque ad hanc vim mali compescendam accersitorum medicorum remedia desperarent, nec vllo modo passionis efficacitas iam tolerari posset, ad Diuini iuuaminis recurritur auxilium: fit palàm iniuriosæ culpæ confessio. Deducitur debilis mulier ad sacrum-sanctæ martyris mausoleum. Ibi cùm geminas noctes assiduis excubiis continuat; tertia (quæ fuit Dominica) adijcitur; In quâ vis doloris ità sæuior dolentem vexauit, vt vociferatæ fœminæ miserrima vox per totum noctis spatium non cessaret. Ad postremum cùm iam matutinarum laudum intonarent præconia, ab altithrona summæ maiestatis sede benignæ compassionis visitatio descendit; non passa diutiùs in humana carne tam graues pœnarum desæuire cruces, nec lacrymas pœnitentis vsque ad desperationem peruenire. Nam cùm fortè luctuosa matrona nares emunxisset, anulus, quem suprà diximus, inuiolata digitorum salute tanquam validissimum arcitus * Balista crepitum longè in pauimento dedit. Et ideo cum ingenti gaudij tripudio, dies illa Dominica ab omni illius vici populo celebrata fuit. Quippe qui patrioticam, ac vicinam suam Sanctæ Fidis auxilio ereptam à funesto tormento cernerent. & certè multa, & innumera huiusmodi etiam per diuersa terrarum spatia de Sancta Fide referuntur, quę non solùm scribere, sed etiam dicere nemo sufficiet: est enim impossibile vniuersa Sanctæ Fidis magnalia vel explicare verbis, vel designare literis.

CAP. VII. *De improbo Mercatore.*

Mercator Aruerneusis pagi incola, ad Sanctam Fidem orationis causa venit. Hic cum vidisset facillimum cerę commercium (nam propter peregrinorum frequentiam, offerentium cereos multo vilior habetur) illicò notam suæ artis peritiam reuocat ad memoriam, sic intra se cogitans; Quàm facili quæstu, si hoc stultus resciuissem, diuitem me potuissem facere, ac meam rem constabilire: sed quod hactenùs ignorantia distulerit, hoc amodo peruigil recursus, frequensque repetiti itineris reditus, breui temporis spatio perficiet. Accingar ergo viriliter, reique exordium aggrediar. Hoc itaque dispositio, aditóque venditore plurima ceræ pondera diligentissimè taxat: Decemque dinumeratis solidis, comparat massam ingentem, atque in sacculis recondidit. Et iam gaudens minimo sese vel quadruplum lucraturum, sic apud se cogitabat; At At: bene se habet principium: Quid tum, si plures vices redeo? Sed iam exitus rei non debet nos remorari. Igitur superfuit pulcher cereus, qui non potuit inter reliquum capere aceruum. Hunc vir cupiditatis in sinum applicuit; eo videlicet modo, vt quantitas quidem habitior subter cingulum cohiberetur, gracilior verò per fenestram vestis vsque ad barbam promineret. Verùm superni speculatoris vindex omnipotentia, non tulit vlteriùs raptoris latere audaciam. Nam cereus, quem dixi, ignis diuini repentino succensus feruore, clausstra ipsa, quibus inclusus tenebatur, cœpit vehementer adurere; vaporesq; flammiuomos, vnà cum fumiganti turbine foras emittere: Adeo vt micantium scintillarum globo vibrante

vibrante, illa ingens barba relucceret, ſuperiúſque capucium crepitanti comburereturſonitu. Nec linea in telam ventris protexit tergora, cùm etiam poſteriores gyrantibus flammis arderent. Stupereſ inſanientis horribiles mugitus, calcitrantis ſtrepitum, dentium ſtridorem, oculorum vertiginem, totiúſque immoderatam corporis diſtortionem, cùm miſer intolerabiliter paſſus, hàc illácque præceps ferebatur, ac ſi de improuiſo percuſſus coluber, qui ſinuato globo nunc ſe in ſphæram colligit, nunc pernici tractu fulminat, ac tortile collum porrigit, captans fugam. Sed debilitatus non valens, rurſus percuſſori infeſtus, intorquet ſanguineos oculos, & ſibilat ore. Haud ſecùs iſte miſer, huc illucque curſitans, ſe impellit, & repellit, modò pronus, modò reſupinus: nec vllo modo reſpirare poterat quem vis maior exagitabat. Sed tamen humani ſenſus reſidua vena miſerum redegit ad pœnitentiam. Qui ſtatim ad ſepulchrum piiſſimæ Martyris cum ingenti clamore currens, vniuerſam inibi ceram non celeriùs refudit, quàm pœnale incendium euanuit; neque homo queritur de damno pecuniæ, dummodò à tormento potuit euadere. His itaque geſtis, nequaquam offendere putauerim, ſi bonitatem ſanctæ Fidis laudabilem, mirabilémque in hoc quoque prædico, quòd ne commercij vilitas deficeret peregrinis, improbitatem auaritiæ caſtigauit.

CAP. VIII. *De puero, in quo quadruplum geſtum eſt miraculum.*

Nec illud prætereundum arbitror, quod inter multa Sanctorum miracula, quæ ſecundùm morem illius prouinciæ feruntur ad concilia, ſancta Fides, quaſi principatum tenens, miraculorum effulget gloriâ: quorum, cùm ſint multa, duo tantùm (ne nimis ocioſum volumen contexere videamur) annotare ſatis eſſe putamus. Reuerentiſſimus igitur Arnaldus Rothenenſium Epiſcopus, ſuis tantùm parochianis conflauerat Synodum: quò de diuerſis Monachorum, aut Canonicorum congregationibus, in capſis, vel imaginibus aureis, Sanctorũ corpora ſunt euecta. Erat diſtributa Sanctorũ acies in tentoriis, & papilionibus, in prato ſancti Felicis, quod diſparatur ab vrbe quaſi vno tantùm milliario. Hunc locum præcipuè ſancti Marij Confeſſoris aurea majeſtas, & ſancti Amantij æquè Confeſſoris & Epiſcopi aurea majeſtas, & ſancti Saturnini Martyris aurea capſa, & ſanctæ Mariæ aurea imago, & ſanctæ Crucis aurea crux, & ſanctæ Fidis aurea majeſtas decorabant. Erant præter hæc Sanctorum multa pignora, quorum numerus non commendabitur in præſenti pagina. Ibi inter cætera, quodam inſigni, mirabiliq; omnipotentis dignataeſt famulam ſuam glorificare bonitas. Puer à natiuitate cœcus, & claudus, ſurdus, & mutus, à parentibus bajulatus, ſubtérque imaginem, quæ in ſublimi honorabiliter habebatur, poſitus, quaſi horæ vnius interuallo ibidem demoratus, diuinam meruit medicinam: Atque integerrimæ ſoſpitatis donatus gratiâ, exſurrexit loquens, audiens, videns, & etiam inoffenſo pede feliciter deambulans. Cúmque ſtrepitus vulgi ſuper tali reſonaret prodigio, ſeniores concilij, qui conſidebant paulò remotiores, cœperunt inter ſe conquirere, dicentes: Quid ſibi vult iſta popularis conclamatio? Quibus Bertillis Comitiſſa reſpondens: Quid, inquit, aliud hoc eſſet, niſi quia ſancta Fides iocatur, vt ſolet? Tunc omnes, re exquiſitâ, tam ſtupore quàm gaudio repleti, totam concionem ad diuinas laudes concitauerunt. Illud frequenter præ nimia lætitia recolentes, quòd iocari ſanctam Fidem venerabilis matrona dixiſſet.

CAP. IX *Item de cæco, & claudo.*

Rurſus quidam cœcus & claudus, vt ſanitatem reciperet, ante imaginem ſancti Marij Confeſſoris pernoctabat: cuius virtutes mirificè, latéque diſperſæ, à multis populis habentur famoſiſſimæ. Cúmque iam diluceſceret, repentinus ei ſopor irruit, viſúſque eſt ſibi vocem audire dicentis: Vade ad ſanctam Fidem; non enim datum eſt, vt à tua infirmitate, niſi per merita illius ſaluari poſſis. Hoc reſponſo excitatus æger, illuc quâ poterat virtute repere cœpit. Cùm peruenisſet ad locum, extemplò ſanctæ Martyris dilationis aliena affuêre ſuffragia; nam vbi homo in ipſum aditum papilionis ſeſe ingeſſit, illicò vireſcentibus venis, ac vegetatis neruis meruit de curuo fieri erectus: nam & velamento pupillarum diſrupto, præcedentem ſanguinis eruptionem ſubſequitur lux ſereniſſima; nec ei quiddam ſanitatis defuit, cuius membra cæleſtis Medici dextera pertrectauit.

CAP. X. *De eo, qui à ſuſpendio furcarum ſanctæ Fidis auxilio liberatus eſt.*

Inter cætera, quæ mihi de ſancta Fide adhuc pergenti, à diuerſis relatoribus ſicut ſummo deſiderio indaganti dicebantur, iſtud quod nunc aggredior, more totius populi, feſtiuo, atque celeberrimo reſonabat præconio. Quod poſteà certius ab his, qui rei geſtæ interfuerant exquiſitum, altæ memoriæ tradimus. Nobiliſſimus quidam, nomine Adimarus, de Aualena cognominatus, (eſt enim regio Lemouicenſis pagi montuoſa, ita nuncupata) inter numeroſam familiam clientem habuerat, qui equorum ſibi aliquos furatus effugerat. Hunc denique aliâ tempeſtate cùm caſu inopinato offendiſſet, ſtatim ei prunulis oculorum reuulſis, liberum deinceps abire permiſit. Alterum verò iure ſodalitatis huic adhærentem, nec tamen præfati latrocinij cooperatorem, ac ſi reum paris facinoris, nodis miſerabilibus nectit. Cui renitenti atque inficianti conſcientiam furti, nihil profuit: immò per ſanctam Fidem reclamanti, tale reſponſum vir crudelis edidit; Quid vltrà aliud ſceleratí faciant, niſi ſi cùm fuerint deprehenſi, ſtatim ſanctam Fidem ſibi aduocent patronam? ſed procul dubio clamor iſte ſupplicio puniendus erit. Iunctum ergo curſui caballino agit domum: Inque ſubterraneo, ac tenebroſo profundi penoris ergaſtulo cuſtodiæ mancipat: futurum ſanè, vt in craſtinum furcis appendendum tradat. Quid igitur faceret miſer? Totâ nocte in illo horrore tenebrarum timidus, ſuſpectúſque, à ſomno manſit alienus, verbis quibus ſapiebat Deum, Sanctámq; eius interpellare non ceſſans. Circa medium noctis aſpicit de parte oſtij, ineffabilis ſpeciei venire ſibi puellam. Ratus denique eſſe cubiculariam: niſi quia quæ erat circundata, non candela, non aliquod lucernæ inſtrumentũ lucem præferebat. Hæc accedens, cœpit illum veluti ignara quâ de cauſa carceratus tenebatur rogitare. Cui omnia exponẽti, ac poſtmodùm vocitamen percontanti, ſanctam Fidem ſe eſſe ipſa reſpondit. Et noli, inquit, cœptis deſiſtere, nec diffidentiam vllam habere; ſed ſemper & nomen, & clamorem ſanctæ Fidis habeto in ore. Verumtamen quod tibi interminati ſunt, cras ſubibis patibulum. Sed viuit Omnipotens, qui te ab ipſis faucibus hiantis mortis reuocabit. Hæc, & huiuſmodi proſecuta virtus cæleſtis rediit. Ille verò reliquum noctis ob inſolitam numinis viſionem, in grandi tremore tranſegit. Sed quem bona pars viſitauerat, mens illi turbari non potuit. Facto manè eductus inde, ſiſtitur ante tribunal. Sed quantò crebriùs homo ſanctam Fidem nominabat, tantò feſtinantiùs mens malitioſa patibulum accelerabat. Itur ergo ad locum ſupplicij. Nec ſatis fuit ſeniori, ſeruis ſuis imperare ſolis, niſi & ipſemet magno comitante equitatu abiſſet. Nec vnquam, qui nexus ducebatur, nomen ſanctæ Fidis, vt erat præmonitus, deſeruit, donec via vocis, ligneis coarctata laqueis, ſuffocato gutture intercluderetur, mox deinde pendentem deſerunt. Et cùm iam paululùm in reuertendo elongarentur, reſpiciunt, furcas vacuas cernunt. Tunc cum magno ſtrepitu regreſſi, hominem duriùs ligatum releuant ſurſùm. Rurſùs quoque cùm reuertentes retroſpicerent, humi ſecundum furciferum elapſum hauriunt. Et iam aliqui virtutem ſanctæ Fidis eſſe dicebant, cùm crudelis bellua eos minaciter cum exprobratione increpitans, reticere coëgerit. Tùm multò duriùs, atque immaniùs hominis guttur (vt fertur) renouatis angens retortis, tamdiù pendentem obſeruauit, quamdiù ſtrangulatum incunctanter putauerit. Et tamen cùm per cliuum montis iam reuertentes, deſcendere cœpiſſet, non potuit pati malè ſollicitus, quin torua lumina retorqueret, viſóque miraculo recurrit, reperiénſque hominem ſolutum, & incolumem, hæſitabat quid faceret. Cæteri verò iam manifeſtè ſanctæ Fidis virtutem vnanimes prædicantes, ſceleſtiſſimi facti dominum ſuum reum eſſe conclamant, nec ſe vltrà tam indignum facinus paſſuros. Videns ergo ſenior miraculum quòd eſſet dignum, ductus pœnitudine, cœpit illum obſecrare vt ſibi ignoſceret. Ille nequaquam adquieſcens, ad ſanctam Fidem potiùs itum ire, vt iniuriam hanc exponens, ait: Tùm præfatus Adimarus cernens viri obſtinationem, & ipſe quoque cum quindecim ſuæ domus ephebis, nudis pedibus, & inermis ad ſanctam Virginem feſtinauit. Cerneres ambos Adimaros (nam vtrique id nomen erat) ante ſacram imaginem, tanquam ante tribunal concertare: hunc accuſantem, illum ſuum peccatum confitentem, & emendationem proferentem. At verò ſeniores loci intercedentes, dictatâ prolerho hominis legali emendatione, inter eos concordiam fecerunt. Hoc miraculum plebeio rela-

tu, vt dixi, iam passim relatum, concordi Monachorũ sententia posteà relatum est. Vtque dictis fidem facerent, ampliorem quendam iuuenem, memorati Ademari consobrinum in testimonium arcessunt, qui cum illo ad Conchas post ereptionem à suspendio venerat: sed & ipsum Adimarum, si mihi fuisset spatium, vel per legatos vocatum expectare, vel iter ad ipsum extendere, potuissem videre; nec tempus plus quinquennio dicebant, ex quo id euenerat, defluxisse, ipsúmque superstitem esse.

CAP. XI. *De eo, cui ad conterendum ferreos compedes sancta Fides marcellum attulit.*

Rursùs de alio homine rem mihi opinatissimam vnanimes retulêre: qui cùm diutinâ carceris custodiâ affligeretur, atque incessanter ad sanctam Fidem exclamaret, mox ei sancta Fides vigilanti apparuit. Quæ cùm sancta Fides vocabulo se nominaret, protinùs marculum vetustissimum, scabráque rubigine obductum præbens, iubet illum compedes ferire. Dein ferri fragminibus onustum, ad Conchas celeriter proficisci. Cuius monita ille perficiens, peruio carceris obstaculo, absque humano impedimento, diuino fretus munimine, ad sanctam Fidem recto tetendit tramite, & pro magno beneficio magnas gratias Deo, Sanctæque eius non ingratus reddidit. Fuit ibidem marculus circiter tres annos appensus, vt insigne tanti miraculi peregrinantibus non deesset. Id nimis succensui, quod in memoratũ opus, marculum etiam destruxerant. Mirum dictu! vnde, putas, sancta Fides corporeum marculum habuerit? sed non debemus ratione humanâ diuinum opus æstimare, sed factum fideliter credere.

CAP. XII. *De eo, qui præmonitus à sancta Fide, per fenestram turris saltu euasit. Et de mirabili asino.*

Rem mirabilem, cunctisque sæculis memorabilem, & etiam fastidiosis lectoribus succinctam narraturus, Deum fontem sapientiæ viuum fideliter deprecor, vt diuinæ sapientiæ affluentiam intra pectoris mei arcana infundere, Sanctique Spiritus rore sensus mei aridítatem dignetur irrigare: quatenùs ea, quæ vera sunt, ad vtilitatem, congruo, rectóque sermone valeam expromere; nec tententia mea à recto tramite exorbitando, per inanes res, secùs quàm veritas habet, deuiare incepter. Miles quidam, qui erat in captione in pago Rothomico, castro Perso, sub dominio Amblardi cuiusdam nobilissimi viri, datis pro se obsidibus ad sanctam Fidem, quasi aliud negotium acturus, quò potuit occultus venit. Deinde statuto placito, sese in captionem recepit. Vnde qualiter post aliquantulùm temporis diuinâ visitatione euaserit, dicendum erit. Sed primùm terræ illius situs & qualitas paucis verbis repetenda. Est patria per omnia montuosa, & etiam per loca horridis scopulis adeò edita, vt visus altitudinis vastitate vix queat exsaturari. Sed inter hæc, ibi fortè planities occurrit, frugum prouentibus adeò fœcunda, vt pinguis Cereris, Bacchique optimi, nulla terra feracior mihi fuisse videretur. Hanc illi ingenuitatem ex eo accidisse opinor, quòd sit his nostris regionibus editior, & ideò hiberni frigoris immanitate rigidior, sitque Soli vicinior, vtpote ad australem plagam sita, & ideò æstiuo feruore calidior. In æstate videlicet propter vicinitatem Solis, torrenti calore nimis exæstuat. In hyeme verò propter altitudinem terræ nimis frigoribus riget, sicut vbi Auster liberioribus habenis regnat. Igitur repugnantis diuersæ naturæ quantò magis tellus illa vrgetur, tantò magis excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor. Ac per hoc facta est lætioris, dulcioríque germinis terra genitrix. Sed quia, vt diximus, montium, scopulorúmque dissimilitudine à nostro solo discrepat, ideò contigit vt prænominati oppidi structura super excellentissimæ rupis soliditate fundata, per spatiosum aëris mane longè eminentior exurgat. Potrò oppidanorum mansio de parte illa habetur, quæ planior, habitabiliórque videtur.

Habens arcem erectam mediocri loco, ad illam videlicet plagam, quæ altiore ruitur præcipitio. De qua etiam parte in summo turris solario herilis camera erat, vbi ipse heros cum familiaribus sopitus, placidum carpebat pectore somnum. Extra quam cameram in eodem solario de parte reliqui municipij, captiuus, quem dixi,

ponderosâ mole ferri cruribus innexus, trium vernaculorum custodiâ seruabatur. Huic sancta Fides iam dudùm ad se querelosis vocibus exclamanti, iamque penè desperanti, sopitis custodibus, corporali specie conspicabilis apparuit. Quæ cùm rogata ab illo quænam esset, sanctam Fidem se esse respondêret, protinùs instantiâ precum illius se esse fatigatam adjecit, imò etiam diutino clamore coactam; à Deo tamen missam vt eum absoluat venisse. Quare igitur, inquit, longas moras innectis? Perrumpe per medium cameræ, ac per summas turris fenestras elabere. Cúmque ad vocem monentis reptare cœpisset, euigilans senior malè sollicitus, ferri tinnientis aduertit motum. Dein excitatæ cubiculariæ, vt tardos cogat custodes, minaci authoritate iubet. Quod cùm illa perfecisset, clauso ostiolo, in conclaue se recepit. Post aliquot horarum excursum, ecce de integro sancta Fides apparens, hortatur hominem vt rem aggrediatur. Quod cùm ille statim faciens, reperto ostio clauso, in lectum vacuo conatu regreditur. Rursùs quoque senior, ferreâ collisione experrectus, pedissequam, vt priùs, remisit. Illa peracto herili præcepto regressa, ostium cubilis per voluntatem Dei apertum dimisit. Post hæc omnibus multò grauiori sopore oppressis, ecce sancta Fides tertiò manifestata, durùs, seueriùsque hominis arguit ignauiam Cúmque impedimentum ostij obiceret, seséque iam bis delusum, quàm grauiter ferret: Noli (inquit illa) dubitare, quia habebis peruium iter, & Deus adiuuabit te. Ille verò confidens in Domino, gressu, quo poterat, cæpit morare se. Et sic tandem cum magna difficultate penetrato cubili, ad ipsas fenestras substitit, casus altitudinem vehementer expauescens. Tunc sancta Fides adhuc labantis animi hominem comitata, & quasi viam affectando præcedens, illum viriliter exhortari cœpit; Age, inquiens, fiducialiter: non alio modo iam euadere poteris. Similiter olim Israeliticus populus in vltionem sceleris vrbis Gabaa, tribum Benjamin debellans, antequam triumphum obtinuisset, diuino monente oraculo, vsque ad trinum conatum laborasse legitur. Ad extremum, ille in miserabili positus discrimine, assumptâ audaciâ, ac polito corde in periculo, pedes primùm per fenestram emittens foràs, se totum vasto credit præcipitio: sed nunquam molliùs, suauiùsque sua pensilis pluma Sardanapalum fouit, quàm hunc durissima rupes excepit. Adeò diuinâ subportante virtute, vt cui natura negauerat alas, hic planè volare, non cadere videretur. Quo miraculo factus securior, etiam multò profundioris præcipitij saltum audere non dubitauit. Nam de summis scopulis, super quos arx innitebatur super inferiores ruens, ad certissimum terræ solum tertio saltu perlabitur. Mirum dictu, & terribile auditu, quo ausu mens humana tantum periculi inuadere vnquam potuerit. Nam & ipse talia narrando, fateor, nimio horrore totus contremisco. Sed qui Sanctam suam voluit glorificare tali miraculo, dedit huic non terreri tanto præcipitio, in quo licet nihil læsionis receperit, crepitus tamen contusarum bodiarum in primo quidem saltu vsque ad aures dormientis peruenit. De qua re miles expergefactus, nimio furore succensus, seruis suis rem prænunciat, reos culpat, furciferos iudicat: postremò minaciter imperat, vt quamprimùm fugientem insequantur. Illi senioris monita ridiculo habentes, attriti cadaueris frusta se in crastinum lecturos satis in tempore promittunt. Illis tamen nequaquam adquiescens, faces, lampadésque accendi, atque per aliam partem, quâ facilior erat descensus, cursores velociter præcedere, hominémque comprehendere præcepit. Ille verò tædarum hauriens fulgorem, vnáq; sese persequentium vociferationem iam in proximo audiens, incertus quid ageret, vtpotè grauatus vtraque vestigia maximo pondere ferri, ad effigiem tamen paruæ siluæ, quam per prouidentiam Dei, oppidi vicinam natura produxerat, vi quâ poterat reptans, sese totis annisus viribus contrahere contendit; nec ab aliquo cogi opus erat, cui ipsa necessitas imperabat; nec reprehendenda tarditas, quâ (vt sibi videbatur) segnior incedebat testudine. Cúmque in huius anxietatis laboraret discrimine, & iam inter condensa arbuscularum aliquantulùm colligeret, mirum in modum offendit asinum, in cuius faucibus nodata zona pro capistro, asinino tergo more insedit femineo, versis ex vno latere cruribus; propriique commodi potiùs rationem ducens, posthabuit honestatem virilem. Actum erat procul dubiò, si vnius puncti spatio fugientem hic asinus fuisset remoratus. Nunquam expeditiore, blandioréque rotutatura capitor equus, ac regalis incessit, quàm per mediam regionem asinus in eam partem quâ fugitiuus, minùs quærendus putaretur, transabiit. Interea sessor non adeò securitate fretus, subinde aurem arrigit, ani-

mámque reprimit, subinde respectat, & retorquet aciem, si fortè aliquem vel audire, vel videre posset, donec iam octo penè peractis millibus se satis in tuto videret. Et iam diescebat, & iam mortales ægros aurora promicans ad laboris exercitium cogebat. Tunc ille alligato ad quoddam virgultum asino, vbi silices duriores vidit, paululùm à semita se detorsit. Quorum ictum ferreus rigor excipiens, in modum glaciei facilem sui resolutionem dederit. Interagendum verò ea lestis asinus euanuit. Nam respiciens ille, neque animal ipsum vidit, neque etiam animalis vestigium quantalibet inuestigatione insistens, in aliquo penitùs inuenire potuit. Cingulum verò ad argumentum miraculi, vbi nexuerat, recepit. Ergo ad sanctam Fidem pedestri itinere rectà intendit. Nullum pulchrius Basilicam sancti Saluatoris, aut spectosius spectaculum intrauit ante hunc diem, neque aliquid libentiùs populus Conchacensis aliquando aspexit, quam quod nobilis viri clarissima ac procera pulcherrimi corporis statura, ponderosam ferri massam gestans humeris, per circumfusas solemnizantium turmas ad sepulchrum prorupit; tanquam leo, qui fracto carcere, grandi mole catenarum oneratus colla natiuum siluæ repetit refugium. Tunc homo coram omni populo, ibidem depositio onere, hostilem sarcinam, quam captiuam collo aduexerat, libertate donat. Ac felici postliminio redux, senores cum omni populo tanti miraculi nouitate lætificat. Dein amicorum animos diù in mœrore suspensos explet inopinæ reuersionis gaudio, nec aliquid tristitiæ captiuitas illa post hæc intulit, cui nec damnum pecuniæ succesit, nec detrimentum corporis. Sed quid putas de illo asino conjiciendum esse, nisi benignæ virtutis Angelum fuisse, in figuram humilioris iumenti mansuetatum? Super quod etiam ipse Saluator residens, vt sæcularis pompæ contumacitatem humiliaret, vilioti gestamine vehi potiùs voluit, cùm tamen esset ille excelsus super omnes gentes Dominus, & super excelsos gloria eius. O magnum meritum vnius puellæ! ô admirabile donum vni feminæ concessum! ô admirabilis, & ineffabilis gratia vni Virgini præstita! cuius virtutes nec calamo notari, nec etiam linguâ humanâ iam expediri poterunt. Non enim ibi sancta Fides tantummodò vbi corpore requieuit, miraculis pollet; sed etiam (sicut ab his qui quotidianis eius interfuit virtutibus, didici) in terra, in pelago, in carcere, in infirmitatibus, in periculis multis, & (vt ipse iam ex parte probaui) in necessitatibus variis, si quis eam recto corde interpellauerit, præsentem sentiet. Et vbicumque sancta Fides habet nomen, ibi quoque habet virtutem; ad laudem & gloriam Christi omnipotentis, qui omnipotentiæ suæ habenis cum Patre & Spiritu Sancto coæternâ vnitate regnat per sæcula æternaliter manentia. Amen.

CAP. XIII. *De quodam Raimundo, qualiter naufragatus fuerit, & sanctæ Fidis auxilio liberatus sit*

Dicere etiam opportunum videtur de aliquo Raimundo, Tholosani pagi oriundo, genere, diuitiisque clarissimo, qui municipium, quod Boschitum rustici vocant, in eodem pago possidet. Hic aliquando Hierosolymitanum iter aggressus, iam maximâ Italiæ parte emensâ, apud vrbem Lunæ vocabulo ab antiquis celebratam, mediterraneo pelago sese classe apparatâ credidit; vt per marinum cursum citiùs rectiùsque Hierosolymæ partes accedere posset. At verò cùm iam æquoris pergrandi parte trajectâ sulcarent cærula, ortâ subitò tempestate, nauis illa scopulis illisa incidit in naufragium, dissectâque in partes, ipsum gubernatorem cum reliquis, vorticibus absorptos reliquit, vix duobus reseruatis, Raimundo videlicet, seruoque vno, quem fidum adduxerat secum: quorum seruus ille perparuæ nauigij particulæ hærens, ad Italica littora projectus est; ratúsque dominum suum proculdubiò marinis fluctibus esse necatum, repetit hospitem, cui idem dominus suus (vt mos est peregrinis) partem pecuniæ crediderat. Quam receptam cui, quàm herili coniugi digniùs referret? Cui casus suos exponens, etiam fatalem domini sui sortem intimat. Illa verò simulato aliquandiù dolore, non in graues lacrymas, aut longa suspiria (vt mos est bonarum feminarum) rem vertit, sed illicò elegans virorum spectatrix effecta, infidum, variúmque amorem effrenâ libertate per varias formarum injectat species. Et sic quem præ cæteris egregiè repetit, nanciscitur virum, quod potuit; suæ libidini opportunum: cui & castellum dedit, & reliquum honorem sic

feciſſet, & etiam filias, quas Raimundo pepererat, ab paterno beneficio, cœco cupidine perdita, alienaſſet, niſi quidam cognomine Excafridus Hugo, antiquus præfati Raimundi amicus, pro puellis ſeſe maternis iniuriis obiectaſſet, atque ne ipſæ indotatæ ad ignominiam redigerentur, authoritate ſui, induſtriaque totius honoris medium, præter caſtrum ſubſidiis auctum recuperaret, ac retineret: nec de maritandis virginibus longa erat ambiguitas, cùm vtramque germanam ſuis liberis nubere conſenſit. Raimundus verò (vt ad ſuperiora redeam) vnam diſiectarum trabium ſimiliter amplexus, non ad Italiæ, ſed Africæ partes pulſus eſt, ſanctæ Fidis auxilium inceſſanter inuocans, nec vnquam nomen eius ab ore reiiciens. Et iam tertia lux fluxerat, ex quo nec hominem, nec monſtrum vidiſſet; ita marinis debacchationibus attonitus, ſtupefactúſque, vt præter naturalem tutandæ vitæ intentionem, brutis etiam animalibus inſitam, nihil prorſus iam ſaperet; cùm ecce de improuiſo obuias habuit piratarum phalanges, de Turlanda regione venientes, ſagenarum bellicarum claſſe. telis, ſpiculis, clypeis, & armis multipliciter inſtructas, & iam dudùm prædam ſitientes, ipſo die iactatá ſorte inuenerant, ſeſe ſtatim prædam inuenturos. Itaque repertum hominem, captúmque barbarico fremitu circumſtrepunt: genus, conditionémque interrogant. De fortuna autem non quiſquam mouebatur, quippe cùm illum planè naufragum cernerent. At ille inſolentia fluctuum (vt dixi) ſui oblitus, penitúſque rigore membra correptus, vix hominem eſſe recordabatur, nedum ad inquiſita daret reſponſum; cùm præſertim nec linguam eorum, nec mores eorum aliquando didicerat, poſteà verò peracto curſu in patriam reuerſi ſunt. Quibus iterùm interrogantibus, iam cibo, otióque paululùm recreatus, Chriſtianum ſe reſpondit: Decus verò generis, profeſſionémque officij prorſus abnegans, agricolam ſe fuiſſe mentitus eſt. Vnde ſibi dato in manibus foſſorio, fodere ei impoſuerunt. Quod cùm præ nimia liberalium manuum teneritudine, ignotique laboris impatientia minùs pleniter perfeciſſet, ipſum iam impie tractare, flagriſque inhumanè cædere adorti ſunt. Ita demùm inuitus, coactúſque ſeipſum aperit, nihilque præter militiæ artes ſe olim exercuiſſe profeſſus eſt. De qua re facto illicò examine, armorum peritiſſimum experiuntur; qui præter cæteram huius artis induſtriam ita ſe ſub arma colligere, clipeóque protegere perhibetur ingeniosè, vt abs quolibet difficilè poſſit feriri. Iam ergo illum in ordinem militarem conſtituentes, ſæpiùs in expeditionibus ducunt. In quo cùm egregiam laudis gloriam breui obtinuiſſet, iam in prouectiorem honoris gradum promouent. Interea verò inter hos atque Barbarinos acto prœlio, Barbarini ſuperiores Raimundum, cæteris interfectis, ſparſiſque, dupliciter captiuum abigunt. Dein inquiſitum & ipſi quoque honorabiliter eum habere cœperunt, ſæpiúſque in pericula ducere. Ad poſtremum, à Sarracenis Cordubæ victi, ipſum rurſus amiſerunt. At vbi & iſti acerrimum, ſtrenuúmque militem diuerſis periculis experti ſunt, ingenti lætitiâ gaudióque tanto milite congratulantur: nimirùm quibus omnia ex voto, nec vnquam incaſſum hoc ſocio contingebant. Verùm ſubiti gaudij indiſcreta elatio, ſubiti infortunij interruptione interdùm caſtigatur: Nam prœlio commiſſo inter ſe & Alabitas, victores tanto milite remanſerunt orbati. Poſtremò bellum fuit his cum Sanccione Comite de Caſtellis, viro potentiſſimo, militiæque peritiſſimo; à quo Chriſti auxilio ſuperati, non modò Raimundum, ſed etiam enormem Chriſtianorum captiuitatem amiſerunt. Sed hæc barbara gentium vocabula, non ſic ab antiquis vſitata fuiſſe videntur: quorum induſtriá per negligentiam ignauiæ poſteritatis pereunte, etiam gentium plerarúmq; nomina, aut penitùs obliuione deleta, aut barbarie ingruente tranſmutata habentur. Igitur Sanccio Comes cùm accepiſſet, hunc non ſolùm Chriſtianum eſſe, ſed etiam nobilitate generis pollere, miratus fortunas illius, quibuſlibet donis remuneratum, libertate etiam cum reliquis Chriſtianis donauit. Sed antequam diſcederet ab eo, ſancta Fides ei dormienti apparuit: Ego ſum, inquiens, ſancta Fides, cuius nomen naufragus tam conſtanter inuocaſti. Vade ſecurus, quia amiſſum honorem recuperabis. Surrexit ergo, atque in patriam redit; caſtróque ſuo iam propinquans, audito quòd coniunx alij nupſerit marito, illic manifeſtè apparere metuit, atque ob id intra domeſticum pauperis regetem aliquandiù latuit, expectans quid per prouidentiam Dei de ſe futurum erat, partim peregrini habitu, partim ætate deformatus. Nam tria annorum luſtra abierant, ex quo à patria exulauerat: Propter quod etiam ipſum vltrà rediturum eſſe omnis ſpes interierat. Tamen cùm vnà dierum quædam

muliercula eius olim concubina, in ſuperfuſione balnei ei caſu obſequeretur, ad notas nudi corporis ipſa ipſum recognoſcens: Tune es, ait, ille Raimundus, qui dudùm Hieroſolymam tendens, æquore merſus credebaris? Quo negante, illa adiecit: Hoc, inquiens, verum eſt, nec me tuam præſentiam celare poteris, cum qua olim conſueuiſti. Denique clanculum, & quo potuit occultius feſtinauit ad Dominam caſtri, nuncians inuiſum rumorem, ita primum per vile ſcortum aduentus illius emerſit. Illa reducis viri poſtliminio conſternata, cœpit maturare quantocyùs, quâ viâ ſibi mortem occultam, ac ſine infamia inueniret. At verò dum cauſa lethi excogitando differtur, nec ad id ſceleris opportunitas ſatis efficax reperitur, voluntate ſcilicet, & fortunâ diſcordantibus, ammonitus in ſomnis, ceſſit periculo, vitæque tutamentum quæſiuit. Quod paulò ipſe antè feciſſet, niſi ſancta Fides ad ſuum caſtrum eum nominatim venire iuſſiſſet. Sed credo diuino nutu ita eſſe factum, vt perfidiam coniugis ad liquidum deprehenderet. Vt ergo comperit filias ſuas claro matrimonio nupſiſſe, generorum petiit genitorem, caſus narrat, vxoris noxam detegit. Porrò, Hugo Excafridus fidelium, amicorúmque auxilio, liberorum, ſocerorum; antiquúmque amicum (pulſo mox riuali) in honorem reſtituit. Præterea decretum eſt vti coniugem recipiat; ſic enim poſſe fieri iuxta maiorum inſtituta; nec prorſus vllum eſſe dedecus: Nam ille qui hanc habebat, ſimul ac vidiſſet commune ſibi iudicium incumbere, ceſſerat iuſto rectóque, alienum ius deſerere paratus. Alter tamen pro nota homicidæ voluntatis, ipſam ab animo reſpuit. Prorſus cui praua conſcientia maius vulnus intuliſſet, quàm corporeæ caſtitatis violatio. Vt autem in ſuperioribus paucis ſuppleam, addunt etiam illum à primis piratis potionem herbæ potentem aſſumpſiſſe, & ita magicis præcantationibus tactam, vt ſemel ex ea bibentes, adeò letheâ obliuione hebetentur, vt nec genus vltrà, nec domum meminiſſe poſſint. Dein ſupernâ ſibi miſeratione ſanctam Fidem apparuiſſe, & à ſtupore illius obliuij excitaſſe, atque in mentem reuocaſſe, & tamen poſt illa memoriam habuiſſe tardiorem. Diſponente Deo ſcilicet, vt antiquæ correptionis veſtigiis adhuc teſtificantibus perpendant alij, quantis de malis eum Dominus abſoluerit.

CAP. XIV.

De peregrino capto, & vinculato, ſubitóque ſanctæ Fidis auxilio liberato.

Peregrini quidam Lemouicenſis pagi indigenæ, abeuntes ad ſanctam Fidem, tranſierant propter caſtellum Oëbali, quod dicitur Torenna: quibus fortè fuit obuius quidam eiuſdem oppidi municeps, eorum inimicus, nomine Goſbertus; Clericus quidem ſolo cognomine, ſed actu terrenus miles; qui ſtatim inuentâ cauſâ, redegit omnes in captionem. Domnus Oëbalius fortè abierat, cuius coniux tunc (ſed mox per diuortium ab eodem deſerta) Domna Beatrix, hoc audito mandat militi, vt ſi ſe vnquam velit habere beneuolam, Romeos ſtatim abire ſinat, nec prorſus vnius horæ ſpatio intra ſepta municipij detineat coactos. At ille non audens ex toto Dominæ mandatis contraire: Hos (inquit) pro imperio Dominæ dimittam, retento hoc ſolo, qui mihi iniurioſior extitit, quem impunitum abire difficile eſt. Quòd ſi ita ſibi non ſufficit, nouerit non impetraturam quod etiam pro ſancta Fide certus ſum nunquam me facturum. Et ita dimiſſis cæteris, illum vnum iubet compedibus conſtringi, quos ruſtica lingua bodias vocat: quorum claui, martello duriter obtuſi, vt inextricabilis illa fieret connexio, vltrò franguntur, ipſis etiam fruſtratim compedibus conquaſſatis. Denique alteris compedibus mutuò petitis itidem actum eſt. De tertiis quoque eadem iactura accidit, & ait: Vt video, ſancta Fides (niſi aſtu caueo) meum mihi inimicum vi auferet: verùm annitar ego, vti res ſecùs quàm autumat, poſſit euenire. Tunc verò artis chordarum voluminibus, lacertis in crucem ante pectus conſtrictis, poſt hæc vtramque palmam circa collum vtrobique circumactam, inter humeros violentiſſimè reuincire fecit.

Sicque subter ascellas regyrantibus ligaminibus, ventrem crudis nodis coarctari; adeo vt ipsius inauditæ connexionis modo sic miser constrictus suffocaretur, vt anhelitus gracili spiraculo vix sibi sufficeret vita. Cui ita in solitario conclaui clauso, duodecim lanceatos viros, quos æquè vesanæ mentis expertus erat, instanter adstare iubet. Qui si viderent illum diuinâ solui virtute, illicò ne viuus euasisse gloriaretur, omnes vno ictu pariter transverberatum obtruncarent. At post modicum interuallum ille miserabili addictus angustiâ, sitiens, difficile verbis id exprimere potuit, tanta vinculorum duritia organales fibras obstruxerat. Tunc vnus, quos dixi, satellitum petitâ aquâ cùm deprimeret illaqueatos sub gutture cubitos, vt laxato mento haustum ori eius aptare posset, illa nodorum difficultas sese absoluit vltrò: Ipsis tantùm resticulis hærentibus brachiis ipsis, quibus fuerant appositæ. Ipse verò sentiens se diuinitùs solutum, cœpit illinc præstrenuus effugere. At illi statim ex præcepto senioris ipsum mucronibus adorsi confodere, tantâ continuo diuinæ virtutis vi obstricti in loco hæsêre, vt nec moueri quidem quisquam eorum posset, nec penitùs verba ad alterutrum dare. Sicque repentè Angelus Domini coarctauit eos, vt ac si lapidea simulachra immobiles permanerent. Vnus tantummodò inter suffocationis angustias obscœnæ interjectionis dans mugitum, cum grandi difficultate in hanc vocem erupit: Vah! iam pergit. Cætera, fixus, immotúsque tamdiù perstitit, quoad ille alter ad Domnam Beatricem transfugit, sese in fuga reciperet. Cui illa in crastinum duces delegauit, quamdiù fines castelli longè excederet, tutúmque iter carperet, cui erat Petrus vocabulum. Denique cum sociis ad Conchas attingens, & pro absolutione sua grates inibi Domino persoluens, post inde lætus est ad propria reuersus, ligaminibus relictis in testimonium virtutis, quæ remansisse dixi laxis nodis pendentia brachiis. Anno ferè & dimidio post secundam à Conchis reuersionem, accidit mihi certo negotio Domni Vuillelmi Pictauorum Comitis adire Curiam, in qua cùm Domnam Beatricem viderim, à Ricaredo fratre suo Rotomagensium Comite illic missam, ardenter eius colloquium aggressus, illicò recogitare cœpi super hoc miraculo: cuius verba per omnia Monachorum Conchacensium concordantia, esse poterat probabile argumentum, si quis dubitaret in aliis etiam mihi ab eisdem narratis.

Cap. XV.

De adolescentulo resuscitato.

His ergo ita hactenùs veluti ad alia festinando succinctè prælibatis, aliud penè incredibile occurrit, quod, ne silentio pereat, viuacibus commendare studuimus scedulis. Vltracluſanæ vulgò dicuntur partes, vbi duo coniugali fœdere sociati, absque sobolum fœcunditate diutiùs manserunt steriles: qui inito consilio, ad sanctæ Virginis propitiatorium accedentes, mox vt peractis votis redux peregerunt iter, diuinâ pietate muliebris fœcundatur venter; sicque in partum resolutus, masculam in lucem effudit prolem. Qui filius tria ferè, vt putabatur, lustra gerens, inuidâ morte anticipatur, atque ad extremum vitæ mœrentibus parentibus sortitur: qui vt defuncti nati exitum viderunt, sanctam Fidem variis, atque innumeris querelis lacesscunt, eámque sibi amissum pignus reddere deposcunt. Quid, inquam, illius dono (ô sancta & gloriosa Domina) nos exhilarare voluisti, quos de eius immatura sorte præscieras mœstiores fieri? Tuum fuit quod eum iam desperati habuimus, pro eius impetratione, tua sancta limina expetiuimus, ante tua sancta monumenta corporibus humi prostrati, in eius petitione exaudiri meruimus, optatúmque diutiùs votum per te (ô beata Mater) adepti sumus. Quid profuit (ô beata & gloriosa Mater) nobis quæsita nanciscì, si detrimentum amissionis nunc cogimur perpeti? Adesto nunc solitâ pietate, ô Christi Virgo benedicta, sobolémque nobis restitue rediuiuam, quam quidem per te suscepimus, tuâ gratiâ nostra fœcundante viscera. Nihilominùs quidem nobis ablatam potes reddere, quam omninò natam negante dudùm prævaluisti concedere. In vtroque fies omnipotentissima, in vtroque agnoscēris martyr efficacissima. His & talibus quampluribus vtrosque

vtrosque parentes ad defuncti filij feretrum irremediabilis torrebat, exaniméque corpus amplexos grauibus suspiriorum singultibus fatigabat. Cúmque iam baiuli sanda pilam arriperent, vt ad Ecclesiam humandi causâ deferrent, parentes lamentabilibus modis Sanctam Fidem proclamant, & vt eis amissum donum rursùs restituat, miris vlulatibus obsecrant. Quibus ita ad æthera vsque funereos clamores ferentibus, ecce quasi de graui somno rediens adolescens ille, caput à feretro erexit, faciémque sudario iam adopertam concutiens, adstantium strepitum mirari cœpit. Quem mater intemota feretro incumbens, mox vt vitalibus auris fruentem persensit, properè vultum, manúsque resoluit; versisque modis, præ nimio gaudio fletibus ora rigauit. Quo viso omnis adstans cœtus diriguit, calórque omnium ossa relinquens, ineffabili stupore cernentes perterruit. Denique eum à mortis torpore resolutum genitores eius percontari studuerunt si fortè corporeis membris exutus aliud ad regnum duceretur; an in extasi mentis positus, adhuc vitali calore membris collapsus fungeretur. Qui mox se ab hoc præsenti sæculo prorsus egressum, & ad tenebrosa loca deductum; vnde Sancta Fides eum vi exemit, & ad resumenda huius Solis spiramina refudit. Et vt credibiliores in tanti miraculi relatione vtrique parentes fierent; eum Virbium ad Sanctę Fidis oraculum adduxerunt, testéque totâ vicinià, nobis mirantibus, ac prę gaudio fletibus ora madentibus, eumdem relatorem esse fecerunt.

CAP. XVI. *De eo, qui filios suos, virtute Sanctæ Fidis fretus, per ignem transire faciebat.*

Huius rei, cuius narrationem aggredimur, multi nostrûm relatores persæpe extiterunt quorum relationibus vt diuinis oraculis credimus. In Petragoricis partibus castrum Montagrerium perhibebant, vbi eques quidam, nomine Helias, nobilitate pollens degebat, qui sine sobolum gratiâ connubia irrita, atque ingrata ducebat. Qui tandem ad Sanctæ Martyris properans limina, optata coniugalis vteri meruit recipere semina. Et hanc bino munere contigit accidisse. Quos pueros tanto amoris priuilegio diligebat, vt etiam non suos, sed Sanctæ Fidis filios appellabat. Et vt inde experimentum daret, coram adstantibus, & instanter prohibentibus, mediâ in eius phalâ accenso rogo, nudis cruribus ac pedibus per medios flam marum globos transire faciebat: quod & (mirabile visu!) pueri sine aliquâ incendij læsione citato saltu implere festinabant. Intereà verò mente sedit, vt eosdem pueros deberet adducere Sanctæ Martyri, veluti eorum spirituali genitrici. Sed quia horrida hyems flumina cuncta à littoribus expulerat, immensisque tempestatibus passim desæuiebat, mulier, & cæteri eius familiares aliud in tempus reseruandum persuasum ibant. Quorum omnium hortamentis penitùs resistens, propositum iter se celebraturum asserebat, nullóque metu ingruentis tempestatis se desiturum dicebat. Quin etiam præsentibus pueris Sanctæ Martyris, nulla se naufragia timere perhibebat; sed eorum comitatu fretum paruâ lintre procellosas gurgitum elationes sulcaturum se spondebat. Quod & ad effectum vsque perducens, Sanctæ Virginis adiit limina, puerósque votis obligans, multa de eis sanctæ congregationis nostræ fratribus recensuit valdè admiranda; peractisque orationum solemnitatibus, lætus, & incolumis redijt ad propria.

CAP. XVII. *De oculo equi per virtutem Sanctæ Fidis restituto.*

Aruernico in pago, Murmontis castrum vulgò nuncupatur, in quo miles quidam equum magni pretij habens, de more sanguine minuit; quem post phlebotomationem ad palum quemdam capistro religauit. Quo in palo ad res suspendendas sudes *acutissimæ* prominebant, quas ipsi ramusculi præcisę arboris olim concesserant. Ad cuius stipitem prædictus equus adnexus, dum instabili motu circumuagaretur, iecto altiùs capite sudem offendit, quæ graui ictu confestim, ei oculum radicitùs eũellit. Quod factum prædictus miles ægrè ferens, oculum ad mandibulas vsque pendulum in proprio foramine restituit, ac multorum ibidem adstantium cohortationibus, sanctæ Martyri Fidi luminare ad eiusdem equi longitudinem vouit, luménque effossum institis alligans, ad proprium stabulum mœstus reduxit. Erat namque equus ille & velocitate incomparabilis, & in omni caballinâ strenuitate probabilis. Sicque factum est, vt Sanctæ Fidis medicantibus

Digitized by Google

meritis piis, posterâ die equus ille ita incolumis *inuenitur*, ac si nunquam vllo morbo grauari videretur. Cuius virtutibus præclarum miraculum isdem ſmiles ante ſanctæ Martyris retulit cunctis adſtantibus oratorium.

CAP. XVIII. *De mortuo reſuſcitato.*

Contigit quendam, nomine Hunaldum, Tholoſanis in partibus ſanctæ martyris admirandum promeruiſſe beneficium, viſuque & opere inopinam experiri eius magnificentiam virtutum. Habebat enim filium, quem de more miſit ad armentum in paſcuis ſeruandum. At ille paſtorali curâ ſuſceptâ, die quadam ſurgente heſpero, armenta domum reducens, per negligentem incuriam, bouem vnum inter fruteta dimiſit; reliquos verò boſtaris præſepibus inſeruit. Cernens igitur vacuo loco vnum abeſſe animal, paſcua per futuas noctis tenebras ſoliuagus repetijt. Sed magnâ parte noctis illius iam elapsâ, caſſo labore quæritandi, ſine boue triſtis ac mœrens rediit. Quid ageret, quò ſe verteret, nulla ei ratione patet: Improbiſſimâ enim patris ſeueritate perterritus, eo ſciente tectum non audet ſubire, neque quid ei acciderit vllatenùs intimare. Tandem verò ſopitis omnibus, lectulo ſe contulit clanculus. Vbi cùm membra amiſſi bouis indagine admodùm defeſſa iactaret; illicò tantò dolore corripitur, vt penè omni oſſium compage reſolutus crederetur. Quo dolore nimium inualeſcente, & motu artuum fraudatur, & rationis officio priuatur. Manè autem facto, vt eum pater tanto conſpexit correptum languore, depoſito furore mox ſuper imminentem nati interitum flebilibus cœpit gemitibus dolere: ac dum vaſtis ſingultorum quateretur ictibus, Sanctæ Fidis ſalutiferam opem magnis implorat clamoribus, vt priſtinæ incolumitati eius reſtituatur filius. At ille toto corpore manens immobilis, ſummo duntaxat in pectore videbatur ei calor vitalis, atque tali in ſtupore membrorum dies peregit nouem, extinctis lucernis oculorum. Decimo autem die, quæ Dominica habebatur, vt viderunt pupulas luminum in morte contabeſcentes, gelidóque ſudore frontem, ac genas rorantes, appoſitâ læuo lateri manu nihil viuum ſalire ſentiunt, ſed omnia æterno ſopori dedita euidentiſſimis ſignis agnoſcunt. Quid plura? Funus parant, exanimémque cadauer ſandapilæ impoſitum vlulantibus lamentis celebrant. Sed cum luce craſtinâ ad defoſſum ſepulturæ eius locum veheretur, pater impatientis amoris affectu, extincti gelidum nati corpus amplexatur; oculóſque, ac vultum omnem irriguis lacrymis humectans, locum omnem amaris implet clamoribus. Inter quos inſolabiles gemitus, crebris vocibus Sanctam Dei Martyrem Fidem clamat, ac lacrymoſis obſecrationibus vt ſibi filium reddat, ter & quater ingeminat dicens;

Virgo Fides, dilecta Deo, lux inclita mundi,
Auxilium miſeris quæ cita ferre ſoles,
Supplicis exaudi Martyr ſanctiſſima vocem,
Quamque potes (poſco) defer opem miſero.
Munere nemo tuo petijt ſi fortè cruentus,
Diſceſſit vacuus, te retinente, manus.
Credo quidem, neque vana fides, te poſſe quod opto
Cœlitus à Domino promeruiſſe tuo.
Vnicus ecce mihi natus, mea ſola voluptas
Occidit, vna mei ſpes, & amor generis;
Quo pereunte modò, mihi cætera vita ſuperſtes
Protrahet ingratas ſine carendo moras.
Sed ſi Virgo Dei, miſerorum quæſtibus vllis
Flecteris, & lacrymis vinceris irriguis;
Munere ſopitos nati quos cernimus artus,
Ad priſcam vitam, te rogo, nunc reuoca.

Cúmque his, & huiuſmodi quamplurimis querelis ſuper defuncti corpus incumbens pater, cum magno eiulatu quereretur, omnes qui ad vltimum exequiarum obſequium aderant, deflentis pietate moti, fletibus ora rigabant, ac glorioſiſſimam Virginem Fidem mixtis lacrymis precibus, vt ad inuocationem ſui Sancti nominis propitio vultu reſpicere dignetur, vnanimes exorant.

Digitized by Google

Sic quoque continuò, sed ô (ô mirabile dictu!)
Mors tetra visa retro prædam fugitiua reliquit,
Euomuitque vorax auidâ de fauce rapinam.
Protinùs atque caput lento nutamine functus,
In partes versat, gelidas recalente medullas
Fomite viuifico: subitóque per algida membra
Spiritus infusus totum dat viuere corpus,
Erigiturque iacens, trepidantia lumina vixdum
Attollens. At mox totos simul erigit artus,
Et stetit in propriis membrorum machina plantis.
Inde domum repetit diuino tramite patris.

Quo viso cuncti in gratiarum actionem versi, præ gaudio tanti miraculi lacrymas fundunt, sanctæque Virginis, ac Martyris Fidis virtutem glorificantes; votis, & muneribus sese ac suos ei supplices deuouent. Sicque ab Ecclesiâ Sancti Georgij, vbi humandi iuuenis gratiâ venerant, regressi ad propria, pater postumi filij, ac reliqui contubernales diligenti persecutione die quadam ab eo scisciari studuerunt, quid sibi visum fuerat illis nouem diebus quibus in excessu animæ positus quasi mortuus iacuerat; ac quomodò vel cuius auxilio ad sepeliendum postmodum delatus ad vitales auras redierat. At ille adhuc trepidantia pectora gerens, ab imo spiritu longa suspiria ducens, sic percontantibus actutùm respondere exorsus est. vt cæteranunc ad præsens silentio prætereantur, quę mihi fine sub extremo contigerint, certissimo & sine vllius falsitatis ambiguo breuî expedire non differam. Corporeis vinculis spiritus meus resolutus, teterrimis quibusdam ministris traditur, quorum crudelissimo ducatu ad hiatum vsque vastissimi præcipitij protrahitur. In cuius horridam voraginem dum iactari inenarrabili metu formidarem, (eloquar, an sileam?) Ecce vir spendidissimi decoris aduenit, quem (vt posteà didici) paradisi prępositum fuisse Michaëlem Archangelum liquidò patuit. Cuius placidi itineris glorioßissima Virgo Fides comes astitit; quæ super Solis iubar emicabat splendore mirabili. Hic verò cœlorum præpositus, vt more carnificum eos, quibus ad torquendum deputatus eram conspexit, in verbera mea iremediabiliter furere; quid, inquam malorum artifices, in huius tyronis tormenta tantâ desæuitis crudelitate? Quid animam à somno Deo creatam perditum itis absque vllâ miseratione? Sinite iam nunc ab eius graui laceratione, quia Deo permittente per sanctissimam Virginem hanc Fidem proprio refundetur in corpore, à vestrâ erepta potestate. Ad hanc vocem tartarei ministri intolerabili formidine correpti, manus semper in malum pronas continuerunt, cœlestibusque nuntijs insolito timore tremebundi paruerunt. Nec mora, fœlicissima Virgo Fides concito impetu medios tortorum cuneos irruit, animámque meam ab eorum manibus violenter abstraxit; atque ità corpori humo tradendo, sicut nostis, mirabiliter refudit. Postquàm verò huius non tantùm visionis, quàm etiam rei gestæ veritatis textum illo ordine est prosecutus, Pater & vicini iter instituunt ad Sanctam Fidem gratias redditurі.

CAP. XIX. *De Raimundo, qui à compedibus, & cathenâ solutus est.*

Pænè huic simile adhuc & aliud, calami deposcit officium; quod quia prodigialiter inuenitur actum, æternâ memoriâ censuimus celebrandum. Raimundum pro impiè gestis multi vestrum nouerunt, & genealogiâ satis spectandum, & terreni honoris fastu subnixum. Hic ex castro, quod Mons-pensatus dicitur, originem ducens, patrem habuit Bernardum, prædicti castri primum, & maximum. Et quia Caturcensi vrbi contiguus erat eiusdem ciuitatis literis imbuendus traditur Canonicis, eorum societatem sortiturus succedentibus annis. Quâ in disciplinâ vix sanabili epyleutici morbi ægritudine per interlunia miserè laborans, tædio cœpit magis parentibus haberi, quàm in nullâ spe genialis indolis. Tandem nimirum opinatissimo virtutum fauore coactus, Sanctæ Virginis propitiatorium aggreditur; cuius propitiante benignitate optatæ salutis remedium assecutus, Sanctæ medicæ Fidis Basilicam quorannis reuisere studebat, gratias pro impenso munere relaturus. Quem pro zelo patrimonij parentes, atque affines execrabili odio insectantes voti

Digitized by Google

compotes cœperunt. Tantùm denique Viro illustrissimo, nomine Gosberto, tradiderunt, qui pro irrogatis contumelijs grauissimè eum habebat infensum. Aderant namque sanctissimi dies quadragesimæ, qui cùm frugalis parsimoniæ obseruatione mente custoditi sincerâ, omnem elidunt vitæ perperam. Quos iste inter compedum multiplicia volumina omni heremiticâ austeritate aridius ducens, potiùs habebat oneri, quàm promerendæ saluti. Cibus enim illius vespertinus, panis erat; mucidi date viriditatis squalidus; qui remoto alius edulij adminiculo, vix etiam aquâ viam patente palati valebat pertransire meatus, & quia pro efferis viribus illis intolerabilis erat, ità compedibus, & triplicibus catenis veluti Getulus leo implicatus iacebat, neque pedem, neque manum vllo adnisu qualibet in parte vertere prævalebat. En etiam ipsa catena fortibus hamis intexta, quæ numeroso sinu animæ crura, ac thorosos lacertos durè vinciebatur; à tergo eius per foramen saxea turris ad exteriora penetrans, ferreis repagulis ita áforis constringebatur, vt nulla vi nisi mordacium serrarum edaci limaturâ reserari fas erat. Has inter pressuras tamen Sancta Fides eius ab ore non recedebat, neque vnius momenti victum non inuocato præterierat. Quinque igitur Hebdomadarum breuiori lustro in hac tam lugubri acerbitate finito, dies ille enituit, qui ob Dominici triumphi memoriale, cum palmarum seu diuersi generis florum * corda omnium totum per orbem ineffabili tripudio exhilarat. Cuius dici tam commune gaudium, diffusa per orbis climata, nullam huic præbebat remedij lætitiam. Cernens ergo cunctipotens Deus immitem sæuissimi tortoris prædicti Gosberti peruicaciam, subsequenti nocte per sanctæ Virginis intercessionem tactus misericordiâ, vt semper totus * est vita desperatis facilis pietas, iuuenem splendore admirabili coruscum illi misero, sopore doloris leniente cœlitùs direxit; qui eum talibus affatur verbis; Vigilásne, an sopore deprimeris, Raimunde? At ille intrà somnij dulcedinem, ita videbatur sibi respondisse. Quis, inquam, es Domine? Cui ille. Ego ille sum Stephanus, qui dudum à Iudæis lapidatus, ciuium supernorum promerui aſcari cœtibus; Qui ideò sum ad te missus, vt ad Sanctam Fidem te ducam velociùs. Quem cùm interrogasset, vbinam magnifica Virgo esset; Surge (inquit martyr præcipuus) quia non ludificaris à somno, sed incunctanter me sequens, videbis eam, de quâ ad te loquor. At ille, vt sibi ostensa suadebat visio, videbatur sibi sanctam martyrem sequi præuiam; qui suprà pontem Conchacensis Dordonis eum statuens, ità mellifluis prosequitur alloquijs; Dirige, inquam, ô fili, oculorum aciem, super huius nubiferi montis cacumen, & diuinam intuere claritatem, cuius immensi splendoris media Sanctissima Virgo Fides, ac Martyr insignis, Angelorum inter manus emicans, quis suis meritis debeatur honor, euidentissimè indicat.

Quibus ille auditis lætus de sacræ Virginis laude præcelsâ, oculos in visione vigiles in sublime tollens, vidit igneum globum ingenti fulgore micantem; cuius in medio speciosa Virgo coruscans adstantibus sibi Angelis dicebat, locum illum quem cernitis, ossibus decoratur meis; de quo vos rogo, vt vestris sanctificetur dextris. Ciues verò Angelici monitis animo libenti adquiescentes Virginis, eleuatis præ fulgidis dextris signum dant adorandæ Crucis; cuius signaculi virtute sacratus, omnis sanctitatis gratiâ repletur. Dum hæc igitur agerentur: ecce subitò nimbosa caligo, ab ipsius amnis imo nimbosus turbo ascendens, illum super pontem stantem nebula texit, quæ deciduo rore eius indumenta largissimè humectauit. Quâ visione attonitus lumina à somno vix abrupit; ac mox vestes manibus contrectans, sicut in visu sensérat defluo imbre reperit humidas. Inde circa se palpando manus ducens, omnia vinculorum volumina dissoluta à sesentit, hostiolum etiam nocte seris, ac vectibus satis munitum, patens inuenit. At ille verum sibi orama fuisse ostensum liquidò agnoscens, continuò (multa enim animo ei cura exiendi necne recursabat) obfirmatus audaciâ, cum præcipiti euolutu, custodum munimina transilit, gradúsque scalarum rapido impetu superans, per medios custodes ibidem iacentes, ad exedras vsque deuenit. Vbi dum adstans multa corde dubio agitaret, tandem ei menti succurrit, quia præ nimio pondere, vinculorum machinamenta ad Sanctæ Virginis Basilicam vehere nequibat, saltem tabulam scacorum ibi pendentem, in testimonium suæ euasionis ferre debeat. Quâ assumpta, murum qua altiùs insurgebat, præceps elusit, experſque læsionis, fugam nudus pedes properauit. Cui inter scrupulosum callem pedibus labenti mox quædam mulieris forma obuia fuit

Digitized by Google

quæ expositis à dextrali calceamentis, ità eum prior compellauit; Tunc es, inquam, Raimundus ille, quem modò Sancta Fides à carceralibus vinculis soluit? Cui dum illum se esse cónfiteretur, confestim calciamentorum viæ solamen ei detulit, dicens; Tolle hæc: & quantociùs ab his elabere partibus, dum tibi euadendi patet locus. Cuius beneficij munus, & solaminis monitus ille attentiùs perpendens, nihil aliud eum fuisse intelligit, quàm præsentiam Sanctæ Virginis. Sed dum hæc mente pertractaret, subitò nusquam euanescens comparuit. Tantæ ergo patronæ exhortationibus roboratus, cœptam peragit fugam, neque ab insequentibus attingi potest, quia eum Sancta Fides tuebatur. Sicque per medios inuisus ruens hostes, Caturcetim adiit vrbem; vbi Protomartyri Stephano, quasi viæ suæ præuio meritas rependere studuit grates. Et quia longæ inediæ, ac fugæ conficiebatur tædio, sanctæ Fidi, ob præstitæ sibi salutis gratiam, quam potuit misit candelam. Denique nocte illâ, in qua Dominicâ proditione, & nostra salus, & Iudæorum processit interitus, dum impositam lectionem manè legendam in vestiario Sancti Martyris prouideret, somno demitur, atque ibidem quiete pascitur: cuius somni nubilo Sancta Fides, tanquam matutinæ nebulæ interpollens sol permixta, ità eum subiratis, vt putabatur, visa est arguere eloquiis. Itáne desidiâ torqueris, vt solitas mihi gratiarum sollemnitates his sanctæ Paschæ diebus ante Sacrarium artuum meorum persoluere desinas? Quid moraris? Dissice morarum nodos, & cum scachorum tabulato, tuæ videlicet liberationis credibili monimento, Conchacensem calle pedestri velociùs expete locum, Paschalisque gaudij ibi celebra Sacramentum. Huius visionis gratiâ ille permotus, somnij tædia rupit, ac Geraldo Petragoricensis Ecclesiæ sub primis tyrocinij auspicijs Episcopo, qui Tolosanæ vrbis mœnia fortè aggrediebatur; simulque eiusdem Caturcinæ vrbis præsuli Bernardo, quæ sibi somnitùs imperata fuerant territus intimauit. Qui vt Sanctæ Fidis monita audierunt, iubent iussa factis implere, nec quahbet interueniente dilatione differre. Quid igitur? Vno tantùm contentus famulo iter arripuit, ac imperiosæ Virginis mandata facessit. Cœpti verò itineris victor, vbi scacheâ tabulâ onustus ad sæpedictum locum peruenit, orationi incubuit, ac supplici murmure quæque excogitata protulit: Quâ expletâ, post Sanctæ Crucis, frontis, locóque cordis impressionem, quæ sibi inter Catenarum pressuras per Sanctam Virginem mirabiliter acta fuerant, cunctis qui aderant, ora in silentio tenentibus, filo expedit. Neque hæc parua audiuit vtriúsque sexus caterua; sed eiusdem memorati Gosberti filius, qui tunc fortè inter commilitones causâ orationis ibidem aderat, incredibili stupore totus visu in medio diriguit; admirans qualiter àtot vinculorum connexione solui potuit, neque minori ammiratione Goffredus sub hoc aspectu corripitur, cuius iocosa scachorum tabula fuerat, quam ille ereptus, propriis illic humeris in testimonium Sanctæ Virgini obtulerat. Tandem agnitâ virtute Diuinâ, in laudum præconia conuertuntur, Sanctæ Martyris Fidis glorificantes potentiam, à Domino sibi sactis exigentibus meritis in omni miraculorum facultate collatam.

CAP. XX. *De Mulo resuscitato.*

Nunc vero quid in itinere Sancti Petri Apostolorum Principis moderno tempore per glorioſissimam Christi famulam mirabiliter gestum sit, paucis absoluere curabimus vestræ attentioni. Italiæ in partibus, quæ Longobardia nuncupantur, miles quidam Rutenici pagi, Garbertus nomine, præcedentem Pictauensem genere, ac militari strenuitate satis illustrem assequitur; ac post salutationum mutuam gratiam iter institutum celebrat, eius familiaritati sociatus. Qui de multis simul sermonem ad inuicem conferentes, tandem ad Sanctæ Fidis magnalia consertâ sermocinatione peruenit; vbi non parua laus à Rutenico suis attribuitur miraculis. Ille verò Pictauensis, ingenti cum admiratione narrationem illius applaudens excipit. Vbi ad hospitium in vico Sancti Domnini peruentum est, Pictauensis mulus, qui ei carior habebatur, grauissimo morbo correptus, vix ad crastinum diem vitam pertraxit moribundus. Garbertus verò quanta in talibus quondam animalibus Sancta Fides operata est magnalia non immemor, interrogat socium, vtrum aliquam medelam fecerit ad muli huius supplementum. Cui nequaquam respondenti, mox adiecit; numquid audisti quæ tibi de Sanctâ Fide heri per me exposita sunt? Mitte ei deuotus

aureum, & ſtatim tuum animal recipies ſanum. At ille nihil cunctatus, Biſantem de marſupio protulit, quem ei ad deferendum Sanctæ Virgini conceſſit. Sancta verò Fides ad maiorem virtutis ſuæ gloriam manum reſeruans, viuenti mulo nihil profuit, nec quidquam valitudinis impertiuit. Quid plura? Surgit aurora, monétque cunctos, vt cœptam properarent viam. Exponitur mulus vitæ termino functus à ſtabulo, & datur tantummodò pretium pro corio. Iter corripiunt mœſti, & qui aureum vitæ aboni recepit, & qui amiſſo animale, damnum cogebatur pati. Rutenicus ergo de iactatione virtutum Sanctæ Fidis nimio rubore anxius, aureum quod acceperat, volebat verecundè reddere. Quod cùm tetendiſſet datori, ecce repente poſt tergum audit ſonitum ſubſequentium, & quaſi fugientis animalis, & agitantis equitis ſtrepitum. Sicque vultum in terga retorquens, proſpicit eminus hoſpitem mulum fugientem curſu fatigantem, & vt eum comprehenderet, multo conamine enitentem. Qui viſo, Sanctam Fidem attonitis exclamat vocibus, aureúmque retinet, quod volebat reddere verecundus. Recepto denique mulo, interrogant hoſpitem, qualiter actum fuerit in reparatione animalis. At ille admirando exclamans, ait; ô vos fœlices, quibus tantam Virginem contingit habere patronam, cuius omnipotentibus meritis non ſolùm vobis ſalus tribuitur animarum, verùm etiam magna procurantur medicamina corporum. Hæc Sancta Virgo in opere & virtute, non ſinit veſtris adminiculari incommodis, etiam in animalium reſurrectione. Hoc quod videtis animal, in platea proiectum, dentibúſque retectis omni animâ relictum, inter decoriantium manus animauit, concitóque ſaltu à ſolo exturbauit, ac ita à manibus noſtris elapſum, veſtris vſibus præparatum reformauit. Quo audito omnis peregrinorum caterua in laudum præconia erupit, totúmque aërem æmulis vocibus Sanctam Fidem roborare compellit. Deinde reddito hoſpiti tergoris pretio (ſcilicet argenteos octo) ſancta limina Apoſtolorum læti expetunt; regreſſique ad propria, votiuum aurum cum ingenti gratiarum actione perſoluunt.

CAP. XXI. *De milite, qui ab inteſtinorum inordinatis motibus fatigabatur.*

Aruernico in pago miles erat ſtrenuus, cui inſidiante infortunio, interiora ſtatum ſuum per interlunia deſerentia, cum magno inteſtinorum murmure in verenda vſque erumpebant; Vnde nimio mœrore attritus, mortem ſæpe orabat, ne hæc pateretur diutiùs. Poſt multum verò tempus, de milite pedes factus, conſciam morbi vxorem alloquitur; cuius conſilio tectus, Sanctæ Fidis deliberat expetendum ſuper hoc beneficium. Muliere reluctante, & multa obiiciente, ille conceptam peragit voluntatem, ac ita ſanctam adiit Virginem. Cuius ante ſacratiſſimum corpus deuotus procumbens, pro quo venerat, cum lacrymis ſæpius ingeminat, ac pro ſalute obtinenda propenſiora fundit precamina. Sequenti verò nocte ante ſanctum mauſoleum Virginis, poſt orationum ſtudia depreſſus, videt ſibi Sanctam martyrem aſſiſtere, & quaſi ſubuerecundo (vt mos eſt Virginibus) eum alloqui ſermone. Dormiſne, inquam? Qui cùm ſe dormire reſpondiſſet, beata Virgo ita eum fando proſequitur; Scias me, inquam, hactenus minimè fuiſſe interpellatam pro huiuſcemodi re. Vt iſta eſt, pro quâ noſtra ſollicitas ſuffragia, cùm ex diuerſis morbis valida contulerim * agridia. Sed ne omnino hinc inconſultus abeas, quæ tibi fient ſalubriora paucis auertere expediam. Noſti illum, qui tuam incolit viciniam, fabrum ferrarium? Qui cùm ſibi nomine, & facie benè notum eſſe ſubintuliſſet; rurſùs eadem Virgo; Illum, inquam, nihil cunctatus aggredere, & vt cum maximo malleo, ex quo candens maſſa à fornace facta contunditur, adhiſis viribus roga ſuper illam paſſionem in incude poſitam, tibi validiſſimum ictum inijciat; quod celeriter ſalutem tibi conferet optatam. His ille verbis cachinno ſimillimis, ſtupore ſimul & admiratione præmonitus, ſomno abrumpitur, & quid ſibi talis viſio velit, alto corde verſat diutiùs. Tandem verò domum regreſſus, obſirmato in mortem pectore, fabrum prædictum nemine conſcio aggreditur, & quæ ſibi per Sanctam Fidem imperata fuerant, intimat ſecretiùs. Quibus ille auditis, toto corde collabitur, neque ſe hanc fantaſticam ludificationem iam acturum iure-iurando atteſtatur. Crede, inquam, mihi Domine, quia non medentis, ſed potiùs ludificantis verba hæc ſunt; quorum monita ſi credulus proſequi volueris, mortis tuæ reus argui poteris. Ergo

Digitized by Google

tamen nequaquam huius criminis ero auctor tam pessimi: Noui enim procul ambiguo, præsentem te incurrere mortem ex hoc. Cui vt excusatus abiret, multa coniectanti, & multa metu parentum, si verbere suo vitam cum dolore finiret, in faciem obijceret ei, mox eques illi fidem facit, nihil horum sibi euenicndum. Quid plura? Sternuntur super incudem genitalium turgida palearia, atque ad extremum ictum præparantur morbida verenda. Sed mox vt adductis lacertis sublatum in aëra cernit immensum mallei pondus, incredibili pauore concussus, retrò resupinus labitur; ac velut exanimis, solo cum graui fragore membrorum resupinatur. Quâ in præcipiti ruinâ (mirabile dictu!) confestim omnis illa intestinorum ebullitio ita interiùs resorbetur, vt numquam viteriùs in vitâ suâ foris erumpere videretur. Sic ille nec cauterio adustus, nec vllius antidoti amixtide curatus, incolumis euasit, Sanctæ Fidis, vt ità dicam, ludus, omni posteritati cum alacritate satis admirandum spectaculum facturus. Sic illa ponderosa alleuatur sarcina, sic dura reprimitur ignominia. Sic pro terribilis mortis horrore, ad laudem & gloriam Sanctæ Martyris, ineffabilis gaudij curatus perfunditur immensitate. Quæ res ne cuiquam ridiculo similis facta videatur, ac per hoc à nobis conficta respuatur, non absurdum ducimus, Rodbertum Cantoiolensis Monasterij Abbatem, virum reuerendâ canitie satis honestum, in publicum aduocare; cuius testimonio hoc nobis manifestatum est, quod referimus, quia ille, qui passus est, longè positus, nostris postmodùm non apparuit obtutibus. Illius ergo ab ore didicimus, qui non ineptâ adulatione, non fictâ scurrilitate aures populi palpat, sed veritate quicquid ore profert commendat. Denique si de tali relatore dubitatur, de beneficiis Dei diffiditur.

CAP. XXII. *De quadam matronâ, quæ contra Sanctam Fidem impiè agens, mirabiliter interijt.*

Catureensium in partibus res mira contigit, quam quia cunctipotens Deus prò amore Virginis suæ monstruosè operari voluit, huic dignum ducimus interponendam lectioni. In prædicto verò territorio matrona quædam erat nobilis, quæ aut quia mulierum genus semper auarum legitur, aut certè diabolico instinctu, terram sanctæ Martyris agris suis vicinam immoderatè concupiuit, aranteſque Monachorum bubulcos, plurimis affectos contumeliis à iugeribus expulit. Sequenti verò die proprio vomere ea iugera secare fecit, suæque ditioni ea subiugare præsumpsit. Atque ità cœlesti virtute actum est, vt dum illa à suis terminis agrum illum denormare iuberet, acritérque insisteret; actutùm toto corpore emarcuit, ac horrificis stridoribus garriens, infœlicem spiritum orco dimisit. Cuius terribili exitu aratores valdè exterriti, relicto aratro fugerunt, ac in summo habitu vix palpantes Domino suo rem actam retulerunt. At ille mœrens de mulieris interitu, pro cadauere misit; allatúmque terræ condidit. Quâ tali modo extinctâ, terra sanctæ Martyris tuta ab omnibus remansit, & in Monachorum posteà ditione iacuit.

VITA SANCTI FIDOLI CONFESSORIS.

Ex nouem Lectionibus veteris Breuiarij Ecclesiastici.

I. VEnerandi Patris Fidoli vitam ad laudem nominis Christi cuius diuina sunt merita electorum notitiæ fidelium pandere cupientes, primùm quæ illi patria quæve morum à pueto institutio fuerit paucis prælibare operæ pretium duximus, vt admiranda tanti viri conuersatio subsequētibus signis quæ per eum superna dignata est operari maiestas adstipulatur, quamuis multo plura esse, quæ nullo teste egerit, quæque laudem vitans humanam sub silentio absconderit, legentium nemo cunctetur. Enimuerò licet sanum sapientibus luce clarius constet in signorum exhibitione merita cuiusquam, vt pote quæ & malis plerumque communia sunt, nequaquam debere pensari: tamen sibi adhærentes deuotiùs diuina dispositio persæpe exterioribus miraculis illustrando glorificet, vt dum solis exterioribus intendentia corda mortalium in eis viderint quod admirentur bonorum operum exempla consequenter in illis

conſpiciant quæ imitentur. Quod profecto in dilecto ſuo Fidolo gratia Dei euidentiſſimè declarauit: cuius vitam omnibus proponens admirabilem, innumeros de tenebris veræ luci reſtituit. Hoc ſanè omnes admoneo, in quorum forte manus hæc venerint, vt ex dictionis qualitate velint compenſare materiam, ſed veniam apud eos obtineat dictionis tenuitas, cùm nouerint quàm ſit alta materiæ dignitas.

II. Vir igitur vitæ venerabilis Fidolus ex præclara Aruernorum vrbe progenitus traditur, ex illuſtri quadam proſapia trahens originem: ſed hanc ille virtutum ſplendore cælitus decoratus haud ſegniter reddere ſtuduit clariorem. Denique adhuc dum tenerrima teneretur ætate ſuperna ſibi cooperante gratiâ quæ cum iam vas electionis futurum præuiderat morum ſublimari tetendit perfectione. Transcurſo verò pueritiæ tempore cum iam annos pubertatis attigiſſet, cœpit egregiæ indolis adoleſcens ſæculi huius fugitiua gaudia tota mente reſpuere, ac ſecundùm Apoſtolum in altiora ſe extendens ad ſupernæ vocationis brauium omni cordis alacritate feſtinare. Cernere erat Chriſti famulum velut apem ſagaciſſimam virtutum mella vndique congerere, & cùm cæteros morum ſublimitate tranſcenderet, nulli numquam nec cogitatione quidem ſeſe præponere, ſed humilitatem quæ virtutum eſt cuſtos, in verbo & in actu certatim cunctis præmonſtrare, coæuorum mores minus compoſitos admirabili patientia refrænare. His atque aliis virtutum floribus inſignitus dilectus Domini Fidolus tam Deo quàm hominibus complacebat, ac quotidianis incrementis in melius proficiens, magis ac magis ad ſuperna animo ſuſpirabat.

Mentis damna cauens, Domini mandata reuoluens,

Contigit ſub eodem tempore quorumdam inſolentia, ſicut ex geſtis Francorum comperimus, Aruernos atque Bituricos odium Regis Theoderici, qui tunc cum fratre Theodeberto, ſimúlque auia Brunichilde Regnum Francorum ſtrenuò gubernabat, incurrere, eandémque gentem bellorum, incendiorum, ſimulque rapinarum diſcrimini ſubiacere. Præfatus enim Rex fratrem Theodebertum in auxilium euocans cum finitimis regni ſui gentibus tanta calamitate eandem gentem attriuit, vt præclaros quoſque gentis illius & omni prius rerum affluentia exuberantes publicè mendicare compelleret, pleroſque etiam ſtipis quærendæ gratia ad extraneas nationes tranſire perurgeret. Sed nec hoc quidem hoſtibus ſatis eſſe videbatur. Pueros enim quoſque atque adoleſcentes venuſtioris formæ, ſcitiſque vultibus puellas aduentitius exercitus iunctis poſt terga manibus ſecum ducens per diuerſa loca pretio accepto diſtrahebat, nulli compatiens, nec remeare ſinens. Dum ergo huiuſmodi clade gens illa premeretur, & non ſexui, non ætati ab hoſtibus parceretur, contigit venerabilem quoque Fidolum rapi cum cæteris atque in modum alterius Ioſeph duris irretitum ligaminibus abſtractum patria duci à barbaris. Neceſſe verò erat eos, in quorum ſortem vir Domini pręda factus deuenerat, per Trecorum confinia iter habere, vbi poſt Beatum Lupum vicem Apoſtolicam eo tempore adminiſtrabat Camelianus omnimoda bonorum actuum claritate conſpicuus, nonus ab Amatore qui primus illius ordinatus eſt ciuitatis Epiſcopus. In huius autem vrbis territorio quidam Dei ſeruus, Auentinus nomine, ſuper ſubditum ſibi Monachorum gregem pij patris ſollicitudinem impendebat multis miraculis amicus Dei olim declaratus. Sunt & in promptu cuique volenti cognoſcere, ſiquis eius geſta, quæ hactenus habentur, attentius velit reuoluere. Is verò reuelatione admonitus iubetur redeuntibus barbaris in obuiam ac pro redimendo viro Dei quam poſcerent dare pecuniam.

III. Famulus itaque Chriſti Auentinus viſionem ſecum retractans crebrius ac diuinis iuſſis obſecundare ſatagens ocyus obuiam proceſſit illis aduenientibus. Qui cùm longè adhuc poſiti eſſent, Venerabilem Fidolum inter cæteros recognouit, tam ex diuina reuelatione, quàm ex ſpeciali quadam gratia quæ illius refulgebat in facie. Quos ſic intrepidus collaudat vir venerandus. Ad vos non vſibus hominum neceſſaria mercimonia quæſiturus aduenio, ſed vnius tantùm redemptione captiui, vt deſiderio ſatisfaciat cordis mei, cúmque eis quis ille eſſet deſignaſſet, tantâ gratiâ ipſius ſermonibus conferri placuit Diuinę pietati, vt abſq; vlla refragatione quod petebatur deuotiſſimè annuerent. Perceptiſque à viro Dei duodecim tantùm aureis Philochriſtum Fidolum nexibus abſoluerunt captiuitatis. Quem agnum Chriſti manſuetiſſimus

vir

vir eximiæ ſanctitatis Auentinus de raptorum manibus exemptum ſecum ducens ſancto illi gregi quem regebat ſine mora inſeruit. Ac non multo poſt hæc dierũ labente curriculo clericatus ei impoſito onere, diuinis officiis arctius mãcipare curauit. Tunc verò licet anteriori tempore plantaria in ſe virtutum non mediocri ſtudio excolere laboraſſet, poſtquam illius ſanctæ Congregationis adeptus eſt conſortium, nullum ſibi in regularis vitæ tramite paſſus eſt eſſe ſecundum: virtutum ſiquidem ſuarum non leue diſpendium putabat, ſi quid ab aliis boni fieri cerneret, quod non ipſe feruentiori animo deuotus adimpleret. Illius perſeuerantiam in vigiliis, & orationibus illius inſtantiam in diuinis lectionibus ſectabatur. Huius in cibo & potu parſimoniam: alterius ſuper illata conuicia patientiam mirabatur. Alium oris ſui ad cuſtodiendum ſilentium cuſtodem: alium verò obedientiæ bono viriliter inſudantem plurimùm prædicabat. At verò iſtum ſimplicitatis miræ dono prędituin, iſtum nihilominùs miſericordiæ viſceribus affluentem plurimis laudum præconiis attollebat. Porrò in omnibus his bonis ſic ipſe indefeſſus præpollebat, vt quis difficile aduerterit, in quo ille excellentiùs emicaret. Nec tamen ei tam deſiderabilis diuitiarum ſpiritualium poſſeſſio (vt pleriſque contingit) alicuius excellentiæ næuum infligere potuit, ſed ſemper memoriâ retinens, quod per quendam ſapientem dicitur: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Necnon & hoc quod in Euangelio Veritas dicit: *Si quis vult inter vos maior eſſe, ſit omnium ſeruus.* Ita ſeſe cunctis in eadem Congregatione ſubiiciebat, vt vix reperiri quis poſſet, qui non eum ex intimo cordis affectu diligeret. Tantam enim illi omnes impendebant beneuolentiam, vt ſi quid ab eo patrari præclariùs contigiſſet, hoc eorum quiſquam non minùs quàm à ſe factum amplecti ſatageret. Cernens itaque vir venerabilis Auentinus egregium iuuenem in dies magis ac magis ad virtutum alta conſcendere, vnanimi Fratrum conſilio, Præpoſituræ ei locum delegauit, vt tantò ſecuriùs orationi, & diuinæ contemplationi poſſet inſiſtere, quantò ſciret eum nihil extra communis regulæ ordinem agere, vel iubere. Cùm verò ſuperna pietas & B. Auentinum propter innumeros agones, quos vt miles Chriſti inuictus fortiter ſuperauerat, de huius ſæculi peregrinatione vellet eruere, & fidelis ſui Fidoli vitam ad exemplum mortalibus monſtrare, quatenus lucerna ſuper candelabrum poſita, omnibus in domo Domini luminis ſui radios oſtenderet, ſupramemoratus ſeruus Dei, gratiâ inſpirante, anachoreticæ vitæ accenſus eſt deſiderio, vt curis omnibus abſolutus, liberiùs adhærere poſſet Deo.

IV. Vocatis ergo extemplo diſcipulis, cùm deſiderium, quo flagrabat, aperuiſſet, concordi omnium aſſenſu S. Fidolum, licet multùm renuentem, licet admodùm reclamantem, ætatiſque ſuæ cauſam humiliter prætendentem, pro ſe illis ordinauit Abbatem. Deinde ſecedens ad locum quendam iuxta vicum, cui antiquitas Inſulę nomen dedit, ſuper ripam Sequanæ ſitum, ab vrbe Trecaſſina ſex ferè diſtantem paſſuum millibus, vſque ad vitæ ſuæ terminum in eodem manſit ſolitarius: qui quamuis ibidem miraculis refulſerit, libellus geſtorum eius plenius indicat, ad quem Lectorem mittimus, ne narrationis noſtræ ordinem poſtponentes, atque ad alia demigrantes, auditoribus faſtidioſi ſimus. Impoſitâ ergo ſibi tanti oneris ſarcinâ, vir beatus ſuper ſubditos Fratres tantâ ſagacitate intendebat, vt & in exhibitione diſciplinæ modum non excederet, vel è contrariò nimiâ reſolutione vitia pullulare permitteret, cupiens plus amari quàm timeri, plus prodeſſe quàm præeſſe. Ita omnium animos ſibi in charitate deuinxerat, vt ſe paternitati eius per omnia ſubderent, ac boni magiſtri informati exemplo, plus amore iuſtitiæ, quàm timore diſciplinæ à vitiis abſtinerent. Sciens enim ne quaquam ſibi ſolam verborum admonitionem ſufficere, in ſeipſo bonorum operum executionem monſtrabat, vel quid quiſque ageret, vel à quibus omnimodis præcaueret. Ipſi verò idem qui priùs orationibus ac vigiliis iugiter inſiſtebat, compunctioni ac lachrymis, ac ſi grauioribus eſſet obnoxius culpis more pœnitentium ſedulus incumbebat. Nullus eo in cibo & potu parcior, nullus in diuini verbi tam frequenti, quàm aſſiduâ meditatione ſtudioſior, nullus infirmitatum ſuarum toletantiâ animæquior, nullus in omni opere ſuo diſcretior reperiebatur; nemo in eleemoſynis largior, nemo in conſiliis cautior: non in exhortatione fidelium illo quis feruentior, vel in redargutione indiſciplinatorum ſeuerior habebatur. Lectus illi omni ſuæ vitæ tempore cilicium, quod non aliqua ſtramenti fultura molliebatur, ſed ſuppoſiti cineres terræ, qui duritiem præferebant.

Sanctæ verò Quadrageſimæ tempore tanta ſibi corporis ſui perſequutor abſtinentiæ auſteritatem ſemper indixit, vt hanc trium panum edulio plerumque tranſigeret; ſæpè etiam ex his ipſis panis vnus ſupereſſet. Potus verò in huiuſmodi refectione non alius quàm lixiuia ſumebatur, ſcilicet vt & naturæ corruptibilis fragilitati conſuleret, atque potus dulcedinem permixtione cinerum euitaret. Opinio ergo ſanctitatis eius circumquaque breuî diffunditur, atque à longinquis quoque regionibus illius ſuffragia ab ægrotantibus plurimis requiruntur. Duo interea cæci diutinâ oculorum deſtitutione damnati ſpe luminis recuperandi expetere decreuerunt virum Domini: quem cùm obnixiùs vt ſui miſereretur, querulis vocibus inclinarent, ſuper eorum calamitate toto corde condoluit, ac propiùs accedens, ſignum Crucis ſuper eorum oculos cum Chriſti nominis inuocatione expreſſit.

Quos mox diſcuſſâ liqueſcunt nocte tenebræ.

luminibus prior rediit vigor, ſanguinis inſuper eruptio non modica inſecuta eſt. Poſt duarum verò horarum plus minúſve ſpatium tunc ſibi diù negata adepti ſolatia, qui alieno ducatu venerant, omnipotentem Deum in famulo ſuo operantem prædicantes, iam nullius indigentes adminiculo, loca ad propria remearunt.

V. Subſequenti quoq; tempore puer quidam, Octauianus nomine, ad eum perlatus eſt, quem à natiuitate omnium membrorum vſu ita natura damnauerat, vt eliſis plantis nec valeret incedere, nec à loco vt inferretur ab aliquo ſe mouere: quem parentes anxij viro Dei præſentare deliberant, confidentes quòd nil ſeruo ſuo Deus denegaret, & ſcientes quòd præ cunctis pietate plenus eſſet. Ab his ergo delatus ante pedes illius proiicitur, atque vt infelici orando ſubueniat, ab omnibus exoratur; qui tam miſerandi pueri diutinâ calamitate, quàm parentum illius indefeſſâ vociferatione corde compunctus, ad lacrymas vſque perducitur, puerúmque ſuper cilicium, quo cubare conſueuerat, per ſe ferens, per triduum prece continuâ Deum inuocat, donec voti compos, & quod precabatur acciperet, ac perfectæ ſoſpitati reſtitutum, ad firmum greſſum parentibus aſſignaret. Nouum Apoſtolorum Principis Petri miraculum, ac per omnia ſimile, niſi quòd ille ſolâ manus alleuatione claudum natum mox ſanauit: Beatus verò Fidolus Trinitatis ſeruato ſacramento, poſt triduum hunc curauit. Illis diebus contigit virum quendam, ob ſcelerum immanitatem, à dæmone inuadi, qui in omnes, qui accedere ad ſe fortè voluiſſent, hianti ore, rabidiſque dentibus ferebatur, nullum ſinens abire illæſum, quicumque obuiaſſet, inſtigante illo à quo poſſidebatur. Currens itaque totius penè populi turba, triplicatis, quadruplicatiſque vinculis hunc ligauit, ac ſalubri tandem reperto conſilio, venerabili Fidolo quantocyùs adducere feſtinauit. Ante cuius ille præſentiam dum ſteriſſet, magnâ voce malignus ſpiritus per os infelicis illius virum Dei ſæpiùs illum nomine vocans, precabatur ne vas ſuum, quod peccatis exigentibus Dei nutu inuaſerat, ſibi præriperet, cùm vel ſuos, vel ſe vnquam nihil læſiſſet. Triduano ergo ſibi vir beatus indicto ieiunio, cinere & cilicio obuoluitur, dato priùs mandato, vt interim dæmoniоſus intra vnam cellularum ſollicitè recludatur. Noctibus ergo, diebúſque in oratione continuans, toto corpore coram Deo proſternitur, illum rogans, vt quem ſui ſanguinis pretio redemiſſet, peſſimi dæmonis infeſtatione diutiùs fatigari non pateretur.

Mox Deus humanæ plaſmator materiei,
Dæmone poſſeſſi finem poſuit rabiei.

Sancti quippe orationibus, quas cum tanta ſui afflictione indefinenter profuderat, eiectus, atque coactus diabolus, poſt tres dies nunquam comparuit, ac familiare linquens domicilium malus hoſpes abſceſſit. IESV CHRISTI ergo Domini, & fidelis eius, fideli & aſſiduâ prædicatione perfectæ incolumitati redditus, vt deinceps vitius parceret, admonetur, ne quando malis eius iteratis exaſperatus Deus, grauiores illi pœnas immittere compellatur. At ille tanto liber exactore, innumeras Deo grates, ac ſancto Fidolo referens, reuerti quantocyùs properauit, ſatiſque conſtitit eum extunc, tam timore pœnæ, quàm beati viri exoratione vixiſſe cautiùs. Alio itidem tempore latro quidam equum eius quem pro Monaſterij vtilitatibus proceſſurus inſidere conſueuerat, furto ſubducere non timuit. Cúmque aſcenſo caballo huc illúcque capi timens diffugeret, Arcias caſtrum, ſic nominatum antiquitùs, ob mœnium celſa faſtigia ibidem olim conſtructa, nunc diſrupta, vagabundus applicuit. Supernâ verò diſpenſatione tanta eum mentis alienatio corripuit, vt eo-

dem, quo venerat, itinere regressus, ante viri Dei cellulam manè facto consisteret, omnibúsque sese videntibus non modicæ admirationis stuporem incuteret. Hinc ergo datur intelligi quantam Deus curam obnixius sibi famulantium semper gerat, cùm nec in rebus exterioribus eos contristari permittat. Ecce enim fidelem famulum Deo inhærere bonum reputantem excellentiùs, dum cælestia præfert transitoriis, non est passus rebus defraudari terrestribus. Infelix autem ille, dum ex eiusdem equi dorso descendere voluisset, ita sese illi sibi videbatur inhæsisse, ac si corpus vnum facti essent caballus & ipse. Proinde tremore ac pauore grandi corripitur, ac intimis medullis eius infusâ febre mirabiliter castigatur. Ad beatum Fidolum concurrentes, qui ad huiusmodi spectaculum conuenerant, & furem cum caballo prę sto esse nuntiant; & vt reo suo quantocyùs subueniat, seruum Dei simul omnes exorant. Vir autem Domini plus latronis cruciatu, quàm equi sui recuperatione motus, ac festinus aduenit, & oratione factâ vt improbus ascensor descendere posset, obtinuit, & à febris infestatione liberauit.

VI. Ad sanctitatis eius cumulũ subnectamus quæ de eius ad nos vsq; peruenerunt operibus. Homo quidam, Fredulfus nomine, cuius filium sanctus de baptismate susceperat, vt domum suam visitare debuisset, cibúmque in ea sumere attentiùs supplicabat, credens illam ex aduentu viri Dei multiplicari, ac deinceps bonis omnibus, si id mereretur obtinere, nullatenùs indignum fieri. At ille, tum Fidoli sui charitate, tum etiam venerabilis compatris sui crebrâ inuitatione compulsus venire non distulit, vt dum eorum carnalia meteret, spiritalia in eorũ cordibus seminaret. Mos quippe fuerat viro sanctissimo, vbicumque loci fortè esset, nunquam à prædicatione cessare, vt spiritale sal factus, sicut in Euãgelio discipulis Veritas dicit, *Vos estis sal terræ*; mentes sese audientium diuini verbi sapore conditet, & talenti sibi crediti lucra tantò securiùs, quantò multipliciùs reportaret. Idem autem Fredulfus vas quoddam vino plenum illibatum apud se, donec seruus Dei aduenisset, seruauerat, vt manus illius benedictione signatum, & potationis vsui diutiùs posset esse, & gustantes vberiùs lætificare. Cúmque discumbentes, præmissâ gratiarum actione, cibum simul sumerent, super idem vas à prædicti coniuge sibi delatum vir Domini signum dedit, deprecans vt qui vinum in Cana Galilææ de aquis fecerat, ipse eidem vasculo abundantiam liquoris, simúlque iocunditatem infunderet, quatenus quisquis ex eo biberet, laudes ei atque grates dare posset. Cúmque ex eodem vino qui aderant parum quid potauissent, minùs cautè collocatum, alteram in partem ruit, lignúmque quo foramen infusorium claudebatur, sicut in eiusmodi vasis fieri solet, impetus vini superueniens dispulit. Tunc verò conuiuæ omninò non modicè vasis casu conterriti, simul omnes conclamant, nisi per Sanctum Domini collata fuisset benedictio, dæmonis impulsu totum periisset. Sed Deus volens cunctis ostendere quantus esset qui vas idem signasset, ita suâ virtute foramina obturauit, vt ne vna quidem ex eo vini gutta decurreret, sed sublatum longo pòst tempore pocula largiora profunderet. Intueamur ergo, si placet, cuius vir ille, quanti ve fuerit meriti, cui dono supernæ gratiæ præstitum est, vt cùm omni liquori naturale sit in procliue decurrere, vel defluere, huius tamen benedictione Sanctificatum vinum patulis licet meatibus non quiuit emanare. Ipse nimirùm pro fideli seruo suo fecit vinum hoc quodammodo obduruisse, qui quondam populo Israël per medium Iordanis sicco transeunte vestigio superioribus eius aquis imperauit ne incurrerent, quoad Arcæ bajuli Sacerdotes nouissimi pertransissent. Haud multo pòst transacto tempore, mulier quædam auditus simul & visus incurrit dispendium, cui procul dubio ad miseriam cœcitas satis esset, etiamsi surditas addita non fuisset. Huiusmodi ergo calamitati dicta mulier miserabilis lacrymis tantùm ac planctibus iugiter intendebat, itavt nullis consolationibus vnquam acquiesceret, quia illius miseriæ medicator nullus esset. Interea famam sanctitatis eximij Patris Fidoli parentes eius aute captantes, suam secum ducentes filiam ad serui Dei Monasterium summâ cum celeritate venerunt, pietatem illius lacrymis ac singultibus exorantes, vt cuius beneficio super variis calamitatibus auriti cognouerant, quod alijs Sanctus non denegasset, hoc & sibi propter Deum impendere non differret. Motus his precibus vir Domini vt semper in huiusmodi mos illi erat, Christum Dominum rogaturus, terræ prouoluitur, ac finitâ oratione, ægram propiùs accedere iubens, cùm super illius oculos signum salutiferum Crucis expressisset, aurium quoque foramina digitos infigendo

rimatur. Vix autem vnius horæ ſpatium interceſſerat, cùm proprios vſus lumina ſuſcipiunt, atque ſonos aures interiùs rapiunt. Potitâ ergo diù ablatâ ſalute, quantas Deo, ac dilecto eius Fidolo gratias, ſuis verò quantum præſtiterit gaudium, lectorum relinquimus iudicio, quia plus planius in talibus admirationis habet res commiſſa ſilentio, quàm ſi eam alicuius explicaret oratio. Iam verò quòd omnium eius operum ſummam ſupergreditur attingere tentabimus, vt quem per hęc quæ diximus, ſanctum verè cognouimus, æquè per ſuccedentia ſanctiſſimum comprobemus.

VII. Contigit aliquando ob multarum culparum perpetrationem ſeruulum quendam domini ſui, qui Iudicis fungebatur officio, animos commouiſſe, adeò vt obſcuriſſimi carceris cuſtodiæ mancipatum, corpori illius nullam dari alimoniam permitteret, vt famis tabefactum miſeriâ, tormentis exquiſitis poſtmodum mulctatũ, morti ignominioſæ traderet. Cuius pater infelicis filij perturbatus infortunio, lacrymarum imbre perfuſus, virum Dei celeri curſu expetit, ac ſingula verba interrumpente ſingultu, vt miſeræ proli interceſſionis opem impendat obnoxiùs flagitare cœpit. At ille per ſe quidem ire nolens quòd prædictum virum vtpote plenum flagitiis, minùs diligeret, baculũ quo ſeniles artus ſuſtẽtare erat ſolitus, vni diſcipulorũ ſuorum Æmiliano nomine tradidit, cui etiam comites itineris Fratres eiuſdem Congregationis quoſdam ſociatus, vt petitionem ſuam pro pueri liberatione domino eius deferrent, quantocyùs imperauit. Monachi proinde ſenis legatione functi, cùm ad viri domũ peruenirent, quid ipſi pius eorum Pater mandauerit, per ordinem ſuggeſſerunt, ſimul etiam baculum illius habentes præ manibus, ne viri Dei mandatum ſperneret, imò in illo habitantis Dei ſedulò hortabantur. Auditâ verò B. Fidoli per Monachos illius ſupplicatione, vir ille iniquus illi per omnia comparandus, de quo Veritas ait, Quòd nec Deum metueret, nec hominem vereretur, iracundiæ maioris furore ſuccenditur, ac ſpretâ ſeruorum Dei poſtulatione, reo mortem celeriùs ſe acceleraturũ interminatur. Nec diſtulit crudelis qualem ſibi furoris immanitas dictauerat citiùs mortis dare ſententiam. Accitis enim his quorũ erat officium punire damnatos, adinſtar eculei ligneam machinam fieri iuſſit, mandans vt retorta forti gutturis intercluſo ſpiramine, infelicem illum in eadem ſuſpenderent, datâ ſimul lege, vt ſi quis eum intra trium dierum ſpatium tollere niteretur, ſimili quoque pœnâ comprehenſus & ipſe plecteretur. Tunc miſerandus homo per ſeruos impietatis è carcere ſecundùm Iudicis iuſſionem educitur, atque ad pœnam ſibi præparatam à lictoribus funę ſupertrahitur, manibus poſt terga ligatis. Dei autem miſeratio ſerui ſui Fidoli preces pro illo benignè ſuſcipiens, ita gutturis eius ligamina relaxauit, vt nullam omninò ſuſpenſionis pateretur moleſtiam, & haberet abundanter reſpirandi copiam. Videbatur autem illi per tres dies illos continuos quendam ſub ſpecie ſancti viri ſub ſeconſiſtere, qui ſcapulas ſuas pedibus illius ſubmitteret, quibus ille forti velut innixus ſcalæ, ſuſpendij periculum deuitaret.

VIII. Tranſactâ demùm die tertiâ, deponendi corporis eius pater nactus licentiam, lugubres filio redditurus exequias, ad locum properat, præciſaq; retorta quæ collo circundata erat depoſitum ſepulturæ parat tradere. Cúmq; ſolutis manuum nexibus, pannum quoque obductum oculis abſtuliſſet, qui putabatur ne momento quidem in ſuſpenſione viuere potuiſſe, repentè ſuper pedes conſtitit, támque patrem quàm cæteros qui intererant, ſtuporis ſimul & admirationis immenſitate repleuit. Extemplò tanti miraculi fama ciet cunctos per proxima quęque morantes vt veniant, videantq; virum, imitantur ouantes. Audiens itaque Iudex improbus geſta, pluſquam dici poteſt, confunditur, ſimul quia viro Dei denegarat quòd petiiſſet, & quòd ſaluus aſſeratur, quem necari præcepiſſet, euidentiſſimęq; compertum habuit, quia cùm pro Deo in mundo hoc electi à reprobis habentur cõtemptui, Majeſtatis Dei noſtri plus placent aſpectui. Sed diſſimile fuit illud, quòd cùm illuſtris quidam ſecundùm ſæculum, compatriſque ſancti ſeruus, pro quibuſdam inſolentiis Monaſterium eius fugâ lapſus irrupiſſet, pedibus illius prouolutus cum lacrymis precabatur, vt ipſius interceſſione accẽſam contra ſe Domini ſui deliniret iracundiam. Tunc Beatus ille etiam potiora præſtari ſibi ab eo poſſe, vtpote ſuo compatri nihil hæſitans, vt fugitiuo veniam dare deberet, virum cõmonuit, adjungens quòd in vacuum peccatis ſuis Deum propitium fieri exoraret, niſi ipſe quoque in ſe peccantibus indulgere quantocyùs feſtinaret. Qui virum doloſâ circumueniens Domini ſponſione quæcumque petebantur, præbiturum ſe libentiſſimè repromittit, ſine mora tantùm puer ad ſolita reuerte-

batur officia, vel obsequia. Hâc fretus pollicitatione, de Monasterio Sanctus producens puerum, illi commendat, neque cum illo clementiùs ageret, sæpiùs idem repetens, admonere curat. Ille verò postquam ab eo digressus domum venit, eundem seruulum assumens, oppidum Tornodorense petiit: vtque res itineris longinquitate viro Dei minùs posset innotescere, ibidem conjectum in vincula, reterrimo carcere clausit. Quod beatus vir spiritu reuelante cognoscens, ab intimo corde longa trahẽs suspiria, admodum vtrique cõdoluit, tam colligati pueri miseratus afflictionẽ, quàm compatris sui dolosam reperiens pollicitationem. Ad familiaria ergo sibi orationum arma reuertens, Deum, in cuius manu sunt consilia hominũ siue bona sint, siue mala, magnâ cordis contritione cœpit deposcere, vt & fraudulentam viri contumaciam in melius, sicut nosset, dignaretur conuertere, & priusquam moreretur, salubriter castigatus, huius facti iudicium vel sic posset euadere. Quod quidem sicut petierat contigisse manifestum est. Nam illius in quo miser trusus est ergastuli, à fundamentis subitò parietes quatiuntur, quiq; diligentiùs muniti fuerãt diuinâ virtute dissectis pessulis aditus reserantur; subsequitur catenarum quibus ille vinctus erat, sine mora disruptio, ac oblata sibi fugiendi copia retrogradum iter accipiens, sancti viri lætabundus se recipit Monasterio. IX. Nec distulit Omnipotens iuxta serui sui petitionem, fallaciæ pœnas à viro superiùs memorato quantocyùs expetere, vt & cui intulisset iniuriam castigatus cogeretur agnoscere, & postmodum tale quiddam formidaret incurrere. Nam cum casu inter eius domum ignis quodãmodo excitatus ventorum flabris maiores vires, sicut est illi proprium, percepisset, ac sublimiùs volantibus flammarum globis iam nec aquis, nec aliquorum posset virtute sopiri; ita quæ illius erant vniuersa consumpsit, & omnium rerum factus inops, illis quoque qui eius priùs poterant inuidere successibus, miserabilis appareret, ac propriæ calamitatis ad virum Dei non iam falsus, imò verus nuntius existeret. Euidentissimum ergo in seipso cunctis mortalibus præbuit documentum, quia cùm ad iram iustus quisque à reprobis prouocatur, Deus ipse, cuius sedes mens iusti est, exasperatur. Hoc interim, vt ad quantũ sanctitatis cumulum sanctus iste excreuerit, illis palàm sit, qui in signorum tantùm exhibitione meritorũ summam perpendere nouerunt. De pluribus pauca sufficiant. Quòd verò plura his gesserit non ambigimus, vt & ea ille, vt est proprium electorũ, non est passus diffamari propter iactantiam, ac per tẽporis illius scriptorum sunt prætermissa negligentiam. Cæterùm si quis omissis exterioribus puræ mentis oculum ad interiora conuertat, quod maioris planè admirationis ac stuporis plenũ sit, in vita illius reperiet, constantiam scilicet animi contra carnis oblectamenta, crebras de antiquo serpente victorias, resurgentes stimulos repressos æquanimitate, inuidiam & odium vicisse charitate. Sciens quippe non sibi cum carne & sanguine esse pugnam, sed aduersus principatus & potestates & rectores tenebrarũ harum contra spiritales nequitias in cælestibus, semper propheticum illud versans: *Dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.* Persentiens autem sibi diem supremũ appropinquare, quos priùs erudierat pater alloquitur, vt quæ docuerat, suis pro viribus adimplerẽt, post præsentis vitæ cursum cum illo præmia digna percepturi superno lumine sine fine gauderent. Dæmonũ insidias ante oculos cordis semper reducite, impetúsq; eorũ scuto fidei repellite, supernã patriam toto affectu concupiscite, spe illius quæcumq; contraria nobis acciderint, viriliter superate: alter alterius onera portate, & odiorũ semina & dissensiones celeriùs extirpare satagite. Itaq; omnia breui concludam sermone, quæ audistis, & vidistis in me, hæc agite, vt Deus pacis semper possit vobiscũ esse. His aliisq; documentis discipulos inuitabat. Nullum periculũ perditionis fuit passus in se de cõmisso grege, vt districto Iudici posset præsentari mundus à sanguine omnium; deinde languore correptus, iámq; sibi imminentem vitæ terminũ cernens, orationum tempus omne dedit instantiæ, Deum rogans, quòd si errores suos dignè non defleuerit, Deus solitâ bonitate remitteret, ac clemens sibi condonaret. Superueniente itaque XVII. Kal. Iuniarum die, felix anima terrenam linquens habitationem, Angelorum comitata cœtibus, Creatoris sui præsentiæ sistitur, vbi nullo fine claudendâ requie hucusque perfruitur.

Illic nacta sui mercedem læta laboris,
Nos sibi concessi socios asciscat honoris,

largiente ipsius misericordiâ, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorũ. Amen.

V.C. Nicolaus Camuzatus pag. 340. Promptuarij Antiq. Trecensium. primus in lucem Ser-

monem Anonymi de vita & miraculis S. Fidoli Abbatis descriptum ex veteri codice M S. Cœnobij Clarævallensis, sed non planè omnib. suis numeris absolutũ; deest quippe sequens miraculũ.

Addendum est aliud laudibus atque miris virtutibus ascribendum. Homo quidam Fredulfus nomine, cuius filium vir sanctus ex lauacro fontis sacri baptismatis gratiã spiritualis fidei susceperat, prẽmissâ postulatione vt domum ipsius visitaret, obtinuit charitas, in cuius nomine, fide integrâ, lagenam viri meri vberiùs seruauerat plenã, benedictionibus venerabilis compatris petiit, vt manus sancta dedicaret vasculũ suo nomini deputatũ oratione superimpositâ. Viri coniux interim detraxit ligni stipitẽ, & veniente eminus decidit humo ducículum: sed diuino nutu restitit vnda falerni concluſa. Tunc mulier ait: Quæso, Domine, & obsecro, vt galidã vini liquore abstracto vnde pariter hauriamus, tua inclyta pietas repleri iubeat. Quo dicto, illa ad officium recursitat: mustum quod signaculo Crucis restiterat antè clusum, admirabilem iucunditatem communs exhibuit, atque omnibus inuitatis. Longo etiam exinde tempore vniuersis venientibus fuit poculum præparatum vnde singulis largâ potione vicinalibus diffusa semper in camulo crescebat expensa. O illa singularis & infinita largitas, vt in vsu bibendi humanitas non exinaniret.

Excerpta quædam de S. Floregio Episcopo, cuius vitam integram nondum reperire licuit.

POst multa annorum curricula nuntiatũ fuit in vrbe Romana, quòd aliquæ hæreses in partibus Gallicis, seu Aquitanicis, & specialiter contra formam Baptismi insurrexerunt; & peruenit ad aures beatissimi Pontij, qui sedem Apostolicam tenebat, seu regebat illis diebus. Igitur supradictus Pontius iussit venire ad se omnes Episcopos qui præerant Galliæ, siue Aquitaniæ, qui venerunt ante eum Romam, & cum eis perrexit beatissimus Floregius, qui Episcopus erat Aluernensis illis temporibus; & interrogauit eos beatiss. Pontius, vnumquemque per ordinem, si hæc vera erant, an falsa, quæ insonuerant auribus suis de Arriana perfidia, &c.

Et multò inferiùs hæc sequuntur.

Hoc audito, omnes Episcopi, qui in vrbe Romana aderant de Aquitania vel Prouinciis Galliarum, liberè ea quæ Pontius Papa eis annuntiauit, cum gaudio receperunt, & retinuerunt, & alacriter ad loca sua reuersi sunt. Igitur beatus Floregius sequens eos post triduum, non potuit velociùs ire, propter duos sodales suos, qui infirmi erant; sed assiduè peragrarunt quantum potuerunt, & vsque ad ciuitatem Vercellis peruenerunt. Vespere autem iam facto vigilia Ascensionis ingressi ciuitatẽ, & cum eis Clarius Abbas Ruthenensis ciuitatis, qui loci beatiss. Amantij primus Abbas fuit, qui Stagnum (alias Stannum) castrum post obitum suum illi dimisit. Ipse in hospitio iunxit se cum illis, & illâ nocte manserunt inuicem, summo diluculo perrexerunt ad Ecclesiam sancti Eusebij; & nuntiatum est Clericis ipsius Ecclesiæ de Episcopo Floregio qui ibi aderat, & cum eo nobiliss. Abbas Clarius nomine, qui continuè venerunt ad eos, & rogauerunt vt illo die cum illis manerent, & rogauerunt Pontificem vt senior Missam celebraret, qui ad præceptum eorum obediuit. Dum hora adest, manus & faciem abluit Floregius, & induit se vestimentis sacris, vt mos est; & dum in sacrarium exiret, accessit ad eum cœcus vnus, & de ipsa aqua, quæ de manibus Episcopi cadebat, oculos liniuit, & statim visum cœpit: quo viso, omnis populus mirâ exultatione laudes ad cælos effert. Celebratâ denique Missâ, vnusquisque ad propria cum gaudio remeauit, & Episcopus cum Abbate suprad.cto ad hospitium peruenerunt, & in crastino die iter capiunt, viam dirigunt. Rogatus Episcopus cum Abbate die sancto Pentecostes Stagnum peruenerunt. Mox vt ingressi fuerunt, nobilissimus Abbas ait suis: Ite velocius, & Episcopum qui mecum est, diligenter accipite, quia castus & sanctus est; mox vt audierunt, ad eum peruenerunt, & cum summa dilectione ad habitacula ipsius Abbatis cum eo venerunt, nobile stratum illi parauerunt, cùm hora adest, mensam ponunt, cibos afferunt, & cœperũt epulari. Dum epulabantur, erat in angulo domus illius claudus vnus, qui octo annos non valebat ambulare, qui dixit Episcopo: Te, beatissime Pontifex Floregi, deprecor, vt roges Dominum pro me peccatore, quia multi iam dies sunt quòd ego cecidi in hac infirmitate. Hoc audito, Sacerdos accepit panem desuper mensa, & benedixit, & illi iussit dari: quo accepto, comedit ex ipso, & statim sanus factus est. Quapro-

Digitized by Google

pter viſo miraculo quod per Sacerdotem ſuum Deus operatus eſt, omnes qui ibi aderant, Deum laudare & glorificare cœperunt vnà cum dicto Abbate. Vt autem ſurrexerunt à menſa, claudus ante eum venit, & ad pedes eius cecidit; & ipſe erexit eum, & dixit: Vade in pace. Facto mane, ipſe domnus Præſul egredi voluit ad locum ſuum, ſed rogauit eum Abbas, & ipſe populus qui caſtro Stagni aderant, vt cum eis maneret, & manſit cum eis quindecim diebus. In quinto decimo autem die à febre corripitur, & in cubili cecidit, & octo dies ſuperuixit, & in illis octo diebus non ceſſauit à prædicatione diuina: ſed omnes qui ad eum veniebant, dulciter de perpetua vita eos docebat, atque dicebat: O filij chariſſimi, quàm fragilis iſta vita eſt; ad illam feſtinate, vbi non fletus, nec ſtridor dentium, &c.

Et paulò pòſt.

Et his dictis, emiſit ſpiritum; & cum ſumma diligentia ſepelierunt eum aromatibus conditum, in ipſum caſtrum, in quo ſepultus iacet vſque in hodiernum diem, &c.

ELOGIVM SANCTI FRAMBALDI ABBATIS.

Ex veteri Breuiario Siluanectenſi deſcripſimus.

I. BEATVS Frambaldus ex regione Aquitaniæ, non ab infimis parentibus procreatus eſt, ſed ex nobili genere ortus. A quibus literarum ſtudiis traditus, prudenter eſt eruditus. Ipſe à cunabulis infantiæ totam ſpem ſuam in Saluatoris poſuit diſpoſitione: credens ſibi ſufficere, ſi omnem dilectionem ſuam ſoli cæleſtis patriæ Domino commendaret. II. Qui in tantum ſeruis Dei, & viris religioſis ſe ſubdidit, vt morum honeſtate ingenuitatis priuilegium vendicaret; proficiebátque in eo quotidianæ exercitationis effectus, in tantum vt vltrà ſe ſemper aſcendens ſuis meritis reliquos conſodales tranſcenderet, & de ſeipſo potiùs triumpharet. III. Sanctitatem verò eius Dominus miraculis demonſtrauit. Contigit enim vt quidam adoleſcens grauibus æſtuaret febribus, in tantum vt cuncti de eius vita deſperarent: quem S. Frambaldus factâ oratione, liquore ſanctificati olei ſanauit. Quædam etiam mulier debilitate manuum contracta neruis ſtupeſcentibus flens occurrit S. Frambaldo, qui ſigno Crucis ſuper eam facto, priſtinæ ſanitati reſtituit. IV. Beatiſſimus ac venerabilis Sacerdos S Frambaldus tempore Childeberti & Clotarij Regum Francorum Cenomanicum aduenit pagum, à S. Innocente benignè ſuſceptus, ac Sacerdotis Domini ducatu, ab eo ad prædicandum directus. V. Deditque memoratus Innocens iam dicto S. Frambaldo locum in Condita Gabronenſe, quem ab eo ipſe petierat; quia ſolitarius, & ab hominibus erat remotus, ad cellulam ædificandam: quoniam ipſe ſanctus magis ſolitarium & ſecretum locum diligebat, quàm deliciis affluentem, aut opibus locupletatum, aut ab hominibus frequentatum. VI. Erat enim in loco denſiſſima ſilua, ſed tantùm ille proprio ſudore vnà cum reliquis ſociis & diſcipulis ſuis ibidem exſtirpauit, & labore ſuo acquiſiuit, fultus præfati Epiſcopi auxilio, vt etiam eius adjutorio cellulam poſtmodùm ædificaret, & Monachos ac religioſos viros ſibi congregaret. VII. Fuit námque S. Frambaldus virtutum donis ditatus, atque magnâ religione præfulgens. Quadam autem die, diuulgatâ iam ſanctitatis eius famâ, dum ipſe ſanctus Frambaldus vnà cum reliquis Fratribus in obedientia ad meſſem pergeret, accidit vt vnus exiſdem Monachis caderet, & colliſo cerebro ſemiuiuus iaceret, quem cæteri mortuum eſſe putabant. VIII. Mox verò ſanctus Dei Frambaldus, factâ oratione, ſuis ad Dominum precibus ei impetrauit integerrimam ſanitatem. Poſteà verò cœcos illuminauit, & dæmonia à multis dejecit. A febribus autem innumerabiles ſuis tantùm precibus liberauit: A reliquis etiam infirmitatibus multos ſuis condignis meritis reddidit ſanitati. IX. Iſta verò & alia innumerabilia magna miracula operatus eſt Dei miſericordiâ ſanctus Dei Frambaldus, Sacerdos & Confeſſor Chriſti, Angelorum conſors, Prophetarum ſocius, Apoſtolorum, Martyrum, & omnium agminum Sanctorum conſcius & conciuis: qui obiit in pace honorificè in Chriſto, XVII. Kalendas Septembris.

Prolixiorem ſanctⁱ Frambaldi vitam ab aliis viris eruditis iam pridem expectamus, in cuius locum ſubrogamus quod in manus noſtras deuenit diploma, ſeu teſtimonium authenticum de relatione Reliquiarum eiuſdem Eccleſiæ S. Frambaldi, iuſſu Ludouici VII. Regis Francorum, anno 1177. Idibus Maij, eodémque præſente peracta.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego Ebroinus Dei voluntate Decanus, Hilduinus Theſaurarius, Odo Cantor, & totus pariter Clerus S. Frambaldi Siluanectenſis. Quoniam expedit Eccleſiaſticis maximè perſonis diligere decorem domus Dei, nos videntes Eccleſiam noſtram vetuſtatis quodam ſenio acclinantem, & ſtructuræ veteris ignobilitatem deſpicabilem in Domini confidentes ſubſidio renouando cauſa ampliandi auſuri ſumpſimus de theſauro ſanctarum Reliquiarum tantùm à Domino Rege percepta licentia reuelandi eas. Dominus quidem noſter & Eccleſiæ Patronus Pater LVDOVICVS ſuperlaudauit propoſitum, & Reliquias videri voluit ſub teſtimonio Religioſorum. Regiis ergo literis euocatos Abbatem Karoli-loci, Abbatem Longi-pontis, Abbatem Fuſcinaci, qui fuit noſter Theſaurarius, ad diem habuimus, & in quodam ſecretario ſub præſentia etiam Domini Epiſcopi Siluanectenſis Henrici, Simonis Meldenſis Epiſcopi, & atteſtatione cartularum per ſingula inuenimus Reliquias ſanctas multò plures, & digniores quàm ſperabamus. Rex autem plurimùm lætus ſuper hoc effectus eſt, & conſtituit diem Idus Maij, quo poſthabitis aliis negotiis, deſtinauit venire, ſuáque præſentiâ Eccleſiam & Reliquias honorare, ſed & tanti ſeminarij oſtenſionem generaliter cuicumque præcepit interim denunciari. Viſum eſt ipſas Reliquias nominatim debere exprimi: ſcilicet, Corpus beati Frambaudi Abbatis & Confeſſoris: corpus Gerbaudi Epiſcopi & Confeſſoris: brachium B. Euulfi Abbatis & Confeſſoris: corpus B. Laudouenæ Reginæ Francorum: corpus B. Bertæ: corpus B. Baumiri Abbatis & Confeſſoris. Anno itaque Dominicæ Incarnationis 1177. die præfixâ, cum Domino Rege affuerunt Epiſcopi, Dominus Henricus Epiſcopus Siluanectenſis, Dominus Simon Meldenſis; & cum his & magnatibus viris, & populo copioſo, Dominus Rex Reliquias extra ciuitatem deuotè, & cum magna reuerentia deportans vſque ad locum eminentem, ſequutus eſt, vbi, diuinâ prouidentiâ ordinante, ſermonem fecit Dominus Petrus S. R. E. Preſbyter Cardinalis titulo S. Chryſogoni, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, qui authoritate BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, & S. R. E. atque Epiſcoporum, qui aderant, congregato populo, & omnibus innouationem Eccleſiæ iuuantibus, indulſit vota tranſgreſſa, peccata oblita, & pœnitentiarum partem ſeptimam. Sed & poſteà Archiepiſcopus Remenſis Vvillelmus, Sedis Apoſtolicæ Legatus, nobiſcum indulgentiùs agens, quintam partem pœnitentiarum dimiſit.

BEATI GAVCHERII FVNDATORIS, AC PRIMI Prioris Aurelienſis Cœnobij S. Ioanni dicati.

Ex antiquo codice MS. Eccleſiæ Lemouicenſis.

IGITVR Gaucherius territorio Rotomagenſi Mellentenſis (Methlenſis) oppidi indigena fuit, parentibus religioſitate clariſſimis procreatus, vico autem S. Petri, cui nomen Egiſius (*Juſiers*) educatus: cuius vitam, cùm adhuc clauſus eſſet vtero matris, Dominus quaſi quodam pręſagio volens notificare mundo, genitrici eius manifeſtauit nocturno ſilentio. Nam vt audiuimus ab ipſo, nocte quadam, cùm mater eius eſſet grauida de illo, in ſomnis vidit ſe tendere reſtem vnius cymbali, quæ tam prolixa videbatur, quod de terra vſq; ad cælum protendebatur: quam reſtem ſuſpẽſam in cymbalo, cùm manu traheret cymbalum, in cælo ſonaret. Quæ viſio benè conuenit Dei famulo Gaucherio, qui etſi ductus propagatione carnis, quod ſignatur per reſtem, domans eam ſub leui iugo Chriſti, factus eſt cymbalũ tinniens: quia quẽadmodũ ſõnantibus cymbalis fit quædam vox cõmotionis, quòd populus Chriſti debet properare ad Eccleſiam Dei, ita & famulus Dei Gaucherius quodammodo fuit cymbalum exemplo vitæ & prædicationis voce cõmonens Dei plebem, ne tardaret ire ad ſuum Creatorẽ. Vidit etiam in ſomnis genitrix eius, cùm nondum foret editus humanis riſibus, ſe tenere ſurſum duo cornua Lunæ ambabus manibus. Luna autem pro defectu carnis ponitur, quia ad tempus videtur creſcere & decreſcere: ſed cùm incipit per defectionem decreſcere, cornua ſolent attenuari. Quæ omnia benè aſſignãtur Dei famulo; quia cùm onere carnis, quę ad tẽpus deficit, eſſet oppreſſus, bina cornua Lunæ tenebat manibus, quia ſuperbiã & laſciuiam ſuæ carnis ſubjugauit ſuis mani-

manibus. Id est cum geminis alis virtutis, scilicet duobus præceptis charitatis Dei videlicet amoris & proximi. Qui amor ignitos sui dilectione per angustum callem facit tendere, & hoc sursum despiciendo terrena facit ire ad cœlestia.

Hoc amore succensus Dei famulus Gaucherius in hac peregrinatione solo corpore constitutus cogitatione & auiditate in illa æterna patria est conuersatus, quia vestimentum, quod induit in baptismate, seruare studuit per innocentiam vitæ, quod est attenuare cornua Lunæ, id est incentiua carnis vitia domare vsque in finem vitæ, Euangelistâ attestante, *Qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.*

Adueniente itaque tempore subintrantis infantiæ à parentibus studiis liberalibus diligenter traditur: in quo doctrinæ collatio cum vbertate ingenij consentiens eruditissimum duplicato bono, id est naturæ & industriæ reddiderunt, atque vt in eum perfectio literarum plenè conflueret, docibilis puer, quæ audierat, quasi thesaurum sibi commissum pectoris armario tenaci memoriâ benè recludens, parui temporis articulo ad biuium Pythagoricæ litteræ perductus sinistrum ramum deuitauit, id est, lasciuiam huius mundi, quâ illa solet ætas occupari: dextrum quippe ramum à primæuo iuuentutis flore prosecutus est Dei famulus Gaucherius, quia sicut apis prudentissima in studio quæque bona colligens reposuit in arâ mentis, quæ postmodum erat mellificaturus populo Dei dulcedine sui verbi, quatenus per arctam viam, quæ perducit ad vitam, exemplo sui sequerentur. Factus namque adolescens adhæsit cuidam viro, nomine Rainario, vita & fama valdè religioso, cui seruiuit diebus plurimis fiducialiter, sed potius pro Christo familiariter: ab illo enim sumpsit maximè vitæ suæ initium, & subiit Christi tyrocinium & castitatis domicilium.

Sub eodem tempore venerandus Magister Humbertus, Lemouicæ sedis Canonicus, cuius iste erat familiaris scholasticus, fortè in illis partibus regebat studium, cui etiam aperuit sui animi desiderium, cuius admirans adolescentiam & animi constantiam, blandis sic alloquitur eloquiis: Fili carissime Gaucheri, si hoc residet in animo tuo, quod mihi confiteris verbo, sequere me in mea patria, quæ multum numerosa est, vt spero in Deum, qui semper confortat desiderium, inuenies aliquem loculum tuo animo aptum, in quo poteris Domino seruire, qui tibi porriget manum pietatis suæ.

Cùm autem iam esset ferè annorum decem & octo, & pertimesceret contaminari de his, quæ succrescunt humano generi, sequutus sui Magistri Humberti monita, sciens & ipse à Domino prædictum: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ideò Athleta Christi hac promissione suffultus loricam fidei indutus, patriam viduaturus, reliquit patrem & matrem, & pios parentes, & dulcem patriam, & sociato sibi Germundo venerabili viro, eius futuro Canonico, sed tunc temporis sui secreti ignaro, qui sequens Doctorem supradictum venit in partes Aquitaniæ. Cùm illo ergo Dei prouidentia venit in hanc prouinciam, & hospitatus est in S. Leonardi villa, cuius maximam miraculorum audiuerat famam. Pernoctauit nocte illa ante sepulcrum Beati viri, cuius conuersationem & vitam volebat imitari, flagitans ab eo humillimis precibus, vt apud Dominum obtineret sui desiderij effectum. Insurgente verò diluculo, cùm sacra Missarum solemnia celebrantur, accepta licentia à Beato viro cum compatriota suo cœptum iter tetendit, & circum circa gyrans nemora, ad locum, cui vocabulum Chauanacum, tandem Dei ductu peruenit, cuius aspiratione per tot & tanta means locorum spatia huc gressum diuertit, implens illud Prophetæ, *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Ibique, quamquam hominibus parum notus, Deo tamen non ignotus, cum suo socio per triennium commorans, eremiticam vitam duxit, quo in loco sacris contemplatiuisque cogitationibus semper intentus religionem religionisque professionem primus instituit. Hic clara & verâ oratione temporalia quæque momentanea & caduca monstrauit, neque in his quicquam optabile firmúmque consistere, maximæque temeritatis humanum arguebat genus, quòd hæc terrena tanta solertia, tantóque studio prosequeretur, toties fallaci & vacua spe frustratum atque delusum: Mundi huius aiebat fugiendas illecebras tanquam magna impedimenta virtutum. Demum infima hæc cælestibus comparata vilescere, & multis amaritudinibus inuoluta aiebat.

Hic nonnisi languores, labores assiduos & mortem instare, Deum verò contemplantibus spem bonam fore gaudium, quietem & sempiternam his superesse vitam. Sed non est nostræ facultatis retexere, quot & quantas famis, sitis, frigoris, vigiliis, aliisque assultibus dæmonis ibi Dei famulus Gaucherius pro Domino sustinuit passiones.

Per idem tempus dum ibi maneret & illic remanere haberet in cogitatu, quam sæpe quædam columba adueniens, quandoque super scapulas, quandóque super caput illius repausabat, & velut eùm objurgans, quòd in tali loco mansionem sibi parare disponeret, rostro caput illius acerrimis ictibus percutiebat, quam vir Dei abigens valdè secum admirans rem tacitus considerabat. Columba verò quasi minis illius perterrita aduolans tecti ipsius culmen conscendebat, huc illúcque stipulam, qua illud tuguriolum tegebatur, pedibus dispergens illò in loco, in quo Diuina prouidentia Monasterium eius nunc extat constructum, festucas apportabat, illicque reportabat, hoc indicio ostentans in quo loco cellam suam construere deberet, per quod Dei famulus cognoscens Diuinam non esse voluntatem ibi se vlterius manere (locus autem ille, in quo tunc temporis Athleta Christi manebat, eo tempore ad ius videbatur pertinere Monachorum Sancti Augustini & Sanctimonialium Sanctæ Mariæ de Regula) tam hos quàm illas diu multumque deprecans, vt sibi locum ad seruiendum Deo concederent in perpetuum, passus est repulsam: nullatenus enim petitioni eius adquiescere voluerunt, nisi quamdiu ipse viueret. Quibus ait: non mei solummodo causa sollicitus sum, sed potius pro illis qui post me futuri sunt. Et his dictis recessit ab eis. Quare illum deserens locum in aliud nemus, cui vetustas Saluatoris nomen indiderat, nunc autem Aurelium vocatur, vicesimo secundo ætatis suæ anno secessit. Quod nemus à priori loco quasi stadium vnum videtur distare; quo in nemore inter densitates arborum desiderio suo apto reperto loco, comperto quòd Sancti Stephani esset silua illa, adiit Lemouicæ sedis Canonicos postulans suum desiderium habere effectum: quem illi benignè suscipientes, & de sanctitate eius per Magistrum Humbertum, cuius intuitu ad istam deuenerat Prouinciam, edocti piæ petitioni eius prompto animo se spondent adesse fautores. Cognoscentes igitur quamplura Monasteria laudabili Religiosorum prouidentia multorum saluti profutura, libenter concesserunt Domino Gaucherio & suis tam præsentibus quàm futuris locum ad ædificandum Monasterium Regularium Canonicorum, vbi si quis suorum Canonicorum sæculum relinquere, & in Monasterio Aurelensi Deo seruire vellet, Regularem deinceps tramitem per omnia subiturus facta petitione sua suscipiendi aditum eis absque contradictione patere sibi retinuerunt. Verumtamen Aurelensis Cœnobij Priore iam defuncto eiusdem Cœnobij Canonicis secundùm Deum eligendi sibi Priorem, liberam concesserunt facultatem. Electum verò in Capitulum suum adduci voluerunt: quem suum Canonicum & fratrem constituentes Aurelensis Monasterij patrem & Priorem confirmarent, & vt ipse generali Capitulo obedientiam scripto promitteret. Confirmatus autem & in Choro loco suo positus, valedicens omnibus ad sua cum gaudio remearet, & deinceps nomen & locum Prioris obtineret. Addiderunt etiam quòd cùm ipse apud Lemouicas iret, dispensator eorum vni Canonico qui cum illo esset, sicut ipsi refectionem præberet; & alia multa constituerunt animabus fratrum vtriusque partis profutura, quæ in præhibata Ecclesia chartulari præcepto scripta seruantur. His omnibus concordans S. Pater Gaucherius sui voti compos effectus rediit festinus de ædificanda Ecclesia nomini Domini sollicitus.

Sub eodem itaque tempore multi audientes vitæ eius sanctitatem inter huius mundi procellas timentes animarum suarum incurrere periculum, conueniebant ad eum sæcularia deserentes, & exemplo eius prouocati soli Deo militare cupientes, inter quos venit quidam venerabilis memoriæ Stephanus nomine, vir miræ sanctitatis & abstinentiæ qui cum Beati Gaucherij austeritatem vitæ miratus imitaretur & mores, & innumeram ad illum confluere vtriusque sexus cerneret multitudinem, nouerat enim B. vir Gaucherius neutrum sexum à regno Dei exceptum, quare ex vtroque pariete virorum scilicet ac mulierum cælestem nitens ædificare Ierusalem, quantum iactus est lapidis à cella sua habitaculum fœminarum construxerat, tam viris quàm mulieribus suam paupertatem distribuens. Venit ad eum vir præfatus venerandus Stephanus sciens per mulierum affinitatem multoties humanas mentes fuisse decep-

Digitized by Google

tas, rogans Beatum virum in solitudine illa iuxta suam cellulam aliquod sibi præparari habitaculum. Cuius precibus pius Pater libenter annuens, quantum arcus bis potest mittere sagittam in loco, qui Muretum appellabatur, oratorium ei instanti opere construi præcepit. Vnde à loco illo cognominatus Stephanus de Mureto appellatus est, qui Pater extitit omnium Grandimontensium, institutórque Ordinis & à præscripto loco Mureto Grandimons suum habuit initium.

Cùm autem placeret summo prouisori Deo ad cælestes nuptias suum vocare sanctum, contigit eum ire ad Lemouicas propter quoddam negotium Ecclesiæ suæ: indéque reuertens, cùm esset octoginta annorum ætatis, post susceptam verò in Aureliaca silua curam pastoralem annorum ferme sexaginta nocturnis vigilijs fessus dormitando equitans & fatigatus senio, cùm vt credimus vellet eum Deus vitam finire per martyrij triumphum, vt duplici corona, Confessoris videlicet & Martyris eum remuneraret, ante pedes animalis, cui insederat, cecidit, lapidi in loco, vbi hoc contigit vsque hodie ostenso, capite collisó, quo in loco per intercessionem eius nonnulla (aliàs innumerabilia) præstantur febricitantibus beneficia sanitatum. Cùm igitur iaceret iam pæne exanimis & viribus corporis amissis se erigere non posset, clamor ingens attollitur seruum Dei Gaucherium illò in loco iacere semimortuum. Accurrentes qui viciniores erant, vehementi dolore & irâ permoti detulerunt eum secum ad quendam vicum, cui Testiacum seu Festiacum est vocabulum, & humanitatem multam circa eum exhibentes à Domino æternam remunerationem accipere sperantes pannũ quo quædam mulier ingenua caput suum velare consueuerat, quo vulnus sanctissimi viri deterserant, sibi pro reliquijs retinuerunt. Propter imminens periculum mortis, ne sine viatico transiret, communionem etiam ibidem accepit, quo cognito in Aurelia sylua Fratres qui aderant cum maximo ejulatu & fletu illuc vsque citato cursu properantes attulerunt illum crastina die ad Monasterium suum. Tertiâ verò die amisso vsu loquendi, consulunt qui circumstabant vt efferretur Crux Christi cum Corpore Domini, quibus allatis vexillum Dominicæ Crucis aspiciens Corpúsque Domini adesse præsens, gaudio repletus, loquendi facultatem recuperauit: & circunstantes filios suos cernens, vltra quàm credibile est, flentes, & exitum animæ eius expectantes, ait ad eos: Filioli mei nolite flere, sed potius gaudete, quia anima mea iam ergastulo carnis egressura libertati restituetur feliciter cum Christo in æternum.

Interea dum hæc agerentur Dominus Geraldus Lemouicæ sedis Episcopus comperto hominis Dei Gaucherij obitu, vna cum ingenti multitudine Lemouicensium intrauit Ecclesiam, in qua sanctum corpus in feretro iacebat: & facta oratione simul & absolutione, cùm ingens populi vtriusque sexus multitudo de crebris miraculis quæ ibidem fiebant, Deo gratias exultantibus animis ageret, tanti gaudij causam sollicitè perquirit. Oblatus est ei iuuenis sanitatem adeptus qui priùs fuerat claudus. Mulier etiam quædam quæ per multos annos clauda extiterat, vt eius feretrum tetigit, sanitati pristinæ restituta est. Hac comperta fama, cæcus quidam aduenies pro suffragio B. Gaucherij, lumen oculorum recepit. Sunt etiam ibi sanati multi febricitantes quos præ multitudine enumerare longum videtur.

Floruit autem hic sanctus vir Gaucherius anno Domini MCXXX. succedentibus verò temporibus ex diuina reuelatione canonizatus fuit, sanctorumque albo annotatus tempore Domini Cælestini Papæ, præsulante in sede Lemouicens. Domino Sebrando qui ex præcepto præfati Domini Papæ huius sancti ossa reuerenda in capsa reposuit. In cuius sanctireleuatione miracula eiusdem sancti viri suffragio quamplura perpetrata sunt. Agamus & nos gratias Deo, cui sanctum suum ita glorificare placuit; Rogantes Dominum, vt per semitam, quam nobis prius ostendit, eum nobis sequi concedat, qui viuit & regnat per infinita sæculorum sæcula. Amen.

De annis mortis ac Releuationis B. Gaucherij quatuor extant versus in veteri Codice eiusdem Prioratus Aurelienſis, qui seruatur in Archiuis Collegij nostri Lemouicensis.

De anno mortis B. Gaucherij Distichon:

Mille decem decies completis, bisque viginti
Annis, Gaucherus scandit ad astra poli.

De anno Releuationis eiusdem:

Anno milleno centeno cum nonageno
Quarto, clara virum meritorum summa reuelat.

TRANSITVS S. GENII, siue HYGINII Confessoris Christi.

Cuius corpus requiescit in Lactora ciuitate.

Descripsimus ex Apographo Sanctoralis SS. Bernardi Guidonis Episcopi Lodeuensis communicato à Reuerendissimo & Illustrissimo D. Episcopo Monspeliensi.

OBsecro vos omnes, qui hoc audituri vel lecturi estis vt obstruatur cor vestrum nullam blasphemiam habens, nullam læsionem contra me, quod vitam Beatissimi Genij exarare contendo quia quod oculis nostris vidimus, auribus audiuimus, vobis gesta scripsimus. Vnde credimus aliquam nos beatitudinem posse promereri. Vos autem major expectat gloria qui auditis & creditis Dominum implere in sanctis suis quæ hic scripta cognoscitis.

Hic autem B. Genius ex nobili familia & illustribus fuit parentibus procreatus & tota intentione puer satagebat quomodo ad Christianam Religionem pertingere potuisset: celabat propositum, celabat & sanctum desiderium. & sic se Domino à iuuentutis ætate castum exhibuit, vt sapientiam mundi huius stultitiam reputaret. Florebat inclusa visceribus eius perfecta charitas & numquam potuit in eum inimicus bellum aliquod excitare, quia ipse propter regna cœlorum non solùm à largioribus vel lautioribus ferculis euidenter se sequestrauit; verùm etiam ipse in corde nihil aliud agebat nisi orationem sanctitatis. Vera itaque pietas & benignitas, spes, fides, atque charitas eius resonabant in psalmis, hymnis & canticis. In tantum valuit namque ipsius deprecatio, vt cæleste alloquium audire meruisset. Etiam antequam conceptus esset, B. Celsum Presbyterum tertia admonitione certum est in somnis fuisse sollicitatum, quòd mater sua Beatissima Clara masculum esset conceptura, & quòd multa congregatio fidelium per ipsum pergeret ad regna cœlorum. Cùm verò esset iam ætate primæuus, sanctitate plenissimus, sub Maximo tyranno & Iouiniano coram palatio Arimiani & Asclepiadis in temporibus illis missi sunt Proconsules eorum ad regiones Galliarum, vt quoscumque Christianos inuenire potuissent aliquos interficerent, aliquos aspectibus exhiberent. Venientes autem Axium ciuitatem audientes opinionem S. Genij, quòd multos de idolorum cultura releuaret ad gratiam Spiritus S. miserunt milites numero quasi triginta qui eum ipsorum insolentiæ præsentarent. Audiens hoc B. Genius certus & securus de Dominica repromissione, pergit ad montem, vbi orationem fundere solebat. Hic enim erat locus iuxta diuersorium suum in suburbio Lactoræ ciuitatis, in quo die noctúque in oratione peruigilans postulabat à Domino, ne suam mentem in aliquo inimicus præualeret immutare, orans & dicens: Domine Deus spes & Magister ac consolator meus qui me docuisti orare, ecce oro te. Tu es enim mecum vsque in finem: Tu es, qui mihi ab infantia vitam seminasti & à corruptione me custodisti: Tu es qui me ab istius mundi paupertate eduxisti, & ad tuas diuitias venire voluisti. Quapropter Domine IESV-CHRISTE, assistat mihi consolatio tua, ne vnquam insultent mihi inimici mei qui quærunt animam meam velut aquam absorbere, quia mens mea minimè valet laudare te de tanto studio, quod in me exercuisti, nisi me tuis diuitijs repleas & ab omni auaritiæ sollicitudine liberes & animam serui tui de manibus inimicorum meorum eripias. Ecce igitur tuum opus perficiam & præcepta tua seruabo. Propterea non sterilis fiat oratio mea & diabolus non rapiat tritici semen ex me tua optima terra, in qua neque spinæ, neque zizania vmquam appareant. Cúmque orationem fudisset, subito locus ille contremuit & vox de nubibus cœli locuta est ad eum dicens: *Euge, euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: viriliter age & confortetur cor tuum*, intrabis enim gaudium cum his qui cum mulieribus non sunt polluti: multi enim vasa electionis per te mihi dedicabuntur. Et cum hoc dixisset, gaudio magno gauisus est, & Spiritu Sancto repletus surrexit ab oratione armans frontem signo fidei, pectúsque confirmans. Videntes ergo eum milites à longè venientes quasi ad stadia quindecim, statim fluuius, qui locum illum præterfluit, vt dictum sit quasi incredibile, impetu inenarrabilium vndarum eructauit sursum, ita vt nullus

per eum transitum facere potuisset. Videntes autem milites quod ex iussu Dei alueus ipse inundaret, timor & tremor inuasit eos quasi ad mortem, & prostrauerunt facies suas coram Domino cœlorum vtique, & dixerunt: O magnum mysterium, quod vidimus! Verè magnus est Deus Christianorum! si Deus eorum esset vt Deus noster, in quo nos iniqui, vt digna recolimus lapides & ligna, surda & muta, hominum manu facta, numquam faceret talia. Derelinquamus igitur hæc omnia & adoremus Dominum viuum qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, quia verè magnus est Deus Christianorum qui sic protegit sperantes in se & non derelinquit omnes seruos suos, sed in angustijs & pressuris est præsidium præstans. Steterunt autem in eodem loco quasi biduo: tertio denique die gaudio pleni & spiritu veritatis accensi perueniunt ad B. Genium prostrati in terra ante pedes eius. Cúmque oscularentur vestigia eius, deprecabantur eum dicentes: Benedicat nos Deus tuus, & benedic nos benedictione tua pater & auctor nominis Dei. Et scias quia impissimus Præses misit nos ad persequendum te. Sed ex diuino præcepto cognouimus quòd magnus est Deus tuus. Precamur itaque Domine vt nostri misereri digneris, vt imitatores tui esse mereamur, & sequipedes tui efficiamur. Statimque B. Genius figens genua & sursum eleuatis oculis in cœlum dixit: Domine IESV-CHRISTE gratias ago tibi, quia dignatus es mirabilia tua seruis tuis ostendere, quos tibi acquisiuisti, & ideo Domine efficiantur vasa munda, in quibus habitet spiritus tuus sanctus, & da eis Domine, quod in nomine tuo petunt, vt celeriter exequi mereantur. Adhuc etiam & alia plurima quæ sequuntur his qui secum erant dicebat: Credite in Deum viuum, quem prædico, credite in IESVM-CHRISTVM, quem ego annuntio. Credite in Saluatorem qui seruorum suorum adjutor extitit, Credite in Redemptorem qui mercedem retribuit laborantibus. Credite ipsis qui eum diligunt. Ipse cultura mea & flos est animæ meæ, quoniam prope est tempus, vt eum recipiam. Cùm enim sit pulcherrimus ipse & speciosus Dominus procurat nos semper dicere de se aliquid, qui tamen qualis sit neque capere possumus, neque homo enarrare potest, sed ipse obscuritatis meæ est completio & mearum diminutionum, & nutritor meæ indigentiæ, & est mecum vsquequo descendam ad eum & amplectar illum. Et cùm orasset & eos docuisset qui Christo se credere asserebant, peruenit vnà cum eis ad portam ciuitatis & abierunt ad venerabilem Presbyterum nomine Celsum prouoluti eius pedibus & rogantes vt eis baptismi gratiam ministraret. At ille cathechisauit eos, baptizauit eos & in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, & steterunt apud ipsos quasi diebus decem. Post hos autem dies redeuntes ad Præsidem cuius cor malitia excæcatum erat, & ipse sperans, vt gaudium sibi annuntiarent, cùm peruenissent ad eum, dixit eis: Quid tardati estis? Numquid aurum & argentum accepistis, aut aliqua maleficia vobis prævaluerunt? Cui illi dixerunt: Auro vel argento splendidior est gratia Christi. Cognouimus enim quia omne genus hominum, quod in tali errore consistit, in quo vos vsque adhuc mansistis, perpetua damnatione ferietur. Tunc ingemiscens Præses dixit: Ergo inuictissimi Principes, per quos mundus floret, damnantur? Dixitque vnus de pusillis: Non per ipsos floret mundus, sed tene bresci. Exagitans autem caput Præses dixit: Doleo super vos, pueruli. Dicunt illi: non est tibi necesse super nos dolere, sed super te multum est dolendum, si non credideris in Dominum nostrum IESVM-CHRISTVM. At ille dixit eis: Per salutem & cerimonias Deorum aut sacrificabitis Dijs immortalibus secundùm decreta Principum, aut vos puniri iubeo. Illi autem dixerunt: sicut non valet mouere serpentem qui carmina nescit, ita nec nos vllomodo potes separare ab amore Christi. Eadem verò hora iussit eos extra portam ciuitatis decollari: vocatúrque nomen loci illius, cruor Innocentum, vsque in hodiernum diem. Erat autem multitudo Christianorum in loco illo, qui corpora de spiculatoribus redimentes sepelierunt.

B. verò Genius in die quâ hoc contigit, passionem eorum solemniter celebrauit. Iterum misit Præses alios plures milites qui Sanctum Genium variis tormentis interficerent. Ille verò, cuius spiritum nihil latebat præsentiens pergit ad montem, vbi orationem iugiter fundebat & prostrauit genua sua coram Domino, & dixit. Domine, gaudeant & epulentur omnes qui sperant in te, quos tu acquisiuisti. Peto vt oculi mei ad te respiciant, & cor meum exultet in salutari tuo, quoniam voluntatem tuam volui & compleui, & præcepta tua ex integrò seruaui, respice ad seruum tuum timen-

tem te, ne pereat ſtudium tuum quod in me hucuſque operatus es. Peto iterum, ô Domine, vt quos pro nomine tuo paſſioni tradidi, ante ſedem majeſtatis tuæ eos videre merear, & ibi eis reddere mercedem. Precor etiam, Domine, reſpice ad puerum tuum ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & recipe animam famuli tui in pace. Cúmque orationem fudiſſet intentis oculis in cælum reſpexit, & ſcuto fidei armans frontem, vidit coronas, quæ ei & ſocijs ſuis parabantur diuerſis margaritis coruſcantes, & multitudinem candidatorum circa eos præconantes & dicentes: Deputentur in numero iuſtorum & ſcribantur in libro viuentium qui vicerunt antiquum ſerpentem, & qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Et ſtatim vt flexit genua, emiſit ſpiritum. Actúſque eſt ipſius tranſitus quinto nonas Maij. Erat autem in monte tunc corpus eius venerabile omnibus: ſed prope radicem montis eſt Baſilica quam ipſe conſtruxit, vbi etiam matrem ſuam ſepulturæ tradiderat, ibique tumulum iuxta ſtatum menſuræ conſtabiliuit Epiſcopus ciuitatis ipſius Heuterius nomine, cum quo & Sacerdotes & cæteri miniſtri & multitudo Chriſtianorum eum deuotè ſepelierunt. Milites autem ipſius tyranni videre eum non fuerunt digni, ſed erubeſcentes & confuſi reuerſi ſunt cùm eſſet ipſe ſepultus. Tantus autem odor ſuauitatis ibidem de corpore eius flagrauit, qualis nec antea, nec poſt eſt futurus. Ipſa autem die duo cæci, qui per annos decem cæci fuerant, lumen receperunt ibidem, & multi detenti diuerſis languoribus ſani effecti ſunt. Poſt parui verò temporis ſpacia orta eſt fames in tota regione Galliarum, & ecce quædam viduæ pauperculæ egredientes portam ciuitatis quærentes herbas quaſcumque inuenire potuiſſent, hoſpitium in Baſilicâ S. Genij habuerunt. In qua vtique nocte lumen magnum & odor liliorum & roſarum Baſilicam ipſam circumfulſit. Cùm autem ad lucem peruenirent & inuenerunt prope ſepulchrum Sancti Genij duos panes miræ magnitudinis & ſtatim abierunt & ſuſtulerunt illos. O quantus qualiſque in vita ſua fuit, vt multos eſurientes ſatiaret bonis ſuis! Nam & volucres cœli, dum viueret, aliquæ ſaturandæ ad manum eius veniebant, aliquæ ſaturatæ recedebant. Denique loci illius incolæ patrocinia eius ibi venerati feliciter debent quia multa virtute ad exemplum credentium, tantúmque apud Dominum meruit obtinere honorem, vt ex illa die repleret Dominus regionem illam omnibus fructibus bonis vſque in hodiernum diem, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

VITA BEATI ISRAELIS CANONICI Doratenſis in Marchia.

Accepimus miſſam Pariſios ab amico noſtro V. C Petro Roberto Marchianorum apud Doratenſes Iudice primario.

FVit B. Iſraël Lemouicenſis territorij oriundus in Comitatu Marchiæ natus & educatus in loco à Scotorenſi Eccleſia non multùm remoto. Parentes verò illius etſi dignitate militiæ clari fuerunt, moribus tamen & fide facti clariores ſancti Euangelij non ſurdi auditores extiterunt. Qui ex præcepto Dominico nuptias non reſpuentes melius eſſe nubere quàm vri Apoſtolo teſtante intelligentes, hunc talem ac tantum filium gignere meruerunt. Quem qui de ſacri baptiſmatis lauacro ſuſceperunt, non vulgari vocabulo, ſed diuino auſpicio Iſraëlem nuncupauerunt, quod non abſque Dei nutu geſtum eſſe creditur, vt tali nomine præfulgeret, qui per fidem & operationem, vir videns Deum, futurus eſſet. Tranſacto autem non multo tempore iidem parentes hunc puerum Domino vouerunt & vt literarum diſciplinis erudiretur doctoribus mancipauerunt.

His itaque puer bonæ indolis & moribus eximiis cùm à Magiſtris doceretur, vt bona terra doctrinæ ſemina non difficulter retinebat, quæ multiplicata ſpargeret poſtea. Paruulo enim data fuit de ſupernis aſtutia & adoleſcenti intellectus & ſcientia qui cùm augmentaretur ætate, augebatur ſapientia, adeò vt illi non deeſſet vtraque ſcientia literalis ſcilicet & ſæcularis. Nec longa fuit temporis percunctatio quin ſuper omnes Lemouicenſes electos haberetur prudens & aſtutus, ita ſcilicet quòd in tota illa patria non reperiretur ei ſecundus. Cuius audita & cognita ſapientia

Digitized by Google

Aldoinus Episcopus Lemouicorum vir nobilis, nec minus moribus, quàm genere illustris, Deo plebique acceptus & omni Clero subiecto benevolus intantum Israëlem doctissimum per se suósque commonuit, sibique magistrum associauit: nec immeritò, facundo siquidem erat alloquio, prouidus multum consilio quem cùm videret Episcopus magis magisque clarescere ad Ecclesiastica officia credens illum fore dignum & idoneum per singulos gradus ad Sacerdotale officium sublimauit. In quo officio quàm piè, quàm iustè vixerit non est facultatis humanæ. Quibus virtutibus & aliis quam pluribus, non solùm ab Episcopo est dilectus, verum etiam ab eodem dispositus est Capellanus, vt si cum negotium sæculare à Diuinis officiis quandoque retraheret, venerabilis Israël vicem Episcopi in agendis Diuinis mysterijs suppleret.

Sub eodem ferè tempore Doratensis Ecclesia suo orbata Cantore, Dominum Israëlem subrogauit Præcentorem volens habere consiliarium & tutorem quem dudum nutriuerat Canonicum familiarem. Qua dignitate susceptà non intumuit, sed inter subiectos quasi vnus ex ipsis extitit: superbiam deuitabat, humilitatem sectabatur, auaritiam execrabatur & largitatem amplectebatur. Quod in refectorio sibi ministrabatur cum cæteris fratribus constituens pauperibus & ægrotantibus viris & mulieribus indesinenter largiebatur. Nocturnali cum summa deuotione celebrato officio non immemor Domini iubentis: *Nesciat sinistra tua quod facit dextera tua*, ipse accepto itinere solus de nocte visitabat ægrotantes per plateas & speluncas villæ passim commorantes & infra Monasterij atria latitantes non diffidens quem sub vili forma pauperum cœli terræque visitaret Dominum.

Deus pater qui quos diligit corripit, eo tempore mole criminum exigente grauiter flagellari populum suum permiserat. Laborabat enim vterque sexus Diuino igne correptus. Igitur hac de causa ex longinquis regionibus innumera turba ardentium ad Scotorensem Ecclesiam confluxerat S. Petri Apostolorum Principis auxilium petens & consilium: nec frustra, sanabat reuera multos ibidem Dominus suffragantibus almi Petri precibus ad honorem & augmentum Doratensis Ecclesiæ. Diuulgata circumquaque Sancti Israëlis sapientia & sanctitate multi veniebant ad eum quorum alij inunimme suarum precum fulcrebantur, alij verò intercessione eius sanitate sibi restituta incolumes reuertebantur ad propria. Quo viso, vir Dei sæpe latere voluit si posset, ne fauor Mundi gloriam cœli tolleret: sed non potest abscondi ciuitas super montem posita, neque supra candelabrum lucerna.

Huius sanctissimi viri discipulus extitit Sanctus Guuterius vir pietatis & misericordiæ operibus redundans: qui cùm Doratensis Ecclesiæ esset Canonicus, Stirpensis Abbas à Deo est institutus.

Tandem conditor vniuersæ creaturæ post bonam senectutem & assiduam in Dei seruitio corporis macerationem volens S. Israëlem suum & emeritum militem pro bene peracta mundi militia quiescere, solutum vinculis corporis de labore ad quietem, de tenebris ad lucem, de exilio ad hæreditatem felicem S. Israëlis animam vndecimo Kalendas Ianuarij anno Domini millesimo decimo-quarto transtulit & ad desiderata polorum gaudia vsque perduxit. Reddita sic anima Paradiso, corpus honorificè commendatum est tumulo, cuius tumulationi Geraldus Lemouicensium Episcopus interfuit & obsequium præstitit persoluens Deo Patri pro requie sui famuli Missarum solemnia, ad cuius sepulchrum statim celeberrima visa fuerunt miracula ad laudem & gloriam Dei Patris, cuius regnum & imperium permanens non deficiet in æternum.

PASSIO SANCTI IVLIANI MARTYRIS
Briuatensis in Aruernia.

De quo permulta varijs in locis S. Gregorius Turonensis.

Ex Codice nostro, qui fuit aliàs S Vincentij Metensis, alijque, ex quibus & Bernardus Guidonis in Sanctorali, &c.

SVblimem atque venerabilem passionem Aruernæ vrbis patroni B. Iuliani Martyris, quem patronum plebs hæc sibi venisse gaudet, scribimus. Non ille Marty-

rium fugiens in hanc vrbem aduenit, ſed Chriſtus pro delictis noſtris eum interceſſorem tribuit, vt vrbs vel plebs hæc tanta Martyris tutelâ muniretur. Quoniam necdum paſſionem eius intercepit obliuio, vel nunc oportet eandem fidelibus ſcriptis in tempora ſequutura tranſmitti, quoniam in vniuerſo orbe illuſtriſſimum eſt Martyres venerari, conuenit & huic plebeculæ Iulianum Martyrem interceſſorémque ſuum vel ſuffragatorem præferre.

Igitur in illo tempore in Viennenſi vrbe accidit perſecutio Chriſtianis ſub Criſpino quodam Præſide. Sanctus autem Ferreolus & ipſe à Domino Martyr probatus tunc in ſupradicta vrbe Tribunitiam regebat potentiam. Sic tamen regebat militiæ officium vt ſacræ religionis impleret propoſitum. Beatum autem Iulianum, quia eſſet fideliſſimus Chriſtianus in ſuo ſolario detinebat. Cúmque Sanctus Ferreolus comperiſſet de Chriſtianorum perſecutione ait ad Sanctum Iulianum: Cognoui perſecutionem Chriſtianorum ad hanc vrbem eſſe venturam, & ideò obſecro vt te ab iſto loco amoueas, quouſque deſinat perſecutio Chriſtianis. Vbi hanc relationem audiuit B. Iulianus in territorio Atuernæ vrbis ſe contulit; ingreſſúſque eſt tugurium cuiuſdam veteranæ, & ab ea ſe occultari deprecatus eſt. Quod hoſpitium non longè aberat, vbi tunc à Gentilibus vana ſimulacra celebrabantur. Ad huius autem latebram perſecutores protinus affuerunt, mulierem ſciſcitantes, vbinam eſſet ille qui ante paululum in ſuo hoſpitio confugiſſet. Illáque negante, ſanctus vir nolens ſibi coronam fraudari, perſecutoribus ſe vltro offerens ait: Hic eſt quem quæritis, facite quod vobis à Principibus veſtris præceptum eſt. Cúmque aliquantulum incubuiſſet orationi, ceruices ſuas perſecutoribus obtulit. At illi nihil morati extracto gladio caput eius amputantes, atque ad exemplum cæterorum, qui in Viennenſi ciuitate commorabantur, caput S. Martyris recidentes ſecum detulerunt. Sicque ille ſacri ſanguinis ſui vndâ perfuſus eſt.

Illis autem temporibus à Gentilibus vana ſuperſtitio in his locis celebrabatur. Duo ſenes tamen compuncti Diuina virtute corpus Sancti de loco, vbi decollatus eſt, ad vicum, cui Briuate nomen eſt, tranſtulerunt, quod venerabiliter ſepulturę tradiderunt. Vnde redeuntes pro beneficio ſepulturæ ſenſerunt eam ſe à Deo, quam in iuuentute habuerant, priſtinam recepiſſe virtutem. In illis diebus quidam diues opibus in Hiſpania Imperatori cuidam Treueris ciuitatis culpabilis extitit. Quem accerſitum & carceri mancipatum pro ſuo crimine iuſſit pòſt comperendinatis diebus capitalem ſubire ſententiam. Cùm hæc comperiſſet vxor eius anxia atque mœſta ad cadauer mariti ſui colligendum celeriter properabat. Cúmque præfatum vicum matrona ipſa præteriret; prædicti ſenes quò tenderet, vel quare tam triſtis eſſet, diligentiùs inquirebant. At illa neceſſitatem vel cauſam expoſuit eis. Tunc dixerunt ſenes matri-familias: Ante paululum decollatus eſt à perſecutoribus quidam Chriſtianus, cuius corpus cum ſumno honore ſepelientes, indéque redeuntes, eam quam in iuuentute habuimus ſenſimus nos priſtinam recepiſſe virtutem. Cum hæc audiſſet fideliſſima mulier ſtatim ad ſepulchrum Sancti Martyris incubuit, ac ſpopondit, vt ſi virum ſuum videret incolumem, & ad domum ſuam ſuperſtites in illius honore cellulam ſuper ſepulcrum Sancti Martyris ædificarent. Cúmque diutiſſimè oraſſet, proficiſcens via, qua pergebat, venit ad ciuitatem. Ingreſſáque illam vidit virum ſuum Regis indulgentia ſolutum, & non ſolùm abſolutionem meruit, verumetiam honorem recepit. Quibus remeantibus ad beati viri Iuliani ſepulcrum vota implentes cellulam ſicut promiſerant conſtruxerunt, & deinceps per vniuerſos vitæ ipſorum annos ingentia munera pro tanto beneficio reportantes ad venerabile ipſius ſepulcrum deferebant.

Poſtea verò opinio B. Martyris vel fama vbique declarata omni populo concelebranda innotuit, nunc verò huic talis teſtis adſiſtit, vt huius tanti Martyris patrocinium non recedat. Inde per multa tempora à fideliſſimis Chriſtianis ædificata eſt Baſilica in honore illius, quæ celſum protulit ædificata faſtigium, & fulget non vno muneris ſui ornata priuilegio peculiaris patroni noſtri referta virtutibus. Nec ſilebo miraculum quod Dominus ad laudem nominis ſui facit, vt in die Natalis illius multa Diuina beneficia orationibus vel interceſſionibus peculiaris patroni noſtri Iuliani Martyris operetur. Nam dæmones effugantur & omnes infirmi ſaluantur: & eſt laus Domini cum omni pace, & benedicitur ibi Chriſtus Deus Dei filius, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

VITA

VITA SANCTI IVNIANI CONFESSORIS.

Auctore Vvlfino Episcopo.

Nunc primum edita ex Apographo R. P. Iacobi Sirmundi Societ. IESV Theologi, quod contulimus cum veteribus probæ notæ membranis quæ penes nos sunt.

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS.

Incipit Prologus Boëtij Wlfini Episcopi ad Godolenum Abbatem de vita Beatissimi Iuniani Confessoris & Sacerdotis.

IN scribendis inlustrium virorum præclarissimis gestis & nobilissimis triumphis, vt in futuro inuiolabiliter sciri possint, nec vlla temporum diuturnitate aboleri, illi maximè stylum adhibuerunt, quibus & facundia sermonis, & nitor eloquentiæ, sensúsque plenitudo exuberabat. Maximè hi qui liberalibus artibus adprime eruditi, & Rhetoricæ facundiæ & Dialecticæ dispositionis congruentissima connexione pollebant. Quibus non solũ artis peritia & argumentorũ ingenia in quibus ab ipsis cunabulis nutriti fuerunt suppeditabat, verum etiã genuini sanguinis prosapia & origo Romanæ gentis in Latina lingua acerrimos in explicando quæ vellent reddebat. At vero ego homo ab stirpe Romana penitus alienus & Geticæ Sarmatum gentis originem trahens quibus magis barbara initio sermonis garrulitas extitit quã Latinæ eloquentiæ notitia, quamuis ab ipsis infantiæ rudimentis inter Grammaticos, Rhetoricósque non minime nutritus fuerim, sed ingenii tarditas & naturalis quemadmodũ segnities nequaquã eloquentẽ creauit. Vnde penitus abnuerã scribere aliquid quod in posterum legentibus ridiculũ foret. Sed quia tua me sanctitas, reuerentissime Abba Godolene cogit, vt tibi insignia miraculorũ gesta tanti viri qua possim oratione scriptitando explicẽ, & ordinabiliter narrando quæ gesta sunt eloquar, valde hinc inde angor, veritus si scribere recusauero, ne forte inobedientię reus iudicer, si imperiis tuis paruero legentibus quibusq; detractionibus pateã: Maximè his qui magis aliorũ reprehendere quàm sua proferre, & malint liuore detrahere, quàm simplici mente condiscere. Quamobrẽ elegi tuæ sanctitatis reuerentia fretus, & oratione detrahentium patere insidiis, quã per inobedientiã tuis contraire imperiis. Aderit enim ille qui ait, Aperi os tuum & ego implebo illud. Qua de re obsecro lectorẽ ne mentis acumen obnubilet inerudita sermonis rusticitas, cum mentis esuriem tanti viri sanctitas internę dulcedinis refectionẽ præstet, nec fastidium incomposita oratio generet, cum miraculorum eius insignia facta veraciter relata adhibere possint æternæ beatitudinis pascua. Nam cum ante mentis nostræ oculos sanctorum & virorum inlustrium præclarissimos & antiqui hostis triumphos adhibemus, & terreni actus & carnis inlecebræ fatescunt, & animus in superna inardescit. Nam quid aliud sancti viri in hoc sæculo fuerunt, nisi spectacula futurorum & speculũ mentis: secundùm Apostolum, spectaculum facti sumus Angelis & hominibus. Quod tale spectaculum vnquã Reges terræ reperire potuerunt, in quibus vanissimos dies suos consumpserunt, quale Martyrũ victoria & Virginum inuiolata corona. Quibus spectaculis mens à desiderio terreno fit aliena, in amorem Dei feruentissima, in capessendã felicitatem sagacissima, quod tale spectaculum, quale sanctorum Patrum vita, in quo non vestium sordes absterguntur & crinium impexa deformitas corrigitur, sed mentis vitia fugantur, virtutes adhibentur, sponso suo Christo sine macula cohæretur, vt fiat mens absq; ruga & macula, casta & mentis intuitu & corporis integritate, vt digna fiat amplexibus sponsi introducenda in cœlestibus thalamis Angelorum choris hinc inde suffulta. Quod ipse præstare dignetur, cuius regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIT VITA EIVSDEM.

Beatissimi & virtutum miraculis præclarissimi viri IVNIANI Monachi vitam pariterque insignia gesta scripturus valde me imparem ad illius insignia facta referenda iudico. Quamobrẽ vestræ sanctitatis orationibus posco adiuuari omni mentis adnisu confidens in supernæ maiestatis auxilio, vt ille qui mutorum linguas fecit disertas, & ex ore infantium & lactentium perfecit sibi laudem, qui etiam brutorũ animalium linguas coe-

git humanas proferre loquelas, adspirabit cæptis nostris & calamũ ipse tẽperabit, quatenus athletæ sui certamina dignis valeam sermonibus explicare, vt & illius sublimia facta ad multorũ perueniant notitiam, & proficiant salubriter ad medelam. Vnde illam individuã Trinitatem qui est Deus vnus, trinus in personis, vnus in substantia, cui est summa potestas, æternitas sine fine, gloria sine initio, nullius temporis excursu initium sumens, nullum habens finem, suppliciter adesse posco. Cui hic Sacerdos venerabilis toto cordis desiderio hæsit, nullis aduersitatibus cedens, nullis prosperitatibus sui moderaminis vitam excedens, in prosperis humilis, in aduersis spe constantissimus. Cuius habitatio ab omnibus remota semper solitariam diligens vitam, vt certius mentis oculum inreuerberata acie ad solem iustitiæ figeret. Cibus ei perexiguus corporis; potus naturalis aquæ liquor, vestis vilissima, coma intonsa, & maximè impexa squalebat, balnea corpori vix in anno semel adhibebantur. Ita se in omnibus agebat, vt si quis eum cerneret, statim veluti baptistam Ioannem ante oculos mentis haberet, quem Dominus Saluator noster de vestium vilitate laudauit, & de ciborum parcitate omnibus extulit. Nam sicut ille Domini testimonio non erat arundo vento agitata, ita hic nullis aduersitatibus frangebatur, nec prosperitatibus eleuabatur, nec laude suauior, nec vituperatione asperior reddebatur: secretorũ nemorum opacitatem diligens crebro nullo cõmitante socio solitarius gradiebatur. Decimans sæcularium hominum conuentus, & tumultuantium procellas populorum, cælestis iam habitator effectus: & incola adhuc terrenus artubus prægrauatus. Nam etsi corpore terræ hærebat, mens in supernis Angelorum ciuis effecta suaui modulatione interno cordis affectu semper meditabatur. Adhæsit anima mea post te, me autem suscepit dextera tua. Igitur natiuitatis eius exortus extitit in pago Pictauiensi in sibi subiecto territorio, nuncupante Brioffio, in prædio quodam vocabulo, Campaniaco nobilissimis ex progenitoribus originis prosapiam ducens qui nobiliter ab iisdem parentibus educatus, & litteris instructus, quas ille adhuc puer omni mentis conatu cum magno desiderii feruore didicit, & in vẽtre memoriæ condidit. Cùm verò à pueritia in adolescẽtiam feliciter transisset, comam ob cultum religionis deposuit, dans operam in discendo, & diuinarum scripturam notitiam incapessendam. Quam tam efficaciter lade prus est, vt omnibus patescceret à Deo sibi conlatam tanti muneris gratiã. Et cum esset adolescens nihil puerile aliquando gessit, nihil quod reprehensioni pateret. Honestum habens vultũ, omnibus gratiosus; de ore eius dulcia semper profluebant eloquia. Pascebat mentem spiritalibus litterarum sensibus magis quàm escarum apparatu. Cœpit adhuc adolescens tentare Anachoretarum vestigia. Nam sæpe segregatus à coæuis suis solus meditabatur in lege nostra, & quasi furtiuas orationes, & psalmorum modulationes remotus exercebat, numquam otiosus. Aut enim Domino preces fundebat, aut lectioni operã dabat, aut psalmodiis indesinenter instabat, tecolens illud Apostolicum, qui non laborat, nec manducet, sed & illud Psalmistæ, labores manuum tuarũ quia manducabis, beatus es & bene tibi erit: & quod ait Apostolus: otiositas & insolentia semper inimica sunt animæ. Legebat frequenter Canonicas & Apostolicas scripturas, etiam sanctorum Patrum vitas, & Martyrum victorias, & coronas Virginum. Quorum exemplis mentem semper armabat, & ea agere tentabat, quæ viri sanctissimi & fortissimi victoriosissimè & præclarissimè egerũt. Cùm verò post aliquod temporis excursum ab adolescentiæ ætate ad iuuenilem transiret vigorem, solitariam Anachoretarum arripuit vitam. Nec visum est illi satis esse quod solitarius deserti incola fieret, verum etiam in arctissimo propriis manibus constructo locello semetipsum veluti reum in ergastulo reclusit, ne oculis aliqua delectabilia cerneret, quæ mentis oculum à visione diuinæ maiestatis auerterent. Hîc modico terræ cælique spatio fruens, vt in cælestibus latitudinem totius beatitudinis possideret. Cum hæc ita agerentur, processu temporis B. Radegundis nobilissima & Orthodoxi gloriossimi viri Chlotarij coniux ex partibus Germaniæ transiens Ligeris fluuium Aquitaniæ telluris accola esse cœpit. Cuius tanta meritorum prærogatiua extitit, vt toto orbe clarior haberetur, & in pago Pictauiensium in vltimis quemadmodum terræ finibus posita vsque in Orientem eius præclarissimæ sanctitatis lumen resplenderet. Temporibus iam prædicti principis & glorioſissimi Chlotarii Regis, cum propter eius præclarissimæ virtutis triumphos & animi prudentissimi dispositionem regnum eius vndique diffunderetur, & plurimę nationes dominatui illius colla subijcerent, inter ceteras famosissimas & ferocissimas nationes Toringorum valde nobilissimam gentem sui imperij ditionibus fecit esse subiectam. Nam cum contra eam arma corriperet, & viriliter dimicaret, adeptus est ex illa præclarissimos triumphos. Et cum in prædam gentis illius populi caderent, hæc sanctissima puella Regis neptis Brittharij filia capta est. Quæ cum con-

Digitized by Google

ſpectibus excellentiſſimi Regis obiata eſſet, ſtatim cohæſit animo eius. Erat quippe elegantiſſima ſpecioſa nimis & venuſta aſpectu, labus gratioſa. Hæc puerilem adhuc habens ætatem, quã inuictiſſimus Rex nobiliter nutrire iuſſit & litteris inſtruere. Quas illa ſagaciſſimè didicit, & ſtrenuè operibus exercuit. At vbi ventum eſt ad puellares annos, & fieret ætate nubilis, & apta nubendi complexibus Regis ſociata eſt & nuptiali obſequio peracto cariſſima coniux effecta eſt. Quam tanto amore dilexit, vt nihil præter illam ſe habere aliquoties fateretur. Sed illa beatiſſima quamuis regali faſtigio ſublimata, & tanti culminis Regiæ dignitatis gloriam adepta, omnia pro nihilo ducebat, ſemper in ſui pectoris antro Chriſtum meditabatur, illi ſe ſemper ſpiritualibus amplexibus ſociabat, nocturnis horis denudata veſtigia baſilicam quotidie perluſtrabat, matutina ſeſe agens pauperum curam gerebat. Surgens à latere Regis frequenter de cõuiuio, cum pauperibus cibum & potum ſumebat, Monachorum nutrix, ſeruorum Dei amatrix. In tantum enim ſe de virtute in virtutem agebat, vt Rex iocaretur non ſe reginam coniugem, ſed Monacham habere. Quæ ſanctiſſima non multo poſt tempore relicto regali toro, tota ſe Deo mente & corpore conſecrauit, velaminis ſacri cultum arripuit, Aquitaniæ profuga venit, & ob amorem tanti viri HILARII Pictauienſis quondam Pontificis, vt eius meritis & doctrina proficeret, incolandum Pictauis elegit. Vbi poſtea iubente & permittente inuictiſſimo Rege CHLOTARIO, Monaſterium condidit, & ſub regula B. Cæſarij Pontificis Arelatenſis vitam ducens ſecũ plurimas Deo ſacratas habuit, & clementiſſimè inſtruxit, & ad cæleſtia perduxit. Eo tempore B. IVNIANVS clauſus in loco nuncupante COLONIACO vitam ducebat. Cui hęc ſanctiſſima tanta familiaritate cohæſit propter eius ſanctitatẽ, vt nullum ſibi tam ſocium, tamq; familiarem crederet. Et quãuis corpore aliquo terræ ſpatio eſſent ſeiuncti: ſed mente interno cordis affectu ſemper coniuncti manebant. Interea creſcente religionis cultu cum plurimi frequentarent locum, in quo idem beatiſſimus vir retruſus ſpeculatiuam ducebat vitam, compulerunt eum exinde egredi, vt qui ſibi ſoli proficiebat, fieret plurimis ad ſalutem qui tam precibus quàm etiam exhortationibus ad ſenſum præbens, qui ante ſolitariam degebat vitam, cæpit eſſe plurimorum pater ſocians ſibi Monachos, quibus & doctrina & exemplo ducatũ ad cęleſtia regna præberet. Habens ſecum religioſiſſimos & Monaſtici ordinis præclariſſimos viros, vt pote qui cum tali ac tanto viro degebant. Factum eſt poſt aliquantulũ temporis, vt cogentibus fratribus Sacerdotalem ſuſciperet gradum, & qui pater erat Monachorum, fieret auctoritate & tanti miniſterij præclariſſimus doctor. Adeptus tantæ dignitatis officiũ, mactabat quotidie in cordis ara digniſſimũ Deo ſacrificium, & priuſquã foris hoſtias offerret viſibiles, interius ſemetipsũ offerebat hoſtiã viuam, ſanctã Deo placentẽ, rationabile obſequium. Fletibus lacrymando quemadmodũ ſe baptizabat, & ſic Deo hoſtias offerebat. Proficiebat quotidie de virtute in virtutẽ, vt videret Deum Deorum in Sion, quæ retro ſunt obliuiſcens, in anteriora ſe extendens penetrabat viſione cæleſtiũ arcana ſecretorũ. Quem ſanctiſſima RADEGVNDIS lanificiis ſuis fouebat, nec enim vt aiunt aliud tegminis habuit, niſi quod ab illa conficiebatur. Nam veſtis eius cilicina de caprarum pilis, quę in modum caracallę, quam nunc cappã vocamus, perſeuerat vſque in hodie apud nos eſt, quæ ita inlæſa perſeuerat, vt nihil vetuſtatis redolet candido colore perfuſa, ſed & illa ſanctiſſima catenam ferri ab illo ſanctiſſimo viro accepit, quam ſuper nuda corporis ſui induens vſque ad exitum mortis geſtauit, quæ catena propter illius ſanctitatem vſque hodie valde honorabilis habetur: cúmque multarum virtutũ miraculis iam præclarus haberetur, cœpit creſcere Monachorum numerus, quod cum ſibi locum proximum cerneret, vbi prius initium ſuæ religionis adſumpſerat, tranſiuit in agro nuncupante CASTO LOCO. Cúmque ibidem conaretur conſtruere cellulã, vbi Deo laudis hoſtias immolaret, & antelucanos conuentus celebraret, accidit eo tẽpore iam ſupradicto glorioſiſ. Rege Chlotario Aquitanicas partes ingredi. Cúmq; veniſſet in Regis prædiũ nuncupante GAVARCIACO, diffamatus vir ille apud Regẽ à ſeruis loci illius, dicentes quod de illius prædio & territorio fiſci aliquid eius Monachi inconſultè vſurpare niterentur, & ſibi vindicare. Vnde cõmotus Rex iuſſit Sanctiſ. Sacerd. Iunianum per quendã magnum virũ nomine Aurelianũ ſibi ſiſtin palatio præſentari. At ille inluſter vir Aurelius paret dictis, pergit cũ omni feſtinatione ad imperiũ Regis, cũque ventũ eſſet ad locũ in quo vir Religioſiſ. Iunianus cõmorabatur, reperit eum in oratorio more ſolito proſtratum terræ preces Dño fundentẽ, quem paululũ dũ ſuſtinet vt ab oratione erigeretur, & ſibi quod iniunctũ erat explicet, tãtus in eũ timor repente intruit;

vt nequaquam ei vt venerat commotus aſperè loqui auderet. Sed cum peracta oratione ibidem vir venerabilis poſt tergum conuerſus videret ſtantem Aurelium Regis legatum, ille ſtatim pronus adorauit beatiſſimum Sacerdotem & quid eius vellet aduentus ſupplicibus verbis indicauit, dicens quod Rex ſibi eum adſtare iuberet, & idcirco miſſus eſſet, vt eum in conſpectu eius exhiberet. Quibus auditis venerabilis Sacerdos & Monachus protinus ſe iturum pollicetur, & propter vtilitatem totius reipublicæ & ſalutem animæ illius prompto animo proficiſci ſe velle. Qui conuerſus in cellulam, ſumptis ſecum duobus Monachis, virgam manu geſtans, nam hæc ei ſemper conſuetudinis erat vt baculum manu ferret, & imbecillitatem corporis eius adminiculo ſuſtentaret. Cumque pergeret pariter, & pedibus iter conficerent, ventúmque eſt ad Regis palatium. Vbi cum aliquid moræ facerent propter regalium faſces & pompã Regiæ celſitudinis ad fores palatij reſedit, quo plurimi eum adierunt, quos ille blandis eloquiis demulcebat, & dulcedinem vitæ æternę prædicabat. Interea ductor illius iam prædictus Aurelius ingrediens palatium Regis auribus innotuit, IVNIANVM Monachum adeſſe, & ad ianuam palatij reſidere. Tunc Rex præcelſo in ſolio reſidens iuſſit eum ſibimet præſentari. Cúmque introductus eſſet baculũ manu geſtans, quem ſemper ferre conſueuerat, & ob faſtum Regiæ celſitudinis, nullus ex ſocijs eius ingrederetur niſi ipſe ſolus, vt adpropinquauit ſolio Regis, vt eſt conſuetudo Monachorum pronus Regem adorauit, baculum retrorſum relinquens rectũ, vt manu geſtauerat. Cumque Rex eum ſurgere iuſſiſſet, & ad eius imperium ille ſurrexiſſet, cœpit Rex cum illo loquente ex multis & variis ſermocinando de rebus eum interrogare. Sed cum pariter loquerentur, intuens Rex baculum ſtantem non terræ fixum ſed ſupra pauimenti teſtudinem erectum nullius manu adtactum ſtantem, valde admiratus eſt, & tanto terrore perculſus, vt etiam genua illius conliderentur. Vnde compulſus proceres quoſque palatij vocauit, indicans illis miraculum, & manu porrecta oſtendit dicens. Verè hic homo ſanctus eſt, & verè Dei cultor, & Chriſtianæ Religionis maximus inſtitutor. Ex quo etenim mecum cœpit loqui, virga quam manu tenebat, poſt tergum erecta relinquens, quia nemo qui eam adprehenderet adfuit, ecce erecta vt fuerat ab eo dimiſſa perſeuerat. Quod omnes pariter admirantes omnibus ſtuporem mentis & admirationem incuſſit. Et ita ab omnibus deinceps venerabatur, ac ſi in pectore ipſius Chriſtum Dominum & Saluatorem noſtrum cernerent. Poſt multam conlocutionem glorioſiſſimus Rex interrogauit eum quid operis haberet, quæ vita, cuius religionis eſſet. Cui ille dulciſſimo alloquio reſpondit, ſe ſub Monaſtico ordine vitam degere & Monachis prælatum, & Beatiſſimi Benedicti inſtituta ſeruari, regularem eius vitam in omnibus obſeruari, niſi quod propter anguſtiam lõci non eam pleniſſimè cuſtodire cum ſuis valeret, nec ſe habere vbi exercitium operis fieret ſecundùm regulam iam ſupradicti Benedicti patris. Quibus auditis Rex ſtatim adiunxit & ait: Si ex prædio fiſci noſtri aliquid vobis vicinum eſt & loci opportunitate congruum, quantum tuę ſanctitati placet, & tibi tuiſque ſufficere poſſet, tam in exercitio operis, quàm etiam in paſcua iumentorum & pecorum neceſſarium concedimus tuæ ſanctitati ad vſus videlicet ſeruorum Dei & Monachorum tibi cohærentium, vt & nobis omnipotens Deus vobiſcum partem laboris conferat, & æternæ beatitudinis prẽmium concedat, & vobis in omnibus ſit ad ſubſidiũ plenitudinis & perfectionem regulæ & augmentum virtutis. Tantam etenim Dominus militi ſuo gratiam in conſpectu Regis contulit, vt qui eum propter iniuriam & contumeliam ſibi exhiberi iuſſerat ſummo honore receptum muneribus ditaret, & quicquid ab eo peteret ſibi fieri nullatenus recuſaret. Sic enim Chriſtus qui propter nos humilis apparuit athletã ſuũ humilem in conſpectu Regis magnificauit, vt congruè de illo dici poſſit, magnificauit eum in conſpectu Regum, & dedit illi coronam gloriæ. Poſt hæc Rex ſurgens à ſolio flexo genu adorauit ſanctiſſimũ virum, vt eum manibus ſuis ſuſciperet, & in ſacrificijs ſuis orationibus commendabilem Deo faceret, & pro ſe ſuaque domo, pro ſtatu regni & totius reipublicę vtilitate Dominum exoraret deprecatus eſt. Et vt cellulas conſtrueret, Monachos congregaret & Deo animas lucraretur ammonuit, & quę ſibi neceſſaria eſſent poſceret omnia, ſe cum deuotione præbere pollicitus eſt. Tunc vale faciens eundem virum qui eum ſibi adſtare fecerat remiſit, & vt de prædio fiſci quantũ illi viſum erat oportunum acciperet, eo videlicet conſignante Aurelio, qui eius ductor fuerat ad palatiũ vbi repertus eſt locus valde ad conſtruendũ Monaſte-

Digitized by Google

rium aptus nomine MARIACVS. Quo in loco diuina suffragante clementia cellulam à fundamentis constr uxit, & Monasterium ædificauit, vbi & congregationem Monachorum instituit, & sub B. Benedicti Regula perfectè viuere fecit. Tantę charitatis glutino omnem Monachorum cateruam constrinxerat, vt omnibus fieret cor vnũ & anima vna. Interea vir sanctissimus IVNIANVS relicta sæpe Monachorum turba, loca remota inquirebat. Et quãuis pater esset Monasterij, frequenter deserti incola fiebat. Reperit locellum COLNIACVM, vbi vir religiosus opere proprio cellulã constr uxit, & ibi non paucis annis solitariam vitam duxit, vbi & non modicas virtutes omnipotens Deus per eius sanctitatis meritum declarauit, pernoctans in omnibus die noctéque peruigil, curam totius Monasterij gerens & secreta sæpe petens, speculatiua mentis acie cœlestia cernebat, per diem se manuum operibus exercebat, per noctem orationibus vacabat. Nunquam otiosus panem comedebat memor illius Apostoli, qui non laborat non manducet. Stigmata Christi in corpore circumferens, tanta ciborum abstinentia inerat, vt pallor vultus indicaret eum non terrenis epulis corpus, sed cœlesti cibo potius animam satiare, dicens cum Apostolo: mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, portans crucem Christi & humilitatis vestigio pauperem Christum sequens ipse pauper, memor B. Petri Apostoli dicentis, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius: Et quamuis diuersis operibus per diem se adfligens, ita vt lassatum eum lectus exciperet, tamen media nocte consuetudo ei erat ad surgendum iuxta illud Psalmi: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Nec minus laudes Christo studiosissimè decantans lachrymando promebat, per diem septies genuflectens officium sui occursus explebat. Hanc huius ærumnosi sæculi vitam cum amaritudine & fletu ducebat, nec oblectabatur mundi rebus, quem exasperabat dura carnis seruitus memor illud Domini si quis amicus huius mundi fuerit, inimicus constituitur Dei. Quod ille præcauens in tantum se alienum reddebat à sæculo, vt inuiolabiliter adhæreret Deo, spernens latam & spatiosam viam quæ ducit ad mortem, arripiens arctam & angustam feruentissimo mentis amore quæ ducit ad vitam. Cumque instantissimè & constantissimè in Dei mandatis se exerceret, cæpit multiplicibus virtutibus florere; ita vt etiam aliquoties spiritu prophetiæ repletus absentia & futura prospiceret. De quibus perpauca subnectimus, & maximè ea quæ AVREMVNDVS eius spiritalis filius & individuus comes minister & discipulus post eius obitum ad multorum perduxit notitiam. Cum pro diuersis criminibus regionis illius populi Dominum ad iracundiam prouocassent, & flagellum indignationis eius super se excitarent, fames valida per totam regionem inualuit. Cœpit populus maxima ex parte clade & fame perire. Vnde compulsi vndique conueniunt ad sanctum virum IVNIANVM flebiliter deprecantes vt pro eis ad Dominum preces funderet, ne omnes fame consumerentur, & pereunte cultore terra redigeretur in solitudinem. Quorum precibus commotus vir Dei sanctus in cinere & cilicio prostratus indesinentes preces Domino fundebat, ne populus fame periret. Ea igitur tempestate quædam mulier compellente inopia & famis valitudine cogente ante oratorium vbi vir venerabilis IVNIANVS prostratus Domino preces fundebat, cœpit magno eiulatu flere, & quibus poterat clamoribus vociferabatur dicens: Vir Dei adiuua me. Quibus verbis vir Dei permotus intentius cum lacrymis Deo preces fundebat. Surgens expleta oratione ministrum suum vocat dicens ei: Vade fili, scisscitare quid sibi paupercula illa velit, & si quod vales adiuua illam. Cum autem eam audieris renuntia mihi quid sibi velit clamor eius & eiulatus. Cúmque puer velociter iussa explesset, renuntiauit patri dicens: Mulier paupercula est, cui & panis defuit, nec vnde emat habet. Quo audito iussit eam in conspectu suo adstare, hilari vultu & paterno affectu interrogans, cur tanto eiulatu fleret & clamoribus eum inquietaret. At illa respondit: Verè Dei famule & Sacerdos scias me fame periclitari: Panis deest, emptio nulla, fames quotidie inualescit, & ecce prægnans morior. Quamobrem tuam adij clementiam, vt si me de periculo famis eripueris sim tibi perpetuo ancilla & filius quem vtero gesto, seruus sempiternus. Quem cùm enutriero tuis manibus & iugiter seruire instituam, tantùm adiuua me ne peream. Audiens hæc IVNIANVS subridens ait: Sciebam etenim antequam puer te vocaret, te & fame laborare, & in vtero filium gestare, quem filium scio meum futurum successorem. Accipe de manu nostra auri munuscula, sicut libet eme tibi cibos ne pereas fame, & cum puer natus fuerit, eum omni vigilantia custodi. Caue ne aliquid incantationis aut diabolicæ suasionis pollu-

tiones in eum exerceas; sed cum adoleuerit mihi eum affer, quia ego cũ de sacro baptismis fonte suscipiam, & literis eruditam & mihi successorem constituã. Pronuntians tibi quod superueniente anno frugũ abundantia in hac regione exuberabit, & nequaquã fame ex hoc quisquam peribit. Accipiens autẽ mulier illa aurum de manu S. viri regressa in domo sua gaudens tam de pretio quàm etiã de superuenientis anni abundantia, emit escas, & famis inediam temperauit, filiumq; cum omni studio secundùm monita viri Dei enutriuit. At vbi eum ad ætatem puerilẽ perduxit, conspectui sancti viri obtulit, qui secundũ Saluatoris Dei nostri præceptum sacris fontibus eũ propriis manibus initiauit. Ipse enim de sacro-sancto baptismate susceptus & filium spiritualẽ adeptus est Aurummundum vocauit ea videlicet ex causa quasi auro emptum quia aurum matri dederat vnde ipsum filium enutriret peculiarẽ quemadmodum sibi vernaculum instruxit, litteris eruditit, qui diuina tribuente clementia perfectè scripturarũ scientiam adeptus est, & secundùm viri Dei prophetiã Sacerdotalem adeptus est honorem multo tẽpore cum ipso inculpabiliter spiritali patre vixit, & ei in omnibus obtemperauit. Post cuius vero obitũ successor illius extitit magnæ virtutis homo & sanctitatis, vt pote qui à tali ac tanto viro instructus fuerat quẽ omni intentione & doctrinis & exẽplis sequebatur. Plura isto narrante innotuerunt S. viri miracula, quia multo tempore post eius obitũ vixit, & gregem sibi commissum inreprehensibilẽ custodiuit. Et quãuis omnia sermo noster explicare non valeat, quæ de eis miraculis audiuimus, pauca tamen de multis nos ponere non pigebit. Aderit omnipotentis Dei clementia, vt valeamus explicare quæ fideliter audiuimus, & fidelissimè narrare decreuimus. Nam cũ idem venerabilis vir in agro nuncupante Casto loco, cui nomen idcirco indiderat, eo quod quietum reperisset, & ab omni accessu feminarũ remotũ, vbi claustra exigua pro loci opportunitate constituxerat, hortum circũsepserat, in quo apum aluearia posuerat, & oratorium sibi consecrauerat, vbi Domino remotus ab omni sæculari tumultu libera mente preces funderet. Et cum hæc ageret, quidam nocte latro insidians horti sui septa irrumpens conatus est prærripere & sibi sufficientia furari de aluearijs apum. Sed cum vas vnum è pluribus arriperet, quod videbatur esse excellentius & præ ceteris melle exuberare, statim vtraque manus vasculo adhæsit, nec in alium locum exinde transferre valuit. Ita debilis effectus vt omni membrorũ cõpage dissolutus contractis pedibus per totam noctem humi prostratus iaceret, & dolore maximo neruorũ torqueretur, & sic cum magno doloris eiulatu vigil extitit. Cum autẽ iam aurora surgeret, hortulanus ad sui officij opus studiosus surgens, manu sarculum tenens ingressus est hortum. Cumque vndique more solito eum specularetur, & circum iret, reperit hominem turpiter iacentem, & vas apum manibus strictè tenentẽ, quem ita alloquitur: ad furandum instigante diabolo huc ingressus sum, sed meorum peccatorũ pondere pressus constrictus & infelix hic iaceo. Vnde supplex tuam deprecor sanctitatẽ, vt mei misereri digneris, & apud sanctissimum virum venerab. P. Iunianum intercedere coneris, cuius meritis sic ligatum credo, cuius precibus absolui confido. Tunc discipulus ille opus quod cœperat imperfectũ relinquens, ad sanctum virum cucurrit: quod actũ fuerat indicauit dicens: O pusillime pater de inimico nostro Dominus grande fecit miraculũ, homo qui nocte ad furandum venerat, turpiter ligatus in horto nostro iacet. Arripuerat enim quoddam vas melle plenum, sed nihil exinde constitit, insuper & manus eius ita adhæserunt vasculo, vt nullatenus eas inde subtrahere possit: hæc audiens venerabilis senex increpauit fratrem, cur de hominis lapsu gratularetur, dicens ei: quod non vult Deus mortẽ peccatoris, sed vt cõuertatur, & viuat, & non septies nobis dimittendũ, sed septuagies septies Dominus Saluator noster docuit. Vnde celeriter perge, frater, absolue hominem, & nostris conspectibus quæso te adstare facies. Cumque ille pergeret ad imperium patris, venerabilis Sacerdos se in orationẽ dedit, & suis sacris precibus vinctũ resoluit, ad se introductum taliter alloquitur: Noli, frater, noli in furando amplius laborare. Sed quæ necessaria sunt propriis manibus & sudore vultus tui præpara, vt & tuis vsibus necessaria habeas & pauperibus inde tribuas. Ita correptum & melle satiatum dimisit. Interea venerabilis vir propter vsus Monachorũ & maximè pauperum cœpit enutrire animalia quibus posset humana fragilitas sublimari. Nam & pullorum nutrimenta plurima congregauit, quorum carnibus infirmorum inopiam sustentaret, & ouа sumptibus egentium deseruirẽt. Caprarum etiam & ouium greges habuit, vt de velleribus earum vestimenta conficerentur, & lac & caseum in cibo seruorum Dei proficeret. Habuit etiam armenta ad exercitium laboris & agriculturæ, vt his omnibus admi-

Digitized by Google

niculis fulti Deo liberius deseruirent. Per id tempus cum in supradicto iam loco feliciter venerabilis pater vitam in sanctitate & summa religione perageret, quidam latro quem magnus esus carnium delectauerat, cœpit desiderio carnis flagrare. Quod ille suæ vesaniæ famem nequaquam haberet vnde expleret, cœpit cogitare qualiter suæ voracitatis rabiem & ventris ingluuiem exsaturare posset. Tunc compellente antiqui hostis nequitia latenter noctis silentio domum qua armenta prædicti patris continebãtur clausam irrupit, & vaccam ex omnibus quam elegerat pinguissimam foras emisit. Cuius caudam strictis manibus tenens ad suæ habitationis locum ducere conabatur. Sed cum paululum processisset, vacca lasciuiens cœpit exilire. Quam ille videns se eam nequaquam tenere posse, voluit dimittere: sed vtraque manus ita adhæserant caudæ, vt nequaquam diuelli possent, vnde accidit vt nutantibus genibus prorueret, & vacca eum post tergum more carpenti traheret, circumiens per totum tempus noctis, solita pascua & per veprium & saltus nemora gradiens non minima vulnerum misero homini inflixit detrimenta. At vbi aurora irrumpescente & crepusculo iam diei albescente ante ostium domus vnde egressa fuerat vacca stetit, & latro caudam tenens post tergum iacuit; Armentarius vero more solito irrumpente die clauem manu gestans ad domum armenti venit, fores confractas reperit, furata omnia armenta putauit. Sed cum diligentiùs intueretur, reperit vnam esse ablatam ex omnibus, cúmque concito gressu foras pergeret, vaccam stantem vidit, & post tegum eius hominem sedere conspexit, sed quid illic ageret penitus ignorans, arbitrabatur tamen quod vaccæ potius custos & rector esset quàm ablator. Vnde eum his vocibus compellat. Quæso te homo, tempus est vt armenta in pascua properent, dimitte pecudem nostram, vt cum ceteris ad pastum redeat: pro custodia eius dabitur merces operi tuo. Cui ille lachrymabiliter respondens ait, nequaquam domine mi reuerentissime pastor, non est ita: nam instigante diabolo ad furandum huc veni, cum me esus carnium delectaret & cum præripere voluissem prædam, captus teneor & infeliciter vulneratus. Quæso miserere lapso, miserere precanti, misere vulnerato, & citò reuerentissimo patri nuntia quid actum est, quia nisi me eius oratio absoluat, cuius sanctitas religauit, absolui non potero. Quod audiens pastor ille alacri & quasi subridens vultu intrat oratorium, quo senex sanctissimus omnipotenti Deo precem fundebat solitò. Surgens igitur ab oratione purgata mentis acie mundum Sancto Spiritu in pectoris sui antro præparauerat hospitium. Tantã etenim in cordis ara Domino mactabat hostiam, vt mox adueniente Spiritu S. propheticam promereretur gratiam, & quid nocte illa actum fuisset, nullo mortalium narrante, cuncta ad liquidum nosset. Vnde statim introeunte armentario his verbis alloquitur. Noli frater, noli gaudere de alterius lapsu, memor illius B. Apostoli: qui se putat stare videat ne cadat. Cur gaudens narrare mihi desideras quod ego priusquã me videres, non solum & quod actum sit, & quid miser ille tibi mihi narrandũ in ore posuerit noui. Pauper enim ille fame compulsus hoc peregit non habens vnde suæ inediæ temperaret esuriem. Vnde conuenit nobis pro illo deuotissimè Dominum depecari, quatenus & veniam delictorum suorum promereatur, & à vinculo quo strictus tenetur, miserante diuina clementia absoluatur. Quod cum vterque prostrati ante Dominum iacerent, his verbis sanctissimus vir Dominum deprecabatur. Quæso omnipotens Deus, miserere lapso, solue manus quas ligasti sanctissime pater, dimitte quod inuasit, adipiscatur veniam in his quibus deliquit, mox oratione peracta absolutus est & pecudem ire permisit. Ipse verò introductus est in cellulam ante conspectum viri Dei, cui ipse sanctissimus dulcia prompsit eloquia, & his verbis affatur: Noli frater, noli iam amplius in furando operam dare: reconde in tui ventris memoriam huius sceleris contumeliam, & caue ne obliuiscaris noctis huius amaritudinem, coerce temetipsum & ante mentis oculos tantæ confusionis scelus statue, si forte misereatur tui dominus, & dimittat tibi, quod in eum nequiter deliquisti, vt purgatum & de palea triticum factum in horrea sua te pijssimus recondere dignetur. Noli amplius furari, ne fortè deterius tibi aliquid contingat, sed propriis manibus potius labora vt habeas, & tibi sufficientia & pauperibus inde tribuas eleemosynam. His, & aliis quamplurimis exhortationibus eum alloquens iussit cibum ponere, carnibus satiare, satiatúmque ad propria vale faciens eum proficiscí permisit. Quadam die cum venerabilis senex claustrum huc illuc ob releuandum fastidium deambularet, vt auidior iterum ad orationem rediret, accidit eo præsente, vt vulpes fraudulentũ animal & nunquam rectis vestigijs incedẽs, semper tortuosum, & mille męandris flexuosum per quoddam foramen ingrederetur claustrum Monasterij, vbi cum pullorum turba cibum quæreret, & beatissimus pater ardentissimè diuino vt credo nutu specularetur,

bestiagallinam inuadit, & recauo gutture ea put prædæ recondens, non per foramen quò ingressa erat, sed super murũ exiliens saltum petijt. Quod vir Dei cernens alacri mente ad solita arma orationis recurrit, gratias Redemptori Deo vt solitus erat primũ refert his verbis: Tibi S. Pater omnipotens Deus quas valeo gratias refero. Tu enim creasti cœlũ & terrã, mare & aridã & multiplicibus eam pecudibus replesti, & ad vsus hominũ quædã tribuisti, quædã vero pro peccatis infesta esse voluisti. Vnde tuã deprecor clementiã, vt prędã quã pernicioſa tuis famulis bestia surripuit inlęsam tribuere dignare. Illius etenim de fructibus mihi aliquoties pulmentaria præbebantur. Tu es enim solus altissimus rector, gubernator, defensor & protector. Nec enim difficile tibi est aliquod in perficiendo, sed nostra impediunt delicta, quoties non accipimus quod petimus impetrando. Hæc dũ idẽ venerabilis vir Dño verba in oratione funderet, nec dũ enim à pauimento surrexerat, fraudulentũ illud animal cum præda iterum murũ penetrans clausträ ingreditur. Nuntiatũq; est seni adesse vulpem gallinã in ore inlæsam gestantẽ. Quod cum venerabilis Sacerdos egrederetur oratorio ante pedes eius statim inlæsã depositit prædam, & quid de ea iuberet bestia expectabat. Cúmque eã famuli domus interficere conarentur, repulit eos dicens: Nolite fratres, nolite interficere eam. Non enim ingenio aut viribus vestris capta est, sed Dei cogente potentia huc reuersa est. Vnde conuenit vt inlæsã eam abire patiamini. His dictis cõpescuit famulorũ manus, ne interficeretur. Tunc manu signo dato bestiã inlæsã abire permisit; at illa transcendens clausträ, saltus deserta petit, ita suæ iniquitatis conscia & fraudulentiæ, vt vlterius nequaquã infesta fieret loci illius aut prædã aliquã non solum ex alitibus, verum etiã nec de fructibus adtentaret. Tunc B. Ivnianvs ait. Hoc dilectiſ. Fratres ne putetis pro alicuius nostrorum merito actum miraculum, sed pro sui nominis pietate vt timeamus eum iugiter, paritérq; amemus, & illi indesinenter gratias referamus. Nam & ante hæc quæ præmissa sunt miracula, quædam mira gessit quæ huic operi inserenda non abre visum est. Prædium quoddam nuncupante Waciaco, cùm ille sanctus religionis cultu cellulam ædificare conaretur, homines loci illius insurrexerunt aduersus eum, ita vt lapidibus eum obruere tentarent. Quos ille fugiens recessit, sed illi nequaquã desistentes longius eum persequebantur. Tunc ille signum posuit lapidẽ & prostratus est vt ne quis illud transgrederetur. Qui obedierunt voci eius, sacri & incolumes remãserunt; qui autẽ prætergressi sunt, non solũ in illis vltio diuina facta est, verum etiã in omni posteritate illorum, qui aut lippientibus oculis, aut gutturis inflatione vsque in præsens informes nascuntur. Cum quodam tempore homines de fisco Regis nuncupante Gauarciaco vallum facere conarentur, vt ex omni parte Regis prędiũ determinaretur, ventum est ad id quod beatus ille per Regis largitionẽ prædium possidebat: cumque per legatum suũ iuberet illi vt desisterent, & nequaquam quod illi pertinebat intro clauderent: cuius verba derisui deputantes omnes statim muti effecti & immobiles permanserunt, vsque dum ille beatus pro illis orationẽ fudit, & sic ab stultitia sua cessauerunt. Cum sanctus ille siluulam quam propter opacitatẽ vt secretius ingredi posset, manu propria, vt aiunt, seminasset iam incrementa custodi delegauit. Cum quodam die pergeret ad locum qui dicitur Costellegium, reperit eundem custodem siluę in quadam fago ramorum denſitatem incidentem, qui statim obriguit, nec inde descendere voluit vsque dum ille sanctus pariter cum Monachis sibi commissis Domino precem funderet, & sic sanitate recepta vlterius minimè fraudem exinde facere ausus est. Decurso igitur temporis huius spatio & ærumnosæ vitæ calamitatibus forti animi vigore superatis, cœpit Beatissimus Ivnianvs sui obitus diem fratribus prædicare, & sibi non longiùs imminere prædixit. Cúmque infatigabiliter se in præceptis Dei exerceret, nec senectuti cederet victor animus in labore, tanto artius animum suspendit ad cœlum, quanto sibi eminere præuidit citius propinquare obitus diem. Cúmque paululum spiritum ab oratione reuocaret, respiciẽs vndique Monachorum & fratrum turbam consistere, qui ad eius si posſent conuenerant releuandum languorem, siue prece, seu suaui exhortatione, verbis supplicibus consolarentur, inspiciens quosdam videntes febrium magnitudinem lacrymantes talibus eos verbis alloquitur dicens. Nolite Fratres, nolite super languoris mei valetudine flere, scio cui credidi & bene certus sum non vitam modo finire, sed incipere, non mortem perpeti sed finire. Quid enim est aliud huius vitæ præsentis excursus, nisi mors quæ in prima generis humani radice in dita est? Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, vt homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit nisi morte, & quot pestes vt verius dicamus tot mortes. Quid amator ipse tot rerum noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, maiores formidines, insana gaudia, discordię, lites

bella

Digitized by Google

bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sæuitia, nequitia, impudentia, petulantia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, & contra naturã vtriusq; sexus tot stupra atq; immunditię, quas turpe est etiam dicere: sacrilegia, hæreses, blasphemię, perjuria, oppressiones innocentiũ, cõtumeliæ, circũuentiones, præuaricationes, falsa testimonia, iniqua iudicia, violẽtia, latrocinia, & quicquid talium malorum in mentem non venit, tam de vita ista hominum non recedit.

Ista deflenda sunt, fratres charissimi, ista fugienda, ista cum omni gaudio finienda, & ad illam perpetuam vitam festinandum, & cum gaudio exhinc egrediendum, & illuc properandum, vbi nihil tale manentibus accidit. Sed videamus quibus Dominus talem promisit vitam: ait enim ipsa Veritas, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Posuit in principio beatitudinis, humiles corde; ac per hoc exclusit superbos, & tumidos, vbi dicit pauperes spiritu regnaturos. Deinde, beati mites, beati qui lugent, beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, beati misericordes, beati pacifici, beati mundo corde. Ecce quales inuitantur ad æternam requiem, qui tali desudauerunt temporaliter in labore. Nam qui hîc cum mundo gaudent, illic sine fine lugebũt. Verè hoc est indeficienter regnare, coronã beatitudinis talibus ornatam virtutibus, veluti floribus, possidere, Deũ cõfusione mereri, conspicere, quo præsente mereatur anima cernere quod amauit. Quòd si in hoc sæculo ad præsens humana fragilitas dicit se regnare quadam sibi prosperitate: si blanditur fugitiua & falsa felicitas, quanto magis illud regnum quærendum est, vbi semper liliorum rosarúmq; blandior lux arridet? vbi pictura flores odoriferi non marcescunt? vbi loci fœcunditas neque nube premitur, neque sole siccatur; vbi non finitur cum possessore possessio, vbi quicquid desiderat animus, dat aspectus; vbi iustas gẽmas calcauit in plateis, quas modò Reges nequaquam tales gestant in coronis; vbi mortalitas translata in immortalitatem, cum Angelis sorte simili gloriatur; vbi hominibus & Deo cum Thronis & Dominationibus, & vniuerso Angelorum cœtu fit vna possessio. Ibi, dilectissimi Fratres, ibi totum mentis oculum dirigite; ibi desiderium vestrum figite, totis viribus illuc tendite, vbi tantæ felicitatis gratia possidetur. His & aliis quamplurimis spiritalibus alloquiis per totam penè noctem cõmissum sibi gregẽ escam potúmq; ministrans peruigilem reddidit. Inter cætera allocutionũ præcepta dicens eis: Fratres, ante mutuam in vobismetipsis habete charitatem. Charitas est Deus, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Nolite locũ dare diabolo: ille etenim dat locum antiqui hostis, qui se in fraternitatis dilectione seiungit. Sit vobis cor vnũ, & anima vna in Domino, sicut in primordio Ecclesiæ de fidelibus dicitur, quòd erat illis cor vnum, & anima vna. De successoris mei prælatione cauete ne aliqua variatio fiat, sed vnanimes vnum vobis constituite. Quòd si verũ & optimũ vobis Abbatem constituere desideratis, compresbyterũ & spiritalem filium meũ AVREMVNDVM vobis constituendum decernite. Ipse etenim & vitæ exemplo, & morũ probitate, & doctrinæ eloquio ducatum credo ad æternam vitam capessendam præbebit. Cúmq; iam aurora signũ daret, & tempus immineret quòd illa anima corpore dissoluta ad cælum migraret, valefaciens omnibus, & pacis osculũ tribuens reddito mortis debito, de antiqui hostis insidiis triumphare victor ab Angelicis choris susceptа, cælum conscendit. Tantus etenim mox cælitùs illic fermè per trium horarũ spatium odor flagrauit, sicut narrãte prædicto Auremundo, qui aderant, cognouimus, vt omnium aromatũ fragrantiam superaret. Sed & vultus illius mox tantâ claritate enituit, vt non eum exanimem crederes, sed dormientẽ potiùs æstimares. Dederat enim mandatũ, vt statim cùm à sæculo migrasset, nuntiaretur beatiss. RADEGVNDI, vt pro eo precem Domino funderet. Quod & illa similiter fecerat. Accidit vt eodẽ die, eadem horâ vterque migraret de sæculo; & quos hîc vnius charitatis vinculum constrinxerat, illic eos pariter Paradisi gloria simul acciperet. Denique Legati ex vtraque parte proficiscuntur, qui sibi obuiam occurrentes, scisciatur alter ab altero quamobrem celeriter pergeret. Indicauerunt sibi vnusquisque quâ de causa itineris laborem assumpsisset, & inuentũ est in vnius horę puncto vtrosq; migrasse ad cælum. & more funeris, exequiæ præparantur. Vndique populi conueniunt, cateruæ Monachorum adsunt, & dignis obsequiis sanctissimũ virũ prosequuntur. More solito membra feretro componunt, cum laudibus & digno officio funeris, ad locum quo sepeliendus erat, proficiscuntur. Non modica turba tam populorum quàm etiam Mona-

chorum, & præcedente & subsequente cum cereis & luminaribus iter arripitur. Et cùm iam aliqua pars itineris conficeretur, subitò qui humeris illud sanctum corpus gestabant, immobiles permanserunt, & paululùm resumptis viribus conabantur illud admouere, & proficisci: sed ita feretrum in quo gestabatur, immobile permãsit, vt nequaquam exinde qualibet in parte moueri posset. Mirantes quod acciderat signum, non minimus omnes horror inuaserat: sed precibus Deo fusis, vt datis indiciis patefaceret quo ipsum beatissimum corpus terris humari placeret. Decretum etenim fuerat vt COLONIACO conderetur, sed nequaquam illuc deferri potuit. Visum est omnibus vt in loco nuncupante MARIACO eum conderent. Quo consilio accepto, statim perfacilè eum exportantes, illic adtulerunt. Vnde omnibus patefactum est illic eum Dominum voluisse recondi, & sibi aptum fuisse, vbi cum magno funeris apparatu venientes, venerabiliter sepultus est. Quo in loco miraculorum ex illo vsque nunc congeries coruscat. Illic enim & dæmones ab obsessis corporibus fugantur, cœci illuminantur, claudi proprium recipiunt gressum, debiles incolumitatem adsequuntur, digna petentibus vota tribuuntur, omnis incommoditas refugit, salus optata refunditur omnibus, præstante Domino nostro IESV CHRISTO, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum.

AMEN.

Igitur cùm per innumera annorum curricula crebrescentibus malis, & bellorum maximè immanitate totius Aquitaniæ prouincia redigeretur in solitudinem, videlicet propter insolentiam tyrannorum inter se decertantium principatus culmen ambientium, & Francorum Regum iugo colla submittere nolentium. Tanta clade & incendiorum flagrantia consumpta esset, vt his concertationibus non solùm Respublica deperiret, verùm etiam Monachorum ordo penitùs adnullaretur. Vnde accidit vt Cœnobium illud quo sanctum corpus magno religionis cultu venerabatur, deserti solitudo fieret, & omnis exinde Monastici Ordinis cultus aboleretur. Sed post diuturni temporis excursum, diuinâ miserante clementiâ, tyrannorum superbia debellata est, & sub piissimo Imperatore CAROLO pax reddita est, & vnitas Ecclesiæ restituta, & loca incendiis conflagrata, & clade bellorum consumpta, iterùm restaurata, & ad sui decoris statum ornatúsque perducta. Verumtamen locus ille nequaquam posteà ad pristinum Monastici Ordinis vigorem peruenit, eâ videlicet de causa, qualiter inuentus est locus vtilior Monachis ad incolendum, nomine NOBILIACVS, constructus in agro Ecclesiæ beatissimi Pontificis Hilarij Confessoris Christi. Ad quam Basilicam etiam illud Cœnobium ibidem venerabilis IVNIANVS corpore requieuit cum omnibus ad se pertinentibus adspicit, distans iam dictus locus Nobilacus ab vrbe PICTAVI fermè millibus quinque: quo in loco Monachorum religiosissima congregatio sub beatissimi Benedicti Regula cõstituta deuotissimè cœpit Deo militare: in qua clarissimi viri, & Monastici Ordinis adprimè eruditi claruerunt, in tantùm vt etiam plurimis locis de iam supradicta congregatione Abbates constituerentur, & huius Præpositi Ordinis, sicuti ibidem inreprehensibiliter custoditur ad exemplum eorum per amplissimam totius Imperij Francorum dominationem docerent. Interea post obitum glorioſissimi Cæsaris, qui Imperium Francorum amplissimè sublimauit, & feliciter per annos circiter quadraginta octo rexit, atque ab omni barbararum nationum incursu fortiter protexit: Eius nobilissima proles, excellentissimus Imperator HLVDOVICVS sceptra Imperij regenda suscepit. Eo videlicet feliciter imperante, & filio eius glorioſissimo PIPINO Aquitaniæ regnante, beatissimo Antistite SIGIBRANDO, Pictauis sacerdotio fungente, & venerabili viro FVLCONE, Abbate Basilicæ sanctissimi Pontificis Hilarij Congregationem regente. Idem tempore GODOLENVS, sub Monastici Ordinis proposito, præerat Abbas in iam dicto NOBILIACO Monasterio. Visum est illi vt corpus illud sanctissimi IVNIANI de loco quo situm erat, transferret ad locum vbi cœtus Monachorum Deo militabat. Idcircò quia vbi conditum priùs fuerat, non digno videbatur honore coli, nec officij dignitate, nec lampadum inlustratione perornari. Denique anno septimo decimo Imperij iam supradicti Cæsaris, fauentibus, & consultum ferentibus Pontifice SIGIBRANDO, & FVLCONE Archicapellano translatum est corpus sanctissimi viri à GODOLENO Abbate & Monachis iam supradicti loci, summo cum honore & veneratione dignissima, Religionis cultu per omnia exornata, concurrentibus vndique Sacerdotibus, & populorum

Digitized by Google

cæteruis, & venerabilibus Episcopis obuiam venientibus, relatum est corpus eius in Basilicam B. Hilarij, quam idem venerabilis Abbas mirâ operis pulchritudine construxit. Situm est ad Orientis partem iuxta Altaris crepidinem: cuius diei sollemnitas duplici præfulget priuilegio, scilicet, quia eodem die & corpus sanctissimum cum magno apparatu & triumpho, sicut præmissum est, illic reconditum est, & domus ipsa dedicata, & cælestis Regis habitaculo consecrata; vbi diuinâ præstante clementiâ, miraculorum frequenter insignia coruscant, vbi & digna petentibus præstantur beneficia, tribuuntur postulata, & peccatorum remissio conceditur exoptata, præstante Domino nostro IESV CHRISTO, cui est regnum & imperium, gloria & virtus cum Patre in vnitate Spiritus Sancti per infinita sæcula sæculorũ. Amen.

VITA SANCTI IVSTINI CONFESSORIS,

Cuius corpus in partibus Valconiæ, in vico qui vocatur Pertiniacus; cuius transitus celebratur pridie Nonas Maij.

Descripsimus ex apographo Sanctoralis Bernardi Gũidonis Episcopi Lodouensis, communicato ab Illustrissimo & Reuerendissimo D. Francisco Bosqueto, Episcopo Monspelensi.

CVM esset Iustinus annorum septem, Dei laudibus vacans & diebus ac noctibus orationibus, ieiuniis, vigiliis, atque eleemosynis largus benignè insistens, & nihil amori Dei præponens, totámque in Domino iactans spem suam, faciebat Prophetarum, vel Apostolorum iussa, & Euangelistarum vaticinia implens, sequebatur Dominum IESVM CHRISTVM, artum (atrum) panem, & aquam leuem in vsu habebat, & respuebat delitias parentum suorum. Ipsi autem simulatorem eum destinabant. Cùm verò peruenisset ad octauum annum, temporibus Trajani Imperatoris erat districta iussio vt omnes ad Dianæ conuenirent cultum, thura offerentes. Ille autem Spiritu Sancto repletus, dixit: Non est iustum dæmones adorare, vel illis sacrificare; & Deum, qui fecit hominem, & omnia quæ in cælis sunt, vel in terris, derelinquere; eósque qui de cælo projecti sunt, adorare, ac verum Dei filium negligere, qui per Virginẽ venit redimere quod perierat. Pater verò & mater dixerunt ei: Vnde tam vana & superflua, ac falsa procedunt ista verba? Nunquã à genere nostro audita, vel dicta sunt: quia nos & parẽtes nostri in talibus vixerũt delitiis, quod nulla fames, nulla sitis, nulla paupertas in nobis, vel in familia nostra nunquã inuenta est; & eos, vel eas, quos Principes, & omne genus nostrũ colunt, tu dicis eos vanos, & immundos, & nihil proficis: ipsi enim nobis omnia præstant. Recede ergo à stultitia ista quam facis, ne accusatus apud Principes, incidas in manus eorum, & pereas ante tẽpus, & non floreas. Sanctus verò Iustinus subridens dixit patri & matri suæ: Dictum est vtique in Psalmo: Vt de ore infantium & lactentium proferatur laus Dei, & destruatur fallacia dæmonum; ipse námque Deus destruit inimicum & defensorem. Defensores estis illorum qui non loquuntur, vos verò solliciti estis pro illis. Illi pro vobis sollicitè agunt, vt vos in infernum inferiorem secum mergant, vbi est fletus, pœnarum gehenna crudelis, nulla misericordia, nulla requies; vbi nullus finalis gemitus, nulla pœnitentia vtilis, nulla venia datur. Si verò vultis, dicam vobis quæ sunt viæ Dei, & CHRISTI IESV Filij eius: Viæ eius lux clara, lux magna, lux sine nebula, sine caligine. Ipse verò est fructus iustitiæ, fructus vbertatis, panis vitæ, panis indeficiens sine fine; potus dulcis, potus suauis, potus salutaris, in quo est etiam vita perpetua, vestimenta pretiosa, aurum pulchrum, & argentum splendidum; domicilia sine ruina, lætitia inæstimabilis; & quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor ascendit hominis quæ præparauit Deus diligentibus; & eos qui fideliter perseuerant in eius agone, mittet in mansionem cælestem cum sanctis Angelis suis, & regnabunt cum eo in sæcula sæculorum, & regni eius non erit finis, vbi nulla mors, nulla tristitia; vbi clara lux à summo sole, quia sol iustitiæ illuminat eos semper. Hæ sunt viæ iustorum quas suprà dixi: viæ, inquam, sunt frigoris & ardoris, quibus ibunt impij in supplicium sempiternum, vnde nunquam exeunt illi, quos locus pœnarum continet. Hæc omnia nobis dicta sunt: Apprehendite ergo vitam perpetuam, & derelinquite mortem & gehennam sempiternam. Parentes verò eius obstupuerunt lo-

quelam eius, & minimè respondere valentes, vel etiam millia hæreticorum qui pulsabant illum. Vnus tamen ex eis queis loquebatur, dixit: Tu Dux noster, perduc nos ad istam lucem, quam nobis suades; quæ autem cœpisti, perfice. Sanctus verò Iustinus dixit ad eos: Venite ad Antistitem Christianorum, & renascantur simul omnes vndâ baptismatis & veniet in vobis vnda baptismatis. Dixerunt autem parentes eius, & omnis turba: Sequemur te. Venientes itaque ad S. Athanasium Episc. omnes vnâ horâ baptizati fuissent, & credidissent in D. IESVM CHRISTVM Filium eius, & in Spiritum Sanctum; statim descendit super Iustinum Spiritus S. coram parentibus suis. Tunc parentibus suis dixit: Ingredimini in locis iustorum, recedite ab idolis quæ colebatis. Tunc omnis turba illa projecerũt deos suos aureos, ligneos, argẽteos, æreos, & omne metallum ante pedes B. Iustini. Tunc S. Iustinus accipiens omnia simulacra muta & surda, confregit ea, & igne combussit. Tunc omnes illi laudauerunt Deum vnum Regem æternum. Sanctus verò Iustinus confortauit eos in fide Christi, & reuersus est in patriam suam Nicomediam, plagam Orientalem, imperante Trajano Imperatore, cultore idolorum. Impleta sunt hæc omnia, cùm esset annorum duodecim: anno verò quinto decimo, relictis bonorum facultatibus patris & matris, impleuit præceptum Domini Dei sui, qui dixit: Dimitte omnia, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cælis: Reliquit thesaurum terrenum, acquisiuit thesaurum IESV CHRISTI, in quo nulla est indigentia. Tunc sanctus Iustinus benedicens parentes suos, & gregem Christi, quem de faucibus diaboli rapuerat, & Christo acquisierat, præcepit vt vacarent orationibus, vigiliis, ieiuniis, & fidem Christi perfectè tenerent. Salutauit eos in osculo sancto, & abiens viam longinquam, & eam cursu rapidissimo arripiens, viam Christi ambulauit. Cúmque venisset trium dierum itinere, non panem comedit, nec aquam bibit. Quarto verò die iam declinante ad vesperam, veniens ad ianuam Tribuni, nomine Claudij, inuenit seruum eiusdem, & dixit ei: Vade, dic domino tuo, quòd hospitium quæro. Seruus autem ille, nomine Frontonius, dixit: Non ibo. Sanctus Iustinus compellens eum, dixit: Vade. Frontonius dixit: Non eo, domine; timeo enim flagella eius. Sanctus verò dixit ei: Vade, filiole. Tunc ingressus seruus nuntiauit verba domino suo, qui ferociter percussit seruum suum in capite. Tunc sanctus Iustinus egit gratias Domino, & reclinauit in domo Frontonij, in paruo domicilio, loquens ad hospitem suam: Fac nobis panes, quia quartus est mihi dies ex quo ieiunare cœpi. Tunc hospes pietate Dei compuncta dixit: Faciam. Et non erant ei amplius nisi quatuor pugilli farinæ hordeaceæ, & vas vini vacuum. Tunc pergens Frontonius in villam ad emendum vinum, vas ferens paruum, dixit: Conspergе quam habet vxor totam farinam. Dixítque Sanctus Dei: Non totam, sed tertiam partem. Cui sine dubio hospita consensit, atque gratanter farinam conspersit. Veniens autem vir eius apprehendit lympham, & cœpit lauare calicem. Cui sanctus Iustinus dixit: Vade ad vas vbi vinum solet esse, quod foramina habet quatuor, & de quarto foramine da nobis potum. Qui dixit: Domine mi, iam annus est plenus, quòd non fuit ibi vinum. Sanctus autem Iustinus apprehendens vas, & faciens signum Crucis, dixit: Domine Deus, qui viduæ per Eliam replesti omnia vasa vino, frumento, melle, oleo; reple nunc (obsecro) vas istud, non meo merito, sed tuo iussu. Et ponens vas in os foraminis, repletum est vino, & non defuit eis in diebus vitæ eorum. Sanctus verò Iustinus cum hospitibus suis cœnauit; postèà gaudens venit ad lectulum suum, & dixit hospiti suo: Vade ad domum domini tui, & dic ei: Suscipe hospites malos, quia noluisti recipere seruum Christi. Et respondens hospes dixit: Timeo ne mihi deteriùs faciat quàm anteà fecit. Sanctus Iustinus dixit: Ostende illi plagas tuas; & si dixerit tibi, Quis te sanauit? tu illi audacter loquere: Qui Lazarum resuscitauit, ipse me sanauit. Et veniens tunc vxor sua hilaris & gaudens dixit: In quo est voluntas Dei tui, vt per te repleta sint omnia vasa nostra, & discurrant sicut flumina? Tunc ait S. Iustinus: Per virtutem pretiosæ sanctæ Crucis dæmones fugantur ab omnibus timentibus Deum, & omnibus bonis semper abundant, qui puro corde, & mundâ mente, & cum omni timore diligunt Deum; & in isto sæculo eos tuetur, & in futuro coronâ immarcessibili coronantur. Vos ergo credite quæ vidistis, & crastinâ die resurrectionis Domini, videbitis aliud miraculum. Veniens autem Frontonius, inuenit eos loquentes quæ acta fuerant, & facto lecto suo hospiti suo dormierunt. Sanctus verò Iustinus in orationibus, nocte illâ, & in laudibus Dei perseuerans, gratias

Digitized by Google

egit Deo. Manè autem facto veniens dominus ſerui, & proſternens ſe ad pedes ſancti Iuſtini dixit: Salua me, Domine, quia nocte iſtâ tortores venerunt ad me, & terruerunt me dicentes; Quia Sanctum Dei non recepiſti, in te habemus manſionem; & perduxerunt me ad locum pœnarum, & vidi eos, qui hoſpites non recipiunt, in obſcuro loco, & teterrimo. Vidi poſteà alium locum ſplendidum, pretioſum, & ornatum, & triclinia aurea & argentea, & laminis aureis fabricata habentem. Vidi etiam ſeruum meum in triclinio fabricato & ornato, ſed tectum non habebat: Cui hâc nocte tu hoſpes eius impoſuiſti tectum (lectum fortè meliùs.) Sanctus Iuſtinus dixit illi: Quid vis faciam tibi? Tribunus, nomine Claudius, dixit illi: Salua me. Sanctus Iuſtinus dixit: Da hoſpitibus meis libertatem. Dixit ei Claudius: Do ei ſi vendiderit domum ſuam quam vidi. Reſpondens ſeruus domino ſuo: Quod habeo, do tibi. Quid nunquid faciam. Ait S. Iuſtinus hoſpiti ſuo: Da illi, & remunerans in denarios centum, eum dimiſit cum vxore ſua liberos. Tunc admonuit eum S. Iuſtinus, vt pretium illud egenis, pauperibus, orphanis, viduis, captiuis, peregrinis, hoſpitibus largiretur: quia in Dei hoſpitio Angeli manent, in Deum negantibus dæmones cubant. Et Deum non recipientes, neque eleemoſynam facientes, videant quid accidit Claudio Tribuno, cuius domus periit, & anima ſua ad inferos data eſt: Domus verò Frontonij æternâ claritate reſplenduit. Cúmque reuerteretur S. Iuſtinus per viam quam deſiderabat, Angeli Dei illi comitatum præſtabant, & Dominus illi præerat; & alia miracula multa fecit, quæ longum eſt ſcribere propter faſtidium legentis. Redeamus ergo ad locum optabilem.

Cùm in partibus Occidentalibus veniſſet Galliæ, æſtus grauis percuſſit eius caput, & colligens ſarmentum vineæ, & virgam lauri geſtans manu ſuâ, & ſarmento operiens caput ſuum, ambulauit diebus decem vſque ad locum deſideratum. Venit autem ad eum dæmon in ſilua quadam, portans coronam in veſte Angelica, dicens ei: Accipe coronam, quam tibi direxit Dominus. Sanctus verò Iuſtinus dixit: Non mihi in abſconſo dabis coronam, ſed coram multis; non in ſilua iſta, vbi ſunt latrones, quia es quaſi meretrix; & percutiens eam B. Iuſtinus, virga laurea confracta eſt in tribus partibus, & corona ſarmenti erat in caput Iuſtini. Fecit autem in eo loco ſignum Crucis, & vlteriùs in ſilua illa habitatio dæmonum non fuit. Cúmque viceſimo die veniſſet vir Dei Iuſtinus ad flumen quoddam vt tranſiret, & aquam ebulliens procella ſuper ripas veniret, orauit dicens: Domine IESV CHRISTE, qui per manum tuam fortem, & in manu Moyſi famuli tui populum tuum liberaſti, præſta mihi ſeruo tuo, vt illæſus tranſeam hoc flumen. Tunc facta eſt vox ad eum dicens: Extende virgam quam in manu tenes, ſuper fluuium. Cúmque extendiſſet ſuper fluuium virgam, partita eſt aqua huc atque illuc, & pertranſiuit ſanctus Iuſtinus pedibus ſiccis, cum turba quæ eum ſequebatur. Quod videntes increduli, diabolico armati ſunt conſilio, putantes eum maleficum eſſe, & magum, & ſceleratum, vt canes cœci latrantes, & verum neſcientes. Tunc veniens vnus ex illis, Tribunus nomine, philoſophando alloquens, ſicut aſpis ſurda, verba fallacia dixit ei: Quæ eſt ars tua malefica, vt fluminis impetus tranſires illæſus? Cui ſanctus Iuſtinus dixit: O cœce, neſcis quia Patriarcha Dauid dixit: Flumen Dei repletum eſt aquis, & has aquas Dominus continuit, ſicut in mari rubro ab Ægyptiis liberauit populum Iſraël de medio mari. Philoſophus dixit: Erras miſer & inutilis homo * cognoſce virtutẽ Domini noſtri IESV CHRISTI, quia brachium eius forte & magnum eſt, quod dat ſalutem confidentibus in eum. Philoſophus Tribunus dixit: Spem in Deo pone, quia mentiris quæ dicis, & ſuades mihi. B. Iuſtinus dixit: Verbum verum dicam tibi, quod manebit multis temporibus, ſpero à me baculum fore tenendum clauorum Crucis Chriſti virtute, & auro, & argento pretioſo ornatum, in quo erit virtus Chriſti ad omnes ſuperbos humiliandos, vt timeant multi manum mittere in me, & in eos qui hunc baculum Chriſti ſtigmatum tenuerint, & Chriſti baptiſmo abluti fuerint. Tunc omnes ante ipſum curabuntur, & affligentur vſque dum veniant tempora Antichriſti, poſt quem veniet Dominus noſter IESVS CHRISTVS in gloria Sanctorum iudicare viuos & mortuos, & regni eius non erit finis. Et ſtatim audiens Philoſophus virtutem Domini noſtri IESV CHRISTI, obmutuit, & tremebundus meditabatur miracula quæ de baculo tenendo audiebat, & cognouit quia Dominus operatur vbique in Sanctis ſuis, & ſunt opera eius veritas & vita credentibus. Conſummatis ergo quibuſdam miraculis ſancti Iuſtini, reſtant adhuc immenſa, quæ lon-

gum est pronuntiare. Interea veniens ad locum tumuli sui, & virgam siccam figens in terra, coronam capitis deposuit. Die quoque vicesimâ viridis facta est, & erit vsq; ad finem sæculi. In capite denique baculi sui, qui auro pretiosior est, reliquiæ venerabiles atque de ligno pretioso sanctæ Crucis, in qua damnauerunt Iudæi Christum Filium Dei. Stat ergo lignum pretiosum in testimonium sancti Dei, & admirationem incredulorum, & ad credulitatem confitentium sanctam Trinitatem. Et ideò certum est, quia omnibus facientibus voluntatem Dei, cuncta procedũt in bonum, & sanctus Iustinus, qui pro amore Dei dimisit mundum, suscepit regnum æternum; dimisit donum patris sui carnalis, & accepit domum Regis æterni, vnde promissum est ei, vt in loco vbi corpus eius quiescit, cœci illuminentur, nulla aura mala, nulla grando, nulla persecutio, nullus impetus hostis, aut famis, aut sitis ibi inquietudinem faciant. Hoc tamen scitote, quia quod ei promisit Dominus, adimplebit. Et si qui in confinibus loci eius, vbi sanctus Iustinus quiescit in tumulo, donec veniat tempus diei nouissimi, venerint Pseudo-Prophetæ, & Pseudo-Apostoli, & Pseudo-Christi, & captiuare voluerint baculum hunc, euanescat ab oculis eorum, & manus eorum conterantur, & fugiat ab eis virtus, & sint sicut lapides immobiles. Virga Moysi est in monte Sina, & baculus sancti Iustini in loco tumuli sui permanebit vsque in diem resurrectionis omnium sanctorum atque iustorum. Vos tamen scitote habitatores loci illius, quia propè est vt veniat Dominus, & reddat omnibus secundũ quod gesserunt, siue bonum, siue malum. Vos autem, qui hæc legeritis, vel audieritis, benefacite omnibus, & obseruate quæ dixit sanctus Dei Iustinus. Qui hoc audit, intelligat; & qui intelligit, insipientes doceat, & per alios fructum laboris sui acquirat. Ostendatur, & legatur hæc beati Iustini vita, pridiè Nonas Maij, ad confortationem omnium fidelium, & ad honorem Patris ingeniti, Filij vnigeniti, ac Spiritus Sancti ex vtroque procedentis, cui est honor, virtus, & majestas, sine defectione perseuerans in sæcula sæculorum. Amen.

VITA SANCTI LEOBINI, CARNOTENSIS Episcopi & Confessoris.

Ex multis Legendariis Carnotensæ, ac vicinarum diœceseon.

BEatissimus Leobinus, Pictauorum vrbis indigena, dignis ortus parentibus fuit, quibus tantæ humilitatis deuotione se subdidit, vt in pueritia primeuæ ætatis positus, per hoc diceretur meritis approbatus. Hic bonæ indolis in adolescentia florens: discendarum amor literarum eius versabatur in pectore, vt Sancti Spiritus gratiâ quasi cælesti nube circumdatus, dum boues seruaret in pascuis, contigit vt Noidgelinsen Monachum sibi obuium deprecaretur sibi discẽdas scribere. Qui cùm non haberet, codicis, aut tabularum supplementum, provt potuit, apices in cingulo scripsit. Quod vtique præsagium diuinæ pietatis mysterio actum vidimus, vt qui multis erat profuturus, ad exemplum castitatis ipse cælibatus zonâ circumdatus, candoris instar flagrantis lilij, circa renes haberet cingulum inscriptũ literis veritatis. Postea verò cùm pater huiusmodi auiditatem discendi in filiis comperisset, literarum lineas in tabulis fieri decreuit, cui tantum exinde processit studium, vt vtrumque pariter ageret, videlicet, vt laborationi insisteret, & lectioni operam daret: sic inter colendi instantiam sedulum diuidebat officium. His quippe diebus figurabatur actibus, vt per agriculturæ opus, & obedientiam strenuus futurus iudicaretur Monachus; & per discendi studium venturus præpararetur Episcopus, & per fidelium corda vomere disciplinæ exarata tellus diuini verbi semina germinaret.

Nec multò pòst aliquatenus scientiæ prærogatiuâ illustratus, in quodam Monasterio piè susceptus, comâ capitis detonsus, efficitur Monachus: cui obedientiæ humilitate cellarium creditum, & temperandarum cursus horarum & vigiliarum diligentia committitur. Quâ occupatione detentus, per diem se lectioni vacare non posse comperiens, declinantibus ad dormiendum Monachis, pernoctabat intentè, vt disceret normam iustitiæ: qui cùm assiduitatem lectionis Fratribus nouisset one-

Digitized by Google

roſam, nolens horum murmur verti in tumultum, feneſtræ quæ oculis Fratrum patula erat, velum oppoſuit, vt lumen eis redderet ſuboſcurum, & ipſe lectionis caperet incrementum.

Quidam autem Diaconus illuſtris, nomine Nileſſus (forrè Carilephus eſt) cognoſcens eum velle adire B. Auitum, qui tunc temporis morabatur Eremita in Pertico, dulci affatu alloquitur ipſum, dicens: Agnoſco, Frater, de minimis ad maiora te velle conſcendere: ſed quæ tibi in incœpto ſcientiæ inſtitutionis propoſito proficiant, tribus verbis te inſtruere curabo, id eſt: Nulli Epiſcoporum te obſequiis obliges, quia inter bonos bonus multos inuenies detractores. Aliud moneo, ne quorumcumque hominũ Baſilicam regere, aut petitor ambias, aut expetitus acquieſcas, ne inter diuerſos mores aut rigorem Monachi perdas, aut ſi blandimentis non conſentias, detrahentes tamen vix ſufferas. Tertium præmoneo, ne paruæ te ſocies cellulæ; quia dum ſinguli præponere ſibi cupiunt, nulli obedientia miniſtratur.

Poſt octo itaque annos in illa cella monaſticè conuerſatus, beatiſſimi Auiti præſentia ſe obtulit expetendum: qui cum ab eo reſponſum accepiſſet, vt per eruditionem, quam in Congregatione Monachorum percepturus erat, ad ipſum reuerteretur. Inde recedens cum quodam Diacono, qui in Monaſterio aliquandiù conuerſatus fuerat, Ligeris littora cœpit peragrare, peruenièníque ad quandam cellam, vt in ea habitaret, ſibi oblatam, memor monitorum ſupradictorum, ſe in eo loco alligare noluit: ſed volens Lirinum peruenire, inuenit quendam Fratrem Lirinenſem dicentem ſe non poſſe illius temperiei incommoditatem vix ferre; quo dicto, ab itinere quod cœperat, reuocatur. Deinde Gaualenſem expetens vrbem, cùm à beatiſſimo Hilario eiuſdem vrbis Antiſtite ſacerdotaliter fuiſſet ſuſceptus, & aliquantiſper cum eo commoratus, cœpit conqueri Frater non aptum ſibi locum ad habitandum. Vnde cùm inter ſe iidem Fratres altercantes B. Hilarius animaduerriſſet, cœpit hortari illum vagum Fratrem, ne à comitatu B. Leobini diſcederet, ne fortè obedientiæ gratiam recedendo perderet, quam hactenus illum ſequendo adeptus fuiſſet.

Inde verò recedentes, audientéſque B. Lupi famam longè latéque crebreſcere, adeum ſe humiliter contulerunt, cúmque modico tempore cum eo morati fuiſſent, hortatur prædictus Frater, vtpote inſtabilis & vagus inde Leobinum diſcedere. Nolens itaque vir ſanctus huiuſmodi perſuaſionibus acquieſcere, fortitérque reſiſtens, & tam vagum fratrem in ſuo comitatu habere contemnens, continuato quinquennio in eodem commoratus eſt Cœnobio.

Intereà dum Francorum dura ferocitas contra Burgundiones bella concitaret, & eiuſdem cellæ Monachi eorum metu huc illúcque diffugerent, prædictus ſanctus cum altero ſene illic remanſit intrepidus. Interpellatus ergo ille alter ſenex à Barbaris, vt res Monaſterij totius panderet, reſpondit B. Leobinum omnes eaſdem res ſcire, ſe autem ab earum cognitione alienum eſſe. Hâc ergo excuſatione illo ſene ab inquiſitione liberato; cœperunt prædicti barbari hominem Dei molliter alloqui, vt ſi quid ex iiſdem rebus noſſet, præſentialiter panderet. Qui cùm per eum ſuis blandimentis nihil poſſent, ex his quærebant inueſtigare multimoda pœnarum genera excogitantes apponere tentant: Nam frontem eius chordis fortiter circumdantes, & pedes fuſtibus adſtringentes, & ſæpè eum in gurgitem ſubmergentes, ſicut nec blanditiis, ita nec tormentis ab eo aliquid extorquere potuerunt. Sanctus verò Leobinus inter vtrumque conſtanter perdurans, maluit ferre ſupplicia iniquorum, quàm reuelare ſecreta Monachorum. His nempè ſupplicijs miſerabiliter afflictus, licet ſemiuiuus, diuinâ tamen ſuffragante ope, ereptus cum duobus Fratribus, Eufronio & Ruſtico, adire iterùm ſanctum Auitum in vaſta Pertici ſolitudine commorantem. Quos ille fraternâ charitate recipiens, & illos duos Fratres prædictos ad congrua ſibi officia diſponens, vbi cognouit beati viri mentem cæleſti bonitate vberiùs enitéſcere, eum Cellarij præfecit officio.

In cuius miniſterij diſpenſatione ita ſe reddidit prouidum, vt nec ſuperpetenti daret aliquid ſuperfluum, nec indigenti congruum ſubtraheret alimentum. Adeò námque B. Auitus eius obſequium ſibi conſpexerat gratum, vt ſuæ fragilitatis corpus ieiunio maceratum, & ſenio attenuatum, nullo tandem alimento reficeret, niſi quòd B. Leobinus ſuâ induſtriâ præparaſſet. Factum eſt autem vt cùm dominus beati Auiti ſolitarium laborem cæleſti mercede remunerans, terrenis exemptum impe-

dimentis, in collegio Sanctorum ſuorum connumeratum haberet, B. Leobinus cum prædictis duobus Fratribus in loco qui vocatur Carbonatiæ, decreuit conſiſtere, & cùm aliquandiù in tribus cellulis à ſe conditis diurnum expleret officium, diſcedentibus diebus labore manuum ſuarum per quinquennium aquæ tantùm poculo, & ſobrio ibidem paſtus eſt cibo. Cùm autem æſtiuo tempore prouentus fructuum inſtaret, & maturæ ſegetes tritæ horreis recondi deberent, ſubitò acris oborta tempeſtas ita ſiluarum frangebat cacumina, & meſſes ſternebat, vt in ſtragem penitùs viderentur redigi. Commotus ergo vir Dei tantę incommoditatis periculo contra huiuſmodi nimbi tempeſtatem cæleſtibus armis, orationibus videlicet ſe inarmans, oleum ſacræ benedictionis opponens, non ſolùm fulgura & tonitrua tempeſtatem comitantia fecit conquieſcere, & in priſtinam tranquillitatem aëris quaſſationem redire, ſed inſuper quidquid cellæ in ſtipendiis debebatur ſub integritate conferri.

Illius miraculi ſpectaculum à beato viro patratum, ad laudem Dei eſt memoriâ retinendum. Dum beatus Ætherius Epiſcopus beatum Leobinum Brajaco, vt ſibi occurreret, conuocaret, contigit vt vicina illius cellæ quidquid obuium edax inuenerat exurendum, nihil parceret relinquendum. Sed cùm Monachi tanti vaporem incendij nequaquam injectis aquis poſſent retinere, ſed, vt videbatur, potiùs ignem viderentur accendere, vir Dei Leobinus orationibus ſuis & lacrymis valentioribus aquis flammarum globos, nomine Chriſti inuocato, penitùs conſopiri fecit. Nec minùs & illius miraculi inſigne præconium eſt memoriæ commendandum. Cùm per idem tempus præfatus Ætherius Epiſcopus beati viri Leobini proſpiciens ſanctitatem, ad Diaconatus proueheret officium, & Fratribus Brajacenſis Monaſterij præponeret, dignum duxit vt Præfecturæ officium commodiùs ageret, ſi ad Preſbyterij onus cum ordinabiliter ſublimaret. Poſtmodùm cùm flamma rabidi ignis ſiluas & campos exurens, ad Monaſterium ſegetes exurendo veniſſet, & Monachi eius metu à menſa ſurrexiſſent, vir ſanctus in oratione ante incendium proſtratus, apud Deum cæli impetrare meruit, vt omnis illius ignis rabies oppreſſa conſopiretur, & priſtina temperies aëris reddita blandiretur.

Inſeratur & huic operi illud cæleſte miraculum, quod Dominus patrare dignatus eſt per beatum Leobinum. Quodam tempore duo energumeni, in quibus tanta vis dæmonum præualuerat, vt ſæpè vincula & carbones comminuerent, occurrentes beatiſſimo viro, ſoſpitatis remedium largiri ſibi humiliter propoſuerunt. Sanctus itaque vir à Fratribus cohortatus impendere gratiam medelæ dæmoniaco furore agitatis, pietate commotus, oppoſito Crucis ſignaculo, & dæmones ab iis expulit, & priſtinæ ſanitatis incolumitati efficaciter reſtituit. Nec multo pòſt tempore, dum longè à cella abſens eſſet, & ad Monaſterium vbi paucæ puellæ morabantur, compendioſo itinere declinaret, benignè exceptus eſt ab illis. Denique poſt humilitatis officium, quod ei libentiſſimè adhibuerunt, noctis intempeſtæ ſilentio vna de puellarum collegio incentiuè impulſa, petulantiæ æſtu nefario pedibus Sancti iacentis ſub lecti operimento dentibus doloſum intulit morſum, qui ſentiens ſe huiuſmodi morſu attrectatum, cum percuſſione pectoris, & ingenti gemitu illam pedibus ſuis repulit, mortiferum veluti venenum, & ſeruatâ omni corporis integritate, laqueos mulieris ſine damno euaſit, pudicitiæ ſtrophio præcinctus. Ab hac itaq; tentatione Deo ſe protegente ereptus, contigit vt ipſe qui aliorum infirmitatibus exiterat Medicus, cancri vulnere percuteretur in naribus, qui dum Monachorum precibus rogaretur, vt ſibi humano quolibet ſtudio mederetur, ipſe æterno fidens in Medico, qui ſolo verbo curat omnia, ceram benedictam per annos ferè duodecim eiuſdem morbi tabe impoſuit, vt virtus per diuinam gratiam augmentum caperet in infirmitate. Vnde ſemper in Dei ſeruitio permanens, & in omnibus Deo gratias reddens, ſine aliquo humano ſuffragante auxilio poſteà narium meruit recipere ſanitatem.

Proferatur in medium & illud ſtupendum geſtæ rei miraculum, quod omnibus prodeſſe poterit ad fidei incrementum. Quidam ex Monachis, Antiteto nomine, ſed præclarus virtute, dum eſſet quadam nocte ſollicitus peruigil, vox ei directa eſt, quod tactum iam ſonuiſſet ſignum. Hâc itaque voce commonitus, ſurgit continuò, & ingreſſus Baſilicam ſplendore diffuſi luminis radiantem, in qua perſpicuâ claritate proſpicit duos egregios formâ viros, ſanctum videlicet Leobinum, & alterum nomine ſibi incognitum; ex quorum viſu, nimio terrore perterritus, fugam iniuit, ſeſeque

séque in sua cella abscondit: sed dum ad signi sonum in præfatam Basilicam ad matutinos se intulisset hymnos, expletâ orationis consuetudine, prælocutus Monachus cautus & deuotus pergit ad Dominum Leobinum, obseruans vt sibi indicaret quæ esset illa persona, quam in Basilica vnà cum eo intuitus esset. Agnoscens itaque vir Dei Fratrem fuisse dignum tantæ deuotionis miraculo, ait: Frater, cùm fuisses Oratorium ingressus, & duos pariter vidisses viros, me, vt audio, cognouisti, alter verò tibi incognitus, sed micanti splendore candidus; ipse est B. Auitus, me visitando dignatus corripere, & commonere qualiter debeam quendam Fratrem pro suis excessibus corrigere. Meritò námque cæleste lumen super sanctum virum radiabat: quia licet in corpore, mente tamen conuersabatur in cælis, iuxta illud Apostoli: *Nostra autem conuersatio in cælis est*; vnde visitationem meruit habere, & consolationem, in cuius siquidem corde & ore per diuinorum eloquia mandatorum lux cælestis gratiæ iugiter, ac infallibiliter rutilabat. Non multo pòst tempore à beato Ætherio Pontifice ei injunctum est, vt causâ proficiscendi in melius, sanctum Cæsarium Arelatensem Episcopum inquireret, & adire deberet intrepidus; ad quem cùm peruenisset sanctus Leobinus, paritérque cum eo beatus Albinus, qui comes eius itineris fuerat, requisitus à beato Cæsario, cur tanti itineris laborem assumpsisset, respondit beatus Albinus se tantummodò sui desiderij causâ venisse; beatum verò Leobinum, derelictis Fratribus, quibus Præpositus fuerat, Lirino properaturum, vbi accedens, omnibus Fratribus desiderat esse subjectus. Tunc sanctus Cæsarius corripiens eum, vt celeriter reuerteretur, ait: Vide Frater, ne Fratres te absente vim Regulæ frangant, & quasi oues sine pastore in direptionem veniant: quia si hoc contigerit, tuæ reputabitur culpæ, & omnis eorum iniquitas in tuum redundabit caput. Hâc ergo tremendâ admonitione prosternatus, ad regendos prædictos Fratres quantocyùs ad propriam reuertitur cellam. Comperiens autem eosdem Fratres nihil in se habere inuidum, nihil maledictioni, aut obtrectationi obnoxium, omnes æqualiter diligens, omnes hilariter intuens, Deo omnipotenti immensas retulit gratias, qui eos ad tantæ vnanimitatis concordiam perduxit.

Interea beatus Ætherius Carnotensis vrbis Episcopus, vitæ suæ cursu consummato, migrauit ad Dominum. Cúmque de successore eius varia esset inquisitio, Rex cæli Dominus, in cuius manu cor Regum est, Childeberti Regis cor ita suâ inspiratione inflexit, vt de beato Leobino Monacho Pontificem in successorem eligendo regale daret decretum. Vniuersi itaque qui aderant, beatum Leobinum non solùm à Rege, sed à Deo esse electum, alacri corde lætantes, consono ore, & concordi voto conclamare cœperunt eum cathedrâ Episcopali in successione affore dignum.

In hac ergo electione cùm vniuersus assentiret populus, quod non absque liuore inuidiæ actum esse credimus, quidam Episcoporum cœperunt resistere, & contradicere eius ordinationi, eò quòd modica pars naris quondam incumbente cancri ægritudine mutilata videretur: sed voce omnium vnanimiter conclamantium, oppressâ inuidiæ illatione, & penitùs frustrata, vir sanctus secundùm Dei dispensationem ordinandus decernitur. Interea quidam illorum scientes beatum Leobinum ad Episcopatus non velle conscendere dignitatem, consilio inito inter se ad eum, vt aliquem de suis Monachum Pontificali infulâ dignum eis transmitteret ordinandum. At ille libenter confestim eorum dictis obtemperans, deputat vnum ex discipulis suis tantæ ordinationi inuehendum instruens & docens qualiter se in regimine agere deberet, & in sanctitatis apice exhibere. Sed Frater nolens solus sine Abbatis sui præsentia illi concilio properare, obnixè postulauit eum, vt cum ipso illuc pariter pergeret. Surgens igitur senex profectus est simul, & peruenit Carnotis, quemadmodum fuerat deprecatus. Qui cùm in quadam mansione hospitaretur, & vidisset nocte in somnis pauimentum nucibus stratum, diuinâ, vt credimus, iussione ei injunctum est, quatenus emundatis testis nucleum sibi nitidum reseruaret. Transacto itaque noctis tempore cùm in crastinum vellet offerre Monachum, vt abeo postulatum fuerat, Episcopum ordinandum, & populi consensus non esse deceneret recipiendum, Regis edictum illicò in medium est prolatum, & inde recitatum. Quod ad Regis imperium, & totius populi votum, Leobinum oporteret Episcopum ordinari. Ipse verò renuens, & se indignum iudicans tanti regiminis suscipere curam, ad pedes Episcoporum porrectus extenditur, excusationem apponens illud

quod imponebant, nec implere posse, nec perficere opus: sed reluctantibus omnibus, atque eius excusationi non acquiescentibus, somnium quod viderat, congruâ interpretatione coniicitur, scil. quòd per nucleum à suis testis emundatum, populus esset ab eo regendus, qui depositâ austeritatis rigiditate, quandoque esset suo regimine corrigendus, nectareóque sui dogmatis pabulo nutriendus.

Exinde sine mora plaudentibus populis, ac Domino in excelsis maximas referentes odas, Leobinus, quem votis omnibus postulabant, Carnotenæ vrbis Ecclesiæ præficitur Episcopus, & contra callida antiqui hostis machinamenta constituitur Pastor egregius, qui postea rigorem sui propositi indifferenter seruans, sine pompæ ostentatione Monachum se, vt antè fuerat, in suo proposito perseuerabilem demonstrabat. Susceptâ igitur Pontificali reuerentiâ, qualiter, quantúmve se gesserit in lege mandatorum Dei, verborum affluentia non facilè est differendum. Erat enim vir Apostolicus, splendidissima veluti ardens in domo Domini lucerna, sermone nitidus, dogmate facundissimus, prædicatione egregius, mente serenus, mirâ patientiâ benignus, parsimoniæ studiis semper intentus, misericordiæ operibus deuotissimus, Angelicæ quoque castitatis candore super niuem dealbatus, omniúmque virtutum copiâ ditatus, & euprepia decoratus vitâ. Et vt probaretur esse Dei amicus, fidelis quoq; seruus, & prudens, sequentia referabunt miracula.

Quodam itaq; tempore cùm B. Leobinus ex more Pontificum parochias circumeundo visitaret, & Auallotium peruenisset, quidam cœcus ab annis 8. obtenebratus cœcitate, vt cognouit virum sanctum per illum locum habere transitum, humiliter petiit, vt per Crucis signaculum se redderet illuminatum. Quod vir sanctus aliquandiù recusans, timens ne virtutem operando aliquid arrogantiæ videretur assumere ex Episcopali ministerio dum cautè vult transire, tandem à suis compulsus est, vt opem medelæ ærumnis cœci clementer impenderet: qui statim precibus deuotè peractis, cum signaculo Crucis excutiens cœcitatis caliginem, pristino extinctum reparauit lumine vultum, quo cœcus fuerat antè alienatus.

Adiiciamus etiam huic honesto operi illud nobile miraculum quo vir sanctus medens sanauit hydropicum. Dum gloriosissimus Rex Childebertus B. Leobinum Episcopum Rotojalo speraret ad se venturum, & in ipso itinere accederet à Vallo-vico, oblatus est quidam hydropicus, nimis tensus visceribus, sanitati restituendus: quem cùm Pontifex pro obtrectantibus recusaret sospitati restituere, suorum precibus pulsatur, signo Crucis appositò, omnis tumor hydropici fugatus resedit, viscerum dolor penitùs recessit, & cutis tumore depositò, in planitiem redacta est, ægroto à mortis periculo liberato. Inseratur in pagina qualiter per sanctum virum euanuerunt incendia. Quodam tempore dum B. Leobinus cum Medeueo consacerdote à sæpèdicto Rege Parisius fuisset inuitatus, & dies Paschæ vice Pontificis illius loci defuncti Episcopaliter transegisset à parte Basilicæ sancti Laurentij, noctu edax ignis exiliens, domos pendulas quæ per pontem constructæ erant, exurere cœpit; & non solùm ex vicino fluuio incessanter aquâ superfusâ non adquieuit, sed etiam ciuitati proximus, vt vniuersa consumeret, magnum timorem incussit. Vt autem Rex, ob clamorem populi expergefactus, sopore quietis abrupto, causam tumultus agnoscit, confestim ad beatum Leobinum dirigit missum, vt celerrimè veniens, succurreret ciuitati. Sed dum multis hortantibus, vt ante eum iret locum, quo magnum flagrabat incendium, ait: Viri fratres, illic occurrendum est nobis, vnde contra flammæ globum, diuinum potiùs quàm humanum imploratur auxilium. Qui cùm pergeret ad Ecclesiam, & in terram prostratus, diuinum efflagitaret suffragium, fretus oratione, vnà cum Sacerdote ad ignem properauit impiger. Mox ignis eius oratione compressus, in semetipso deficit, & vires quas incendendo ædificia assumpserat, obliuiscitur. Et ita flamma eius interuentu consumitur, vt in semetipsa mortua penitùs consopiretur.

Nec illud silentio prætereundum est miraculum, quod nobiliter virtutibus floret egregium. Quædam Deo deuota ex Monasterio puellarum, cùm tunicam Domni Leobini causâ consuendi accepisset, & de nouo filo resarciens refecisset, vetus filum ex ea accipiens, ad suam zonam ex fide alligauit. Soror verò eius sæcularis, quæ pauore concussa ad eam confugerat, diluculò consurgens, cinxit zonam sororis, cui inerat filum Pontificis alligatum. Tùm dæmon à quo anteà arrepta fuerat sentiens circa puellam aliquid magnum & diù ferre non posset, acriùs eam vexare incipiens,

clamauit per os puellæ, tunicam Domni Leobini velut ignem sufferre non posse. Cùm hâc itaque vociferatione dæmon egrediens, puella tristes feruores eius pariter cum sanguine euomuit. Hoc quippe miraculum non illo videtur inferius, quod in muliere Hæmorrhoissa à Domino constat patratum: quia sicut illa ex tactu fimbriæ sanata est à profluuio sanguinis, ita & ista ex tactu fili erepta est à vexatione dæmonis. Illa autem liberata tam à laqueis inimici, quàm à curis sæculi, deuouit se omnibus diebus seruituram Domino coniunctam sorori in eodem Cœnobio.

Inter reliqua virtutum miracula, illud inserere mirificum est quod in fugiendis infirmitatibus constat celeberrimũ: Nam si quis typo quotidianæ, tertianæ, vel quartanæ febris correptus, de sancti viri palliolo fuisset præcinctus, pristinâ incolumitate receptâ ad hospitium reuertebatur sanus. Et ita diuinâ gratiâ salus concessa manebat de tegmine Redemptoris.

Adjiciatur in pagina quod vir sanctus obtinuit in vitâ. Dum cuiusdam Carnotensis d. .nus in suburbio ciuitatis posita dæmoniacâ infestatione sæpiùs lapidum imbre quateretur, itavt vicini propter densitatem crepitantium petrarum parata relinquentes conuiuia, domos suas effugerent, exhortati sunt à Dei famulo, vt aquam à se benedictam cum Crucis signaculo illuc porrigerent conspergendam, vbi dæmoniacæ illusionis maximum instabat ridiculum. Quo facto, hostis effugit territus, & dominus ædis in eadem domo securus mansit, & intrepidus.

Illud etiam opitulare miraculum nobis est ad memoriam reducendum, quo vir S. Leobinus illustris Episc. refulsit in populo. Quidam nobilis vir genere, Caletricus, sed meritis nobilior, post excessum B. Leobini Carnotis constitutus Episcop. dum in Presbyterij gradu, tam in conspectu Dei, quàm in oculis hominum sanctâ conuersatione se redderet gratũ, tantâ infirmitatis angustiâ est correptus, vt vix vltimo palpitaret anhelitu. Cuius venerabilis germana nomine Mallegundis, directis velociter missis ad sanctum Episcopum, vt ad leuandam fratris sui infirmitatem, benedictum dirigeret oleum. Ipse verò cum oleo præsentialiter veniens, silentium ab omnibus postulauit, dicens: Domine, qui omnia nosti, si hunc famulum tuum Ecclesiæ tuæ, vel populo tuo iudicas necessarium, tuâ opitulante virtute restitue sanum. Tunc ille æger statim vt sacræ vnctionis oleo est perunctus, tantæ sanitatis gratiâ est restitutus, vt nullius infirmitatis molestiâ nunquam eius membra fuissent attacta. Ad comprobandam autem sancti viri virtutem, reliqua olei pars in tantam constat pulchritudinis claritatem conuersa, vt cunctis qui aderãt, non olei nitor, sed crystalli videretur clarescere splendor; nimirùm illud præfigurans, vt qui futurus erat Episcopus, per ministerium Episcopale oleum consecrationis sanctificaret, & diuinis virtutibus per cælestem gratiam splendesceret. Operæ pretium est & illud insigne miraculũ huic ordini inserere, quod vir sanctus quamuis nesciẽs peregit in corpore. Quodam tempore dum parochiam Dunensis pagi cum suis pergeret visitandam, filia vnica cuiusdam ex parochianis, nomine Baudoleni, genere & opibus illustris viri, ita vi febrium & longâ ęgritudine tenebatur adstricta, vt iam sepultura præpararetur cum exequiarum pompa. Hæc audiens S. Leobinum ex proximo venientem, concito gradu eius præsentatur conspectui, petens ab eo suam benedici domum, & tam sibi quàm suis omnibus eulogias dari. Itaque S. Leobinus maturè consurgens, ad memoratũ Baudolenum, vt spoponderat, perueniens, dum ingrederetur domũ eius, puella câ quâ grauabatur infirmitate in lecto efficitur mortua. Nulli enim fideli constat dubium, vt per resurrectionem puellæ à mortuis nomen S. Antistitis clarificatur in populis. Præfatus námq; Baudolenus volens se in conspectu Pontificis hilariter continere, sub attestatione omni domui suæ præcepit mortem defunctæ cuiquam nullo modo pandere. Sed quia sine dolore nemo amittit quod cum amore possidet, diù celare non potuit, quia interior dolor cordis patefecit exteriorem tristitiam corporis. Vt autẽ sanctus Dei molestam illius domus conspexit familiam, tristitiâ correptus, & ipse ab apparatu prandij aliquatenus se suspendens, Basilicæ templum ingressus, ac pauimento corpore prostratus, cum lacrymis Dominum deprecatus est, vt tristitiæ causam sibi ostendere dignaretur. Oratione expletâ, vt senex surrexit de puluere, puella exanimis surrexit de morte. Tunc Baudolenus admirans tantæ virtutis excellentiam, cum omni domus suæ familia pedibus sancti prostratus, omnia quæ facta fuerant, humiliter indicauit; vnde & immensas ei gratias à luctu in lætitiam retulit.

Dicatur & illud mirificum quod sanctus Dei iam infirmitate detentus patrauit

Dicatur & illud mirificum quod sanctus Dei iam infirmitate detentus patrau i miraculum. Hâc itaque cùm vrgeretur infirmitate, duo pueruli hostis vexatione agitati, eius vestigiis se prosternentes, & cibum, qui sibi post esum remanserat, cum benedictione percipere meruerunt. Quo curante medicamine, vterque rediit incolumis ad propria. Cúmque B. Leobinus per septem annos continuatâ infirmitate agitaretur, diuinis actibus in cælum intentus, & miraculorum honoratus insignibus, quasi sopore dormiens, præmiis remunerandus opimis, vt fidelis seruus talentum sibi creditum duplicatum reportans, in gaudium Domini sui intraturus, Angelis plaudentibus feliciter migrauit ad cælos: qui tamen antequam sepulturæ traderetur, quantæ virtutis fuerit viuus, prodidit mortuus. Denique cùm in Basilicam sancti Martini in feretro positus portaretur humandus, quidam de circumstantibus dum virgâ gestatoriâ frequentiam irrumpentis populi prohiberet, contigit vt Crucem cum lampadibus oleo plenis pendentem ad terram prosterneret, mox ipsa Crux (mirabile dictu!) funiculo vnde ceciderat, cum omni integritate lampadarum, & sine olei detrimento, nemine subleuante, sese innexuit, & permanere in oculis omnium, vt antè consueuerat, cœpit. Et vbi credebantur lampades minutatim confractæ, suâ integritate solidæ, nec vllam olei guttam permiserunt distillare. Sic beatissimi viri corpus ad laudem gloriæ suæ emicuit virtute Crucis in funere. O glorioſſimam vitam! cuius merita adeò valuerunt apud Crucifixum, vt Crux quæ ceciderat in terram, sine vllius adminiculo ad locum vnde ruerat, reuerteretur illæsa! O venerabilem Christi Pontificem, custodiâ Angelorum iugiter munitum! cuius virtute nec olei liquor damnum, nec vlla illorum confractionis sustineret detrimentum. Verè etenim illius gaudens anima gloriatur felicitate æternâ, habens lampadem sanctam, inextinguibilem lucernam, quia sine laudis humanæ pompa, eius manus nunquam cessauit ab opere misericordiæ, quod indicatur huiusmodi liquore, & illius potentiâ. Hęc dicta sunt miracula, quia per Crucis trophæum à morte perpetua genus redemit humanum, & à peccatis mundatum dedit conscendere cælum. Et quoniam glorioſissimi Antistitis Leobini præclara miraculorum præconia ob venerandam annuâ deuotione memoriam narrauimus recolendam de innumerabilibus videlicet pauca summissis precibus tanti Patroni imploramus sanctitatem; vt qui eum fecit coruscare miraculis, nos faciat exuberare operibus bonis, concedátque nobis præsentis vitę cursum sine offensa transcurrere, continuámque pacis tranquillitatem obtinere, & in futuro sæculo ad eius consortium feliciter peruenire, qui in Trinitate viuit & gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VITA SANCTI LICERII COSERANENSIS EPISCOPI, ET CONFESSORIS.

Descripsimus ex apographo Sanctoralis Bernardi Guidonis Episcopi Lodouensis, communicato ab Illustrissimo & Reuerendissimo Franc. Bosqueto, Episcopo Monspelienſi.

BEatissimus itaque Licerius Antistes Conseranicæ ciuitatis, quæ Pyrenæis Alpibus est affinis, quæ ab Iberis terminant Galliam, natione Hispanus fuit, nobilitatis ornamento coruscante clarissimus, qui à patre Rhetoricæ artis pomposâ refertus facundiâ, maius venerandis muneribus de se lumen generis extulit, quàm de patre suscepit, & roseis floribus in speciem meliorem germen parentis ornauit: Qui ætate paruulus, meritis celsus, à patre literis liberalibus est imbutus: sed apud terrenum magistrum cælesti formabatur plenus instrumento. Dehinc ad Abrahæ fidei concordiam festinabat, & mysticè ad præceptum illud, tanquam si ad se diceretur: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Et ideò ad terram peruenit, quam ei pius præmiator ostendit; sicq; inchoauit ab adolescentia esse maturi principij, vt ageret puerili in tempore, quod implere vix solet processus in sene. Despectâ itaque sede patriæ, vitáque parentum, dilexit Dominum, & exclusâ claritate mundanâ, voluntarium elegit exilium. Vultus patris effugit, qui Abrahæ credulitatem impleuit: Patriarchæ iter arripuit, & sine dubio fecit eiusdem iustitiæ se con-

Digitized by Google

sortem. Hic confugit ad virum beatissimum miraculis præditum, & palmâ gloriæ, Tarbæ ciuitatis Episcopum Faustum, verè in Domini cultura felicem, cuius lingua per singulas homilias in Ecclesia Dei audiebatur, cui turba triumphalis dicere posset: Pulchra vox tua, cuius magisterio & merito talis populus Dei esse comprobatur. Mox verò eius obsequio se familiariter tradidit edocendum. Sed sacratissimus Faustus pro causa Christi missus est in exilium in ciuitate Vico-Iulio: deinde eo redeunte, ad propria iste comes accessit.

Igitur beatus Licerius ab ineunte adolescentia ita fuit diuinis armis gratiâ Dei prosequente succinctus, vt vbi se infelix belligerator ingessit, virtutis gloriâ non careret. Nam vt vnum pandamus de pluribus exemplum: dum inter pueriles turbas ioculariter ludus ageretur incautus, quod familiare iuuenili ætati est, prouidere ipse nil potuit, præsertim cùm adolescentes rapto impetu ludum sine ordine membris mutuis incepissent temerè. Accepto igitur amore certandi percussus quidam oculum, cùm gauderet, amisit; & cui luctus insistebat, per quem lacrymas funderet, non habebat. Mox verò sanctissimo faciente signum Crucis in oculo, interior splendor reductus est. Ecce quale lumen in iuuene sibi sacrosancta præparabat Ecclesia, qui illuminationis recipit exempla, & quid ei iam poterat esse impossibile, cui oculum sanare fuit tam facile?

Beatissimo igitur Fausto migrante ad Dominum, nolens parentes eius repetere, apud virum Apostolicum Quintianum Rutenicæ ciuitatis Episcopum venit, & in eius seruitio ordinatus est Subdiaconus, Diaconus, & Presbyter; tùm Episcopus Conseranensi Ecclesiæ est directus: qui quamuis alicui non videbatur competere quòd Sacerdos fuisset ordinatus, tamen à cunctis est libenter exceptus. Quis enim de eius electione potuit dubitare, cui tanta virtus Pontificij ad coronam gloriæ quotidiè crescebat? Florebat in eo iugiter Religionis processus, sed & recti mysterij copia dispensandi. Et quantùm gradus in eo crescebat, tantùm ipse diuinis assurgebat seruitiis. Illo quoque tempore, dum iter ipse cum suis carperet, supernâ gratiâ prouidente, subitò serenitatis fides est immutata, terris coruscant fulgura, aër tonitruis permiscetur, cælum tempestate succingitur, imbre nubes armantur, & ex omni parte nimbi descendunt; pluuia, velut flumina, effunditur; non vt iustum obrueret, sed probaret. Nam vndique guttis influentibus per loca, per quæ tunc cum suis vir sanctissimus Licerius Episcopus incedebat, sicca nubes pependit; & propter honorem Pontificis, illic fremebat diuisa tempestas, vt eum erueret potiùs quàm fæuiret: quia quo gressum ille intulit, illum nimbus expauit. Credens enim eum per qualemcumque tectum decurrisse, quia per medias vndas siccâ veste processit. Ecce ibi sicut dignitas erat venerabilis, ita merces illustris. Credo si orasset vtique ne plueret, Heliæ meritum reformasset; & quod à paucis pro eo repulit Dominus, generalitati non negasset. Habet & ipse à pristino Moyse chirographum, quia quod ille non sensit in pelago, hic vitauit in nimbo.

Veniamus tandem ad eleemosynariæ pietatis officium, ascendens in altum, penetrans nubes, pertransiens cælum, stans ante Deum, extinguens peccatum. Quod inter reliqua bona palmæ triumphalis exempla, iactantiæ quoque causa ei non auferet, nec fructu multiplicatæ segetis carebit. Quadam verò die, dum pauper paruam alimoniam poscceret, vt beatus Licerius Antistes sibi sine mora præberet, tunc ille ad quem cura Cellarij pertinebat, expensis omnibus, recurrens in cellam, panem dimidium non ampliùs dimisisse respondit quod deberet offerri. Sed vt iam esset excusatus à Pontifice, & vt clamante paupere, surdâ aure ipsum panem dimidium ei denegaret, graue peccatum æstimans, si partem eius illo esuriente Episcopalis mensa reseruaret, ingressus in locum antequam offerretur aliquid per solam voluntatem daturus, in decem tantum munus inuenit: nam pro dimidio, quinque panes integros reperit. O mens purissima diuinis mandatis intenta! O gula parcissima Angelicis epulis enutrita, pauperi larga, sibi restricta! Elegit propter inopem esurire cibum, vt non esuriat cæleste mysterium; sed subitò quod quondam terrenam frugem obtulit, cælestem messem collegit. Ecce solitus est de pabulis & necessitatibus, vt consoletur alienos respectu eius qui ait: *Spes agri mecum est.* Nec istum sine illo distribuere potuit, qui de quinque panibus quinque hominum millia satiauit; vbi frux plus in mensa quàm in terra nutritur, & in datis delitiis ampliùs quàm in acceptis. Quanta denique erat in Sacerdote fiducia, vt non caperet de cespite, quod non caperet de semone?

Illud quoque opportunum existimo patefieri, ne quod videtur esse relatione terribile, culpa sit silentio præterire: sæpè enim huiusmodi relatio ad fructum emendationis proficit. Dum igitur ad quendam locum Pontifex festinaret, insecutus est eum quidam Beatus nomine, non illi, sed sibi crudelis; qui mox impulsus animi feritate, equum ei magno impetu & violenter abstulit. Tunc ipso orante, & vigilias peragente, cum gladio eadem nocte se perfodit. Tunc scelerosâ dextrâ ad crudele ministerium seruatâ, vno momento committens culpam, & exigens pœnam, intulit Sacerdoti iniuriam, & repræsentauit vindictam. Nam perditus ne moram ad diuinam faceret vltionem, non expectauit ab altero se feriri. Fortasse ad hoc in sua morte nullus inuentus est socius, neque qui eius fieret sanguine maculatus. Alius enim crimen abstulit, cùm se malus author extinxit.

Adiiciendum est etiam salutare multis ipsius curationis miraculum: Nam quod honori illi erat, & præcipuum, reticeri non debet imminutum. Interèà nascente bellorum tumultu de militum discordia procreato, dum aduersus regnum colliendum illi consurgerent, & ad ipsum confringendum vires suas exarmarent, fugientem virum venerabilem de loco ad locum Iudex quærit infestus, equum fræno retinet, verba molesta ingerit, vnde venerat eum redire compellit; Dei tamen iudicio procedente, omnes suos laborantes infirmitatis tædio inuenit. Nam vniuersæ familiæ eius febres intulerat pestilentia, nec priùs eorum aliquis relaxatus est à languore, quàm ipsi ad sua vestigia Iudex prouolutus supplicaret. Oratione verò eius, cuius causâ venerunt vulnera, fuit & medicina, & etiam intercessionis suæ imbre febrium vapor abscessit, & igne fidei languores ignis extinxit. Beatissima autem erat eius voluntas, quam quodammodo sequebatur diuina; quia ita mandatis cælestibus obediebat, quòd cælos inclinabat ad vota. In tantum enim iam erat Christi familiaritati coniuncta, vt quod Redemptor per eius arcana susciperet, per signa monstraret.

Nec hoc prætereundum est quod in villa Arnespenos vir ille accesserit, vt videretur quantus amor ei esset in eleemosyna largienda. Dum verò ad ipsum locum veniisset inuitatus ad eulogias, erogatis omnibus, vnus ei panis remanserat, quem postèà restituente Cellerario, tribus pauperibus impertiuit, dicens: Habet vnde refectionem mihi Dominus meus dirigat. Tunc in momento quædam femina præter reliqua, quadraginta illi panes direxit, ne præteriretur quod dixerat, cui fides omnia ministrabat: quia sic tribuit, & non negauit; quod non habebat, accepit. Contigit quoque quendam multis sceleribus deprauatum, præter alia latrocinia, ouem pauperis violenter occidisse. Qui interrogatus à Pontifice, quare tot assiduè crimina perpetraret? respondit: Generatio est quæ talia admittit. Dicit ei beatissimus Licerius: Ergo oremus vt ipsa generatio deleatur. Mox verò vltio Dei comitata sermonem eius, in eadem hora flagitiosum hominem grauiori quàm ipse alicui intulerat flagello eum percussit. Est enim inuasus ardore tali: quòd si in aquam descenderet vsque in aures, non tamen illi requiem vel vnda conferret: æstuabat autem in flumine, nec secreto incendio cruciante, flammas vitabat in gurgite; quia intra se portabat de culpa camini fornacem. Id igitur actum est, vt vsque in finem tali pestilentiâ laboraret, quòd viuens cadauer eius existeret, cuius ad doloris augmentum caro resolueretur in cinerem. Nam in vorandis visceribus officium tumuli dira febris impleuit, nec inuentum est in eius corpore quod sepulchra consumerent, quia priùs flamma per eius membra defluxit.

Confido ergo deuotum populum, etsi pagina prolongetur per varias miraculorum delicias epulando non habere fastidium, quia inde sit salutis augmentum, quòd tam breuiter est explicandum. Quidam itaque laceratus à cane rabido, & eius veneno poratus occurrit viro sanctissimo, qui tollens facitergium de capite suo, inuoluit in eo periclitantem, & tali medicamine ab imminenti pernicie supplicem liberauit. Operæpretium æstimo etiam istud inseri, qualiter oratio eius fuit generalitatis ereptio; & quod priùs in singulis fecit, posteà probauit in cunctis.

Igitur veniente ad ciuitatem deprædandam Ricosyndo Duce Gothorum per vulgatum Christi nuntium, perterritis omnibus, afflictáque grauiter vrbe, ipsa tanquam quæ futuram timebat iam emersisse, captiuitatem deplorabat. Tunc verò vniuersi ciues de se desperantes, solum præsidium ab oratione Pontificis expectantes, occurrunt Sacerdoti, fletu potiùs quàm voce eum rogantes, vt subueniret patriæ

Digitized by Google

intrantibus hostibus perituræ, & ne gregem suum dente lupi raptoris contaminari permitteret, deprecabantur. Tunc vniuersis ciuibus præsentibus Pastor venerabilis pietate perculsus, ad diuinũ occurrit auxilium, vbi sine dubio fides obtinuit votum; móxque in oratione ipse prosternitur, nox in vigiliis ducitur, terra lacrymis irrigatur, cælum planctibus aperitur, & Angelica arma descendunt, superna mysteria confitentia. Prorsus eadem nocte B. Licerius Duci, de quo diximus, per visionem in via occurrit, & magno impetu impellens eum, ne vltrà præsumeret accedere obtestabatur, tantum donans spatium, quo locum vnde venerat, velociter appeteret. Tunc ille terribiliter castigatus, vix expectat diei lucem, nec pœnam sustulit, sed reuerti ad domum suam sanum licuit ambulare. Ad propria ergo festinauit, nec fuit vlteriùs quòd exterritus recordaretur, vbi Dux in fugam processit. Sic vnâ nocte, ipso solo vigilante, populo quiescente, ciue defenso, hoste repulso, sine vllo cuiusquam vulnere meruit triumphare, solâ voce vincente. O quàm felicissimum patriæ propugnaculum, cuius non vacuè missa verbi iacula ceciderunt! O mens sacratissima cælesti dono dotata, in cuius lingua pependit victoria! Hic diuina misericordia vltrà quàm promiserat, pietatis ostendit exempla, vbi vnum inuenit, & tamen ex cunctis accolas illæsos seruauit.

Sed quis eius gesta felicia, miraculis crescentibus per singula comprehendat? Quantis ille per eulogias sanitatem pristinam reformauit? Quoties languentibus salutem sanctam transmisit? Sentiebat æger sub dente cibaria, & stupebat pleno gutture dapibus medicinam, quia vix sibi præstari sperabat subsidia languoris. Hispani quoque ad eum currebant, quia toties miseratione suâ & vultu salutifero porrigebat medelam. Cùm verò ægrotum manu leni tetigit, grauis morbus effugit. Ecce virtutis imperium, cui posse subjacuit de aspectu sanare.

Quis verò dignè illum extollit, cuius spes quidquid voluit, in salutem conuertit? Nullis vnquam diuitiis, non rebus sæcularibus est occupatus, sed repulsâ communi sarcinâ, Christi crucem gerens, in alta sequutus est nudus, expeditus, & exercitus, viuens Deo, & sanctæ conuersationi intentus. Quadraginta & quatuor annos Pontificali honore insignitus impleuit. Hic ergo vir sanctissimus glorioso procedente triumpho per arctum & angustum iter gressu libero ducem sequens Christum, die sexto Kalendarum Septembrium, relictis terris, exceptus est cælo, præstante Domino nostro IESV CHRISTO, cui est honor, & gloria, virtus, & potestas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

VITA BEATI MENELEI ABBATIS:

Diuersa ab ea, quam duobus libris conscriptam testatur R. P. Hugo Menardus in Notis ad diem 22. Martyrologij Monastici, nisi fortè sit tantummodò Fragmentum, quod tibi, Lector, ne periret, repræsentamus nostrâ manu exaratum.

BEATVS Meneleus, relictâ vxore suâ, Barunti cuiusdam filia, vitam solitariam expetiit, ac processu temporis Ecclesiam in valle Naueris (fortè Elaueris) in Omnipotentis Dei, sanctique Martini Confessoris, magno decore complantauit. At verò omnium perfectorum inimicus & hostis, fabricam Monasterij instanter consurgere cernens, pluréque viros sub vno charitatis pacísque vinculo fore constrictos, & nullum eorum priuatum aliquid sibi vindicare velle, sed omnibus omnia esse communia, ægrè nimis augmentum boni gregis ferens, concitauit aduersus hominem Dei, sanctúmque locum, quendam virum sceleſtum, mentéque nefandum, qui inuidiæ zelo, iráque tabescens, abiit, & nuntiauit Brunichildæ Reginæ acta hominis Dei, qualiter sibi construere Monasterium sine licentia eius vellet, intra forestem Vinciacensem, id est, in valle Naueris. Tunc Regina in ira succensa: Vade, inquit, voca eum ad nos. Nuntius verò ad beatum virum quàm celeriter venit, dicens: Regina vocat te; venias ad eam. Ille autem dixit: Vade tu, ego te subsequar. Tunc constituit vt Sauinianus curam ageret Monasterij. Audoënum verò elegit vt comitaretur cum ipso. Acceptas verò eulogias, vinum, pisces,

& fauum mellis pro causa benedictionis, iussit sibi asellum domesticum sterni ad sedendum. Et sic itinere cœpto perrexerunt, atque Vincico curte, in qua Regina præerat, eulogias secum habentes detulerunt. Illa autem cùm vidisset eum, moto animo dixit ei.: Vinum, pisces, & mel quod detulisti, meum est. Quod autem tibi interrogo, citò responde, & dic mihi: Quis dedit tibi potestatem ædificandi locum illum? Ille autem respondit: Nos in potestate Dei sumus, & Dominus dedit nobis auxilium, & potestatem ad ædificandum domum suam. Tunc Regina ad eum: Retrò progredere, & si te ampliùs ibidem inuenero, vsque ad internecionem perducam; præcepitque nuntio dicens: Si in locum illum inueneris, iube illum interficere, aut certè in arbore excelsa suspendere. Tunc vir sanctus à conspectu eius egressus est, dicens: Ego interfectionem tuam non timeo; nam minas tuas pro nihilo duco. Ascenditque asinum suum, & reuersus est ad propriam cellam. Audoënum verò ad Leopalium direxit, vt in crastinum esset ad cellam venturus, ad opus diuini officij ministrare. Ille autem veniens ministrauit, & opus diuinum peregit: Nam vir religiosus Leoposius Sacerdos intuens fraternam dilectionem, postmodùm pertractare de æterni Regis amore cœpit, vel qualiter in sancta Dei congregatione consortio se iungere potuisset. Nam Deo auxiliante ita & factum est. Post pauca verò dierum spatia Oratorium beati Geruasij, quod dato pretio per epistolam venditionis acceperat, manibus propriis ad locum sancti illius tradidit. Rursum cùm post pauca momenti spatia nuntius Brunichildis Reginæ per vallem Naueris iter caperet, videns Fratres & beatum virum Meneleum cum ipsis in operibus manuum decertantes, recordatus iusiurandum quod Regina iurauerat, pergens ad eos, dixit Meneleo: Vt video, imperium pro nihilo esse videtur; certè mori voluisti, quia ausus es post comminationem Reginæ, in hunc persistere locum. Respondens vir Dei Meneleus, ait: Mori non timeo, quia mors & vita in manu Dei. Tunc missus Reginæ ait: An nescis quia potestatem habeo interficere te? Dixit ei venerabilis vir: Potestatem aduersum me non haberes vllam, nisi tibi permissum à Deo sit. Statimque vir ille nefandus commotus irâ, iussit eum apprehendere, & de funiculo, quem secum semper consuetè gestabat, manus viri Dei constringere, & pergere cœpit partibus Vincinanensis domus, in qua Regina erat. Tunc Fratres quoque se in vnum coniuncti, magno mœrore consternati, cœperunt lacrymabiliter flere, eò quòd tantus vir in magnum pergeret detrimentum, eúmque cœperunt cum fletu consequi. Cúmque vir Dei ad fluuium Siuolis peruenisset, aspiciens turbam discipulorum flentem, ingemuit dicens: Angustia mihi est; Obsecro, Deus cæli terræque Creator, respice in lacrymas eorum. Turba autem discipulorum procidens cum lacrymis in terram, flebiliter cœpit clamare ad Dominum, & ab eo vt mitteret Angelum suum sanctum, qui eriperet eum de manu persequentium. Illicò hostis & inimicus, qui eum vinctum tenebat, ait: Quis potest te liberare de manu mea? statimque nutu diuino dissolutæ sunt manus eius. Porrò oculi inimici caligauerunt, & manus ipsius curuatæ sunt, quibus innocentis viri alligauerat membra. Vir autem Dei alacri vultu, vltróq; vnà cum eo qui eum per vim visus est ducere, ire cœpit. Ventum est ad palatium vbi Regina aderat, & nuntiauerunt ei: Adest Meneleus ante fores palatij. Factũ est autem dum nuntius paululùm moraretur, vna ex ancillis Reginæ, quæ à diaboli nexibus erat vincta, pedibus se beati viri prouoluens, per intercessionem eius protinus incolumis adstitit. Monuit autem eam vir Dei ad Sacerdotem ire, oleóque sacro liniri. Perlatum est in aures Reginæ quid ancillæ accidisset, & quomodo salua facta esset. Et locuta est Regina contra virũ Dei superbè: Verè per incantationem dæmonum hoc operatus est. Docilia verò soror Reginæ ait: Nequaquam existimo hanc virtutem in Beelzebub, sed in digito Dei factam. Tunc Regina indignatione repleta, iussit eum interficere. Religiosusautẽ vir Dei dixit: Muta fiant labia dolosa, & omnes qui mala machinati sunt, institutione sancti viri, muti facti sunt. Iterúmq; soror Reginæ locuta est ei dicens: Certè sanctus est homo iste, & Dei cultor. Ingemuit autem Regina, & ait intra se: Si illi munera dedissem, aut illũ adorassem, forsitan Deus misertus fuisset, & linguam vinctam ad formandos sermones per vires propriasrestauasset. Statimq; vinculum linguæ diruptũ est, & ad eloquentiam dignitatis patuit lingua, & sermo rectè loquentis sonuit ad aures, offerénsque munera viro Dei dicens: Quidquid ad nos Religio vestra poscere velit, clementer impetrare valebit. Vir autem Dei dixit: Si dederis mihi de vestimentis, aut

quidquid

quidquid ad opus Diuinum pertinet miniſtrandum accipiam. Dixit autem Regina ad vnam ex ancillis ſuis : Propera quantocyus, adférque nobis Sacerdotalia indumenta, de quibus tertio peracto iam die Diuinum fuit miniſtratum officium. Illa, vt Regina imperauerat, abſque mora impleuit.

Cùm autem ante virum Dei veſtimenta delata eſſent accenſa ſunt igni, & coram omnibus in fauillam cineris redacta ſunt. Poſt incremationem autem veſtimentorum tunc monuit homo Dei Reginam : Da confeſſionem pro minuendis delictis, da eleemoſynas ad Eccleſiam Dei vel pauperibus & quod habes decimis impartire. Poſtea quidquid nobis largior clementia veſtra voluerit, gratanter veſtra cipiemus munera.

Regina ad pedes ſancti viri ſe proſtrauit poſtulans ab eo indulgentiam : Domine mi & Dei cultor precor non meis meritis multis exigentibus ne reatus mei criminis quod in te patrata ſum, recordare digneris, ſed clementer pro me orate. Nam diſcipulos lachymantes vidiſti eò quòd ad gladij minas properaret. Locus verò ille iam vlterius Minatus vocetur : dabóque tibi villam noſtram, Sigole nomine, vna cum appendiciis ſuis & Eccleſiam ibi fundatam in honore Sancti Martini Turonenſis Pontificis : cuius reliquias in Monaſterio Minato recondes. Do etiam vobis ſecundùm placitum veſtrum licentiam in circuitu cellæ veſtræ terminos ampliandi, & vnà cum largitate, veſtrámque benedictionem ..... partibus Franciæ iter noſtrum diſponam. Ille autem vir placido animo, mente præclara iuſſit eam cum gaudio ambulare.

Reuerſus venerabilis vir ad propriam cellam Sauiniacum ſciſcitauit. Ille autem reſpondit : Valent in Domino. B. verò Meneleus dixit : Nuncius ſum tibi bonus, eò quòd Regina non modicum honoraſſet. In circuitu cellæ noſtræ licentiam dedit ampliandi, quantum noſtra neceſſitas ſuppetit, & terminos deſignari & villam Sigole, quam ad proprios ſumptus habebat, nobis largita eſt.

VITA SANCTÆ MONTANÆ VIRGINIS.

Cuius feſtum quotannis colitur Kalendis Octobris.

Ex Legendario vici in Diœceſi Bituricenſi, qui ab eadem Sancta Montana cognomen vulgare ad hunc vſque diem ſeruat.

INſeparabili charitate atque ſtabili fide tenemus qui deſiderantes cœleſti Patriæ vitam tenere & terrena lucra funditus relinquere ad æterna præmia obtinenda valeret adjuuare, ſi fidem, vitam vel conuerſationem Sanctorum ſanctarúmque Chriſti Virginum ædificationem vel profectum Dominicorum veraciter alicuius liceat pauca ſcribendo aut prædicando ſtudio commendare, quatenus Sanctorum, Sanctarúmque Virginum præcedentium exempla cordis noſtri tenebras flamma charitatis & ardore ſanctæ compunctionis valeant illuminare. Propterea omnium opifice Spiritu Sancto adjuuante de beatiſſimæ Virginis Chriſti atque Matris-familiæ Montanę exemplo & conuerſatione quæ ſecundùm diſciplinam regulariter vincit ſub axe cœli iuxta id vel quod vidimus, vel per idoneos teſtes audiuimus, adiuuante Chriſto atque ſanctæ puellæ Dominicæ Abbatiſſæ orationibus, vel ſancta congregatione Monaſterij vbi ſancta Virgo præeſſe videbatur poſtulante, ſcribendo conabor charitati veſtræ intimare. Sed quo ordine de terrena origine genealogiam aſſumpſerit huic ſermoni miſcere longum eſt. Quiſnam in Europa habitans huius progeniei altitudinem vel nomen ignorat & loca ? Igitur cùm eſſet in domo parentum Sancta Dei puella Montana ſecus pedes genitricis ſuæ die ac nocte & verbo & ſapientia nitebatur. Erátque Deo chara & hominibus amica, ſupérque ſuas coætaneas creſcebat omni religione & ſanctitate.

Primum enim electionis ſuæ ſiue in Chriſti ſeruitio fecit initium, ſicut per iuſtum & veracem hominem comperimus, qui præſens aderat, quia dum genitor ſuus Regem domi ſuæ ad nobile prandium inuitaſſet aduenientes ibidem vnus peſtifer ho-

mo videlicet filius Ducis Auſtraſiorum qui cum à Rege & parentibus puellæ poſtulaſſet, vtſibi ipſa puella in matrimonium fuiſſet promiſſa ſecundùm morem ſæculi propter terrenam ambitionem & mutuam amicitiam placuit Regi & patri puellæ vt ih ſuam præſentiam illa cum matre ſua fuiſſet vocata. Illis autem ignorantibus propter quam cauſam vocaret Rex infantem: inter epulas interrogata eſt à Rege ſi illum puerum auro fabricatis veſtimentis indutum voluiſſet habere in ſponſum. At illa quaſi furore cum iuramento dicens: Quia nec illum, nec alium terrenũ hominem niſi Chriſtum volebat habere ſponſum, ita vt ipſe Rex & proceres eius valdè miratentur ſuper his, quæ à puella ex Dei viſione dicta fuerant. Ille verò puer receſſit in ſe confuſus iracundia plenus.

Sancta ergo puella Montana ad ſuam conuerſa eſt genitricem. Et ex illa die parentes eius cognouerunt à quali Rege fuerat adamata. Poſt annos verò quatuordecim cùm pater eius Pipinus de hac luce migraſſet, matrem in viduitate ſecuta eſt, eique in obſequium atque in Dei mandatis ſobriè & caſtè deſeruiebat. Cùm verò quotidie ſupradicta Materfamilias tam de ſe quàm de ſua orphana filia quid eſſet factura cogitaret, aduenies ad domum ſuum Amandus Chriſti ſeruus verbum Dei prędicans ex Domini permiſſione rogabat, vt Monaſterium ſibi aut filiæ ſuæ Dei famulæ Montanæ & Chriſti familiæ conſtrueret: ſtatim ergo vt intellexit Sanctus Amandus ignotæ mulieris voluntatem ad ſalutem animarum pertinere, ſacrum velamen ab eo accepit, ſemetque ipſam contradidit & omnia quæ habebat.

Sed hoſtis humani generis & inſtigator, qui ab initio bonis operibus inuidus eſt ad reſiſtendum prauorum corda firmabat, & ab his qui ad Dei voluntatem faciendam ei adiuuare debuerant non paruam ſuſtinuit tentationem. Quales injurias vel ignobilitates & periuria propter nomen Chriſti cum filia ſua perpeſſa eſt ſcribere longum eſt, ſi per ſingula narrantur: ſed hoc tantum quam deuotionem & quale deſiderium in ſe habebat in Dominum oſtendere: Nam vt violatores animorum filiam ſuam ad illecebras huius mundi per vim non raperent, ferrum tonſoris arripuit & capillos ſanctæ puellæ ad inſtar coronæ abſcidit: Sancta autem famula Chriſti Montana agens Deo gratias, gaudebat eò quòd meruiſſet in hac vita pro Chriſto in capite coronam accipere, vt in perpetuum corporis & animi integritatem digna eſſet habere. Deinde miſericors Deus & adjutor in tribulationibus ipſos aduerſarios in pacis concordiam reuocauit. Ceſſarunt virgæ, ac pars diaboli victa eſt. Materfamilias ita filiam ſuam Dei electam Montanam Sacerdotibus Domini tradidit ad accipiendum ſacrum velamen cum ſodalibus ſuis & ſancto gregi Cœnobitarum, Chriſto ordinante, præeſſe conſtituit. Nam morum continentia, mentis ſobrietate, verborum moderatione ſimilem ante fecit ætatem. Erat autem charitate prędita, vultu pulchra ſed pulcrior mente, caſtitate integra, eleemoſynis larga, ieiuniis & orationibus dedita, curis pauperum ac peregrinorum prouida, infirmis ac ſenibus pia. Iuuenis verò in diſciplina extitit ſtrenua: erga Eccleſiaſtica ſtudia quaſi paſtoralem habebat curam, vt per ſuos nuncios boni teſtimonij viros Sanctorum patrocinia vel ſancta volumina, de vrbe Româ & de tranſmarinis regionibus gnaros homines ad docenda Diuini Regis carmina ſibi & ſuis meditanda Deo inſpirante meruiſſet habere.

His omnibus iuxta Diuinum ordinem diſpoſitis plena dierum & perfecta ætate mater Beatiſſimæ Montanæ exemplum boni operis poſteris relinquens vel etiam ſuperſtites relinquens ſoboles, ſuos atque ex eis videns nepotes plus minus ſexagenum ætatis annum ita gerens, poſt obitum beatæ memoriæ viri clariſſimi Domini ſui Pipini anno duodecimo, Deo & Angelis ſpiritum ſuum commendans migrauit ad Dominum. Cùm ergo Dei famula Montana defuncta matre, onus omnis regiminis ſuper ſe ſolam ſuſcepiſſet, intra ſe cogitabat de cœleſti contemplatione quam ſibi ſine ſæcularium ſtrepitu habere optauerat bonis ac fidelibus diſpenſatoribus foris de fratribus, intra verò ſepta Monaſterij, de ſpiritualibus ſororibus vnam familiarem commendauit: Quatenus diebus ac noctibus in agone ſanctis orationibus & lectionibus & ieiuniis contra ſpiritualia nequitiæ potuiſſet Deum audire & ita exitus rei paruit in illa, vt pene omnem bibliothecam diuinæ Legis memoriter reconderet & obſcura allegoricè myſteria Spiritu Sancto reuelante apertè auditoribus aperuit. Inter cætera Sanctorum Eccleſias & alia præcipua ædificia à fundamentis conſtruxit, & orphanis,

Digitized by Google

viduis, captiuis, peregrinis alimoniam quotidianam cum Dei largitate ministrauit.

Nec prætereundum est, vt arbitror, quod ipsa Dei famula quasi timore perterrita nobis narrauit. Cùm ad altare Sancti Sixti Martyris orationis causa stetisset, vidit super se descendentem sphæram flammeam perlucidam, vt tota Basilica illius claritate fuisset illustrata quasi dimidia hora, paulatimque recessit vnde venerat, & postea similiter omnes sorores iterum eo modo. Quid istius lucis manifestatio indicabat nimirum veri luminis visitationem, qui omne semen pro se & omnibus orans illuminat. Quadam autem die periclitantibus nobis in mari eiusdem B. memoriæ Montanæ commemoratio ad vitam opportunè succurrit, dum pro vtilitate Monasterij in pelago cum tranquillitate nauigaremus à longè apparuit mirę magnitudinis nauis venire ex latere. Cùm autem appropinquasset, leuauit tempestas nauim in mari cum ingentibus fluctibus: & ecce magna & terribilis bellua quasi iactu fundæ nobis apparuit, cuius non totum, sed ex parte, vidimus dorsum, & nautæ tremefacti de vita nihil sperantes suis votum vouerunt idolis. Nos autem nomen Domini inuocantes, nam nouissimam speraumus horam, & exclamauit vnus ex nostris qui adhuc viuit & dixit ter: Montana adjuua nos, sicut promisisti. Certè quod audiui & vidi vobis testor: tertio illo repente verbo cetus abyssum petiuit, & nos cum lætitia & tranquillitate eà nocte portum obtinuimus, ita per orationem ancillæ suæ pauperes suos Christus dignatus est liberare à morte.

Post aliquot annos ex causâ nimiæ abstinentiæ & vigiliæ custodia, cùm eius corpusculum ex magna ægritudine grauiter fatigaretur per reuelationem diuinam cognouit quòd suus de hac luce appropinquasset exitus cum consilio seruorum Dei vel ancillarum omnem honorem & honoris vocabulum quem erga gregem corporaliter habebat ex solo spiritali Christi amore funditus dereliquit, & neptem suam secus pedes eius à cunabulis sub sanctæ regulæ norma sacris literis imbutam & nutritam in vices suas cunctum gregem regere & pauperibus ministrare constituit. Tunc & ipsa electa fuit. Erat autem vultu serena, familiæ cara, lenis subditis, pauperibus larga, parentibus pia, eloquio blanda, charitatem habens erga Deum & proximum in continentia permansit pura. Contigit autem ex odio paterno, vt Reges, Reginæ, etiam & Sacerdotes per inuidiam diaboli illam de loco primùm persuasione, postmodum militari per vim terrore ejcere tentarent, & res Domini quibus benedicta puella præerat, iniquiter possiderent, sed Domini misericordia & sanctorum oratione est protecta, omnibus suis aduersarius Christus, cui se ancillam deuouerat, miro modo restitit, & Deus gratiam suam ita contulit, vt qui ante propter cupiditatem raptores atque accusatores extiterunt, postea verò largitate & beneficijs extiterint defensores. Omnibus bene dispositis & Christi Ecclesia rebus restauratis, decimo deinde & primo anno ex quo sibi creditum suscepit regere gregem per jo. & plus dies continuato languore lecticulo detinetur. Solito more pauperibus & egenis largas eleemosynas tribuens omnibus debita secundùm Euangelium remisit, ab omnibus pacem ac benedictionem recepit. Inter spirituales Dei ancillas fide & spe in Christo fiducialiter habens tricesimo ætatis anno lætum emisit spiritum sub die nono Kalendas Nouembres & summa diligentia marmoreo tegitur tumulo, vbi sanctorum omnium resurrectionis expectat diem. At vnde digressi sumus, ad id reuertamur.

B. Ergo Montana Dei famula postquam vinculum oneris de sua conscientia relaxauit quasi trium mensium indesinenter orando, exhortando se suosque, verbum Dei prædicando loqui non cessauit, spe gaudens, in tribulatione patiens, mente deuota & serena, transitus sui adesse extremum optabat diem de carcere ad regnum, de tenebris ad lucem, de morte festinabat ad vitam. Et cùm solo hic esset corpore quotidie animo ad æterna transire cupiebat virtute continua orationibus & afflictionibus atque abstinentia singularis. Addidit etiam asperas vestes cilicinas & occultè suum induit corpusculum, ne vllam in hac vita haberet suauitatem refrigerij, nisi illic vbi fulgebunt sancti sicut sol in patria eorum. Cum ergo ad diem peruenisset extremum ita deuenit, vt in ipso sepulturæ loco nullum lineum vestigium super se misissent præter vnum velum vile multùm, quod quædam peregrina sanctimonialis ante dies plures illi pro benedictione dederat ad caput cooperiendum & ipsum corpus in sarcophago vbi quieseit, nullo alio velamine exceptis his duobus

cilicio quo induta fuerat & panno vetere quo ipsum cilicium tegebatur. Dicebat quòd res superfluæ morientibus nihil, neque viuentibus adiuuare potuissent. Quod verum esse sapientes testabantur. Deinde cùm appropinquaret dies assumptionis animæ illius, vocauit vnum de Fratribus & præcepit ei dicens : Vade festinanter ad illum peregrinum qui remotus est in Monasterio,& dic ad illum : Virgo Christi Montana misit me ad te interrogandum quali die migratura sit de luce, valde se timere dicit similitérque gaudere. Et ille tibi dicturus est quid debeas respondere atque renunciare. Vade & noli dubitare. Mox impleta iussione quod ex mandato fuerat, surgere non destitui. At ille seruus Dei sine mora ista Misso responsum dedit & dixit hodie pridie Kalend. Octobris est, Kalendis Octobris die crastino, & tunc ancilla Christi in missis solemnibus Dei, de corpore est migratura. Diem eum non timeat, neque trepidet de obitu suo, sed læta pergat: quia B. Patricius Episcopus cum electis Angelis Dei & cum ingenti gloria parati sunt recipere eam. Vade & tu velociter. Interrogauit autem eum ille Frater qui fuerat transmissus si hoc per reuelationem Diuinam vidisset, vt ei per ordinem indicaret. Ille respondens dixit : Vade & tu Frater festina, scies hoc die crastina. Quid me plus interrogas ? Qui reuersus nunciauit famulæ Christi quod fuerat dictum ad eum. At illa quasi è somno euigilans clarum præ gaudio reddidit vultum, gratias agens Deo eò quòd per seruum suum ancillam suam dignatus esset consolari. Et ita de promissione permansit læta vt totam noctem cum sororibus in psalmis & orationibus duceret vigilem. Crastina autem die Dominica hora quasi sexta iuxta Dei verbum sacratissimum Christi Corporis & Sanguinis viaticum accepit, & quando Sacerdos illi Dominicam sententiam & secretam habuit finitam tricesimo & tertio ætatis suæ anno suo die Kalendarum Octobrium agens Creatori suo gratias qui sine corruptione ad suum eam dignatus est vocare regnum, Deo desiderata emisit spiritum; dum ibidem ego & alius frater fuissemus euocati propter sororum consolationem, vocauit me seruus Dei & dixit : Scitisne aliquid ? Ego respondi : Non nisi sorores in gratia Dei vel in mœrore video. Cùm hæc dixisset, venit sanctissimus odor quasi fragrantia vnguentorum, ita redolebat cellula, vbi sanctum corpus iacebat. Et nos inde digressi in manibus nostris adhuc illius miri odoris suauitatem sentiebamus. Cùm omnia quæ circa beatissimum corpus agebantur officia impleta fuissent in cisterna sua quam olim sibi præparauerat cum Diuinis laudibus à sacerdotibus & Dei ancillis corpus beatissimæ Virginis Christi Montanæ mirificè traditur sepulturæ, vbi quotidie orationum præstantur beneficia, præstante D. N. I. C. cui est honor & gloria, virtus & potestas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ACTVS SANCTI ORIENTII EPISCOPI & Confessoris.

Cuius corpus in Auxitana ciuitate requiescit.

Descripsimus quæ sequuntur ex collectaneis Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini D. FRANCISCI BOSQVETI Episcopi Monspelienſis.

BEatissimi Orientij Sacerdotis sacratissimos actus vel pro parte differere non pertitiæ profluitate sed tantæ materię admiratione compellor, vt quod loqui nesciam tacere non possim. Nam beatissimus Orientius mundanæ lubricitatis squallore depositus se totum casta mente Diuinæ majestati deuouit & tradidit & altioribus honoribus adeptis Pontificalis Auxio ciuitate Cathedræ dignitatem ascendit. Qui Ecclesiasticis dogmatibus eruditus commissum sibi populum sacro sermone correxit, paganorúmque peruersitatem destruxit, & ita plenissimè doctus tanta doctrina eos eruditit, vt spreta idolorum vilitate auctorem suum cognoscerent & legem eius baptismatis gratia accipiendam concederent. Sic enim Pastor egregius de diabolicis faucibus populum perituram reuocauit, vt illos, quos vulneratos gladio inuidi draconis acceperat, Diuinæ doctrinæ medicaminibus sanatos Deo cui iam pene perierant reddidisset. Ergo cùm in eius pectore fides deuota ferueret, & talia gessisset vt virtus eius ostenderetur in plebe; Narueiam namque montem attollentem ver-

Digitized by Google

ticem & immensa proceritate conspicuum, qui ex fano à Paganis quondam dæmonibus consecrato hoc nomen accepit, vbi etiam infestatione dæmonum nullum iter peruium habere licebat, cuius montis fœcundissimas radices incolæ Auxij non poterant laborare: illic B. Orientius pergit, præeunte Crucis vexillo, fanum ingreditur & hospitibus incolis vi facta prorsus dæmones effugantur: & quod fuerat ante immundis spiritibus valdè refertum, fit sanctis orationibus Deo pacificatum: nullus ciuium solitas infandorum spirituum insidias expauescit, nullus quolibet h atu exterminatur à pessimis. Hic sanctus Orientius totum locum sua oratione lustrauit, vt omnem metum in securitatem conuerteret & à nefandis spiritibus virtutibus suis euacuaret, vt etiam multi ciulatus eorum audissent, quod eis pro sancto Orientio consistere in solito domicilio non liceret. Hæc scilicet virtute comperta cunctus populus Deo gratias egit quod talem pastorem eis Dominus donare dignatus est qui ipsos ab infestatione Diabolica liberaret. Quo in loco personans psalmis, pernoctans vigiliis, orationibúsque perseuerans largis eleemosynis supernæ bonitatis gratiam cumulauit.

Et cùm præstante Domino vitam longam in sæculo produceret, accidit, vt ab Imperatore Aëtius & Littorius ad debellandum Gothorum Regem cum exercitu mitterentur. Quorum aduentu Rex ipse territus cùm armis resistere non posset maximè quòd apud Dominum omnis eius ante confidentia propter fiduciam Arianam viluerat, ita coactus à S. Dei seruo Orientio popposcit præsidium, legationem eius proponere destinauit, vt eius auxilio terribilem impetum tantæ virtutis mitigaret. Quam supplicationem B. Orientius non pro hæreseon erroris squallore contempsit, sed vt eius tribulationibus subueniret, famulus Dei protinus iter arripuit. Occurrit Aëtio, simúlque Littorio. Quo viso Aëtius de equo desiliens prudentia suadente cum omni veneratione humiliatus ei occurrit, & vt pro eo orare dignaretur specialiter supplicauit. Quod imposterum quantum ei fides præstiterit, facti fama percurrit. Littorius quidé ei occurrere dedignatur & legationem sancti hominis huiusmodi despiciens nihil de pace respondit, sed in vrbem Tolosam exitium daturus se introire promittit. Tunc orante S. Orientio Episcopo, Littorius transmissa cœlitus plaga tanta nebulæ obscuritate vallatur vt pro futuri sibi consilij vtilitate deceptus cum ad prope periturus accederet, captus est à Tholosanis eò quòd Beati Orientij patrocinia persoluisset (fortè postposuisset, vel deest negatio, non popposcisset.) Nam & Aëtium Patricium qui orationem pro salute popposcerat illæsum, sub omni exercitu tantus Pontifex liberauit, & quem antea contempserat hæreticorum turba Getarum Deo gratias referentes occurrunt quòd per eius famulum ab extremo vitæ tempore quo perituri erant, nunc fuerant liberati: Ille obsessa à dæmonibus corpora liberauit: ille prouidit reditum peregrinis: ille tribulantium animos in securitatem transtulit: ille penitus à morte redemit. Eius temporibus eo laborante securitas introiuit terræ, profuit Christianitas, annullatur hæreticorum fatuitas. Auctoritates quæ cauendæ & quæ obseruandæ sint testimonio Diuinæ lectionis Apostolicus præco non siluit. Nam dum non possumus tam multa profari vel aliqua ex parte quæ agnoscimus, relegenda perscripsimus.

Quidam igitur vir nobilissimus genere ex Hispanijs prædiues facultatibus inuidiam pessimi accusatoris incurrit, apud quem Regis animus ita est aggrauatus, vt eo iure ad occidendum exluberetur. Ad sancti itaque Orientii transmissi sunt fideles patrocinia, qui eum vt pro eius vitæ spatio interueniret deprecati sunt. Tunc congratulans sanctus ad Regem venit, & ab ipso ad conuiuium est inuitatus. Et cùm initio Regalis prandii more solito Barbarorum mensa magnis fuisset carnium ferculis onerata, Rex ille humili prece popposcit, vt S. Orientius quod pro parsimoniæ consuetudine non ederet, sed ipse vt Regalibus animis satisfaceret suo tactu sanctificauit epulas & laudauit: & hinc fidem popposcit à Rege vt quæcumque vellet, apud Regis animum obtineret: contaminatis igitur carnibus insolitus cibus super miscetur, Quo viso ne hoc quod à Rege petebat impetrare potuisset turba circumstantium potentum ei comminari cœpit: sed tamen beatus Orientius pollicitum à Rege præmium postulauit, qui non auri argentique talenta, non prædiorum culmina, non agrorum spatia quæsiuit: sed vitam eius Hispaniensis sibi præstari popposcit, ante cuius faciem mors terribilis habebatur: & tunc pro edacitate obtinuit ille quæ petiit. Intelligite quanta ille potuit pro abstinentia obtinere, qui suis ciuibus salus, & externis vita fuisse probatur. Nam quantas nobis videntibus post vitæ tempora

viuens virtutes fuerit operatus, turba Auxitanorum ciuium non ignorat.

Quidam autem peregrinus arescentibus neruis vim debilitatis incurrens & contractis genibus maribúsque constrictis & longa pœna languescens ad solemnitatem B. Orentij virtutem cœlestis medici dum requireret, inuenit, ibique fideli oratione supplicare non cessat. Procedit virtus de tumulo, & in tantum sanitas redditur arefacto, vt redunuo infusa sanguine membra sanitatis gratia replerentur. Sic ergo præmortuæ manus in vsum pristinum reuocantur quarum digiti ita fuerant ante constricti, vt etiam eorum vestigia palmis quondam non apparerent. Det ipse sanctus Orentius mihi veniam, qui ab æthe rea sede virtutem quam à Deo accepit hominibus ostendit: quia etsi non potui expedire quæ volui vel genus infestorum * * hominum & piorum ad hoc animos inuitaui, vt ex abundantia cordis sanctum Pontificem illi adornent, quod ego summum opus vix potui delibare, nunc restat vt qui sancto Orentio gratiam suæ pietatis præstare dignatus est, nobis eius orationibus veniam pro sua maiestate non deneget, cui est honor & gloria & in sæculorum sæcula. Amen.

Eiusdem S. Orentij breue Elogium fabulis refertum cum Versibus de SS. Taurino Martyre & Austindo Confessore Auxitanis Archiepisc. ex veteri codice descriptis.

Beatus Orientius Archiepiscopus Auxitanus filius fuit B. Orentij ciuis Oscensis & beatæ Patientiæ conjugis & frater inuictissimi Martyris B. Laurentij, tempore Xysti Papæ. Successit Vrsino Auxitano Præsuli: Vascones ab Idololatria conuerut, & do quodam monte iuxta Auxium, qui Naruecia dicebatur, à Septentrione versus vrbem omnem spurcitiam idolorum exturpauit. Mons ille nunc habet Ecclesiam in nomine Quirici & Iulitæ consecratam. Post aliquod tempus Imperator Maximus duos Principes contra Olymbrium Regem Tolosæ misit, scilicet Agentium & Lyctorium, quibus ad liberationem Tolosanæ ciuitatis occurrens B. Orientius cum Agentio pacem obtinuit: Lyctorius autem in malitia perseuerans aciem contra Tolosam ciuitatem disposuit, sed precibus viri sancti à Tolosanis superatus occubuit. Et ipse Olymbrius cum populo suo Arriana perfidia deprauatus ad fidem Catholicam fuit conuersus.

De S. Taurino Martyre & Archiepiscopo Auxitano 5. Septemb.

Aue Protopræsul almifice,
Taurine Martyr inclyte,
Qui ciuitate Elisana demolita
A Vandalis & euersa
Transtulisti altare B. Mariæ
Ad vicum Vallis claræ,
Vt Paternus prophetauerat
Præsaliendo Elisæ & dixerat.
Post me tres, & postea nullus
Elisanæ ciuitati Episcopus,
Vallem claram erexisti
In ciuitatem, cui præfuisti
Vno de viginti annis prædicando,
Hæreses exturpando, Ecclesiam consecrando
In honorem natiuitatis B. Mariæ
Annis ducentis sexaginta à Passione
Domini nostri IESV-CHRISTI,
Et Ecclesiam Martyrio consecrasti.
O valdè felix dies illa!
Qua ciuitas ista Auxia,
Taurinum habuit patronum,
Archipræsulem & sponsum.

De S. Austindo Confessore & Archiep. Auxitano 25. Septemb.

O Dux & decus Gasconiæ,
Austinde Auxiorum Archiepiscope,
Qui à Burdegalensi originem,
Sumpsisti vrbe & honorem.
Post Metropolitanos quinquaginta octo
Triginta nouem annis bene merito.
Rexisti prouinciam Auxiam,
Et ampliasti Ecclesiam
In Dei laude & B. Mariæ
Longè post Taurinum incœptæ.
Erexisti Nogeroli oppidum
Fundando ibi collegium
Ad honorem cœlestis curiæ
Et B. Nicolai præcipuè
Annis in mille sexaginta duobus
Fuisti noster Archiepiscopus.

VITA SANCTI PARDVLFI CONFESSORIS.

Ex veteribus noſtris membranis & Apographo R. P. Iacobi Sirmondi Societatis IESV Theologi.

PRÆFATIO.

PLerumque dum priſcorum Patrum antiqua laudantes geſta miraculorum, nouâ quæ nuper geſta ſunt omittunt, quaſi vinum vetuſtum cum ſuauitate vel claritate hauriunt, muſtum nempe quaſi turbulentum ſquamoſum renuentes in hauſtu & rudis miraculi rudia corda deſerentis. Sed melius vtrobique vt opinor vterque commiſcere in hauſtum vinum ſcilicet & muſtum indulcia muſti foueat, ac temperet auſteritatem vini. Similiter vini auſteritas dulcedinem exacuit muſti, videlicet vt qui ex vno manantur fonte vitæ, vno de ſapore ſatienturſitientes. Idcirco mi pater Berthemaris non minimas omnipotenti opifici gratias agimus, quia hîc in Aquitania ſuperna inluſtrante gratia per ſancti infuſionem Spiritus quamplures Philoſophos & Rhetores reperis, qui vitam vel geſta miraculorum B. PARDVLFI Confeſſoris ſuo ſtylo emendare queant, & luculento ſermone aures fidelium liquidiſſimè inculcare. Et me tantillum & modicum, & à nonnullis deſpicabilem vel ineloquentem & ruſticum hoc poſcis opus. Valde onuſtum mihi eſt, quia non eſt mihi facultas in perfectione, niſi omnipotens inſpiret, & emittat Spiritum ſanctum ſuum, veritate dicente, quæ ait: Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Quapropter non audeo aggredi inualidus in ſenſu, tardus ad orandum, tam magni viri miracula, verborúmque & geſtorum copiam ad meam humillimam hæſitatem declinare, profecto vereor, quod abſit, de dulci facere amarum & de amaro dulce, ſed illius oro clementiam, qui latices conuertit in falernum, & brutis animalibus facultatem tribuit eloquendi, ſaltem ruſtico ſermone huius beati viri PARDVLFI vitam vel ſigna miraculorum, vt valeo, adgrediar prænotare Lectorem. *Explicat Præfatio.*

INCIPIT VITA S. PARDVLFI.

Igitur iam mundus penè ad occaſum crebreſcentibus malis retroacta ſigna ruinæ ſuæ in Sole & Luna & in Stellis vel preſſuris gentium, peſtilentiæ fames, terræ motus, cæteráſque ruinas quas veritas refert, atque Euangelica commemorat hiſtoria, & enumerare prolixum eſt. In Occidentali plaga partibus Aquitaniæ in vrbe Lemouicenſium ex vico cuius vocabulum SEREDINNVS, ortus puer ex agricolarum cultoribus fidelibus genealogia, cui nomen PARDVLFVS. Qui dum puerili degeret vita mitiſſimus ac modeſtus cum ſumma reuerentia præ ceteris adoleſcentibus videbatur. Quadam die dum eſſet cum aliis adoleſcentibus, & ſub quadam arbore ſederet, vt mos eſt in luſibus vel iocis puerilium tam pro calefactione quàm & ſpectaculo ruinæ arboris ignem ad concremandum in eadem arbore poſuerunt, quo exuſto, flante vento, inrigante imbri, prefata arbor radicitus diſrupta in terram voluens ruit. Ita vt omnes paruuli qui illic aderant fugam arriperent, niſi præfatus Dei puerulus PARDVLFVS ſigno crucis armatus remanſit immobilis atque intrepidus, caſu adueniente illico ex ramis vnus arboris ipſius eum in capite ſauciauit vulnere graui, & ob hoc vulnus oculorum lumen amiſit, ſed claritas veri luminis per infuſionem Sancti Spiritus internos oculos inluſtrauit, cæcus corpore & fulgens in opere, tentatus ad tempus & non mortificatus, temporali aſpectu priuatus pauliſper, & perpetuo bonorum operum lumine repletus, ita vt videntibus mundi claritatem, dux eſſe præualeret itineris patriæ cæleſtis introitum abſq; quolibet offendiculo, vt non cum reprobis diceretur, ſi cæcus cæco ducatum præbeat, vterque præcipitentur in baratrum. Iſte enim cæcus corpore, ſed clarus opere, dum cum propriis parentibus degeret vitam, quicquid ab eis ex alimento vel operimento ab eorum manibus recipiebat, mox cum foras veſtibulum eſſet egreſſus, quemcumque ex pauperibus recipiebat, hoc ſuis manibus in abſcondito erogabat, niſi paululum in vſum vitæ ſuæ erogabat. Qui mox

tantam gratiam ei Dominus contulit, vt qui ad eum veniebant, varijs infirmitatibus languentes, vt si cuidam manum imponebat, vel oleo benedicto perungebat, aut aquam potantibus dabat, repente ab eis omnes infirmitates febrium repellebantur. Etiam & qui à dæmonibus vexabantur, protinus cum ad eum perducti fuissent à dæmonibus obsessis corporibus effugabat. Hæc sunt adolescentiæ suæ prima rudimenta. Hic est ludus puertiæ suæ. Dum talia ceteraque similia superna gratia inlustrante clemens opifex per eundem virum Dei signorum miracula vndique coruscant, sic vnus ex nobilibus Senatorum Lantarius nomine in eadem vrbe Comitatus officium nactus, ditatus opibus, pluribus præ ceteris inclitus atque procerior in facultatibus, vel etiam diuitiis pollens: decreuerat namque vt pro sua nimia crimina, vel etiam adipiscenda æternæ vitæ præmia, in vicinæ vrbis loco qui vocatur Waractus, Monasterium in honore Beati Petri Apostoli ædificare conabatur, & suis propriis ditare subsidiis, atque in cibos vel operimentum Monachorum & pauperum delegare. Et missis speculatoribus suis tam ex vicinis & suburbanis locis, quàm haud procul vel vbique de qualibet prouncia vel natione seruos Dei aut Monachos inuenirent cum summa alacritate ad præfatum ouile congregentur, dicente Propheta: Et de nationibus congregauit eos. Sicque à quibusdam diuulgatum est quod in præfato Seredinno famulus Dei PARDVLFVS timoratam atque religiosam ducebat vitam, & die noctequè sedulis atque prolixis vigilijs & orationibus pernoctans hostiam viuam semetipsum Deo mactans. Mox prædictus LANTARIVS audita fama ac diuino accensus spiritu, equum suum sternere iussit, & nullum alium ex pueris ad eum misit, nisi ipse concitus venit. Et facta oratione virum Dei ad se accersire præcepit. Repente intuens vultum eius clarissimum pallenti facie cum macie decorata, elegans aspectu crinem pulcherrimum decora cæsarie, rogare cœpit lenibus sermonibus demulcens ac blandiens suadendo, vt cum ipso ad suum Monasterium ad habitandum diuerteret. Sed vir Dei renuens eius petitionem dicendo numquam se ex eodem loco egressurum vsque ad finem vitæ suæ, supradictus Lantarius tam rogando quàm suadendo eum in equum suum eleuare præcepit, & ad Monasterium suum virum Dei perducens, augebat Christi caulas spolians Synagogam, & duos pueruIos præcipiens, vt eius familiarissimi subiacerent seruituti, & cum magna diligentia iussionem eius obseruarent. Et vbicumque ipse LANTRARIVS per suum Comitatum, vel in sua propria loca ambulabat, ipsum semper secum ambulare faciebat, & in sua camera vbi suus proprius fiebat lectus, semper eminus virum Dei requiescere faciebat. Et cum cuncta claustra Monasterij, & omnis fabrica ipsius, vel omnia loca habitabilia perfectè vel consummata fuissent, supradictus Lantarius per ostium cellulæ ipsius viro Dei tradidit ad regendum. Et sicut iam superius præfati sumus de genealogia eius atque propagine vt ex agricolis gigneretur, ita & iste cordium custos vel cultor esse non desineret serendo vel seminando assiduè pabulum verbi Dei, vt grex sibi commissus fiat frugi fecundus. Et prostratus sæpe dictus Lantarius vtroque genu in terram poscebat dicens, vt cum ante tribunal Christi aduenirent suis suffragiis subleuaretur. Fuit autem eius pœnitentia ardua nimis. Postquam in prædicto cœnobio habitare cœpit, ostium cellæ ipsius egressus non fuit, nunquam à sole calefactus nisi per fenestram, nunquam carnium, neque volatilium esu vsus est, numquam linteo indutus, neque balneo vsus, nisi postquam infirmare cœpit suadentibus fratribus, rarissimè æstuabat ex calidis lapidibus. Et cum introisset vbi est Warecus latenter ferrum deferens acutum, & cuncta membra sua minutissimè incidebat, vt semper vulneratus esset, & facta vulnera vix de loco moueri potuissent, vt bene cum Propheta diceret, non est sanitas in carne mea à facie tua. Comedebat semel in Hebdomada, & hoc aridissimam escam. Quadragesimis namque temporibus omni corpore nudato à discipulo suo virgis cædi se præcipiebat. Nocte vero omni corpore prostrato in terram extensis brachiis tam æstate quàm hyeme quandiu potuisset in oratione iacebat. Surgente autem eo ab oratione, paululum requiescebat. Quod verò restat post nocturnas horas ex lectionibus, quod legendum audiebat, memoriter recitabat. Post matutinas verò Laudes, Responsoria vel Antiphonas de Sanctis Martyribus vel Confessoribus decantando meditabatur. A Tertia autem hora vsque ad Sextam orationibus vtebatur, à Sexta verò vsque horam Nonam silentium faciebat; exeunte autem eo ad Nonam pauperes vel infirmos qui ad eum veniebant, verbi Dei pane vitæque prædi-

cationc

catione satiabat. Dum quadam nocte paululum obdormisset, Archangelum Michaelem coram se in somnis adsistentem vidit, qui clara voce ad eum ait: PARDVLFE vir Dei, surge velociter, & ascende per hunc gradum scalæ istius, dextera manu gressus dirige, sinistra autem noli præire, quia tenebræ magnæ sunt. Ecce Dominum Deum tuum quem diligis, stat ad summitatem scalæ tenens coronam in manibus, quam in capite tuo ponere velit, & baculum quem tibi ad regendum populum suum dedit. Tunc famulus Dei statim consurgens, & locum vbi pedes Angeli per visum adstare vidit deosculans, protinus se cum lachrymis in orationem dedit, & postea ad omnes ægrotantes qui ad eum veniebant de ipsa terra vbi pedes Angeli adstare viderat, ad spargendũ in domibus eorum dabat. Sed cum iam eius vitam vel abstinentiam digessimus, de eius virtutibus aliquid enarrare debemus. Quidam ex rusticis vulgaribus Gominus nomine dum ligna ad vsum ignis cæderet, vt adsolet, in vetusta arbore *bolides quos vulgo lemigas* vocant adhærentes reperit, & cum eas collegisset, decreuit vt eas ad virum Dei PARDVLFVM deferret, & dum concitus ad Monasterium ad virum Dei properaret, Ragnaricum quendam consiliarium inlustris viri Chunoaldi principis, necnon & legatarium præcelsi maioris domus Francorum Caroli in via obuiauit, scisitatus ab eo cui has deferret lemigas. Tunc homo confitendo dixit quod ad virum Dei PARDVLFVM eas deferebat qui nihil carnium, nec volatilium edebat. Sed prædictus Ragnaricus temerario ordine easdem lemigas de manu hominis vsurpauit, & puero suo præcepit vt quando hora vescendi venerit, eas ad comedendum diligenter præpararet. Et cum ante ipsum fuissent allatæ, priusquam ex eis in os posuisset, ita factum est vt nequam guttur eius vel caput tumesceret. Sic vnus ex pueris inquiens ait, quod pro lemigis quas homo ad virum Dei deferebat ex hoc male pateretur. Tunc sæpedictus Ragnaricus equum suum, quem sedere consueuerat, sternere præcepit, & per vnum ex pueris suis ad famulum Dei PARDVLFVM direxit, & ita præcepit vt prostratus suis pedibus deoscularetur, veniamque deprecaretur pro culpa quam in eo commiserat vt relaxaretur, ac pro eo Dei misericordiam exoraret. Et cum homo ante virum Dei aduenisset, & cuncta retulisset, tunc vir Dei hilarissimo vultu & quasi subridens dixit: O fili semper contraria sunt impiis præcepta iustitiæ. Nos autem etsi in magnis tribulationibus positi sumus, tamen à conditore nostro omnino non sumus despecti. Vos autem quomodo debetis erogare propria, dum capitis aliena? Et continuo nihil moras agens oratorium ingressus pro eo Domini misericordiam diutissimè orauit, & oleum benedictum & aquam manibus suis dedit, & cum homo ad eundem Ragnaricum reuersus fuisset, & oleo eum perunxisset, & aquam in os posuisset, easdem lemigas vnde ingressæ fuerant, cum magno strepitu redierunt, & ita sanatus est homo. Rursusque multis diebus crebro ad virum Dei veniens gratias agens confitendo peccata sua, laudem dabat Deo.

Aliud quoque fertur miraculum quod per eum Dominus operatus est. Dum quadam die solus sine fratribus resideret, claudus quidam Marcellus nomine qui ab vtero matris suæ calcaneos hærentes renibus nihil aliud nisi cum scamellis gradiebatur, ad eum veniens rogare cœpit, vt pro restauratione sui gressus Dominum exoraret. Tunc vir Dei respondens ait: O nate, ista virtus apud B. Petrum fuit, quando ad portam templi claudum inuenerat, & ab eo stipendia viuendi postulabat. Tunc B. Petrus respondens ait: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do, in nomine IESV Christi surge & ambula. O quale miraculum dum victũ corporalem quæreret, stabilitatem pedum recepit. Nos autem fili inusitatum habemus miraculum istud. Nam recordati sumus, quia Dominus discipulis suis pollicitus est dicens: Si habueritis fidem vt granum sinapis, dicetis monti huic, transi hunc & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Tu autem fili adquiesce consilio meo, & vade ad fontem meum, quem ego construere rogaui, & nudatum corpus tuum ex ea aqua ablue, & deinceps ex aqua benedicta totum corpus tuum leni, & eadem nocte in oratorio, quod est in honore S. ac beatissimi Siluani Martyris tota nocte vigila, & nos cum fratribus pro restauratione gressuum tuorum Dñi misericordiam exoremus. Et cum ita factum esset, & isdem claudus intẽpesta nocte vigilaret, paululum grauatus à somno obdormiuit, & mox vocem vehementem quã poterat emittens, & rursũ se erigens ad craticulas vbi fratres ad psallendum se supponere soliti sunt manibus amplexatus est. Tunc Presbyter custos cellulæ eius Blandolenus nomine cognitans, & aperto

BIBLIOTECA DERECHO

ostio oratorii ingressus diligenter inquirens quidnam sit quomodo taliter obuenisset. Sed prædictus Marcellus respondens dixit quòd vir Dei PARDVLFVS eum per humeros suos manibus complexatus sit, & sursum eleuasset. Tunc Presbyter prosternens se in orationem cum lachrymis glorificans memoriam Domini Saluatoris nostri, qui talia per seruum suum operari dignatus est, & ita sospes factus est, vt in crastinum relictis scamellis propriis gressibus ad virum Dei peruenit. Godolaicus quidam faber ex Lemouicas ciuitate arreptus à dæmonibus, vinctus catenis collo vel brachiis cum duobus ductoribus, vnus qui præibat, & alius qui retrorsum traheret, quia quemcumque adprehendere potuisset, aut manibus trucidaret, aut dentibus laniaret, statim cùm ad hominem Dei fuisset adductus, multis conuiciis vel increpationibus virum Dei exprobrans, dicens latronem, falsatorem, impostorem. Tunc vir Dei omnia patienter ferens cibum & potum ei dare præcepit, mox oratorium ingressus pro eo Dñm exorauit, & per aliquantos dies secum fecit demorari, & ita sanum factum vnde venerat remisit. Alij quidam duo Centullus nomine & Benedictus dæmonibus repleti ad eum perducti: qui suis orationibus similiter liberati sunt. Domolinus nomine ex Wasconia, qui lumen oculorum amiserat, & raucitate gutturis grauabatur, qui nisi ad aurem alicuius os suum propinquaret, nihil quod loqueretur intelligere quispiam potuisset, protinus vt ad eum perductus est, & lumen oculorum recepit, & linguæ loquendi restauratur officium. Et aliud non tacebo quod per eum Dominus ostendit. Paralyticus quidam qui per quinquennium in porticu S. Martini Confessoris Turonis iacebat, qui nec manus ad os ducere potuit, nec in aliud latus declinare, vox ad eum in somnis commonuit dicens: Surge & citius propera Lemouicensem vrbem, & virum Dei PARDVLFVM inuenies, & per eum tibi Dominus tribuet sospitatem. Et cum semel vel tertiò ei reuelatum fuisset, vni ex Monachis Monasterij ipsius omnia indicauit, & prædictus Monachus domno Audelando Abbati omnia retulit quæ per visum viderat. Venerabilis vir præfatus Abbas asellum ei dare præcepit, & duos famulos qui eum ad virum Dei perducerent. Et cum ad eum peruenisset signum Crucis super eum imponens, & post paucos dies sanus effectus vnde venerat redit. Alio namque tempore cum Ismaëlitarum gens Pictauiensem vrbem fuissent ingressi, & præcelsus Maiordomus Carolus cum cuneis Francorum ad debellandum eos veniisset, & deuicto prælio hostem prosternens, spolia capiens, captiuos reuocauit. Sic quamplures ex eadem gente Ismaëlitarum fugam arripuerant, & vnde reuertebantur, quemcumque hominem Christianum inueniebant, & vbicumque Monasteria aut loca sancta obuiassent, igni concremabant, ita diuulgatum est quod ad Monasterium viri Dei PARDVLFI peruenirent. Et cum hæc famulus Dei audiret, dicebat fratribus: Filij si venerint ad ianuas Monasterij, cibum & potum eis præbete, quia de itinere fatigati sunt. Quid putas qua charitate esset ignitus, qui paganis bellatoribus epulas præparare nitebatur? Tunc Fratres prædicti Monasterij, qui eum vndique adsistebant vel ministrabant, plaustrum præparatum & opertum velis adduxerunt, vt cum ad eremi loca perducerent, vt à gente nefandissima non periclitaretur. Sed dum vir Dei armatus Spiritu Sancto nullatenus consentiret petitionicorum, dicens nunquam se ex eodem loco esse egressurum vsque ad finem vitæ, omnes tunc fratres qui illic aderant, fugati sunt, nisi vir Dei. Hic solus remansit intrepidus, & vnus famulus ceteris deterior Eufrasius nomine occultatus remansit, vt eius finem videre potuisset. Et cum iam ad portam Monasterij eminus adpropinquarent, prædictus Eufrasius ad virum Dei occurrens dicebat: Pater ne desinas ab oratione, quia ianuas Monasterij imminent. Tunc vir Dei non suæ mortis discrimen metuens, sed Cœnobij sui caulæ sollicitudinem gerens continuo in orationem prostratus, Dominum exorauit dicens. Contere eos Domine & dissipa gentem bella gerentem, & non sinas hodie ianuas Monasterij istius ingredi. Repente omnes in vnum cuneum coniuncti cæcitate concluſi suis linguis conloquentes, diutissimè steterunt, & viam quam profecturi erant perrexerunt, & famulus Dei permansit ouans atque intrepidus. Et aliud non tacebo miraculum, quod per eum Dominus operatus est. Sobolenus quidam nomine ex Aruernico territorio ad eum veniens, de eius aqua ampullam plenam signo Crucis roboratam detulit, vt eam pro salute sua suorumque omniũ domesticorum vel ægrotantiũ secum semper haberet, quam supra lectulum suum vbi quiescebat, pependit. Quadã vero die ægrotantes ad eum venientes, rogare eum cæperunt vt pro charitatis gratia ex eadẽ aqua ad potandum vel ad liniendum populũ pro repa-

Digitized by Google

ratione corporis daret, ſed præfatus homo renuens petitionem eorũ, nihileis donauit. Altera vero die ad ſtratum ſuum veniens, os ampullæ in pariete pendentem reperit. Et ampullam cum aqua percluſam in ſtratu ſuo reperit, & qui ægrotantibus dare neglexit, ad ſuum opus ex ipſa aqua nihil habere potuit. Et continuo pauens cum magna reuerentia vel timore ampullam cum aqua ad virum Dei defert, veniam poſcens, vt culpam quam admiſerat, relaxaret. Arnulfus quidam iuuenis inluſtris viri Chunaldi Principis annonam cuidam viduæ tollens ante caballum ſuum poſuit ad comedendum. At illa proclamans dicebat quod ancilla viri Dei PARDVLFI eſſet, & nihil alimenti anni præſentis amplius haberet. Tunc idem Arnulfus nihil verens, eius annonam indiſcretè abſtulit, & ante equum ſuum poſuit. Et cum ille foras domum ipſius fuiſſet egreſſus, oculi caballi ipſius egreſſi à capite in fronte ipſius ſuſpenſi pendebant. Sed & ipſe Arnulfus reuerſus inuenit annonam intactam ante equum ſuum, & oculos prominentes à capite ſuſpenſos, cum magna reuerentia vel pauore eundem caballum exutum oculis ad virum Dei pertrahens, & confitendo peccata ſua omnia famulo Dei retulit quæ geſta erant. Sed Beatus vir Dei PARDVLFVS fratribus qui cum eo aderant, præcepit vt oculos caballi vnde egreſſi fuerant, remitterent, & eius aquam benedictam deſuper linirent, & eos cum ligaminibus adſtringerent. Craſtina die priſtinum lumen oculorum reſtituit, & prædicto viro cui fuerat, ſanum reddidit, & culpam quam in eum deliquerat, remiſit. Liframnus quidam præpoſitus prædicti Monaſterij decreuit vt in Baſilica Beati Albini Confeſſoris, vbi poſtea corpus ſancti viri PARDVLFI iacet humatum, gradus faceret, & in menſuratum locum Baſilicæ ipſius cum carpentariis in ſiluam perrexit, & factum ſolium plauſtro impoſitum ad Monaſterium perduxerunt, & iterum menſuratum pedem & dimidium menſura hominis breuiorem. Tunc Præpoſitus imultum ſcandalizans & iracundiæ furore ſuccenſus, eiſdem carpentarijs diſciplinam corporis imponi iuſſit. Tunc vnus ex ipſis pauore perterritus ad virum Dei fugitans, & flexis poplitibus ad pedes eius prouoluens, & cum ei geſtum indicaſſet rei eundem præpoſitum coram ſe aduenire præcepit dicens: Fili noli iraſci, neque iram perficias, quia ira mater virtutum non eſt, & nihil mali geras in his pauperculis, ſed expecta hac nocte. Craſtina autem die, aut alium in ſilua præcidere faciant, aut ipſum diligenter ſupponere. Poſt hæc verba craſtina die diluculo iterum menſurantes, inuenerunt ſimiliter pedem & dimidium longius, quod lignum præciſum quod abbreuiatum fuit hodie ad teſtimonium in eadem Baſilica adpenderunt. Quem & multi ex eodem ligno à typo quartano vexantes, vel dentium dolorem habentes ſani efficiuntur. Aunarius quidam vir, qui dentium dolorem grauiter patiebatur, ad eum veniens & locum doloris eius manibus contingens, & ſaliuam ex ore ſuo ſpuens præcepit, vt digitum ſuum intingueret, & loca dentium doloris liniret. Sed prædictus Aunarius ſuperbia tumidus faſtidioſo more de palma ſua latenter iacit, & cum per portam ipſius Monaſterii progrederetur, caballus eius in terra cadendo ruit, eumque præcipitauit, & coxam illius minutiſſimè fregit, & aliorum manibus ad hoſpitium deportatus prope annum ægrotauit, & vix ad ſanitatem peruenit. Huius autem fertur miraculum, quod per eum diuina operata eſt clementia, & multi ſuperſunt, qui ipſum viderunt miraculum. Homo quidam ex territorio Biturico Leodulfus nomine ad virum Dei veniens popoſcit vt filium ſuum ad Baptiſmum fontis ſuſciperet, & famulus Dei nihil denegans hoc, quod abeo petiit, adquieuit. Eleuatóque infante ab eo de fonte albis indutum deoſculans & genitori ſuo ad nutriendum commendauit, & genitor eius infantem ad propriam detulit domum. Genitrix namque eius cum magno gaudio ad lactandum ſuſcepit, & in agitario quod vulgo berciolum vocant pannis conſtrictum impoſuit, & extenſa manu agitare nitebatur, & eum mouere nullatenus præualuit, vndique conſpiciens vel ſcrutans ſi quippiam oppoſitum aut impedimentum haberet, ſed cùm nihil reperit manum ad ſe retrahens, ſtupore demens & pauidè cogitare cœpit quidnam eſſet: mox mirum in modum diuino atque ſuperno nutu quaſi ad manum hominis coactus per ſe agitari cœpit berciolus. Tunc prædicta genitrix eius vocat virum ſuum, & hoc indicat ei, vndique manentibus hoc oſtendit miraculum. Veniunt & vident glorificantes Deum. Quandiu autem fuit infans in albis, numquam à manu hominis fuit agitatus, niſi ex ſuperno motu, & poſt paucos dies infans animam quam receperat, reddidit. Et poſtea genitor eius præfatum berciolum, quod honeſto ſermone Philoſophi cunabulum vocant, pro me-

moria salutis in domo sua pependit, & cum moderno tempore Francorum cohortes prædictam depopulassent vrbem, & cunctarum domos igni cremassent, hanc domum in qua erat cunabulum appensum nullatenus cremare potuerunt nec quippiam eam vel parum exuri valuerunt.

Beatus igitur PARDVLFVS cum iam in ferme octoginta ætatis suæ degeret annos, ea tempestate, qua præcelsus atque inlustèr Major-domus Karolus regeret Franciam: inlustèr quoque vir Chunoldus regeret Aquitaniam per permissum Karoli, præfatus vir canicie candore splendidus, vultu Angelico, à bono opere nullo onere fatigatus, nulla grauitudine piger, nulla ætate serus, nulla cæcitate offensus, Dominum poscens, vt eius finem remunerari iuberet, mox dolore membrorum adtactus ad lectum rediit, septemque dierum carnis afflictionem ferens. Adueniente autem Dominica die defectum corporis vicina morte imminente adsignans se paululum obdormiuit. Et cum à somno euigilasset, ait ad Fratres qui vndique adsistebant ministrantes ei: cuius tubam vociferantem ad portam Monasterij hac hora audiui? At illi cogitantes quod mente loquendi caruisset, respondentes dixerunt: O Pater sancte quid insanè loqueris quia numquam te verba frustra loqui audiuimus? At ille respondens ait: O nati! ego non insanio, sed illam tubam quam inlustèr vir Eudo ad significandum prælium tubari consueuit, vociferantem audiui. Patenter intelligendum est, quod chorus Angelorum eius suscepit animam, atque æthera penetrasse non dubium est, dicente B. Paulo, quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo. Presbyter quidam Scopilius nomine in domo altera caligas eius quas ipse operatus fuerat pedibus suis imposuit, & desuper cum lachrymis vel lamentis durissimè flebat. Tunc vir Dei ait: Fili, quis est qui caligas meas contigit, vel pedibus suis imposuit? Fratres requirentes eas in alia domo inuenerunt præfatum Presbyterum desuper lamentantem. Et turbæ Monasterij illius vespertinis peractis circa lectulum eius flentes steterunt dicentes. Heu grex relicte, qui nos queat à vipereis morsibus abstrahere? Quis nos de sæuientibus luporum dentibus liberare, relicto pastore? Cur nos pater bone derelinquis? Vel vbi quæremus tuam Angelicam doctrinam? Quale responsum demus pro te? & quem respiciemus in loco Basilicæ, vbi stare consueueras? Quis est qui sine te lugeat monita tua, vel quale reddemus responsum infirmis, quando te ad requirendum venerint? At ille vix vt potuit loqui consolans eos diuinis sermonibus: Viriliter agite, inquit, & confortetur cor vestrum, & expectate Dominum & inluminamini, & facies vestræ non confundentur, & nihil vobis deerit si timueritis Dominum, & Dominus non priuabit bonis omnes ambulantes in innocentia, vt meritò audiatis desiderabilem vocem Domini: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: Cum hæc loqueretur sancta illa anima carne soluta est. Eadem vero hora Theodorus eius discipulus vocem psallentium in cœlo audiuit, & concitus ad virum Dei peruenit, & inuenit eum iam defunctum. Væ nobis miseris, quis vnquam talem videat, aut quis de eo conloquens siccos habere poterit oculos? Postquam corpus eius fuit humatum, rabidus quidam BERTHERICVS ad sepulchrum eius sanus effectus, vnde venerat, remeauit.

Digitized by Google

ACTA, TRANSLATIONES,

ET MIRACVLA S. PRVDENTII MARTYRIS,

LIBRIS QVATVOR.

Auctore Theobaudo Bezuensi Monacho.

Descripta ex MS. Codice Trecensi misit ad me R. P. Petrus-Franciscus Chifflerius Societatis IESV Theologus.

PROLOGVS.

GLoriosissimi Athletæ Christi, Prudentij præclarà correcturus miracula, quæ olim adolescentulus sub ipsa studiorum & flagrantis ingenij acrimonia spartim ediderам, primò prælibare visum est, vnde, & quando, & à quo delatus Besuensi Ecclesiæ tantus concessus sit thesaurus, corpus videlicet ipsius, sicut partim à maioribus, partim etiam in ipsa in qua diutius obuersatus sum Aquitania, accepi à fide dignis & probatissimis auctoribus. Res quidem difficilis atque ardua dum incomprehensibilem ipsorum miraculorum numerositatem atque magnitudinem mecum ipse reputo. Verum reticere de huiusmodi rebus infructuosum Deóque valdè displicens probatur. Cum deses seruus pro talento humi defosso graui sit addictus sententiæ. Talium siquidem rerum promulgatione, Diuina quæ semper mirabilis est in sanctis suis, prædicatur magnificentia, & fortissimorum Christi Bellatorum per palmam magis magisque celeberrima coruscat gloria; Auditoribus quoque sacræ deuotionis vehemens inspiratur flamma ad eorum deposcenda suffragia, & robustissimæ stimuli virtutis suscitantur ad ipsorum (si res se se præbeat) beatissima imitanda vestigia; si quidem & ipse cœlestis Imperator ad corroborandos in acie spiritali dimicantium animos memoriam fecit mirabilium suorum, atque virtutem operum suorum annunciat populo suo, vt supernam nanciscantur hæreditatem, & ego quidem vt jam præmisi, à primæuo impuberis ætatis flore ad ea schedulis imprimenda, licet temerarius animum appuleram, sed hinc Philosophicis occupatus studiis, inde verò vniuersæ materiæ mole considerata & exilis ingenij facundiæque tenuissimæ inopia multis opus illud intermiseram lustris: at vbi Scholaribus omissis gymnasiis, desertor & transfuga sacratissimæ Christi me reddidi militiæ, efflagitatus sum fraterna charitate, vt incepta perficerem, pueriliter edita corrigerem, omissa repeterem, inuolucris obstrusa enuclearem, & si quid minus facetè prolatum fuerat, vrbanæ comitatis lepori restituerem. Tandem assensum præbui, ne videlicet Beatissimi Martyris opera insignia temporum labentibus curriculis obsoleta, obliuione inuida funditus interirent. Quapropter ad gloriam regnatoris Olympi, ipso Sancto amminiculante, conabor virtutum eius non omnia (cum sit impossibile) sed de innumeris pauca retexere miracula, quæ vel celeberrima opinione, vel à veridicis comperi relatoribus, de quibus ambigere nefarium est. Quod si forte (vt fit) oratio incuria aut ignorantia aliquibus in locis suum natiuum decus non videatur obtinere, propter inuenustioris eloquij insulsam vapiditatem, id diuturnæ imputetur desuetudini: Sancto ergo Spiritui deuota committamus carbasa, vt illæsus secundo successu epibata iocundissimum canendo celeuma ad optatum fœliciter perueniat portum, inuocatâ in auxilium Deitate.

Explicit Prologus.

MIRACVLORVM SANCTI PRVDENTII.

LIBER PRIMVS.

POst quàm Cœlestis granum frumenti solo creditum, triduo cum multiplici animarum fruge à tartareis emergens vmbris, sydereis se reddidit horreis, missо Sancti Spiritus imbre, sparsoque diuini verbi semine per orbem, assiduis incrementis fidelis cœpit seges succrescere. Ardebat autem beata colonorum manus sacris incumbere sationibus, vt ante summi patrisfamilias conspectus immarcessibiles laborum suorum inferret fructus. Sed quid humani generis antiquo hoste malitiosius? Mox etenim vt diuinum animaduertit egregiè pullulare agrum, cuncta corrumpere, aut potiùs radicitus extirpare germina, cunctisque cultoribus contendit supremi occasus inferre exitia. More videlicet faciens suo vt qui dudum in Domini sanguinem atrocissimas inuidorum armauerat dextras, in seruos etiam totius nequitia machinantis, impia effunderet robora. Verum quia id per se solum, vt pote longè alterius natura quàm nos & nostris ab aspectibus semotæ perficere non poterat, per sequaces prauitatis suæ principes adimplere satagebat: nam sicut in exortu Synagogæ, sceptriger Nilicola, in Hebraicam desæuiebat infantiam per proceres impiis obsequentes imperiis, ita & in exordio nascentis Ecclesiæ diabolus rector tenebrarum per suos apparitores Christianam moliebatur extinguere infantilem innocentiam: sed licet lethifer aduersarius contra Christianissimum mille admoueret deceptionum machinas, tamen diffundebantur diatim Catholica semina, & inter vulniferos sæuientium persecutorum mucrones ager Ecclesiæ fœcundabatur. Denique prostratis illis primis satoribus, quibus diuini ab initio cura commissa seminis fuerat, ad deuastandum Dominicam messem tota Romana Respublica auidè conspirat, & veluti egregiis peremptis ducibus, atrocium hostium rabies non nisi multo mitiganda cruore in tota commilitonum offeratur agmina: incursantur Beatæ planè cohortes, æthereo Regi dignè militantes, & pro fide quam sub religionis vexillis professi sunt, millenis proterendæ supplicijs exponuntur: Vbique locorum aduersum te tuósque (Christe) feralia pendent edicta & Christianum nomen quod iuxta Paulum super omne nomen habetur, non modò verbis, sed etiam verberibus infectantur & gladiis, triumphant sacri præliatores certaminis interfecti, meliúsque moriendo quàm viuendo hostiles deuincunt cuneos. O noua sanè & transactis sæculis inaudita prælia! victi, vt putabatur, coronantur Athletæ Christi, & interfecti regnant. Sciendum tamen quod tripliciter antiquus hostis aduersùs eos nefandam produxit aciem: spiritaliter scilicet, & corporaliter: & spiritaliter quidem, quia prauis suggestionibus conabatur animos eorum à fidei tramite declinare: Corporaliter verò gemino modo quia aut prosperis aut aduersis diuinæ legis rebelles contra eos debacchabantur, vt quos videlicet malesuada secunda non flexerant, immanium frangerent ad idololatriam acerba genera tormentorum.

Sed quamuis vbique sine intermissione inenarrabilibus suppliciorum argumentis Christiana trucidaretur proles, oboriebantur tamen robustissimi proceres qui titubantis statum Ecclesiæ documentis erigerent, æquissimis actibus consolidarent, ad vltimum etiam purpureâ passione decorarent. Quorum celebria pro sacra religione conflgia, quaqua versum per orbem Christiani vocabuli titulus porrigitur, solemni cantitantur lætitiâ.

Inter quos insignis Martyr Prudentius, iuxta diuinam vocem lux existens mundi, egregijs victoriarum emicuit laudibus, qui ab ipsis crepundiis Christianis redimitus Sacramentis, adhuc tenerrimus litterarum imbuendus traditus est gymnasiis. In quibus quàm docilis quàm sagax quámque solers & efficax floruerit, res ipsa luce clarius postmodum assignauit: instruebatur profecto arcana diuinitatis dispositione, vt futuræ Christi lucernæ lumen sacræ doctrinæ affatim exuberaret, ad illuminanda incredulorum & corroboranda fidelium pectora, proficiebat quotidie sub tyrocinio Christi deuotissimus adolescens, ætate, sapientia, & egregiis

moribus, vt jam sacri pneumatis domicilium esse eius non ambigeres in pectore. Fuit autem, vt ipsius perhibent gesta, nobilissimâ oriundus prosapiâ, Narbonensium partium indigena. Denique Archidiaconus vrbis eiusdem decoratus apice, longè latéque salutifera doctrina, virâ atque magnificis coruscabat miraculis. Tanto siquidem splendore Diuinæ, quod primum est, atque secularis radiabat Philosophiæ, vt quanuis eâ tempestate multi doctissimi & facundissimi viri gloriosâ prædicarentur laude, nemini tamen, nemini prorsus in Gallicis vel Hispanicis oris haberetur secundus.

Plurimus namque lepor & facetiarum nitor, iocunda & gratissima vrbanitas eius inerat eloquio, sapientiæ sale condita, per quod ipsius pectoris ager fecundus, multarum fruges animarum placita vbertate Christo adquisiuit. Denique qualis quantúque in diuinis documentis atque virtutum fuerit exercitiis, ipse rationis ordo enucleare nunc exigeret, nisi textus gestorum & passionis eiusdem etiam curioso satisfacere videretur. Ideóque de his scribere diutiùs supersedeo. Itaque postquam vir excellentissimus, Doctórque præcipuus sacrum ouile Christi plurimum augmentauit, cum hoste ferocissimo, acerrimo congressus duello, tandem pro beata fidei confessione, variis atque acerrimis furore gentilium attrectatus supplicijs, vt in cœlestis Hierusalem aptiùs locaretur ædificio, sacratissimę Passionis palmam promeruit: martello contusus demurario, quarto die noni mensis, hoc est pridie Nonas Septembris. Qui videlicet martellus (vt perhibent qui viderunt, dum sacerrimæ ipsius transferrentur reliquiæ à piæ recordationis Abbate Stephano) cùm beatis adhuc contineretur pignoribus, in osse quoque sacri Capitis hactenus fracturæ apparent, scilicet vestigia passionis: taliter ergo robustissimus athleta de hoste prostrato referens trophæa, æternâ donatus laureâ cœleste capitolium victor ingredi promeruit, applaudentibus hymnidicis Angelorum choreis.

Perempto itaque Christi milite Prudentio, cum vesana persecutorum rabies necdum satiata immane adhuc fureret, artus sacratissimos mausoleo atrociter erutos in quo à fidelibus furtim, nocturno conditi fuerant silentio, feris auibusque diripiendos longiusculè ab vrbe sub diuo exposuerunt. Tanta enim furoris insania Diabolus gentilium exagitabat pectora, vt Christi militum punitorum membra, à suprema arcentes sepultura, bestiis & alitibus proijcerent deuoranda. Supernâ verò prouisione seruatum Beatum funus (neque enim perire poterat quod omnipotentis dextera protegebat) à Christicolis noctu piâ rapinâ iterum abripitur, & pro tempore, aggere in ipso, formidine Paganorum, vili potius obruitur, quàm sepelitur tumulo: Vbi etiam multis annorum latuisse dignoscitur curriculis, tametsi Christiana deuotio clanculo venerabiliter locum, orationis gratiâ frequentaret. Tandem superna miseratione de cœlo in terram aspiciente, vt audiret gemitus compeditorum & solueret filios interemptorum, sopitis persecutionum tempestatibus, sponsa Christi respirare ad tempus radio tranquillitatis cæperat.

Quapropter à religiosis in loco fabricata est, Basilica, non multæ capacitatis quidem, nec tanti Martyris dignitati satis responsura, sed tamen tali tempore fidelium deuotioni opportuna. Denique sacrophagum ipsum in quo positum primitus funus Beatum fuerat, apud Narbonam adhuc tantæ reuerentiæ, tantæque habetur formidini, vt nemo prorsus tangere audeat; sciens pro certo se non impune laturum. Quod jam sæpius quam plurimis probatum est experimentis: fuit ergo in eadem Ecclesia multis temporum euolutis discursibus, nec ab vllo gentilium vel Christicolarum (vt res ipsa declarat) prorsus tolli potuit; licet id quam plures temptauerint, tam gentiles, quam sacræ fidei homines, quod vtique clarissimi vice posuerim miraculi. Nam sæpe-numero idem sacer locus, totaque circumiacens regio venientibus hinc & inde Barbaris in Heremi redacta est vastitatem: nec tamen sacratissima pignora prorsus ab vllo contingi potuerunt. Tempore siquidem DAGOBERTI filij CHILDEBERTI Regis Francorum, iam abundante iniquitate & refrigescente charitate multorum, gens Saracenorum ex Africâ transiens per angustias freti Athlantici, quod Septe vocitatum Africam secernit ab Europâ, totam peruadit Hiberiam.

Post annos verò decem, anno scilicet à verbo humanato septingentesimo tricesimo tertio, cum vxoribus & filiis, rebusque familiaribus transcenso Pyreneo, ci-

teriorem Hiſpaniam & Aquitaniam vt habitaturi perpetuò ingrediuntur : vrbes, oppida, caſtella, villas quaquà verſum depopulantur, Eccleſias vbique & ſacra loca incendunt vel diruunt, inter quæ etiam Beatiſſimi Prudentii Eccleſiam edax conſumpſit incendium, nec tamen ſacrum contingitur Lipſanum. Tunc Carolus agnomine Tudites vel Martellus, filius Pipini Breuis & Vetuli, metuens ne fortè etiam Franciam peruaderent, aduerſùs eos profecturus, vt pote Maior-domus, maximas molitus eſt pugnatorum conflare copias : nam tunc Regalia per proceres amminiſtrabantur. Cùm ergo Regali exhauſto ærario, opes minimè ſuppeterent quibus ſtipendia & donatiua, vt moris eſt, Regiâ munificentiâ largiretur, militibus grauiſſimâ compulſus neceſſitate decimas; & (quod dictu nefas eſt) Eccleſias, ablatas ſacris miniſtris, dedit eiſdem militibus exercitus ſui. Nec mora facto impetu cum Eudone Duce Aquitaniæ terga dant hoſtes ; Cæſa ſunt ibi trecenta & ſeptuaginta quinque millia Saracenorum, mille quingentis tantummodo Francis occumbentibus. Exinde ſacer ille locus à militibus hæreditario iure per ſuccedentia tempora poſſeſſus, vt Eccleſiæ pleræque neglectui habebantur. Nec multo poſt Abdirama Rex Cordubenſis cum duodecim Regibus Sarracenorum vniuerſis conflatis copiis totam inuadit Aquitaniam, ipſamque obſidens Narbonam, cuncta finitima rapinis & incendio peſſumdedit, Sancto penitus (vt ſolebat) intacto. Quos iterum Carolus conſerto prælio ita contriuit, vt vix aliquis euaſerit. Quem vero exitum præfatus fortitus ſit Carolus pro decimis & Eccleſiis quas militibus dederat, licet digreſſionem præter rem facere videar, qua illud profuturum reor, paucis retexam. Defunctus etenim acerbiſſima valdèque terribili morte ſepultus eſt in Baſilica Beati Dionyſii Martyris. Quo ſepulto mox tantus fœtor, támque peſtifer aër ab eius cœpit egredi mauſoleo, vt etiam longè ſemotas tabo inficiens auras, multos leto dederit, & quam plures morbo grauiſſimo affecerit. Voces etiam lugubres, gemitus & vlulatus miſerabiles exinde creberrimè audiebantur. Quo comperto Pipinus filius eius iubet referare ſarcophagum, eóque patefacto inuentus eſt Draco miræ magnitudinis, ex cuius ore letifer ille procedebat halitus: de corpore verò Karoli nichil penitus repertum eſt : hoc autem dictum ſit ad ſacrorum peruaſores locorum, qui adhuc violenter ſancta detinent loca, ſuiſque hæredipetis hæreditates concedunt perditionis.

Anno vero à numine Incarnato octingenteſimo quadrageſimo primo, iam deficiente Caroli magni prole ſceptrigera, exorta ſimultate grauiſſima in Francia inter fratres, filios videlicet Ludouici, filii Caroli magni, de finibus regni, genitore iam defuncto, barbaræ Gentes Normannorum ſcilicet, Danorum & Brittonum, cum copioſâ multitudine Gallias depopulandas atrociter inuadunt. Fiunt itaque innumeræ ſtrages Chriſtianorum, ruina vrbium, oppidorum, villarum & ſanctarum exuſtiones Eccleſiarum ; Denique rapiuntur inclytæ ciuitates, Andegauis, Aurelianis, Lemouigas, Burdegala, Toloſa, Narbona, totáque miſerabili exitio traditur Aquitania, Beatiſſimo Prudentio ſua ſibi defendente. Sed hæc hactenus : nunc verò aliis omiſſis ad gaudia noſtra accedamus. Qualiter ſcilicet ipſum Beatiſſimi Martyris corpus ad nos peruenerit. Aliquantis autem temporum elapſis voluminibus, regnante glorioſiſſimo Regum Carolo, Eccleſiæ Chriſti longè latéque feſtiuâ per orbem pace floruerunt. Inuigilabant namque ſacri paſtores ſupra ſibi commiſſa Agalmata ; rationales quoque pecudes, iuſtis pro poſſe inſiſtebant actionibus : eodem itaque tempore vt in Chronica continetur, venerabilis Geylo Lingonenſis vrbis Pontificalem gerebat infulam, vir præclari ſtemmatis linea pollens, ſed illuſtrior animi virtutibus, quibus admodum diuinis præeminuit in rebus. Qui cum inter cæteros bene moratæ mentis habitu orationi incumberet aſſiduus, etiam longinqua celebrium Sanctorum ſuffragia paupere ſpiritu ditiſſimus præſulum expectabat : legerat quippe neminem per ſe poſſe ſaluari, ideóque dilectorum Domini ſupplex requirebat adiumenta. Vnde factum eſt vt Ieſu Domino diſponente tam fælicis viæ auſpicia pro ſuorum abolitione peccaminum, famoſiſſimi per orbem Iacobi Apoſtoli adiret lumina, in extrema penè parte telluris ſita, iuxta Oceani littus.

Dum igitur ſatisfacto votis, alacer repedaret religioſus Pontifex, Aquitanicas tandem attigit oras, poſt multa terrarum tranſmiſſa ſpatia, nec multò pòſt, Dei omnipotentis inſtinctu cuncta clementer iuſtéque diſponentis, quadam die adueſperaſcente,

Digitized by Goog

cente, peruenit ad villulam in ſtrata publica ſitam (vt præmiſſum eſt) penéque deſolatam, in qua glorioſiſſimus corpore quieſcebat Prudentius; qui laſſitudine cogente, & temporis inſtantis denſitate, hoſpitium metatus eſt cum ſuis, apud eiuſdem Martyris Eccleſiæ matricularium. Et poterat vtique vir egregius & multarum copiis ditiſſimus rerum largioris nobilioriſq; ædis potiri hoſpitio, niſi ei talis magis placuiſſet manſio, quæ ſolito ſurgentis noctis conticinio, ad diuinos decãtandos hymnos, domo Domini eſſet propinquior. Suſceptus itaque officiosè cum ſuis comitibus, provt poſſibilitas admiſit, largis reficitur obſoniis. Aſt vbi pulſa fames & ſurrexêre relictis ritè thoris, percunctatur beatus Præſul hoſpitem ſuum, quiſnam diceretur, quoque honore finalis profeſſionis, martyrij ſcilicet, an confeſſionis inſigniretur is cuius memoria in contiguo ab incolis venerabatur Oratorio.

Ædituus conſultus ait, Prudens vocitatur,
Martyrij titulo celebri famâ decoratur:
Qui primæuus adhuc Chriſti documenta ſequendo,
Iam iuuenis meruit palmam fidei moriendo:
Dánſque polo flatum, tenet iſthic corpore ſtratum.
Nunc pia vota iuuat ad corpus ferre beatum;
Quippe piis votis ſolet ipſe fauere precantum,
Si perfecta fides flagret ſub pectore tantùm.
Sed quia barbaricis ruerant hæc ſæpè furores,
Ædibus euerſis noſtri periêre priores.
Villam quam cernis credas nos deſtituiſſe:
Hanc quoque Baſilicam ſine tunc cultore fuiſſe.

His & huiuſmodi auditis, Reuerentiſſimus Antiſtes profundo voluebat pectoris arcano, quòd poſtmodùm Deitate annuente efficaciter mancipauit effectui. Quid multis moror? Nox terram ſolitâ totam contexerat vmbrâ: Traduntur placido mortalia corpora ſomno. Medio verò noctis intempeſtæ ſilentio, religioſus Pontifex de more ad cæleſtes cum Clericis ſuis conſurgit laudes, iuxta quod ait Regius Pſalmicen, ſub typo Eccleſiæ: Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi, Domine, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Ingreſſi autem Baſilicam, diuina dulciter concrepant cantica, deinde, dum ſacra ab eis percelebrantur præconia, vir vigilantiſſimus, dignúſque Epiſcopi etymologiâ, curioſè perſcrutans Eccleſiolam, tandem ad ligneam peruenit capſam, quæ retro Altare poſita, ſacratiſſimi Martyris continebat ſoma, & iam penè tota cariosâ vetuſtate computruerat; quâ facilè patefactâ, & illato lumine, ſanctiſſima contemplatur oſſa, vilibus, & diuturnitate temporum conſumptis pannis obuoluta. Qui protinus euocato Capellano ſuo, altáque ab imo pectoris ducens ſuſpiria: Heu, inquit, quòd tam ſplendiflua lucis æternæ lucerna tam anguſti offunditur tenebris modij, cùm potiùs orbem illuminatũ ſublimiſſimo dignè foret imponenda candelabro. Proh dolor! Ecce topazion, ille lapidũ pretioſiſſimus, cunctas repellens laruas, imperialíq; aptiſſimas diademati, humili diuerſatur in puluere. Sed ſi fortè gratum noſſem beatiſſimo Martyri, ſine dubio Aquitania nobis diſcedentibus viduata remaneret vrna tanti Patroni. O nos verè felices, ſi nobiſcum, ſancte Martyr, hinc abire velles; vix lacrymas reprimens hæc paucula dixerat Heros, cui Capellanus, vir eruditiſſimus, vrbanæque eloquentiæ non multa pro tempore fans ſic intulit: Mirari ſatis nequeo, honorificentiſſime Pater, cur ille æquiſſimus Arbiter rerum, qui omnia in pondere, menſura, & numero diſponit, tam præclari meriti virum, & Gallicanâ dignum amplitudine, tam exiguo, támque neglecto contineri ſinat domicilio: nam quantum præſentium rerum colligitur indicio, vix ſemel hic Miſſa celebratur in anno. Hæccine, glorioſe Martyr, placet manſio? Hoc recondi iuuat angulo, dum populis benigno non vis opitulari ſuffragio? Sed abſit à pio viro liuida inuidia; meliùs ſanè, acceptiúſque foret ſydereo Regi, quantum ad iudicium meum ſpectat, ſi populoſâ conſtitutus in vrbe ſupplices placitâ protegeres interuentione, corporum morbos debilium propelleres, recidiuâ conſequente ſoſpitate. O vtinam ſempiterno liberet numini, Lingonicæ te inferre ciuitati, procul dubio ſacerrima oſſa hæc decorarentur auro, vel ſecundi honoris metallo, quæ hîc cariofo non circumteguntur, ſed potiùs deturpantur ligno. Age, tam copioſus, tantíque pretij theſaurus lutulento eruatur loco, vrbaníſque inferatur gazophylaciis, haud eſt metuendum furtum quod Omnipotenti probatur eſſe placitum, multíſque mortalibus profuturum.

Talia dum dicunt, visus in Martyre figunt,
Vela reuoluentes, & noscere cuncta volentes.
Mox breue, mox igitur quod continet hic reperitur,
Discat qui nescit, Prudentius hic requiescit,
Qui Domini testis fuit indiciis manifestis.
Hæc vt legerunt, ea tollere disposuerunt;
Sed paulò dubitant, quia Sanctum tangere vitant.
O benè deuoti, culpæ formidine moti,
Quid formidatis? Nihil est hic quod paueatis.
Non iratscetur Martyr, quia mitis habetur;
Iamdudum siquidem remorari nollet ibidem.
Mitis inhumanos dimittere vult Aquitanos:
Vobiscum certè capit ire, iubétque referre.

Postposito ergo religioso timore, auferunt beatas reliquias totius corporis, adeò vt nil desertæ relinqueretur arculæ, continuóque Hispanica reuerenter obuolutæ pallâ, celerrimè priusquam diesceret, capacibus infarciuntur crumenis: erat enim locus isdem penè habitatione humanâ destitutus, tam barbaricâ infestatione, de qua iam satis præfatus sum, quàm etiam indigenarum eum sibi vsurpare volentium alternâ peruasione, ideóque valdè opportunus ad tale peragendum negotium. Ast vbi more suo de cardine surgit Eoo, florigero curru tenebris aurora remotis, conscensis sonipedibus redux ingrediuntur iter, nullo penitùs accolarum animaduertēte quod factum fuerat. Quæ enim in viro tantæ grauitatis, tantæque authoritatis haberi suspicio furti poterat? Quis verò, vt alia omittam, Pontificem quemlibet latrocinij reum vnquam audisse se meminit, nedum virum præcelsâ stirpe progenitum, & ob id latè notissimum, sanctitatisque non inopem? Sed, ô felix planè latrocinium, egregiâ laude per sæcula cuncta fruiturum, & coram altithrona majestate gratissimum! Dicat aliquis Præsulem sanctum tale quid attemptare nullatenùs debuisse. Sed multorum discimus exemplis, sanctos spiritus pleroſque Deo in superis iam post busta coniunctos, vel gratanter pati, corporum suorum reliquias ad vberiorem salutem, suique maiorem venerationem ad alia deferri loca. Denique protomartyrem Stephanum ab Hierosolymis Constantinopolim, Nicolaum à Mirea Barrum, Magdalenam Mariam ab Aquensi regione Vizeliacum, ipsum quoque Monasticæ Philosophiæ Legislatorem Benedictum fideli furto vel rapinâ à Casino in Gallicas delatum legimus oras. O vtinam tale mihi facinus, tantúmque patrare contingeret furtum! Sed quid diutiùs gaudia nostra per plurima demoror? Ingressus itaque beatus Pontifex Geilo Burgundiam cum ingente gaudio, Aquitaniâ spoliatâ, grates referebat Majestati diuinæ. Tandem verò superna clementia ei Besuam reduxit in memoriam, quam plurimùm in visceribus Christi sanctâ complexabatur charitate, vt eam pauperem & egenam tantâ ditaret opulentiâ. Vt autem Episcopij sui contigit terminos, tanta Procerum, Clericorum, Monachorum, atque populorum multitudo diuersi sexus, conditionis, & ætatis occurrerunt, vt conglobati confestim per semitas piâ violentiâ ipsum sanctum Præsulem remorari diutiùs compellerent, videntes miracula & sanitates, quas beatus Martyr piè credentibus publicè conferebat. Quid plura? Tandem post multas difficultates, cum onere illo sacratissimo, copiosis stipatus agminibus, gratulabundus Besuanos subintrat Penates. Susceptus verò officiosissimè, vt tantum decebat Præsulem, peracti itineris accidentia (vt assolet fieri) refert: Prudentiique beatissimi glorioſam rapinam inter alia commemorat; qui obnixè ab Abbate Fratribúsque exoratus, tantum, támque incomparabilem Tyberianis gazis thesaurum Besuensi concedit Ecclesiæ, anno ab æterno Verbo humanato, octingentesimo octogesimo tertio. Nec hoc solùm, verumetiam ne Sancto deesset luminare interdiù & nocte, quasdam Episcopij Ecclesias eidem loco dedit liberrimè, quæ nominatim exprimuntur in rerum datarum codice, ipso beato Antistite hoc idem vbique diffamante. Quantùm autem Besuanam dilexerit Ecclesiam, qualitérve prouexerit, in eodem libello beneuolus & studiosus Lector copiosè reperiet.

Depositio ergo Besuæ glorioſissimi Martyris corpore, Nonas Octobris, eodem die annuatim decernitur lætitia pro tanti exceptione Patroni; nec immeritò. Si enim olim Octauiani triumphi exceptio festiuo quotannis recolebatur gaudio, qui ani-

mam post lethum sæuo tradidit Orco, quantò magis beati Prudentij æternâ in superis gloriâ & honore coronati, iocundissimus ad nos aduentus perenni (si posset fieri) mancipari deberet celebritati? Notandum verò quod plerique arbitrantur beatissimi corpus Prudentij non à venerabili Geylone ab Aquitania delatum, sed ab ipsis Aquitanicis, ob metum Saracenorum, ab Hispaniarum partibus transcẽso Pyreneo in Gallias sæpiùs irrumpentium, allatum, Diuioni propter firmissimam loci munitionem, sicuti corpus egregij Doctoris Hilarij, & beatæ Radegundis à Pictauensibus, aliáque perplura Sanctorum pignora ab aliis prouinciis. Quod profectò non immeritò, vt verisimile credi posset, nisi venerandæ memoriæ Agrimus Præsul Lingonensium successor eius, in quodam suo dixisset priuilegio: *Ad multorum*, inquit, *constat peruenisse notitiam, qualiter Geylo piæ recordationis Episcopus prædecessor noster, sanctum Prudentium ab Aquitania transferens, in nostrum Episcopium Lingonense detulit, & in Besua Monasterio ad laudem & gloriam nominis Dei solemniter collocauit.* Ex quo liquidò perpendi potest, ab oris Aquitanicis Pontificem sæpefatum nostrum illustrissimum detulisse Martyrem, & Besuensi contribuisse Cœnobio. Quantis autem, quibúsve ibidem, in Basilica videlicet beatorum Apostolorum Petri & Pauli, virtutum coruscauerit radiis, à nescio quo nostratum satis plano expeditum sermone, celebri effertur memoriâ, quæ etiam virtutum insignia in hoc opere nostro dignum duximus inserere, vt vetera nouis copulantes, superflua recidamus, hiantia suppleamus, minùs commodè dicta, vel etiam vitiosè, ad normam dirigamus. Sed ne fortè aliena sublegisse, & alterius gloriam in nos impudenter videamur transfundere, ipsis priscis miraculorum eius virtutibus subsequentem libellum dicabimus; vt quid nostrum, quidve alterius sit, sagax lector dispiciat.

Anno Christi 883. Nonis Oct. excepto corporis S. Prudentij apud Besuil.

Explicit Liber primus.

MIRACVLORVM SANCTI PRVDENTII
LIBER SECVNDVS.

DEcursis in priori volumine qualiter sacratissimus Martyr Prudentius, hostibus euictis, Policam conscenderit aulam, quóque rerum ordine nostras delatus ad ad oras, Besuanos subierit lares. In secundo nunc quibus quantísque sese apud Besuam declarauerit virtutibus, vt olim scriptæ sunt, assignare rationis ordo postulare videtur, fides autem rerum ipsarum ad primum referatur authorem. Igitur dum ipsum corpus reuerentissimum adhuc eminùs à Monasterio esset in itinere quo deferebatur Besuam, innumeris populorum vallatum cateruis, homo quidam Iohannes nomine, qui quondam Monachorum procurando ouilia, opilionis functus erat officio, asello residens ei occurrit obuius, qui iam ab annis pristinis paralyticam inciderat ægritudinem, adeò vt membris inferioribus dissolutis, nonnisi alieno vaderet adminiculo; móxque humi prostratus, beati Martyris luctuosè inuocando auxilium, tibiarum quidem extensione potitus est, itavt aliorum subleuatus adjutorio erigeretur, denegato sibi adhuc commeandi officio. In quo vtique facto, quiddam minùs rectæ fidei creditur habuisse, dum quod voluit, ex toto impetrare non potuit.

At vbi templum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Besuense, beatum corpus ingressum est, anus quædam plebeia, nomine Cristina, quæ vndecim annis contractionis laborabat incommodo, interuentu B. Prudentij, cuius incessanter implorabat suffragia, eundi reparato officio, suis iam non alienis viribus, loculum quo B. Martyr ferebatur, gaudens subsecuta est.

Postquam autem in Ecclesia Apostolorum Petri & Pauli S. Martyris corpus positum est, Martina quædam infantula octennis ab aluo maternâ cœcitate damnata, dum à parentibus illò fuisset deportata quò sacer quiescebat Martyr, diuinâ in se operante virtute, subitò lucernarum rutilos cœpit intueri fulgores; & vt natiuus infantibus mos est, quo sibi propiùs exhiberentur, veluti pulcherrimæ res, & insolitæ quo valebat modo, cœpit deprecari.

Processu tempus effluxerat, & femina quædam nomine Osanna, adducitur, quæ ita diræ valetudinis angore fatigabatur, quippe membris omnibus ægritudinis le-

thali pondere preſſis, & hominum etiam leuiſſimos horreſceret tactus: Quæ dum limina almi Claugeri, Doctoriſque egregij tetigiſſet, omni propulſato dolore, priſtinam promeruit ſoſpitatem.

Vvichildis etiam nonagenaria, vt putabatur, quæ vſum pariter videndi atque incedendi perdiderat tam ęgritudine quàm prouectiori ætate defeſſa, dum ſuorum amminiculo deuecta fuiſſet ſacratiſſimo corpori, illicò diù negatum recepit viſum, & greſſibus rigido angore ſolutis, ſuis iam gauiſa eſt vadere plantis.

Nec diſſimili priuilegio pollet quod Raynildis Solumgiaci ruris, annorum fermè 25 iam longo æuo ſiniſtri brachij chiragricum incurrebat morbum, itavt manus ſibi pollice infixo, & cæteris digitis ſuperpoſitis pectori adhæreret, & nullo modo diuelli poſſet; huic diuini medicaminis mox virtus adfuit, & dum fusâ oratione limen Oratorij quo ſanctus quieſcebat Prudentius, fuiſſet egreſſa, priſtinæ reddita ſanitati, adſtantes grates reddere Conditori incitauit.

Gautſelinus quoque annorum decem & octo, villæ habitator, quæ vocatur Solumgiacus, præſentiſſimam ſancti Prudentij virtutem expertus eſt: nam illius vndique membra ſubteriora ita ſibi contractionis vendicauerat morbus, vt non eo loco mouere, nedum incedere poſſet. Contigit autem vt aliorum manibus lecticâ geſtatoriâ vectus, Baſilicæ beatorum Apoſtolorum deferretur; quâ venerabilis Prudentius Martyr miraculis publicabatur. Cúmque peracto officio omnes Eccleſiâ egrederentur, nullúſque adeſſet qui iuuamen egreſſionis ægroto tribueret, remanſit ibidem ſui poteſtate priuatus, ſicque factum eſt vt Monachi aduenientes, eum ſolitudinis & debilitatis cauſa ingemiſcentẽ reperiſſent. Quocirca adſtantes miſeratione ducti, immò magis diuino inſtinctu, eo quo fuerat lectulo deportatus, imponentes, ſancto Prudentio obtulêre curandum: qui pro ſui ſcientia, oratione fusâ cum lacrymis Domino proſtratus, vires recepit, omnium membrorum ſolutionem promeruit; & petito baculo, eorum qui aderant manibus erectus, pedibus rectus ſtetit, omnibus, vt par erat, laudes Domino referentibus.

Pontiuinceniæ Vvlfrada quædam adoleſcentula, oculorum octennem lugebat caliginem; quæ dum prælibatum adiit locum, velut quolibet imperfectæ gratiæ obice argueretur, ex parte illuminata receſſit.

Dierum aliquorum euergente curriculo puer quidam de villa, cui nomen eſt Flexo, vtriuſque officij, audiendi ſcilicet & loquendi, ſubierat infeliam; qui dum limina ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli attigiſſet, ita curatus eſt, vt clarè audiret, & loqueretur. Mater verò ſuper mirifici operis ſpectaculo, gratias agens Deo, cum gaudio remeauit ad ſua.

Flauerta Lingonicæ vrbis indigena, decenni ætatis virore floreſcens, ſexto menſe fermè exacto, ſcapula cum brachio & manu ita fuerat eneruata, vt nec quidem ea mouere, nec contingere aliquid poſſet; hæc dum biduò quod S. Martini præcedebat feſtiuitatem, Beſuenſe Cœnobium attigiſſet, ipſius vigiliâ memorati S. Martini, dum mediâ nocte in Eccleſia quieſceret, vbi ſanctiſſimi Prudentij reuerentiſſima gleba competenti frequentabatur honore, ipſo mediæ noctis articulo, omni leuata dolore, ſanitati redintegrata eſt.

Wandaldrudis quoque Adchiacenſis villæ, octo quidem ætatis annos, cœcitatis verò tres & nouem menſes expleuerat: quæ ipſo die veniens quo & ſuperiùs curata, matutinorum ſolemnitate peractâ, gratiâ medendi in domo orationis ſtans, atq; orationi incumbens, viſum recepit. Soror tamen eius imparis ætatis & ipſa diù cùm eſſet cœca, aliquantulùm luminis promeruit, clarè tamen videre non poterat.

Warneldis etiam de Mentuſca, iam duodennis natiuo lumine fruſtrata fuerat; hæc ad præfatam contendens ſolemnitatem, vt debilium eſt conſuetudinis, candelam obtulit, atque è veſtigio clarè lumen promeruit, omnéſque ad laudes perſoluendas Creatori perſpicuè incitauit.

Ermenbertus plenæ indolis, vtpote decem & octo annorum, Beriæ incola villæ, immundo ſpiritu arreptus, illius acriter vexabatur inſtinctu. Hic dum à parentibus plauſtro vectus, loriſque fortiter adſtrictus, Eccleſiæ Principum Apoſtolorum Petri & Pauli, in qua ſanctus quieſcebat Prudentius, præſentaretur, ſuffragantibus ſanctis Apoſtolis, immò beato Prudentio interueniente, immundi ſpiritus caruit fœditate. Et quia ingrati hoſpitis diro horrore obtritus fuerat, licet ſanæ mentis, diutino tamen laborauit incommodo.

Alius quoque nomine Vvinebaldus, ex villa Burbureno, eodem fatigabatur stimulo; hic dum eidem Basilicæ sistitur, humi prostratus orationem fudit, atque integerrimæ restitutus est sanitati.

Quædam etiam femina partium sancti Sequani, vt ipsa fatebatur, octo annorum expletione ita neruorum contractionem incurrerat, vt calcanei natibus hærerent: hæc plaustro superposita, ad locum quo sanctus quiescebat Prudentius, deuehi cœpit: sed antequam Cœnobio propinquaret, obtentu almi Martyris Prudentij mirum in modum ita curata est, vt relicto vehiculo, suis ad prædictum locum vaderet plantis.

His ita peractis, ritè quædam femina, quæ nonnullis euergentibus annis ita curua manebat, vt sursum respicere omninò nequiret, præpediente infirmitate, immò & paupertate, à vicinis se à ad Monasterium deferri postulat: sed eius necessitudini abnuentibus cunctis, anxiè cogitando quomodo illò deueniret, insperato sopore depressa est: sed mox euigilans ita morbo leuata est, vt propriis pedibus incedendo, malè denegantibus pudorem incuteret, cæteros autem ad Deo gratias referendum secum super collato sibi beneficio inuitaret.

Infans longo iam tempore audiendi desuetus officio, illuc cum matre deuenit: sed opitulante sancto Prudentio, ex asse curatus est.

Iuuenis etiam quidam Lantiliaci ruris, cognómento Ermembaldus, viginti fermè annorum ab ineunte ætate claudus, sanctorum patrocinia expetiit, & integrè sanatus recessit.

Berensis villæ puer quidam præfato Monasterio delatus est, qui ab ipsis cunabulis manu cum brachio dextro, cubito quoq; & scapulâ ita viduatus fuerat, vt præmortua viderentur Die autem Parasceues, Fratribus ex more vigilias celebrantibus, cœpit magnis insistere vocibus, vtpote diuellentibus se ab inuicem membris, & illicò reformatus est sanitati.

Operæ pretium est, illud etiam literis allegare, quod quidam nomine Esemegaudus, ex villa quæ vocatur Campoceruina, iam quinquagesimum ætatis agens annum, decennio claudus manebat, itavt vehiculo de loco ad locum emigraret. Is ante Quadragesimam iamdictum Cœnobium petiit, ibique sanctum Pascha spe recuperandæ salutis sustinens, eodem die diuinam in se virtutẽ expertus est: Nam vt sacrum officium provt tempus dictauerat, exactum est, rigida diù membra diuinâ pietate medicata cœpêre paulatim extendi, itave obortis lacrymis magnis vocibus inclamaret. Quo spectaculo, signis ex more pulsatis, vtriusque sexus non minima multitudo gratias cum lacrymis cœpit agere.

Referendum etiam quod cunctis perspicuum fuit: infantula quædam nomine Adisindis, partium Chohone, ex villa cui nomen est Sauste, diutino cœcitatis somno sopita, tertiâ feriâ ante medium Pascha ad sæpedictum Oratorium plebeïa cum multitudine venit, & inolitâ bonitate Dei, quartâ feriâ subsequenti, quo caruerat lumen accepit, omnibus superno datori gratias referentibus, qui à sæculo operatur mirabilia.

Creberrima sancti Martyris Prudentij fama vndecumq; ad sui venerationem conscierat populos, quâ compertâ, vir quidam nomine Ermenaldus, Magnimontensis accolâ, de villa Fluriaco, dum esset cœcus, sed in posterum à Deo curandus, die Ascensionis Domini, iam vesperâ ad Monasterium contendit. Cúmque veniisset ad locum quo secunda crux in via scilicet posita erat, vbi claudus per interuentum beati Prudentij curari meruerat, à regẽte gressus suos ammonetur ibi adesse crucem olim patratæ virtutis indicem. Sine, inquiens puer tangere me crucem, propter accessit: & sursum gestiens aspicere, velut vmbrâ paulatim diluescente, vidit eandem pendere Crucem: hic cœpit ex oculis eius aqua cum glaucomate egredi, medium autem lignum Crucis quod pendebat diuisum, idem vir sustulit, & loco priori coaptauit: inde Monasterium pergens, dum portas Templi paulatim attigit, lumen ex integro recepit.

Igitur fama boni odoris non modò vicina, sed etiam longè remota peragrante loca, non multis euolutis diebus, quidam ibi aduenit, qui (vt ipse referebat) triennium expleuerat ex quo auditu fuerat viduatus: hic orationis domum piâ deuotione ingressus, mirum in modum auditu recepto gratias retulit Deo.

Sexto verò die, iam mense Iunio inchoante, idem Cœnobium aduentauit puella

nomine Glismodis de Arco fracto super littus Albæ fluuij, quadriennio cœca, quæ dum ibidem recuperandi gratia nonnullis sustinuisset diebus, ex more Monasterium egredientibus feminis, & ipsa aliorum manibus deducta pariter egressa est: hæc dum cæteris suam ingredientibus viam, sola extra portam remansisset, nactâ occasione, eleemosynam rogitandi paupercula quædam infantula illuc deueniente, cur ibi sola moraretur, ab ea stipulata est, quæ dum retulisset se ductoris auxilio egere, illa datâ ei manu, ante fores Ecclesiæ reduxit, & dum in porticu parumper remoraretur, veluti diluce scentibus tenebris modicum cœpit intueri lumen, & mox Oratorium ingressa, clarè videre promeruit.

Puerulus quoque nomine Wlfranus de Chyriaco prædio, à parentibus pridiè ante vigiliam sancti Ioannis Baptistæ, ille ad vesperam deuectus est, qui rudis adhuc vsum loquedi amiserat, & manibus tremens, easdem contractas habuerat: Hic stans ante Altare Principis Apostolorum, quo sanctissimum almi Prudentij corpus quiescebat, collidentibus se ad inuicem puerilibus membris, plenissimæ restitutus est sanitati.

Quædam etiam femina cognomento Heldeuerta, fermè annorum quadraginta, Dominico die ante Decollationem sancti Ioannis Baptistæ, Besuense Cœnobium adiit; hæc tribus annis cœcitate deformis, capitis & superciliorum incisione à Medicis valdè est vexata, sed à nullo curata: quæ adhuc in itinere posita, cùm peruenisset ad crucem, vbi claudum & cœcum sanatos suprà memorauimus, à ductore affatur: Adest crux: At illa mentum manu sursum eleuans (neque enim aliter cælum respicere poterat) velut desciscente nebulâ, cœpit parumper vexillum crucis aspicere. Demùm nimio sudore suffusa, & tremebundis palpitans membris, ad locum destinatum peruenit, quo vtriusque sexus contenderat multitudo: quibus præsentibus dum Missarum solemnia celebrabantur, lumen, quod amiserat, non sine multorum alacritate & ammiratione recepit. Sed quid per visum ei actum sit, non est silentio tegendum. Pridiè quippe antequam curanda veniisset, dum sopori operam daret, visum est ei illò ire debere, quò & vigilans venit. Sed dum potitâ sanitate domum rediisset, non multis pòst euergentibus diebus, oculus eius dexter immodico dolore grauatus, cœpit tumescere, atque caligine obduci: sed dum intempestæ noctis quiete deprimeretur, sanctus ei Martyr Prudentius per visum adstitit, eiusque frontem auersâ manu percutiens, dixit: Surge, & candelam ad mensuram status tui, quo ego iaceo, citissimè defer. Surrexit mulier, sanitatique reddita est, & candelam sibi indictam sancto viro summâ velocitate obtulit.

Vir etiam quidam nomine Agnalays, ex Comitatu Portuensi, villæ autem Floriacensis, dum sinistri brachij anno vno & eo amplius laboraret incommodo, & à nullo Medicorum redderetur incolumis, per visum vxori eius reuelatum est, vt candelas idem vir suus secum deferens, S. se Prudentio deuotus offerret; cùmq; manè iam facto ab vxore super reuelatione compellaretur, candelas magno studio præparauit. Et quia præ nimia morbi valetudine ipse ferre non potuit, statim vt eas ferendas portitori dedit, mirabile dictu! integram promeruit sanitatem.

Nec absre videtur illud etiam huic operi inserere, quod antequam hęc agerentur, mulier quædam de Blauiaco villa, filium manibus gestans annorum duodecim, nomine Germininum, ad Monasterium detulit: hic quadriennio paralysi dissolutus, velut lapis rigidus existebat, itavt tempore edendi & bibendi resupinato eo, mater ori eius cibum aut potum infunderet, tanquam cocleari in vas fundens liquorem. Hic, vt prædiximus, Monasterio deuectus, aliquandiù ibi demoratus, opitulantibus Sanctis ex asse curatus est; & qui multis iam decedentibus diebus omnium membrorum caruerat officio, pedibus propriis hilariter populi subsequente caterua, suam repedauit ad domum.

Iuuenis quidam nomine Arleuertus, immundo spiritu vexatus, dum à matre illuc adduceretur, acriùs fatigari cœpit: sed à Fratribus cùm interrogaretur quomodo se haberet; & ille responderet, Manus, & os, & omne corpus à teterrimis viris constringi, illi sollicitè eum ante Altare deportauerunt, & pro eo orationi incubuerũt. Tunc iterùm scisitantes quid ageret? dixit se dimissum ab hostibus, eósq; procul circumstare. Illis iterùm orationi diutiùs instantibus, cùm interrogaretur, si aliquid melius ageret? intulit se eosdem malignos spiritus non videre, & incolumem permanere; surgénsq; coram Fratribus, & multitudine, alacri vultu & rectis pedibus ad sua pro-

Digitized by Google

ceſſit. Eodem die quidam puerulus diſſolutionem perpeſſus, quaſi vnâ parte præmortuus, ibidem deductus eſt, & mirè ſanatus rediit. Vir etiam nomine Moringus, ex pago, vt fatebatur, Diuionenſi, annorum circiter quadraginta, infirmitate curuatus, illic triduo pro ſua recuperatione opperiens dum rediret, necdum duobus milliariis completis, curuitatis morbo ſolutus, ſupremo gratias reddidit Conditori.

Anus præterea nomine Agelia; ex territorio Lingonicæ vrbis, de villa Hyſcioma, cœcitatis luebat infenſam, quæ eò deuenire cupiens, cùm ſedens equo, à filio duceretur per vallem quæ reſpicit Monaſterium à parte Aquilonari, antequam Beſuenſem fluuium adeas; conuerſa ad domum Apoſtolorum, quo ſanctus poſitus erat Prudentius, cleuánſque oculos, & noxio humore detergens, clariſſimè videre cœpit. Et pro ſibi collato beneficio, iter quod cœperat peragens, ad laudes perſoluendas deuotiſſimè prorupit.

Femina quoque nomine Ariſma, de villa cui nomen eſt Burbureur, dum textrino operi inſudaret, ſubitò ambæ manus eius complicari cœperunt, & contrahi, itavt immani ſtimulante angore, ad locum iam dictum ire compelleretur; quæ duobus diebus & vnâ nocte, graui ſtridore vexata, tandem opitulante diuinâ clementiâ, curata receſſit, ſemper habens in ore: Domine, miſerere.

Gautſelinus, cuius ſuprà meminimus, qui claudus ad Monaſterium fuerat deuectus, ſanitate potitâ, diù ibi commoratus, nullâ, vt patuit, cogente neceſſitate, primò inſtigante diabolo, ſeruitium dominorum extraordinariè fugiens, quò ſe ferret voluntas ire diſpoſuit. Secundo autem anno manſit in villa Yeio, à Monaſterio remota, tempore nouellæ ſecationis, illius ſcilicet meſſis, cui vulgò nomen eſt, ſuccurrere ieiunis. Cúmque à viro ammonitus cuius inſidebat tugurio, comitante ſecum puerulo, faſciculum meſſis colligeret, humeróque imponeret, diuinâ mulctatus vltione, in terram corruit, atque officium loquendi pariter & videndi amiſit. Tunc ducente puerulo per villas, de loco ad locum deuectus, tandem ad Monaſterium deductus, ſexto Idus Auguſtas, quod eſt ante vigiliam ſancti Laurentij. Quj etiam eodem die in domo ſedens, omnéſque conticeſcere manu innuens, audientibus qui aderant, nomen Beatæ Mariæ Virginis, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, necnon & ſancti Prudentij ſedulò inuocans, liberè cœpit loqui: cúmque ſe ante Altare deferri poſtularet, & quidam ei ex vno latere leuamen præberet, illicò rectus pedibus ſtetit, atque ad Altare accedens, orationi incubuit; cúmque ſurrexiſſet, curatus receſſit; illo etiam fœdiſſimo odore purgatur, quo hactenùs grauiter omnium offendebat olfactus.

Nec ſolùm in hominibus, verùm etiam in rebus inanimatis, virtus egregij declaratur Martyris, vt ſubſequenter pateſcet. Nam in ſolemnitate ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum Principum, celebrantibus Beſua Monaſterio Fratribus nocturnale officium, pallium quod lectum ſancti Prudentij cooperuerat, necnon & partem ſancti Florentij corporis, etiam partem tabulæ ad pedes Sancti poſitæ, vbi duo cerei iugiter affixi ſeruantur, improuisè contexerat. Si quidem Ædituus Eccleſiæ luminaribus de more per Eccleſiam diſtributis, duas accenſas candelas cereis ad pedes Sancti locatis infixerat, quatinus vice cereorum lumina diffunderent, & lectuli Sancti circumſtantia redderent aptiora. Sed idem Ædituus ad alia intentus, partem pallij cereis negligenter ſuppoſitam non amouit. Factum eſt autem duobus Nocturnis exactis, dum tertij Nocturni prima Lectio legeretur, vt iamdictus Ædituus cum thuribulo Altari ſancti Petri, almíque Pauli viſitato, etiam lectum ſancti Prudentij circumiret. Perſpecto igitur quòd candela ardens ad lieni cerei nimiùm vicinà acceſſerat, felici ſorte errore deceptus, nec pallium amouit, nec candelam cohibuit. Interim accenſo cereo, candela ardens dimidij pedis, quantum conici datur longitudine, ſuper pallium decidit; & dum duodecima Lectio dicta eſt, dum Reſponſorium ab eodem Ædituo cantatum; dum Euangelica Lectio ab Abbate nichilominùs recitata, dum Hymni, videlicet, Te decet laus; &, Te Deum laudamus; Tracti incantati, tùm denique Matutinale ſequens officium diligentiſſimè exequutum vſque ad Pſalmum, Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, extitiſſet, Pallio candela ſemper ſuperjacens, nec illius ſuperficiem feruens flamma læſit, nec liquens cera vllum veſtigium furentis flammæ reliquit. Attamen,

incredibile est, & ammiratione dignissimum, pallium quod Sanctorum meritis à flammis in omnibus videtur esse intactum, à cerei guttis diffluentibus in summitate sua habetur paululùm maculatum; vt scilicet & virtus miraculi in pallij integritate clarescat, & Æditui minùs iusto cauta custodia in maculato margine condemnetur.

Priscorum luce miraculorum denique diuinâ coruscante clementiâ est adnectendum, ad eiusdem summi Opificis inenarrabile nomen magnificè collaudandum, qualiter quædam adolescentula tredecim ferè annorum, nomine Wlfaida, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Besuensis Monasterij ancillula, ex Cauaniaco villa, ex nimia infirmitate clauda, curata est. Quæ sexto Nonas Octobris incidit in langorem, qui langor inremediabilis obtinuit vsque Kalendas Decembris. Ipso námque datarum die, ingraueſcente tabe, geniculorum poplites cœperunt flecti, & suffragines cum tibiarum cruribus adhærere: Quibus insolubiliter adhæsis, cæterisque membris, scapulis videlicet cum brachijs, manibúsque omni officio humanitatis carentibus, perstitit ita contracta & inutilis, solam mortem præstolans vsque decimo quinto Kalendas Iunij, die videlicet quartæ feriæ, festiuitate Pentecostes mediante. In ipsa denique nocte vidit se per visum stantem ante Altare, sicut & anteà iam similiter præterita, quartâ scilicet feriâ in eadem sibimet nocte conspexerat. Diluculo igitur transeunte, iámque Titane sublimi more scandente, præfatæ flebili cœperunt tristia membra dolere; quæ illicò parentum manibus tollitur, & ad Monasterium bajulatur; cui in itinere dum vectatur, noxia membra continuò sunt visa dissolui. In Ecclesia beatæ & gloriosæ Virginis ponitur; factum Fratribus nuntiatur; fit gaudium omnibus, replet tripudium vniuersos. Tunc Monachis illuc hilariter aduenientibus, sexus concurrit vndique vniuersus. Mox peracto Missarum officio, eleuatur in vlnis, cum ingentis lætitiæ laudibus ad Monasterium deportatur. Ianuas eiusdem illis introeuntibus, signorum sonitu reboante, vocibus vtriusque ordinis in cælum Deum laudes referentibus, ante sanctum Altare eam deposuerunt. Ecce geminæ visiones ante Altare stantis testantur duo Altaria vigilanti cum gaudio deportatæ: quæ iterùm celebrato diuino officio extensa sedit, corpus & sanguinem Domini sumpsit, post hæc propriis manibus vinum cum calice bibit, quod ex die septuagesimo, qui est ante Quadragesimum, nunquam per se sine adminiculo alterius fecerat. Nam ex præfato tempore Septuagesimæ, ac per totam Quadragesimam, peractísque diebus omnibus Paschæ festiuitatis vsque in illum alacrem diem quo hæc acta sunt; & nec tunc panem omninò nunquam in ore sumpsit, sed leuissimo cibo, aut oleribus decoctis corpusculum reficiendo sustinuit.

Præterito verò tempore, priusquam hoc à Domino perpetratum est signum, venit quidam vir nomine Vvinegaudus, in Pauliacum villam sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Besuensis Monasterij super littus Vincennæ fluminis sitam, tunc quando rapax manus prædonum rapaci ingluuiei dedita erat, eo videlicet tempore quo primi fructus ceraſorum matureſcere solent. Est autem ibi Capella in honorem sanctorum Apostolorum, conseruantúrque in eadem reliquiæ sancti Prudentij Martyris, qui miris in prædicto Monasterio iugiter virtutibus claret; necnon & sancti Florentij Martyris, almíque Antigij Confessoris. Præfatus enimuerò Vvinegaudus intuens viridarium vicinum Capellæ, prospexit eminùs, & vidit maturum more suæ iucunditatis decore rubens concupiscibili sibi amore feruens iam nominatum pomum. Adtractus desiderabili fructu, petiit patescere à custode ostium nemoris; dehinc aduersus eius ferocitatem exiliens custos, nomine Sigibertus, taliter inreuerenter minanti, mitigando est conatus prohibere ingressum, qui illicò furore accensus, conspexit in sepe foraminis aditum, per quod putabat se liberè transiturum, statimque vt ad illud peruenit, eleuato pede transiliendi causâ, priusquam introrsus terram vestigium tangeret, coluber immanis tibiam eius tortuoso nisu fortiter ambiendo constrinxit. Tunc ille sentiens mortem suam, viribus quibus potuit ad se gressum retrahens, magnis vocibus Dei omnipotentis misericordiam cum pauore simul & gemitu inuocare cœpit, & suffragia sanctorum Apostolorum, necnon & sanctorum cæterorum suffragia implorare. Videres horridissimam belluam, tibiam hominis flexibili motu stringentem: ipsum hominem

nem æſtuanti pallore, ſimulque & ſudore madentem, mortémque extemplo metuentem; fugiendi ſibimet locum ſi vires ſuppeterent anhelantem, ſexum vtrumque ad hanc vociferationem currentem, inſanum populum tremiſcentem, vniuerſum ſcilicet admirantem, fidelem gaudentem. Qui monitus ab omnibus, ipſeque in ſemetipſum reuerſus votum vouit Deo, vt ſi ex hoc periculo ereptus fuiſſet, vlterius iam ſe taliter minimè perpetraturum, ſtatimque ſerpens eum deſeruit, & iter quod voluit, adgreſſus eſt. Mirum in modum homines ſenſu capaces ſæuiunt, nociua, mortifera & humano generi ab initio vitanda, indomabiliſque & virulenta natura quod neſcit obtemperat.

Anno verò ab Incarnatione Domini octingenteſimo octogeſimo ſeptimo, vltimo Karolo puero filio Ludouici Imperoris regnante in Francia. Odone autem filio Roberti Andegauorum Comitis tutore Regni, Normannorum gens effera immenſis exercituum collectis copiis, Franciam ingrediuntur. Iam enim prius Pariſiacam vrbem, poſt ſeptem annorum obſidionem captam & vaſtatam, Rothomagum, Ebroas, Baiocas, & cæteras Neuſtriæ ciuitates atrociter depopulati fuerant. Tunc verò Beluacum, Carnotum, Meldis, Milidunum, ſolo tenus euertentes, totas longè latéq; nullo penitus obſiſtente peruagantur Gallias, rapinis, incendiis, ferróque cuncta peſſumdantes. Iam itaque Neuſtriam, iam Franciam hoſtica manus exhauſerat, ſed nihil omnino actum credidit; niſi etiam Burgundia ſuæ crudelitatis feroces experiretur gladios. Quam nequitiæ ſpiritu ingreſſi, omnia more ſolito cædibus, rapinis, combuſtionibus adinternecionem vſque debacchantes tradiderunt, denique tandem ad locum peruenerunt furentes, quem antiquitas Beſuum nuncupari voluit, à fonte ſcilicet eiuſdem nominis illic in magnam ſeſe reſoluente aquarum affluentiam; adeo vt mox in fluuium largiſſimum præter alterius ammixtionem mirè colligatur, tanta ſiquidem hoſtium ipſorum multitudo fuiſſe perhibetur, vt præfatum fluuium quatriduo ibidem caſtra metantes penitus deſiccauerint, deſtructo ergo eiuſdem loci Cœnobio, quod ab antiquo Beatis Apoſtolis Petro & Paulo dedicatum fuerat, Monachis quoque ſeptem peremptis, & aliis effugatis, aliorſum ad ſimilia perpetranda funeſtas obuertunt acies; Quippe ad Diuionenſe Caſtrum eos aſpirare, quamuis proximum ſit, nec loci munitiſſimi firmitas, nec Ducis formidanda famoſiſſimi bellicoſitas nullatenus permiſit. Hæc autem ideo dixerim, quia tunc Sanctiſſimi corpus Prudentii Diuioni propter metum eorum tranſlatum longis temporum illic permanſit anfractibus, ſub ea ſiquidem tempeſtate lugebant alii tot & tanta mala quibus fas erat, vt antea experti, alij metuebant, antequam experirentur ſuſpecti, altoque apud ſe rimabantur in pectore, quo pacto ſi ſua nequirent deffendere vel occulere, ſaltem Sanctorum pignora ſibi poſteriſque profutura ad loca tutiſſima & Barbaris inacceſſibilia transferrentur; ne penitus exterminio traderentur, ſi truculentiſſimæ gentis manibus obuenirent. Proinde multa Sanctorum corpora Diuioni ſunt inuecta, vt pote quod munitiſſimum & inexpugnabile præ cæteris videretur. Et egregij Ducis Burgundiæ, Richardi nomine, ibidem commanentis metuenda longè latéque celebraretur potentia, tunc etiam Beatiſſimi corpus Prudentij eò illatum eſt quod poſtmodum ſex luſtris ibidem permanſit multis coruſcans virtutibus, vſque ad tempora videlicet bonæ memoriæ Guarnerij, qui quartus à ſacro Geylone Pontificalem geſſit infulam, ad quem accedentes Monachi Beſuenſes, vel qui Normannica quondam effugerant arma & reuerſi fuerant, vel qui eumdem locum deſertum reſtruxerant, communiter efflagitabant, quatenus Beatum Martyrem loco ſuo reſtitueret, cui eum ſacer Præſul Geylo quondam dederat quorum lacrymoſis precibus pius flexus Pontifex Diuionenſibus minaci iubet auctoritate ſacrum ſine dilatione reddi depoſitum. At illi cognitis ſancti Martyris miraculis, quibuſdam vſi tergiuerſationibus, cum ſummopere retinere nitebantur. Verum quia Præſuli, penes quem erat cogendi poteſtas non obtemperare nullatenus valebant, callidè iniere conſilium ſub nomine Sancti Martyris alium pro eo reddere apud eos minoris famæ & gloriæ, videlicet Beati Siluini corpus Taruuanenſis Epiſcopi, quod olim à regione illa Diuioni delatum propter paganorum incurſiones, iam diuturno ibi detinebatur tempore. Quod etiam factum eſt, dato confeſſore pro Martyre, Siluino pro Prudentio, quæ fraudis verſutia aliquantiſper quidem permanſit, deluſo Pontifice cum Monachis, ſed diutius profectò perſeuerare non potuit, quia omniuidens ſempiternæ Deitatis oculus falli prorſus non nouit, quippe perpaucis euolutis diebus, Prudē-

tius, benignissimus Ecclesiæ Besuensis patronus, adest noctu sæpefacto Præsuli apud Diuionem in conclaui quiescenti, quem cum percunctaretur an dormiret, ille verò se vigilare responderet, continuò sanctus ore quidem placido, sed quasi subtristior sic intulit: Eya sancte Pontifex placétne tibi talis commutatio, vt alter meam domum, meam sedem sub meo nomine possideat, callido commento; Ego verò annis terdenis & tribus, alienos incolens penates diuturno clausus detinear ergastulo? Nonne te proprium potiùs iuuat habitato larem, quàm peregrino diutius inuitum vti hospitio? Quapropter consurgens accelera quantocius meo me restituere habitaculo, euacuato subdolæ calliditatis machinamento. Territus his Episcopus scisitatur quisnam esset qui talia ferret, causamque aduentus euidentiùs declararet. Ad hæc Beatus; Noueris, inquit, me Prudentium esse, qui olim Besuam Diœcesis tuæ vicum incolere dispositui: cui Geylo Piæ recordationis Antistes ab Aquitanico delatum solo me patronum ac protectorem deputauit. Diuionenses verò adhuc retrusum veluti sub carcerali obseruantes custodiâ, assignatam non sinunt reuisere sedem; an ignorasti deceptum ab eis? non enim corpus meum Besuensibus vt vos arbitramini reddiderunt, sed potius aliud videlicet Beati Siluini antistitis, subdolè subposuerunt, cupientes me sibi perpetuò cedere. Non autem sic visum supernæ maiestati, cùm pro Besua tot & tanta terrarum olim transierim interualla. Ibi enim diuinitus requies mea, & illic habitabo, quoniam elegi eam: valde quippe iniquum est, vt isti de me diutius versutâ gaudeant astutiâ, illi verò de tutoris sui fidelissimi lugeant absentiâ. Et ego amato priuatus domicilio, alienos inuitus foueam lares. Quam rem profectò nisi corrigere maturaueris, tibimet cui posse subpetit emendare, & ipsis delusoribus noueris multa infortunia proximè euentura esse: his dictis cœlestis visio disparuit. At Pontifex rerum nouitate turbatus, extemplo membra corripit è stratu: vocatisque suis pro loco & tempore rei seriem pandit. Manè autem facto conuocat eos qui se taliter derisui habuerant, & vt par erat, vehementissimè inuectione Pontificali tantæ præsumptionis redarguit, condignóque percutit anathemate, quoad super temeritate satisfacerent, & rapinam quæ reposcebatur, exintegro redderent. Quid plura, licet plurimum repugnarint, plurimúmque recalcitrauerint, tandem victi ratione atque iusta Præsulis violentia, reddunt quod retinere nequeunt. Dum hæc autem agerentur quidam cæcus illic aduenies clarissimum coram omnibus lumen recepit. Recepto autem sacratissimo thesauro Beati corporis, quod secus altare B. Stephani Protomartyris, tempore prolixo iacuerat, venerabilis Episcopus mandat Besuenses, vt venientes cum sacris ornatibus & apparatu tantæ rei congruo, antiquum depositum suum atque diutissimè abiuratum cum ingenti tripudio maximáque honorificentia, vt ardenter sitiuerant, reciperent, quod & factum est: Refertur interea B. Martyris corporis gleba sacerrima, super aurum & topazion pretiosa, iocundissimo postliminio, anno Verbi Diuini Incarnati nongentesimo vicesimo primo, nono Kalendarum Octobrium, cum honore amplissimo; sæpius dicto venerabili antistite honorabiliter nonnunquam vehente propriis in humeris, Clericorum, Monachorum & Plebium innumerabili stipato multitudine, præcedentium sacram lecticam, & subsequentium. Denique Monachis prædicti Cœnobij cum infinito populo eminus à Monasterio ei obuiam occurrentibus cum immensis laudibus susceptus est in Ecclesiam Beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli.

Eodem verò die homo quidam ex villa quam Veteres vineas vocant, nomine Adalgaudus, diu lumine ex asse priuatus; ibi aduenies partem luminis promeruit; ita vt absque ductore ad propria remearet: & homines quos antea intueri omnino nequiuerat, gaudendo vultu & habitu indicijs ostendebat: sic itaque per Beatum Prudentium Besua promeruit adquirere egregium confessorem Christi Siluinum.

Explicit Liber Secundus.

MIRACVLORVM SANCTI PRVDENTII.

LIBER TERTIVS.

IGitur mundo ad decliuia prolapso, Ecclesiæ, sponsæ scilicet Christi non habentis quondam maculã aut rugam, aut aliquid eiusmodi cœperat immutari pulchritudo

& variis causarum emergentium æstibus defœdatæ splendor pristini decoris deperiret. Insurgebant enim sensim semi-Christianorum lupi rapaces, & in tua, Iesu Domine, mitia acrius perfrendebant ouilia: totas namque in perniciem agnorum tuorum vires exercebant, & provt ipse posse eos permittebas, rapinis assiduis infestabant. Turbabatur iam passim pax dudum quietè degentium, & vndique oboriebantur prædonum copiæ quæ deuotè Deo famulantum vexabant Monasteria: proinde angebantur sacri præsules Ecclesiarum, pro pulsâ quiete ouium suarum. Quapropter communi deliberarunt tractatu, vt multâ conglobatâ Synodo, communiter paci Ecclesiarum consulerent; Anno itaque à conceptu celeberrimo Virginis intemeratæ millesimo centesimo sexto decimo, Lingonicâ promoto cathedrâ religiosi nominis viro Ioceranno, eiusdem Præsulis latè peruolat edictum, omnes inuitans ad concilium sexto Idus Iunij.

Huic verò placito Dei (sic quippe vulgari dicitur consuetudine) præstitutus fuerat locus à Besuano distans burgo terquaternis fere stadiis, iuxta Villulam scilicet quam Lucum nuncupauit antiquitas. Est enim ibi admodum grata planicies, longâ Campestris telluris æqualitate, & multo herbosæ superficiei placens gramine procul semota nemorum densitate: Ea satis congrua tali censetur negotio, vt pote quæ immensæ hominum multitudini capaci sufficiat gremio. Facto denique conuentu, præsidentibus venerabilibus viris Guidone scilicet Archipræsule Viennensi, qui non multo post Romuleum suscipiens Papatum glorioßissimè ad finem rexit, & præfato Ioceranno, imperato silentio vix omnes ora continuerunt. Surgens itaque prædictus Archipontifex cunctorum in se luminibus defixis: erat enim sacrarium multæ peritiæ & Rhetoricæ non hebes eloquentiæ, his inter alia vsus est, mellita (vt dicitur) oratione. Iamdudum, dilectissimi, satis compertum fuerat ab initio Christianissimi, Mosaycum illud obsoleuisse præceptum, *oculum pro oculo, & dentem pro dente*, cum Christicolis magis glorioßum esset, non solùm non rependere talionem, verum etiam percutienti maxillam præbere & alteram; & aufferenti tunicam, dimittere & pallium, nunc verò diuerso nimirum more Christiani non patiuntur, sed inferunt fratribus mala. Proh pudor! ecce sui Ecclesiam persequuntur, & quam tueri proprio cruore ab exortibus sacræ fidei debuerant, miserabiliter inuadunt & afflictant. Lacerant planè filij matrem vipereo more, quam præducem ad syderea deberent comitari palatia; Ecce inquam, milites non Christi, sed diaboli, religiosorum incursant conuenticula, diripiunt spolia, auferunt cibaria, totosque pauperis pro Deo conuersationis violenter extorquent sumptus: Hæccine opera Deus Iesus docuit? Hisne factis paradisi patebit aditus? Absit; hæc enim non ad cœleste cui suspiramus regnum, sed ad tartaream quam deuitamus pertinent abyssum. His & huiusce modi declamatis à viro facundissimo, cepere audientium mitescere pectora, & in pacis modestiæque velle concurrere sacramenta. Illo verò in tempore S. Stephanus Abbas noster, vir sanè per omnia magnificus super omnium pastores Galliæ Cœnobiorum, egregium nomen sanctitatis & prudentiæ sæcularis obtinebat: de cuius solemnibus præconiis ne pauca dixisse videar, dum multis vix valeant comprehendi libris, iustius arbitror nunc silere quam loqui. Hoc solum protulisse sufficiat, meritis eius concessum fuisse, vt tempore suo tot tantisque Beatus Prudentius emicaret virtutibus. Is igitur glorioßus pater imaginem Claugeri cœli, & corpus almiflui Prudentij, quod ab eo mirificè argento & auro, lapidibusque pretioßis exornatum fuerat, ad idem concilium ferri fecit, nec non & sanctorum aliorum pignora, quæ longum est referre, quæ à conuentu totius Synodi deuotißimè suscepta cum hymnisono concentu, in præparatis decenter collocantur tentoriis. O certè pretioßi papiliones, quibus Christi dignantur commorari testes! Aderat autem, sicut prædixi, ineffabilis hominum multitudo, nec non & illustrium virorum diuersæ dignitatis non exigua copia. Fusa itaque sacri eloquij exhortatione, quam pacis constat habuisse exordium & procursum, deuota populi millia, Sanctorum suppliciter sollicitatura suffragia, vt moris est, progressu tumultuosè perlustant oratoria; Sancti verò depoßiti vti cœlestia castra per papiliones collatis adiuuabant precibus supplices: & nonnunquam corporum aduersa valetudine oppressorum clementer fugabant dolores: Aderat namque numeroßus grex debilium, diuersis incommodis tabescentium, qui ob incolumitatis adipiscendæ leuamen aduenientes, sanctorum flebiliter efflagitabat patrocinium.

Denique cum multi multorum implorarent iuuamina Sanctorum, inter cæteros qui

diuino indigebant amminiculo, quidam puerulus captus oculis à maternâ aluo per sacra à parentibus deferebatur tentoria, spe impetrandæ lucis. Pro quo etiam cùm plurima precum funderentur libamina, spe dilatâ non cassatâ, tandem Prudentiano delatus est conspectui. Mœstus & anxius genitor cum matre pueri Deitatem tristibus commouent gemitibus, Martyrémque beatum querulis sollicitant affectibus.

Sæpe gemunt, orant, cæco pro pignore plorant.
Et dum ploratur, Martyrque pius rogitatur,
Nox abit, infestis puerum quæ presserat vmbris.
Panduntur geminæ cæcâ sub fronte fenestræ:
Lumine clara nouo Titania lux micat orbe:
Miraturque nimis inopina crepuscula lucis
Ille puer, cæcum matris quem fuderat aluus.
His ita gestis, Martyris almi
Fama loquaces surgit in auras:
Quæ Pegaseis motibus acta,
Cuncta citatis peruolat alis.
Sed Pharisæo more refutant
Credere quidam, pectora quorum
Liuor adurit cæca malignus.

Nam nonnulli sacri Cleri, & (quod etiam me pudet propalam dicere) aliqui Monasticæ professionis, falsò iactari talia de Prudentio Beatissimo ac potius sub obtentu lucri à Besuanis callidè commentata, quaqua versum poterant, inuidiâ stimulante diuulgabant: & quò magis simplicem plebeculam ad Martyris Tumbam argenteam cum religiosis muneribus certatim properare considerant, eo ardentius efferati mille conuitia in sanctum patenti gutture ructant, & quos valent, ab eius veneratione blasphemis vocibus abducere insudant; sed quantò acriùs reuocare accurrentes ad salutis gaudia satagunt, tantò copiosiùs diuino instinctu, vberior eò influit popularis (vt ita dixerim) fluctus. Quorum videlicet oblocutorum eo vsque processit vecordiæ, vt ad aures etiam illustrissimi & inter principes optimi Ducis Burgundiæ personaret, qui diu factum tantæ nouitatis in puerulo cum cæteris proceribus sagaciter euentilans, & in dubium veniens directo satellite parentes pueri iubet accersiri, percunctaturus tam ammirabilis rei ordinem, quibus accitis & facti, vt digestum est superius, referentibus seriem cum iureiurando, Reuerentissimus Dux cum assidentibus iusti zeli substomachante irâ, obtrectatoribus nimium indignatus, in laudem prorupit benignissimi conditoris, qui tot tantisque sanctos suos consueuit extollere præconiis. Verumtamen quantò enixiùs maliloquorum stomachabatur vesania, tantò lucidiùs eximium testem astri potentis magnificabat clementia. Protinus siquidem mirabile factum non minùs mirandum subsequitur.

Nam quidam iuuenis de villâ quæ Flaciacus dicitur, nequissimi spiritus correptus insania horrendo nimium & mirabili raptabatur furore, qui adeò funesti possessoris atrocissimis exagitabatur calcaribus, vt ex vnius ore hominis, rabidos infrendentis sermones, multiplices crederes proferri sonos. Tanta enim vi Apostata ille Angelus, qui gaudet hominum pingue scere tabo, iuuenilia sibi vendicaret membra, vt ex asse peregrinum transeuntis in vsum in vsum, vix à quinque viris fortissimis possent aliquatenus domari. Qui infelix homo cùm longo tempore tali opprimeretur calamitate per sacras nominatissimorum sanctorum, quamuis procul remotas, ductabatur Basilicas. Sed nescio merito suo an aliâ latentiore impediente causâ, tam crudelis hospitis carere non poterat violentiâ: tandem Domini vero nutu intonante, præscripti placiti Dei prænuncio, à cognatis suis multiplici innodatus fune, vt saltim ita furentis dæmonis temperaretur sæuitia, illuc violenter adductus est. Nec mora, perlustratis Sanctorum oratoriis, Prudentij demum quamuis plurimum renitens sistitur ante præsentiam. Tum verò videres miserabilem immodicas ore prouoluentem spumas, hiantia labia rictu grandisonoque reatu horrendum minari, & sanguineos oculos toruum obliquatos astantes conterrere: Miseratione autem nimiâ intuentium afficiebantur viscera, Martyrémque piissimum piis implorabant singultibus, vt obsessâ sæuum pellens de sede tyrannum, pristinæ virum redderet incolumitati & modestiæ. Quid multa flectitur ad misericordiam misericordissimus conditor oramine martyris, moxque ab astrigero diuinæ maiestatis solio procedit propitia iussio, exire compel-

Digitized by Google

lens crudeliſſimum hoſtem de male peruaſâ domo: illico dans voces per hiantia labra feroces, Angelus ille fugax concitus egreditur, cum eo quo habetur dignus ſulphureo fœtore, exiens namque cum vomitu olido, tanta præſentes tartarei putoris perfudit aſpergine, vt planè ſtygias inſpirare putares auras. Vacuato denique humani corporis antro, hoſpite ſpurciſſimo redditur ſibi homo qui alienis patere ſolitus erat habenis, ſuccedit furori ſobrietas, & impatientiſſimæ membrorum exagitationi mira tranquillitas, aſtantibus pro eo iubilantibus Deo laudum præconia.

Sed hæc ne pauca videantur ad confutandam inuidorum dementiam aliud etiam ſubnectam ibidem patratum, quod celebri ſermone ferebatur per ora multorum. Vir quidam ſancti Vrbani partium accola, non congruentibus numeris mortuâ dexterâ viuebat non totus: nec enim totus viuit, cuius non omnes partes viuunt. Obſtructo etenim dexteri lacerti venarum meatu languido, laxatis torpebat dextera neruis; adeo vt nec (ſicut aſſolet fieri) collo depenſa poſſet ferri, aut ſurſum erigi, ſed omnino vt pars iam inutilis & quaſi defuncta, appetens terram, femori ſemper iungebatur; non iam honori ſed oneri: Torquebatur autem miſer homuncio, malens funditus præmortuo caruiſſe membro, quàm diuturno excruciari ſupplicio, defecerant erga eum penitùs medicorum iuuamina, & tota cui ſuſpirat orbis Hypocratica ceſſerat ſolertia; ad poſtremum verò poſt ſeptem hyemes, poſthabitis humanis, ad diuina confugit, ſi quidem famâ ciente; vt cæteri ad enormem quam ſacri præſules conflauerant ſynodum, ſpe recuperandæ ſoſpitatis conuenerat: nec moratur, audierat nempe Prudentium peregiſſe quæ ſupra retuli miracula, contendit ad locum quò videbat confluere populum. Qui cùm adſiſteret tentorio beati Martyris, cuſtodem ipſius percunctatur ruſticana temeritate, quiſnam Sanctorum diceretur eſſe Prudentius; Cui Religioſæ memoriæ Iohannes præcentor noſter modicè indignans, aut potiùs, vt vir erat iocundiſſimus, ridiculo habens ruſticam percunctationem, quòd tam abſurdè interrogauerit, indice prætenſo reſpondit, quid inquiens Prudentium tam auſterè perquiris, cùm eum præſentem habeas? Huc huc conuerte lumina, en iſte ille eſt Prudentius, de quo tantopere ſollicitaris. His ille auditis, ante ſanctum toto proſternitur corpore, porrigit ad aſtra vota ſupplicia, glorioſum martyrem fatigat fide profunda vt ſui miſereatur. Quid plura? Vix deuotam finierat ſupplicationem, & iam ſupernam perſentit miſericordiam, propitiatur omnipotens miſero, viri ſanctiſſimi merito redintegrari lætatur mancus brachio. Qui etiam continuò ad indicium receptæ incolumitatis, vnam ſancti fideliſſimis complectens vlnis, vberrimis præ gaudio infundit lachrymis. Quo viſo præſentes immenſum exultationis & confeſſionis clamorem tulerunt ad ſydera, Prudentij in commune collaudantes prædicabilia merita. Quod factum à Deo probabiliter perpatuit, vt ſequenti die idem vir cum dæmoniaco, de quo ſuperiùs egi, ab eo loco propriis humeris Beati Martyris glebam detulerit Beſtuam, aſſiduis Chriſto iubilans tripudiis pro damno reformato.

His aliiſque patratis virtutibus, compoſitóque Eccleſiæ ſtatu, iuratâ pace, ad imperium Præſulum finitur placitum. Referuntur itaque beatæ reliquiæ quæ illi interfuerant Synodo ad proprias ſedes. Proinde reuehitur famoſiſſimus Prudentius humeris duorum quos curauerat virorum, nobili comitante pompâ. O quæ lingua diſerta, quæ vox ferrea ad plenum referare queat? Quanta vtriuſque ſexus examina eum ſint ſecuta; quantaue occurrerint in obuiam. O felix pompa, in quâ non ad labilem victoris laudem de more antiquo poſt terga trahuntur captiui, ſeruitutis æternæ iugo ſubiciendi; ſed potiùs oppreſſi & irretiti laqueis aduerſarum valetudinum abſoluuntur, & perenni donantur libertate! liceat hunc Martyris noſtri poſt tanta miracula celebrem triumphum Cæſareanis Octauianiſque prætuliſſe caducis tropheis.

Iam verò Beati Martyris corpore in Baſilica Principum Apoſtolorum Petri & Pauli recepto, cœpit frequens & aſſidua populoſitas confluere, ſuppetiaſque eius ſuppliciter efflagitare. Infirmorum etiam non modicæ phalanges multiplicibus (vt fit) detentorum morbis, diuerſa dona ſanitatis quiſque pro ſua parte importunis precibus implorabant. Cumque improbitatem aduentantium clamoréſque querulóſos ægrotorum pati diutius Monachi nequirent, vt pote moleſta Monaſticæ quieti, ſimúlque concurrentes prohibere non valerent, communi deliberant tractatu quidnam ſuper hoc agendum foret. Vulgares quippe importunitates declinare profeſſionem noſtram regularis decernit cenſura; arcere verò miſeros à ſuffragiis Sanctorum nimia iudicatur inclementia. Quapropter conſtituitur vt illuc glorioſi Martyris exu-

uiæ ferantur vbi lib errimè à fidelibus populis expetantur.

Est autem colliculus Besuano supereminens burgo, ab ea scilicet parte, quâ nox sydera condit, in summo vertice gestans Ecclesiam in honore ipsius Martyris consecratam. Hanc dudum non multum antiquis temporibus fertur quidam fecisse Grimerius; vt aiunt, vir per omnia religiosissimus. Cui longo tempore sub habitu Monachico Christo militanti, Beatissimus per somnum apparuit Prudentius, iussitque vt domum sibi construeret, qui à Monacho percunctatus quisnam esset, qui tantâ auctoritate sibi ædem fieri imperitaret. Respondit: Nunquid non agnoscis quem quotidiè assiduis interpellas rogatibus, vt ante diuinos conspectus impetret tuos aboleri reatus? Ego sane sum ille Prudentius, qui ab Aquitanicis delatus oris, Besuanáque olim potitus sede, multis longè inhotui signis. Ad postremum ego ille sum qui cum claugero cœli & Doctore Gentium, vestri curam gerens procul, omnes arceo hostiles impetus, non solùm visibiles, sed etiam (qui vobis infestiores sunt) inuisibiles: si vis itaque à peccatorum pro quibus sæpè postulas, maculis ablui, & deuictis inimicis, Elisiis gaudiis perfrui, domunculam meo constrve nomini ad laudem & gloriam conditoris nostri. His Monachus auditis, diuinis per omnia cupiens obtemperare iussionibus, Ecclesiam in monticulo præscripto ædificat, & Prudentiano honori pontificali consecratione dedicat. Eò ergo Beatus Stephanus Abbas noster, qui super his ingenti triumphabat lætitiâ, conniuente fratrum caterua, almiflui martyris venerandum imperat inferri Bustum. Quo facto tantò copiosiùs ad eum locum plebeia conuolabant millia, quantò nulli accedentium sacra asili negabantur limina: ibi'ergo positus sanctus innumeris hactenus emicuit virtutibus, vt penè impossibile sit eas scire, nedum aliquis tentet stylo quamuis simplici mandare.

Grex miserorum ducitur illuc spe medicinæ,
Quisque fideli pectore poscit, vota reportat.
Lumina cœcis restituuntur, nocte fugatâ,
Muta refundit lingua loquelas ore soluto,
Vocibus auris surda patescit præsule Sancto.
Crura, pedésque cruna sequentum, consolidantur,
Brachia laxis languida neruis fortificantur.
Membra fatigans febris anhela, pulsa recedit,
Rupta ligatis vincula cedunt, carcere fracto,
Mania multos dira relinquit vertice sano.
Tristis erynnis corda perurens, pace quiescit,
Corpora sœuus deserit anguis, nexa catenis.
Gurgite mersi sæpe profundo, morte resurgunt,
Pectora leti pondere pressa, viuida fiunt:
Omnibus ægris vnica spes est quærere Sanctum,
Posse mereri ni dubitent spes magna salutis,
Nemo repulsam perpetietur, ni mereatur.

Mirifica quidem virtutum opera glorioſi Martyris nostri expedire proposui, sed dum immensam numerositatem dispicio, quid prætermittere, quidve stylo debeam committere penitùs ignoro; sed si omnia non possum, tamen pauca de plurimis reuoluere ad gloriam & laudem omnipotentis pia deuotio imperat.

Vir quidam luminibus orbatus Eurardus nomine comperto sacratissimi Prudentij aduersum varias passiones veloci medicamine, ad eum tenebrosos quàm citius intendit gressus. Qui cum multo gemitu humilique prece sancti sollicitaret affectum ad miserandum sui, vnius tantum oculi recepit lucernam. Cur autem non amborum clarificari meruerit fulgore orbium, non potest nostri, id est humani esse iudicij. Quantùm verò in talibus conici datur, non plena fide popoſciſſe videtur, ex eo quod semiplenum impetrauerit beneficium, aut sempiternam Dei prouidentiam quam nihil futuri latet, præscisse animi illius cupidi obstinatam auaritiam; quâ nimium post receptum lumen insaniebat, ideóque vix sancti Martyris precibus ei imperfectum indulsisse datum. Idem tamen homo adeptus ex parte sospitatem, longo post tempore vixit, & vt munifica Martyris virtus in eo clarior fieret, quandiu rebus humanis interfuit, aut Monachorum Beati ipsius Prudentij corpori famulantium officiis deseruiuit, aut Curiæ nostræ portam seruauit.

Ingens replicaturus miraculum, benignissimum supplex obsecro Paraclitum,

per quem omnia Deo placita fiunt, vt mihi ad idoneè persequendum indulgeat eloquium: & à veritatis orbita non sinat deriuari vestigium: grauissima namque res moderato circumspectioréque agenda est motu; ne dispar oratio materiei, dignissimæ pateat reprehensioni, quandoquidem sæpius aptè perorata cynædorum corrodat insania. Est autem huiusmodi quod dicere proposui: in Episcopio Lingonico, bis binis, bis miliaribus ab ipsâ vrbe (ni fallor) distans castellum habetur, quod mons Salion ab incolis nuncupatur. Quod adeo parens omnium natura suâ communiuit ope, vt machinis arietum phalaricisve tormentis, aut etiam quibuslibet exquisitissimis assultuum ingeniis, non dicam inexpugnabile, sed etiam inaccessibile sit. Neque enim (vt in plerisque) ex alterâ parte tellus rupibus elata superbire fiduciâ sui facit oppidanos, ex altera verò æqualis loci planicies timidos ac sollicitos reddidit; sed potius vndique collecta humus longioríque tractu in angustum surgens verticem altiùs porrectum superas sustollit in auras; nonnulla in summo cacumine gestans domorum ædificia. Quod forsitan cataclismi dudum coactione, ita compositum est, vt rectè à saliendo in aëra, Mons salion clarâ etymologiâ vocitetur. In hoc denique tantæ firmitatis castro quidam Miles nomine Ascherius, hominem de villa quam Burburenum prisca appellabat consuetudo, captum crudelissima coniecerat in vincula; Tanta quippe in eum desæuiebat iracundia, vt vix illius crederetur posse vnquam satiari de pœnâ. Coeperat enim eum odio Domini sui, quem nimium odiebat, aut quod credibilius est ob extorquendam pecuniam, quâ plurimum refertus esse idem homo ferebatur. Euocatis itaque mancipiis suis minaciter imperat super infelice dicens; Agite hunc rusticum variis suppliciis, quo ad quibus abundare existimatur proferat gazas: qui etiam tametsi nulla pro quâ excutienda puniri debeat insit ei opulentia, tamen odiosissimi Domini sui causâ, mea satiabit pœnis suis iratissima vota: quippe quæ in Dominum exercere nequeo, in seruum michi nunc arridente fortuna explere licebit. Qui (quod absit) vestras elapsus effugerit manus, æternitonantis in patibulo pendentis iuro angustias, quia quæ ipsi irrogare disposui, vos luetis supplicia: hæc vbi dicta dedit, sinuosis funium voluminibus captiui post tergum innodantur lacerti, ac gressus duplici arctantur compede, & sic obscurissimo retruditur domus penu ipsius militis. Quo in imo ædium solet arcisque & vasis oppleri; sed quasi parum esset, miserandum hominem cæsum, vinctum, compeditúmque teterrimo subterranei specus dampnasse ergastulo, excogitantur noui generis custodiæ argumenta, immergitur namque vastissimæ finibus arcæ, quæ clausa & firmissimè serâ obsignata, signóque prægnandi superposito, cooperculo directo sursum versus vsque ad superni plantas cœnaculi, ne quâ scilicet arte aperiri queat: Custodum etiam duorum supercubantium peruigili munitur industriâ. Bone conditor rerum, quid tantum quæso mortalium præualuit vecors temeritas, vt homo hominem & quod deterius est Christianus Christianum tam feralibus iniustè audeat mancipare tormentis? Pecuniæ sacra fames, iuxta Poëtam, sola hæc præcipuè suggeris, sola facere compellis: ratissimúsque est in hominibus qui non tuis flagrantibus pareat habenis: Nempe causa tui eripiendæ tot & talibus addicitur iste malis. Qui miser, vt ad inceptum redeam, in horribili profundi penoris damnatur spelæo, & ingenti obsessus arcâ, vigilibus appositis satellitibus, multis curarum fluctuabat æstibus, desperans de humano suffragio penitùs; mortem equidem summopere appetebat, quasi supremum malorum effugium; sed in se homicidalem, vt pote ligatus, nequibat inijcere dexteram; nec quisquam aderat qui ei crudeles inferret manus. Quantùm autem valebat, omnipotentem vt se leto dederet exorabat: nam ad tantarum incrementa miseriarum calor quoque intolerabilis illi infelici vitales infecerat auras. Æstas quippe erat adeò vt grauiorem ex eo contraheret cruciatum, quàm ex terribili vinculorum custodiæque obsessione. Quid ageret, quò se verteret, quandoquidem nec vertere poterat, prorsus ignorabat: Tandem verò respectus supernâ miseratione, glorioſi Prudentij signorum, quæ jam frequenti percrebuerant opinione recordatur; statimque meliorem concipiens spem, fletibusque marcida rigans ora, hos nimium mœstus fundit de pectore questus, deuotis mixtos precibus. O flos Beatorum, luxque clarissima totius orbis, Martyr Prudenti confer opem mihi miserrimo & desperatissimo omnium. Experti nuper quam plures dicuntur immensam miserationem tuam, vnde & laudem longè latéque collegisti tibi non exiguam! Qui ergo multis variorum incommoditatibus casuum oppressis, benignum proten-

dens brachium, leuamen impendisti; multò magis vni michi potis es, si digneris auxilium conferre, licet hoc infelix impetrare non merear. Nam hactenus quamdiu fauit fortuna, vberrimâ iocondatus rerum secundarum opulentiâ, non vt debueram succurri constitutis in miseriâ. Quapropter æquissimâ diuinæ Iustitiæ sententiâ hæc quæ patior infliguntur mala: vnica & suprema spes restat, ad te confugisse (piissime Martyr) qui tot obsessis pressurarum angustiis benignè subuenis. Credo equidem, nec vana fides, te promeruisse ab eo pro quo dira passus occubuisti, vt etiam imâ sede semper horrentis erebi damnatos, superas possis reuocare ad auras: Quantò autem magis me ab hoc quamuis ferali & munitissimo ergastulo absoluere potes? Adesto itaque vir beatissime, hæc multimoda quibus obsideor argumenta dissolue; vt libero gressu sopitis custodibus tua sancta limina adire merear, spondeo certè coram diuinis conspectibus, quoniam si me eripueris, ad præsens tibi hominium faciam, & annuatim debitum vectigal vt seruus pendam: talia perstabat memorans fixúsque manebat. Cùm itaque incessanter omnipotentis Dei sanctique Martyris inquietaret aures, visitauit eum oriens ex alto, illuminare ei qui in tenebris & in vmbrâ sedebat, ad dirigendos pedes eius in viam pacis Mox etenim rigidis cesserunt vincla lacertis, funibus abruptis penitùs, manibusque solutis. Tunc deinde humore ad operculum arcæ impacto, cedit sera, ruit quod erat superius repagulum; adeò vt mirâ Martyris virtute patefacta arca per illud hians remaneret. Reserato deinde tam crudeli carcere, custodibus etiam lethargico demersis sopore, egreditur captiuus ille ab arcæ ergastulo, sed adhuc compedum retinetur pondere nimio, cellariique tenebrosissimi claustro, tandem verò diu multúmque quadrupes reptans per vmbrosa noctis silentia scalam offendit, per quam de infimis ad superiora vicissim dispositis gradibus, continuabatur ascensus peruius. Nec mora, quibus valuit nisibus per eam cænaculum conscendit, quo Herus & Herilia mancipia placidam carpebant soporis quietem: quos adeò letheus (vt sic dictum sit) occupauerat somnus: vt ad nimium bodiarum repentis hominis fragorem, quem pro natura ferreus excutiebat rigor, nullo modo expergiscerentur. Denique dum multa nescius quo tenderet per solarium more pecudis obambulat, non sine diuino nutu ad posteriorem domus ipsius peruenit partem, vbi contemplatus fenestram tantæ capacitatis vt & latum annuat effugium, non paruo gestit gaudio, quam continuo subiens vt erat grauatus vtroque vestigio (neque enim compedes frangere audebat propter resultantis calybis tinnitum) eia, inquit, fortissime Prudenti, noli precor desistere cœptis, vt qui difficillima & omnino desperatissima tuo suffultus iuuamine iam euasi, hæcque restante, produce velociter exuperem: His dictis dum oculos quonam prosiliat inflectit, perpenditque immane præcipitium subesse, intremit, & pauidas fugiente calore medullas, sanguis ab ore meat, præcordia concutit horror. Ita etenim ipsius Ascherii constructa habetur domus, vt ab extremis partibus ingenti prærupto subsidentis soli pateat vastum præcipitium, quod non minimo ædibus solet esse munimento. Quid ageret infelix in tanto positus discrimine, ancipiti sub corde versabat. Nam retrocedere, pristinisque subdi supplicijs perhorrescebat, nec minùs itidem permittere se letifero volatui naturâ repugnante formidabile erat. Æstuat ergo miser celsâ remorando fenestrâ. Quid multa? Iterum Prudentius inclamitatur, iterumque centum votis flebiliter inuitatur. Protinus adest Beatus Martyr, monétque hominem quatinus impiger ab altâ demissus labatur fenestrâ: nec mora, præcipiti saltu delapsus ad ima, decidit in aceruum saxorum, quæ ibi olim diruta maceria demiserat, sed (ô mirabile dictu) tanta lapidum exceptus est molliciei clementiâ, vt putari posset ibi fuisse Reginæ Galliæ puluinaria, & culcitas, vel Sardanapali pensiles plumas. Consurgens itaque, vix tandem aliquando compeditus peruenit ad portam eiusdem castri, qui de more nocturnis horis firmissimis vectium obicibus & repagulis obfirmata erat, qua diuina manu reserata liber egreditur.

Illico compedibus Saxorum verbere fractis,
Et quasi pro spolio victor collo sibi iactis,
Currere non cessat, pedibus per deuia tractis.
Vt leo Getulus vinclis virtute subactis
Liber oberrat ouans, metuit tamen ora sequentis,
Sic pauet ille nimis pauidæ cunctamine mentis.
Intereà rutilum Veneris processerat astrum,

Cùm

Cùm studet ille citus post terga relinquere castrum.
Aufugiens igitur, vitans quasi littora Thracum,
Contiguam villam pauidus subit Albiniacum.
Ingressusque domum pretiosi Symphoriani,
Vix credit Sancto, formidine plenus inani.
Nam timet insidias, ne denuò iam capiatur:
Nec Monachis credit, qui suadent ne vereatur.
Verùm non patiens morulæ, sub nocte secutâ
Egreditur: fert per tenebras vestigia tuta.
Sæpe premit flatum, ne quisquam fortè sequatur,
Martyris eximij donec valuis potiatur.
Ingreditur templum, persoluit debita vota,
Ac populo miranda refert de re bene notâ.
A cunctis resonant præconia celsa tonantis.
Lætitiæ inbilis nequeo depromere quantis;
Æra sonant, laudésque crepant tibi, Martyr amande.
Et verè grates semper tibi sunt celebrandæ,
Qui tot captiuum virtutibus eripuisti.
Nullus in hoc dubitet quoniam bene promeruisti.

Nec minori penè ammiratione dignum aliud non dissimile opus retexam quod non impari gestum est munificentiâ Martyris; & iustum fore percenseo, vt res non dissimilis simili per omnia mancipetur gloriæ. Attestante Boëtio in topicis, idem iudicium in rebus similibus esse. Quidam vir dudum captus fuerat à Garnerio dominatum obtinente castri quod vulgariter Sunbernum appellatur; à quo etiam manibus post terga reuinctis, arctissimóque vestigia immersus ligno, præfati castelli vastæ turri custodiendus intruditur. At is nomen, virtutémque Prudentij iam celebri competerat rumore. Quod videlicet inter alia mirabilium quæ operabatur prodigia, captiuorum solitus esset enodare ligamina. Tunc quadam nocte supernâ respectus miseratione, ipsaque quâ premebatur cogente angustiâ, Beati Martyris recordatur, statimque ab imo cordis longa ducens suspiria, in hæc verba tamdem resoluens ora, Deus æterne cuius nihil subterfugit notitiam, quique pro nostrorum qualitate actuum cuique præmia decernis aut supplicia, succurre michi misero solitâ pietatis tuæ clementiâ, per interuentum glorioſissimi testis tui Prudentij. Fateor equidem me illustrissime, acerbiora his quæ patior emeruisse; Verùm non ad mea, quæ nulla sunt nisi pœnalia, sed ad illius glorioſa obsecro attendas merita, per quem tua indignissimus gratuita imploro beneficia. Quid enim eius sacris præconiis negare possis, qui pro te immanibus se exponens cruciaminibus, iam diademate redimitus superno, tecum regnat in sublimibus? Clementissime Martyr, auxilium laturus quàm citiùs adueni, vt ab his per te exutus calamitatibus, deuotis Deo & tibi resultem laudibus. His aliisque crebrò suppliciter effusis, grauibúsque crescentibus pœnis auxilium Sancti capto benignum.

Emicat afflatum verè memorabile signum,
Franguntur cunei, discinditur vndique lignum,
Quo fuerant pressus nexu mordente ligati.
Vincula cuncta cadunt, testis per iussa Beati,
Nec mirum; summæ grauе quippe nihil pietati.

Expeditus itaque penitus ab illis quibus vinctus erat loris, libero incessu per turriculam nocturno silentio deambulat, inuestigans scilicet quorsum euadat, reserans quippe ostium, minimè audebat, ne quo strepitu custodes cerebrum somno excuterent. Rursus quoque à præcelsæ arcis delabi propugnaculis, dementis esse hominis arbitrabatur, supremæ sortis fata appetentis: sic vtrobique diuersa in animo viri illius conflictant pericula: & quod potiùs eligatur, diutissimè ambigitur. Animaduertat quæso sagaciter prudens lector quot meditatus illa hora sub tantâ ancipitis criminis trutinâ miserabilis circumrotarit. Quid plura? ad vltimum autem iuxta Dauidicam optionem, melius existimans incidere in manus Domini, quàm in manus hominum, decernit à summo prosilire turris; suberat verò illi loco tectum proximum telluri nescio cuius officinæ, vt reor autem humilis culinæ, horresco certè nimiùm referendo, gelidúsque currit per intima pauor, quo ausu mens humana

tantùm inuadere periculi præsumpserit. Et vt viburnum cupresso, hoc est, modicum comparem magno, nescio an plus fuerit Petrum à lintre in æquora prosiluisse, quàm istum ad terram à summâ arcis crepidine. Sed moror: inuocato ergo omnipotentis auxilio, vexilloque dominici trophei armatus, cum lachrymis Beatum sic compellat Martyrem; Ecce, benignissime Prudenti, corpus animamque meam tibi committo, vt aut victurum me suscipias ruentem, aut morituram commendes ante diuinam maiestatem. Dixerat, elapsus vacuas se credit in auras; res incredibilis, præcelsæ turris ab alto; Decidit autem super præsertum tectum cum tanto casus pondere, vt non modicam scindulatum quantitatem secum ad nudam terræ superficiem cadendo contraxerit. Ad cuius decidentis immensum fragorem ij qui sub eodem domate, & in propinquis ædibus dormiebant, expertecti membra concitè stratis excutiunt: continuóque agnoscentes effugisse captum, cum numerosa tædâ variisque luminaribus fugacis insequuntur vestigia, missis clamosis post eius terga molossis.

Ille fugâ celeri non nouit ad ista vereri,
Martyre confisus, cuius domus est paradisus.
Frustrà nituntur, eius qui dorsa sequuntur,
Nam non prendetur, Domini quem dextra tuetur,
Vt cognoscatur quia cui vult auxiliatur.

Tertium superioribus geminis consimile copulare relatis statui miraculum, vti illud nuper à grauioribus accepi personis, de quorum dubitare dictis nefarium planè iudicares. Præsertim cùm ipsi ante illud factum ne nomen quidem Martyris nostri vnquam audierint. Tanta verò signi huius fuisse dignoscitur celebritas, vt apud castrum quod super Albam fluuium satis firmiter constructum, Firmitatem appellant, Prudentianum vocabulum ingenti redoleret gratiâ; Siquidem in ipso castellò patratum fuit opus de quo series orationis ordiri paratur, nam cùm quidam miles eiusdem oppidi, quibus nescio causis de Austrasiis crebrò prædas abduceret, rusticum quendam inter alia cœpit, & ad domum propriam in captiuitatem exctuciatum miserum perduxit. Continuóque truculentus captiuator immani repletus furiâ, hominem acerrimis innodatum catenis, grauissimo crurum tenus mancipat ligno: quod tormenti genus Gallica lingua cippum nuncupat. Quo adeò infelix ille truci vtriusque tibiæ arctabatur constrictione, vt per summorum vngues articulorum cruor largo emanaret profluuio, proh dolor!

Nec mora, rupta cutis constricta reliquerat ossa,
Carne sub exesâ, cippique cauante rigorem.
Concrepat ille miser gemitu nimium querulose,
Tristibus & lacrymis suspiria iungit amara,
Planctibus elatis semper quoque continuatis.

Interea conuiuantibus quibusdam sexta diei horâ, vt moris est, in eadem domo qua captiuus ipse custodiebatur, non intermissis eiulans clamoribus, oborta est mentio à quodam peregrino de Prudentio Beatissimo, captore captóque audientibus. Qui cùm in laudibus eiusdem Sancti aliquanta disseruisset, adiunxit etiam famosam qua captiuos eripere solet virtutem. Cúmque diutissimè super ea orationem protelerat, frequentérque digesta ob nouæ relationis amorem compulsus repeteret, mirabantur plurimùm auditores intenti vehementer, & peregrinæ rei narrationem per singula dicta stupebant.

Audierat captus quod dixerat aduena totum,
Crediderátque simul. Mox tendit ad æthera votum;
Atque trahens longos gemebundo pectore questus,
Auxilium Sancti rogitat tali prece mœstus:
O bone Prudenti, qui diceris ista patrare
Quæ modò vir retulit, cernere qui meruit,
Credulus audiui. Profit (precor) hæc didicisse:
Est mihi quippe fides plurima posse tibi.
Ergo nimis misero mihi, iam miserè morituro
Sub cruce tam dira, confer opem citiùs.
Non equidem merui. Nec me meruisse negabo:
Non taceo, culpam pando sed ipse meam:

Sed satis est pœnæ pensum prò crimine multo;
Parce precor, bone vir: eripe me laqueis;
Vt meritas soluam Christo pro munere grates,
Et tua liber uuans limina mox adeam.

Finita itaque lachrymosâ supplicatione, continuò adest glotiosi Martyris dapsilis virtus, ferisque absoluit hominem catenis. Diuersam in partem confractus dissilit cippus; ipso captiuatore, & cunctis qui aderant ingenti ammiratione stupentibus, tandémque non clam, neque precario, neque redemptione, sed vi planè diuinâ egreditur ille captiuus, omnibus adstantibus tanto metu perterritis, vt nec mutire in eum auderent; exiit autem multis intuentibus per medium castellum, sed nullo penitùs eum retinere perualente; Moxque votum, habitum quoque peregrinantis induens sanctum expetiuit Martyrem, gratias ei, vt pote suo liberatori redditurus in eius templo: aduenit, enarrat, fuerit quæ passus acerba, quantáque protulerit supplex, Martyr, tibi verba, denique demonstrat vestigia cruris amara, atque pio testi pangit præconia clara.

Propter inæqualitatem quæ in rerum labilium diuersatur cupiditatibus à mortalibus multa perpetrantur facinora. Ideò quippe indigentes diuitibus insidiantur, quia vnde illi superflua extolluntur opulentia, inde isti graui tabescunt inopiâ. Denique, hac de causâ prædones ceperant quendam diuitem de villa, quam à Martyre qui in ea veneratur, Sanctum Iulianum nuncupat antiquitas. Qui captus mox in castrum quod super Lignonem fluuium situm, Rufiacus vocatur, in captiuitatem abductus est, ibique lacertis post terga reuinctis & collo ad crura ligata crudelissimo fune complicato, arctissimæ mancipatur custodiæ, truculentis ad seruandum appositis custodibus; Intereà verò miser ille ipsâ quâ premebatur compellente necessitate, Prudentium suspiriis & lacrymis magis quàm verborum crepitu exorat, vt sibi sub tanti doloris cruce solitâ pietate subueniat. Dum itaque diutissimè huiusmodi perstaret in precibus, conticinium noctis aduenerat, continuóque cœlestis formæ persona coram eo constitit, se asserens esse Prudentium, qui implorabatur, paratumque vt illi quantocius opem ferret, si se vellet sequi. Quo respondente se quidem velle, sed mox non posse, vinculis, & sex custodibus obsistentibus, ille qui apparuerat ait, illic inquiens trepidas timore, vbi non est timor, dum procul dubio nullis obicibus diuina morentur imperia; Nec plura vincula rupta cadunt, surgensque captus, nec iam captus supernam subsequitur figuram, custodibus mirâ virtute compressis: Vt autem claustris egressi sub diuo constiterunt, ductor mirabilis in partem indicæ prætenso ait: Ecce in illa domo habetur cornipes, cuius tergo insidebas quando captus fuisti. Pergens itaque illic, tolle quod tuum est, & vade. Qui concitè vadens, reperto domus ostio patente, inuenit illico equum suum diuinitus præparatum, sellâ scilicet & fræno impositis, quem mox conscendens, præcedente spiritali præuio peruenit ad portam castri quæ protinus (vt legitur de Petro) vltrò aperta est eis. Egressis verò illis longiusque pariter procedentibus, ait liberator magnificus ad liberatum: securus amodò, nec vlli omnino membra tradas otio, quoad pertingens Besuam, Deo & Apostolorum proceribus, nec non & Prudentio pro ereptione tuâ grates exsoluas debitas; His dictis nusquam comparuit.

Rumpit & ille moras: Besuanas tendit ad oras,
Vota Deo soluit: fuerant quæ gesta reuoluit;
Qualiter exutus laqueis, vt fune solutus
Exierit tutus, Sanctum per cuncta secutus.

Sed iam fragilis cymba, diu pelago iactata, portui aliquantisper quietura interim appellitur; vt paulisper resumptis viribus, quæ restant sali, robustiùs IESV opitulante præterlegat.

Explicit Liber Tertius.

MIRACVLORVM SANCTI PRVDENTII.

LIBER QVARTVS.

SI apicibus annotare perſtuderem, quot vinculis aut ergaſtulis mancipatos noſtet eripuerit Martyr, cæterorum ſuppreſſa mentione ſignorum, profecto immenſum volumen exararem: Tot etenim huiuſmodi eius beneficia viſuntur, per indicia ſcilicet coram ſacratiſſimi corporis ipſius theca dependentia: vt ſi Tulliana adeſſet facunda loquacitas, procul dubio ad exprimendum ſe minùs idoneam fateri non erubeſceret. Quapropter aliorſum ſtylum conuertere conſultius videtur, in primis verò congruum cenſeo, à placito Dei, quod apud Biſunticam vrbem celeberrimum extitiſſe dignoſcitur ſumere narrationis exordium. Igitur anno milleſimo centeſimo viceſimo quarto à puerperio Virginis illibatæ, quo iuxta Mantuanum Rhetorem, ferrea primum deſiit, ac toto ſurrexit gens aurea mundo, venerabilis Anſitus Archipontifex Chyſopolitanus immenſum decreuit conflare conſilium, quod placitum Dei vocitant, in diebus feſtis (ni fallor) Pentecoſtes: quibus feriati populi, aliquantulumque ſolito raptorum timore nudati Sanctorum deuotiùs ſtudent adire limina: locus autem tali negotio aptiſſimus denunciatur penes eandem ciuitatem, plus minuſve ab ipsâ diſtans mille quingentis paſſibus. Eſt etenim ibi planicies diſtenti ſoli grato veſtiens ſe gramine, quam Thiſiam vocant incolæ, Duuio flumine præterfluente à latere. Hoc itaque Archiantiſtitis intonante decreto, fama ciet populos eò confluere. Credi verò non poteſt quot millia promiſcui ſexus, ætatis & conditionis accurrerint: Præterea quàm plurium Sanctorum illuc glorioſa perlata ſunt pignora quos longum eſt nominatim recenſere. Inter quos & ianitoris cœli Petri noſtri pulcherrima Ycona & Capſa multarum reliquiarum cum brachio Beati Remigij à noſtris deuectæ ſunt, ac in papilione ad hoc facto honorificè depoſita. Nec diu, Ecce mulierecula de caſtello Karoli oriunda dextri brachii amminiculo funditus deſtituta, Beatum audiens aduenisſe Prudentium, contendit ad locum; iam enim balſamiticum ipſius Martyrij nomen longè latéque ingenti efferbuerat opinione, maximéque (vt præfatus ſum) illis in prouinciis. Videntes autem qui confluxerant argenteum Brachium quod ſæpenumero apud Beſuam in Eccleſia Prudentiana viderant, arbitrati ſunt aduentaſſe Prudentium: & ob id conglobatim ad noſtrum proruebunt tentorium: ſed ibi profectò nichil eiuſdem Sancti niſi nomen & virtus erat; non ob aliud tamen, niſi vt ne violenter nobis auferrentur Beatæ reliquiæ, ſicut olim factum conſtat. Nam fama eſt, illum quondam à Beſuenſibus ad ipſum locum pro re ſimili delatum, multiſque ibidem virtutibus declaratum Chriſopolitanos vi detinuiſſe; ſed poſtmodum Deo volente coactos reddidiſſe. Vbi ergo præſcripta fœmina noſtris aſtitit ſanctis, cum intimo pectoris tugitu, lacrymatúmque imbre Prudentium inuocat, quatinus impotentis lacerti & aridæ manus ſibi reformet vſum; Moxque Martyr clementiſſimus, tametſi abſens corporaliter, tamen præſens affuit ſpiritaliter, reſtituens ſupplicanti quam depoſcebat ſoſpitatem. Tunc illa voto potita, eadem manu protenſa ſacratiſſimum (vt putabat) Prudentij accipit brachium, & ad circunſtantes conuerſa celebratam in ſe virtutem clarâ cœpit voce prædicare. Cernentes autem noſtrates Monachi tam illuſtre ſignum, alacri cum gaudio diuina concinunt præconia, videns illico popularia concurrere agmina; felicem ſe quiſque fore exiſtimans, ſi cernere vel etiam eminùs ſalutare Beſuanum valeat Tabernaculum. Inter alios verò accurrit & Capellanus præfati caſtelli Karoli. Qui comperto tam egregio miraculo, in muliere ſibi optime notâ, apprehenſo eius brachio ſanata, ſic ad aſtantem præfatur multitudinem. Ne credatis populi commentitium vllatenus eſſe quod aſſeritur de hac muliere, ſed procul dubio ſciatis quoniam ſex anni iam præterierunt, ex quo brachium iſtud naturali ſucco viduatum, nullum vtile geſtanti exhibuit officium. Nunc verò, vt cernitis, antiquæ reſtitutum eſt ſanitati: An dubitatis? hæc mea Parochiana, hæc mihi notior quàm alicui ſua domus; non noui Monachos iſtos, neſcio Sanctum eorum, ſed

Digitized by Google

hanc certissime hodie sanatam perspicio. Dixerat, & cuncti Domino grates retulere pro tanto signo, quod gesserat in muliere.

His ita gestis adest item quædam fœmina cum marito, quæ irreuerenter quidem, sed deuotissimè in sancta irruens, Sanctum brachium sub nomine Prudentiano vbertim rigatum fletibus, strictissimè deosculatur. Quæ percunctata à Monachis quænam esset, vel vnde, & cur hoc ageret, volentem pro se respondere maritum suum compescuit, dicens, ego ipsa pro me respondebo quæ de me sunt, tu tantùm testis dictorum adsiste: Ego (Domini mei) indigena sum villæ quæ Menbriacus dicitur, copulata connubio isti quem coram videtis adstare; sceleribus autem more exigentibus grauissimam incidi paralysim, quæ hactenus quatuor annis crudeliter me contorsit. Ast vbi nudius-tertius audiui Beatum huc deferri Prudentium, vix à coniuge impetraui, quatinus me birotæ superpositam ad eum deueheret, quæ dum medio itinere Sanctum inuocassem Martyrem, subito arida neruorum ligamina cœperunt intendi, & debiles artus pristinis reddi motibus, móxque diuturno exuta languore, vehiculo concita exiliui, calléque festino cœpi virum præcedere, quoad huc deuenissemus, gratias pro cœlitus redditâ incolumitate repensuri: hæc mihi causa lætandi; hæc tota ratio, quâ glorioſum illud tam impudenter expetiui Brachium; venialis temeritas; non nimium graue ducitur quod deuotione peccatur; hæc vbi flens dixit, ter vel quater oscula fixit, gaudens plorauit, post vota domum repedauit.

Sanctimonialis quædam Chrysopolitani territorij indigena, occulto superni arbitrij iudicio, diræ paralysis inciderat languorẽ. Quæ passio iuxta Hippocratem, ex nimio frigore contortis neruorum ligaminibus, contractisque venis & arterijs, solet membris incumbere: Maximè verò iuxta cœlestis auctoritatis credulitatem, peccatorum causa miseris mortalibus irrogatur; dicente Deo Christo Paralytico quem curauerat; *Vade & amplius noli peccare, ne quid deterius tibi contingat.* Hac itaque præcipuè de causa, vt reor, præfata mulier inferiorum artuum crudelissimo tabescebat incommodo. Quæ dum diutissimè huiusce doloris detineretur carcere, rumigerâ perferente aurâ de mirâ Prudentij comperit virtute; continuóque per eum pristinæ spem concipiens sospitatis, nihil enim cœlesti medico difficile credebat, ad Beati Martyris se deferri postulat aulam; Quo vix impetrato, ob difficultatem itineris, tandem Besuam attigit, ab eâ videlicet parte, quâ Brumalis astrigero Polo circumsoluitur arctos. Vbi etiam mediâ viâ, glorioſæ Virginis & Matris Domini IESV venerabile templum habetur, in specula vt ita dixerim totius villæ, contra Aquilonis atrocissimum spiritum, quem diuina pagina vocat diabolum: Eò ergo deuota rogat se solo tenus coram Beatissimæ Mariæ deponi æde, & Basilicam Sancti testis sibi ostendi: quâ demonstrata sic eum inuocat mixto gemitu precatibus. Ecce Glorioſissime ad te Prudenti, vt diu exoptaui aduenio: & nisu quo possum desideratissimam artuum tuorum domum à longè saluto, & ô vtinam proprio incessu ad eam percurrere valerem; sed heu infelix, facinoribus meis præpedientibus, vt pote vtriusque cruris priuata gressu, vadere non queo: Subueni ergo miseræ Martyr piissime, & reforma vsum gradiendi iam penè in semi-mortuo corpore, quoniam satis iam credo te posse.

Talibus exorans, & fundens talia plorans,
Longis pressa malis finierat hæc monialis.
Protinus audiuit Sanctus quod Nonna petiuit;
Mox etenim nerui gaudent sua per loca sterni.
More suo venæ turgescunt sanguine plenæ:
Arteriæ rursum discunt se tendere sursum.
Omnia tecta cute, prisca valuere salute,
Tum mulier nisu facile (mirabile visu!)
Exilit à lecto: properat gestamine recto;
Quodque viæ restat, pedibus currens citò præstat;
Donec perueniat, satias votis vbi fiat.

Redditis ergo Deo Beatoque Martyri pro receptâ sospitate gratiarum actionibus, alacris suam rediit in patriam, longo post incolumis tempore viuens, sed quoniam sanitatem corporis & affluentiam rei familiaris vitiorum plerumque comitatur pestis, cœpit iterũ deliciosè viuendo, voluptatum inuolui volutabro. Cùm ecce repentè reci-

* *

diua paralysis incumbit acriùs quam dudum corripiens membra; Afflictabatur itaque vehementissimi doloris angore, & inter cruciamenta anheli spiritus conscientiâ scelerum magis compungebatur. Nec prorsus spe medelæ amissa ad optimè sibi notum recurrit medicum: Nam penè sine vllo temporis intestitio, Prudentius in pectore, Prudentius feruet in ore, tandem verò denuò relata Besuam, sanctóque præsentata quem diu sitiuerat ante eius aram, totâ prosternitur corporis contracti strage. Deinde frontis lumina, & palmas coniunctas tollens ad alta, has erupit in preces.

Rex, & Redemptor omnium sanctissime,
Qui cuncta cernis sempiterno lumine,
Succurre quæso deroganti morbidæ,
Multo tibi quæ displicet peccamine:
Per testis insignis preces Prudentij,
Cuius leuamen iam probarunt plurimi:
Quos inter ipsa clariùs cognouerim,
Quæ iam per illum tracta lectum liquerim.
Qui summa cœli regna Martyr possides;
Et quicquid oras, à Deo mox obtines;
Dignare clemens his fauere fletibus
Quos fundo fessa plurimis angoribus.
Adsum grauata ponderoso crimine:
Non erubesco vulnus altum pandere,
Quæro medelam de nefando vulnere,
A te, scio quem posse statum dedere.
O sancte Martyr, nunc adesto supplici,
Priscam, salutem conferendo corpori.
Depelle sæuam cruribus paralysim,
Pro quâ fugandâ nunc gemens aduenerim.

His peroratis, illico pristinæ redditur incolumitati, tunc deuotè Christo, Martyríque repensis gratum præconiis, proprius ad sua lætatur remeare plantis, quæ alienis eo deuecta fuerat: Verè, vt ait Diuinus Vates, mirabilis Deus in sanctis suis, gloriosus in maiestate sua, faciens prodigia. Cum omnia conditoris æterni opera mira rectè possint vocari, vtilissima tamen dispensatione quædam non maiora, sed inusitatiora congruis reseruauit temporibus; quæ tamen non idcirco mira dicuntur, quod contra naturam fiant, sed quia extra consuetum naturæ cursum diuina virtute proueniant, facultatémque transcendant humanam; vt cæcis visum, claudis gressum, chiragricis manuum reformare vsum. Quæ nostrum sæpe fecisse Prudentium, vt dicitur, lingua faretur mutorum: nam quædam adolescentula Besuæ ancillari mulieribus solita, dum Sabbati decimâ horâ, lapide politorio quem liscam rusticæ vocant, muliebre verteret indumentum, amens subitò effecta est, sensúque quinquepertito funditus viduata, quasi mortua iacebat, ipso videlicet lapide quem tenebat, firmissimè adhærente dexteræ: Nec immeritò. Si enim in Hebraismo carnalis Iudæus, cuius præmium ventris saturitas est, quot hebdomadibus sabbatizat à bono etiam opere quanto magis spiritalis Christianus sabbatizare debet à terrena actione, ob vigiliam Dominicæ resurrectionis? Quod quia hæc non fecit, iustissimè tali meruit percelli vltione. Hoc autem sæpenumero diuinitas solet exercere, vt per vnius publicum supplicium, corrigatur latens temeritas multorum; Vnde vt & illius puellulæ multatio errantium fieret emendatio, illico rumiger notus huiusce rei per totum insonuit Burgum: Aduolant agmina promiscuæ plebis ad contẽplandum in mulierecula iustũ iudicium æterni iudicis; meruit quisque in se quod in ea perpendit fieri: nec mora, concurritur ad Prudentium, flebiliter pectora quatiente singultu: Oratur vir Beatus, vt miserrimæ clementer subueniat adolescẽtulæ: continuò Sanctus, vt canit Propheta Regius, *Respexit in orationem humilũ, & non sprevit precẽ eorum, vt scribantur hæc in generatione altera.* Nam mox redditur iuuencula integrè sensui. Sed vt gratius cœleste beneficiũ foret, lapis ille quo sacrum violabatur Sabbatũ, tenaciter palmæ inhæret. Ad vltimũ verò tendit ipsamet ad sacratissimũ medicum, comitantibus plurimis, & multas profundẽs lacrymas supplicitèr rogat, vt pœnali decussio impedimento, liberam sibi restituat dexteram: spondetque se deinceps Sabbatismum perenni custodituram obseruantia si absolueretur: longos finierat flendo precatus, illi durus erat quippe reatus, & iustum

fuerat flendo lauari quod ſtultè potuit commaculari, nec differt Domini teſtis adeſſe tanto mœſtitiæ pondere preſſæ, excuſſus lapis it concitus extrà, exultat mulier ſoſpite dextra. Circunſtans populus plus ſtupet iſta, quam fari valeat Plato Sophiſta laudatus Dominans omni creator, humani generis Rex & amator, Martyr poſſe ſatis commemoratur, qui nutu facili ſic operatur.

Quam plura ipſiuſmodi facta ſacro intexerem volumini, ni vererer faſtidium inherere auditori: ſed de plurimis pauca & de ambiguis certiſſima ſunt reuoluenda. Mulier quædam honeſtâ familiâ oriunda, vt ipſa aſſeuerabat) de caſtello quod Gagnorn (vt vulgariter loquar) nominatur, crudeliſſimam incurrerat chiragram; Quæ ſcilicet paſſio adeò atrociter vtramque corripuerat manum, vt digitis in palmam complicitis, vngues prope toti macilentæ illaberentur volæ. Cruciabatur autem infelix mulier acerrimis tortionibus, nec vllus ei omnino medicinali poterat ſubuenire remedio. Taliter ergo ſeptem tranſactis ariſtis, Prudentij gloriosâ viſitatur opinione, protinúſque credulâ ſpe recipiendi ſoſpitatem induta, cum plurimo comitatu eiuſdem Martyris expetiit ædem: Cui tandem proximans, illico recidiuam meruit adipiſci ſanitatem, ita vt pro libitu multis intuentibus, digitos vel extenderet, vel complicaret. Erat autem quantum meminiſſe queo, ea dies paraſceue, ante Chriſtianum phaſe. Quod diuino prouiſu ita geſtum fuiſſe nemo ſanum ſapiens ambigere debet: vt ſcilicet quo die Sydereus agnus purpureâ paſſione à pœnis auerni totum eripuit mundum, eo etiam adimeret vni fœminæ corporale contractarum manuum per Martyrem detrimentum. Quid autem geſtum ſit ſequente Dominicâ, luce videlicet quâ Diuinitas ſacris Beatorum Patrum reſeratis buſtis, carnéque reſumptâ propriâ, cum pompâ nobili rediuit ad ſuperos, deuotus feſtinat pandere ſtylus. Homo quidam vtrorumque priuatus lumine orbium, Sabbato quo verbigena imperator in tumulo quieuit, ad factam Martyris adductus eſt Baſilicam. Erat autem (vt ipſe fatebatur) incola caſtelli quod populariter Veſol, Latinè vero, Viſorium à videndo, eo quod in editiſſimo conſtitutum à longè videatur, congruè poteſt appellari; qui pro re quâ venerat ſollicitus, coram Beatiſſimis, pignoribus peruigil tota nocte excubat, clementiam ſancti indeſinenter interpellans, vt ſibi vmbroſæ frontis amiſſum reſtituat habitum ad gloriam communis conditoris.

Talibus inſtabat cæcus, lucémque rogabat,
Vt micuit manè, micuit virtus pia planè,
Lux nitet orbato, viſu penitus reparato
Miſſa canebatur, tibi gloria Chriſte dabatur,
Quam tibi dixerunt qui natum te cecinerunt.
Auxit & Hilarius Præſul, vox mellea cuius,
Quando reſulſerunt orbes, radij micuerunt,
Laus reboat Chriſti, lumen qui reddidit iſti.

Puer quidam de villâ quæ Fundrimacus nuncupatur, originem ducens, ſecundum (ni fallor) tertii luſtri iam percurrens annum, à parentibus Prudentio ſpe recuperandæ ſoſpitatis delatus fuerat. Erat enim crure reflexo adeò damnatus veſtigio, vt monſtruosè taxillus natibus inhæreret, qui cùm paucis diebus coram Beati Martyris artubus diuinæ pietatis exoraret viſcera, ſanitatis ſibi reſtitui gaudia, ſacratiſſimo interueniente Prudentio inceſſum recepit ex integro, grates debitas rependens cœleſti beneficio. Quod qui viderunt, Domino grates retulerunt.

In villa quam longè ſuperius lucum dixi nominari, huiuſmodi geſtum fuiſſe miraculum pro certo accepi; Mater cum filio ter quaternos habente annos molendinum adierat. Quæ dum molendi occupatione detenta, toto ſtudio neceſſariæ rei incũberet, puer circum geſtiendo, laſciuis (vt illa ætas aſſolet) motibus, vltro citróque agebatur: Dumque leuiter fertur, antiquo impellente hoſte fluminis quod Tyla dicitur alueum incidit, eâ videlicet parte quâ violentiſſimo impetu rapax in rotam cogitur amnis. Quo mox genitrix comperto, Prudentium inclamat, vt ſibi prolem conſeruet incolumem: Interea paruulus volucri ſuſceptus ab vndâ, velociſſimè, priuſquàm humana poſſet ſuccurrere manus, in canalem pertrahitur, vbi ad rotam volubiliter circumagendam tota vis incumbebat aquæ; vt nulli penitus dubium eſſet, rotali circumactione, & attritione puerilia diſcerpi membra, oſſaque tenera minutatim diſſolui infruſta. Quod fieri potuiſſet niſi Prudentij immo verò Dei omnipotentis virtus propter Prudentium affuiſſet: quæ miro rerum ordine pueri prouidit tutelæ. Protinus ſiquidem (mirabile

dicto) rota in altum sublata diuinitus, vt sic dicatur, non ausa est artus lædere pueri, qui à matre Beato commendatus fuerat Martyri. Igitur hoc modo ingenti elapsus periculo, tandem à concurrentibus abstrahitur vado rapaci puer illæsus, mirantibus cunctis de insperata sospitate illius. Quantas tunc laudes piissimo conditori, quantas etiam retulerint sacratissimo martyri præsentes, viso tanto miraculo lectori relinquere decreui ingenioso. Denique super hoc facto dum ego quoque aliquãdiu dubius hæsissem, accersitis his qui interfuerãt cum eo, in quo gestum fuerat lignum, rei vt relata est, ab eis edoctus seriem, credulus tandem Martyris erupi in laudem. Phariſaicæ quippe incredulitatis crimen sum arbitratus (vt est re vera) diuinis non credere virtutibus.

Vir quidam Humbertus nomine de villa quæ vocatur Roseria, sinistra captus fortunâ, in Castellum quod Visorium, à videndo scilicet, iam anteà appellari fassus sum, in captiuitatem abductus est: ibique vinclis & ergastulo crudelissimè mancipatus, qui cùm per aliquot dies ligaminum constrictione, inuisâ solitudine, tenebrarum horrore & diutinâ confectus esset esurie, ea quæ vrgebat compulsus necessitate, Prudentium vt liberetur assidua cœpit voce implorare; nec ei opitulari diutius martyr differt benignissimus. Protinus siquidem adest supplici, laqueos nexuum dissoluit, compedes obterit, claustra patefacit, custodes letargico somno comprimit, liberum euadendi aditum per omnia tribuit, iter dirigit, ad domum propriam fugacem reducit. Qui captus sed iam solutus, vbi plenariâ potitus est securitate de apparatu itineris ad Prudentium cœpit pertractare. Concipiensque dignissimam egregia laude sententiã; si (inquit) truculento prædoni qui me ob extorquendas opes meas ceperat coactus multa dare volui pro meâ redemptione, quantò magis nunc gratis liberatus, ereptori meo aliquid generosi muneris libentissimè debeo conferre cum gratiarum actione? Et quidem ingratus diuinis beneficiis existerem, si ei per quem euasi, grates debitas rependere negligerem; sed rursus sacra prohibeor lege Dominicis conspectibus vacuus apparere. Proinde quærenda est votis Sanctóque conueniens oblatio, quo tametsi non ex pari, quantulumcumque tamen in me collato cœlesti respondeat beneficio. Hæc affatus iubet illico fieri vasculum argenteum, satis operosè deauratum, vt Dei Iesu Carnis & Sanguinis mystica libetur victima ante sacratissimi Martyris pignora. Quo facto, præparatisque viæ sumptibus, ad famosissimum Prudentium contendit gressus, grates meritas persoluit laudum, pulcherrimum effert donarium, quasi suæ liberationis pretium. Ora multorum aperit in Martyris præconium. Denique calix ipse ibi multis permansit diebus ad virtutis testimonium.

Mira quidem hactenus relata sunt, sed multò mirabiliora subnectentur. Quidam Monachus noster, nomine Guido, qui postmodùm ex accidente agnominatus est Caluus, tempore quodam eiusdem loci, cuius suprà meminimus, scilicet Basilicæ B. Martyris gerebat custodiam, qui cùm se in vigilia Dominicæ Ascensionis illic sopori dedisset, vidit quasi arborem quamdam, proceræ satis staturæ, ab imo faciei altaris in quo quiescebat sanctus, exurgere, ramis, floribus, ac frontibus partim purpureis, partim verò niueis ineffabili pulchritudine decoratam; sed pars purpurea inclinatis ceruicibus versus altare humiliter deflectebatur, veluti sacratissimam adoraret Thecam; Altera verò, rami videlicet lactei, versus Ecclesiæ ianuas quasi ad populum protegendum protendebatur; Nimirũ diuinæ miserationis obumbraculum portendens, quæ prope futura erat, super his qui variis vexabantur incommoditatum valetudinibus. In crastino enim die, videlicet ipsius sacratissimæ Ascensionis, dum Sacrosancta Missæ ibidem celebrarentur officia, duo cæci diu amissum receperunt lumen; Alter scilicet, Sacerdote, Gloria in excelsis Deo, inchoante; Alter verò, Credo in vnum Deum, incœpto: Ad vltimum autem Paralyticus quidam priusquàm eadem finiretur missa, sospitatem plenissimè adeptus, gratias omnipotenti retulit medico. Quid plura? Mira planè dicturus sum, & quæ incredibilia forsitan videantur aliquibus. Sed vera esse iurejurando idem asseuerabat Monachus, cui profectò fidem abrogare inconsultum videtur, quod ab ipsa videlicet horâ quâ planè illa salutaris arbor imaginaria in somno visa est, vsque ad octauas Sanctæ Pentecostes, diebus scilicet decem & octo, quotquot ad locum ipsum venerunt, spe sospitatis recuperandæ, quamlibet diuersis grauibúsque detenti ægrimoniis, continuò pristinâ incolumitate integerrimè recepta, diuinam magnificantes munificentiam, gratulabundi repatriabant. Quos etiam viritim istic reuoluere, maiorem operam videtur exposcere, cùm nos ad alia tendere celebriora tempus seriésque susceptæ narrationis ammoneat.

Diuina

Diuina dignatio magnificis iugiter extollenda eſt præconiis, quæ ſuis deuotè obſecundantes præceptis, tantâ munificentiâ ſolitæ remunerat liberalitatis, vt non tantùm poſt buſta eos apud ſe in ſuperis promiſsâ donet beatitate, verumetiam in conſpectu mortalium (ſi fides poſcentium non hæſitet) perſæpè miraculorum glorificet exhibitione. Quod liquidò patere ex his quæ præmiſſa ſunt opinor: verumtamen ne cui poſt illa incredulitatis ſuperflua ſubripiat aſtutia, quædam ſubdere libuit, præſcriptis non minùs nobilia. Puerulus quidam Biſontici territorij, de villa videlicet quæ Cromariacus dicitur, dum cum comparibus (vt aſſolet fieri) ſuper littus Lingonis fluuij, rapaci illic vndâ præterfluentis luderet æſtiuo tempore, horâ ferè diei tertiâ, pede lapſo præceps corruit in amnem. Nec mora; rumor ſiniſter vulgus promiſcuum ad locum doloris conflat: accurrunt etiam non ſegniter infauſti parentes. Quæritur luctuoſa ſub æquore præda, in caſſum die totâ rimantur gurgitum intima. Interea Phœbo iam penè ſub Oceano roſeas contegente comas, dum toto fluminis fundo rapaces conti, pendulæque diſcurrerent fuſcinæ, corpuſculum tandem obuncatum ad ripam protrahitur. Quid plura? de ſepultura pertractatur: quæ ſi quidem ſpes poſſet ineſſe vitæ, cùm tamdiù latuiſſet ſub æquore? At verò dum miſerabile præparatur ſarcophagum, inter amariſſimos lacrymarum ſingultus, orbata genitrix Prudentij recordata, flebiliter eum compellat, vti ſibi ſolitâ miſeratione extinctum reſtituat pignus. Iungitur ſupplicanti circumflua populatio, Sanctúmque in commune ſollicitant, quatinùs pueri gelidis vitam refundat artubus, ſuis meritis perentibus. Flectitur tandem omnipotens pietas Martyris almi interuentibus, infuſáq; tenero cadaueri anima, frigidas facit recaleſcere medullas.

Concipit extemplo vitales mortuus auras:
Concutitur ſedes animæ, fibræque tepeſcunt:
Erigitur ſoſpes, ſedet, ambulat, vtitur eſcâ.
Plebs ea miratur, Sanctúmque Dei veneratur.

Quidam nichilominùs adoleſcens ab eiſdem partibus oriundus, ardentiſſimâ correptus febre, vltimum efflauit halitum; móxque, vt moris eſt, ablutum cadauer funereis obuoluitur ſabanis, & aſtringitur inſtitis, totáque nocte mœſtis cuſtoditur excubiis. Aderat autem mater gemina viduata infeliciter vrna, viduitate, inopiâ, ſenio, mœroréque defunctæ prolis nimiùm confecta, irremiſſis ſuper filium ejulans plangoribus, Prudentiúmque beatum creberrimis interpellans rogatibus, quatinùs ſibi vnici reddat affectum pignoris, lumen ſcilicet oculorum ſuorum, & baculum miſerandæ ſenectutis. Quid diutiùs immoror? Iam manè inclaruerat, nec vetula huiuſcemodi fatiſcebat clamoribus, cùm ecce ab altithrona majeſtate propitia egreſſa iuſſio, imperat viduæ reſtitui extinctam ſobolem, ad glorioſi Martyris cumulandam laudem.

Illicò more ſuo fuſus per viſcera flatus
Membra calore fouet, gelido durata rigore.
Feruidus efficitur circùm præcordia ſanguis:
Euigilant ſenſus; animus ſibi vendicat illos,
Pondere quos lethum valido depreſſerat antè.
Palpitat, ora mouet, ſurgit, ſedet, oſcitat altè,
Funereas ſtupet induuias, greſsúſque ligatos.
Attoniti vigiles tantâ nouitate paueſcunt:
Hic fugit, ille manet; verùm timor vrget vtrumque;
Soluitur, erigitur, citus Eccleſiam ſubit, orat,
Lætus agit grates Domino, per gaudia plorat,
Glorificat Sanctum, quòd contulerit ſibi tantùm:
Lætitiæ manus ſoluit poſt lugubre funus.

Nec iſtos tantùm, ſed etiam quamplures priſtinis eum reſtituiſſe artubus, proceſſus aſſignabit cœptæ orationis. Nam Guatterius quidam noſter Burgenſis, agnomine Canicula, per ipſum ſanctum Martyrem reddi filium ſibi nomine Simeonem, & experiri meruit, & gratulari: qui videlicet puerulus, dum laſciuæ ætatis geſtibus cũ coæuis ſuper pontem Beſuæ fluuij luderet, pede lapſo præceps corruit in amnem, teneráque exigui corporis virtute ſuccumbente, illicò rotabundus procul rapaci prouoluitur vndâ. Nec mora, lugubris peretrebuit rumor, paruulis, qui caſui interfuerant, vbique diffamantibus. Accurrunt orbati parentes, ac longis vacuas implene

clamoribus auras; quibus auritæ vtriuſque ſexus, diuerſæ ætatis, & conditionis phalanges miſerâ prorſus rerum facie, permixtim voraces proruunt ad aquas. Quærit pollinctor fluctiuagus enecti cadauer pueruli, difficultérque repertum deuehit ad littus. Eo viſo extincto, centuplicantur lacrymoſi clamores; ſtatim denique genitor cum matre ſuper exanimes nati artus ruentes, penè vitali deſtituuntur igne. Quid plura? funebres parantur induuiæ cum poliandrio: neque enim in pectuſculo quicquam viuum ſaliebat, ſed omnia vitalium fibrarum æterno dedita frigori ſentiebantur. Tunc itaque præſentes, quibus mens ſanior aliquantulum à dolore inerat, corpuſculum ferri Prudentianam perſuadent ad Baſilicam. Protinùs fertur, toto proſequente burgo. Intereà mater ad beatum cum lacrymis conuertitur Martyrem, amplexa pignoris algida membra, pluribúſque eum compellans precatibus, vt ſibi vnicum reformet affectum, exaudiri promeruit. Iunguntur obſecranti populares cunei; fauet teſtis piiſſimus piæ ſupplicum poſtulationi; ſurgit mortuus de funere; fletus vertuntur in gaudia, triſtes ſingultus in diuina præconia: cuius rei mirificæ teſtimonium perhibere etiamnunc penè totus Beſuanus valet burgus, cum eodem reſuſcitato adhuc ſuperſtite. Nam poſteà plures viuens annos, propemodum vſque ad ſenium, beatiſſimo Martyri grates rependendo, deuotum exhibuit animum. Verè (vt olim antiqua cecinit Prophetia) *Dominus mortificat, & vinificat; deducit ad inferos, & reducit.* Quod videlicet oraculum quamvis anagogicâ obumbretur majeſtate, tamen & ad literam rectè poſſe intelligi patenter declarant ea quæ retuli hactenùs.

Aliud quoq; miraculum longè maioris gloriæ, celebratum tertiâ feriâ Dominicæ Reſurrectionis fuiſſe didici, de quo non vnum ſolùm, ſed trecentos producerem teſtes, ſi quis in eo aliquo dubiæ fidei promoueretur ſcrupulo. Neque enim in humili, ſed in celebertimo geſtum eſt loco, in caſtello ſcilicet quod Dolum vocant, à dolo fortaſsè, quòd ipſi oppidani dolis creberrimè vtantur. Eſt námque ibi (vt non ſemel palàm patuit) erga rotabundos in honorem Comites, infidum, variúmque hominum genus; modò huic, modò illi manus dans. Quidam ergo eiuſdem caſtri indigena, genere, proceritate, famâ, moribúſque præclarus, ardentiſſimâ correptus febre, diutináque fatigatus ignitæ attritionis cruce, extremo cœpit agi ſpiritu. Tunc eam, quæ imminebat, pertimeſcens æterni Iudicis diſcuſſionem, peccatis Sacerdoti patefactis, Viaticum Chriſti deuotè percepit. Interim verò dum arcta depreſſo pectore trahuntur ſuſpiria, coniux eius atrociſſimi mœroris ſauciata mucrone, noctes diéſq; continuis ducit in ejulationibus; cùm ecce inter amaros fletuũ ſingultus, Prudentium diuinitas ei reuocat in memoriam: iam enim mellifluum ipſius nomen telluris remota ſalutifero conſperſerat odore, maximéque illis in partibus. Nam cùm multis Martyris noſtri virtus nota, charáq; habeatur, tùm prçcipuè neſcio quo merito gentibus, trans Ararim degentibus tanto effertur venerationis amore, vt, excepto Deo, & Virgine Matre, nihil ſuprà. Itaque aſſumptâ inſignis Prudentij, cum lacrymis mentione, intimo præcordiorum rugitu penè ſingulas interrumpente dictiones, hoc modo dolori vocem accommodauit. Gemma cælitum præfulgida, polo terráq; Phœbæis Solibus præclarior, glorioſe Prudenti, confer opem michi miſerabili, ne cream (quod timeo) coniugalis ſocio thori; in quo ſpes mea, ac ſolamen totius tranſigendæ vitæ recumbere dignoſcitur. Celeberrimum ſiquidem inter eximios Sanctorum nomen in his iam prouinciis habere meruiſti. Quoniam innumeris hactenùs apud nos (vt aiunt) virtutibus enituiſti, quibus animata ad credendum (nihil quippe tibi impoſſibile credo) pietatis tuæ imploro viſcera. Hoc ſolùm, hoc (inquam) vnicum à te, clementiſſime, depoſco ſupplex beneficium, vt michi meum reddas virum, quem mors immatura vitalibus penè iam excludit auris. Deinde conuerſa ad coniugem vltimò anhelantem flatu: Te, te, (inquit) marite, piiſſimo trado Prudentio, quatinus ei perenni ſeruias hominio, ſi te eripuerit à mortis, quo ſub celeritate raperis, exterminio. His dictis, funem ſtupeum ad longitudinem viri factum, eius circumligat collo, per illum quodammodo ſancto Martyri eum delegans vt ſeruum, nec ideò tamen infirmus conualeſcit; ſed ſicut olim Deitas ſub mortalibus latens membris, amico languente Lazaro ad tempus diſtulit adeſſe, vt poſteà defuncto, maiori ſubueniret miraculo: Ita & iſti adhuc viuenti, Martyr ad auxilium differt adeſſe, quò poſtmodum illuſtriori ope reſuſcitando eum, clariùs innoteſceret orbi. Quid moras innecto? moritur, abluuntur exanimes artus, facies lugubri ob-

Digitized by Google

uoluitur ſudario; manus, greſsúſque ligantur inſtita, & cadauer funereo obſitum ſabano, vltimâ deſperatione conclamatur, continuóque per totum caſtrum doloris acerbiſſimi ferale diffunditur iuſtitium; erat enim plurimâ opum, atque conſanguineorum fortunatus copiâ. Perſonant itaque tragœdiæ mulierculârum, ſingula (vt fit) mortui inſignia in planctus reuocantium. Quid multa?

Nox abit inſomnis: defunctum turba flet omnis.
Craſtina lux aderat, Phœbi calor arua replerat,
Mœſtis non pulchrum foditur, ſed turpe ſepulchrum.

Denique cadauer imponitur ſandapilæ; aduenit Preſbyter, vt illud elatum perferat ad Eccleſiam, vbi pro animæ ipſius remedio diuini ſacrificij libetur oblatio. Interea mortui vxor (nec iam vxor, quæ coniuge carebat) cœpit cum amicis confabulari de apparatu prandij eiuſdem Sacerdotis & Clericorum, qui ſacro de more officio triſtes proſequebantur exequias. Tunc inter eiuſcemodi colloquia, impatientiſſimo mœroris vulnere compuncta, lugubres taliter profundit voces, cunctis adſtantibus ei ingenti ſilentio velociter locum dantibus.

Ecce, mœſta cogor loqui letho de conuiuio,
Cùm inſtet mihi deflenda coniugis amiſſio.
O, certè nimis crudeles & funeſtas nuptias,
Quas acerbus facit dolor mortis ad exequias.
Dum (marite) tibi nupſi, feſtas dapes egimus?
Nunc à me te ſeparato, prandia parabimus?
O beate vir Prudenti, te ſpem meam feceram,
Et maritum tibi meum ſicut ſeruum dederam,
Vt donares adhuc eum in terrenis viuere
Sed, vt cerno, non dignaris aures ad me flectere.
Potes quidem (nec diſcredo) mortis iura ſoluere:
Verùm obſtant culpæ meæ, heu! iam mihi miſeræ.
Lugens ad te deportabo lumen quod paraueram,
Sed meum virum non ducam, quem tibi adoneram.
Reſtat, vnum horum duûm, pie Martyr, facias,
Si ad meos planctus mœſtos dignanter aſſicias;
Aut me ſimul cum marito mortuam des mortuo,
Aut eum pro tua laude thoro reddas viduo.
O amici, poſtulate Martyris auxilium,
Quatinus mihi reformet vnicum ſolatium.

Cùm his atque ſimilibus ſuper chariſſimi coniugis ora mulier incumbens quereretur, vultúmque oppanſo velo abſconditum, irriguo lacrymarum humectaret nimbo, populoſitas circumflua miſeratione nimiâ ſuper his concuſſis viſceribus, egregium humiliter ſollicitat Prudentium, vt naturalem gelidis artubus remeante vitâ infundat flatum, benigno interuentu. Talia illis orantibus cum fletu.

Horrida mors prædam refugax dimittit amatam:
Viuificus fomes vitam dat corde locatam.
Algida membra vigent, flatu pulmone leuato:
Spiritus omnis adeſt homini iam morte gelato:
Iam quatitur cerebrum gelidâ recalendo medullâ:
Iam caput erigitur, ſurgénſque ſedet, mora nulla:
Oſcitat, & plangit. Stupor ingens agmina tangit,
Atque pauor multos: nudatur denique vultus,
Brachia ſoluuntur, pedibus funes adimuntur:
Ac animata caro ſigno ſtat viuida claro.

Quo viſo, parentes vberrimè præ gaudio rigantes genas imbre oculorum, magniſonas Chriſto referunt gratiarum actiones, qui per beatum Martyrem tot támque mirificas dignatur exercere virtutes. Tunc eâdem comitatus populi caterua, viuus & incolumis ad ipſam tendit Eccleſiam, gratiarum redditurus præconia, ad quam ferri parabatur lamentabili feretro, funebria ſupremè excepturus ſolemnia. Nec mora, paratis itineris ſumptibus, cum fratre & vxore alacriter inſignem adit Prudentium; vota ſoluit benigniſſimo ſuſcitatori, quæque prout erant iuſta, Monachis percunctantibus euidenter ediſſerit, inter quæ priuatim curioſéq; perquiſitus;

quò pectoris ligaminibus resolutis, membrísque penitùs exutus, fuerit abductus, grauiter suspirans, sic fari est exorsus: Hæc quæ à me scisciramini, non sine quodam ineffabili futurorum timore reuoluuntur; nam dum quantis mortalem notionem excedentibus tormentis anima soluatur à corpore recordor, totus penè immensâ formidine à naturali artuum compage resoluor. Sed quoniam hęc vltrò cuique in vltimis satis innotescent, cætera expediam. Exutus ergo corporis retinaculis, & à quodam quasi primo elegantissimæ iuuentutis flore vernante exceptus, innumeris tartareorum spirituum circumfundor legionibus, ad quorum staturas proceritate incredibiles, gigantes comparatos existimabam pumiliones. Hi me iaculis flammantibus, varisque pilorum impetebant missilibus: sed is quo ducebar ignoti generis armaturæ tegmine clipeatus, cuncta vmbone (vt erat) diuino retundebat hostium spicula, persæpè michi nimiùm formidolosè inculcans, ne vererer. Interea Plutonici regni vmbriferam ingressi regionem, quamplures ibi immanibus subditos supplicijs, à tetertimis quibusdam spiritibus acriter torqueri intuitus sum: quorum nomina, ne non credantur, non insipienter (vt reor) silentio mancipare decreui. Carnifices autem crudelis istius officinæ, viso me, impias ad momentum continentes dexteras, dicto citiùs aduolant cum horrisono clamore; cupiebant me nempè diris subigere tormentis. At ductor meus minaci infrendens authoritate; Absistite, inquit, mortis æternæ ministri, animam meæ creditam tuitioni inanibus territare minis, quam ob id dumtaxat huc deuenisse constat, vt essentiam vestri visu perdisceret regni, non vt particeps immeritus fieret amicæ vobis perditionis. His perterriti satellites stygij, concitè per cœca illius pallida abyssi silentia diffugerunt. Nos verò tandem densissimas Cocyti abrumpentes nebulas, in floridos semper virentis campi cespites euasimus, vbi cùm intentâ contemplatione defixus, beatissimorum spirituum illic perenni festiuitate tripudiantium summoperè exoptarem amnisceri choreis, subitò quâ nescio de causa cœptum reflectimus gradum. Ad quod ego subtristis effectus, tardiori regrediebar molimine. Id præuius itineris illicò perpendens, causamque mœstitiæ ad plenum intelligens, ad me conuersus, iocundissimè interrogat: Quid, inquiens, contrario mentis incursu tantis perturbatus es? Cui mox humili respondi voce: Domine piissime, quem nichil latet, cupiebam istis felicissimis coniungi cœtibus. At ille modicè seuerior; Non hoc, ait, hucusque accessisti, vt his adscisceris, sed vt quid timere, quidve sperare debeas, clariùs addisceres. Ideò denique tibi flammiuomas baratri cauernas, multiplicésq; criminosorum cruciatus, necnon & eorum qui cælestibus fideliter paruerunt edictis, faustissima ostendi conuenticula, vt hoc deuitans, illud appetens, mores tuos corrigas, verba moderetis, actus ex integro ad suprema dirigas; nunc autem meæ concessum est diuinitùs intercessioni, quatinùs adhuc rebus labilibus interuiuas, propriis resumptis artubus, ad præfixum immutabili dispositione diem victurus. Ego quippe ille sum Prudentius, qui Omnipotentis munere apud homines plurimis dudùm clarui virtutibus, quémque coniux tua deuotissimis sine intermissione pulsat ploratibus, vt tibi adhuc vitales impetrem auras coram Domini Christi obtutibus. Ego, inquam, ipse sum, cui languens pridiè redditus fueras, fune circumdato collo; ideóque te egredientem à corpore, mitibus excepi vlnis, & à cunctis inimicorum protexi sagittis; his, aliisque explicitis, mirabilis ipse Prudentius, ignoro quo rerũ ordine moribundis me inserit iterùm membris, totámque quâ diù ægrotaueram, subitò depellit febrem. Interdùm verò vberi solemnizo lætitiâ, quando scilicet ad mentem reuoco visionis ac verborum illius nectaream dulcedinem. Erat autem, prout reminisci valeo, indutus ostreâ interulâ, guttulis per loca pulcherrimè superlita crisei; nam multùm præ nimio diuæ claredinis fulgore intueri vix poteram. Hæc & alia plurima secretè referebat peritioribus, quem eximius resuscitauerat suis meritis Prudentius.

Hæc de innumeris Sancti virtutibus, ne pio tædium ingeratur lectori, stylo mandasse sufficiat. Sciendum verò non paruam vtilitatem esse miraculorum, præsertim hâc tempestate, quando abundante iniquitate, refrigescit charitas multorum: nam nisi per signa & prodigia pleriq; hominum duricordes ad meliora conuerti nesciunt; quippe cùm non nisi per ea mundus Christo credidisset. Quæ nunc quoque ad hoc fiunt, vt his prauus animus ammonitus ad vitæ rectitudinem conuertatur; ex quo enim ad superos Astræa recessit, hoc est, Fides, Pax, & Iustitia à mortalium pectoribus sunt exposæ, nihil magis inter huius procellas sæculi tumultuantis prodest ad

Digitized by Google

correctionem morum, quàm diuinorum exhibitio signorum, quibus mens humana concussa ad se cognoscendam reuertitur.

Te supplex rogitat, de te qui talia scripsiT,
Ethereà regnans sanctissime Martyr in arcE,
Obtineas illi veniam pro crimine multO,
Barachiam faciens sobolem, veri quoque IacoB.
Aspera quæq; fuga, nocituráq; cuncta relegA;
Vt sacris iunctus choreis in cælite cœtV
Diuinis Odis iubilet modulamine. DauiD
Vita, salúsq; piis, mundi spes vnica IESV,
Supplicis exaudi solitâ pietate precatuS.
Paucula, Sancte, tuæ retuli præconia laudi.
Semper vbique tui miserere pius Teobaudi.

Hactenùs de sancti Prudentij miraculis Teobaudus. Quod subiicitur, authoris alicuius recentioris additamentum est.

Anno Domini MCCLV. regnante Domino Gaufrido, puer quidam paruulus in aqua Besuana cecidit, qui vsque ad mortem perductus est, & in Ecclesiam beati Prudentij apportatus, sanus & incolumis parentibus suis redditus est. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ergo Regi Regum sit decus & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER TRIPERTITVS,
DE VITA, CONVERSATIONE, AC MIRACVLIS
BEATI ROBERTI ABBATIS,
primíque Fundatoris Casæ-Dei.

Authore, seu Exscriptore Bertrando Monacho, ex apographo R. P. P. Iacobi Sirmondi Soc. JESV.

INCIPIT PROLOGVS IN LIBRO TRIPERTITO B. ROBERTI ABBATIS CASÆ-DEI.

MAGNIFICA Christi Regis æterni miracula, quibus assiduè in Sanctis suis ineffabilem propriæ majestatis gloriam declarare dignaretur, memoriter teneri iubentur, & illi confidendo, ipsumque inuocando, vniuersa terra annuntiari. Quocirca cùm hoc omnis homo niti debeat, non immeritò beati Roberti Confessoris, Patris, & alūni mei, quæ Dei gratiâ non solùm in circumjectas Gallicanas, & tantas nationes vbertim diffundi voluit grata & admiranda miracula, ab eius gestorum scriptoribus breuitati operam dantibus prætermissa, cum Dei adjutorio, quæ ab illis didici, qui cum eo conuersati sunt, vel ab eis qui se vidisse testati sunt, vel etiam quæ ipse videndo, vel audiendo veraciter comprehendere potui, postpositis omnibus, quæ in vita Domni Stephani, & in actibus illustrium Patrum, qui locum sanctæ Gemmæ in pago Xancton. fundauêre, tuleram, trinâ distinctione annotare curaui. In prima siquidem miranda quæ Deus per beatum virum, dum in corpore viueret, splendescere disposuit. In secunda profectò illa, quibus vitæ præsentis cursu transacto, summus remunerator testatur eum viuere in cælis. In tertia illorum denique merita & nomina, qui ei in regimine pastorali Cœnobij Casæ-Dei, vsque ad præsens tempus, annum videlicet Incarnationis Dominicæ MCLX. successerunt; & quorumdam Fratrum, qui sub illis degentes, signis & miraculis claruerunt. Verùm quia summi Regis tyrocinium cum tribus sociis in eius trino nomine delegit, & ab

ipso trino & vno Deo remuneratus in fine gloriosè extitit, huius opusculi libellum tripertitè libuit distinguere, tripertitum nominare. Hactenùs de his. Nunc ad propositum veniamus.

INCIPIT LIBER TRIPERTITVS Beati Roberti Abbatis.

CAP. I. *De Regula B. Benedicti Abb. per Angelum allata.*

Vir clarissimus S. Iuliani Briuatensis Thesaurarius, nomine Rotbertus, relictis cunctis, mundialibus peractâ Christi natiuitate, die sanctorum Innocentum, cum duobus sociis vastam intrauit eremum. Cùm autem in sancto proposito diutissimè persisteret, & fama eius Religionis longè latéq; ad benè viuendum nonnullos inuitaret, proponeréntque sub ipsius ducatu Christo seruire, eorum desideriis annuens, non parua multitudo & Clericorum, & militiæ cingulum deponentium, eius sancto contubernio adhæsit. Creuit itaque & discipulorum numerus, & Religionis obseruantia. Multorum verò cohabitationem tam loci vastitas, quàm studiorum diuersitas excludere videbatur. Alij námque eremiticam, alij cœnobialem, alij canonicam vitam conabantur assumere. Cùm verò die quodam tractaretur ab omnibus vt diuina clementia eis ostendere dignaretur, cui supradictarum Religionum locus ille manciparetur: ecce quidam peregrinus vultu & habitu reuerendus ianitori Monasterij librum quendam tradidit, dicens: Codicem istum defer Fratribus in Capitulo constitutis, valdè sibi necessarium; qui citò perrexit, & Fratribus librum detulit. Illi autem codicem aperientes, & Regulam sancti Benedicti esse videntes, supra quam credi potest admirando, & supernæ dispensationi gratias agendo, monasticum schema gratanter omnes susceperunt, tantò deuotiùs, quantò diuinitùs subrogatum intelligunt. Ianitor denique cùm peregrinum irremuneratum abire nollet, quæsiuit, & non inuenit, mitténsque nuntios, qui diligenter quærerent, nec eum, nec quemlibet qui se vidisse testaretur, reperire valuerunt. Videtur itaque hoc diuinum, non humanum.

CAP. II. *De leproso mundato.*

Beatus denique Rotbertus monastico habitu, locique regimine suscepto, cùm in Assumptione B. Mariæ quadam vice in Refectorio Canonicorum Claromont. iuxtà consuetudinẽ Ranconis Episcopi auunculi sui adesset; decreuerat enim idem Præsul & omnes Canonici, vt tam ipse quàm omnes successores sui Abbates Casæ-Dei, cum sex sociis S. Monachis, & septem famulis festiuitate Assumptionis venerabiliter ab ipso Abbate celebratâ in Refectorio cum Canonicis ad mensam principalem procurarentur, frusto carnis non paruo sc. subministrato, & ab omnibus Canonicis, vt charitate Dei, & amore Virginis ex illo comederet obnoxiùs rogaretur, videns se tantò articulo adstrictum, quod absque nota non posset declinare, vt paruum frusticulum in ore misit, leproso ad ianuam tartauellanti totum frustum transmisit mox. Benè, inquit, portitor tibi, Petre, contingat; sic enim leprosus vocabatur, filius coqui Canonicorum ipsorum: quia Domnus Rotbertus Abbas Casæ-Dei te tanto dono visitauit. Vnde gaudens & exultans infirmus, vt saturatus fuit, faciem, & totum corpus vlceroſum perungens: Deus, inquit, qui per B. Rotbertum me visitare dignatus es reficiendo, per eiusdem merita lepram meam misericorditer respicias sanando. Qui mox mirum in modum totius infirmitatis leuamen sentiens, corporisq; sui ac cutis formam decorémque conspiciens, in octauis supradictæ festiuitatis Assumptionis beatæ & gloriosæ Dominæ nostræ perfectè sanatus, in Ecclesiam, cunctis Deum laudantibus, est introductus.

CAP. III. *De anguillis diuinitùs cognitis.*

Apud sanctum Germanum quoque Quadragesimali tempore cùm Domini famulus vice quadam adesset Rotbertus, & Prior loci anguillas, quas in foro inuene-

rat, ad refectionem præparare feciſſet, vir Dei à veſpertinali officio exiens, & coquinam adiens, coquo dixit: Anguillas illas in lutum proiice, & ne quis ex illis cómedat, caue; quo facto, ad Eccleſiam rediit. Diuinis itaque laudibus peractis, Procurator domus audito quod acciderat beato viro, dixit: Domine Pater, quid modò faciam, quia nec anguillas, quas cum gaudio emeram, non habeo; & quid ante vos ponam ad comedendum inuenire nequeo? Cui vir Domini reſpondit: Ob hoc, fili, noli contriſtari, quia Dei famulos non oportet iniuſto edulio contaminari. Paucis denique interjectis diebus, mercator quidam, dominus videlicet iam anguillarum dictarum interfectus inuentus eſt. Interfector quoque eius, anguillarúmque raptor, & venditor deprehenſus, ac furcis eſt ſuſpenſus. O quanta Dei clementia, quæ ſanctum virum ſpiritu prophetiæ illuſtrauit, & quanti meriti eſſet futuris ſæculis, demonſtrauit!

CAP. IV. *De Angelico peregrino à ſancto viro induto.*

Die autem quodam iter agendo Dei ſeruus Rotbertus, loca campeſtria longa & ſpatioſa ingreſſus, comitatu eius ab eo longiuſculè progreſſo, peregrinóque venerandâ ſpecie obuians, Quid ei petenti ex frigore vexato largiretur, Nil præter ſimplex indumentum ad præſens habendo, pelliciam extraxit, inopíque tribuit: Qui lætus ſuſcipiendo, ad virum Dei verba hæc intulit: Rotberte, Rotberte, ſcias quia benedictus & ſuperbenedictus àmodo & vſq; in æternum eris. Sociiq; eius eum expectantes, vehementérque boreali algore attritum attendentes, actum rei geſtæ non ignorare potuerunt: pauper tamen qui donum accepit, in loco patenti nuſquam comparuit. Vir verò beatus benedictionibus ſuper benedictionibus in dies ſingulos à Deo multiplicitèr benedici perpenditur, noménque eius à mari vſque ad mare glorioſius prædicatur.

CAP. V. *Vbi de cráſtino non fuit ſollicitus.*

Quibuſdam cauſis exigentibus virum S. Viennenſem contigit adire Archiepiſcopum. Dum verò ea quæ ſibi ſociiſque ſuis in itinere neceſſaria erant indigentibus, iam penè erogata fuiſſent, Fratribus non leuiter ferentibus ait: Vos Domini præcepti immemores non oportet eſſe dicentis, date, & dabitur vobis. Archiepiſcopus itaque hominem Dei, comitatúmque eius magnificè procurauit, & peractis pro quibus venerat negotiis, munificâ largitione honorauit. Sicque dum vir ſanctus rediret ad ſua: Nolite, inquit, Fratres, amplius diffidere de Dei bonitate largiflua.

CAP. VI. *Vbi Beata Maria beato viro Rotberto apparuit.*

Aſſumptionem Beatæ Virginis Mariæ vice quadam cùm Formolis celebrare decreuiſſet, præparato iuxta Altare ſibi loco, ſolus ibi vigilando & orando permanere voluit. Magnâ autem noctis parte iam tranſactâ, Geraldus eius Capellanus in angulo Eccleſiæ remanſerat, ſenſu aurium cùm prope Altare percepiſſet duorum voces viciſſim loquentium, diù attonitus, admiratus eſt. Facto itaque ſecundo, idem Geraldus, vtpote familiaris eius, eum ſecretiùs interrogauit, dicens: Domine, ſi veſtræ paternitati placeret, omni modo vellem mihi aperiri quid, vel cum quo in nocte ſanctæ feſtiuitatis loquebamini. Frater, inquit, Geralde, cur interrogas quod tibi non expedit ſcire? Scire tamen potes, quoniam Domina noſtra, cæli & terræ Regina, mihi dignata fuit apparere. Quod autem dignata eſt demonſtrare, nec mihi expedit explanare, nec alicui mortalium ad præſens aure percipere; ex hoc nimirùm poteſt colligi, quàm magna multitudo dulcedinis Dei, quam timentibus ſe vult ſe abſcondi; habentibus verò charitatem perfectam, quæ foras mittit timorem, quorumdam ſecretorum ſuorum declarat dulcedinem.

CAP. VII. *De ſurdo & muto ſanato.*

Iſdem vir beatus Rotbertus ad Eccleſiam ſancti Deſiderij, quæ in vicino caſtri Bocenellæ conſtructa eſt, vice quadam declinans, notum ſibi ſatis iuuenem ſurdum &

mutum, Presbyteri eiusdem Ecclesiæ nepotem, obuium habuit, eique dixit: Vbi est Presbyter auunculus tuus? Surdus illicò iuuenis & mutus respondit: Domine Pater, foris est; sed modò veniet. Sacerdos verò audito Abbatis aduentu, quantocyùs occurrit, gaudentem & gestientem, loquentem & audientem vt vidit nepotem, vltrà quàm credi potest gaudens effectus est. Dei autem famulus non sibi, sed bono desiderio, fideique iuuenis voluit hoc adscribi.

CAP. VIII. *De paruo vasculo annonæ multis per annum sufficiente.*

Luziacum proinde sanctus vir locum suum ingressus, à creditoribus Fratris Ecclesiam illam regentis Conuentus, importunis, ac clamosis vocibus diutiùs fatigatus, Fratrem vocauit; & vt hos clamores sedaret, præcepit. Ad hæc ille: Non habeo, inquit, Domine, quid eis reddatur, nisi parumper annonæ quod in dolio isto habetur, quod vix nobis per mensem sufficeret. Cui vir Domini dixit: Illud modicum, quod habes, solue, & non diffidas de Domini nostri bonitate. Cœpit itaque Frater debitoribus soluere, & mirum in modum omnibus solutis, vas plenum remansit, sibique ad quæcumque necessaria per annum integrum sufficiens fuit. Dei igitur famulus cuique reddere quod suum erat, voluit; sciens nimirùm quòd timentibus Deum nihil deerit.

CAP. IX. *De milite, & matronæ cuiusdam filio sanato.*

Castrum verò Aruernensi territorio quoddam habetur, quod Brosada vocatur, ad quod vir Domini cùm frequenter diuerteret, sedes, mensa, & lectus à quodam patrefamilias ei paratus est; qui proinde cùm graui incommodo corporeæ valetudinis vexaretur, atque filius cuiusdam matronæ non mediocri molestiâ angeretur, vterque ad Dei hominem gressibus festinauit fidei. Ille námque vt de puluere sedis, & mensæ viri Dei ebibit, & ista filium in lecto serui Christi composuit, ambobus optatæ sospitatis munus continuò successit. Cunctis igitur liquet quantum fides valeat, quæ sic credentibus, quod volunt, suppeditat.

CAP. X. *De dæmone mulieri insidiante.*

In loco autem, qui Portus-Dei appellatur, cùm in die Dominica olera colligeret quædam muliercula, à viro Dei iuxta locum prætereunte, dæmonium visum est ei assistere, & ad hoc opus instanter incitare. Vnde vir sanctus ingemiscens, ait: O quàm teterrimum mulier ista habet socium! Quocirca in publica prædicatione non monebat nihil fieri operis in Dominica celebritate.

CAP. XI. *De chirothecis pendentibus.*

Auinione in loco eo sermonem ad populum faciente, cùm eius chirothecas duo Clericelli in Ecclesia inuentas, ludendo inuicem in Ecclesiam proiicerent, in Solis radio visæ sunt remanere pendendo: qui cùm ad hoc attoniti exclamassent, multi confluxerunt, & videntes Christi magnalia, eum glorificauerunt, qui per sanctos suos tanta facit miracula.

CAP. XII. *De sepulturæ suæ loco diuinitùs præmonstrato.*

Excellentis denique Regis strenuus campiductor emeritæ militiæ donatiua sumere, cùm in sexta feria ante Dominicam diem Ramispalmarum, nonnullis Fratribus sibi adstantibus in orientali collocutorio Casæ-Dei, vox illi diuina de necessariis loci tractanti subintulit, dicens: Quantocyùs ad portam Monasterij vade locum videre, in quo debes in proximo requiescere. Qui cùm illis audientibus qui aderant, Deo gratias reddidisset; & requirentibus quid dicere vellet, hoc ab eo audierunt: Eamus, inquit, Fratres, videre locum à Deo mihi paratum. Sequentes igitur eum, velut sulcum aratri ad mensuram hominis longum, ibi inuenerunt, vbi nunc corpus

Digitized by Google

pus eius humatum est. Quod cùm vidissent: Ecce, inquit, locum meum; ecce locus sepulturæ à Deo mihi attributæ.

CAP. XIII. *Quòd à sacris diuinis, quamuis infirmus, non cessauit.*

Vigiliis itaque, Psalmis, & Hymnis deuotissimè more solito sequentem sanctam Septimanam peragens, ad Sabbatum quod Sanctum dicitur, in gloria Paschalis festiuitatis peruenit. Cùm verò sacræ festiuitatis officia persoluisset, & infantes nobilium terræ illius virorum, vt mos eorum erat, illi ad baptizandum oblati erant, vno infantum baptizato, febre vir correptus, alius ad hoc opus agendum ei successit, cæterísque sacris ab eo peractis, ad locum defertur. In sero sancto autem sequenti, resumptis viribus, & sacris Missarum ipso celebrante expletis, à Fratribus imbecilla membra sustentantibus, ad suum stratum est deductus.

CAP. XIV. *De commendatione charitatis.*

Ingraueſcente denique langore, discipulis sibi cunctis adstantibus dixit: Scitis, Fratres, quomodo charitas Christi huc vos adduxit, quomodo charitatem per nos vos habere docuerit, & omnibus notis & ignotis, diuitibus & egentibus, nolentibus & petentibus nostra charitatiuè largiri instituerit. Ob hoc etiam huius sancti loci maius Altare in præcipuo summi Dei nomine, quod est charitas, consecrare disposui, vt istius Cœnobij, memborúmque eius charitas obtineat principatum, nullúmque tenacitatis atque auaritiæ malum in eo reperire valeat angulum. Hoc tandem planè prænuntio, quòd si hæc quæ denuntiamus vobis, non obseruaueritis, tribulationem, & rerum omnium penuriam ineuitabiliter sustinebitis. Si autem hæc à vobis, & à successoribus vestris diligenter fuerint obseruata, omni seclusâ ambiguitate, & bona à Deo temporalia, & affluenter gaudia præparabuntur æterna.

CAP. XV. *Quo tempore, & horâ, & die ex hac luce transiit.*

Transitus verò tertius mensis, vt spero, Christo annuente, tertij fiet luce apparitа post Octauam Resurrectionis Dominicæ.

CAP. XVI. *Quando curàm pastoralem Christo eiusque Genitrici commendauit.*

Inunctus denique in Oratorium portari fecit, ibíque baculum pastoralem in brachiis infantis Christi imaginaliter in gremio matris residentis imponens, dixit: IESV CHRISTE, Domine meus, & Deus meus, à te baculum regiminis huius loci suscepi, tibi tuæque Genitrici eundem trado: quos perpetuos Rectores istius loci, in quantum ad me pertinet, volendo relinquo, & deprecando substituo.

CAP. XVII. *Qualiter obiit.*

His igitur ita peractis, transitu suo diuinis Sacramentis munito, osculatis Fratribus valedicendo in hora quâ dixerat, pueris in choro psallentibus, & dicentibus: Omnis spiritus laudet Dominum; ad gaudia transiit Angelorum.

CAP. XVIII. *Quo tempore & numero eremum petiit, & cælum.*

Hic vir beatus in Natiuitate Christi cum duobus sociis sub nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis montana conscendens, & in Resurrectione post Octauas, tertio die sublimia ascendens, die xv. Kal. Maij existente, ac sepulturæ traditus octauo, vt in visione declaratur Radulfi, à matre Domini deducitur, & in cæleste palatium introducendo, à sancta & ineffabili Trinitate sublimatur: cui est honor & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit prima distinctio.

Digitized by Google

INCIPIT SECVNDA DISTINCTIO.

CAP. I. *De multitudine ad eius exequias circumfluente.*

Sancti à Deo dilecti Abbatis Rotberti transitus in tantum exstitit circumjectas diœceses ac prouincias, vt multitudo Casam-Dei circumfluentium, nec in vico, nec in latitudine, nec in amplitudine caperetur platearum. Interfuit ei obsequio omnis sexus, ætas, omnisque ordo, & maxima multitudo languentium, aliquid viri sancti reliquiarum expetentium.

CAP. II. *De visione Radulfi, & quid ipse fuit, vel peregit.*

Inter hæc de discipulis quidam antiquioribus Radulfus nomine, cognomẽto Passeronus, repentinâ magistri dissolutione, maiori angore depressus, in parte secedẽs, obdormiuit, viditq; visionem admirabilem matris Domini super corpus suum descendentis. Hanc igitur Archidiaconus Andegauẽsis magister Marbodus, postea Redonensis Episc. in 2. libro retulit, quem de miraculis scripsit B. Rotberti. Hunc B. Rotbertus villulæ S. Siluani, in territorio Aruernico sitæ prope municipium Muratum nomine oriundum, mimicæ artis leuitate occupatum, ad Christi tyrocinium acciuit. Vnde siquidem magistrum suum magis præ cæteris vlnis veræ dilectionis amplexatus est. Concessit etiam ei Dominus, vt Monasterio suo Casæ-Dei multas possessiones acquireret: Ecclesiam videlicet S. Siluani, quam suprà diximus, locúmque Portus-Dei. In territorio verò Agennensi locum, qui Caritas appellatur, cum aliis duabus Ecclesiis. In Lemouicensi tandem pago Capellam Fulcherij, vbi in senectute bona degens, præsentémque vitam terminans, sepultus est.

CAP. III. *De beati viri apparitione, & corporis ablutione.*

Cùm verò B. Rotberti corpus in octauo die transitus venerandi esset, vbi diuinitùs sibi fuerat præostensum, traditur sepulturæ, apparuit quibusdam Religiosis, suis discipulis idem sanctus dicens, caput suum à lapide superimposito grauiter oppressum. Ablato itaque lapide, vt dixerat, naso cassato repertum est. Exinde propter institutionem expetentium infirmorum abluto corpore vino, & in corio cerusino diligenter composito, retentis eius vestimentis ad beneficium præsentium & futurorum venerabiliter, vt decebat, rursum est in loco suo repositum.

CAP. IV. *Quantis miraculis sepulchrum eius illustratur.*

Diuinis siquidem miraculis locus intantum cœpit illustrari, quantus si quilibet quamuis Maronis, vel Tullianæ eloquentiæ flumine rigaretur, vtilitati futurorum titulatione literali tradere curaret, materiei magnitudinis depressus pondere subjaceret, reíque magnitudinis exundantiâ ficcaretur. Tanta nempè erat diuersarum incommoditatum magnitudo, energumenorum, surdorum, mutorum, claudorúmque, & nonnullis aliis calamitatibus laborantium enormitas, vt se inuicem nullatenùs sufferre valuissent. Quamuis verò excedere videretur quantitas langoris, qualitásque copiæ laborantis, nullus tamen optatâ salute, larga Dei gratia, vel cura pet B. Rotbertum ministrando cassari videbatur.

CAP. V. *De Ebredunensis Archiepiscopi aduentu.*

Cùm igitur tam frequentium miraculorum felix rumor non solùm circumjectas, sed etiam exteras, & procul positas prouincias replendo longè latéque in dies singulos exerceret, contigit vt ciuitatis maritimarum Alpium Ebredunensis Archiepiscopus, huius rei famâ probaturus; & quia beati viri in vita familiaris fuerat, Casam-

Deiveniret. Ecclesiamautem ingressus, orandi spatium expetiit, & solus ante sepulchrum viri sancti remansit. Deum itaque deuotissimè precabatur, vt rei huius veritas sibi panderetur. Nec diù pius Deus eius desiderium differre voluit: sed duobus euidentissimis in eius præsentia mox peractis miraculis, vltrà quàm credi potest, se tam citò exauditum admirans, laudando & magnificando Deum, nihil ambiguitatis secum ferens, lætus ad propria rediit.

CAP. VI. *Qualiter dies festus eius auctorizatus est.*

Geraldus denique cognomento de Venna, qui viculus est in Aruernia, non longè à Budilione castro situs, discipulus, & Capellanus beati Rotberti, vitam & miracula eiusdem descripsit; sicque Romam pergens, Domnum Apostolicum adiit, eíq; totam rei gestæ sanctitatem singillatim & diligenter aperuit: quibus auditis, Dominus Papa, & omnis Cardinalium cœtus gratias Deo exsoluunt; & etiam de Sede Apostolica surgens pro sanctitate & reuerentia, Gallias, in quibus B. Rotbertus florebat, benedixit; & vt dies eius transitus festiuus & solennis in ordine SS. Confessorũ deinceps haberetur, auctoritate Apostolicá instituit. Alumnus itaq; B. Rotberti lætus rediens Gerardus Casam-Dei, conuentúque facto præceptum est, vt per singula loca Casæ-Dei, & vbique terrarum festiuitas B. Magistri dignè & laudabiliter coram Deo & hominibus celebraretur; quod cùm omnes gratissimè accepissent, rediit ad locum quisque sibi commissum.

CAP. VII. *De pisce ab aquila allato.*

Prior verò de Alanchia cùm festum festiuè iam peregisset vsque ad Missam, quidam Frater ait ei: Quid hodie, Pater, nobis agendum est, quibus iam solennis adest dies, & parum, immò nihil restat ad manducandum? Ad hæc ille: Noli, inquit, Frater, verbis Domini in medio prolatis, sollicitus esse dicendo, quid manducabimus, aut quid bibemus? sed eamus in Ecclesiam, & ad honorem B. Rotberti decantemus primam Missam, & hæc omnia per B. Rotbertum adiicientur sufficienter. Huius profectò assertionis non dilatus est euentus credentibus illis: statim námque vt Missa incipitur, piscis immanis, Lucius vulgariter appellatus, ab aquila super Ecclesiam aduenienti ante fores eiusdem Ecclesiæ proiicitur, ad cuius sonitum quidam de Ecclesia egressi videntes mirabilia Dei, intùs piscem detulerunt, & vt decebat, omnes pari voto ac gratulatione Deum, qui sanctos suos semper glorificat, magnificantes, & laudantes, festum deuotissimè læti peregerunt.

CAP. VIII. *De prohibitione miraculorum.*

Interea verò Casæ-Dei sepulchrum venerandi Confessoris tam crebris illustrabatur miraculis, quod vix aut nunquam quis singulari præditus memoriâ posset verbis referre singula, vel literis ad memoriam posterorum commendare. Vnde tanta erat oblationum abundantia, quod non numerando, quando diuidebatur, sed cum pelue mensurando accipiebatur. Clamor equidem ac tumultus talis tantúsque in Monasterio infirmorum aduenientium, & receptâ sanitate recedentium, virtutémque beati Rotberti acclamando, aurésque habitantium prolendo, vt se nec inuicem sine labore audire, nec diuina officia, quod importabile erat, deuotè possent persoluere. Maiores denique natu, ac feruentiores spiritu ad beati viri sepulchrum accedentes, huiuscemodi sermonibus eum conuenisse feruntur. Hos, inquiunt, Domine Pater, huius eremi squalores vestro ducatu optauimus; & vt delictorum veniam, & Redemptoris gratiam consequeremur, gaudentes intrauimus, præsentium miraculorum abundantia tanta nobis succrescit diuinorum officiorum inopia, vt nec peccata nostra plangere, nec diuinas laudes valeamus decenter exsoluere. Vestra ideò nobis impetrent merita, vt his diebus importunitatibus sopitis, cum tranquillitate tantùm sic Christo Domino seruiamus, & in futuro veniam delictorum inuenire valeamus. Proinde interim cautum est, ne quis infirmorum ad sepulchrum accederet; quoniam nec ei amodò valuæ aperirentur, nec obsequia præberentur, paulatim exinde conquieuit inquietudo, & succreuit sanctæ quietis religio.

Digitized by Google

CAP. IX. *De visione Mutinensis Archidiaconi.*

Supernâ denique dispensatione non solùm Alpinas, Gallicanásque Prouincias, sed etiam exteras nationes & regiones beati Rotberti gratia meritorum decreuit illustrari. Præsul námque Mutinæ ciuitatis, olim sanctum Iacobum Galliciæ causâ orationis adiens Ecclesiam quandam sub regimine Casæ-Dei existentem hospes subintrauit, & ibi vnâ nocte mansit. Sacerdos autem eius Ecclesiæ, cùm nomen beati Rotberti eundo & redeundo sæpissimè iteraret: Quis hic sanctus Rotbertus Presbyter, ait Episcopus? Estne ille? Monasterium est in vicinia Podiensis Ecclesiæ Beatæ Virginis: Ille est, inquit, Domine mi, Presbyter. De hoc, aît Episcopus, bono viro, quod in ciuitate nostra nuper acciderit, tegere silentio minimè conuenit. Die quodam festo, residentibus nonnullis Clericis & Laicis circa nos in Conuentu nostro de Primoribus ciuitatis. Cùm ergo de quibusdam eorũ negotiis ageretur, contigit vt Archidiaconus noster aliquando somno deprimeretur. Tandem euigilans, & quid vidit, & audiuit, diligenter nobis aperire cœpit. Ego, inquit, modò adductus fui ante fores cuiusdam insignis, & vltra sensus humanos refulgentis palatij: Residens vultu erat splendidus & habitu, nomine Rotbertus, ad cuius dexteram & sinistram non modicus virorum per gyrum palatij conuentus residebat illustrium; quorum gloriam cùm studiosè & libenter attenderem, ecce burgenses huius ciuitatis, ille enim nominatus, & notus erat in vrbe à viris speciosis adducitur, & in aspectu senioris palatij statuitur: qui cùm ab ipso quid vellet interrogaretur: Domine, ait, vestri Monasterij beneficiis volui dudùm associari; nunc, si Deo placet, vestro conuentui desidero adunari. Et hoc, inquit, nobis gratum est; iussitque eum inter alios residere. Hæc cùm audissem, statim euigilaui. His dictis ab Archidiacono, multitudo signorum per ciuitatem pulsari cœpit. Cùm autem quæreremus, quid hoc esset, vxor & filij, amicíque eiusdem Burgensis, cuius visionem nobis Archidiaconus recensuerat, ad nos intrauerunt, eiúsque obitum cum lacrymis denuntiauerunt. Cuius confessionis modus qualis fuisset, cum à nobis quæreretur, ab eis huiusmodi fuisse refertur. Cùm infirmitate, inquiunt, cœpisset grauari: Ego, ait, Monachus volo fieri beati Rotberti Casæ-Dei: eius namque Monasterium vltra montana cùm quadam vice essem in oppido Beatæ Virginis, libuit adire famâ loci bonâ illectus. Ibi à Fratribus charitatiuè receptus, cum sociis meis fui, méque pro Monacho obtuli, & ideò Monachus eius volo fieri. Cùm verò de Fratribus illius loci nullus à nobis reperiri potuisset, quendam Cluniacensem venire fecit, cúmque sibi habitum Religionis ad nomen beati Rotberti tradere rogauit. Quod vt factum est, ex hac luce eductus est. Huius siquidem narrationis atque Archidiaconi visionis concordiam diligentiùs intuentes, possumus ex hoc colligere quàm magni meriti in conspectu sit beatus Rotbertus summi Dei, quámque terra sit laus hominis, ac proinde quàm deuotissimè expetenda familiaritas religiosorum virorum sanctæ opinionis.

CAP. X. *De hominio R. Comitis S. Ægidij.*

Suauissimum notitiæ suæ odorem cùm tanti gloria Confessoris per populos passim diffunderet, Raymundum, priùs appellatum sancti Ægidij Comitem, omni paternâ hęreditate carentem, Casam-Dei scilicet ad limina beati Rotberti socio vno associatum aduexit. Intrans proinde & excubans ante eius sanctum sepulchrum, causam suæ necessitatis in illum ante certissimum adjutorem & aduocatum depromens, summo manè Missâ celebratâ, hominium B. Rotberto fecit, ensem desuper Altari accepit, & Comitatum Tolosanæ vrbis à nullo se habere, vel tenere, nisi à B. Rotberto confirmauit, si Deus per illum sibi tradere disposuerit. Cuius desiderium non diù est dilatum: nam vt à loco S. Rotberti discessit, finésq; paternos attigit, sine contradictione Proceres cuncti hominium ei fecerunt, ipsi ex corde adhærentes, vrbem Tolosam, cęterásque prouincias, quæ paterno iure ei debebantur, vno impetu substituerunt. Quod vt ipse vidit, immensas Christo Domino gratias persoluens, ac toto affectu, quamdiù in præsenti luce perstitit, B. Confessorem Rotbertum deuotissimè, ac venerabilissimè excoluit.

CAP. XI. *De affectu, quem postea erga Casam-Dei habuit.*

Dispensatori exinde superno placuit vrbem suam sanctam Hierosolymitanam, quæ dudùm à nefandissimo paganorum iugo premebatur, liberare, & corda nonnullorum Procerum Christianorum excitauit, vt sepulchrum Dominicum armis adirent, & pristinæ libertati restituerent: Inter quos Raymundus Comes sancti Ægidij, iste de quo loquimur, cùm ad hoc negotium ardentiùs insisteret, factâ cruce sepulchrum beati Rotberti habuit, & Priuazacensem Priorem cuiusdam loci Casæ-Dei, Arbertum nomine, secum duxit. In qua expeditione, quantum claruit, historiographi eiusdem expeditionis celebri relatu prosequuntur. Hic Monte peregrino ædificato, captáque vrbe Tripoli, Arbertum iàm præfatum Casæ-Dei Monachum eiusdem loci, vrbis Episcopum fecit. Ipso igitur Comite ex hoc mundo educto, ille Tripolitanus Episcopus sepulchrum B. Rotberti, quem Comes ipse, quoad vixit, earum inter reliquias Sanctorum, quas habuit, vt iusserat, cum aliis pluribus ornamentis, magnísque diuitiis Casam-Dei transmisit. His itaque vir illustris vbi sub alis Confessoris Christi substitit, illustrior semper effulsit, donec in regnum suum Christus eum introduxit.

CAP. XII. *Quòd nullus in sancto viro sperans, exclusus est.*

Eodémque modo nobis luce clarius constat cunctos pro quauis angustia eius subsidia implorantes, optatâ spe nullatenus excluſos esse: quamplurimi enim sobole destituti, cùm ad eius cucurrissent auxilium, sine tarditate fœcunditatem prolis habere meruerunt.

CAP. XIII. *De contemptu Audeberti, Agennensis Episcopi.*

Iusta igitur Dei dispensatio sicut subditos beato viro disposuit sublimare: ita tumidos ei ac superbos censuit deiiciendo humiliare. Námque Audebertus Agennensis Episcopus, cùm à quodam Monacho Casæ-Dei, viro scientiâ & religione non mediocriter ornato, in sua Synodo conueniretur, quia Ecclesia sanctæ Liberatæ, & cæteræ Ecclesiæ beati Rotberti, quæ in Episcopatu suo habentur, iniustè à raptoribus tractarentur, contumelioſa verba, vt in sanctum Rotbertum euomuit, mox visibiliter retrò cecidit, & penè exanimis effectus, à circumstantibus eleuatus est: quo facto omnis Synodus dedit laudem Deo, & nomen beati Rotberti ad sydera tollens, vnusquisque ad sua rediit, gaudénsque & lætus, ipse denique Episcopus, quoniam vir prudens, rationísque capax erat, Casam-Dei veniens, sanctum Rotbertum, quem priùs despectui habuerat, me adstante geniculando ante eius sepulchrum, eximium Confessorem pronuntiabat.

CAP. XIV. *De muliere nente in die festo eius.*

Quamuis persona & causa dissimilis fuerit peractæ actionis, vindicta tamen paris contemptus beati Confessoris Rotberti in vrbe Claromontis cælitùs enituit. Sancti enim Genesij Presbyter cùm vice quadam festiuitatem sancti Rotberti feminis colere præcepisset, eiusdem Parochiæ quædam mulierçula mandatum contempsit, colum assumpsit, neréque cœpit; quæ cùm à filia reprehensa nollet corrigere, linteamina capitis eius continuò ardendo fumigare; puella priùs intuens accurrit, fasciolámq; ambæ eiiciunt, ac flammam ignis extinguunt. Rursum mulier accepto colo & fuso, nere vt priùs cœpit, quod acciderat reputans fortuitum, non fore diuinum. Vltrix pœna verò euigilans, totúmque capitis inuolucrum inflammat; visa est & capillos & cutem concremare. Conclamant igitur mater & filia, occurrit vndique turba non modica: Rei gestæ veritas nudatur; linteamen penè absumptum igne ad Ecclesiam defertur, & virtus Christi in beato Rotberto ab omnibus magnificatur.

Digitized by Google

CAP. XV. *De milite à vinculis soluto.*

Alio quoque tempore cùm Armandus, qui nunc supereſt Vice-Comes Polunniacenſis, militem quendam, cui cognomen Vulpis, habebat in carcerem decurſum, & ſeniores parentes atque amicos, de eius liberatione audire noluiſſet, etiam Caſæ-Dei Abbas, vt ſibi pro Dei & B. Rotberti amore ſolueretur, ſubmiſſis precibus expetiuit, nec impetrare potuit. In primo autem Dominico Aduentu Chriſti, illuceſcente Aurorâ, iam dictus Vice-Comes ad carcerem deſcendit, & ſeris ac repagulis carceratiis, atque amplioribus appoſitis locum obfirmãs, Caſam-Dei aſcendit. Beatus verò Rotbertus virgam manu tenens, militi ſæpiùs ſeſe clamanti in carcere adſtitit, & vt ſurgeret, & Caſam-Dei poſt Vice-Comitem abiret, imperauit. Ad cuius præceptũ vincula ceciderũt, & oſtia patuerunt; & ipſe acceptis compedibus, per medios cuſtodes tranſiens, Caſam-Dei venit, Vice-Comitémq; ad gradus deſcendentem offendit: qui cùm vidiſſet primùm illum diriguit, & vix interrogans quid hic eſt? ab eo audiuit, B. Rotbertus me liberauit, quia tunc ante S. Confeſſoris ſepulchrum fuſis lacrymis proſternitur, vbique laudes, & immenſæ gratiæ ſummo Regi Chriſto, B. Rotberto à nobis quamplurimis, qui affuimus, exſoluuntur. His itaque peractis, gaudens & lætus miles ad ſua rediit.

CAP. XVI. *De equo ſuperbi militis interfecto.*

Dies feſtus illuxit, & frequentia populi permaxima ante fores Monaſterij Caſæ-Dei aſſiſtebat, cùm ecce miles nobilis, nomine Pontius, cognomento de Clauenaco, in equo optimo à parte Septentrionis ſuper gradus aſcendens, à pluribus ei dicitur, quòd nullus illic auſus eſſet equitare amplius. Ille quod audierat, indignè tulit, ſuperbè reſpondit, & emendare noluit. Sed ſupernus Arbiter citiſſimè corrigere diſpoſuit, moxque ad proceſſionem duo maiora ſigna, quæ ſuper locum illum in campanario conſiſtunt, pulſari cœperunt, ac batillus vnius illorum dilapſus, frontem equi vibrando attigit, & cerebrum cum toto corpore in terram alliſit. Cernentes qui aderant, timuerunt, & mirabilem Deum in operibus ſuis magnificare cœperunt; & ille qui ad gradus aſcenderat ſuperbus equeſtris, deſcendit humilis pedeſtris. Virtus itaque Chriſti Domini contemnentes ſe corrigit, ſuperbos deiicit, & humiles tollit ad ſydera, cui ſemper ſit honor & gloria. Amen.

Explicit diſtinctio ſecunda.

INCIPIT TERTIA DISTINCTIO.

CAP. I. *De B. Rotberto, eiuſque ſucceſſore Duranto, & duobus Rotbertis, Comite & Priore.*

Beatus Dei amicus & Sacerdos Rotbertus, Cœnobium Caſæ-Dei fundauit, Abbatiarum, Eccleſiarum, aliarum rerum poſſeſſionibus ditauit, Deique inſuper gratiâ in ſe operante, ei viam ſummum ad bonum tendendi perdocuit. Eo autem ad cęlos aſſumpto, & Duranto eius diſcipulo in adminiſtratione paſtorali electo, Rotbertus Comes Aruernorũ, item Clauſtralis Prior Rotbertus in hoc ipſo veſtigio, quantum deſuper eis datum extitit, obnixiùs elaborare cœperunt: nam Comes Rotbertus contra hoſtes Caſæ-Dei viſibiles oppoſuit ſe ſcutum inuincibile. Rotbertus verò Prior in hoſtes inuiſibiles omnem fidei armaturam vt Chriſti miles arripuit.

CAP. II. *De dæmone in clauſtro reperto.*

Fertur enim, cùm cunctas Monaſterij officinas, vt mos eſt, poſt Completorium vice quadam inueſtigaſſet, ne quid inordinatum ibi remaneret, generis humani inimicum in habitu Monachi, ſtaturâ enormem, facie tenebroſum, naſo truncatum, in clauſtro obuiando inueniens, foràs extraxit, & quid illic quærere præſumpſiſſet,

Digitized by Google

quæsiuit. Ego, inquit, Cluniaco, & Maiori-Monasterio, atque Massilia modò transiens ad hunc locum deuerti, si fortè aliquid mei iuris hîc inuenire possim. Hîc autem, ait ille, Christo annuente, nihil vnquam tui iuris inuenire poteris, eleuatáque manu, & signo Crucis edito, visio illa terribilis per scholam Nouitiorum cum ingenti fragore diffugit, quem totus Fratrum conuentus tremefactus audiuit; insequenti verò die Prior cuncta quærentibus per ordinem exposuit.

CAP. III. *De Prophetia Episcopatus Duranti.*

Regimine autem Monasterij Casæ-Dei ferè per decem annos administrato, Durantus in Aruernensem Præsulatum est inthronizatus, iuxta veridicam magistri sui Rotberti prophetiam, quia cùm ex priuato genere hominum vrbis Claromontensis eum in suo sancto proposito educasset, quodam tempore cùm ei prãdenti assisteret, frustum ei panis, vt comederet, vir sanctus porrexit. Ille autem os aperuit, & comedit, & à beato viro statim audiuit: Quia hoc feci*sti*, Episcopatum promeruisti. Effectus quidem huius Prophetiæ probauit actum priorem non leuitatis fuisse.

CAP. IV. *De officiis diuinis vigiliæ Paschæ & Pentecostes.*

Siquidem vir Domini Rotbertus, mutato habitu Canonicorum, diuinum tamen officium in vigiliis sancti Paschæ & Pentecostes mutare voluit. Illo autem ad æthereas sedes euecto, eius discipuli: Quia Monachi, inquiunt, sumus, in tam excellentibus festiuitatibus duodecim Lectiones, Monachorum more, non tres, vsu Canonicorum exequi debemus. Quod cùm ab omnibus statutum fuisset, contigit vt sequenti die sancto Paschæ, non sine nutu diuino, vt creditur, quia nullus à tanta multitudine euigilaret, donec Aurora eluceseeret. Non valentes itaque duodecim Lectiones, tres more paterno diuinitùs correcti, & hinc deinceps gratantes cœperunt exsoluere.

CAP. V. *De Domno Abbate Seguino, & Prophetia in quendam tyrannum.*

In Abbatiali autem cura Casæ-Dei, Siguinus vir illustris, Lugdunensi castro Escostaiaco appellato oriundus, Deo & hominibus amabilis, Duranto successit. Cuius tempore locus Casæ-Dei, & Religionis famâ, & amplissimis possessionibus excreuit, & idem signis claresceutibus mundo clarus apparuit. Charennacensis namque Præpositus, cùm eum per terram suam transeuntem reperisset, deuotè eum deprecatus est, vt Carennacum veniret, ibique festum Pentecosten in sequenti die futurum celebraret; vidénsque Abbas Seguinus ipsius deuotionem, ad locum diuertit, & diem sacrum peregit ibi. Cùm verò multitudo nobilium & priuatorum ex circumadjacentibus locis die festo inuitante, ac famâ Abbatis præsentis eos attrahente, Carennacum afflueret, tyrannũ quendam contigit adesse, qui multa mala loco illi indesinenter videbatur perpetrare. Abbatem ideò Præpositus commonuit, vt hunc deprecando conueniret, quia ob hoc fortasse à sua malitia cessaret. Quod cùm Abbas diù feci*sset*, miles ille nec amore festiuitatis, nec reuerentiâ viri mirabilis, aliquid boni vel pacis promisit, sed magis minando furibundus discessit. Præposito siquidem ob hoc valdè exterrito ait Abbas Seguinus: Ne timeas, Frater, quia iste malitiæ suæ cursum terminauit, nec tibi, nec tuo loco nocere poterit. Hanc autem prophetiam summi Iudicis iuxta sententiam declarauit esse verissimam: quoniam vbi tyrannus ab Abbate timidus discessit iuxta fluuium ad aues accipitrem iactauit, quem dum insequitur, in flumen ruens, mox vitâ priuatur. Quæ res persecutoribus loci illius non modicum incussit timorem, & habitatoribus magnam præbuit tranquillitatem.

CAP. VI. *Item de prophetia eiusdem super Abbatia S. Illidij.*

Benignus idem vir Seguinus tempore quodam cùm ab oratione surgeret in Monasterio sancti Illidij, quod in Claromonte ciuitate situm est, iuuenem quendam Casæ-Dei Monachum Petrum de Ponte Bigaudi cognominatum, obuium habuit; cui

illicò subridens dixit: Frater, adjutorem Deum implorare debes, quoniam Abbatialem huius loci anno proximo curam susceperus es, nimirùm cùm sine Dei adjutorio nulla creatura subsistere possit, hinc tamen maximè tibi auxilium necessarium fuit: diù enim Abbatia susceptа, & imbecillitas cum corporis artuum & bellicus turbo Comitis Claromontensis & Canonicorum Monasterium eius oppressit.

CAP. VII. *De fure excommunicatione expulso.*

Famulantibus proinde Deo in Casæ-Dei Cœnobio, latronum violentia grauiter insistebat. Cúmque diutiùs hanc iniuriam paterentur, & nullum remedium ab hac peste inueniretur, Domnus Abbas Seguinus in die sanctæ Cœnæ orarium atque baculum pastoralem afferri præcepit, surgénsque ait: Quia filius iniquitatis filios Dei non desinit, ex authoritate Dei Patris, & Filij, & Spiritus S. inhibemus ei ne ampliùs habeat hîc locum commorandi. Mox vt hæc verba compleuit, Refectorarius videntibus cunctis de Capitulo egressus, nusquam vltrà comparuit. Ingens autem admiratio cùm super hoc haberetur, furta eius quæ in claustro faciebat, à complicibus suis, qui foris erant, reteguntur, sicque veridicum illud impletur; Nihil occultum, quod non reueletur.

CAP. VIII. *De eius transitu, & eius successore Pontio.*

Amabilis autem Deo & hominibus Abbas Seguinus ferè 15. annis in cura pastorali Casæ-Dei peractis, Pontio gubernationem eius loci derelinquens, Auenione sepultus fuit: de cuius transitu in vita viri Dei Stephani discipuli B. Rotberti nonnulla edidimus.

CAP. IX. *De Fratre Diacono defuncto manifestè viso.*

Interea Aimonis verò Prior, omni curâ pastorali postpositâ, soli Deo vacare volens, Casam-Dei nuntium misit, quatenus sibi Frater mitteretur, qui idoneus ad totius loci gubernaculum haberetur. Iuuenis itaque ei bonæ indolis missus, & in omnibus ei subjectus, hæc ab eo audiuit: Ad hoc, Frater, ad nos directus es, quatinus huius domus dispensationem suscipias, mihiq; solùmodò necessaria præbeas. Ad hoc iuuenis: Nullatenus, inquit, Pater, hoc fieri potest vt ego vobis imperem, vel quoad vixeritis super vos habeam prioratum. Cùm hoc igitur aliter non pateretur, in hoc conueniunt, vt quod Religiosus Monachus Cluniac. qui in vicino habitabat, eis laudaret, hoc vterq; impleret; ab eo tandem acceperunt, vt omniũ senior, exteriorúmq; iuuenis procurationem prouideret. Quod & factum est. Senem proinde iuuenis rogauit, quatinus Casam-Dei se ire permitteret, & cœnam Dominicam ibidem celebraret. Peractâ itaq; ab eo apud Casam-Dei, sicut optauerat, cœnâ Dominicâ, insequenti die, Domini Passionis febre correptus, in domũ infirmorũ est adductus. Ingraueſcẽte autem morbo inunctus, sacramentísq; munitus, spiritũ Deo reddidit, & in Sabbato S. sepultus fuit. In sequenti verò die S. Paschali, cùm quidam mansionarius ostium Ecclesiæ aperiret ad cognoscendum an lux diei illuceſceret, vt tunè Hymnus, Aurora lucis, vt mos est, inciperetur, ecce iuuenis defunctus more Diaconi in albis vestis indutus, qui in Christo Sabbato fuerat sepultus præsentialiter ante oculos eius adstitit, eíq; dixit: Resurrexit Dominus; Ad hæc tremefactus spiritu recuperato, interrogauit eum qualiter se haberet, quomodo huc veniſſet, Respondit, Regina cælorũ cum Ss. Apostolis, ac Virtutibus Angelicis diuina officia hîc hodiè celebratura; ad hoc, inquam, mãdatus sum venire, & diaconatũ meum implere. Audiens hæc Ædituus, Priorem adduxit, qui & supradicta ab eodem qui viuus apparebat, audiuit. Quo facto, ab eis discessit, omnibus super hoc admirantibus: quorũdam equidem Fratrum voluntas fuit, an corpus in sepulchro posset inueniri, quod ante oculos eorum tam manifestè visus est haberi. Quod Domnus Abbas Pontius, vt magnæ discretionis & religionis increpuit fieri, ne præsumptio aliqua notari posset, propriæ proinde dispositionem Abbatiæ Aymerico per annos septem procuratam derelinquens, ad Anicienſem Cathedram sublimatus est.

CAP. X. *De Aymerico Abbate.*

Aymericus dehinè curâ pastorali 7. annis decursis, Sedem Abbatialem Stephano substituens, Aruernensis Ecclesiæ apicem regendum suscepit.

CAP. XI.

Digitized by Google

CAP. XI. *De Fratre Bertrando, cui iunctis manibus Dominicum corpus apparuit.*

Per idem tempus cum quidam Frater magnæ simplicitatis ac puritatis, cognomine Bertrandus Baptista, ideo sic vocitatus, quia infantem adhuc puer ad succurrendum gratiæ baptismatis tradidit apud S. Priuatum, ingentem pateretur anxietatem; quia Presbyter corpus Domini desuper altare perdiderat, nec quid de eo factum esset rationem reddere poterat, ipse ante sanctum altare flexis genibus fusisque lachrymis cum omni contritione Deum exorans iunctis palmis in summitate digitorum suorum, quod est mirabile dictu, corpus Dominicum affuisse inspexit. Qui cum pro gaudio voce magna exclamasset, & Presbyter qui perdiderat accurrisset & agnoscceret, quanto gaudio, quanta exultatione cum omnibus qui aderant tripudiauit magis intimatur silentio, quam possit exsolui eloquio.

CAP. XII. *De cuius brachio absorpta aranea est egressa.*

Aliud quoque de hoc fratre Bertrando satis stupendum refertur, quod dum die quodam Missam celebrasset, in calicem Dominici sanguinis vermis araneus cecidit. Quo viso quid consilii acciperet, quo se verteret, quid ageret nescius simul omnia ebibit, & nil triste Deo operante passus inde sensit. Post verò non multis diebus euolutis cum sanguine minueretur simul cum cruore videntibus qui aderant aranea de brachio egreditur, & quia hic Christum diligendo verbis eius credidit, & si mortiferum bibit, non ei nocere potuit.

CAP. XIII. *De Crure pauperis diuinitus reformato.*

Iuuenis quidam Petrus nomine, Aruernus genere, crus ac pedem igneo morbo ardente amisit, os verò cruris manu ferens subpediendo baculis Casæ-Dei venit. Ibique vir religiosus Geraldus eleemosynarius per dies multos detinuit, osse cruris in quodam foramine locato. Audiens proinde pauper ille crebra miracula fieri in loco qui Sancta Maria de mari appellatur ab vrbe Arelatensi non longe sito, osse cruris accepto, illuc deuenit & Petrus quidam miles Viuariensis castri nomine Wlgarij ei hospitium præbuit. Nonnullis tandem diebus euolutis euenit quadam nocte vt miles quasdam personas circa lectum pauperis audiens colloquentes, dixit, quare inquiens non dormitis? clientelam suam esse arbitrans, & pauperem inquietatis? Nos inquiunt ei, Domine, neque loquimur, neque loquentes audiuimus: rursum dormiuit, & iterum euigilans, sicut prius audiuit, & aduocans pauperem dixit, qui tecum loquuntur, Petre? Domine ait B. Dei Genitrix, Sanctus Hippolytus Martyr crus & pedem mihi componunt & restituunt. Hic autem miles vanum ac fabulosum æstimans: dormi, inquit, Petre dormi: & ille, Domine ait, venite & videte, quia quod dico verum est. Surrexit miles ille & vxor, ac familia & crus nouum cum pede aptum & candidum sibi reformatum, vt dixerat, quod erat mirabile dictu, inueniunt. Os verò cruris eius, quod in foramine maceriæ locatum fuerat nusquam repererunt. Procedentes itaque omnes qui aderant & istud admirandum opus & simile retro sæculis vix aut nunquam auditum osculari & laudare Deum ceperunt.

CAP. XIV. *De Monacho à corpore sine dolore educto.*

In Cœnobio Casæ-Dei cùm in die Sancto Paschæ omnes Fratres circa diuinas laudes satagentes & gaudentes quidam frater nouitius videret, diligenter cœpit inquirere locum in quo Fratres exeunt à corpore, qui cum interrogaretur cur hoc quæreret: cupio, inquit dissolui & cum Christo esse. Ostenso autem sibi loco in eo se extendens & vt Fratres venirent & iuxta consuetudinem morientium facerent sibi deuotissimè deprecatus est. Qui cùm super hoc mirantes fratres expleſſent, præsentibus illis cum gaudio sine dolore dormiuit in Christo.

CAP. XV. *De Ioanne Priore loci Deleti.*

Frater quidam Casæ Dei Ioannes nomine, loci Aruernensis Deleti Prior existens in grauem infirmitatem decidit. Cúmque ad extrema deductus esse videretur, tres ante eum fratres adstabant Andreas nepos eius, Petrus quoque Rainardi, & ego Bertrandus qui hoc scripsi. Ille vero diu amisso famine, bis dixit Bernardus, Bernardus. Transacta proinde fere dimidia hora, viribusque receptis fari iussit. Interrogatus itaque cur Bernardum iam paulo ante nominasset, dixit, vidi quendam Pontificem glorioſum qui cum mihi Beatus Nicolaus esse videbatur, illum enim totis visceribus dilexeram, & me ante fores cuiusdam templi quod tantæ pulchritudinis, tantæ claritatis & odoris erat, quod vix vllus narrare queat, qui dixit mihi. En mansionem tibi hanc à Deo adquisiui, vel si volueris in corpore viuere poteris. Ex his duobus optio tibi datur. Domine dixit ei, habeo amicum Bernardum, & quod mihi laudauit ille hoc eligam. Et ille, Bene, inquit dixisti, quod tibi ipse laudauerit hoc facite. Dicito ergo ait mihi quid horum eligam. Quod cum audissem fateor primum dirigui. Tandem inuocans Dominum dixi. Quamuis in multis ex hoc mihi graue incommodum inferatur nolo tamen vt pro me requies nostra differatur, sed qui ingredimini in locum tabernaculi Domini: qui gaudens effectus dixit, Benedictus sit Deus, quia hoc optabam, aliud timebam. Euoluto posthæc paruo tempore lætus exiuit à corpore.

CAP. XVI. *De Gaufrido Presbytero Murciacensi.*

Presbyter quidam Murciacensis Ecclesiæ in Sanctonico territorio sitæ Gaufridus nomine morbo graui correptus in lectum decidit. Qui audiens Bernardum Sanctæ Gemmæ Priorem venisse vt ad se intraret per amicos suos humiliter deprecatus est. Infestus enim ei & cæteris fratribus Casæ Dei ex quo in Ecclesiam suam Murciacensem eum assumpserant vltra modum extiterat. Intrauit tamen ad eum Prior & dixit ei Presbyter. Domine, gratias ago Deo meo & vobis quoniam visitare me voluistis. Ego enim in Deum & in vos plurima mala commisi, sed ipsi Deo & Beatæ Virgini Mariæ, sanctoque Rotberto me nobis & in vita & in morte me trado. Proinde ad locum Gemmæ sanctæ Prioratumque habitu Monachali suscepto ad exitum cæpit propinquare. Quod cernentes in Deum ac Litaniam circa eum decantare cæpimus. Post paululum ipse qui iam defunctus videbatur, manum mouit, post signum fecit vt tacerent psallentes. Quod cùm minus facerent, recuperato spiritu ait: silete. Tunc accèssi ad eum & dixi, quid est hoc, quid vultis, & ille iudicium, inquit, factum est, & ego saluus sum, & ait ad eum, & hoc quomodo? Beatus, inquit, Robertus de manu vestra me recepit, & ante Deum iudicem constituit, sicque omni causa mea, qualiter me vobis tradideram, diligenter exposita & iudex omnium in sorte electorum perenniter adesse me sine vlla ambiguitate disposuit. Quo dicto ipse non multo post tempore transacto lętus vitæ præsentis terminum fecit:

Hic finis, sed in indice, qui tertiam distinctionem præcedebat, caput aliud notabatur: De Iordane Abbate.

IN VITAM EIVSDEM B. ROBERTI Casæ-Dei Abbatis

Auctore incerto.

PROLOGVS.

VItam B. Roberti, quam ex discipulis eius quidam veraci quidem, vt credimus, sed difficili ac prolixo stylo narrauit, simplici & breui oratione, iuuante Deo tentabimus explicare, quatenus & breuis narratio tædium pellat, & simplex elocutio

Digitized by Google

facilem intellectum admittat. Non quod illius scriptoris ingenio aliquid derogemus, sed quia illorum qui nobis id imponunt negotij, religioni & auctoritati plurimum prærogemus. Quos quidem ad hoc iubendũ ratio videtur traxisse; nam cùm gesta Sanctorum ob hoc literis mandentur, vt omnium legentium vel audientium ad imitandũ accendatur intẽtio, curandum summopere est scriptori, vt inquantum fieri potest, nullius excedat capacitatem quod omnium spectat vtilitatẽ; alioquin totum ingenium negotium debito fine carebit. Si quoque ad audiendum gratia rerum inuitat, odiosa litteræ facultas excludat, aut quoque litteras vtcumque admittit, supervacua prolongatio lãguidos reddat. Quapropter nec inusitatis aut peregrinis dictionibus operam dari, neć diuersis applicationibus conuenit lectionem extendi: Neque enim timendum est ne paupertas orationis diuitias rerum exhauriat, cùm potius sit sperandũ linguæ pauperis indigentiam rerum largitate distendẽ dam in tam scilicet honesto genere causæ, vbi si omne velamen auferatur, materiæ dignitas se tuetur. Lectoris igitur, beneuolentiam & attentionem pariter inuitamus, tanto videlicet maiorem accepturi mercedem quanto pluribus, Deo operante, labor noster placuerit. Proderit enim quibus placebit, sed & vobis valdè placebit quod proderit: Sicque labor noster fiet alieni causa profectus, nostræ causa mercedis. Nos autem curabimus pro viribus omnino vt placeat, breuitati, vt diximus operam dando, non quà necessaria fraudemus, sed quà superflua recidamus: Dando etiam operam lenitati, non qua materiæ dignitas minuatur, sed qua facultas intelligentiæ conferatur. Quod si etiam parum accurata legentibus displicebit oratio; placeat saltem veritas relationis, placeat recens memoria sanctitatis. Iam licet in quocumque tempore bene gestorum fidelibus sit grata recordatio, vehementius tamen afficit auditorem, quod velut sub oculis positum præsens probatio suspicione falsitatis absoluit. Nunc quoniam de his satis est, ad narrationem veniamus.

INCIPIT VITA.

Robertus genere Aruernus, conditione liber, natus est de parentibus Christianis matre Raingarde, patre Geraldo, qui vt creditur, à B. Geraldi Auriliacensis stirpe priscam duxit originem. Hunc à primâ infantiâ Dei seruum futurum signis quibusdam ostensum est & *quæ maximam partem habes apud Laurentium Surium ad diem 24. Aprilis pro more mutilata & in aliam plerumque formam breuitatis ac concinnitatis prætextu conuersa.* Vnum tamen alterúmve obseruabo, quæ ex Codice nostro emendanda videntur & supplenda.

Pag. 843. post verba: *socium se pollicetur*, addit MS. Pactum firmat, hominem lætum dimittit, dans illi negotium, vt locum huic proposito congruum quæreret, & tertium sibi socium, si possit, ascisçat. Dictat loci congruentiam, Ecclesiolam scilicet aliquam in eremo desertam licet ac dirutam tamen Parochialem, vbi manuum opere vel herbarum radicibus virtus qualiscumque posset acquiri. Parrochialem, vt credo, ne si nouum in alieno collocaret oratorium, veteribus locis inferre videretur iniuriam. Nec enim quod supernæ tantùm causa mercedis atripere disponebant alicuius terrenæ dignitatis saltem vmbra decebat fuscari. Miles itaque fide iam plenus & constantia, &c.

Eadem pag. post vltima verba, *prouideat implorate*. Ingrediuntur Ecclesiam, orant prostrati, redeunt firmiores. Explorauerat satis eorum fidem, tempus iam venerat demigrandi. Hoc tantùm restabat vt sibi à Deo concessus locus etiam à terrenis dominis traderetur. Assumpto ergo altero è duobus Anicium tendit. Ibi dum morabantur, duo germani nobiles ambo Canonici, alter etiam Abbas: alteri Arbertus, alteri Rostaganus nomen. Abbas Arbertus ipsius B. viri discipulus ac Monachus postea fuit. Apud hos facile quod voluit impetrauit, quos pro vicinitate locorum fama sanctitatis eius latere non poterat. Omnibus igitur ad votum paratis.

Pag. 847. pro *Reuconis Aruernensis Episcopi*, Renconis. Et pag. sequenti pro *Calidus mons*, Calcis mons.

Quæ sequuntur nec a Surio, nec à quoquam alio, quod sciam, fuerunt hactenus Typis commendata, vti nec liber tripertitus, quem paullo ante exhibuimus.

DE EIVSDEM ROBERTI VIRTVTIBVS & Miraculis Narratio,

Incerto Auctore qui vitam prius se scripsisse asserit simplici sermone.

Domino verè Sancto & in Christi membris vnicè complectendo Stephano Abbati, M. peccator.

FRequenter petis, vir egregie, immo sub assumptæ petitionis figura multo acrius iubes & cogis, vt priori libello, quem de vita B. Roberti simplici sermone, vtinam tam efficaciter, quàm libenter composui, sequens opus de virtutibus eius secundùm titulos primi scriptoris annectam. Honorat paruitatem meam repetitæ dignationis iniunctio; sed onerat infirmitatem grauis laboris assumptio. Neque enim si prius tibi displicuisset, sequens à me opus tam instanter exigeres. Nec rursus quod placeat absque labore & industria potest sculpi. Sed neque tam ineptus sum, vt si boni quid ago, meis hoc viribus arrogem, & non illi potius, à quo bona cuncta procedunt: nec tam infidelis, vt honestis ac piis laboribus diuinum desperem auxilium. Gratulor igitur opusculum illud tibi, Pater, & sanctis fratribus placuisse, & diuinæ gratiæ per quam placuit gratias ago. Sed quod restat eadem ope diuina, fratres, aggredior, quam mihi non meritorum meorum, quæ vel mala sunt vel nulla, præsumptio, sed B. Patroni de quo sermo suscipitur & vestræ Sanctitatis intercessio pollicetur. Mihi ergo si quid errati erit imputabitur, quicquid recti supernæ gratiæ. Nec scriptoris, precor, indignitas susceptæ causæ præiudicet dignitati, cum vilibus etiam è contra plerumque mancipiis dominorum intuitu deferatur, nec qualiter sed qualia dicantur fidelis Lector attendat, quum sæpe oratoris facultate & vera tenuiter, & copiosè falsa differuntur. Nam & salubres escæ ministrantur fictilibus, & aureis poculis lethale miscetur aliquando venenum.

Primum igitur de Sancti virtutibus narraturo non alienum mihi videtur quorundam blasphemiis obuiare in quorum frontibus & ore sacrilego draconis & bestiæ proculdubio character agnoscitur. De illa enim scriptū est quod aperiet os suum in blasphemias ad Deum blasphemare nomen eius & tabernaculum eius, & hos qui in cœlo habitant. Ita igitur qui sancto huic frustra moliuntur calumniam, indubitanter se probant adillius bestiæ numerum pertinere. Aiunt ergo, non enim me piget velut ante iudices depellendâm callidæ malignitatis intentionem proponere: Nouus iste Sanctus antiquum nobis peruertit ordinem sanctitatis: nam cùm cæteri omnes, qui cum dilectione spiritus fideliter ad alta sustollunt, ascensiones in corde suo disponant & superiora semper inferioribus auspicentur, solus hic cùm prius pedem posuisset in summo, sensim postmodum ad inferiora delapsus est. Instituerat longe à terrenis & laboriosis tumultibus alto vertice nubes excedens diuina tantum & cælestia tranquilla mentis acie speculari, & ecce paulatim ad actiuum laborem & humana negotia, postremò ad curam cæmentariam declinauit. Amphoram cœperat, vrceum consummauit, mutauit consuetudinem nuptiarum, & contra morem positum & veteris historiæ fidem ante Liæ thalamos Rachel amplexus promeruit, expertus vtramque, pulcram facie prætulit lippienti, dum illa repudiata huic perseueranter adhæsit. Cùm potius neutram vtramque frustra indigni more proci repellendam tentauit, præposuit Marthain Mariæ, & iudicio Christi contrarius, Mariæ optimam partem asserentis, & si non voce quod & grauius opere blasphemauit. Sed & propriæ vocis assertione conuincitur, dum quod ipse peregit, affirmat esse damnabile. Sic enim discipulos eremum petiturus alloquitur: Non proponere, inquit, summa tolerabile est propter humanam fragilitatem, cadere autem à proposito damnabile propter diabolicam transgressionem. Aut igitur fides non est habenda scriptori, aut cum qui voce propria transgressionis arguitur, non suum meritum, sed alienus error sanctificat. O liuidis plenam salibus & superba contentione calumniam! Iam etsi ab omnium forte Sanctus hic noster non discrepat, quod iniquorum maledictis & odiis propter Chri-

Digitized by Goog

sti nomen impetitur vtique propter nomen Christi licet eodem maledici nomine censeantur. Nisi enim egregiè Rotbertus Christo seruisset nec sanctitatis tanta eius per diuersas regiones increbuisset opinio. Isti profectò superbiæ filij nec sua eum dignum ducerent detractione. Nunc verò quoniam & ipsi religionis sibi per hypocrisim laudem vindicare non metuunt, damnum gloriæ suæ putant, quicquid laudibus alienis accesserit. Inde fit vt ad delendum Rotberti nomen totis eruditionis suæ viribus enitantur, contra specialem Dei seruum armis specialibus, id est, diuinis auctoritatibus abutentes, vt pote quos in castris suis Christus velut hostes nutriuit intestinos: sic & horum maiores, quos ex patre diabolo superbia mater progenuit, ausi sunt quondam improperare Martino, quod flammarum adustus incendio sub mortis instantia fugæ præsidium trepidus imploraſſet. Egit tunc causam Martini, iubente Christo Sulpitius, & lectoris iudicio confusis aduersariis silentium victor imposuit. Nunc quoque potens Christus indoctam & frustra sibi de scientia applaudentem superbiam nostræ humilitatis obsequio vel confundere vel docere iubet. Age enim quisquis ille es nouę Sanctitatis impugnator acerrime, qui veraciter nouo homini infestus adhuc veteris imaginem ore sonas & mente geris, age inquam obscuræ diligentiæ nobilis, immo notabilis ostentator, recidisti quæ tandem tibi videtur aut quæ est regula sanctitatis: vt scilicet actiuum quisque laborem prius exerceat, per quem charitas compassione sollicita proximorum succurrit necessitatibus: deinde nouis semper virtutum profectibus ad altiora se tollens contemplatiuæ arcem dulcedinis in qua solius diuinitatis insatiabili amore fruatur tandem victor obtineat. Quo cum peruenerit iam nefas inde inferiora respicere, sed sicut de quodam ridicule dictum est & hic non incongrue dici potest, mirentur cæli cardines vltra non curans homines. Ita ergo duas Ecclesiæ vitas suis quamque finibus nouus auctor & expers vtriusque disterminans, & sic confusas mentis errore & impermixtas esse contendis, vt qui superiorem semel attigerit, ei sit ad inferiorem redire damnabile, hoc est qui Deum plenè intellexerit, non possit & fratrem diligere. Nouam pro religione credulitatis regulam introducis, vt iam Græcia loquax multo fabuletur humanius Orestem & Pyladem profugos vi tempestatis in exterum litus expulsos cum captiad Scythicæ Dianæ oram statuti essent, vt peregrino sanguine crudeli Diuæ solitò litaretur, data lege qua tantum vnus oppeteret diu multúmque pium barbaris amicæ contentionis præbuisse spectaculum, dum alter alterum vicaria morte conatur redimere. Iam tu religiose Christiane ipsis idololatris agi suades immanius. Si quis pater mitissimus clausos diu profundo & tenebroso carcere liberos stans in loci supercilio flenti voce compellet demissa scala per gradus tritos cohortetur eniti. Tum cæteris diffidentibus & indocili mente turbatis vnus quisque alacriori conatu & exercitio firmiori gressus arduos moliatur, isque cum ad superiora lætus emersit, implorantes frustra opem germanam fraterculos auersetur, nec eis consentiat per ascensus notissimos facilem præbere ducatum, idque mentiatur paterna dilectione se facere, cùm pater afflictos commiserans ad opem ferendam pio illum affectu instimulare non cesset. His igitur perfectissimus videatur, si quispiam in amphitheatro pugnantem cum acerrimo gladiatore quem ipse iam vicerit, cuiusque non ignoret argutias sub mortis discrimine spectet germanum, eumque cum possit instruat, sed fratrum securus periculi cum spectatore pereunte residens emeritus intempestiuis eius velit osculis delectari, numquid non ab omnibus & ab ipso patre improbus & crudelis & in fratribus neglectu iudicetur impius parricida? Sed Dei inquies flammeus amor omnem rerum mortalium curam deuorat & consumit. Ergo si ita est, oritur nouum & monstro simile in ipso charitatis regno dissidium, & duobus mandatis in quibus tota lex pendet & prophetæ intestina & plusquam ciuili seditione confossa consequenter totius Christianæ fidei corruunt Sacramenta. Nam vt laxos circuitus breui complexione succingam, si flagrantissimus amor Dei in quo contemplatiuæ vitæ summa consistit, fraternam dilectionem quæ est actiuæ causa vel maxima deuorat & extinguit, dum & ipse simul extinguitur, nullla remanet portio charitatis. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Item qui viderit fratrem suum necessitatem habere & clauserit viscera sua ab eo, quo modo charitas Dei manet in eo? Aut igitur Deum diligens amabis & proximum, aut proximum spernens contemnes & Deum.

Porrò si cum Deo fratrem dilexerit, indigenti pro viribus necessaria ministrabit,

quia sine opere seu re non habens sola fuerat voluntate actuum proculdubio negotium exercebit. Prorsus otiosa, immo nulla erit fraterna dilectio, nisi mentis ad Deum erigatur intentio: cogit nos quo debet rationis inuictæ necessitas. Igitur cum duæ vitæ ita suis ab inuicem meritis sint discretæ; ab eodem tamen communiter lege queunt vicaria possideri. Cumque ad inferiorem pro necessitate recurritur, non est casus sed descensio, non est præuaricatio sed compassio In hac ergo parte virum Sanctum transgressionis arguere, est sicut apparuit, plusquam verbis agenda transgressio.

Quia verò illum prisci ordinis asseris peruasorem, & ante Liæ thalamos Rachelis pulchritudinem impudentis proci exemplo frustra tentasse, mirum nisi somnians hoc vidisti. Quippe gestorum ipsius euidens & ordinata narratio, nec tuam credo latere potuit cæcitatem. Ibi enim de præcedentibus eius eleemosynis non siletur. Porro quod eum contra Christi silentium Martham insimulas prætulisse Mariæ, friuola prorsus & vana probatur obiectio. Nam si hæc ad temporis ordinem prælatio referatur, quod quidem ab incauti tantum criminatoris stultitia non abhorret, se ipsam linguæ volubilis impugnat calumnia, dum eundem nunc arguis id fecisse quod paullo ante arguis non fecisse; nam superius quod Liam ante Rachelem non duxerit, sic causatis quod Mariæ Martham prætulerit. Sed mysticè idem sunt Lia & Rachel, Martha & Maria. Præferre igitur quantum ad ordinem Martham Mariæ non potuit, si Liam Racheli non prætulit. Quod si dignitatis intelligatur prælatio, sic quoque in te vanitas eminet obiectionis, de alienæ mentis iudicio quod nesciret asserentis. Quantum enim ex illius viri Sancti verbis aut operibus potuit apparere, Mariam veraciter Marthæ dignitate præposuit, qui propter Dei amorem fratribus ministrauit. In quam compassione non ardui propositi retrogradus violator, sed electorum omnium & ipsius capitis extitit piissimus æmulator. Hæc est enim antiquæ, hæc & modernæ & futuræ regula sanctitatis, quam inter vtrumque margine insignitis virtutum gradibus vsque in finem sæculi discurrere non cessat famulorum Christi prompta deuotio. Contra ea quæ ab his dicuntur qui actiuam vitam contemplatiuæ intermiscere nefas iudicant, vt in B. Rotbertum cuius inuident sanctitati, deuoluere possint calumniam, satis dictum putamus. Separatim tamen quis forte nos respuat quasi propter scripturarum auctoritatem sensu proferentes humano, sacris testimoniis volumus illustrare sententiam, non alienum ab huius operis intentione existimantes, sed ad ædificationem legentium præsentem Dei famulum antiquis sanctis fuisse ostendamus in hac discretionis virtute conformem. Huic ergo scalæ Iacob Patriarcha cum super lapidem mysticum fessum caput dormiens reclinasset, innixum Dominum vidit & Angelos ascendentes Dei non solum per diuinam contemplationem, sed etiam descendentes per humanam compassionem. Quod quidem mysterium & in suo connubio idem Patriarcha exercuit, dum post pulchriores amplexus fœcundioris coniugii coitum sæpius repetiuit. Hoc si æmulorum temeritas aduertisset, nullatenus diuinam historiam stultæ suæ crederet calumniæ suffragari. Quid enim aliud veteris, quid aliud sacratissima loquitur noui pagina testamenti? Nam vt pauca proponamus de singulis, Abraham fidei pater, Isaac promissionis filius, Iacob gratiæ spiritualis electio, qui specialiter B. Trinitatis in se mysterium prætulere, nonne & cum Deo sæpius loquebantur, & domestica nihilominus negotia procurabant? Hæc in Iacob maximè vicissitudo elucet, qui cum Deum facie vidisset ad faciem, vnde & locum Phanuel nominauit, statim itineris exigente necessitate ad disponendam conuersus familiam, ancillas & vxores cum liberis & gregibus per turmas distribuit. Sic & Moyses Legislator solus cum Domino moratus in monte, commisso vicissim populo se reddebat. Nec semper diuini tabernaculi incolebat secretum; sed foras egressus tumultuosas languentium causas non leui plerumque negotio dirimebat. Illudque non longè videtur ab hac intelligentia resultare quod sedens Axa super asinam à patre suo irriguum superius & inferius neutrũ sine altero postulauit. Nec minus & Christi Apostoli Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam, quo numero Angelicæ summa contemplationis innuitur, & mox egressi petentibus in Christi nomine beneficia conferebant. Paulus quoque Doctor præcipuus raptus in Paradisum non semel & de feraciſſimo mentis obtutu cœli tertii secreta rimatus, iterum se non solùm ad hominum, sed etiam ad carnalium hominum aptabat mensuram, beneuola

Digitized by Google

compassione incontinentibus aliquid etiam de voluptate concedens. Propter fornicationem, inquit, vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque virum suum habeat, & vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Vide quid faciat imitanda perfectio charitatis. Secretarius paulo ante cœlorum, sit ecce cubicularius thalamorum. Sed & de collectis quæ in sanctis ficbant ad præparandam repromissam benedictionem diligenter Corinthios hortabatur. Ita pro geminæ plenitudine charitatis, id est summus & imus, cælicus & terrenus, siue mente excedebat Deo, siue sobrius erat nobis. A qua sanctitatis regula nec cæteri Christi exorbitauere discipuli. Sed singulis proprias notas ad hoc negotium pertinentes affigere, valde longum & non valde necessarium: solus Dei filius IESVS Christus nobis sufficiat ad exemplum. De cuius plenitudine omnes acceperunt & cuius tota in terris vita morum extitit disciplina. IESVS ergo nunc ascendit in montem solus orare, nunc venit ad discipulos quos videt in fluctibus laborare. Nunc turbis erogat verbum Dei, nunc largitur munera sanitatum. Transfiguratur in monte suam gloriam paucis ostendit, reuersus ad turbas supplicantis pro filio patris coram multis exaudit miseriam. Aliquando Spiritu Sancto exultans cœli & terræ Domino confitetur, aliquando seipsum conturbans pro amici funere lacrymatur. Docet & verbo quod ostendit exemplo, cùm non solum clauso ostio patrem orare sed & aperto beneficio fratri petenti succurrere nos hortatur. Idem & in Canticis contemplatiua probat Ecclesia quærens se à lecto quietis internæ ad exteriorem quam exuerat curam & prædicationis officium sponso reuocante compelli. *Ego*, inquit, *dormio, & cor meum vigilat, vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, & immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illam? laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus mutauit ad tactum eius. Surrexi aperire dilecto meo.* Ex his omnibus satis constans esse putamus & euidens contemplatiuos ad actionem non solum licenter, sed & necessario plerumque mutari, nec prioris pati meriti detrimentum, quia si quo fraudatur interius pulchra sterilitas, totum compensat exterius lippa fæcunditas. Sed quoniam huius rei tam latè patet ostensio vt tempus me citius quàm copia deserat exemplorum, tanto magis quæ sunt dicta sufficiant, quanto minus dicenda deficiunt. Quocirca quoniam veritas falsitatem redarguit, & charitas instruxit inuidiam, muta fiant labia dolosa quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem in superbia & in abusione. Immo quia magis intendimus ædificare quàm vincere, cedat inuidia charitati, & taxato veræ confessionis præconio nefandæ blasphemiæ redimatur impietas, vt in spiritu dilectionis & pacis Beati viri merita pariter prædicemus.

Miracula quippe quibus largiente Domino sacri corporis eius illustratur sepulchrum, meritorum ipsius certa sunt dubitantibus argumenta. Ergo hæc fidelibus & maliuolis, si qui restant, qualibus supra quantum Dominus dedit occurrimus, secundùm huius opusculi tenorem pro nobis respondeat, vt quemadmodum teste Apostolo, linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus, ita è conuerso signa sint non fidelibus sed infidelibus.

Ea ipsa die qua Beati viri corpus sepulturæ tradendum iacebat, vnus ex antiquioribus eius discipulis, cæteris circa pias exequias satagentibus, solus in partem secesserat, vt pote qui repentinam sui destitutionem præ diuturna consuetudine familiariùs pateretur. Hic cum imo luctus angore fessus & consternatus animo resedisset, vt solus ex tristitia somnus irrepsit. Et ecce diuinitus mentis sibi lumine reserato, igneum globum cœlo elapsum supra vbi corpus Sanctum iacebat, conspicit astitisse. Cuius splendore lucifluo vicina quam vehementius irradiarentur. Cumque ad tantæ visionis horrorem stuperet attonitus, adest cælestibus stipata leonibus inæstimabilis fœmina venustatis proprio fulgore, præuii luminis æmulans claritatem, quam ex vultus & habitus maiestate Reginam esse constaret. Hæc super feretrum igneo globo insistens manu porrecta iacentis dexteram appehendit, blandæ vocis alloquio vt surgeret & secum ascenderet cohortatur. Ita manibus consertis recto in cœlum itinere gradientes, comitante se lumine, cum iam ætheris confinia tangere viderentur, emissa desuper ingenti dextera, cæloque patente recepti sunt. Hanc Domini fuisse matrem nulli fit dubium qui deuotam sibi animam post vitæ præsentis decursos rite labores cœlestibus Christo suscipiente gaudiis, introduxit. Eius quippe se

vir Sanctus post Christum specialiter obsequio manciparat, eámque viuens in carne tam impatienti specialiter diligebat affectu, vt ab eius laudibus etiam cum de alieno ageretur temperare non posset. Vt ad eius memoriam etiam animo vigilaret dormiens maiestas signanter enituit.

Item vir quidam Vellauensis incola territorii febribus quartanis biennio continuo carpebatur. Hic cùm implorandæ sanitatis desiderio multas diu Sanctorum memorias circuiens peroraſſet, consumpto frustra studio periculosam ægritudinem intempestiui laboris molestia, cumularet. Nec vel suæ infidelitatis culpa vel patronorum impotentia fallebatur. Sed B. Rotberti meritis vt postmodum claruit diuinitus seruabatur. Nam cum ipso tumulationis eius die ante sacri corporis locum quo eum peruagata circumquaque venerandi obitus fama inter promiscuas turbas properanter adduxerat, humi prostratus non sine certa impetrandi fiducia, sanitatis remedium diutius imploraſſet, inter orandum somno cælitus illabente, leuiter obdormiuit. Cum interea secreto diuinæ pietatis affectu per beati viri merita venarum calefactis meatibus pigri diu frigoris vis noxia cœpit resolui, & toto corpore patentibus poris sebrilluis sudoribus pariter emanare. Sensit exonerata dormiens natura remedium, & hoc absque medici curationis molestia omni repente liberatus incommodo, alterum se mirans resurgere sibi videretur dum euigilat. Quantas tunc Deo pro recepta sanitate grates egerit, quantis Rotbertum vocibus inclamarit, solus ex eius gaudio poterit æstimare, qui gaudium ex præeunte molestia mensurauit. Sicut enim plus gaudet, qui maius euasit periculum, ita maiores agit gratias, qui plus gaudet. Huius ergo tantæ virtutis opinio tam eorum ore qui viderant, quàm & qui crediderunt, referentibus per regiones finitimas celeriter diuulgata languidorum debiliúmque greges ad sacrum Beati viri sepulchrum velut dispensandarum gratis sanitatum largifluam quandam ac propagatam nuper cunctis languentibus officinam, diuersis pariter itineribus adducebat.

Inter quos miserum quendam senem cuius infortunio ad duplex senectutis & paupertatis incommodum grauissimum planè pessimúmque cæcitatis accesserat anxia tori consors ad sepulchrum statuit Confessoris. Vbi dum per triduum cæcus ille indefesso studio mentis oculos fixus in Christum Rotberti nomen, cuius fidebat patrocinio, sæpius iterat, nec vel momentum sibi relaxaret à precibus, offensa mulier importunâ viri vt videbatur garrulitate, Desine, inquit, tandem præferentibus inferre molestiam, si quiescenti facere non times iniuriam: nam qui te non putas à Sancto nisi clamores improbius exaudiri, dum lumen imploras amissum, quem sic pulsu infamas auditum. Nec mereris impetrare quod oras dum velut surdo, surdo cæcus improperas, expecta potius cum silentio & in cordis cubiculo funde preces. Hanc ille vocem sic indignabundus exhorruit, vt eam non tam fœminæ simplex eloquium, quàm fraudulentum serpentis sibilum iudicaret. Parce, inquit, parce mulier stultè loqui & impiam blasphemiam imagine fidei palliare. Sustine, delicatas aures suspicaris Sanctorum, vt eas nimiis putes clamoribus enecari, immo edocti diuino Christi magisterio quod non dant amico plerumque roganti, tandem largiuntur improbo pulsatori. Statimque conuersus ad Sanctum pium nomen exclamare cœpit instantius. Imitatus Euangelicum cæcum, quem turba magis accendebat in preces, increpans vt taceret. Mota iam dudum pietas Sacerdotis, potestatem à Deo restituendi cæco luminis impetraret. Sed probat petentis fidem dum differt dare quod petitur, simul beneficium plus desideratum fit gratius. Dum igitur homo persistit in precibus, occulta virtus manifestatur, cepitque densa caliginis nubes auelli, vt velut distante iam spatio oculis mirantibus cum lucem nondum viderent sua cæcitas apparere velut si lucem videntibus velamen obtendas, admouit homo festinus palpitantibus oculis manum & mirum in modum nil tangens quicquid officiebat detersit. Illuxit diu sepultis orbibus lux mirabilis & totam mox reddit corporis accensi substantiam clariorem. Rupit ergo seipsam non capiens gaudii mensura silentium, & noui in semet miraculi congruus prædicator per totam repente Basilicam cœpit mixtis laudibus intonare.

Ecce & aliud miraculum sanctitatis eiusdem documentum. Ex Lemouicensi pago misera quædam xx. fere annis maligni spiritus frequentibus incursionibus deuastata tandem ad Beati viri sepulchrum à fidelibus personis adducitur. Sanè non illam continua vt solet fatigatione vexare vis inimica consueuerat, sed minorem

chronicæ

chronicæ passionis grauius post interualla torquere. Itaque dum ante sacri corporis locum, velut ante pium iudicem reus absolutionis suæ sententiam, suspensis qui aderant omnibus expectaret, tantis repente toto corpore conuelli cœpit tremoribus, vt mortem potius expectandam horrenda supplicii facies intentaret. Trepidabat nimirum inuisibilis nequitia spiritualis, & dum male inuasam substantiam velut improuiso superuentu territa festinat dimittere, occlusis exitibus vndique circumcursans, carcerem suum concutit tremebunda. Nam retinet ad tempus vt torqueat censura prædonem, simulque futuræ mox purgationis miraculum ostensa præoculis pestis horrenda magnitudine commendatur. Dum igitur in hac tam fæda specie miserandum adstantibus aliquandiu propriæ calamitatis præbuisset spectaculum, subito fœmina prorupit in vocem, & iteratis sæpe clamoribus Sancti Roberti cœpit adiutorium inuocare. Interea mansionarius acceptam sacræ conspersionis aquam in os vociferantis rorauit, & velut imbre cælitus misso huius passionis totum subito restrinxit incendium. Collapsa igitur mulier pauimento iacuit aliquandiu sine sensu, vt planè cunctis nil aliud quam mortua videretur. Nec magnum negotium erat Sancto viuacibus meritis suscitare mortuum, si forsitan quod videbatur hoc erat. Redeunte itaque vel anima, vel sensu, vel parum apertis oculis, cum quiete in modum antiquæ illius Tabitæ resedit, & de recepta mentis & corporis sanitate seruo Dei Rotberto quantas poterat gratias referebat. Tunc præsentes qui aderant & rei exitum iam dudum stupidi sustinebant, viso tanto támque patenti miraculo certatim Dei laudes piis clamoribus intonabant. Sed & mulier ad patriam reuersa incolumis, miræ virtutis exemplum quod senserat ipsa circumtulit.

Item vir quidam Forensis territorii patriota filiolum situm iam multo tempore neruorum contractione damnatum, vt non gradiri sed repere videretur ad sepulchrum Beati viri pro eiusdem suæ sobolis sanitate pias preces fusurus aduexit. Itaque per vnius Hebdomadis spacium lachrymis insistens & votis diuinæ miserationis opem fideliter expectabat. Interea die quadam dum fratres Missarum celebrarent officia, cœpit parum neruorum subitis motibus agitari, & vt torpida diu crura tentatet extendere, & ecce quodam impetu cum fragore cutis extendebatur & nerui, vt iam vel si conaretur non posset desistere. Sine dubio vis cœlestis arcta vnius captiuæ diu naturæ vincula dirumpebat, & quod exercebatur, non erat in hominis potestate, erigitur statim desuetos claudus in pedes & vacillanti primùm incessu cogitur ambulare. Accurrunt illico lachrimantes præ gaudio qui cernebant, & iniectis vndique manibus cum Dei laudibus erectum ad altare perducunt. Fit tale gaudium apud omnes quale vtique supernæ præsentiæ manifestatio & probatio merebatur. Super omnia tamen præconia patris vox gratulabunda festiuius resultabat cui causa lætandi propensior maiorem dabat materiam declamandi. Sic cum filio solidatis basibus iam non claudus reuersus ad propria grande miraculum patriis finibus introduxit.

Ex oppido quod Ceresium nominatur, eques non ignobilis filiam habebat, quæ fædum in modum facie tumefacta geminis etiam iamdudum capta luminibus duplicis incommodi graui sarcina premebatur, visum est patri post tempus, qui puellæ miserias mœstis visceribus indolebat, vt eam ad sancti viri sepulchrum dirigeret, vbi multos recipere sanitatem celeberrima iam fama vulgauerat. Ducta est cæca ad sanctum liuidis tumoribus faciem deformata & post modicum redit videns in pristinam decori vultus imaginem reparata. Nam dum precibus assiduis pulsat Deum, quales sibi contriti cordis dictabat afflictio dum Beati Rotberti nomen & merita sæpius contestatur vnus ex fratribus custos ædis de vultu gestientis colligens supplicantis affectum, admouit etiam vocibus aurem, statimque pietate permotus ingemuit, & velox affectu vinum quo fuerat lotum corpus sancti detulit festinanter, eoque totam faciem pauitantis respersit. Verùm illa vbi persensit auxiliares sacrati laticis guttas, idem sibi fieri sæpius postulabat. Quod cum per dies aliquot factum esset, integram recepit fœmina sanitatem. Redit ad suos facie collustrata, quam nec videri iam pudeat, nec videntibus necesse sit inuidere. Gauisus est pater visa filiæ sanitate, gauisa familia cum vicinis, & totum simul oppidum communibus votis in Dei laudibus exultauit. Nec Beati Rotberti siluere præconia, qui causam miseræ in ore suo strenuus internentor susceperit. Notus est vicus quod Monasteriolum vocant indigenæ, habitat hic miles filiam habens quam miseris

modis sæuus spiritus agitabat. Hic non tantum tetrisono fremitu vel gestu horrendo, seu verbis spurcissimis significabat insaniam, verum quos posset manibus impetebat. Neque parcebat vel sibi si quando alios inuadendi copia non daretur. Nec vero qui se patrem genuerat, agnoscebat, nisi quod latentis inimici suggestu maioribus illum quàm cæteros contumeliis infestabat. Sed quanto grauioribus pulsasset iniuriis tanto magis in miseram paternæ pietatis viscera mouebantur. Spectabat infelix in corpore filiæ pœnam suam, & quodammodo tormentis grauioribus angebatur. Sentiebat enim iste mente sana quod plangeret, cum apud illam ipsius sensum doloris absorbuisset insania. Illa toruos vultus & perfusorum rabie cruentas acies oculorum secura versabat, mœsti parentis pallidas genas vberibus lachrymis lumina madefacta genus spectaculi miserandum effecerat. Rictus tetrificos & spumas furentes & rotatæ ceruicis tortiles gyros, & implexi capitis horridas comas, & quicquid aliud in nescientis corpore flebile cernebatur, totum in se transferebat pia compassio genitoris.

Inter hæc cum nulla pateret via remedij sæuum dolorem exacerbabat plus ipsa desperatio sanitatis. Sed cum in tantis tristitiæ fluctibus iactaretur, flauit subito ab amicis aula salutaris secunda consilij ad sancti viri sepulchrum puellam dirigere quo nullius petentis fides iusto desiderio fraudaretur. Statim in spem certam erectus, hanc esse salutis filiæ velut attingendi littoris vnicam viam, parat famulos & ancillam & quæ necessaria videbantur, impositamque puellam vehiculo ducifestinanter iubet ad Sanctum membris iam omnibus impeditam, ne more suo prosiliens quoslibet obuios sauciaret. Iter illud medium quo tendebat Ligeris fluuius dirimebat, cuius vtique rapidos fluctus solent etiam sana capita formidare. Hic vincta cœpit habere iam melius & vultu tranquillo verbis mitibus comites appellare. Nimirum virtutis hoc erat non naturæ remedium vbi poterat lymphata maximè nata terreri. Quare, inquit, me pannis velut mortuam inuoluistis? Soluite quæso defessam, nec vltra velitis innocuam coercere. Sic soluta confestim toto interuallo mente placida conquieuit. At vbi ad sacrum tumulum velut ad locum examinis est perducta, silere non potuit qui latebat, dum purgandos remotarum fibrarum sinus violenta rimatur discussio, pestis improba fremere cœpit dentibus & grassari, & post paulo amittendam substantiam modis omnibus fatigare. Nam post triduum fraus expulsa omnes causas molestiæ secum tulit. Redit in statum pristinæ sanitatis paulatim recreata natura, & post modicum plusquam sospes ad patris domum vires suas admirans ipsa reuertitur. Quid intulerit gaudii crediderim temperasse qui simplici erga miseram communis naturæ mouebantur affectu. Quanto amplius paterna pietas gestiebat quam communis & propria cohortabatur afflictio. Nec immerito sanctum Domini Confessorem multimodis laudibus extulerunt, cuius meritis glorioſis tanta diuinitus miracula sunt concessa.

Quæ ne fortè cuipiam dubia videantur, quid in hac parte contigerit, placuit in vltimis recitare. Cum talium fama virtutum apud Alpes Maritimas increuisset & in Sancti Rotberti præconia corda & linguas accenderet populorum, Archipræsul illius Prouinciæ vir moribus æquiparans dignitatem indignum ratus si leuis vulgi vanis rumoribus Pontificalis grauitas fidem protinus adhibeat, statuit non indiscussum dimittere quod ad publicum vel errorem vel meritum pertinere constabat. Fuerat sanè Beato virum dum in carne viueret diu notus & amore similium studiorum iunctissimus.

Facto igitur vt res petebat congruo itineris apparatu profectus est ire, non quidem voto increduli tentatoris, sed probandæ potius studio veritatis. Venit ergo cum comitatu exemplo Reginæ Austri ad locum probaturus, sicut illa sapientiam, sic iste potentiam Salomonis, susceptus est hospitaliter vt decebat, sicque vbi visum est opportunum ingressus in Monasterium fieri sibi copiam postulauit. Factum est protinus vt petebat, obseratisque foribus ædis, solus ipse remansit intrinsecus. Ibi totus effusus in preces S. Rotberti sepulchro aduoluitur, & præ igne feruidæ charitatis liquefactus in lachrymas & ex medullis cordis inuocat verum lumen vt sibi dignetur manifestius reuelare. Si verè absque aliquo suspicionis ambiguo diuina potentia tantam B. viro miraculorum gratiam contulisset, præsentibus sæculis insuetam. Dixit etiam multa conuersus ad sanctum, sicut ei parturiēs preces anima suggerit, nec cessauit matrem Virginem inuocare, nec Spiritus Angelicos prætermisit. Interea dum precibus addit

Digitized by Google

preces, diuina protinus manifestatur responsio non formata elementariis verborum sonis, sed euidentibus rerum constans indiciis. Contractam diu corpore toto puellam quæ ad sepulchrum sancti, sicut postulauerat, portabatur, nutu Dei confluens vndique communibus votis populus sequebatur, pulsantibus apertæ sunt fores, & introgressa prosequens multitudo, vix bene deposita tetigerat pauimentum resolutis neruorum votis, dirupta cute poplitum, surgit in pedes, & per totam Basilicam gressum mouens rudimenta gaudet noui muneris exercere. Tollit populus voces in cœlum & læto tumultu personant vniuersa. Stat in parte stupefactus Episcopus, & de pristinæ pietatis scrupulo non tantùm consono multorum testimonio, sed oculari etiam fide confunditur, agnoscit etiam tacitus gratiam quam petebat, & tam cito se exauditum miratur. Ne tamen aliqua prauæ suspicionis relinqueretur occasio, duplicato protinus miraculo confirmatur, vt quasi legitimus testimonii numerus non deesset. Nam vix bene de priori gaudio tumultus resederat, cum ecce non parua comitatus caterua cœtus ab ortus pii adducitur & omnium qui aderant in se mentes & ora conuertit. Nec mora, statuitur ad sepulchrum, oratur pro illo à populo & expulsa statim caligine, mirantes oculos penetrat lux ignota. Exoritur rursum lætitia, rursum gratiæ, rursum voces, miratur Episcopus repetito, cuius mentis pristinæ cæcitati similis materiæ virtus alludit. Opponitur cæcitas dubitanti & illuminato credulitas respondet. Nullus iam locus relictus erat ambiguo & vltra intenta euidentia nullus Thomas poterat. Erumpit ergo corroboratæ fidei proiectus in vocem & in aures omnium sonat & sonet verax confessio. Plus, inquit, hæc video quam audiui, & est longè inferior opinio veritate. Reuersus est Præsul ad propria, reportans pretiosæ confessionis diuitias & dans gloriam Deo cœli, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Ex Martyrologio Ecclesiæ S. Iuliani Briuatensis in Aruernia hæc mihi videntur addenda.

Aruernensi territorio depositio S. Roberti Abbatis. Hic glorioſus Confessor Ecclesiæ B. Iuliani Briuatensis Canonicus fuit, ac in ea Thesaurarii officio functus est, ibique virtutum incrementis proficiens, meritórumque gratia celsior effectus ad montem, qui nunc Casæ-Dei dicitur, se transtulit. In quo loco aggregatis discipulis, Monasterium insigne constituxit tempore Leonis noni Romanæ sedis Præsulis & Henrici Regis Francorum qui regnare cœpit anno Dominicæ Incarnationis MXXXI. Tandem vitæ exemplis & doctrinâ fulgens cœlestia petiit, terras etiam miraculis illustrans, ibique sepelitur.

CATALOGVS ABBATVM CASÆ-DEI.

Anonymo Auctore Monacho eiusdem Cœnobij.

1. SAnctus Robertus ex parentibus liberis natus nationè Aruernus fuit primus Abbas & Fundator Casæ-Dei, qui ibi præfuit quindecim annis, obdormiuitque in Domino, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexagesimo octauo, & die vicesima quarta Aprilis, sepultus in eodem loco, cuius translatio celebratur decima nona Octobris. Hic diuus Confessor claruit vita & miraculis, prout fusè declaratur in descriptione ipsius diuinorum operum.

2. Dominus Durannus fuit secundus Casæ-Dei Abbas, tandem Claromontensis Episcopus, quo in Episcopum assumpto, electus fuit inuitus beatus Adelelmus, qui virgam pastoralem Seguino reddidit, etiam ob id in Catalogo Abbatum relinquitur. Hic Durannus apud Claromontanos jacet qui obiit 13. Calend. Decemb. in cuius morte interfuit Vrbanus II. qui ibidem Concilium generale tenuit, vbi fuit ordinatum quod Officium nostræ Dominicæ in dies diceretur. Idem Vrbanus tunc dedicauit Ecclesiam Cœnobii nostri veterem in honorem Sanctorum Agricolæ & Vitalis 15. Calendas Septemb. cooperantibus multis aliis Prælatis, quemadmodum fatetur in quodam priuilegio nobis concesso anno Domini millesimo nonagesimo sexto.

3. Seguinus Deſcerray, qui dicitur Sanctus, iacet apud Auenionem, obiitque Idibus Iulij: fuit tertius Abbas.

4. Pontius de Tournon, qui etiam dicitur Sanctus, etiam Anicienſis Epiſcopus fuit, in ordine Abbatum quartus, iacet apud Rocham-pauperem Prioratum in Delphinatu: obiit viij. Kalend. Febr.

5. Aymericus fuit quintus, tandem Claromontenſis Epiſcopus: vbi iacet, obiitque decimo tertio Kalendas Maij.

6. Dominus Stephanus de Mercurio, qui iacet iuxta altare Sanctarum Virginum ad ſiniſtram partem, fuit ſextus Abbas. Is meritò dicitur ſanctus, cuius ſanctitas miraculis effulſit, vt patet in eius legenda. Obiit 4. Kalendas Aprilis.

7. Dominus Iordanus de Monte Buxerio, qui iacet poſt Beatum Stephanum de Mercurio, fuit ſeptimus: obiit octauo Calendas Decembris, de quo Petrus venerabilis Cluniacenſis Abbas lib. 6. Epiſtolarum Epiſt. 13.

8. Pontius de Bello-diſnario iacet in Valle Ioſaphat iuxta ſepulchrum Beatæ Mariæ Virginis, fuit octauus, & etiam dicitur ſanctus, obiit 2. Calendas Maij.

9. Guillelmus de Torent qui iacet in Crota mortuorum inter maius altare & Capellam B. Mariæ: fuit nonus: obiit 2. Idus Octobris.

10. Bernardus Yſarim, qui iacet in dicta Crota, iuxta dominum Guillelmum, fuit decimus. Obiit 8. Calend. Octob.

11. Lancelinus, qui fuit Valentiæ Epiſcopus, apud Valentiam iacet: fuit vndecimus, obiit 15. Calend. Iulij.

12. Dalmatius de Cucia, qui iacet ante altare Sanctorum Confeſſorum ad aquam benedictam, fuit duodecimus, obiit 4. Nonas Iunij.

13. Stephanus de Breſons fuit decimus tertius.

14. Bernardus de Valons, qui iacet apud Pertiniacum veteris, fuit decimus quartus.

15. Hugo Danglars apud Marengne iacet, fuit decimus-quintus, obiit 4. Idus Octob.

16. Armandus de Breſon, qui iacet ad dextram partem altaris Sanctarum Virginum, fuit decimus ſextus.

17. Geraldus de Monte-claro retro Chorum ad altare Sanctarum Virginum, fuit decimus ſeptimus.

18. Guillelmus de Boſſozello, qui iacet apud Andanciam, fuit decimus octauus. Obiit 8. Idus Iulij.

19. Bertrandus de Pullyac, qui iacet in Capella B. Mariæ, fuit decimus nonus. Obiit 4. Calend. Nouemb.

20. Albertus de la Moleta iacet in Preſbyterio maioris Eccleſiæ, iuxta altare B. Mariæ ad partem ſiniſtram, fuit viceſimus, obiit Octob.

21. Ebbo de Monte-Claro fuit viceſimus primus.

22. Aymoynus de Lacula fuit viceſimus ſecundus, hic ſtatuit cum conuentu de Antiphonis S. M. V. poſt completorium dicendis.

23. Hugo de Arcu viceſimus tertius extitit.

24. Ioannes Chandorati viceſimus quartus, Anicienſis Epiſcopus, qui iacet in Capella B. Mariæ Collegij iuxta altare ad partem ſiniſtram, de quo vide in procemio Benedictinæ inſtitutionis.

25. Rigaldus, aliter Reginaldus, fuit viceſimus quintus.

26. Petrus de Agrifolio fuit viceſimus ſextus, tandem Epiſcopus Claromontenſis ſecundùm aliquos, vel Auenionenſis vt in terrario dicitur, in octauis S. Benedicti.

27. Stephanus Domalei fuit 27. poſtea Toloſæ Archiepiſcopus.

28. Stephanus de Agrifolio fuit viceſimus octauus.

29. Guillelmus Gauterii fuit viceſimus nonus, qui fuit poſt tranſlatus & factus Abbas S. Medardi de Soiſſons.

30. Guillelmus de Vlmo fuit trigeſimus, qui bullam obtinuit à Domino Gregorio Papa XI. qua Monaſterium iſtud fuit diminutum de mille florenis in Camera Apoſtolica.

31. Dominus Andreas Ayrandy decretorum Doctor fuit trigeſimus primus, ſepultus in magna Eccleſia iuxta vas Comitis Belli-fortis, qui multa bona contulit huic Monaſterio in veſtimentis aureis, & multis aliis.

32. Hugo de Chouiny, alias de Blot, fuit 32. qui nepoti retenta penſione reſigna-

Digitized by Google

uit. Hic etiam multa bona contulit Monaſterio.

33. Reginaldus de Blot fuit 33. hic iura Eccleſiæ viriliter defendit, maximus amator hoſpitalitatis.

34. Iacobus de Sancto-Necterio fuit 34. obiit xxiiij. Octob. ſequenti verò die fuit ſepultus ante gradus altaris magni anno humanæ ſalutis 1518. hic Abbas ſuperauit cæteros in magnificentia, muneribus & donis erga noſtrum Monaſterium, ab eo electio finiuit, & fuit vltimus Ordinis noſtri.

35. Dominus Adrianus de Boiſy, Cardinalis & Legatus Apoſtolicus, fuit 35. qui adhuc viuens huiuſmodi Abbatiam reliquit ad aliam vocatus.

36. Dominus Franciſcus de Tournon Cardinalis Auxitenſis, inde Lugdunenſis Archiepiſcopus, fuit 36. qui reſignauit illuſtri ſuo nepoti Epiſcopo Viuarienſi Carolo de Tournon, retenta omnimoda Abbatiali adminiſtratione, quorum laudes eximias malo ſilere, quàm exili ſtylo recenſere.

37. Henricus d'Angouleſme filius naturalis Regis Henrici ſecundi, magnus Prior Galliæ, Ordinis Sancti Ioannis Hieroſolymitani, fuit 37..

38. Carolus de Valois Abbas Commendatarius fuit 38.

39. Antonius d'Vrſé, Religioſus Profeſſus noſter, fuit 39. etiam fuit Epiſcopus Sancti Flori.

40. Nicolaus de Neufuille fuit Commendatarius 40.

41. Dominus Ludouicus de Valois eſt adhuc florenti adoleſcentia, eius tamen excellentiſſimum & florentiſſimum ingenium promittit magna & plurima.

Hæc Auctor ille Anonymus ſcribebat ante aliquot annos qui & ſubiunxit.

Multos alios perilluſtres viros genuit Caſa-Dei, inter quos fuit S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus à quo D. Bruno habut Carthuſiam.

Fuit D. Adelinus à noſtro Monaſterio vocatus in Hiſpaniam à Regina Conſtantia, vbi multa miracula præſtitit, pluréſque domos fratrum noſtrorum inſtituit, quarum nominatio pertinet ad Abbatem Caſæ-Dei.

Fuit Clemens VI. Summus Pontifex qui iacet apud nos in tumulo magnifico eminenti in medio Chori & templi ampliſſimi & altiſſimi, quod fuit inſtructum ipſius impenſis. Cardinalis Guillelmus eius nepos iacet etiam in noſtro templo ad pedes auunculi inter tumulum Reginæ & Papæ.

VITA SANCTI SACERDOTIS Epiſcopi Lemouicenſis.

Editam ex veteri Codice MS. anno ſuperiori Tutellæ Lemouicum ad calcem eruditæ Diſquiſitionis Stephani Baluzij Tutellenſis de ſæculo, quo vixit idem Sanctus Epiſcopus, contulimus cum Apographo Sanctoralis B. Bernardi Guidonis Ordinis Prædicatorum Epiſcopi Lodouenſis, in quo nulla apparet vitæ in capita diſtributio: quam hic tamen ad maiorem Lectoris opportunitatem non prætermiſimus.

CAPVT I.

BEatus Sacerdos nomine viceſimus nonus poſt Beatum Martialem Epiſcopus in Lemouica ſede, ex Aquitania prouincia oriundus, ex clara ſtirpe duxit originem: cuius pater vir clariſſimus, Laban nomine, fuit vnus de primoribus Burdegalæ ciuitatis, mater verò Mundana nomine nuncupabatur. Regnabat autem eodem tempore in Aquitania Rex Anticius ſeu Auticius nomine. Qui veniens ad quendam vicum, nominatum Calabrum, ſitum inter Caturcenſium & Petragoricorum fines, non longè à fluuio Dordoniæ: aſſiſtens ei Laban rogauit eum, vt dignaretur filium eius vnigenitum recenter natum de ſacro fonte baptiſmatis ſuſcipere; cui Rex gratulabundus annuit ſe facturum. Tunc feſtinus Laban filium ſuum attulit, quem Rex à ſacro fronte ſuſcepit & dedit ei præfatum vicum Calabrum, in quo hæc gerebantur, iure hæreditario poſſidendum. Vocatúſque eſt puer in baptiſmo Sacerdos nomine, magnus futurus in Eccleſia Epiſcopus & Sacerdos.

CAPVT II.

Traditus est autem puer S. Capuano Caturcensi Episcopo ; viro inter Præsules Aquitaniæ præcellenti ; vt eum literis & Christiana institueret disciplina. Sic igitur iam nominis dignitate, parentum nobilitate, dono regio, sanctique Præsulis magisterio, dilectus Domini Sacerdos decoratus est in infantia. Transactis denique annis puerilibus, dum doctrinis salutaribus insisteret, & pubescentes annos maturitate transcenderet ; cœpit cunctos coætaneos suos virtutum præconiis præcellere. Vnde venerabili Capuano, sub cuius degebat magisterio, admodùm charus erat, & ei semper assistens doctrinam, quam ab eo hauriebat, in suo pectore recondebat. Astutiam eius simplicitas commendabat, & vrbanum eloquium modestia temperabat. Cùm autem iam metas attingeret iuuentutis, in ipsa feruenti ætate cœpit castitatis amator existere, mundique delectamenta spernere. Memoratus autem Capuanus Episcopus per angelicam admonitionem ordinauit eum Leuitam. Post quam ordinationem cœpit magis virtutum iubare clarescere, & Deo per mysterium Ecclesiasticum exteriùs & interiùs sedulò ministrare, & eleemosynas indigentibus largiùs erogare.

CAPVT III.

Erat per idem tempus in præfato vico Calabro Cœnobium, in quo quadraginta & amplius Monachi morabantur, quibus dilectus Domini Sacerdos de propriis facultatibus sedulò ministrabat : & renouatâ ibi primùm Basilicâ, longâ iam vetustate penè consumptâ constituxit ibidem habitacula Monachis apta. Contulit etiam eidem Cœnobio præfatum vicum Calabrum cum appendiciis suis. Cùm autem quadam die ex more prostratus oraret, emissa est vox diuina ad eum dicens : ô dilecte meus Sacerdos, ingredere Cœnobium nihil metuens ; quia in ordinem religionis Monasticæ elegi te, & quoniam te vas sacrificatum ab ipsis cunabulis exlubuisti mihi, angelicam custodiam deputaui tibi. Ad hanc vocem cœpit continuò magnus Leuita Sacerdos Deo gratias agere, eò quòd ab eo meruisset cœlitùs confortari : assumptóque religionis habitu propositi sui normam perfectè custodiuit in mentis puritate, & morum honestate, ieiunijs & lectionibus sanctis intentus. His operibus & humilitatis priuilegio pollens, sub Abbatis regimine per septem circiter annos ante Presbyteratus ordinem Domino militauit.

CAPVT IV.

Per hos dies vir domini Sacerdos præfati Monasterii fratribus præfectus in Abbatem, quibus vt seruus omnium seruiebat & vt iudex peritus crimina arguebat : minimus inter omnes apparere studebat, quos doctrinis salutaribus & regularibus disciplinis instruebat. Crescebat quotidie fama eius famulatrix virtutum, confluebántque ad eum ex diuersis regionibus quidam, vt exemplo eius fierent meliores; quidam verò vt inuiserent spectabilem virum, alii autem vt alimenta perciperent ab eodem, & alii vt animas suas eius orationibus commendarent. Cura pauperum & peregrinorum ei inerat, & cum alacritate eis impendebat quicquid sibi subtrahere potuisset, vnaque admodùm vili veste sui ordinis contentus nudos vestiebat ; & cùm sibi parcus existeret, cæteris largus erat. Interea factus est Presbyter, & quotiens sacra mysteria peragebat, sese lachrymis in oratione perfundebat.

CAPVT V.

Interea sanctitatem eius voluit diuina pietas miraculorum genere declarare. Erat siquidem in præfato vico Calabro homo quidam leprosus. Factum est autem vt quadam die vir domini Sacerdos ab angelo moneretur ; quatinus eum visitaret, & lotis manibus omnia ægritudinis eius loca palparet. Quod cùm fecisset, oratione præmissa, leprosum continuò restituit sanitati. Habitatores verò loci illius & omnes populi regionis circumuicini hoc audientes Deo gratias inferebant beati Sacerdotis merita collaudantes. Mundana quoque mater eius hoc audito miraculo, benedicebat dominum, & corde compuncta, cuncta deinceps spernens sæculi oblectamenta, desiderabat filii sui vestigia imitari, direxítque nuntium ad Laban

Digitized by Google

virum suum, accersiens eum de Burdegala ciuitate, significans ei quod factum fuerat signum per filium suum.

CAPVT VI.

Erant autem Laban & Mundana vxor eius inclyti secundùm sæculi dignitatem & opibus opulenti. Quadam igitur die venerabilis Mundana ad pedes viri sui procidens cum lachrymis precabatur: vt ambo pariter felici commercio pro terrenis cœlestia mercarentur, & Sancti Sacerdotis filii sui vestigia sequentes, sicut pariter vixerant mundo carnaliter, ita deinceps viuerent Deo spiritaliter. Quam petitionem Laban compunctus libenter exaudiuit. Diuiserunt igitur in duas partes cunctam substantiam sui iuris, & vnam quidem Ecclesiæ Christi tradiderunt, alteram verò pauperibus & peregrinis erogauerunt. Seruos ac vernaculos suos liberos fecerunt, & reliquam vitam suam domino dedicauerunt spiritu feruentes; Domino seruientes.

CAPVT VII.

Quadam die conuenienti viro Dei Sacerdote more solito ad horam orationis secundam pater eius Laban migrauit à sæculo; cúmque hoc ei nuntii venientes indicare voluissent, ipse adeò deuotissimè orationi instabat, vt neminem eorum respiceret, donec orationem finiret. Completa verò oratione, patrem adiit iam defunctum. Cúmque defunctum in medio expositum inuenisset, interrogans horam defunctionis, eius inuenit eadem horâ illum obiisse quâ ipse ad orationem processerat: matrémque, & parentes, ac vicinos consolatus est. Cùm autem percepisset quòd non suscepto viatico Dominici corporis transiuisset, cum ingenti mœrore, in terram protinùs se prosternens orauit diutiùs, deinde manu defuncti apprehensâ semel & secundò vocauit eum nomine suo, qui continuò ad vocem eius, tanquam si dormiret, exurrexit, & circumstantium intuens multitudinem, ait: horâ siquidem præsentis diei secundâ à sæculo migraueram, sed filii mei meritis concessum est mihi vt iterum ad superos remearem. Hæc eo loquente, stupebant cuncti qui aderant, & sublato clamore ad cœlum, Deo gratias referebant; cúmque siluissent, Sanctus Sacerdos sacram communionem patri dedit. Quâ percepta vir Dei Sacerdos coram patre suo sese proiiciens, ad similitudinem Patriarchæ Iob, paternam benedictionem petiit ab eodem; cui cùm pater benedictionem dedisset, iterum mox in pace quieuit.

CAPVT VIII.

Fama verò Sancti Sacerdotis & odor sanctæ conuersationis eius diffundebatur vndique per finitimas regiones. Vnde defuncto Lemouicensi Episcopo beatæ memoriæ Aggerico, vir Dei Sacerdos electione cleri & fauore populi in cathedra eiusdem Ecclesiæ Episcopus sublimatur, regnante Clodouæo Rege (forte excidit, æquiuoco illi, aut quid simile, vel inepti exscriptoris glossema fuit, vnde postea adiecta quæ ad calcem cap. xi. habentur de tempore quo floruit) quem Beatus Remigius baptizauit, eandémque Lemouicensem Ecclesiam per annos aliquos, fauente Dei prouidentiâ gubernauit: Sentiens autem Dei Sacerdos & Pontifex sancto sibi spiritu reuelante extremum diem sui obitus imminere, valedicens fratribus, ab vrbe Lemouica discessit, & natale solum vicum Calabrum repetere studuit. Ibi namque cupiebat vt eius conderetur corpusculum, vbi religionis sumpserat exordium.

CAPVT IX.

Recedens autem ab vrbe Lemouica venit ad quandam villam, quæ Argentacum seu Argentocium, vocatur; ibíque iamdiu maceratus dolore, graui febrium afficiebatur acredine; sed cùm paululùm respirasset, ouorum edulium postulauit. Discipuli verò eius per omnes villæ illius incolas oua quærentes, sed nullum inuenientes, magistro suo retulerunt. In eadem quippe villa miluorum & accipitrum hactenus infesta voracitas ita gallinas consumpserat, vt vix ibi aliqua potuerit perdurare. Quod vbi vir sanctus comperit, villam illam ab importunitate auium rapacium exemit dicens: in ambitu huius villæ nulla deinceps auium rapacium gallinas audeat infestare. Cuius serui Dei edictum inuiolabile permanet in æternum.

CAPVT X.

Videns autem Sacerdos Præsul sanctissimus supremum sibi illuxisse diem, discipulos in vnum conuocauit, corpúsque suum Ecclesiæ, in qua religionis sumpserat exordium, mandauit vt in ea traderetur Ecclesiasticæ sepulturæ. Deinde susceptis diuinis mysterus & viatico Dominici corporis exitum suum præmuniens, post sacræ exhortationis verba, spiritum reddidit Deo Patri III. Non. Maij. Discipuli verò eius præceptum magistri implere satagunt, corpúsque eius naui imponunt, & per Dordoniæ alueum iter arripiunt, & ad prædictum vicum Calabrum & Monasterium deferunt tumulandum. Cùm autem appropinquarent ad diuersorium beatæ memoriæ Mundanæ matris eius; ecce ipsa luminibus orbata filii sui tendebat ad exequias. Quò cùm manibus famulorum sustentata venisset, mox ad littus fluminis diuinitùs lumen recipere meruit oculorum.

CAPVT XI.

Monachi verò præfati Monasterii de Calabro occurrentes & sacrum corpus de naui deponentes, suísque humeris imponentes, ad Ecclesiam & Monasterium, vbi Abbas extiterat & sepeliri elegerat, detulerunt. Flagrabat autem corpus viri Dei diuino nectare, ac si fuisset pretioso aromate; sicque in memorata Basilica & Monasterio de Calabro sacrum eius corpus fuit honorificè traditum sepulturæ. Floruit autem sanctus Sacerdos & Episcopus vrbis Lemouicæ Augustorum Anastasii & Iustini senioris, Iustinianíque temporibus sibi inuicem succedentibus: Clodouæo Rege filio Childerici Francorum & Aquitanorum tenente Monarchiam. Hoc etiam tempore floruerunt Monachorum legifer Benedictus, & sanctus Amandus & sanctus Vedastus Episcopi venerandi.

CAPVT XII.

Longo verò pòst tempore ab obitu Sancti Sacerdotis, dum piis lachrymis sancta Mundana filii sui mausolæum irrigaret, sub Vandalica persecutione, interemptione gladii impiorum occubuit & propter insuperabilem Christi confessionem Martyrium sustinens palmam Martyrii obtinuit. Portò corpus eius à fidelibus est collectum, & iuxta filii sui sancti Sacerdotis sepulchrum diligenter humatum: vbi diuinâ operante gratiâ, multâ miracula sunt patrata.

De Translatione corporis Sancti Sacerdotis apud vicum & Monasterium de Sarlato in territorio Petragorico.

CAPVT XIII.

Regnante & imperante Karolo Magno, & Ludouico Pio eius filio sub patris imperio in Aquitania regnante, multa Monasteria in Regno Aquitanico ab eodem Rege Ludouico fuerunt reparata, & quædam à fundamentis constructa. Hoc etiam tempore à religiosis viris restaurata est Ecclesia Saluatoris in vico Sarlatensi, in pago Petragorico; sicque factum est, Dei operante clementiâ vt Ecclesias, quas præfatus Karolus Magnus seu eius exercitus deuastando læserat, dum bellum ageret contra Gaiferium & Vnaldum, qui post mortem Gaiferii Aquitaniam occupauerat, Ludouicus prædictus filius eiusdem Imperatoris repararet: quas ipse pius Imperator Karolus Magnus immensis auri & argenti ponderibus gemmarúmque pretiosarum exornauit muneribus, & sanctarum reliquiarum patrociniis insigniuit. Inter Ecclesias prædictas ac Monasteria memoratus Princeps Karolus Magnus honestauit; imò sacrificauit Ecclesiam ac Monasterium de Sarlato, non modicâ portione ligni Dominicæ Crucis.

CAPVT XIV.

Eâ verò tempestate, Monachi Monasterii Sarlatensis ad superiùs nominatum vicum Calabrum iam penè in solitudinem redactum abeuntes nocte vnâ vtriusque scilicet S. Sacerdotis Confessoris & matris eius S. Mundanæ martyris, sepulchra confringentes, & eorum sacra corpora colligentes, & inde secum apud Sarlatum deferentes, intrà Ecclesiam Saluatoris digno cum honore tumulauerunt. Facta est, autem

autem prædicta Monasterij Sarlatensis restauratio, & prædicta sanctorum corporum translatio tempore Karoli Magni. Dies autem translationis istius non inuenitur tradita memoriæ literarum, nec etiam Dominicæ Incarnationis annus annotatus.

PASSIO SS. SAVINI ET CYPRIANI MARTYRVM IN AGRO PICTAVIENSI.

Ex veteribus Legendariis Lemouicensibus.

ANno Domini CCCCLVIII. Sauinus & Cyprianus fratres, è ciuitate Brixiâ oriundi milites, cùm in idolorum cultores, maximè verò Dionysij, tam Brixianos, quàm Amphipolitanos vicinos inuecherentur, vocati, & interrogati à Ladicio Proconsule, postmodum liberati de carcere, Augusto mouente ex Italia Lugdunum & Autisiodorum, vbi sanctum Germanum Episcopum reuertentem à Britanniis inuiserunt, Turonicum pagum, postremò Pictauum appulerunt, vbi ad locum dictum confluentem, Wartimpæ scilicet in Crosam, Exuentiũ viderunt Proconsulem Maximum exustione Ladicij agnati commotum cum ducentis satellitibus Italicis se persequentes. Inde transeuntes apprehensi sunt supra fluuiũ Wartimpæ, in loco seu vico, cui nomen Cercheus, vno milliario ab Antiniaco villa seu vico. Deinde deducti in insulam fluminis eiusdem, contra prædium quod dicitur Pselis, vbi sanctus Sauinus capite plexus cum decem viris, quos baptizare intendebat. Sanctus Cyprianus, & duo Presbyteri, Asclepius & Valerius perducti Antiniacum. Verùm duo Presbyteri, Asclepius & Valerius erepti de eorum manibus, tulerunt corpus sancti Sauini in montem dictum ad Tresqypressos, vbi olim Ecclesia S. Vincentij Martyris, Wandalicâ posteà persecutione deserta, in qua sepultum sancti Sauini corpus v. Idus Iulij: Cyprianus verò capitali sententiâ condemnatus, obiit pridiè Idus Iulij; cuius corpus circa Antiniacum prædium sepultum. Maximus verò cum suis arreptus à dæmonibus interiit in iisdem partibus miserè.

Atque hinc patet ab imperitis temporum scriptoribus aut conficta, aut saltem vitiata in plerisque fuisse Martyrum Acta. Eadem fermè reperies in Notis ad Litanias Pictauienses ab Illustrissimo ac Reuerendissimo Henrico-Ludouico Castanæo Rupipozæo continuatas.

Sauinus, & Cyprianus fratres, iidémque milites, Brixiæ in Italia nati sunt, vbi multa ab Ethnicis passi, quòd idolorum cultui summoperè repugnarent, tandem è carcere euadentes, Gallias cum duobus Presbyteris, Asclepio & Valerio petierunt, & in regionem Pictonum deuenerunt, iuxta locum, qui dicebatur Confluentium, vbi fluuius Wartimpæ in fluuium Crosæ defluit. Illinc autem vno tantùm distat milliario, tertius amnis dictus Ingla, irrumpens in Wartimpam: ad quem cùm accederent, viderunt Maximum Proconsulem cum satellitibus eos acriùs prosequentem. Flumen igitur extemplò pertranseunt, sed Proconsul festinato cursu conuolans apprehendit eos super fluuium Wartimpæ, in loco, cui prisca vetustas Crescens nomen indiderat, haud procul ab Antiniaco villa, eósque deinceps in quadam amnis eiusdem insula, contra prædium quod Pselis dicitur, variis cruciatibus affecit: vbi & Sauinus capite plexus est, Marciano Imperatore, qui ab anno Christi 450. vsque ad annum 457. rerum potitus est: cuius corpus nocte ab Asclepio & Valerio (qui libertati suæ inter tumultuationem consuluerant) translatum est ab insula suprascripta, in montem qui vocatur ad Tresqypressos, vbi olim Ecclesia in honorem sancti Vincentij Martyris constructa fuerat, ibique illud sepulturæ mandarunt; vnde haud longè Monasterium cum adjuncto eiusdem nominis oppido ad Wartimpam fluuium in Pictauensi diœcesi, sancti Sauini titulo præfulget.

Horum etiam Sanctorum meminit Chronicon manuscriptum Iulij Flori anno 450. his verbis: *Claruit eo tempore Germanus, Sauinus, Cyprianus fratres, Asclepius, Valerius, Hildatus, Samson. Gildas, Dauid, Paulus, Martius, Demetria, Lupus Episcopus.*

Crosa, Wartimpa, & Ingla, nunc dicuntur, *Creuse, Gartempe, & l'Anglin.*

Confluentium, *Conflans* viculus est prope oppidum, *de la Rochepozay*, quod Crosæ fluuio adjacet.

Antiniacus vicus, *Antigny*, ad Wartimpam fluuium.

Pſellis prædium, hodiè *Seaux*, ad Wartimpam, inter oppidum ſancti Sauini, & Antiniacum.

Treſcypreſſi, hodiè, *Mont ſainct Sauin*, parùm diſtat ab oppido ſancti Sauini: Eccleſia parochialis ſancto Vincentio dicata, monti impoſita eſt.

Cyprianus paulò pòſt in Antiniaco villa par ſupplicium paſſus eſt: cuius corpus per annos aliquot in fraterno ſepulchro conditum fuit, donec accurrentibus populis, ad Pictauenſem vrbem tranſlatum eſt, quam iuxta Monaſterium Ordinis ſancti Benedicti in honorem ſancti Cypriani à Froterio Pictauorum Epiſcopo poſitum eſt, anno Domini 936. qui eidem Monaſterio donauit caſtellum ſuum, nomine Ludriacum, vulgò *Luray*, cum Eccleſia in honorem ſanctæ Fercintæ dicata, villam ſancti Maxentij prope Betinas, necnon alodium ſuum, (vt Chartularij ſancti Cypriani verbis vtar) & Eccleſiam ſancti Seuerini *de Mille*. Quamuis autem à longo tempore Eccleſia *de Luray* ad Croſam amnem, Beatæ Mariæ Virginis titulo glorietur, in ea tamen nihilominùs ad hanc horam Altare remanſit Diuæ Fercintæ Virgini ac Martyri ſacrum, necnon capſa reliquiarum eius, ſed exinanita; & inibi numeroſo conuentu dies eius feſtus 13. Nouembris agitur, quemadmodum & in ſancti Cypriani Monaſterio, cuius Litaniis indita eſt.

VITA SANCTI SAVINI EREMITÆ.

Qui obiit 7. Idus Octobris, ſepultuſque eſt in Leuitania, in loco, qui dicebatur aliàs Æmilianum Palatium.

BEati incitantur animi ad ſpei melioris & bonæ partis ſtudia, cùm Sanctorum deſcribitur glorioſæ vitæ norma tradita diſciplinæ: quia deſiderantium dum curioſis animis ingeruntur expoſita, nec viuaci memoriæ fraudantur elapſa, ſed proficiunt timentibus, teſtificante paginâ, cùm tenentur inſerta ſui merita glorioſa.

Igitur beatiſſimus Sauinus de Barcinone ciuitate Hiſpaniæ regionis indigena noteſcit calculo, quia in puerili ætate eſt primis elementis eleganter imbutus. Relictus à patre paruulus, in ipſo ſolo reclinabat totus genitricis aſpectus: qui adultus, vt parentes in Gallia viſitaret, Chriſto diſponente, de loco propriæ cognationis egreſſus, ac pòſt Sabarte aliquantulùm demoratus eſt.

Deinde Pictauis aſſociatus parentibus, ſcilicet Eutilio, qui tunc Comitiuæ publicâ adminiſtratione florebat; cui gemellus filius erat, quem optimus inſtitutor acceptum diſcipulatus causâ reddidit literis informatum diſciplinæ gratiâ. Quâ de cauſa à Comite ſingulariter habitus, quæſtibus opulentus, præter ſimplicem veſtitum, vel minùs equi vehiculum, quidquid ſuperueniebat, liberali gratiâ pauperibus erogabat, detrimento reputans niſi iam tunc ibidem totum ſine fraude dirigeret, vbi centuplicata commercia bonus diſpenſator multiplicata pro fœnore reciperet.

Hinc eo perſuadente prædicti Comitis filius, regulam Monaſterij penè fugitiuus expetiit. Tunc materfamilias ſanctum precatur Sauinum, vt filium ſuum de loco Tejaco (fortè Luco giaco) ſancti Martini Monaſterio reuocaret concito articulo. Quod vir iuſtus libenter amplexus, ad hoc præmiſſum ſequitur, vt contubernali teneretur Cœnobio, vbi ſe tradens regulari, ſubque alterum perrexit adducere, ſe ſubduxit.

Quo ferè tribus annis fideliter conuerſatus, ſemper augmentando conſiderans B. Martini morem, ſecreta eremi petiit, vt ſequeretur diſcipulus, quâ præuius trahebat Magiſter haud inuitus. Rursùs huius propoſiti participato conſilio, vno tantùm aſcito ſocio, dum aëreas Alpes nubibus vicinas amplectitur, Vigorritanam ciuitatem viator ingreditur.

Quo in loco Fronimium Abbatem paucis cum Monachis reperit: qui ad hunc deſiderij ſui ora protendens, vt eum ad loca remotiora ſecum protraheret: ſed Deo diſponente, cum Abbate profectus eſt, & quaſi doctior ouis, nouo more in prædam ipſum trahit paſtorem, illum docens, ſub quo agebat diſcipulus.

Itaque ad montana pariter properantes, inuenerunt locum iam à Domino prędę-

Digitized by Google

ſtinatum, ſic victu aridum, ſic aſcenſu præruptum, quo fluebat interdum liquor aquæ exiguus aliquatenus, nec ipſos recreabat exhauſtus.

Quia feruore immani ſic quoque certo tempore reddebatur deſiccatus, vt ferè mille paſſuum ſpatio cum vtribus monte in aduerſo vnda ſuis humeris veheretur, vt cùm vellent vapores reſtringere ſub aquæ ſarcina plus ſitirent, & inde ardor per ſudorem accenderet, vnde arida viſcera cuperent reparare.

Denique Gaudentius & vxor eius ad beatum Sauinum pariter acceſſerunt, quorum filio lactis copia in partu deerat, ipſis ei ſupplicantibus, ſancto viro intercedente, poſtulata conceſſa ſunt, & fluxit ex oratione ſancti Confeſſoris, quod non manabat ex vbere matris.

Directus eſt Dei prouidentiâ Iulianus Diaconus, quem Abbas Fronimius ei miniſtrum inſtituit, in quo reclinaret aliquantulùm poſt laborem, cùm longâ infirmitatis infeſtatione vexaretur, Siluano Diacono pòſt adjuncto.

Tamen erant pro parte niues candentes, quæ ſolatium præmiſſæ ad vſum potionis, vel neceſſitatis aqua per ignem generata proficeret. Et tunc licet maximè plus ſentiretur de frigore: tamen de ciuitate vnde fiebat munus fatigantis compenſatur de labore, quo de quacumque venti vigor incumberet, homo nec pede conſiſteret, ſed impulſus in terra naufragus oberraret.

Vbi hoſpitio condito, quidquid tecti, aut inſtrumenti caſella poſceret, collo ſuo ferè de duobus millibus ſubrepebant, donec opus perficerent tali pondere deſudantes. Quo profectò redeunte ad Fratres Fronimio Abbate communiuit beatiſſimus Sauinus proprium habitaculum in longo pedes ſeptem, in altitudine quinque, quaſi domeſticum carcerem ſibi ſuis manibus eleuauit, & ſe arduo antro fortis eremita concluſit, vbi ſine itinere requies per pœnam tranſiret. Sed requirente Abbate cur ſine conſilio retrudiſſet, reſpondit: Vt potes fac quælibet, ego feci quod expedit.

Nec minùs inſultans ei poſſeſſor Cromatius, in cuius reicula facta fuerat cellula, mandat vt hinc recederet, ſi pati nollet iniuriam. Sed vir ſanctus ſuo contentus propoſito, elegit antè pœnam quàm relinquere cellulam. Quo tamen in loco per annos circiter tredecim ſine* pullo, ſine omni peculio, die noctúque ſacer eremita permanſit, atque æternæ libertatis illum carcerem tenuit.

De cuius abſtinentia quid priùs referat pagina, cùm ieiuniis ipſam humanitatem vincebat natura, vnâ contentus tunicâ, vili gunnelâ ſuperjectâ, ſago pellium ſubſtrata, ſine calceamento nudâ plantâ glacialem hiemem in Alpe traducens. Sed admiranda conſtantia, cùm frigus ſaxa ſcinderet, & nuda viri caro perduraret, & poſtponeret algorem de corpore, manens ſpiritus in feruore.

Graui mortis ſingultu accedente, fortis eremita eleuatis manibus erectus ad Dominum cùm preces effunderet, completâ oratione, ſeculo lubrico triumphato, rupto longi carceris vinculo, exhalato ſpiritu, feliciter migrauit ad Chriſtum.

Cœcus quidam, cùm vniuerſum ceſſaſſet refugium, ſancto viro iam defuncto, antequam ſepeliretur, occurrit: qui mox vt beati viri pacem dedit feretro, lumen recepit ex oſculo, & præſtitit viuenti viſum corpus tumulo claudendum, vt daretur indicium, etſi migratum, non mortuum.

VITA SANCTI SORI CONFESSORIS.

Deſcripſimus ex MS. Codice 652. Bibliothecæ Thuanæ.

PROLOGVS.

COnſtat veterum fuiſſe morem, vt ſui temporis viros per ſcripturarum ſuarum monimenta poſteritati commendarent, & vtrimque dicta memoratu digna vel facta, aut literis traderent, aut picturæ committerent, aut certè ære, ſeu marmore laborioſo ſpectabili opere effigiarent, id ſtudij habentes, vt quæque ad ſui notitiam vel vtilium creditu digna, vel æſtimarentur imitanda, & ad ſucceſſorum ſuo-

* *

rum perducerentur notitiam; quatenus nec suo tempori indeuoti, nec posteritati apparerent inofficiosi. En miror, cur tantùm attendamus priorum incassum functum laborem nobis, quibus à Saluatore promittitur, nec calicem aquæ frigidæ fratri porrectum perdendum. Fortium Christi militum facta cur silentij carcere premenda committimus? Ea verò præsenti & succedenti ætati profutura schedulis saltem vilibus tradamus, ac mediocri stylo cartulis pro posse mandemus. Accedit ad hoc quod ex animo incitamur, ne cum torpenti seruo damna patiamur dispendij, præretenta pecunia Domini. Vnum enim è pluribus Christi fortissimis bellatoribus Dominus suæ Ecclesiæ attribuit SORVM nomine, cuius inclytam vitam multorum vtilitati profuturam ordiri adgredimur. Et quamquam tanto operi nos existamus impares, vtpote quibus & pertenuis est facundia, & ingenij peranguſta copia; satiùs tamen ducimus dicere vel exiliter quæ nouimus, quàm cum his qui per tot tempora iamjámque transacta beati viri destiterunt adscribere gesta, tenacitate muti silentij soluere quoquomodo pœnas. Et hoc vt fiat, dat etiam Dominus & vsum loquendi, qui iubet aperire ora, & ne elinguia remaneant spiritus sui gratia promittit implenda. Ipse ergo nobis orandus est, vt qui serui sui adjutor extitit ad bona peragenda quæ præcepit, sit nobis in adjutorium ad ea narranda, quæ per seruum suum misericorditer gessit. Hæc igitur excusabilibus verbis dicta sufficiant: nunc ad narrationem veniendum est; quia est valdè stultum in præfatione effluere, in ipsa verò historia succingi.

INCIPIT VITA.

Hic igitur sanctus vir Sorus territorio ortùs Aruernico, parentibus secundùm sæculi dignitatem non infimis, diuinis tamen legibus, & orthodoxæ fidei deditis altus est: quibus Dominus tantæ gratiæ munus conferre dignatus est, vt eis inter præcipuos suorum affines, sobolem Deo dicatam, & ab vbere omnipotenti Deo consecratam gignerent. Natus itaque beatus Sorus, Christianâ lege edoctus, nutritus in fide Catholica, æuum infantiæ gerebat cum industria. Exin adolescentiæ annos ingressus, totúsque mirum in modum in Dei opere conuersus, meditabatur iam in ætate iuuenili, quod postea deuotus impleuit. Nullis itaque næuis pectus fuscare contendens, iam non tardus, & non surdus auditor Euangelij, diuini executor mandati: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me; vt cum Petro Apostolo dicere posset Domino: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Confestim vt liberâ vsus est ætate, dicto citiùs pedem extulit, rumpénsque moras, iunctis sibi duobus commilitonibus, eiusdem viæ, eiusdémque amoris sociis, Amando atque Cypriano, relictâ patriâ, parentibúsque, Aruernicum excedens solum, Dominici exequutor edicti: Dimitte, inquit, omnia quæ habes, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me. Petragoricum ingressi solum, vnanimiter, parique consensu eremiticam aggressi sunt ducere vitam. Aliquandiù igitur commorati pariter, vti sese talium opinio habet, ad famam sanctorum cœpêre confluere quamplurimi; alij imitationis gratiâ, alij audiendi-, partim videndi quæ gerebantur. At hi nequaquam obliti prioris propositi, dum aliquandiù fatigationem patiuntur vndique confluentium, quod dente discretionis interiùs ruminabãt, adinuicem conqueruntur fruſtrà se deseruisse sua, si talibus diutiùs implicarentur negotiis, & retrogradis aratro terram sulcantes vestigiis, infigerent cultra ..... Castigabant itaque corporis sensus à sinistris affectibus, & studebant venustare mentem sacrorum actuum exhibitionibus; studióque illis erat & opere sese reddere conspicuos, & sermonibus salsos, erátque in eorum operibus intuentium admiratio, atque in eorum sermone audientium oblectatio. Reddebat námque eos castitas floridos, fides inuictos, mentis puritas simplices, splendor vitæ laudabiles; erátque illis humilitas non in modo solùm verborum, vel habitu: sed omnis eorum actus ita erat conditus, vt quisquis eos aspiceret, quasi pennâ spirituali eos virtute diuinâ pictos putaret.

Intereà deuotissimi Christi famuli nimio in Domini flagrantes amore, nec satis sic suo fieri cernentes desiderio, remotiùs sibi habitaculum inquirendum iudicarunt. Ad quod non eos fluctiuaga incitabat leuitas, sed Domini larga voluntas, & inexplicabilis Christo placendi pia cupiditas. Itaque cernens beatus vir Sorus confluentium inibi anxietatem; sciens quia in tumultu hominum sæpè deesse contingit con-

Digitized by Google

uentum Angelorum, ingentíq; desiderio anachoresis stimulatus euocat quàm citiùs socios, allocutúsque eos, indicat desiderium mente conceptum, simúlque hortatur singulos sigillatim deinceps degere debere Anachoretas. Nec mora, dicto citiùs amici beati viri, Amandus & Cyprianus, sanctúsque Sorus iter arripiunt, quo eos pietas & velle duxerit: dúmque sanctis sermonibus pia refouent corda, inter eundum deueniunt ad quendam locum, vocabulo, vt ita dixerim, quia ita necesse est, parum Latino vtamur verbo, Petras erectas; ibíque gressum figentes paulisper subsistunt, concitéque tam lassitudine cogente, quàm Domino disponente, socij profundo somno obdormiunt.

At beatus vir Sorus vbi eos obdormisse conspexit, percitus gradum extulit, atque huc illúcque peragrans sicubi aptum sibi reperisset locum, sollicitè perscrutari cœpit; & subitò dum curiosiùs loca quæque pererrat, inter opaca nemorum perlustrans abditissima ferarum, obuium se eius conspectibus aptissimus tulit locus, quíque tam secretus, támque habilis sancto sese contulit viro, vt nemo mortalium habitandi gratiâ, seu diuertendi causâ priùs ibidem accesserit: qui, sicut perspicuè patet, Domini nutu illi erat destinatus. Rupes námque desuper eminens prębebat obsequium, propter quem fons viuaci venâ riuulum euomens, amœna loci illius partim irrigabat, cæterùm planitiem Visera fluuius ab vndoso satis recluserat sinu. Quibus vir beatus conspectis, inæstimabili suffusus gaudio, in terram se protinùs dedit, & misericordię Domini tanquam quæ hæc sibi prępararuerat, gratias reddidit, totis supplicans nisibus, vt qui locum præparauerat, fructus quoque operis cælestis sibi ibidem agere sineret, móxque pede percito ad socios regressus, ita eos sopore reperit fessos, vt nemo illorum nec quando vir Dei abscesserit, nec quando quidem regressus fuerit, omni modo agnouerit; túmque summâ dissimulatione eos latere volens, è latere se contulit, ac paulisper quieuit. Transacto itaque ferè duarum horarum spatio, abscedente pigritiæ somno, excussis palpebris concitè expergefiunt, initóque consilio, inter dulcia patriæ cælestis colloquia semet hortantes, diù multúmque inter dulces lacrymas, amaráque suspiria cùm diù luctati ad inuicem charitate, & nimiis amoris amplexibus interuenientibus diuelli non possent: quippe vnus erat spiritus, & cor vnum in Domino, tandem vir beatus altioris ingenij, verens ne in ipsis amoris riuulis fraus inimica quiddam operaretur sui, scilicet, ne si diutiùs pariter morarentur, concepta dudùm conamina impedirentur, simúlque etiam ardebat animus visa repetere, & cœpta non deserere, ait Fratribus: O chariſſimi, & cunctis mortalibus mihi præferendi, olim quæ mente concepimus, exteriùs quæso exequamur, he dum simul degimus, Apostoli dictum incurramus: Impedimenta, inquit, mundi fecerunt eos miseros, sed potiùs laboris atque sudoris iam benè edocti fræna exactè, iter arripiamus, & solâ manu vel brachio contra potestates aëris huius, ceu palæstrici agonistæ oleo peruncti paternæ traditionis iamjámque intrepidi aggrediamur. Et quia quos charitas vngit, emensio terrarum non separat, vt charitas dilectionis, iuxta Apostolum, semper maneat in nobis, pro eiusdem charitatis dulcedine aliquot eulogiarum pariter sumamus. At cùm nec panis in promptu, nec aliud quid vnde id fieri posset, requisitum inueniretur, conspecto eminùs beatus vir Sorus, particulam adipis suilli, quod vulgò lardum dicitur, improuisè reperit, quam particulatim partiens, singulas singulis sacra pro benedictione particulas reclusit in pugnis. Dies erat sanctæ Quadragesimæ. Hoc peracto, continuò ab inuicem discessum est, & vnus ex pedissequis, qui tùm inibi confluxerant, quasi pro reuerentia sacrorum dierum, dum inuictæ charitatis indiscretè perpendit vim, portionem quam à Sancto acceperat, sumendam latenter in sinu proripuit, quæ statim in colubrum versa est, totúmq; eius corpus gyris suorum circumdedit anfractuum. Sanctus fortuitu iam Sorus abscesserat, & iter ad antrum paulò antè repertum pedetentim regressurus, sociis abscedentibus pedem extulerat, & ecce miser pauitans, post tergum Sancti accurrens, clamat se dignis inobedientiæ & charitatis non habitæ pœnis affici; quem beatus vir miseratus, paululùm gressum figit, miserúmq; præstolatur. At ille protinùs se totum in terram dedit, confitens impudentiæ suæ negligentiam, multúmq; deplorans veniam & vitam consequi, cui mors è vicino erat incursans. Sanctus autem protinùs edito Crucis signo, inimicum humani generis amicam sibi bestiam ingressum per Fratris inobedientiam, ceu quondam in primo parente, Domini Saluatoris nostri vsus exemplo, confestim expulit, & in benedictionem pristinam, fugatâ maledictio-

ne conuertit, fratrémque monuit charitatem ſemper habendam, ſempérq; ſeruandam: quia hæc eſt, quæ operit multitudinem peccatorum. Fugato itaque ſerpente, & in ſtatum priorem oblatione reformatâ, ſanctus vir benedixit, eíque ſumendam tradidit: quâ ſumptâ, poſt grates innumeras redditas, is qui venerat Frater receſſit. Sanctus verò Dei interiùs vaſtè patentes ſolitudines adiit, atque in eo, vt prædictum eſt, loco arctiſſimo ſe ſpecu tradidit, ibíque diebus ac noctibus perpetuans, vt cum Pſalmiſta dicere poſſet: Factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto; penè per quadraginta annos mirabili atque inimitabili vitâ vixit; cui nihil aliud erat, & mori lucrum: pallebant ora ieiuniis, & mens acriùs cæleſtia meditabatur, ſciens quia bona eſt oratio cum ieiunio; fiebátque vita eius exemplum imitari volentibus, & cunctis audientibus facilè loquebatur, & purè. Cibus autem eius panis arctus, & aqua breuis erat, vt vox eius Pſalmiſtæ concineret dicenti: Potum meum cum fletu temperabam. Et cum Ezechiele: Panem, inquit, meum in feſtinatione comedebam, & aquam meam in conturbatione bibebam. Operabatur enim tantùm vnde arduum haberet victum, ſciens quia qui non operatur, non manducet. Et cum opere orationi vacabat, vt Scripturæ vita eius congrueret, dicenti: Leuate corda veſtra cum manibus ad Dominum. Et cum Iob: Ego, inquit, deprecabor Dominum, & ad Dominum ponam eloquium meum, qui facit magna, & inſcrutabilia, & mirabilia abſq; numero. Imprimis cellulam ſibi lento vimine conſtruxerat, ne incurſus obuiantium ferarum, quæ ibi ſatis abundéque confluebant, incurreret, vt de ipſo dici poſſet: Quondam beſtiæ agri pacificæ erunt tibi. Poſteà verò cùm tamdiù deliteſcere nequiret, & fama eius circumquaque ferretur, verens hominum confluentium conuentum, arctiùs ſibi interiùs inter rimulas rupis in modum fornicis exiguæ ſpecũ ſibi conſtruxit, in qua niſi incuruus ſtare non poſſet; in qua etiam ſedile inſtar ſubſellij compoſuit, ac è regione capitis in circuitu clauos infixit, vt ſi quando laſſitudine cogente inter ſedendum ſomnus obreperet, defluenti quaquauerſum capiti illiſo citiùs ſomno excitus, ad nota confluaret præſidia orationis; ne aliquando inimici falleretur inſidiis. Fecerat etiam oſtiolum ante ſpecũ, quod nunquam, niſi quando orationis gratiâ noctibus egrediebatur, cuiquam patebat; iuxta quod foramen perexiguum in modum feneſtræ obliquè compoſuit. Iam verò cùm plurimi ad eius magiſterium feſtinarent cuncti, & ſecum multa voluens, vtrumnam meliùs eſſet ſolitam ſolummodò vitam ducere, an verbi pabulum vndique confluentibus præbere, & quod iam diù ſolus exercuerat, multorum profectibus militare. Ante ipſam cellulam Altare ſubpoſuit, ibíque ſacri ordinis Sacerdotem delegit, quatenus conuenientibus ad ſacri ſermonem verbi, & diuini officium myſterij populis præcepto quaſi duplicatum de negotio beatus vir lucrum referret. Vti autem maiorum relatu didicimus, ipſe per inſertam quam diximus cellulæ feneſtram Sacerdoti ſacra myſteria celebranti, quod ſibi in munere à quibuſque largitum eſſet, proferre ſolitus erat. Vnde quia ita neceſſe erat ſanctus vir miniſtros in vſus congruos habebat, ex quibus vnus dicebatur Principius, alter verò Bonitus, qui ſicut cunctis eſt viuentibus conſuetudinis, victũ abundè requirebant & veſtitum. Accedit ergo vt dies inſtaret Dominicus ſanctæ Quadrageſimæ primus, cùm ſicut omnibus ipſa dies in cibo potúque eſt infeſtior diebus, famuli viri Dei grauiter conqueri cœperunt non ſupereſſe quidquam vnde eadem die iocundiùs ac ſalubriùs tranſigerent cunctis in circuitu parantibus eſui quæ eſſent congrua. Eos autem vir beatus leniter compeſcuit, & ſic ſemper charitatis & fidei monitis inſtruxit, & vt ſpe firmâ conſiſterẽt, ſollicitè admonuit. Potens eſt, inquit, filioli, manus Domini etiam in hac quâ degimus eremo ſeruis ſuis præbere cibum, qui quinque millia viros in deſerti regione paucis refecit è panibus. Numquid non recordamini quid Pſalmiſta de murmure populi in deſerto muſſitantis pro penuria carnis dicit: Adhuc eſca eorum erat in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Et Apoſtolus: Neque murmuraueritis ſicut quidam eorum murmurauerunt, & à ſerpentibus perierunt. His & talibus ſalubribus eos refouens verbis, ipſe orationi incumbit, de Dei fiſus larga pietate dicentis: Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, Tranſi hinc, & fiet. Et ecce extemplò Sancto orationi intento, ceruus miræ magnitudinis ſaltum egreſſus, atque ex ſupercilio montis ſaltum emittens ante Beati cellulam, fractis toroſis ceruicibus corruit, atque exanimis effectus, nec vocis mugitum dedit. Confeſtim itaque puer ſancti curſu concito, nuntiat Patri munus à Deo collatum, atque quid exinde fieri iuberet, ediſceret. Tùm verò

Sanctus totâ ad Dominum mente conuersus, ingeminat laudes, qui nunquam derelinquit sperantes in se, simúlque famulos increpitans fidei deinceps innitendum, & in prosperis & in aduersis præsentem semper de se præsumentibus adesse Dominum. Vocato itaque vno è paresitis, iubet diligenter à bestia pellem detrahere, sibíque in vsum indumenti præparare in monimento ponens, vt & ipse fidelem retributorem laudibus extolleret, & intuentium animos fide plenissimâ roboraret, vt nunquam deinceps cordibus eorum torpor diffidentiæ insisteret. Quo indumento quousque in corpore mansit, vsus est: sub quo etiam catenam collo à pectore ita indidit, vt nec obtutibus pateret intuentium, & maneret intrinsecùs sancta conscientia occultum. Exin carnes supradictæ belluæ orphanis & viduis partiendo distribuit, suis quantum necesse esset ad victum diurno retento.

Itaque viro sancto magis magísque in virtutibus succrescente, cœpit longè latéq; fama eius respergi: cœpit námq; maximis elucere signis, cœcis visum reddere, surdis auditum præstare, mutis vocem reformare, cunctísque languidis ad se concurrentibus medicinæ remedia præstare; & quia tempus non finit, & fastidium lectorum, paritérque auditorum cauemus, pauca de plurimis perstringamus. Interea dum sanctus vir orationibus, ieiuniis, vigiliisque perseuerat, pergit Dominus glorificari in sancto suo, nec patitur abdito celari modo tantæ claritatis accensam lucernam, quam super sanctæ Ecclesiæ candelabrum decreuerat proponendam.

Igitur vt ex ipsius patet gestis, hic beatus temporibus extitit GONTRAMNI, quondam potentissimi, ac sanctissimi Regis, qui sanctis deditus operibus, vt in fine claruit, & si aliquo infectus næuo purgari meruit elephantiaco percussus morbo: denique hoc, vt diximus, dum diù laboraret tabo, monetur per Angelum in sopore noctis beatum expetere Sorum morantem territorio Aquitanorum, & Petragorico pago, ipsúmque suæ salutis fore authorem, illíque à Domino collatum pristinam Regi conferendam mentis ac corporis sospitatem, sibíque nihil salutis superesse, nisi ad Dei hominem quantocyùs properaret: quâ Rex admonitione sollicitus, numiúmque recuperandæ sanitatis cupidus, iubet ocyùs præparari qualiter negotium expleret concitus, & vti dignum erat regiæ clientelæ. Parantur quæ tanto erant itineri congrua, quatenus apparatus copiosus, & Regiæ sufficientiæ non deesset; & quod viro Dei in munere deferret, omnimodis abundaret. Itaque emenso tanto terrarum spatio, deuenitur ad locum vocabulo Vriacum, duobus ferè millibus à beati viri cellula semotum: tùm subjectis palpebris, reductísque eminùs oculis, totus præ gaudio exultans, iubilum mentis extulit protinùs cum lacrymis. Nam despumanti, & vt ita dixerim, aurato desiliens equo, terræ pronus decubat, palmísque & genibus reptans, ad specum vsque beati viri deuotus, & spe nimiâ credulus deuenit. Tua sunt hæc, Christe, miracula, tuæ magnificentiæ opera, cui sapit omne quod brutum est, cui mite est omne quod sæuit. Ecce enim Rex præpotens, ac dudùm tremendus, cuius Duces inclyti tyranni etiam superbo sanguine creti vestigia lambere erant cum gaudio timoris soliti pauperis tui, cui cum bestiis feris commune erat tam degendi grauitas, quámque & victus vnitas à cunctis longiùs remoto mortalibus præposterato ordine ianuis humilis recubat, & benedici ab eo expostulat, quem hactenùs in tota sua vita nec ipso nomine nouerat. Tibi laus, tibi gratiarum actio, qui ponis humiles in sublimi, & mœrentes erigis sospitate, qui suscitas de puluere egenum, & de stercore eleuas pauperem.

Igitur, vt dicere cœperam, Rex solo decubat, ac totis nisibus cum collega Dauid proclamat: Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundùm verbum tuum. Iubet itaque vir sanctus Regem surgere concitè, ac causam tanti itineris, tantíque sudoris, licet benè sciolus, percunctatur, & quis se in illa humili specu indicauerit, inquirit. Responsum refert, Angelicam admonitionem indicat, secum non leuiter actum vt ipse veniret tanti morbi fessum grauedine in prospectu haberi, nec necesse requiri quid quæreret, quídve postularet. Confestim itaque sanctus vir cui solidissimam super petram erat fidei fundamentum, aquam iubet afferri: quâ exorcizatâ, Regem iubet perfundi, &, ô mira virtus! alter quodammodo Elisæus Naaman Syrum Iordanis vndâ respersum, Regem Francorum extemplò reddidit sanum. Aspiciens itaque Rex ad omnes maculas sui corporis, ita eas sanas reperit, vt nullius cicatricis vestigium penitùs remansisset, & septennis quodammodo pueri gratiâ in cunctis membris eius appareret. Exin igitur diù multúmq; in laudibus om-

nipotentis Dei, ciúsque famuli Sori ora soluere, ac largitoris & remuneratoris sui nimiis præconiis extulêre.

Tùm vir Dei, vocato ad se suarum rerum œconomo, iubet citiùs Regium præparari conuiuium. Tempus erat, quo præcoquæ vuæ vesci solent. Denegat minister meri quicquam reperiri posse: sed neque in vineis circumquaque quicquam vuarum vnde id liquoris quiddam exprimeretur, inueniri valere. Tùm ille, vt totus semper affluebat in Domino, supplices oculos cælorum aspectui dirigens: Eia, inquit, eia, numquid manus Domini inualida est? Vade ocyùs, & in illa, quam nosti, parua vite, tria quæ repereris de palmite pendere turgentia grana, protinùs defer. Obsequitur minister magistri edictis, & excusso pede defert quæ fuerat iussus, traditque Patri tria illa gemmea grana. At Sanctus totâ Spiritum Sanctum mente concipiens: Vade, inquit, œconomo, & penu omne scopâ terens diligenter emunda, ac tres illas apothecas, quas rustici tonnas vocant, diligentissimè compone. Fecit vt fuerat iussus, concitéque ad Patrem regressus, indicat cuncta studiosè perfecta. Accipe, inquit Sanctus, hæc tria, quæ clementia Domini contulit in vite grana, & ea in quas præparasti apothecas, exprime elicita. Aderit enim, credo, ille, qui in Cana Galilææ aquam fundere iussit limpidissimam in vina; statimque vt iussis Sancti minister obtemperans, peregit quæ præceperat, exuberans vnda subitò repleuit cellaria. Renuntiat minister opus patratum, fit continuò eximium gaudium, attollitur fauor Sancti cum laudibus Domini. Tunc diligenter conuiuio edito, aliquandiù ibi Rex commoratus, lustratis circumquaque loci illius finibus, orat suppliciter Sanctum, quò, si fieri posset, seruorum Dei inibi construeretur Xenodochium. Ad quod sanctus vir libentissimè assensum præbuit, & Rege impensas conferente copiosas, cum festinatione sanctus Sorus opus arripuit, & cum diligentia consummauit, ac Domini scholam assiduè militaturam coadunauit, & in honore sancti Martyris Iuliani Ecclesiam consecrauit.

Supradicto itaque Rege redditibus terræ abundè ad supplementum seruorum Dei delegatis, & à seruo Dei benedictionibus firmatus, cum multo gaudio ad propria est regressus. Multis itaque Regis beatus vir astrictus precibus, quatenùs ipse eidem loco per semetipsum præesset, cùm ab amica nullatenùs extrahi posset cella, verbis ad vltimum Regis victus, perpendens in his rebus multò magis augeri cumulum mercedis, maximéq; Domini seruo pro augmento lucri intendens dicentis: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui; alacri mente eius precibus ad tempus cessit: cuius corporalis præsentia quamplurimos secum traxit in Dei via. Præfatus autem Rex Guntrannus, vt ex Francorum gestis perspicuum patet, eximiam agens deinceps vitam, animabus Christum desiderantibus semet expectabilem reddidit, atq; inter bonorum actuum insignia reperto Dei nutu copioso thesauro, quod qualiter factũ sit non est nostri temporis euoluere; B. viro Paulino narranda committimus, in vrbe Cabillonensi sancti Martyris Marcelli mausoleum opere polymito, auro, gemmisq; miro constructit emblemate. Quo in loco ipse postmodùm magnis elucens meritis sepultus est, atque vt ex eius retexitur gestis, Rex fortis & felix vernat in gloria.

Sanctus autem vir Dei Sorus propositum beatæ mentis augere gliscens, dum quadam die orationi incubans, fortuitu forinsecus oculos extulisset, prospexit mulierem vltro se in flumine Visera absque vllo rubore lauantem, nec nuditatem sui erubescentem. Vnde vir sanctus satis supérque erubuit, atque animo proposuit se deinceps in hoc sæculo mulierem non visurum, nimirùm studiosè cauens illud Propheticum: Intrauit mors per fenestras nostras; ingressa est domos nostras, interfecit paruulos nostros. Nam fenestræ corporis nostri oculi, auréisque constant, per quæ visu & auditu quæ concupiscimus, attrahimus.

Nos verò ad narrationem redeamus, compendio hoc tantùm dictum, ne quis fortasse hæc legens, incautum adjectum exemplum putet. Igitur vir sanctus in voto ponens continentiæ propositum, non deseruit. Quâ de re actum est piâ sollicitudine matrem beati viri eum inuisere cupientem, totis nisibus repugnare; sicque videndi se gratiam omnimodis denegare. Cui mater iamjámque discessura mœrens nimis & ejulans, quasi Prophetiam vsurpans verbum, ait: Hic te, fili, videre non potui, videbo te procul dubio in illa miseratione, quando tecum receptura sum pro iustis studiis præmia repromissa; sicque edito breui elogio discessit. Nec dubium quin

eius

Digitized by Google

eius verbum dignum fidei obtinuerit effectum. Dixit & abiit, nos tamen credere decet tantæ fidei dictum non excessisse incassum.

Itaque Beato viro magis magisque virtutibus clarescente audiens Beatus Aredius tunc temporis Abbas & veræ sophiæ opera dans, cæteruis quæ Monachorum in Atensi (melius Attanensi) Cœnobio à se in sui iuris fundo constructo sacræ regulæ obseruantiam præbens, quòd Beatus Sorus Monasterio constructo cum suis Deo omnipotenti vacaret, verbis consolatoriis epistolam perstringens Sancto Soro direxit, atque in adiutorium ædificii ostium ei opere cornificio aptatum misit, pullósque columbarum consolationis gratiâ, aliasque domesticas aues quas vulgo corniculas dicimus, transmisit, multa monens diuinis insistendum rebus, fallaciisque inimici præcauendum insidias. At B. Sorus hæc cum gaudio excipit & pro munerum largitate plurimas gratiarum actiones reddidit.

Inter hæc quia exiguitatis nostræ sermo fessus finem postulat ad incitandos animos legentium quantam vim etiam in rebus leuioribus Sanctus vir obtinebat vno tantummodo propalandum exemplo censemus. Mulier quædam è vicino degens ante ostiolum Sancti porticulam scopare consueuerat, cui vir Dei ob operis mercedem sæpe denarium conferre solitus erat. At cum vt iam dictum est, votis Sancti inesset fœminam non videndam, quadam die cùm eadem, quam diximus, mulier opus consuetum perageret, metuens seruus Dei, ne aut egredienti è cellula aut ingredienti improuisa mulier obuiaret comminans præcepit, ne illuc vlterius redire tentaret, & si parumpendens verbum istud excederet, dignâ, vt iustum erat, pœna mulctaretur. Quod illa verbum triste excepit, mœrénsque domum rediit, & vt post paruit, plus quia fraudabatur censu pecuniæ, quàm amore solitæ obedientiæ. Regressa igitur domum post triduum nihili pendens iussum sancti regressa est, Deique homini se importuna ingerebat, antéque fores eius nimiis clamoribus inualescebat repetens ab eo, quod solita erat recipere in lucro. Tum vir Domini grauiter ferens, simulque reputans nullis eam minis posse à stultitia reuocari sputum ex sancto ore egerens oculo mulieris immersit. Quæ statim diuino nutu cæca effecta domúmque regressa cunctos domus suæ municipes ex vna parte capitis qua & ipsa erat reperit cæcos : & vti fertur tam bestiæ quámque volucres in illa domo manentes huiusmodi cautione vsque in hodiernum multatæ sunt : vt quæ viri Dei excesserat verbum tam illa quàm omnis eius domus atque cognatio, cunctáque supellex sentiret exitium imminens.

Beatus autem vir Sorus omnium odoribus virtutum refertus vernabat Christo deuotus : roborabatur namque in eo naturalis infirmitas carnis ardore intimo charitatis, imbecillitatémque corporalium virium solabatur copia spiritalium Charismatum, simulque illud Apostolicum hortamentum : Non sunt condignæ huius sæculi passiones ad superuenturam gloriam quæ reuelabitur in nobis. Itémque quia per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei : Et quod oculus non vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. Hęc atque alia sacræ Scripturæ documenta tanquam sal spirituale fluxa Mundi gaudia in eo exsiccabant, & ad semper mansura cor illius ignibant. Hæc illius exercitatio, hæc continua contra diabolum extitit decertatio, donec tandem post laboris cursum operis peracti à Domino recompensata est remuneratio. Dum, his atque huiusmodi agonibus decertaret, agminibúsque Monasticis vndequaque ad se confluentibus æmulamina suarum virtutum inuictissima relinqueret, finis cunctis mortalibus ineuitabilis ostium corpusculi eius cœpit pulsare, vt anima Deo dilecta diutissimis reuincta catenis carceralibus tandem libera seruitiis rumperet vincula carnis & Regi suo occurreret in gaudium eius suscipienda læta.

Conuocatis itaque fratribus quadam die indicat dissolutionem sui corporis imminere, séque velle iam dissolui & esse cum Christo. Exin igitur nec mora acri febre corporis prærepto medullæ eius igne genuino perurebantur & sanguinis vnda per membra singula siccabatur, spiritus tamen carnis in infirmitate vigore diuino fortior reddebatur & ad Domini faciem deprecandam quo celerrimè soluto carnis vasculo liberaretur, magis ac magis accendebatur. Denique dissolutione iam vicina cohortibus Monachorum circum se astantibus & euentum rei præstolantibus, paullo post futuram eis suam prædixit dissolutionem, & vt possibilitas permisit, vt sui memores essent admonuit. Interea adhæc cun-

ctis attonitis & finem rei præstolantibus, ecce subito Orientis tramite splendor nouus aduenies totum illud repleuit cubiculum, ac eximij odoris nidor cunctorum repleuit corda, patuitque in calce qualis vir sanctus extitit in studio vitæ. Sicque valedixit fratribus & cœlicum cœlo spiritum collocandum tradidit. Ad cuius obitum præsentes adfuere sancti viri Amandus & Cyprianus, vt quibus vnum fuerat vitæ studium, par fieret recompensatio & præmium. Iam verò eo migrato quis explicet quantus fuerit circumastantium luctus, quis pectoris anxij singultus, qualiter loqui volentibus atque orare nitentibus media interrumpens verba locutionem interdixerit doloris magnitudo. Tandem autem inter dira suspiria & amaras lachrymas doloris modum imponentes corpori sacro funebria impendentes obsequia loculum parauerunt cum magna diligentia, & in basilica quam ipse dudum in honore Sancti Martyris Iuliani construxerat, terræ mandare studuerunt deuotè. Quem locum D.N.IESVS-CHRISTVS sæpissimè ad demonstrandum quem circa suum famulum habuerit fauorem mirandorum operum exhibitionibus conuenit nobilitare. Neque enim vel huius operis finit breuitas, vel stylo suppetit facultas enarrandi quot cæci post eius obitum ad illius sepulchrum receperint visum, vel debiles, seu quacumque infirmitate detenti sanitati suæ pristinæ redditi, & dæmones ex obsessis corporibus pulsi, & alia quamplurima petentibus sint collata beneficia. Hæc omnia tuæ potentiæ præmia tu Domine Pater in seruis tuis mirabilis mirabiliter operaris ad gloriam nominis tui & ad laudem vnigeniti filii tui Redemptoris nostri, cum quo & Spiritu Sancto viuis & regnas per sæcula immortalia. Amen.

VITA SANCTI STEPHANI MVRETENSIS primi Patris Ordinis Grandimontensis.

Ex nostro veteri Codice Chartaceo.

FVit in Aruerniæ partibus homo quidam nobilis, Stephanus nomine, de Tierna Dominus: cuius vxor Candida nuncupabatur, cui diuino nutu natus est filius: qui semper Virgo permansit, & in signum coronæ quam meruit, de nomine Patris Stephanus appellatus. Quem progenitores sui more nobilium diligenti studio educatum, cùm ad intelligibiles annos peruenisset, ad addiscendum litteras tradiderunt, tantò cariùs eum diligentes, quantò elegantioris formæ & bonæ indolis puer cœpit apparere. Crescente itaque puero, & in sancta Litterarum scientia magis magisque proficiente: & interea corpore Sancti Nicolai translato à Myreâ ciuitate ad vrbem, quæ Barrio appellatur: præfatus nobilis vir Stephanus cœlitus inspiratus illic cum multis aliis ad orationem procedens, filium suum Stephanum, Domino præordinante secum duxit, quia eum ante omnia diligebat: & ideo absque eo esse non poterat. Vnde cum per Beneuentanam ciuitatem completis orationibus fœliciter remearet, puer idem oblatus Deo, qui paruulos suscipit, infirmatus est. Eo verò tempore Beatus Milo prædictæ ciuitatis Archiepiscopatum regebat, huic viro de quo loquimur, cognitus à iuuentute, in finibus Aruerniæ, vnde genus habuerat. Cui Archiepiscopo nobilis prædictus filium suum commendauit, vt infirmitatis eius curam ageret: & si viueret, eum erudiret. Erat enim puer Stephanus iam duodenus; volebat enim omnipotens Pater, quatenus puer eâ ætate sibi seruire inciperet, qua filius suus à parentibus secundùm carnem ad templum deductus est; & quemadmodum puer IESVS remansit in Hierusalem: sic puer iste remansurus erat in itinere Deo disponente. Sicque nobilis prædictus, caro pignore destitutus, desolatus ac mœstus ad propria reuersus est. Post paucos verò dies, diuina operante clementia, puer sanus factus est, & quasi oblitus patris & patriæ, hilaris & gaudens, in terra fuit aliena. Vnde Archiepiscopus, velut pius pater & fidelis doctor apud quem duodecim annis moratus est, bonitatem, & disciplinam, & scientiam ipsum studiosiùs edocuit, ac ipsum à scholis vacantem, cum suæ Diœcesis placita pertractabat, pedibus suis adsistere faciebat. Pueritiæ igitur Stephanus metas excedens, defuncto Archiepiscopo, Romam ingressus: cum quodam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali 4. annos permansit, & de diuersis diuersarum religio-

num actibus & dispensationibus totius Ecclesiæ, Catholicos viros sæpissimè disputantes audiuit, & de prædictis edoctus est à Romano Pontifice, cui bene notus erat, deuotissimè petiit vt ordinem, quem in Calabria obseruare didicerat, quandam religiosam congregationem, à recta via incedentem, & vnanimiter in claustro sine proprio viuentem: & obedientiam humani generis reparatricem pro suis viribus in omnibus custodientem: & mundum sibi & se mundo crucifigentem, & in Cruce Domini gloriantem in suorum remissionem peccatorum, sibi alicubi obseruare concederet: cui Christi Vicarius quod petebat concessit, & omne bonum, quod ageret, ei in pœnitentiam & virtutum præmium iniunxit. Hic discedens à curiâ Romanâ Tiernum rediit. Sed paruam ibi faciens moram, à parentibus, fratribus, cognatis, qui de regressu eius admodum gaudebant, solus latenter recessit: & in Aquitaniam ad nemorosum montem, qui non longè distat ab vrbe Lemouicarum, & Muretum dicitur, Christo ducente, peruenit. Vbi facto de virgulis paruo tugurio, anno Domini 1076. 30. agens suæ ætatis annum, Deo in fide Catholica se seruiturum spopondit, & cum quodam annulo, quem de omni substantia mundi habebat, semetipsum castissimum Virginem Christo desponsauit, & ibidem in ieiuniis & orationibus continuis, seruiens Deo die ac nocte, vltra ad sæculum non rediens 50. annos compleuit. Sciens quia quærentibus & diligentibus Deum, frequentia hominum & copia rerum nociua sunt; vtilia verò paupertas & solitudo, vt est terra solitudinis montis prædicti Mureti siluestris & sterilis, ac fere omni tempore hyemali hominibus insueta, assueta feris, afflictionem corporis illi offerens, & requiem mentis promittens. A die namque conuersionis eiusdem, cibus eius panis & aqua fuit, & interdum farinulæ siliginеæ modica sorbiuncula, quæ cæteris cæterarum farinularum sorbiunculis minus sapida, necessitati, vtcumque seruit non delectationi. In senectute tamen à trigesimo suæ conuersionis anno, modico vino vsus est propter stomachum, quem ciborum aridieas & penuria nimis arctauerat. Verumtamen districtionis suæ regulam & mensuram possibilitatis suæ nemini imponebat: sed quemadmodum inchoauerat, sibi quidem crudelis, & asper, aliis pius longéque moderatior erat. Sciebat enim quòd secundum collatam sibi cœlitus gratiam, alius alio fortior esset, & non omnia possumus omnes. Cúmque duo legati Cardinales in Galliam missi ipsum in solitudine Mureti visitassent, & de eius conuersatione diligenter inquisiuissent, octauo die ab eorum recessu pridie Nonas Februarij, nullo tamen dolore vexatus, se totum contulit doctrinæ discipulorum suorum & orationi. Sciuit enim per Spiritum Sanctum diem obitus sui appropinquare, quibus quærentibus quomodo post eius mortem sine temporalibus viuerent, respondit: Deum solum vobis relinquo cuius sunt vniuersa: cuius etiam amore cuncta pariter ac vosmetipsos reliquistis. Si amando paupertatem ei constanter adhæseritis, nec à veritatis via declinaueritis, ipse iuxta prouidentiam suam, quâ mirabiliter gubernat omnia, vobis quod expedire nouerit largietur, & quinta die dolore inuasus, in oratorium portatus, finita missa post sacram vnctionem & receptionem corporis & sanguinis Domini, fratribus flentibus psalmósque cantantibus 80. ætatis suæ anno, in ordine Diaconatus, 6. Feria, 6. Idus Februarij, dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, fœliciter migrauit ad Dominum.

Quo Patre Stephano defuncto, mox Monachi Sancti Augustini Præposituræ vicinæ Ambarzaco cum Capellano eiusdem loci, & magna plebis multitudine ad cellæ domus Mureti ianuam pulsauerunt, cum mœrore clamantes & dicentes: Boni viri, Boni viri, nolite celare nobis mortem Domini Stephani patris vestri: verè scimus, verè scimus quia mortuus est amabilis pater. Ianitor autem hoc audiens, & volens eos à sepultura remouere, quatenus tanti funeris exequias sine tumultu dignè & deuotissimè celebrarent, quasi consolando dixit eis: Quid est hoc quod dicitis, quia mortuus est: immo multo melius solito illi credimus esse. Cui Sacerdos qui cum Monachis & populo venerat: ait. Bene scimus quia mortuus est: in vico etenim nostro, quidam puer modò in extremis positus, ab heri & nudius tertius loquelam amiscat. Qui cum à matre sua exitum præstolante seruaretur, subito in hæc verba prorupit. Video, inquit, scalam lucidissimam: cuius altera pars cœlum, altera pars tangit Muretum: & Angeli multi descendunt per eam, vt animam domini Stephani Deo gratissimam perducant ad gloriam. Subiungens nunc audio circumquaque sonare signa, & hoc vobis indicium est quia dico vobis veritatem: quia nunc

moriar, nec vltra loquar vobiscum, sed ascendam cum sanctissimo Patre & Angelorum multitudine, quibus dictis expirauit. O felix visio & quis congruentius virgini debuit perhibere quam Virgo. Ambo namque virgines erant: & fidelis seruus, & puer qui vidit visionem, & retulit: mira namque Dei dispensatione decessus illius apud Turonicam ciuitatem, & Verselaium eodem tempore diuulgatus est. Quæ duo loca ab inuicem & à Mureto adeo remota sunt, quod nisi miraculosè id fieret, nequaquam decessus athletæ Christi eadem die sciri potuisset. Sequenti verò nocte cuidam Canonico familiari suo per visum apparuit habitu roseo decoratus. Nec mirum si roseo, quia Christi Martyr extiterat, dum in præsenti sæculo vixerat. Qui quidem Canonicus euigilans intellexit illum mortis debitum persoluisse, & celeriter surgens pro commendatione eius ex integro diuinum peregit officium, mutua namque charitate ambo inter se dixerant, ille qui diutius viueret, exequias alteri celebraret.

Tempore quo Lupardus cum multitudine hominum malefactorum terram Lemouicensem depopulabat: capti fuerunt duo homines quibus in carcere Deum orantibus vt eos pei merita Sancti Stephani liberare dignaretur de manibus inimicorum suorum, Beatus Stephanus apparuit illis fulgidus dicens eis. Surgite ne timeatis & me sequimini: ducens eos secum videntibus cunctis ductor duorum hominum inimicis, & nemo alicui eorum nocuit, nec nocere potuit. Et quadam die cum frater Hugo lacerti, discipulus Sancti Stephani, ad domum Mureti venisset: & Presbyterum dictæ domus solum cum suo ministro præparantem se ad Missæ officium in oratorio reperisset, ab oratione surgens oculos suos ad altare, & ministros altaris intentus subleuasset, repente vidit Sanctum Stephanum leuitucis ornamentis indutum, ac refulgentem, velut Diaconum, altari & Sacerdoti cum omni deuotione honorificè ministrantem. Quo viso vir Dei Hugo alacris efficitur, lachrymisque perfunditur, & à superno lumine illustrabatur, ad quem Missa finita, sanctus Stephanus se conuertens, alacri vultu subridens, palmas extendit: ex qua extensione manuum credimus Sanctum Stephanum suum discipulum ad cœleste vocasse regnum: qui post paucos dies fœliciter migrauit ad Christum.

Cæterum si quis scire voluerit, vnde etiam illa tenuis substantia, quâ corpus Athletæ Christi Stephani sustentabatur, illi aderat, præsertim primo conuersationis suæ anno, quo humano carens solatio solus in eremo fuit, reuocet in memoriam, quomodo Abdias Prophetas Domini in speluncâ absconditos pro amore Dei pane nutriuit & aqua: & nouerit qui nihilominus circumstantium vicinorum charitas solâ diurnâ inspiratione huic Dei seruo necessaria deferebat. Qui enim Danieli in lacu leonum incluso prandium per Abachuch misit, qui per ministerium corui & viduæ Heliam à famis liberauit inediâ: qui quotidie dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum, hominis tantæ fidei, quem ad se diligendum absconderat, in abscondito faciei suæ, à conturbatione hominum, non potuit obliuisci. Nec nimis esurit panem hominum, qui frequenter panem comedit Angelorum. Solis igitur cœlestibus intentus, alimenta corporis à deuotione fidelium: refectionem verò mentis, & vnctionem spiritus à diuinæ contemplationis beneficiis affluenter sortitus est: nam quomodo non gustaret quia suauis Dominus, & dulcedinis eius stillicidia stillantia non haberet, qui corpus suum castigando, & in seruitutem redigendo per districtam abstinentiam macerabat. Etiam lorica ferrea contra carnis insidias, & mentis lasciuiam, tamdiu incessit armatus, quousque toto exsiccata corpore plenam de seipso obtinuit victoriam: ad cuius eximiæ perfectionis cumulum tanta parcitas vestium, lectique accessit durities: quæ cunctis humanæ conditionis facultates cernentibus, vires hominum videatur excedere. Indumenta namque, quibus super loricam induebatur, nullo tempore minuebantur, aut augebantur. Sed in hieme & æstate ad repellendum frigus & cauma æqualia semper erant, & eadem. Stratum verò, in quo post nimiam carnis suæ vexationem, fatigationémque, ad quiescendum se modicum conferebat, adeo durum erat, & quieti contrarium; quod in eo dormiens vexari poterat, non foueri. Erat enim ex tabulis ligneis instar sepulchri in terra consertis, omni stramento, omnique lectisternio carens: præter illam tunicam ferream, quam semper ad nudam gestabat carnem; vilissimum duntaxat habitum quo desuper manebat indutus, ille ad stratum veniens, secum afferebat: ille de strato surgens referebat secum, parcus in cibo, parcus in lecto, & parcus in

somno existens. Exceptis etenim Ecclesiastici officii regularibus debitis, agenda videlicet, diei, & Beatæ Mariæ, ac fidelium defunctorum, à prima die, qua venit in eremum vsque ad vltimum diem vitæ suæ ordinem de sancta Trinitate cum nouem lectionibus & horis Canonicis, singulis diebus ac noctibus deuotissimè celebrauit: psalmodiam verò & familiares orationes in tantum amabat, & gratiam illius excellentissimæ contemplationis, in qua Deus meliùs cognoscitur, tam affluenter habebat: quod nunc huius dulcedine raptus, nunc illarum occupatione detentus, frequenter biduo aut triduo, à corporali vacabat edulio. Verùm si pro eorum colloquio quibus seruata charitate deesse non poterat, eáque orando facere vel dicere consueuerat, statutis horis siue temporibus quandoque non impleret: differri quidem poterant, non omitti: postquam enim ab eo, qui aduenerant, recedebant, quacumque hora tunc esset, antequam comederet vel dormiret, omnia quæ de consuetis orationibus, necessariò intermiserat, cum omni deuotione restituebat. Vnde plerumque vsque in crastinum nullum sumebat cibum Christi discipulorum imitator verus: qui propter venientes & redeuntes, manducandi spatium non habebat.

Etenim quia non potuit lucerna accensa latere sub modio: longè latéque sanctitatis eius diuulgata est opinio. Veniebant itaque ad eum vndique multi, parui & magni, inter quos ex diuinæ pietatis dispensatione, in fine suæ conuersationis, duo excellentissimi Cardinales, à summo Pontifice in Galliam missi, venerunt, vt Christi seruus Stephanus, qui à suo Vicario Apostolico in exordio propositi sui bene viuendi præceptum, vt dictum est, habuerat; à viris Apostolicis Cardinalibus, Christi Vicarius, testimonium suæ sanctitatis obtineret. Qui Christi seruus requisitus ab eis, an esset Canonicus, aut Monachus, seu Eremita, exemplo Sancti Ioannis Baptistæ quis esset dicere vitauit, ne superbus videretur ab hominibus, quamquam verissimè totum de se posset profiteri. Quemadmodum enim dicitur de Iohanne, dum Iudæi interrogarent illum, quis esset: vel quid diceret de seipso, cùm nec Christum, vel Heliam, nec prophetam se esse responderet: ipse ait. Ego vox clamantis in deserto. Similiter isti duo legati Beatum Stephanum interrogauerunt dicentes. Quid ergo dicis de teipso? cùm fateris quòd non Canonicus, aut Monachus, vel Eremita sis: quibus ordinibus fulcitur omnis vita religiosorum. Quibus legatis cum esset paratus semper ad satisfaciendum omni poscenti se rationem reddere humillimè veluti Iohannes Baptista, respondit. Cum de fallaci mundo ducente nos Christi gratia voluimus exire: & à Romano Pontifice prout melius potuimus nostram suscepimus pœnitentiam, & cum ipsius præcepto & obedientiâ in remissionem peccatorum nostrorum, huius paupertatis & abiectionis viam sequi proposuimus, & si sanctos & laudabiles Eremitas, quos per totam septimanam absque corporali cibo diuinæ contemplationi vacasse legimus: fragilitate nostra non possumus imitari, tamen quia à via publica aliquantulum declinauimus, & fratres qui in Calabriâ Deo seruiunt vsquecumque sequimur, in extremo iudicio, cùm Christus venerit iudicare viuos & mortuos eius misericordiam expectamus, & ecce vestibus Monachorum & Canonicorum de quibus interrogatis, non vtimur, vt videtis quia tantæ Sanctitatis vocabula nobis non vsurpamus. Nam Canonicorum institutio habet potestatem exemplo Apostolorum ligandi atque soluendi: Monachorum autem nomine non vtimur: qui nomen sanctitatis vel singularitatis sortiti sunt vocabulum. Quorum illi specialiter Monachi dicuntur: qui sui curam agunt, nec aliud cogitant nisi tántummodo de Deo. Eremitarum verò vitam imitari minimè valemus: quia in hoc specialiter est vita omnium Eremitarum deuitare sæculi tumultus, & permanere in cellulis suis, quatenus vacent orationi & silentio: pœnitentiam, quam ieiunando, vigilando, carnem suam totâ die spiritui subiiciendo, frigus æstúmque tolerando, crucem Dominicam corde baiulando, & ex charitate se cunctis indigentibus affabilem ac hilarem præbendo. Sic libera voluntas animi gratia præueniente, & iugum Domini suaue, ac onus eius leue viro sanctissimo atque per omnia laudabilis vitæ Stephano facilem reddiderat quod nullum laborem sustinere formidabat. Nec vnquam dicebat quòd à multis frequenter dicitur: fatigatus sum vigiliis, seu ieiuniis, aut frigore constrictus sum, vel nocte stratus mihi fuit durus, sed hoc quantæ perfectionis fuerit; quisquis attentè seipsum considerat intelligere valet. Numerum autem genuflexionum venerabilis Patris: quem terram deosculando, & cum fronte nasóque percutiendo, humiliter faciebat, scire non possumus: quem vtique prop-

ter earum sæpissimam iterationem: ipsum etiam credimus ignorasse. Scimus quod manibus ac genibus in modum Cameli, earum assiduitate genuflexionum callos contraxerat, & nasum curuauerat in obliquum. Miri odoris flagrantia, quam cum eo loquentes & adstantes circa eum, ex ipso procedere sentiebant, totius suauitatis auctorem in eo requiescere testabatur. Verumtamen quantum nobis datur intelligi: meritum erat quo integerrima virginitas, & humilitas animæ & corporis quæ in eo eminebant, etiam in hac vita dum viueret donabantur. Fuit enim inter cæteras virtutes in ipso intemerata virginitas, quam Christus templi sui conseruator vigilque defensor, nulla labe violari permisit, sicut ipse quibusdam discipulorum suorum, quorum numerus iam excreuerat, confitebatur, dicens. Profecto nullo tempore meam carnem aut spiritum motus libidinis concussit. Sed hoc mihi sine dubio maioris timoris ratio; virginitas enim quolibet affectu superbiæ citiùs perit quam fornicatione. Porrò cunctas virtutes stabilitatis religionis conseruabat in eo integritas, quoniam nulla ex causa procedebat à cella. Quin etiam per alterum oratorii sui ostium vitabat exire: quasi si vouisset vt oculos à vagatione custodiret: & in seipso claustrum & tabernaculum Domino præpararet, nolens sponsum dimittere, postquam semel inuenerat: quia diu per arctam viam ipsum quæsierat.

Quàm prudenter & quàm sollicitè de religionis obseruantia, morum maturitate, ac de omnibus, quæ ad salutem animæ spectant, viuâ voce Sanctorúmque sententiis & exemplis discipulos suos, & eos qui cum ipso loquebantur docebat: Quod in sententiis suis & doctrinis consiliorum suorum scriptum est, sub silentio pertransiimus. Quoties autem inueniebat aliquem verbum de die audire volentem, non cura cibi, vel somni, frigoris, aut æstus, retardabat eum ab hoc opere Christi: diuersis itaque diuersa monita salutis dare prouidens, verbis suis, vt attentiùs audirentur, conuenientia inducens ænigmata, quasi mel in cerâ reclusum prætendens, nec quærebat discipulorum suorum corpora necare, sed vitia. Vnde tanquam fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, in cibis & vestibus cæterisque humanæ fragilitatis necessitatibus eis æquo libramine indulgebat, hoc tantum ab eis exigebat: vt Deum super omnia diligentes, ei dicere veraciter possent: Propter te mortificamur tota die, existimati sumus sicut oues occisionis. Dicens fratribus venerabilis pater: sciatis pro certo quod in hac solitudine fere 50. annos compleui: quorum alij in magna egestate alii in magna fertilitate transierunt: diuina verò bonitas sic semper ad mensuram mihi omnia contulit, quòd in egestatis tempore nihil necessarium defuit, nec in vbertate quicquam superauit. Similiter vobis eueniet si vitetis omne superfluum: nam necessaria neminem damnant. In regula de Euangelio per me sumpta perseueretis.

Erga discipulos cum summa discretione in tantum benevolus atque misericors pater amabilis erat, quòd in egestatis tempore panem cum cæteris victualibus abundantiùs solito ipsis discipulis ministrabat: subiungens huiusmodi causam prouidentiæ; cum panis magis incipit amari, annona deficiente, tunc edendi voluntas solet in hominibus crescere. Vnde necesse est religatis in carcere Christi, eo tempore largiùs cibaria ministrare, vt exultantes nomen Domini benedicant.

Postquàm verò disponente Deo, discipulorum eius creuit numerus, non quasi vnus ex illis in illis factus est: sed minor omnibus illis. Nam sicut consuetudo religionis est in refectorio ad mensam sedentibus & residentibus illis, ille humiliter humi residebat, legendo passiones Sanctorum, vel vitas Patrum, vel aliam ædificantem scripturam, vt corporum alimenta sumentes, illius sententiæ recordarentur: Non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei. Legerat quippe & memoriæ commendauerat: Quanto maior es, humilia te in omnibus & coram Deo inuenies gratiam: & illud. Qui voluerit inter vos maior esse, erit omnium seruus, & inter alios recumbens in infimo loco: neminem discipulorum in occursum sui surgere volebat; locum ministri tenens, in persona & habitu, & multitudine nobilium virorum, qui venerant eum audire, die aduesperante, discedente, egenorum turba cum ipso remanente, paralyticos tanquam fratres osculabatur: respondens discipulis suis admonentibus eum, vt ad ipsos fatigatus accederet. Modò cum Christus aduenit, me recedere dicitis: qui hodie moratus sum cum sæculi huius potentatibus, absit hoc in me dedecus, vt Christo non occurram. Vnde gratiæ prærogatiuam ab illo patre luminum à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum:

Digitized by Google

tantum efficaciter Deo & hominibus amabilis pater Sanctus Stephanus acceperat, quod præsertim discipulis suis, quid cogitabant, & tentationes, quas à diabolo patiebantur, apertissimè dicebat, & qualiter prauis cogitationibus & importunis tentationibus viriliter resisterent, tanquam pius pater, & de salute eorum bene sollicitus, eos prudenter instruebat, necnon multis modis discipulos suos instruebat, qualiter de vita sua inquirentibus responderent. Dicens eis: fratres ne miremini si nonnulli à vitâ vestrâ moribus discordant. Quandoquidem ab eo quod illi tenent discedimus, & non vultis eos sequi in hoc quod faciunt, volens per eos reprehendentibus mentionem fieri institutionum suarum regularum, vt de vita regulari eorum quin sancta sit nullus dubitet hominum.

Frequenter etiam cùm discipulorum suorum poscebat infirmitas, ne in hoc mari magno & spatioso, huius mundi fluctibus submergerentur, suis eos orationibus adiuuabat. Erant enim preces eius tantæ virtutis ante Deum, quòd ipso cooperante ab ipsis dæmonum faucibus, & prauis machinationibus homines capti poterant liberari. Quod vt manifestum sit de pluribus miraculis, quæ per orationem ipsius Dominus dignatus est, hic breuiter duo narremus.

Igitur miles quidam cuiusdam criminis tenebatur reus, qui ad virum Dei accedens, quasi vnus de stultis hominibus loquens, ait: Obsecro te, serue Dei, noli pro me Dominum deprecari, quia quoddam peccatum, cui adhæreo, in tantum diligo: quòd nullatenus illud odire vel relinquere volo: sed hæc timeo mihi contingere, si pro me tua charitas exorauerit, vnde peto ne mihi in hac parte subuenias, tuis ergo orationibus aliis auxiliare, mihi minimè: his dictis stultus miles recessit. Quo audito fidelis athleta Christi charitatis incendio inflammatus: tristis remansit & anxius ingressusque capilum, reserato ostio cum lachrymis super sermone stulti militis, & ipse cum fratribus orante pro eo sine intermissione ad dominum, peccator redit de iam dicta stultitia veniam postulans, & suæ iniquitati ex corde renuncians orationum suffragia à dicto seruo Dei vehementer petiit: vt sua iniquitate resurgere posset, in quo facto cognoscitur charitatem quantam habuit, qui donec errantem proximum ad viam veritatis reduxit, preces cum lachrymis Domino fundere non cessauit.

Est & aliud fidei eius præclarissimum opus huic non dissimile: Cùm enim intimatum fratribus conquerentibus, & dolentibus viro sancto fuisset, quod homo quidam eorum familiaris satis opulentus, victualia ipsis in eremum deferens, traditus à suo perfido hospite duobus latronibus fuisset, qui eum in speluncis ligatum, vt se versus eos redimeret, tenebant: seruus Christi fratribus ait. Scio cui manifestum est de homine vbi sit, & quomodo se habeat: verumtamen nudatis pedibus eamus in oratorium, & gloriosæ Virginis Matris Domini, in cuius obsequio homo captus est, imploremus auxilium: nullus enim carcer, nullusque locus est, de quo sine mora eum nobis reddere ipsa non possit: & cùm hoc factum esset, ecce crastina die diluculo, proditor hospes & duo latrones vinculis religati cum homine quem ceperant soluto & libero ad cellæ Mureti ianuam pulsantes adstiterunt, quos frater Ianitor intuens, patri spirituali, qui more solito eadem hora discipulos in capitulo instruebat, secretò manifestauit: sed Christi seruus gaudium mentis vultu dissimulans, verbum Dei, quod inceperat, minimè prætermisit, dans fratribus exemplum, quòd non in miraculis, sed in solo Deo gloriarentur: & deinceps completo sermone, fures & proditorem à vinculis, quibus erant religati, absoluit, & tutos ac liberos abire permisit.

Fuit exul spontaneus exemplo Abrahæ de terra & de cognatione sua egrediens Beatus Stephanus, in eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione deuotus, in charitate perfectus, spem suam Deo committens, nihilque amori Dei præponens, temperamentum habens in prosperis, patientiam in aduersis, à quo nemo pauperum vacuus recessit aliquando, illud iugiter mente replicans, quod Deus in Euangelio ait: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: & illud: date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Nam sicut de Beato Iob legitur: ianua eius omni aduenienti patebat, & sic ipse cum Beato Iob potuit libera voce clamare, ostium meum viatori patuit, eram pes claudorum & oculi cæcorum, orphanorum pater, ac viduarum consolator: illa verò quæ de ipsa parochia suscipiebat, pauperibus eiusdem parochiæ, vbi habitabat, non extraneis impendebat, dicens: nos in locum istorum pauperum venimus aliunde, eleemosynas debitas illis suscipientes, quas si

possumus oportet eisdem reddere. Sed post lectionem, in qua summopere vacabat, sciens quod lectione sensus augetur & illectus tribuitur: eò quòd lectio docet quid caueatur, seminabat in plebem virtutis verba fructu fidei redundantia, sufficienti sale discretionis condita, velut aromaticis vnguentis infusa, instando secundùm Apostolum opportunè & importunè, arguendo, obsecrando, & increpando, in omni patientia & doctrina: & more Beati Iohannis Baptistæ prædicantis in deserto, peccatores ad eum venientes, de peccatis suis arguebat, ipsis adhibens dignas curationes sermonum, & verbi Dei salubre medicamentum ostendens contra vulnera insidiatoris malagma confessionis. Cùm autem videbat peccatorem trepidantem eidem dicebat: frater mi ne terrearis, Deum vincere non potes, vt plus valeas peccare, quàm ipse dimittere. Certè Petrus Apostolus nondum fraudes diabolicas perfectè cogitauerat, cùm Christum interrogauit: vtrum fratri peccanti septies dimitteret? Sed Iesus multiplicauit veniam, non attendens discipuli ignorantiam. Talia pœnitentibus dicebat, obstinatis & defendentibus se rigidus & asper erat, non discedens tamen à modestia: rigore vrens in discussione iustitiæ & misericordia in definitione sententiæ. Et indisciplinationes & transgressiones discipulorum suorum à regula eius rectâ arguebat clementer, & tolerabat quantum debebat & oportebat patienter. Eratque in eo mira in cunctis operibus discretio & immutabilis erga omnes dilectio: mœstos consolans, & agenda demonstrans; ad æternam vitam instanti studio subditos inuitans.

Dicebat suis subditis multoties: ideo debuistis relinquere possessa exteriùs, vt manifestè possitis videre quod estis interius: nullatenus hic remansuri, sed alibi moriendo transituri, vnde minus video cur ampliora velitis: cùm qualiscumque victus suppetat: paupertatem ergo diligite: de substantia vestra semper timorem habentes, ne in bonum valeatis expendere secundùm Domini voluntatem. Sed de iis quæ non habetis securi estis; quod de his rationem non redditis: sed hoc non euacuat spiritualem paupertatem si quis illud desiderat vnde solummodo Deo seruiat: & nemini paratus est propter eandem opinionem iniuriam facere. Iacob Patriarcha victus petiit necessaria: panes ad vescendum & vestem ad induendum. Verumtamen quaslibet eleemosynas etiam datas pauperibus nullatenus Christi seruus respuebat, immo commodiùs illas accipi debere iis verbis perhibebat, cuilibet fratrum dicens: Nonne vides de paupere quid te instruit facere? Christum vult lucrari tecum pulchrè, tibi etiam suadendo quod vlnas extendit in eleemosynas dando, mercedem proculdubio spectat ab alto: munus igitur illius congaudenter accipe. Confestimque si potes abundantiùs ei retribue, monens vt laudet Deum, ex eo quod patrimonium Deo creditum nec res publica eripit, nec fiscus inuadit, nec calumnia aliqua forensis euertit. Ipse etiam ex omnibus quæ egisset bonis, nihil meritis suis tribuebat, nihilque in viribus suis vnquam præsumebat; sed omne opus suum ad Deum semper conferens in cunctis actibus eius auxilium implorabat, exemplumque salutare ex sua bona conuersatione donabat, forma gregis factus ex animo. Sciens quod non est laude dignum, quod docet quis, nisi dictis facta coniunxit: sed potius si quod docet, facit, & glorioſius habetur. Ideo fuit Deo & hominibus amabilis patet, quæ docebat agens, & quæ agebat docens, nec aliud ore promens, aliud corde volens: sed quod ore docebat, opere contrahebat, exemplo Apostoli, qui ait: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar: summa quoque bonitate subditos regebat: & summa seruitute seipsum domabat.

Insuper itaque sanctitatis recitato proposito sanctus Stephanus perseuerans præbuit se futurum vas electionis vtile Deo, ad omne opus bonum paratum: & in omni sua conuersatione, quasi Lucifer inter astra refulgens, rutilabat specie, robustus virtute: sic enim se exercebat quasi semper inciperet, & sic se præbebat quasi quotidie moriturum: semper enim ante oculos eius dies vltimus versabatur, sempérque mens eius cœlestia meditabatur, pericula aliena in se pertimescebat, aliorúmque casus suos esse iudicabat, finem vitæ suæ semper considerabat, vigiliis, orationibus, suspiriis, gemitibus, lachrymis, genuflexionibus, ieiunis, eleemosynis vacans studioſè: vita spirituali & doctrina salutari florebat, & redolebat: pennis contemplationis sanctæ frequenter sursum volabat: ardentique desiderio in Cœlis habitabat. Hostem præterea inuisibilem orationibus repellere iugiter contendebat, pugnans ore non gladio, orationibus non telo. Cunctis autem diebus cunctisque horis diei

flagita-

flagitabat præsidium, vt dignus post huius mundi lucem venire posset ad brauium. Non enim poterat in eo inuenire humani generis inimicus, quod fraude deciperet, aut simulatione fuscaret. Nam quicquid bonorum in principio arripuit, vsque ad finem vitæ nullis negotiis passus est implicari: sed integrum & sanum propositum seruans, in nullo cœptam Regulam commutauit. Crucem Dominicam mente & corpore bajulans, vnum sollicitus erat omninò peccatores ad viam veritatis reducere, omnibus volens proficere, & nulli nocere. Studebat se vas sanctificatum exhibere, vt habitatorem Domini in mentis suæ hospitio posset habere, & post eum in odorem vnguentorum eius currere; finitóque huius vitæ agone, ante ipsius faciem apparere. Huic igitur, dilectissimi, deuotissimè supplicemus, vt ex imitatione & precibus tanti Patris det nobis proficere taliter, quòd suæ perpetuæ felicitatis mereamur participes esse.

Translatio sancti Stephani Confessoris.

Dato corpore sanctissimi Stephani sepulturæ, Fratres de Conuentu suo vnum Petrum, scilicet Lemouicinum, in Priorem & spiritualem Patrem sibi concorditer elegerunt; hic priùs in sæculo venerabilis Sacerdos, postmodùm in religione paternæ traditionis, & voti, quod fecerat, æmulator existens, Deo & hominibus charus, & amabilis fuit: sub cuius regimine grege Dominico in augmentum proficiente, locum de Mureto, in quo Deo fideles seruiebant, diúque cum sanctissimo Patre suo seruiuerant, Monachi vici de Ambasiaco, Abbatiæ sancti Augustini de Lemouicis calumniari cœperunt. Sed qui potiùs auferenti tunicam pallium volebant dimittere, quam inde ad placita, & litigandi consuetudinem traherentur, habere locum alium vigilanter perquirere curauerunt, vbi caput religionis suæ conuenienter constituerent, Deóque syncerè, liberè, & quietè seruire possent. Locus itaque diuersis à Fratribus sedulò peragratus, nullo tamen idoneo reperto, tandem diuinitùs illuminati, salubre consilium omnes vnanimiter iniuerunt, vt Prior scilicet cum omni humilitate ac deuotione Missam celebraret, & cum Fratribus vniuersis, affectu præcordiali supplicaret Domino, vt clementer eis consuleret, & quod postulabant, indicare non differret.

O mira Dei clementia, & perenni memoriæ commendanda! Potuit fortasse liuor Dei seruis moliri calumniam: sed vnde eos comprimere voluit, inde ampliùs dilatauit. Nam immensa, & ineffabilis supernæ dispensationis prouidentia locum latiorem, & ad obseruantiam religiosæ conuersationis & situ, & nomine magis idoneum eis à constitutione mundi parauerat; cuius loci nomen etiam per diuinam vocem audire meruerunt. Priore námque, sicut condictum erat, Missam celebrante, cùm Agnus Dei, ter cantatum fuisset, & tam ipse, quàm omnes alij Fratres ardentissimè Dominũ exorarent, quædam cælestis vox audita est, dicens: In Grandimonte, in Grandimonte, in Grandimonte. Hanc sanè beatissimam vocem Prior & nonnulli de Fratribus audierunt. Finitá verò Missâ, quæsiuit Prior à Fratribus, si cælicam audierant vocem. Et cùm vnus eorum confestim coram omnibus diceret: Ego audiui eam ter dicentem, In Grandimonte; & alij similiter cuncti affluenter lætati sunt, & consolati, ac confortati vehementer diuinæ pietatis largitorem, propter gloriosam reuelationis felicitatem mirari, & laudare studuerunt. Et quia in Grandimonte aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, milites Christi, ne perderent cælestia, semper erant pugnaturi, meritò ibi auditum est nomen eius, vbi victoria, quam de antiquo humani generis hoste Christus habuit, quotidiè celebratur. Pergentes igitur ad locum diuinâ reuelatione compertum, satis Mureto vicinum, Ecclesiam, & domos ad habitandum iussione Domini, cuius erat, omni festinatione fecerunt, quibus vili schemate vtcumq; peractis, reuersi sunt Muretum, vbi nonnulli de Fratribus remanserant, & accipientes sanctissimi Patris glorioſum corpus, transtulerunt illud in Grandimonte, paucíssque scientibus recondiderunt subtus Presbyterium ante Altare.

Tempore verò Domini Bernardi quinti Prioris Grandimontis, coadunato in Grandimonte Capitulo generali, celebrata est translatio corporis beatissimi Stephani, sequenti die Natiuitatis Præcursoris ac Præconis Domini Saluatoris, vbi interfuit Frater quidam Guillermus nomine, qui nimiâ surditate ambarum aurium afflictione

confundebatur anxiè : qui cùm audisset Sanctum Dei à supradicto Priore, & ab omni Conuentu ac Claustro in Ecclesiam deferri, accessit velociter ad sarcophagum, vbi sotulares sancti Stephani adinuenit, accipiénsq; eos, cœpit mittere digitos suos infra sotulares, & exinde extrahere quodcumque inuenire poterat, & in aures suas transferebat. Cúmque ita plenus bonâ fide ac spe diutiùs fecisset, auditum, quem amiserat, veraciter recuperauit. Pannus etiam, quo sanctæ eius reliquiæ ossium inuoluræ fuerant, à Sacerdote, qui decentiori panno eas inuoluerat, semel & iterùm, atque iterùm projectus in ignem comburi non potuit; & nihilominùs quidam sancti Stephani discipulus, qui lumen amiserat oculorum, prostratus, & orans ad eius sepulchrum, recuperauit visum.

Cùm Raymundus de Plantadio miles, morbo paralytico corporis sui medietatem amisisset, ad Grandimontem se deferri fecit, & à quodam filio suo ex vno latere, & à Priore secundo Grandimontis ex altero, totus ferè portatus ad Ecclesiam, postquam super lapidem, sub quo ante Altare sanctissimi corpus sepultum erat, pedes suos tenuit, liberâ voce exclamans, ait: Sinite me, nolite me iuuare; ego enim in hoc loco, in quo pedes teneo, modò sanus factus sum: dico autem vobis, quòd hic iacet sanctus aliquis tumulatus, pro cuius amore & meritis mihi Deus contulit sanitatem.

Releuatio sanctissimi Patris Stephani.

Cùm Ordo Grandimontis diù post transitum beatiss. Stephani Confessoris Christi diuinâ largiente gratiâ, religione, ac sanctitate populis multiplicatus, in magna pace, charitate, & honore, prosperitate non modicâ persisteret: Geraldus septimus Prior Grandimontis, habito consilio cum ducentis & viginti Clericis, ac sexaginta Fratribus Conuersis, ad electionem dicti Prioris in Grandimonte congregatis, pro releuatione beatissimi Stephani Confessoris, duos Fratres cum literis Prælatorum multorum, & Principum, à Clemente Papa III. obtinenda transmisit. Qui Clemens visis literis tantorum Prælatorum & Principum, negotium releuationis dicti Sancti, Deo disponente, fideliter adimplere curauit; credens quòd si suo tempore tale ac tantum opus perficere posset, magnum præmium apud Deum meritis B. Stephani perenniter obtineret, habitóque cum sacri sui collegij Fratribus consilio ad reuelationem Domini sancti Stephani præfatus Clemens Papa III. hoc modo processit.

Cùm bonæ memoriæ prædecessor noster Vrbanus, auditâ famâ religionis & vitæ commendabilis puritate, quâ sanctæ recordationis Stephanus Ordinis Grandimontis institutor enituit, tantis miraculorum testimoniis omnipotens Deus ipsius voluit mundo merita declarare, Legatos, quos ad partes Gallicanas direxit pro quibusdam Ecclesiæ negotiis tractandis, plenam circa hæc inuestigationem committere voluit, vt ex ipsorum cæterorúmque virorum, quibus sine dubitatione fides esset adhibenda, testimonio ad id agendum procederet, quod & fidelium commodis, & eiusdem sancti honori, qui hactenùs velut in sterquilinio gemma latuerat, congruere videretur. Nos etiam testimonio charissimi in Christo filij nostri Henrici illustris Anglorum Regis, necnon venerabilium Fratrum nostrorum Cardinalium, & aliorum multorum Episcoporum pleniùs instructi de vita, meritis, & conuersatione, quâ sæpedictus vir sanctus asseritur floruisse, & ad eum multis miraculorum indiciis diuina voluerit pietas illustrare, huiusmodi exequutionem negotij dilecti filij nostri Ioannis tituli sancti Marci Presbyteri Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legati duximus arbitrio committendam, per Apostolica illi scripta mandantes, vt ad Grandimontem accedens ipsum inter Sanctos, authoritate quâ fungimur nos, denuntiet ascripsisse deinceps in Sanctorum catalogo numerandum, & per ipsius merita Redemptoris, suffragia decreuisse cum reliquorum Sanctorum interuentionibus postulanda.

Conuocatis igitur à dicto Legato apud Grandimontem multis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus quoque, & viris religiosis, ac plebe innumerabili, corpus beatissimi Stephani Confessoris, à loco vbi humatum subtus Presbyterium ante Altare iacebat, cum digno honore eleuatum extitit, populo præcedente & subsequente cum hymnis & laudibus deducitur, & super Altare Ecclesiæ Grandimontis Beatæ Mariæ Virginis honorificè collocatur. Cùm igitur Bituricensis Archiepiscopus præcepto dicti Domini Legati Missam in honore præfati sancti Stephani Confessoris deuotè

Digitized by Google

celebraret, puer quidam, qui ex vtero matris suæ claudus, & mutus, ac manibus aridus extiterat, Dei virtute, & meritis beati Stephani, loqui, & ambulare cœpit, manúsque suas ad libitum mouens: post quem adolescens vesicam habens in collo, tantâ quòd faciem suam aliquorsum, nisi simul cum toto corpore diuertere, nec sursum aspicere valebat, quia mentum eius conglutinatum & coniunctum cum pectore permanebat, meritis eiusdem Sancti ante Missam sanatus fuit omninò à vesica prædicta. Et puella quædam manum dexteram curuam & aridam ab vtero matris suæ habens, cum cæteris in Grandimonte aduenientes, dum oraret, manum, quam priùs aridam & curuam habebat, Dei virtute, & meritis sancti Stephani, & ad signandum se extensam, & erectam habuit, digitísque ab inuicem disiunctis. Quidam nomine Stephanus vici sancti Hilarij iuxta Beneuenti Cœnobium qui cœcus à natiuitate extiterat, vnicus filius matris suæ viduæ pauperrimæ, orando ad sepulchrum ipsius sancti Stephani visum recepit; ad quæ miracula repletur clamoribus Ecclesia, mirantur, atque extolluntur Dei magnalia; videntur, atque laudantur beati Stephani merita.

Inter alia siquidem innumera miracula, quibus diuina pietas voluit beatum Stephanum illustrare, accidit quòd dum Ecclesia Grandimontis ædificabatur, lapis magnus in altum delatus corruens, obuium habuit Geraldum magistrum operis, quem grauiter collisum occidit: qui quidem Geraldus ad preces flebiles Domini Stephani de Lissiaco quinti Grandimontis Prioris, & Fratrum ad sepulchrum sancti Stephani orantium, vitæ pristinæ redditus fuit. Et cùm homo quidam territorij Pictauiensis, cum vxore sua, Petronilla nomine, in festo ipsius Sancti, ad Fratres de Boscoalone veniret, eiúsque vxor de iumento casu pedem incautè ponente cadens expirasset, dicto homine cum lachrymis clamante: Sancte Dei Stephane, adjuua me; nunc appareat bonitas tua in reddendo mihi vxorem meam. Diuino nutu ipsa respondit: Heu me, Domine, quid pro me anxius fuisti? Certè benè eram, multò meliùs extiteram. Tunc vir exultans, leuauit eam super iumentum, & cum gaudio, quò tendebant, peruenerunt.

Insuper, miles quidam territorij Lemouicensis, morbo ignis infernalis pede inuasus, veniens ad ipsius sancti viri tumulum per manus sociorum suorum deportatus, orans, & lauans lapidem aquâ sub quo corpus dicti sancti Stephani sepultum erat, & eandem aquam infundens vlceri, confestim extinctionem ignis, curationémq; pedis, ac mitigationem doloris obtinuit. Necnon & homo quidam, nomine Reginaldus, eiusdem territorij Lemouicensis, de visitatione domorum Grandimontis Mureti, & de Plancha ad villam rediens, videns illam villam, in qua manebat, subitò accendi, rogando Deum, vt per merita serui Dei Stephani ab igniuomis flammis domum suam cum omni sua supellectili liberaret; obtinuit quòd ille ignis domũ suam, nec etiam festucam vnam lædere fuit ausus. Et quid dicam? adducuntur ad eiusdem Sancti tumulum cœci, & illuminantur; claudi, & curantur; muti, & sanantur; dæmoniaci, & liberantur; amentes, & mutantur; ægri, & sanantur; mortui, & suscitantur; surdi, & adjuuantur: de quorum multitudine miraculorum pauca dicta sint, ne verborum prolixitas sit legentibus, vel audientibus onerosa.

VITA S. THEOBALDI CONFESSORIS, ET CANONICI DORATENSIS.

Accepimus missam hanc à V. C. Petro Roberto, apud Doratenses in Marchia iuri dicundo Præfecto.

SEnescentis mundi temporibus vir sanctissimus Theobaldus, Lemouicensium Prouinciæ oriundus extitit, eius videlicet regionis, quæ Pictauensi pago contigua, propter vtriusque terræ confinium, Marchia vocatur. Factus autem adolescens, ad plenioris scientiæ gradum anhelans, Petragoricam penetrauit ad vrbem, ibíque aliquandiù commoratus, artis Grammaticæ studiis attentissimus inuigilauit: Animum autem suum circa huiusmodi curam totum applicans, summa illius temporis

ingenia, cooperante gratiâ Spiritus Sancti, æquiparauit. Elapso autem aliquanti temporis spatio, cùm iam in liberalibus exercitiis admodum esset promotus, reuisendæ patriæ suæ compunctus amore, ad locum, vbi natus fuerat, reuerti decreuit, non vt diuturnas ibi moras innecteret: sed vt salutatis parentibus ab eisdem missionem expetens, aliquibus viris Deo seruientibus se consortem exhiberet. Locus autem natiuitatis eius, Ecclesiæ Doratensi proximus erat, in qua erat Congregatio Clericorum socialiter Deo famulantium: qui cùm sanctissimi viri Theobaldi probitatem cognouissent, virum sanctissimum intra consortium suum deuotissimè susceperunt.

Ille verò magnis virtutibus pollens, à Fratribus summoperè rogatus est, vt ad Sacerdotij dignitatem per sacros Ordines pro diuersitate temporum gradatim ascendendo prouehi consentiret: quorum piis petitionibus ipse pius ex parte satisfacere non refugiens, ad sacros Ordines accessit, nusquam extra Ecclesiasticas officinas egressus, nisi cùm infirmos visitandi necessitas ingruebat: Habebat enim inde consensum Psalmographi dicentis, *Beati qui habitant in domo tua, Domine.* Vnde factum est, vt omnis Ecclesiæ conuentus obnixis ab illo precibus exposceret, quatenus eiusdem loci Sacrarium, & omnia ad illud pertinentia in custodiam susciperet, & Ecclesiastici thesauri curam gereret. Ad quam petitionem ipse animo consternatus, huius ministerij difficultatem eis exposuit: sed tandem suscepto obedientiæ præcepto, quantâ illud strenuitate, quantáve diligentiâ administrauerit, nullius lingua sufficienter expediet. Vigiliarum quoque eâ sedulitate deuotionem exercebat, vt non solùm eas, quas penè omnes Fratrum Congregationes sub gallicinij tempore celebrare solent, frequentaret, verùm etiam totas noctes orationibus & lacrymis incumbendo consumebat. Hac de causa lectulum suum vilibus panniculis & tenuissimis stramentis obsitum, à dormitorio Fratrum sequestrem fecerat.

Multas præterea gratiarum donationes vir Dei Theobaldus à Domino obtinebat, quibus vitæ suæ cursum in neutram partem fortunatum declinans, cum perseuerantia direxit, quoysque omnipotenti Deo visum est est emerito militi suo laborum finem ponere, & ab ærumnis huius sæculi miserescendo separare. Accedente tempore, quo Deus omnipotens seruo suo cælestium gaudiorum præmia pro mercede bonorum operum rependere decreuerat, viri Dei corpus ieiuniis, vigiliis, orationibus maceratum debilitari cœpit. Tunc seruus Dei vi febrium, ac lienteriæ morbo correptus, ad lectulum deportatus est à Fratribus, cibum omnibus modis respuens, solo aquæ frigidæ potu refrigerabatur; & quamuis penè ad extrema deduceretur, mens tamen illius ac lingua à diuinis laudibus nunquam cessabat. Accepto itaque Corporis & Sanguinis Christi Viatico, ipse in Dei laudibus & oratione perseuerãs, præsente cateruâ Fratrum, qui eius exitum Psamodiâ & Letaniis tuebantur, sanctam Creatori & Redemptori suo lætus animam reddidit, 8. Idus Nouembris anno Domini MLXX. cuius corpusculum lotum, & vt moris est, cilicio contextum, eiusdem Ecclesiæ Canonici, magno populi conuentu, qui ad eius exitum vndique deuotus concurrebat, cum digno honore sepelierunt: ad cuius tumulum iacentibus, & viri Dei merita deposcentibus, innumerabilia Deus omnipotens contulit, & vsque hodiè confert beneficia, & miracula.

ELOGIVM S. THEOFREDI MARTYRIS.

Descripsimus ex apographo Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini, D. Francisci Bosqueti, Episcopi Monspelienſis.

I. BEatus igitur Theofredus habens parentes adhuc gentiles, audiens Christianos Dominum IESVM fateri, seque de paganorum insidiis superstitiosis desiderans liberare, Euangelicum sequens præceptum, vbi dicit: Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

II. Itaque ab vrbe Tregressim, videlicet & ciuitatis digressus, via cœpta ad Co-

Digitized by Google

mitarum Velaunenſem vſque, peruenit in vicum, qui vocatur Solemniacus, ibíque Laurentium Preſbyterum reperit, virum doctum & religioſum, cuius amicitiæ ſe iungens, & quaſi familiaritatis obſequium præbens, aliquandiù apud illum tranquillam vitam duxit.

III. Erat autem eo tempore quidam è vicino locus intra Velaunenſem Comitatum, quem vulgus linguâ ruſticâ Calmilium vocat. Erat etiam iuxta ipſum locum riuulus quidam, qui dicitur Liger: in quo loco ſimulacrum quoddam habebatur, quod multitudo ruſticorum ritu profano adorabat.

IV. Audiens hæc B. Theofredus Laurentium Preſbyterum vt ad locum profanum accederent, ipſúmq; deſtruerent, & populum de perfidia gentilitatis eriperẽt, vel ab impulſu dæmonum liberarent, orabat: cuius verbis Laurentius acquieſcens, iterarripuit. Cùm autem ad locum quo tendebant, peruenìſſent, plurimam cateruam populi ibi diis ſacrificare repererunt.

V. Qui dum Chriſtum prædicarent, vt eorũ ignauiam ab ipſis repellerent, plebs Aruernenſis incircumciſa auribus, comminans, dentibúſq; ſtridens inſanire cœpit, itavt lapidibus & fuſtibus eorũ corpora percutere non ceſſarent. Sanctus verò Theofredus B. Protomartyris ſequens exemplum, expanſis manibus ad cælum orabat, vt non reputaret Dominus illis hoc peccatum, ſed magis per ſuum martyrium eos iuberet conuertere animas eorum, ſuo exemplo ſaluare.

VI. Tunc quidam è circumſtantibus iniquo repletus ſpiritu, accepto lapide, acriter percuſſit eum in capite, de cuius ſanguinis effuſione Dominus locum illum conſeruauit. Quem ſanctus Sauianus Abbas exanimatum colligens ſimul cum Preſbytero Laurentio, etiam quod de ipſius infuſione cruoris oblatum fuerat, diligentiſſimè ſepelierunt. Ex quo tempore multas Dominus virtutes per ſuum ſeruum Theofredum manifeſtiſſimè facere dignatus eſt.

VII. Plurimi autem ex ipſis, qui eius neci conſenſerunt, remedia frequentiùs poſtulabant, & priſtinâ ſanitate receptâ, ad baptiſmi gratiam conuolabant. Hæc autem ſub Clotario Rege geſta ſunt. Tunc temporis erat quidam Ritilius nomine, natione Vallaicus, inclytus Princeps ipſius patriæ. Ac ipſo tempore præerat ipſi ciuitati Baſilius nomine, religioſus, diuinis ſacríſque literis eruditus: audiens quia Dominus tanta & tam aſſidua miracula per ſeruum ſuum Theofredum in ipſo loco dignaretur oſtendere, Baſilicam paruam in honore ſancti Petri Apoſtoli cum deuotione fabricauit.

VIII. In qua homines cœci illuminati ſunt, claudi erecti, & ſurdi auditum receperunt, loquelã etiam adepti ſunt muti; & dum per deuotionẽ vota perſoluerentur, multitudo dæmonũ torquebatur, & corpora ab ipſis obſeſſa, inuocato nomine S. Theofredi Mart. recipiebant ſanitatem; multíque variis infirmitatibus fatigati, cum priſtina redibant ſanitate. Dum talia Dominus per ſeruum ſuum Theofredum iuberet oſtendere, longè latéque opinio ipſius cœpit percurrere.

IX. Interea vna ſemel cùm quidam de exercitu armiger patenã calicis in Eccleſia, vbi ſanctũ corpus B. Theofredi requieſcebat, accepiſſet, maligno inuaſus ſpiritu, cœpit febreſcere, ſudare, palleſcere, clamans: S. Theofrede, mihi parce, quia furtũ peſſimum feci; patena verò quam in ſinu poſuerat, ita carni adhærebat, vt nullatenùs abſtrahi poſſet, quouſque de oleo ipſius Martyris Sacerdos locum liniuit, cicatrice in ſignum perpetuum ibidem remanente, ſanus factus eſt.

ALIA PASSIO VBERIOR QVIDEM, SED A RECENTIORE QVODAM DECLAMATORE CONSCRIPTA, MENDISQ. INFECTA.

Poſt Incarnationem D. N. I. C. DCCXXVIII. anno, Theoderico regnante & Carolo Pipini ſenioris filio ſuper Francos principãte, ac de Raganfridi Ducis tyrocinio, poſt multa bella & certamina Francorũ Magiſtratuum fauente Domino abſtuliſſet, rebúſq; bellicis viriliter inuigilans, ſuæ ditioni ſuppoſuiſſet, necnon barbaram gentem Iſmaëlitanam cum expulſo Duce totam Galliam occupantem duobus magnis præliis deuiciſſet, Eudo Dux Aquitaniæ, qui à prædicto tyranno conuocatus, ac ſimul cum eo fugatus fuerat, circa Regem eorum Abdiramam familiáriter ſe habuit de-

placatum munere & obsequio, cum sæuissimæ gentis innumerabili exercitu secum duxit. Vnde ob iniuriam sui vlciscendam à Burdegala vsque ad Pictauiensem vrbem veniens, omnia consumpsit: munitiones quoque & Ecclesias, quas deuastare potuit, populante gladio vacare fecit. Et quoniam exercitus copiosus & innumerabilis fuerat vsquequaq; discurrens totam Prouinciã ac Septimaniã conculcarat, aduenién sq; Gabalitanensem ac Vellaunensem Comitatum, plurimos Dei famulos, vtriusq; sexus multitudinem, nulli parcens ætati, horribili morte necauerat.

Interim quoque dum in his debacchatur partibus, diuulgante famâ, adhuc piorum didicit sanguine cruentus, quòd sæpè laudans Dominum Calmiliacensi degat tugurio sancti numerosa gregis, & imbellis multitudo. Quod non latuit Theofredum Patrem Monasterij religiosissimum: cælestis prorsus dignoscit, quoniam ipsius loci desolatio proxima subsequatur. Ergo diuulgat omnia, euocato fideli agmine etiam quòd ipse vitam finiret, proprio fuso cruore. Scitote, inquit, procul dubio, Fratres dilectissimi, quòd plebs Agarena, quæ nostras depopulat partes, nulli parcens gregi, huc post biduum veniens, funditùs euertere autumat, nósque imbelles ferocissimâ dilacerare rabie captis spoliis pertractat. Ideò, charissimi, qui sub loro fidei nobis præcipientibus colla submisistis, assensum quasi iussibus præbete meis, ne sæuissimi hostes cùm subitò aduenerint, valeant triumphare de nobis, cuncta quoque ligna possunt transvehi humano vel pœnali auxilio in interioris siluæ multiplici reponantur diuersorio: deinde quisque vestrûm propria teneat latibula, sperans in Domino, donec videatis quam consolationem præparet Deus sancto populo, & cùm plebs nequissima vestris discesserit domiciliis, grates Deo soluentes, ad propria redire valeatis.

Ad hæc sancta verba Patris piissimi irreuocabiliter flentes dixerunt alumni: Absit, Pater, ne doceas fugam vrgente aduersario, sed potiùs militare viriliter, & diuersa subire supplicia pro Christo Domino. Non est necesse, Pastor inquit eximius, sed persequentium declinate vesaniam, sicut ipse Dominus. At illi se testimonio confirmatos debacchantium non cedere precibus, & ipse nobiscum latibula petens, saluaberis. Quos Pater immolandus illicò sermone compressit saluberrimo. Audistis, filij, Dominum confitentem in Euangelio: Quòd omnis mercede ductus opilio, commissas deserit oues sub agonis articulo. Cedite ergo sancta ouilia disperdere cupientibus, sicut multorum salus expostulat, & præsentis temporis necessitas: nos verò nec vitâ perfrui, nec mortis vincula recusabimus.

Cùm hæc & talia verba per diem reuolueret integram, ecce Solis orbita properat ad occasum, sicut in libro Ecclesiastæ Salomon indicat opinandum: terrigenas autem cœcâ caligine recursus offuscat noctium. Et quoniam instabat tempus labori prohibitum, præcepit omnes congregari ad vnum, quibus dixit ad vltimum: Iam audistis, Fratres, quòd sæua gens, cuius aduentus vos meritò sollicitat Sanctorum veneranda limina, & Monasteria depopulat, fundénsque sanguinem innoxium, nullius Religioni parcat. Ergo humili poscentes deuotione sanctam inuocamus Trinitatem, quatenùs locum hunc seruare indemnem, & sibi in perpetuum seruire fidelium concedat congregationem, nec nos perire patiatur pro scelerum enormitate, sed misericorditer aspiciens, ineffabili nos protegat pietate.

Tunc ingressi Oratorium sancti Petri, cùm hæc diutiùs orassent, & surgentes ab oratione, plurimi declinaturi acquieuissent, vir Dei remansit cum agmine exiguo, & illam noctem insomnem duxit in omni spirituali laude. Horâ verò solitâ cum Fratribus celebrat Officia: quibus peractis ex integro, recreat omnes potu & spiritali cibo, statímque latibula quærere suggerit, ne moriantur omnes, cùm hostis aduenerit. Sed cùm filij hoc molestè ferrent, & absente Patre, exire dissimularent, cœpit eos vir egregius his consolari locutionibus: Miror, Fratres, & valdè doleo, cur adhuc moramini sanctorum Patrum vacuati testimonio? Paulus enim vt Damasceni Præpositi minas euadere posset, submissus fugere liber gaudet. Fundamentum quoque fidei Princeps Apostolorum Petrus, Neronis quondam declinasset fremitus, nisi certamina mouens obuiam venisset Dominus.

Ergo cùm hæc, & his plura nobis pateant exemplaria, nolite refragari diuinæ misericordiæ, quæ docet nos futura cauere mala. Nos confisi in Domino, hoc in loco subsistemus, & pro communi salute cælestia interim patrocinia implorabimus.

Digitized by Goog

Nec decet vt tempore persecutionis Pastor fugiat, licet vibrantis gladium exemptum videat. Si verò necessitas exigit, dignam mortem subire expedit.

Hæc cùm sæpè diceret, iterato sermone, cœtus omnis vehementissimè cœpit flere. Tunc ipse commotus discipulorum lacrymis, diuinæ inuocat suffragia protectionis: Deus omnipotens, Rex immense, & inenarrabilis, fons & origo totius pietatis: Tu, Domine, quæ licent, nosti, & expediunt nobis; fiat ergo sicut placet tuæ Majestati. Tunc muniti his orationibus, egredientes, condensa siluarum petunt ocyùs, exceptis duobus Fratribus, quos secum retinere probitas suasit & virtus, quibus fastigia montis iuxta Monasterium Sancti ascendentibus vnde euentum rei cernere possent licentiùs, ipse ante venerandum beati Petri tumulum in oratione est prostratus. Nec mora, subitò ferocissima Ismaëlitarum venit turba, sperans innoxium tradere sanguinem, & multa subripere spolia. Postquam tot ædificia vidit vacare hospite, proinde fremit, bacchatur, & Calmelianensis Monasterij Cœnobitas perimendos aggreditur, ac non longè à prædicto Monasterio iuxta festi Diui sui ritum sua sacra impia celebrat.

Ad quam gentem intrepidus Cœnobiarcha Theofredus accedens, illis suam impietatem exprobrat, ostendit, edocétque. Quæ dicta salubriter non sustinens, à suis barbaris & impiis sacrificiis in furorem versa, minis & terroribus, ac etiam verberibus sanctissimum Theofredum excipiunt, ac malè mulctatum à cœtu suo eiiciunt, prosequuntúrque à vico Soleuiaco ad riuulum vsque Colemptiæ, interfeciſſéntque, ni ille riuulus ad magni instar fluminis inundans, Dei seruulo tutum iter ac sociis præbuisset, insequentésque barbaros mediis gurgitibus absorpsisset. Quid plura? indignati Saraceni, postridiè Ligeri fluuio, riuulóque Columptiæ prætergressis, ad Monasterium Calmelianense perueniunt, vbi omnia ferro, igni, prædæque exponẽtes, inuictissimum Christi militem Theofredum, Monachis cæteris in latebras interioris solitudinis dimissis, aggrediuntur, atque lapidibus ferè obrutum, mortuum credentes, semiuiuum trepidissimè relinquunt. Siquidem & turbatus aër, terráque commota, quasi Deo pro seruo suo militante, ad classicáque veniente, & grandine, nimbis, atque horrendis tonitruis, moram in dicto Monasterio barbaros facere non permittunt, pluribúsque siue deficientibus, siue fulmine ictis, pars reliqua tandem aufugit.

Post obitum igitur sanctissimi Martyris miraculis celebris, pro diuersorum temporum seu varietate, seu iniquitate status Monasterij agitatur. Mirum tamen est, quantâ religione & Abbates & Monachi successores in regimine Monasterij piè, laudabilitérque vixerint, quorum religionis & deuotionis fragrantia ad omnia circumquaque loca exteráſque prouincias penetrarit. Nam non in Viuarienses solùm, sed apud Gabalitanos, Aruernos, Ruthenos, & apud Delphinates, Viennenséſque, & Allobroges, transito Rhodano; ac insuper apud Lombardiam, pluréſque alias gentes plurimas obtinent Ecclesias, & nobilissima illis traduntur loca, fundantur Cœnobia, regimini Abbatum, & aliorum Monachorum prædicti Cœnobij in perpetuum subiicienda. Hinc fit quòd multis priuilegiis Monasterium decoratur regiis, & Apostolicis, iuxta priuilegia à Calmelo Duce iampridem obtenta. A iure siquidem & subjectione Ordinariorum, Episcoporum, & Metropolitanorum eximitur, ac immediatè sanctæ Sedi Apostolicæ subiicitur, in signúmque prædictæ immediatæ subjectionis quotannis quinque solidos monetæ currentis in patria, (sunt enim Paschalis Pontificis verba in Bulla) Ecclesiæ Lateranensi soluere adstringitur. Quæ priuilegia ante annum millesimum obtenta, à plurimis Pontificibus confirmantur. Similiter à Regibus Francicis plurimis immunitatibus donantur, & Regiæ Majestati in temporalibus tantùm prædictum Monasterium cum suis limitibus subditur, vt in rescriptis priuilegiorum à Carolo Magno, Ludouico Pio, & Pipino Aquitanorum Principe emanatis videre licet.

Atque hæc sunt ferè, quæ de Monasterio sancti Theofredi vetusta origine breuiter dici possunt, scilicet ab anno quingentesimo septuagesimo, vsque ad millesimum centesimum, vel circa, nimirùm à Calmelo Aruernorum Duce & fundatore, vsque ad Guillelmum quartum Abbatem, fortiter contra Episcopum Auicienſem, & alios, sua in temporalibus & spiritualibus iura tenentem.

Claudius Robertus Galliæ Christianæ, pag. 650. Cœnobium illud Diœcesis Podiensis, ab Auicio sex leucis distans, Calmelium, seu Carmilienſium dictum, primum asserit ha-

buisse Abbatem sanctum Eudonem, discipulum sancti Maximini Lirinensis, eique successisse Theofridum circa annum 570. cuius vt Martyris natalis notetur 18. Nouembris in Martyrologio Lemouicensi; quæ qui voluerit ad limam accuratiùs per otium expendat.

Placet quoque hîc nonnulla ex Chronicis eiusdem Cœnobij subiicere, licet quamplurimis parachronismis fœdata, & à sciolo quodam conscripta.

Monasterium quod nunc sancti Theofredi Martyris ad radices præcelsi montis Mezentij positum, omnium montium eminentioris, quibus Celtæ ab Aquitanis disterminantur: quâ parte iidem Aquitani Orientem, siue Meridiem respiciunt: ex quo monte Ligeris fluminis suam originem ducit, ibique non longè Bonæ-Fidei Carthusianorum totius in Aquitania eiusdem Ordinis antiquissimum situm est Monasterium, Calmeliacense olim Cœnobium appellatum. Vetusta huiusce Monasterij sancti Theofredi traditur antiquitas à Calmelo illius à fundamentis ædificatore. Quibus quidem temporibus idem Calmelus Dux Aruernis imperabat circa annum Domini quingentesimum septuagesimum. Nam cùm idem Calmelus Aruernorum Princeps ac Dux inclytus esset, dimissâ sæculari pompâ, ac negotiis, quibus mundi Principes interdum interturbantur quominùs vacare possint cultui diuino, rerúmque cælestium contemplationi, relictâ aulâ, ad Vellaunensem Comitatum secessit, vastissimam eremum ingreditur, monasticam vitam secuturus, paucos sui voti ac desiderij compotes, ac comites habens; hácque in valle illius magnæ solitudinis sacellum exstruit, ac Diuis Apostolis Petro & Paulo sacrum facit.

Pij ergo ac deuotissimi instituti obseruantissimus, moram aliquot annos inibi trahit, cum ecce, ita Deo disponente, visendi Romæ Apostolorum limina maximo desiderio tenetur. Quid plura? Voto se adstringit, ac Romam proficiscitur, iter per Prouinciam Prouinciæ faciens: ad quam cùm peruenisset ad videndam illam Monachorum multitudinem mirabilem, quæ in Lirinensi Monasterio habebatur, gressus suæ peregrinationis dirigit. Tanta enim Monachorum illius Cœnobij habebatur sanctitas, tam grandis religio, vt ferè suo odore totum Occidentem repleret. Vnde non minùs scitè quàm eleganter Sidonius ille Aruernorum Episcopus, aliquo in loco exclamat: Mirum esse quantos illa plana insula excelsos montes in cælum erexerit.

In illo igitur Monasterio Monachorum Pater & Abbas habebatur Maximus (errat bonus ille Chronographus) & re & nomine vir celeberrimus, qui in Diuorum numerum relatus, post aliquod tempus Regensis Episcopus insignitur: quem Calmelus Princeps deprecatus est, vt aliquot sibi Monachos traderet, & vnum illis præficeret, quos ad Monasterium iamdiù præparatum, scilicet Calmeliacense inhabitandum, colendúmque mitteret. Cuius precibus sanctissimus Pater annuens, certum Monachorum numerum tradit, illíque Eudonem, virum sanctitate, morúmque honestate præcipuum præficit.

Perfectis igitur peregrinationibus, Romæque votis exsolutis, ad Aruernos reditum Calmelus parat, secúmque Lirinenses Monachos ad agrum Vellaunensem, montémque Mesentium ducit. Quibus in Monasterio Calmeliacensi deductis, locatísque, ac benè prouisis, ad interiorem Aruerniam se recipit, ibique nouo exstructo Monasterio, vitâ excessit. Florent interea, claréntque Calmeliacensis Cœnobij Monachi & doctrinâ singulari, pietatéque admirabili: præcipuè inter hos Eudo Abbas, totámque illustrant Vellauiam, Viuariensem gentem, atque Gabaliam.

Aliquot annos igitur Eudo in Calmeliacensi Monasterio transegerat, cum quadam cupidine agitur visitandi Monasterium Lirinense, inde per prouinciam perambulauit, peruenientsque Auraicum ad vrbem Theofredum Fratrem nobilem vrbis Auraicæ principem obuium habuit, ipsúmque filium nomine Theofredum, totius principatus, dominiique aliquando vnum hæredem, qui puer indolis optimæ, ac literis humanioribus sufficienter institutus mirari cœpit in patruo vultus loquelæque grauitatem, institutique ac vitæ sanctitatem. Quapropter ægrè post multa difficillima

ſicillima tandem habita parentum licentia patruum Eudonem colit, miratur, ſequitúrque ac in Monaſterio Calmeliacenſi regulari habitu ſuſcepto de virtute in virtutem progrediens, mortuo Eudone ab omnibus Monachis Monaſterii & Abbas elegitur, acclamatur, dignus ſuſcipitur. (*inde omnia confundit tempora.*)

Ad annum DCCXVIII. vel vt alii volunt XXX. peruentum erat, cùm ecce Eudone Aquitaniæ Duce inuitante ſæuus ille Abdiramam Saracenorum in Hiſpania Rex Gallias cum ſuis omnibus habitaturus ingreditur, totámque Septimaniam ac Prouinciam gens illa Iſmaëlitica ac populoſa occupans, ad Vellanenſem & Gabalitanenſem Comitatum penetrarat, omnia ferro ignéque conſumens ac nulli hominum generi, ſexuique parcens, humana Diuináque omnia furore implacabilique odio proſternens, Theofredum cæteroſque nequit ſtare loco. Tunc circumquaque diſcurrens inuenit Beatum virum, ſicut ſupra dictum eſt orationi deditum. Feruentes ergo viri nequiſſimi ducis eum contudere verberibus ac eliminantes pereunctantur vbi tot ædificiorum lateret populus. Quorſum? Nefandis iuſſibus ipſe reſpondit intrepidus: Vobis teſtificor, Fratres, in veritate, quòd omnium protector Dominus cuncta ſubduxit immanitati veſtræ, nec præter eius voluntatem erit vobis licitum ſancta diſperdere agmina fidelium. Niſi nobis, inquit plebs ſæuiſſima, omnia citius patefeceris, quæ confiteris repoſita, celſa Monaſterii faſtigia ruere videbis ſpirante flamma, ac deinde tu ipſe morte peribis peſſima. Quibus beatus vir reſpondit: Cùm Dominus noſter huius ſit defenſor loci fortiſſimus, exinanire iam, ſicut dicitis, aduerſantium non valent manus. Quòd ſi mihi mortem vultis inferre, dignum eſt pati pro ouibus & in interitu noſtro eas ſaluare. Illi verò nimio ſuccenſi furore videntes quòd nihil proficiunt acriter, eum cædentes ſemiuiuum relinquunt. Sed quoniam ſolemnis dies ſecundùm gentem interuenerat, procul ab Eccleſia gens Iſmaëlitarum ferociſſima paterno more ſacrificare celebrat. Quod animaduertens vir ſanctiſſimus Deo annuente reſumptis viribus ad eos vſque properans in medio libantis populi hæc exhortationis verba eſt locutus: ſi hæc dæmonibus tam deuota mente ſacrificia perſoluitis auctori rerum Domino, cui elementa famulantur omnia, & quem omnia ſpiritualium & cœleſtium collaudant agmina: his abdicatis cæremoniis condigna vos oporteret celebrare libamina. Ad hæc verba ſæuus debacchatur populus pro monitis viri quem extinctum putarat, & votorum contemptibus. Princeps verò libaminum cùm hæc rationabiliter diſcernere debuiſſet, ingentem capiti eius lapidem vibrat, quo ſtatim corruit ictu vir Sanctiſſimus & fuſo ſanguine polluta conſecratur tellus.

Mundiſſimi verò labente gleba corporis locus ille contremuit, tantúſque ſonitus ac motus terræ impiorum auribus inſonuit ac ſi omnis Monaſterii fabrica lapſum patris vellet imitari dolore commota. Paganis verò velociter fugientibus crebra ſubſequuntur fulgura, ac tenebroſus nimbus. Tunc procedente ventorum valitudine multipliciter feruntur ac nimio deuaſtantur terrore; & licet infideles diuina certamina agnouere. Abjectis ergo cæteris militiæ inſignibus prauis adinſtar Phœbeæ lampadis compactis conabantur defendere ſuppoſitum corpus, ſed ſublata furente ſpiritum reuoluit in gyrum in modum turbinis, ne ſcelerata plebs ſancto diſcedens loco videretur indemnis. Ita contigit, vt qui iniuſtè aliena diripere deliberauerant, vix euaſerint, locum promerentes propria amiſerunt.

Expulſis igitur prædictis hoſtibus, cæteri hoc audientes ab ipſo confinio reflexerunt greſſus. Denique fratres illi, quibus vir Dei montis aſcendere culmina indixerat, ac plurimorum cœtus qui locis tutioribus ac celſoribus interim rupibus latitarant, videntes impacatos terribiliter diſcedere Iberos, ſentiunt ſe interuentu Beati Theofredi Abbatis eſſe liberatos à nequiſſimis. Conuenientes ergo repererunt Patrem pro communi ſalute horribiliter humi proſtratum; verticem verò vſque ad cerebri interiora cum ingenti lapide ſaucium. Tunc poſt innumerabiles fletus & lamentationis carmina patria prouidentes pignora ſacrata reportant in cellula. Cæteri quoque qui ſiluarum luſtra ingreſſi long ùs fuerant diſperſi paſtoris domicilia repetunt. Cuius diſcrimina videntes prouoluti genibus ſanctos ſæpe deoſculantur pedes atque manus. Sed vir ſanctiſſimus arcet eos tam familiari obſequio, ac per ſeptem dies Diuini ſermonis recreantur pabulo. Septimi quoque dici imminenti articulo poſtquam diſpoſuerat quàm honeſtè ſe haberet præſens

concio, vel quàm religiosè summo deseruirent Domino. Cùm omnes circumcitea decantarent Diuina præconia, migrauit ad Dominum felix anima, cui est honor, laus & gloria per cuncta sæculorum sæcula. Amen.

VITA SANCTI VERANI EPISCOPI Caullicensis.

Descripsi ex Apographo Reuerendissimi atque Eruditissimi Episcopi Monspellensis.

PROLOGVS.

BEatissimi Verani glorioſa ſolemnitas & vigorem ſui nominis exprimit & gratiam magnæ ſalutis, quia dum Veranus diuerſa ſuperauit pericula iſtius vitæ, meritis mundana vicit cuncta impedimenta. Sicut enim in Apoſtolico fundamento ſancta conſtat Eccleſia & à Chriſto firma petra Petrus auctor inſuperabilis ſtatutus eſt, ita triumphatoris æterni Veranus in gentibus Confeſſor efficitur, quem ſi gladius perſequentium non tetigit, dignitatem tamen martyrij non amiſit.

INCIPIT VITA.

POſt vindictam ſcelerum quæ facta eſt à Domino cæde Galliarum, miſericordiam cœli diſtillauerunt, dum Veranum mundo Pontificem protulerunt. Benedicta gloria Domini de loco ſancto ſuo quæ nos dignis Sanctorum meritis eripit ab ira ſuæ indignationis: Dignum igitur atque laudabile eſſe cenſuimus, vt Beatiſſimi Verani vitam, qui meritis aſcendit in cœlos, literis memoremus in terris.

Beatiſſimus itaque Veranus, natione Gallicus, ciuis fuit Gaualitanus: haud procul ab ipſo territorio parentum ſtudio nutritus: quos conſtitit genere non fuiſſe minimos nec præcelſos. Cuius adoleſcentia tantùm fuit bonis inſtituta moribus, vt in timore Dei vſque ad vitæ ſuæ exitum permaneret: contigit ergo vt Beatiſſimi Priuati Martyris feſtum ſollemnitatis, quod annis ſingulis veneratur in territorio Gaualitano & excolitur cauſa deuotionis expeteret, vbi inſomnem totam duxit noctem, nec ab eo loco diſcedere voluit, quo ſe ad expectandas vigilias collocauit: in qua ſtatione non minus ſtetit mente quàm corpore. denique iam mane facto loci ipſius Epiſcopo reuerenter occurrit, & ab eo petiit, vt deſectis capillis in Clericorum numero admitteretur, quo facilius quidquid infanti Dominus in mente conceperat, etiam religione perfectiùs monſtraret. Quod vbi cum ſumma deuotione eum expetere vidit Epiſcopus, cæſis eius comis in Clericorum ſortitus eſt habitu, & per aliquantos dies eſt ibi moratus.

Supradictus ergo vir Dei exinde progrediens in pago cui nomen eſt Cauellico cum ſumma velocitate deuenit. Populus autem ille Cauellicenſis per plurimos annos fuerat oppreſſus ab impuriſſimo ſerpente, qui vulgo draco vocatur, qui in fonte verſabatur pluresiam dies, qui Sorgia dicitur. Quo audito vir Dei nimio dolore compaſſus iter cepit ad ſupradictum fontem, quò cùm vehemens draco Sanctum Dei ad ſe venire videret, nimio terrore timidus flammam de ore ſuo cœpit proiicere. Tunc vir Dei pronus in terram ore & corde orauit deuotè. Cùm autem ſurgere ab oratione cœpiſſet, vir ad draconem: Adjuro te draco per IESVM-CHRISTVM æterni Regis filium, vt me non poſſis lædere, neque hic amplius ſtare. Ad hanc vocem Beati viri teterrimus draco velut mortuus in terram cecidit. Vir autem Domini Veranus quam ſecum portabat catenam in collo eius miſit, & catenatum vſque ad montem Debrieſonem quaſi mortuum traxit. Tunc Beatus Veranus catenam de manu tulit & facto ſigno Crucis ſerpens ſurrexit, & ait ad eum vir Dei; Adjuro te per viuentem in æternum, vt ſicut hodie à me læſus non es, ita ab hac hora & deinceps neminem lædas. Tunc

Digitized by Google

draco volare cœpit & vsque ad cacumen montis ab omnibus visus est & postea numquam comparuit. Sanctus itaque Confessor Veranus ad fontem reuersus durissima ibi saxa manu scidit propriâ, & viam per quam ambularent homines fecit, ibique in prædio suo cellulam in honore B. Mariæ construxit, vbi cum collega suo diebus aliquantis commoratus est.

Deuotione orandi vrbem Romam expetere deliberauit. Arrepto itaque ipsius itineris cursu asperitatem viæ vel rationis diuersitatem fidei virtute & meriti superauit sanctitate. Qui cùm ad ciuitatem Ebredunensem peruenisset ibi omnipotentis gratiam Dei quam meruerat publicauit nobiliter: nam tantam rationis virtutem per illum spectantibus populis Deus ostendit, vt plurimos ibidem à passionibus liberaret dæmoniacis; tres tamen sub Episcoporum præsentia à terra suspendens eorum manus ab ipso superimposito Crucis signaculo sine vllis vinculis apparentibus sanctitatis virtute ita ligauit, vt terram eorum non tangerent calcanei, & tamdiu penderent in aëre, donec illius interuentu fuissent liberati, qui diabolica insidia fuerant captiuati.

Accidit etiam in ipso itineris cursu cùm amica latronibus loca præteriret, vt incursum pateretur ipsorum: maxima etenim montis parte qui Brienconi adjacet, prope iam superata inter obscura vel secreta siluarum ipsi latrones eidem Dei seruo occurrerunt: cúmque eum strictis mucronibus adgrederentur, vt depositis vestibus amputandum gladio caput extensa cervice summitteret eorum ordinauit impietas, quod vir Dei intrepidus Diuina virtute plenus optabat, petit tamen vt orandi spatium concederent illi paululum. Completa denique oratione, ictus ferientis euanuit, & in aëre dextra suspensa pependit. Quod factum, vt latrones ipsi per virtutem Dei & meritum sancti viri perspexerunt, proni ad eius vestigia inhærentes rogabant, vt ipsi latroni redderetur dextera. Tunc Beatus Confessor Christi vt erat piissimus, præstare non distulit postulata, & vt Euangelica inimicos diligendo compleret præcepta, manum debilem incontinenti redditam ad vigorem reuocauit pristinum. Quo tamen in loco tantus subito quasi aduenientis populi fragor visus est sonuisse, vt turbati latrones siluarum fugiendo secreta repeterent.

Dehinc per omnem Italiam vsque ad vrbem Romam sine vllo obstaculo aduersitatis, vel perturbatione animi diuino auxilio suffragatus accessit. Qui cùm venisset ad Tiberim ab vrbe Roma, milliario ferme quadragesimo, vt pedibus iret statuit. Deinde hoc sibi omnibúsque suis indixit, & sic vsque ad sanctissimam Confessionem S. Petri Apostoli desiderij sui compos accessit: vbi vt pius orator deuota expectatione peruenit, custodem Confessionis honorificè salutauit & cum summa humilitate popposcit, vt illi sepulchri vestibulum dignaretur patefacere: quod sanctitatis eius ille ignarus fieri posse negauit, multos esse dicens potentes, quorum precatu orandi tantummodo spatium concederet: & veluti festinus ille custos post tale responsum ad suam remeauit cellulam. Beatus verò Confessor Veranus ante ipsa confessionis claustra curuans genua oraturus petiit terram, ibique omne votum & sui cordis desiderium intenta suppleuit oratione, surgénsque ab oratione, ac monumenti septa nimio fidei ardore succensus deosculans, ita catenatus ille locus solutis vinculis patefactus est, vt crederetur beatus Martyr & summus Apostolus ei qui illic orauerat reseratis aditibus occurrisse. Quod vbi venerandi ipsius loci custos audiuit, ad petendam veniam festinus occurrit, & vestigiis Sancti Verani pronus incumbens indulgentiam postulauit: quod piissimus vir Domini Veranus sine cunctatione præstitit & totus in charitate consistens veniam quam petiit non negauit. Cùm autem audisset Romanus Pontifex & beneficium sancti Apostoli & meritum venientis cum summâ eum in omnibus dilectione suscepit, multumque Papa reuerendus immensæ sanctitatis illius amore deuictus eum credidit retinendum. Quod reuera ita fecit, nonnullisq; annis, quibus in Romana vrbe degut non minimis resplenduit miraculis, quę si quis studiosorum scribere voluerit per singula, dies antea puto eum deficeret quàm lingua aliquid prævaleat explicare. Interjecto ergo multo temporis spatio suggestione Beatissimi Papæ facta ad [4] Imperatorem, iam dictam patriam repetiit Gallicanam, cui per Episcopos Italiæ, vel per omnem Galliam ex præcepto Papæ susceptio data est honorificè, sed cùm vrbem famosissimam Rauennam crescente fama peracceſſisset, qui ibidem vexabantur eum confiteri cœperunt, & eorum relatione populi inopinatũ serui Dei aduentum cœperunt agnoscere, & infirmorum multitudinem exhibere, vt opera Christi per sanctum Veranum videre mererentur super infirmorum scilicet

recuperationem: quod reuera & fides illorum obtinuit, & per seruum suum potentiam diuina largitio indulsit miraculorum: Vnde per singulas ciuitates euectionibus à sanctis Episcopis cum charitate præstitis Mediolanum vsque peruenit, vbi cum sancti Martyris Laurentii festiuitate teneretur, inibi enim Galla Placidia vxor quondam Zenonis (imo Constantij) Imperatoris in honore eiusdem Martyris domum mirificam construxit, quæ sua pulchritudine vniuersa penè ædificia superat Italiæ. Illic plurima virtutum suarum miracula magna fidelibus suis per pretiosissimum Confessorem suum Veranum Deus ostendit. Nam die ipsa duodecim vexatos oratione sua, Domino auxiliante à consuetæ passionis vinculo liberauit. Item in eadem Mediolanensi vrbe die quadam nepoti cuiusdam nobilissimi Principis orationum suarum viribus cæco restituit visum. Sublimis quoque cuiusdam Constantini nomine filium vocabulo Resterarium, in ea ipsa ciuitate, qui nuper fuerat defunctus, à mortis sopore veluti dormientem à somno studuit excitare. Huius etiam corpusculum, vt erat rigidum, ante eius præsentiam detulerunt. Vir autem Dei Veranus orationi sic institit, vt inuocato Dei nomine coram multis adstantibus eum resuscitaret turbis.

Deinde petente sanctissimo viro Honorato ipsius ciuitatis Episcopo, ad ciuitatem, cui nomen est Albingano profectus accessit; ibi quoque plurima signa virtutum, Christo auxiliante, non solùm fidelibus, sed etiam Gentilibus ostendit. Nam cùm fuissent octo iam menses expleti, quo terræ illi pluuia negabatur, oratione S. Verani intercedente, magnorum imbrium fuit effusio, vt ex dono Dei ager qui siccitate afflictus aruerat decurrens agri vigorem reciperet, & solitam rerum alimoniam ministraret. Quod tamen non m..... beneficium istud amplius quàm in duobus vndique millibus est concessum quod propterea Diuina potentia in tam breui terrarum spatio præstitit, vt gentilem populum circumsistentem ad credulitatem prouocaret.

Cum vidissent denique gentiles Christianis pluuiam fidelibúsque concessam certatim ad beatissimum Veranum venientes petere eum sub quadam sponsione cœperunt pollicentes, quòd si per orationem eius sordida idola quæ colebant soluerentur in puluerem, statim Deum quem colebat, credere non tardarent. Quam promissionem Dei amicus cum ambitione magna suscepit. Etenim ad Paganorum ipsorum habitacula salutis portitor aduenerat. Tunc conspecti sub expectatione populi S. Veranus in oratione pronus incubuit petens vt superna maiestas signum ab incredulis petitum non negaret: sed ita omnes idolorum statuæ soluerentur vt redactæ in puluerem vlterius non parerent. Qui illico vt orationem impleuit petitionis ipsius effectus apparuit: statim namque ignis de cœlo descendit, qui simulacrorum omnium portenta & idolorum statuas in puluerem redegit. Poposcerunt igitur gentiles iterum post hoc vt illis pluuiam sicut Albingano fecerat, suis precibus obtineret, idque per seruum suum beatissimum Veranum quod petebatur diuina concessit miseratio. Quod miraculum licet celeriter pietas superna præstaret, in illis tamen adhuc incredulitas perdurabat & cœcitas quia dum implere differebant quæ spoponderant, credere minimè volebant. Tunc affirmare cœperunt se pro Deo habere miræ magnitudinis draconem, cuius auxilio fertilitas aduenire ipsis & corporum expectata succederet incolumitas, cui puerum necdum pollutione vitii carnalis illusum annis singulis immolarent & incorrupta virginitate puellam: tauros etiam vel iuuencas similiter annis singulis mactabant, quo facilius possent in suis locis ab illo tuti subsistere. Vnde dixerunt quod si qualibet conditione fugaretur, postmodum viuum & verum Deum, quem Beatus Confessor colebat Veranus, credere non tardarent. Quod non aspernatur vir Dei, sed pro timore Diuino ardore succensus fidei ad locum vbi draco ipse dicebatur in cauernis petrarum habitare, non dubitauit accedere, vt incredulis satisfaceret, & omnium vota compleret. Igitur auxilio Crucis confidens cum oratione flexis genibus faciem terræ proximans altiori voce precatus est dicens: Summe Deus cœli & terræ & dominator omnium qui creaturarum visibilium & inuisibilium factor es elementorúmque dispositor, qui in Trinitate viuis & regnas, adesto precibus serui tui Verani & his famulis tuis te verum, viuumque Deum in Trinitate colendum precatus ostende, ne longo errore has omnes animas regno tuo debitas metus diabolicæ superbiæ teneat, & à fide veritatis excludat: sed præcepto maiestatis tuæ, aut hic draco lubricus intereat, aut vbicumque diffugerit ad conuersationes hominum nullatenus accedat. Hac deprecatione finita horribile monstrum & immensus draco ab ipsa vrbe elapsus vicini fluminis alueum petens, mare vsque visus

Digitized by Google

est accessisse, nec vlterius vbique depulsus apparuit quem virtus Diuina per beatum Veranum fugauit. Quo facto omnium infidelium turba conuersa Deum verum & viuum magna multipliciter voce laudauit & per ipsum percipere sanctam baptismi purgationem meruerunt, sic antiquæ incredulitatis nube detersâ noua splendentis lumine meruerunt præsidia.

Hinc ergo regressus ad Gallias cùm transitis Alpibus proximasset ad quendam vicum, qui erat proximus viæ, orandi causâ, vt plerumque fit, deflexit. Qui cùm in Ecclesia ibidem primùm intrare vellet, plangentium audiuit voces. Tunc percunctatus suos quidnam hoc esset, didicit quamdam puellam fuisse defunctam. Vnde pietate & misericordia motus ait: Eamus fratres visitare lamentantes: & si quid his consolationis impendere possumus, conferamus charitatiuè. Et in ipso verbo oratione facta gressum festinus admouit. Antequam autem intraret hospitium, vbi defunctum corpus habebatur, indicto consilio iis qui secum aderant orare præcepit. Cum ergo ab ipsa oratione surrexisset, adprehendens manum puellæ exanimis tertiò illam nomine proprio altiori voce clamauit, statimque auxiliante Domino à captiuitate mortis erepta respondit, ac vitæ reddita parentum fletus immensa gaudii vbertate repleuit.

Transitis ergo Alpibus ad desideratam Galliam gratia diuina perductus aduenit, cúmque ad S. Thyrsi Martyris Basilicam in agro Cassiano positam peraccessisset, duo ibi illicò cæci habitatores eiusdem vici obtutibus illius se obtulerunt quos seruus Dei Veranus secundùm multitudinem deprecationum suarum diuinæ indulgentiæ largitatem spectantibus his ipsis qui occurrebant collato lumine, à perpetuæ mortis tenebris liberauit: deinde ad domum cuiusdam viri spectabilis vocabulo Tharsicii, cuius fuerat prece rogatus..... diaboli..... priuatos eripuit, & precum obtentu redemit. Quemdam etiam ..... ab ipso sanè exordio nascendi .... fideliter ei in eodem obtulerunt loco: in cuius ore digitum cum oratione deposuit, & loquendi aditum patefecit, ita vt in primis, Alleluya, spiritali Medico responderet. Ipse postmodum etiam vsus est communi omnium eloquio magnificans Deum per omnia. Ex cuius dono per sancti serui sui preces Verani ad ea quæ vellet dicenda peruenerat, & silentio naturali remoto, eloquio concesso gaudebat. Quæ causa tantam fidem populis fecit excrescere, vt debitas Deo gratias Regi magno & dignas laudes indesinenti voce clamarent.

His diebus quibus Beatus Veranus Confessor inclytus in Gallias est regressus, Regnum Francorum iam Rege eorum mortuo nomine Clotario, eius filii regebant quadrifariè. Primus namque ex his Charibertus sedem habebat apud Parisius: secundus verò Guntramnus ciuitati præsidebat nobilissimæ Aurelianis: tertius autem Chilpericus apud Suessionas in loco patris sui: quartus verò nihilominus Sigebertus apud vrbem regnabat Metensem. Hic itaque populo nunciante ex huiusmodi virtutibus fama comperta, missis venerabiliter litteris sanctum Dei Veranum ad se euocauit. Qui dum Domini causâ accersitum se videret ad Principem, quæ libentissimè petiit iste, studuit ille adimplere. Apud quem multo tempore frequentans virtutibus & miraculis effulsit non modicis; pro miserorum quoque afflictione sedulus permansit intercessor.

Cùm furor Regis aduersus quendam commilitonum suorum subitus & intolerabilis surrexisset, præcepit eum subjecto incendio concremari. Cúmque ad hoc secundùm præceptum Regiæ potestatis fuisset cappa succensa ipso reo iam flammæ vicino, summo cursu & magno fatigatus impetu Confessor pius Veranus, vbi res agebatur, accessit, & se inter flammas, & eum qui flammæ subiiciebatur immergens, virgam, quam in manu gestabat, sæuienti incendio Dei memor opposuit, & omnem impetum furentis flammæ extinxit. Quod cùm Rex summa celeritate nuncii cognouisset, præcepit absolui, quem ligni adinstar aridi iusserat concremari.

Memoratus denique Princeps dum per ciuitates singulas solito more discurreret cum Beato Verano, Cauillonem ciuitatem peruenit, vbi vir Domini solita pietate Diuina complere mandata iugiter erat sollicitus, nempe Euangelicæ auctoritatis præcepti non immemor ad visitandos fouendósque qui in vinculis tenebantur accedere non tardauit. Sed cùm carcerem cauti nollent aperire custodes, confidenter signum Crucis cum oratione faciens S. Veranus vniuersa carceris claustra repentè & munimenta confregit, & ministerium quod afflictis & tribulatis exhibebat impleuit.

Quod cùm Principi celeriter vt gestum fuerat crebra nuntiantium relatione esset diuulgatum cordis eius amor iugiter erga ipsum virum Dei maximus creuit, & honoris plurima veneratio. Nec immeritò fouebat eum humana gratia cui fuerat concessa diuina.

Dum his ergo & tantis virtutum mysteriis Diuino auxilio gesta illius fulgerent operationis casu contigit, vt sorte fragilitatis humanæ præuentus memoratæ vrbis Cauellicæ Antistes prædecessor eius eodem tempore de corporis tabernaculo vocatus à Domino de hoc migrauit sæculo. Iam enim tempus aduenerat, vt S. Veranus ei decener in Pontificij dignitate succedere deberet, qui per iudicium Regis confidenter electus & consensu populi ambienter expetitus & cœlesti imperio fuisse dignoscitur consecratus.

Deinceps etenim infulam Sacerdotalem ibi adeptus, quàm sanctè, quàm religiosè conuersatus est, amoris &.charitatis perfectæ studio non minus quàm culmine, multis annorum circulis beatitudine præferenda consistens. Accepta etenim Episcopii dignitate more solito, plurimos languentes vt antea agere consueuerat pristinæ sanitati Medicus laudabilis per Dominum reddidit. Dæmones autem ab obsessis corporibus assiduitate orationis eiecit. Apud maiestatem verò supernam cui sunt omnia possibilia integrè tenetur & apertè (quod nihil superfluum in hoc opusculo, nec mendacissimum scripsimus, nec incertum) sed ne etiam audientibus fastidium multa prolixitas fieret, plurima quæ in Episcopatu gessit signa, quæ in aliis descripsimus membranis, ab hoc opere subtraximus: sed super hæc pauca quæ supra memorauimus Deum testem inuoco, quoniam ita omnia veraciter acta sunt, qualiter hic leguntur descripta.

Nunc ergo eius sanctissimum obitum fideliter literis posteris intimare curauimus. Sanctus Confessor Domini Veranus assiduè in orationibus suis deprecabatur Dominum, vt notum ei faceret finem suum: responsóque accepto ab eo, appropinquare cognouit resolutionem sui corporis. Quo agnito vicinos Episcopos & discipulos suos ad se venire iubet, vt eis prædicaret quod à Domino audierat. Quo audito vicini Episcopi & condiscipuli cum nimio dolore virum Dei in suo languore visitare multi & plures conuenerunt flentes, & contrito animo circunstetterunt, eique dixerunt: Pater, vbi sepulturam corporis tui prædestinatam habes? Ad hæc vir Dei Veranus respondit: Fratres, non in mea ordinatione, sed in Dei consistit prædestinatione. Post hanc vocem dilectum Deo ad cœlum emisit spiritum vndecimo die mensis Nouembris.

A viris itaque religiosis, qui ad ipsius confluxerant transitum, aquis, vt mos est, sanctissimum eius corpus ablutum est, quem, vt decebat, nimia cum reuerentia imponentes feretro pallij pretiosi cooperuerunt velamine. Noctem autem ipsam ducentes peruigilem psalmis & hymnis ac spiritualibus canticis dederunt operam. Cúmque iam ipsi nocti Aurora imponeret finem, & sol desiderabili terram suo lustraret lumine, Episcoporum & condiscipulorum corda & eorum qui ad eius conuenerant exequias non solum mœstitia tenebantur adstricta pro tanti viri absentia: sed & dubietas in eis erat non modica, quia quo in loco ipsius iusti corpus reponi deberet ignorabant. Tandem dubietatis nebulam ab eorum mentibus pius Dominus abstergere dignum ducens ad hoc incitauit animos, vt suos humeros supponerent feretro, sed quamnam in partem iter arripi deberet, minimè sciebant.

Mirificum tunc & pœnè inauditum sæculis omnibus miraculum diuina concessit miseratio suis qui ibidem aderant fidelibus. Pallium namque quod corpus tegebat sanctissimum repentè cunctis videntibus se in aëra subleuans, eos veluti ductor itineris semper præcessit quousque peruenirent ad fontem supra scriptum Sorgiam, qui in maximo deriuatur flumine. Dúmque ibi peruenissent, non solùm vadum minimè reperire potuerunt, sed etiam deerat nauigium, nec etiam nauta illic parebat, qui nauali euectione eos ad vlteriorem eueheret ripam. Mirum dictu nutu Diuino repentè fons ille magnus stetit quousque vniuersi siccis transirent vestigiis. Hæc tua sunt, Deus æterne, opera: hæc tua sunt magnalia, quia seruus tuus Veranus gratia tua est quod est. Quid etenim esset, si ex te non esset? Sed qui dedisti vt ex te talis esset, perfecisti vt in eo tua gratia non esset vacua, non vt modo ipsi prodesset, verùm & per ipsum alis misertus vberrimè subuenires. Potens es enim Domine hæc operari qui populum Hebraicum sicco vestigio rubrum mare fecisti transire columnam

Digitized by Google

nubis per diem & columnam ignis per noctem eidem præbuisti ducem itineris.

Gaudio itaque nimio pro his omnibus exhilarati Sacerdos & populus in prædio tandem Beati viri peruenerunt, vbi ipse dum adhuc viueret in corpore cellulam in B. semper Virginis Mariæ constituxit honore. Ibi itaque cum fletu & nimio mœrore eius sacratissimum corpus cum hymnis & psalmis sepulturæ tradiderunt sub pridie Idus Nouembris. Sed illis naturali dolore contristatis pro tanto pastore nos omnes gaudeamus in commune quibus sanctus iste speculum factus in mundo sanctissima reliquit exempla. Triumphet spiritali tripudio comptus Pontifex, Sacerdotes stola splendentes iustitiæ exultent, Leuitæ Beatorum lætentur operum fortitudine & accincti virtutis decore, omnisque ordo Ecclesiasticus Omnipotenti Deo pia reboet carmina. Laica turba cum sexu fœmineo alternatim se prouocent iuuenes & virgines senes cum iunioribus dicamus omnes prece supplici.

Sancte Verane pie Confessor succurre nobis miseris per gratiam Christi, vt qui in hoc sæculo sumus aduenæ & peregrini, abstineamus à carnalibus desideriis, vt perueniamus ad patriam cælestis paradisi, vbi Deus Pater vnà cum Filio & spiritu sancto viuit & regnat.

In eodem autem loco requietionis eius vsque hodie si petentium fides exegerit sua beneficia vir Dei præstare non desinit. Vos ergo, Fratres dilectissimi, mecum moneo pariter & exhortor, vt eundem Christi Confessorem beatissimum Veranum Antistitem fusis precibus exoremus, quatenus nos anni reuoluto circulo ad suæ solemnitatis festa sua intercessione fideliter reuocet, vbi nunc vnanimitas nostram deuotionem conjunxit expectata. Mitiget furorem Domini Veranus almus, cui Dominus inter Apostolos principalem perfectionis tribuit gratiam qui cælestis præco & præcipuus Dei extitit bellatorum, & nunc gaudens in æternum regnat cum Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VITA S. VICTVRNIANI CONFESSORIS.

Ex Apographo eiusdem Reuerendissimi Antistitis descripta.

VIcturnianus natione Scotus honesto loco, nobili genere natus, pietatis rudimenta statim à tenera ætate posuisse dicitur. Vbi autem adoleuisset virtuti ætate incrementum afferente iam cœlestem sanctam Ierusalem meditans totum se Domino Deo addixit atque deuouit.

Neque verò egregia forma qua æquales suos longè anteibat, aut paternæ opes quæ ei abunde suppetebant, aut reliquæ illecebræ, quibus adolescentum mentes plerumque capi & à virtutis via abduci solent, vllum vel transuersum vnguem ab instituto reuocare potuerunt. Quin spretis his omnibus malorum irritamentis, relictisque patria & parentibus, conscensa naue in Aquitaniam, clam traiicit, locum ab hominum conspectu remotum quærit, vbi vitam quietam & à curis huius sæculi vacuam degens liberiùs Deo inseruire possit.

Est locus in Lemouicum agro octauo ab vrbe milliario ad Vigennæ fluminis ripam, Victurniani fanum exco dixere incolæ, antea Vallem tenebrosam appellabant, quòd densis nemoribus obsitus esset, ac præ vepribus nisi feris peruius. Eò cùm Victurnianus venisset, ratus se esse nactum sedem suo instituto aptissimam, ibi substitit: sed qui homines fugiebat suâ eum prodente sanctimonia, mox multos ad se mortales confluere vidit: præsertim verò quicumque morbi aliquo genere conflictabantur eum adibant. Cæcos, surdos, maximè qui suæ mentis compotes non essent, mirificè curabat & pristinæ sanitati reddebat. Infirmos in fide salutaribus præceptis erigebat ac roborabat.

Hoc igitur modo ætate ibi transacta tandem pridie Kalendas Octobris abhac vitâ migrauit. Decimoquinto Octobris celebratur huius inuentio, quo die sanctissimum ipsius corpus repertum fuit, quod ibi summa colitur reuerentia quamplurimis clarum miraculis. Inde quotidie mentis sanitatem exhauriunt furiosi non sine admiratione. Huius nos precibus auxiliari mereamur per Christum.

EXPLICIT.

INCIPIT PROLOGVS VITÆ S. VRSI Confessoris.

Ex Codice MS. S. Albini Andegauensis O. B.

LEgiferi vatis oraculum cum de principio principium fandi sumpsisset, & Dominum extendisse cœlos dextera maiestatis fuisset effatus, ait, & fecit Deus duo luminaria magna & stellas, & posuit eas in firmamento cœli, vt præessent diei ac nocti & lucerent in firmamento cœli. Sic nunc & in illo mentis humanæ cœlo, sicut piorum sanxit auctoritas luminaria magna dedit, Christum scilicet, & Ecclesiam eius, quæ luceant in tenebris ignorantiæ, & illuminent sensus humilitatis nostræ, sicut Ioannes Euangelista de ipso Domino ait: quia hic est lux mundi, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Posuit etiam in eo & stellas Patriarchas videlicet & Prophetas, Apostolosque, qui vel doctrinis nos erudiant, vel mirabilibus nos illuminent, sicut in Euangelio ait, quia vos estis lux mundi, & sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Hi enim Apostoli merito per totam accipiuntur Ecclesiam, quæ non habens rugam aut maculam impolluta subsistit, sicut Apostolus ait, quia ipse sibi exhibuit Ecclesiam mundam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Ex eorum ergo doctrina, & vsque in nostris fuerunt fratribus, qui in hoc sæculo quasi astrorum iubar non solùm meritorum radiantes luce, verùm etiam dogmatum magnitudine coruscantes orbem totum radio suæ prædicationis illustrauerunt, euntes per loca singula prædicando, ac Monasteria ad diuinum cultum locando, docendo homines à curis sæcularibus abstinere & relictis tenebris concupiscentiæ Deum verum sequi, per quem facta sunt omnia. Sicut de Vrso, & Leubatio Abbatibus fidelium Fratrum relatio signat.

Explicit Prologus.

INCIPIT VITA.

IGitur Vrsus Abba Cadurcinæ vrbis incola fuit ab ineunte ætate religiosus & in Dei amore deuotus. De quo egressus loco, Bituricum terminum est ingressus, fundatisque Monasteriis, id est Sausiriacum, onia atque Pontiniacum, stabilitisque Præpositis, sanctitate honoris eius dispensatione libratis, Turonicum est territorium ingressus, & ad locum quod Senaparia vocitari priscus instituit actor, accessit ædificatoque oratorio Monasterium stabiliuit, commissamque Leubatio Præposito summam regulæ Monasterium aliud statuit, quod nunc Lucas vocant scilicet super fluuium Agnerem, siue Angerem in recessu montis, &c. quæ apud Gregor. Turonensem leguntur.

HAGIOLOGION FRANCO-GALLIÆ,

AC PRÆSERTIM AQVITANIÆ.

Excerptum ex Antiquo Martyrologio Abbatiæ Sancti Laurentij Bituricensis.

Varijs acceſſionibus idemtidem locupletatum, & iam ab anno MDCXLIII. à nobis in lucem editum.

KAL. IANVARII.

IN territorio Lugdunensi Sancti Eugendi Abbatis, cuius vita & miraculis & virtutibus plena refulsit.

Quarto nonas. Bituricas depositio sancti Asclipii Episcopi, qui suo opere hoc Monasterium constructit.

Tertio nonas. Ciuitate Parisius Sanctæ Genouefæ virginis, quæ à Sancto Germano Autysiodorensi Episcopo Christo dicata, admirandis virtutibus, & miraculis latè clatuit.

Octauo Idus. In territorio Remensi passio sanctæ Macræ virginis. Redonis sancti Melanii Episcopi & confessoris.

Sexto Idus. Beluaci sanctorum Martyrium Luciani Presbyteri, Maxiani, & Iuliani: Quorum Maxianus & Iulianus primò à persecutoribus gladio puniti sunt, deinde beatus Lucianus post multam cædem, cum Christi nomen viua voce confiteri non timuisset, priorem sententiam & ipse accepit.

Quarto Idus. Bituricas ciuitate natalis sancti Guillermi Episcopi & Confessoris.

Idibus Ianuarij. Remis metropoli natalis sancti Remigii Episcopi, viri eximiæ virtutis. Pictauis ciuitate natalis sancti Hylarij Episcopi & Confessoris.

Decimo octauo Kal. Februarij. Ciuitate Aruernis Sancti Boniti Episcopi & Confessoris, cuius vita virtutibus fulsit. In territorio Andegauensi S. Mauri Abbatis.

Decimo septimo, Apud Arelatem sancti Honorati Episcopi, cuius vita, & doctrina miraculis illustris fuit. Patronâ Monasterio natalis S. Fursei Abbatis & Confessoris.

Decimo sexto. Bituricas ciuitate natalis Sancti Sulpitij Episcopi & Confessoris, cuius vita & mors glorioſis miraculis commendatur. Lingonis Martyrum germanorum Speusippi, Eleusippi & Meleusippi, qui cum essent viginti quinque annorum cum suia sua Leonillâ Martyrio coronati sunt.

Quarto decimo. In Pago Dorcassino sancti Launomari Presbyteri.

Duodecimo. Trecas Sancti Patrocli martyris.

Vndecimo. Ciuitate Ebreduno sanctorum Martyrum Vincentii, Orantii, & Victoris.

Octauo. Ciuitate Aruernis sancti Præiecti Episcopi, & Marini viri Dei, qui passi sunt à proceribus vrbis præfatæ. Item ciuitate Gaualis S. Seuerini Episcopi.

Septimo. In territorio Parisiacensi Balthildis reginæ.

Sexto. Cenomanis sancti Iuliani Episcopi & Confessoris.

Quinto. In Monasterio Reomensi depositio Sancti Ioannis Presbyteri, viri Dei. Natalis beati Caroli Magni Imperatoris, Galliarum Regis, ac istius Sancti Laurentij

Bituricensis Monasterij fundatoris. *Sed hoc vltimum aliâ ac pene recenti manu exaratum.*

Quarto. Treueris depositio beati Valerii Episcopi, discipuli beati Petri Apostoli. In territorio Trecassino Sancti Sabini, qui iubente Aurelio Imperatore pro fide Christi decollatus est. Bituricas ciuitate depositio sancti Sulpitii Episoopi & Confessoris, viri sapientissimi ex primis senatoribus.

Tertio Kalend. Malbodio Monasterio sanctæ Aldegundis virginis.

FEBRVARIVS.

Kalendis.

BIturicas vico Lucaniaco sancti Carterii Presbyteri & Confessoris.

Quarto. Autelianis Sancti Fuscoli Episcopi.

Pridie. Trecas Sancti Auentini Episcopi & Confessoris.

Nonis. Viennæ beati Auiti Episcopi & Confessoris, cuius fide, & industria, atque admirabili doctrina ab infestatione Arianæ hæreseos Galliæ defensæ sunt.

Octauo. Aruernis sancti Ancoliani Martyris. Eodem die sanctorum Episcoporum Vedasti, & Amandi, quorum vita & mors plurimis extitit glorioſa miraculis.

Quarto. In pago Rotomagensi S. Austrobertæ virginis.

Tertio. Apud Lugdunum natalis S. Desiderij Episcopi & Confessoris. Eodem die Castro Nantonense S. Seuerini Abbatis.

Idibus. Ciuitate Andegauis sancti Liziunii Episcopi, venerabilis sanctitatis viri.

Decimo quinto Kalend. In Galliis ciuitate Vasionensi sancti Quindii Episcopi.

Decimo. Alemannia S. Galli Presbyteri & Confessoris.

Quarto. Neuernis depositio sancti Agricolæ Episcopi & Confessoris.

Tertio. Lugduni sancti Baldomeri, viri Dei, cuius sepulchrum crebris miraculis illustratur.

Pridie. In territorio Lugdunensi locis Iurensibus depositio sancti Romani Abbatis, qui primus illic vitam eremiticam duxit, & multis virtutibus ac miraculis clarus, plurimorum postea pater extitit Monachorum.

MARTIVS.

Kalendis.

ANdegauis Sancti Albini Episcopi & Confessoris, viri præclarissimæ virtutis & sanctitatis.

Quinto nonas. Natalis sanctorum Cuntherii, & Celedonii, qui primum apud Lingonensem Galliæ ciuitatem milites exurgente persecutionis procella pro confessione nominis Christi plurimis afflicti tormentis, Calagurrim vsque perducti, atque ibi martyrio coronati sunt. Eodem die Xasiaco Monasterio dedicatio oratorij, quod est in honore sanctæ Crucis, & consecratio criptarum sancti Germani, & sancti Georgij, ac multorum Sanctorum.

Septimo Idus. Apud Saxiacum exceptio reliquiarum sanctorum Cancii, Canciani, & Cancianillæ fratrum Martyrum.

Sexto. Parisius depositio sancti Chroctoueri Abbatis, discipuli beati Germani Episcopi. Luxiuio Monasterio Sancti Attali Abbatis.

Tertio. In territorio Niuernensi Sancti Viuentii Presbyteri & Confessoris.

Decimo septimo Kal. Aruernis depositio Sancti Patricii Episcopi & Confessoris.

Decimo sexto. Monasterio Niuigella sanctæ Gertrudis virginis.

Decimo quinto. Bituricas ciuitate apud Bariacum fundum dedicatio Basilicæ sanctæ Mariæ virginis, & sancti Symphoriani, & exceptio corporum sanctorum Principini, & Tridorii Martyris.

Decimo tertio. Ipso die sancti Vvlfranni Confessoris.

Duodecimo. In territorio Lugdunensi sancti Lupicini Abbatis.

Vndecimo. Apud Septimaniam ciuitate Biterris depositio S. Afrodisii Episcopi & Confessoris: hic à beato Paulo Narbonensi Episcopo eidem vrbi ordinatus antistes, fidei documentis præclarus, virtutumque meritis ornatus, quieuit in pace.

Octauo. In Antro insula S. Hermelandi Abbatis, cuius glorioſa conuersatio miraculorum collaudatur præconio.

Quinto. Apud vrbem Cabilonensium depositio domni Guntramni Regis.

Digitized by Google

Quarto. Ipso die depositio Eustasii Abbatis Monasterij Luxouiensis, qui pater ferme sexcentorum extitit Monachorum, & vitæ sanctitate conspicuus, etiam miraculis claruit.

Tertio kal. Apud castrum Siluanectensium depositio S. Reguli Episcopi & Confessoris.

APRILIS.

Quarto nonas.

EOdem die beati Nicetis Lugdunensis Episcopi.

Sexto Idus. Turonis Sancti Perpetui Episcopi, venerandæ sanctitatis viri.

Pridie Idus. Vapingo depositio Constantini Episcopi.

Decimo octauo. Apud Nemausum Gothiæ vrbem inuentio corporis sancti Baldelij Martyris.

Duodecimo In Galliis ciuitate Ebredunensi sancti Marcelli eiusdem vrbis Episcopi & Confessoris. Autisiodoro depositio S. Marini Presbyteri & Confessoris.

Decimo. Lugduno S. Epipodii martyris. Ciuitate Senonis depositio beati Leonis Episcopi. Translatio corporis sancti Dionysii martyris.

Nono. In Galliis ciuitate Valentia, natalis sanctorum Felicis Presbyteri, Fortunati, & Achillei Diaconorum, qui cùm maximam partem supradictæ vrbis ad fidem Christi conuertissent, à duce Cornelio tensi sunt, deinde diutissimè verberati, cruribusque confractis astricti, cum rotatum vertigine fumum quoque in eculei suspensione perpessi, ad extremum gladio consummati sunt.

Octauo. Lugduno Galliæ sancti Alexandri Martyris, qui persecutione Antonini Veri post carceris custodiam, primò ita laniatus crudelitate verberantium, vt crate solutâ costarum patefactis visceribus, interiora corporis panderentur: deinde crucis affixus patibulo, beatum spiritum exanimatus emisit. Passi sunt cum eo & alii numero quadraginta quatuor.

Sexto. Monasterio Centulâ Sancti Richarij Presbyteri & Confessoris.

Pridie. Sanctonas beati Euprobi Martyris.

MAIVS.

Kalendis Maij.

CIuitate Senonensi natalis sancti Sigismundi Regis. Item Autisiodoro sancti Amatoris Episcopi & Confessoris.

Sexto Nonas. Autisiodoro translatio sanctorum Confessorum Optadij Episcopi, Nemorii Presbyteri & & sanctiani Presbyteri. Andegauis Florentii Episcopi.

Quarto. Autisiodoro sancti Corcondemi Diaconi.

Tertio. In Galliis ciuitate Arelatensi beati Hilarii Episcopi & Confessoris præclarissimi & nobilissimi. Item Viennæ Sancti Nicetii Episcopi, venerabilis sanctitatis viri. Autisiodoro Sancti Iouiniani lectoris & Martyris. Nauis Monasterii dedicatio oratorii sanctæ Mariæ semper Virginis, & Sancti Michaëlis.

Nonis Maij. Bituricas ciuitate translatio corporis beati Guillelmi Episcopi & Confessoris.

Octauo. Autisiodoro, depositio Pelagii Episcopi, & Elladii Presbyteri.

Sexto. In territorio Bituricensi sancti Palladii Episcopi & Confessoris.

Quinto. Viennæ sancti Mammerti Episcopi & Confessoris. In territorio Aluernensi beati Maioli Abbatis.

Quarto. In territorio Bituricensi translatio Sanctorum Florentii, Dauidis, Talazii, & Asclipii Episcoporum. *Recentissima manu.*

Tertio. Ipso die sancti Seruatii Tungrensis Episcopi & Confessoris. Autisiodoro depositio S. Marcelliani Episcopi.

Pridie. In ciuitate Cymella natalis beati Pontii martyris, cuius prædicatione & industria postquam conuersi sunt duo Philippi Imperatores ad fidem Christi, ipse quoque sub Valeriano & Galieno principibus, martyrii palmam adeptus est.

Decimo septimo kalend. Apud Autisiodorum beati Peregrini Martyris, & Episcopi primi ciuitatis ipsius. In territorio Bituricensi Monasterio Masciaco sancti Victorini martyris.

Decimo tertio. Bituricas beati Auſtregiſili Epiſcopi & Confeſſoris.

Vndecimo. Autiſſiodoro Alemanæ virginis. Item natalis beati Romani Monachi.

Decimo. Apud Lingones paſſio S. Deſiderij Epiſcopi. Hic cum plebem ſuam ab exercitu Vvandalorum vexari cerneret, pro ea ſupplicaturus exiens, ſtatim iugulari eſt iuſſus : paſſi ſunt autem cum eo & alii plures de numero gregis ſui, & apud eamdem vrbem coronati ſunt.

Octauo. In territorio Trecaſſino ſancti Leonis Confeſſoris.

Septimo. In territorio Autiſſiodorenſi paſſio S. Priſci martyris, cum ingenti multitudine.

Sexto. In Galliis ciuitate Arauſica S. Eutropii Epiſcopi.

Quinto. Pariſius ciuitate tranſitus S. Germani Epiſcopi & Confeſſoris, qui beatus eiuſdem vrbis Epiſcopus, quantæ ſanctitatis, quantique meriti fuerit, quibus etiam claruerit miraculis, Fortunatus Epiſcopus veraci ſtilo digeſſit.

Quarto. Treueris beati Maximini Epiſcopi & Confeſſoris, à quo Athanaſius Antiſtes perſecutionem Conſtantii fugiens honorificè ſepultus eſt.

Tertio. Ipſo die ſancti Huberti Epiſcopi & Confeſſoris.

Pridie Kal. In territorio Viuarienſi natalis ſancti Hoſtiani Sacerdotis & Eremitæ.

IVNIVS.

Kalendis Iunij.

IN Galliis ciuitate Latotâ natalis ſancti Clari Archiepiſcopi & martyris, qui cùm idolis ſacrificare nollet, primò verberibus affectus, deinde carceribus mancipatus, ibique Angelica viſitatione confortatus, ad vltimum cæſo capite martyrium conſummauit. In territorio Niuernenſi ſanctorum Reueriani Epiſcopi, & Pauli Preſbyteri, cum aliis decem, qui ſub Aureliano Principe martyrio coronati ſunt. Ipſo die ſancti Capraſii Abbatis Monaſterii Lirinenſis.

Quarto. Lugduno ſanctorum Fotini eiuſdem vrbis Epiſcopi, Zachariæ Presbyteri, Sancti Diaconi, Epagati, Maturi, Attali, Albinæ ; Gratæ, cum aliis quadraginta : ij omnes famuli Chriſti, ſicut in Eccleſiaſtica hiſtoria ſcribitur, pariter coronati ſunt. Paſſa eſt quoque & ſancta Blandina ex eorum collegio, quæ primo, ſecundo & tertio die pulſata cruciatibus cùm non ſuperaretur, quarto die verberibus acta, craticulis exuſta, & multa alia perpeſſa, ad vltimum gladio iugulatur.

Tertio. In territorio Aurelianenſium ſancti Lifardi Preſbyteri.

Nonis. Paſſio ſancti Bonifacij Epiſcopi : qui de Britannijs veniens, & fidem Chriſti gentibus euangelizans, cùm maximam multitudinem in Friſia Chriſtianæ Religioni ſubiugaſſet, nouiſſimè gladio peremptus, martyrium conſummauit cum Eobano Epiſcopo, & aliis ſeruis Dei.

Octauo. Ciuitate Niueduno ſanctorum Amantij & Alexandri.

Sexto. In Galliis apud Sueſſionem ciuitatem natalis beati Medardi Epiſcopi Nouiomenſis : qui quanti fuerit meriti oſtenſum eſt, cùm in obitu eius aperti ſunt cœli, atque ante eum diuina micuerunt luminaria. Eodem die ſancti Gildardi Rotomagenſis Epiſcopi. Item Senonis Eraclii Epiſcopi & Confeſſoris. Bituricas ſanctæ Stadiolæ virginis. *Id eſt ſanctimonialis.*

Quarto. Autiſſiodoro ſancti Cenſurij Epiſcopi & Confeſſoris.

Pridie. Aurelianis tranſlatio ſancti Euurtii Epiſcopi.

Decimo octauo Kal. In territorio Sueſſionis ciuitatis ſanctorum martyrum Rufini & Valerii. Ipſo die ſancti Quintiani Epiſcopi & Confeſſoris. Aurelianis ciuitate tranſlatio corporis ſancti Aniani Epiſcopi & Confeſſoris, & liberatio ipſius ciuitatis. Remis natalis ſancti Guberti Epiſcopi & Confeſſoris.

Decimo ſexto. In Galliis apud vrbem Veſontionem ſanctorum martyrum Ferreoli Preſbyteri, & Ferrutiani Diaconi : qui à beato Irenæo Epiſcopo ad prædictam vrbem miſſi, poſteà ſub Diocletiano excruciati pœnis, gladio feriuntur.

Decimo quinto. Aurelianis ſancti Auiti Presbyteri & Confeſſoris. In pago Biturigo natalis ſancti Gundulphi Epiſcopi & Confeſſoris.

Duodecimo. Tranſlatio ſancti Genulphi Epiſcopi & Confeſſoris.

Decimo. Apud Nolam Campaniæ, natalis beati Paulini Epiſcopi & Confeſſoris, cuius meminit beatus Gregorius in libro Dialogorum : claruit autem non ſolùm eruditione, & copioſa vitæ ſanctitate, ſed etiam potentia aduerſus dæmones. Franciſ-

Digitized by Google

cas sancti Badulphi Espiscopi & Confessoris.

Octauo. In territorio Parisiacensi vico Cristoylo passio sanctorum Agoadis & Gliberti, cum aliis innumeris promiscui sexus. Augustoduno depositio sancti Simplicii.

Septimo. Eodem die sancti Eligii Episcopi.

Sexto. In pago Pictauensi S. Maxentii Presbyteri & Confessoris. Eodem die S. Perseuerandæ virginis.

Quinto. Apud Galatiam beati Crescentis discipuli beati Pauli Apostoli, qui in Gallias transitum faciens verbo prædicationis multos ad fidem Christi conuertit: rediens verò ad gentem, cui specialiter Episcopus fuerat datus, Galatas vsque ad beatum vitæ suæ finem, in opere Domini confortauit.

Quarto. Apud Lugdunum Galliæ sancti Irenei Episcopi & martyris, quem constat beati Polycarpi Sacerdotis & Martyris fuisse discipulum, vt scribit Ieronymus, & Apostolorum temporum vicinum. Posteà verò persecutione Seueri, cum omni fere ciuitatis suæ populo, glorioso coronatus est martyrio.

Tertio. Eodem die S. Marcelli martyris. In territorio Senonico S. Beatæ virginis. Ipso die Niuernis ciuitate natalis sancti Agricoli Episcopi & Confessoris.

Pridie kal. Lemouicas ciuitate sancti Martialis Episcopi, cum duobus Presbyteris Alpiniano, Stratodiniano, *pro*, *& Austriclniano*, quorum vita miraculis admodum effulsit.

IVLIVS.

Kalendis Iulij.

IN territorio Lugdunensi depositio beati Domitiani Abbatis, qui primus illic vitam eremiticam exercuit, & plurimos sibi in seruitio Dei aggregans, magnisque virtutibus & glorioſis miraculis valde clarus, collectus est ad Patres in senectute bonâ. Ciuitate Angolisma sancti Eparchii Monachi & Confessoris. In territorio Remensi sancti Theoderici Presbyteri.

Sexto. Turonis depositio sanctæ Monegundis Religiosæ.

Quarto. Turonis translatio beati Martini Episcopi & Confessoris, & ordinatio Episcopatus eius. In territorio Bituricæ ciuitatis vico Vastinno natalis S. Lauriani Episcopi & martyris: cuius caput Hispalim ad Hispanias deportatum est.

Tertio. Nauis Monasterio dedicatio Basilicæ sancti Clementis Episcopi & martyris.

Pridie. In pago Treuerensi sancti Goarii Presbyteri & Confessoris.

Septimo. Ipso die sancti Firmini Episcopi & Confessoris.

Quinto. Translatio sancti Benedicti Abbatis. In territorio Senonico beati Sidronij martyris. In territorio Pictauensi sancti Siluini martyris.

Quarto. In territorio Bituricensi vico Maliaco depositio beati Menulfi Episcopi & Confessoris, magnæ sanctitatis viri.

Tertio. In Britannia minori sancti Turiani Episcopi & Confessoris, miræ simplicitatis & innocentiæ viri. Pictauis sancti Cipriani martyris.

Pridie. Bituricas natalis sancti. *****

Decimo quinto Kal. Ciuitate Metensi sancti Arnulfi Episcopi. Eodem die dedicatio huius Ecclesiæ sancti Laurentij Bituricensis. *Non tamen eadem manu.*

Duodecimo. In Galliis ciuitate Massilia sancti Victoris martyris: passi sunt cum eo tres milites Alexander, Felicianus, & Longinus. Trecas sanctæ Iuliæ virginis & martyris.

Vndecimo. Eodem die apud Ephesum sanctæ Mariæ Magdalenæ. Monasterio Fontanella depositio sancti Vandregisili Confessoris. In territorio Aruernensi sancti Menelei Abbatis.

Decimo. Nauis Monasterij dedicatio Ecclesiæ in honore S. Benedicti Abbatis.

Octauo. Ciuitate Parisius translatio sancti Germani Episcopi & Confessoris.

Sexto. Autissiodoro depositio Ætherei Episcopi.

Quinto. In Britannia minori Dolo Monasterio S. Samsonis Episcopi & Confessoris, Eodem die Lugduni S. Peregrini Presbyteri.

Quarto. Ciuitate Trecas S. Lupi Confessoris.

Tertio. Autissiodoro depositio beati Vrsi Episcopi.

Pridie. Rauennæ transitus Sancti Germani Autissiodorensis Episcopi genere,

BIBLIOTECA DERECHO

fide, & doctrina, atque miraculis clarissimi.

AVGVSTVS.

Kalendis Augusti.

IN territorio Parisiensi Iustini Martyris. Biturica vrbe, beati Archadii Episcopi.

Quarto. Augustoduno Eufronii Episcopi.

Nonis. Cathalanis Sancti Mammij Episcopi & Confessoris.

Sexto. Apud Viennam Galliæ vrbem sancti Seueri Presbyteri & Confessoris, qui, vt eius gesta testantur, causa Euangelii prædicandi laboriosam prædicationem suscepit, & ad præfatam vrbem veniens ingentem paganorum multitudinem verbo & miraculis ad fidem Christi conuertit.

Quinto. In vrbe Lemouis sancti Martini Briuensis.

Idibus. Pictauis sanctæ Radegundis Reginæ, cuius vita virtutibus & miraculis latè claruit.

Decimo quarto. In pago Sigisterico beati Donati Presbyteri, qui ab ipsis infantiæ rudimentis mira Dei gratia præditus, Anachoreticam vitam multis annis exegit, & miraculorum gloria clarus, migrauit ad Christum. Ipso die natalis S. Bernardi Confessoris & Abbatis Claræuallis, magnæ sanctitatis viri.

Decimo tertio. Hiero insulâ sancti Phuliberti Abbatis, qui post militiam temporalem Christi tirocinio mancipatus Monasteriorum extitit fundator deuotus. Octaua sanctæ Radegundis virginis.

Duodecimo. In territorio ciuitatis Gaualitanæ passio sancti Priuati Episcopi & Martyris, qui passus est persecutione Valeriani & Galieni.

Vndecimo. Augustoduno sancti Symphoriani Martyris, tempore Aureliani Imperatoris, qui cum idolis sacrificare nollet, primò verberibus affectus, deinde carceri mancipatus, ad vltimum cæso capite Martyrium consummauit.

Decimo. Natalis Sanctorum Timothei & Apollinaris, qui apud Remensium vrbem consummato Martyrio cælestia regna meruerunt. Lugduno Galliæ sanctorum Martyrum Minerui, & Eleazari cum aliis octo.

Nono. In Galliis ciuitate Niuernis sancti Gildradi Presbyteri & Confessoris. In eiusdem territorio sancti Patricii Abbatis.

Octauo. Ipso die sancti Ludouici Confessoris.

Septimo. Autisiodoro sancti Eleutherii Episcopi. Nauis Monasterii exceptio reliquiarum sancti Clari Episcopi & Martyris.

Sexto. Bituricas ciuitate translatio corporis sancti Sulpitii Episcopi & Confessoris, magnæ sanctitatis viri. Ciuitate Arelatensi S. Cæsarii Episcopi, miræ sanctitatis, pietatis, & studii viri. Augustoduno sancti Siagrii Episcopi & Confessoris.

Quarto. In pago Trecassino S. Sabinæ martyris, quæ pro Christi amore laboriosissima peregrinatione suscepta, etiam virtutibus, ac miraculis glorioſa morte quieuit in pace. Parisius depositio Meredirici Presbyteri. Ipso die S. Candidæ virginis.

Tertio. Item sancti Fiacrij Confessoris.

Pridie. Treueris natalis S. Paulini Episcopi & Confessoris, qui à Constantino Imperatore ob Catholicam fidem relegatus exilio, & vsque ad mortem, etiam extrà Christianum nomen, mutando exilia fatigatus, ad vltimum apud Frigiam defunctus, beatæ passionis coronam percepit à Domino. Autisiodoro S. Optati Episcopi & Confessoris.

SEPTEMBER.

Calendis Septembris.

REmis depositio beati Sixti, primi Episcopi ciuitatis ipsius. Senones beati Lupi Episcopi & Confessoris. Eodem die depositio beati Egidij Abbatis. Cenomanis, S. Victoris Episcopi. Ambianis natalis sancti Firmini Episcopi & Martyris. Ab vrbe Pampelonense territorio Biturico Monasterio Frontonaco depositio Placidi Confessoris & Valentini Martyris.

Quarto. Lugduno Galliæ natalis sancti Iusti Episcopi & Confessoris: qui in eremum secedens cum aliquot annis proximam Angelis egisset vitam, & dignus adesset finis tantis laboribus, regnum scandere cælorum beato lucro promeruit. Huius sanctum corpusculum cum ossibus beati Viatoris ministri eius posteà Lugdunum trans-

Digitized by Google

latum est. Eodem die apud præfatam vrbem sancti Elpidij Episcopi & Confessoris. In Apamia sancti Antonij Martyris.

Tertio. Bituricas ciuitate infra mœnia eiusdem vrbis dedicatio Ecclesiæ B. Andreæ Apostoli.

Pridie. Cabilonis sancti Marcelli Martyris, qui à Præside Prisco, cùm ad profanum conuiuium fuisset inuitatus, & huiusmodi execrans epulas, omnes, qu aderant, aut idolis deseruirent, liberâ increpatione corriperet, inaudito crudelitatis genere, defoditi eum cingulo tenus erectum Præses iussit, sicque sanctus Dei Martyr tertiâ die in Dei timore, & laudibus perseuerans, incontaminatum tradidit spiritum. Ipso die Magni & Cast ****

Nonis. Eodem die sancti Bertini Abbatis.

Septimo. Ciuitate Aurelia beati Euurtij Episcopi & Confessoris, qui, vt eius gesta testantur, primò sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, deinde diuino munere per columbam est designatus Pontifex præfatæ vrbis. In territorio Augustodunensi sanctæ Reginæ Virginis & Martyris. Item territorio Parisiacensi sancti Clodoaldi Presbyteri & Confessoris, tam generis quàm mentis nobilitate conspicui.

Quarto. Ipso die natalis sancti Saluij Confessoris.

Tertio. Lugduni Patientis Episcopi.

Pridie. Lugduni Sacerdotis Episcopi. Augustoduni Euentij Episcopi.

Idibus. Eodem die sancti Amati Presbyteri, & Abbatis Monasterij Romarici, qui miræ abstinentiæ & anachoreticæ vitæ fuit sectator, ac virtutum & miraculorum gratiâ illustrem conuersationem duxit. Andegauis sancti Maurilionis Episcopi & Confessoris. Nauis Monasterio exceptio reliquiarum sancti Vincentij Martyris, & sancti Saluij Episcopi.

Decimo septimo. Eodem die Cabilonensi sancti Valeriani Martyris. Tullo sancti Apri Episc. & Conf. Item Carnoti S. Leobini Episc.

Decimo quarto. Viennæ sancti Ferreoli.

Decimo tertio. In territorio Biturigæ ciuitatis sancti Mariani Confessoris & Monachi.

Decimo. In Galliis ciuitate Seduno, loco Agauno, natalis sanctorum Martyrum Thebæorum Mauricij, Exuperij, Candidi, Victoris, Innocentij, Vitalis, cum sociis eorum sex millibus sexcentis sexaginta sex: qui sub Maximiano passi pro Christo glorioßissimè coronati sunt. In pago Pictauensi sancti Florentij Presbyteri & Conf. Item in territorio Bituricensi sancti Siluani Conf.

Nono. In territorio ciuitatis Constantiæ sancti Paterni Episc. & Conf.

Octauo. Augustoduno natalis sancti Andochi Presbyteri, Tirsi Diaconi, & Felicis, qui à beato Polycarpo Episcopo ab Oriente directi ad docendam Galliam sub Aureliano Principe sunt glorioßissimè coronati.

Septimo. In ciuitate Ambianensium beati Firmini Episcopi, qui sub Præside Rictiouaro post varia tormenta capitis decollatione martyrium sumpsit. Apud Lugdunum depositio sancti Lupi Episcopi. Autißiodoro sancti Aniani Episc. & Conf. Item sancti Sollempnis Episcopi.

Quinto. Castro Seduno sancti Florentij Martyris.

Quarto. Apud Tolosam sancti Exuperij Episc. & Conf. qui beatus vir, quantùm sibi extiterit parcus, tantùm aliis largus; Ieronymus memorabili prosecutus est relatu.

Tertio. Ciuitate Ianuis sancti Salonis Episcopi & Confessoris. Autißiodoro sancti Fraterni Episcopi & Confessoris.

Pridie Kal. In Galliis ciuitate Solodoro passio sanctorum, Martyrum Victoris & Vrsi ex glorioßa legione Thebæorum, qui primò diris suppliciis excruciati, sed cælesti super eos lumine coruscante, ruentibus in terram ministris, erepti sunt.

OCTOBER.

Kalendis Octobris.

EOdem die sanctorum Remigij & Germani Episcoporum, quorum prior Remensem, alter verò Autißiodorensem gubernauit Ecclesiam. In portu Ganda sancti Bauonis Confessoris. Bituricas Dedicatio Ecclesiæ sancti Stephani, primæ sedis Aquitaniæ.

Sexto. In territorio Adartensi passio beati Leodegarij Augustudunensis Episcopi, quem variis iniuriis, & diuersis suppliciis afflictum, Ebroinus Maior domus Regiæ interfecit. Ipso die sancti Sereni Confessoris.

Quinto. Natalis beati Dionysij Episcopi & Martyris, qui post clarissimam confessionem fidei, post grauissima tormentorum genera, glorioso martyrio coronatus est.

Quarto. Ciuitate Parisius sanctæ Aureæ Virginis. Autissiodoro sancti Marci Presbyteri.

Tertio In Galliis ciuitate Valentia sancti Apollinaris Episcopi, cuius vitâ & virtutibus insignis fuit, & mors nihilominus signis & prodigiis declaratur. Autissiodoro depositio germanorum Formati Diaconi, & Flauianæ Virginis. Bituricas depositio sancti Apollinaris eiusdem ciuitatis Episcopi.

Pridie. Autissiodoro beati Romani Episcopi.

Nonis. In territorio Bituricensi Monasterio Viuariensi natalis sancti Leopardini Sacerdotis & Martyris.

Octauo. In territorio Lugdunensi sanctæ Benedictæ Virg. & Mart.

Septimo. Apud Parisius natalis sanctorum Martyrum Dionysij Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi: qui beatus Episcopus à Pontifice Romano in Galliam prædicandi gratiâ directus, præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commissum ibi solerter & ardenter opus persequens, tamen à Præfecto Fescennino vnà cum sociis gladio animaduersus martyrium compleuit.

Sexto. Ciuitate Acripinensi sancti Gereonis Martyris, cognomento Mallosi, cum aliis trecentis decem & nouem, qui persecutione Maximiani tyranni pro vera pietate colla patienter gladiis subdiderunt. Item in territorio eiusdem vrbis sancti Victoris Martyris, & aliorum decem & septem. Niuernis sancti Troësij Confessoris.

Tertio. Turonis sancti Venantij Mart. Item natalis sancti Geraldi Conf.

Idibus. Apud Agripinam natalis sanctorum quinquaginta Martyrum: qui cùm essent ex legione sacra Thebæorum, apud eandem vrbem cursum sui agonis compleuerunt. Lugduni sancti Antiochi Episcopi, qui strenuè administrato Pontificij culmine, ad quod assumptus fuerat, regnum cæleste adeptus est. In territorio Remensi sancti Basoli Confessoris.

Decimo septimo. In territorio Bituricensi sancti Ambrosij Episc. Cadurcensis Confessoris. In territorio Niuernensi sanctorum Vincentij & Saluij Confessorum.

Decimo sexto. Ciuitate Arausicâ sancti Florentini Episcopi, qui multis clarus virtutibus quieuit in pace.

Decimo quinto. In territorio Beluacensi sancti Iustini Martyris.

Decimo tertio. In Galliis ciuitate Agenno sancti Caprasij Martyris.

Duodecimo. Bituricas translatio sancti Sulpitij Episc. & Conf.

Decimo. Ciuitate Colonia sancti Seuerini Episc. & Conf. In pago Pictauensi S. Benedicti Confessoris.

Nono. Vertao, seu Vertano Monasterio S. Martini Abbatis.

Octauo. Apud vrbem Suessionem sanctorum Crispini & Crispiniani, qui persecutione Diocletiani, post magna tormenta sibi illata, gladio trucidati, coronam martyrij consecuti sunt. Bituricas ciuitate Ambiliaco Monasterio depositio sancti Dulcardi Confessoris.

Septimo. Ciuitate Narbona sancti Rustici Episcopi & Confessoris. Bituricas releuatio sancti Vrsini Episc. & Conf.

Sexto. Ipso die apud Nauis Monasterium consecratio Altarium sanctæ Dei Genitricis, & sancti Stephani.

Quinto. Ciuitate Meldis sancti Pharonis Episcopi & Confessoris. Parisius translatio sanctæ Genouefæ Virginis.

Tertio. Niuernis ciuitate exceptio brachij sancti Cirici Martyris. Bituricas castro Exiliduno sancti Thalasij Episcopi.

Pridie Kal. In Galliis oppido Virmandensi sancti Quintini, qui sub Maximiano Imperatore martyrium passus est: huius corpus post annos quinquaginta vsque reuelante Angelo inuentum est.

NOVEMBER.

Digitized by Google

NOVEMBER.

Kalendis Nouembris.

APud castrum Diuionem S. Benigni Presbyteri, qui missus à B. Policarpo ad prædicandum in Galliam, postquam à Terentio Comite grauissimis tormentis est multipliciter afflictus, tandem collum eius veste ferreo tundi, & corpus lanceâ forari iubetur. Ciuitate Parisius depositio B. Marcelli Confessoris, qui, vt dignus monstraretur futurus Antistes, eius meritis nunc aqua in vinum, nunc verò in balsamum mutatur. Item sancti Seuerini Monachi de Tiburtina ciuitate. Ciuitate Bajocas sancti Vigoris Episc. In pago Vastinensi S. Martini (*seu Matharini*) Confessoris. In territorio Niuernensi sancti Patricij Martyris. In Galliis territorio Biturigo, nuncupante Dolis vico, sancti Lusoris pueri, & Confessoris. Item Bituricas Gortonis castro natalis sancti Romuli Presbyteri.

Quarto. Natalis S. Victorini Pictabionensis Episcopi, qui post multa documenta, vt S. Ieronymus testatur, persecutione Diocletiani martyrio coronatus est. Eodem die sancti Ambrosij Abbatis Monasterij Agaunensis, qui magnis vitæ atque sanctitatis virtutibus clarus, fine beato in Domino quieuit.

Pridie. In Galliis ciuitate Rotinus sancti Amantij Episcopi & Confessoris In pago Vulcassino sancti Clari Presbyteri & Martyris. Augustoduno S. Proculi Mart.

Nonis. In territorio Aurelianensi sancti Læti Presbyteri.

Octauo. In pago Lemouicensi sancti Leonardi Confessoris.

Septimo. Eodem die S. Amantij Martyris, qui apud Albiensem vrbem exacto agonis fidelis cursu sepultus, viuit in gloria. In Siria depositio S. Villebaldi Episc.

Sexto. Ipso die beati Vrsini Episcopi. (suppl. in Vesperis.)

Quinto. Eodem die in territorio Niuernensi sancti Maurini Leuitæ. Bituricas translatio corporis B. Vrsini Episcopi.

Quarto. In territorio Agatensi sanctorum Martyrum Tiberij, Modesti, & Florentiæ, qui tempore Diocletiani variis tormentis cruciati, martyrium compleuerunt.

Tertio. In Galliis Turonis ciuitate natalis B. Martini Episcopi & Confessoris, cuius vita tantis extitit miraculis gloriosa, quòd trium mortuorum meruit esse suscitator. Item Lugduno sancti Verani, cuius vita fidei & virtutum meritis illustris fuit.

Pridie. Ciuitate Agripinensi depositio sancti Cuneberti Episcopi. In territorio Senonico sancti Paterni Martyris. Castello Melduno sancti Leonis Confessoris.

Idibus. In Prouincia ciuitate Aquis beati Nutrij Martyris clarissimi. Turonis depositio sancti Brictij Episcopi. In territorio Niuernensi S. Honorati Confessoris.

Decimo sexto. Lugduni natalis B. Eucherij Confessoris, qui ex nobilissimo Senatorum ordine ad religiosam vitam habitúmque conuersus, diù intra septa speluncæ sponte clausus, Christo seruiuit: deinde apud præfatam vrbem reuelante Angelo, in pontificali cathedra solemniter collocatus est.

Decimo quinto. Aurelianis sancti Aniani Episcopi & Confessoris; cuius mortem in conspectu Domini pretiosam, miracula crebra testantur.

Decimo quarto. Octauæ S. Martini. Item depositio domni Odonis Abbatis.

Decimo tertio. Apud Viennam sanctorum Martyrum Seuerini, Exuperij, & Feliciani. Item sancti Faustini Diaconi & Martyris. Bituricas territorio loco Saciaco S. Iacobi Confessoris. Augustoduno S. Simplicij Episcopi.

Vndecimo. In Italia Monasterio Bobio depositio S. Columbani Abbatis, qui multorum Cœnobiorum Pater extitit Monachorum, multisque virtutibus clarus quieuit in senectute bona.

Nono. Parisius depositio B. Seuerini Monachi, & Solutorij (sic legi in MS.) Bituricas ciuitate vico Carebriuas S. Faretri Presbyteri.

Octauo. In territorio Aruernensi S. Porciani Abbatis.

Sexto. Augustoduno S. Amatoris Episcopi.

Quinto. In Galliis ciuitate Rigensi sancti Maximi Confessoris.

Quarto. Bituricas dedicatio Basilicæ S. Austregisilli Episcopi & Confessoris, cuius signa & miracula vsque hodiè ineffabiliter splendent.

Tertio. Eodem die apud Tolosam B. Saturnini Episcopi & Martyris.

Pridie. Apud Santonas S. Trojani Episcopi, magnæ sanctitatis viri.

DECEMBER.

Kalendis Decembris.

Ciuitate Nouihomo sancti Eligij Episcopi & Confessoris, cuius vitam ammirandam multiplex signorum numerus commendat.

Pridie Nonas Decembris. Floriaco Monasterio translatio corporis sancti Benedicti Abbatis.

Nonis. Ciuitate Treueris sancti Nicetij Episcopi, totius sanctitatis viri.

Septimo. Ciuitate Santonas sancti Martini Abbatis, ad cuius tumulum crebrrima fiunt miracula. In pago Meldicensi sanctæ Faræ Virginis.

Quinto. Ipso die S. Cypriani Abbatis Petragorici, magnificæ sanctitatis, & clarissimi in miraculis viri.

Quarto. Cambono depositio sanctæ Valeriæ Virg. & Mart.

Tertio. Ciuitate Ambianis sanctorum Martyrum Gratiani, & Fusciani.

Pridie. Apud Narbonam natalis S. Pauli Confessoris, quem S. Paulus Apostolus ordinauit, & eidem vrbi destinauit Antistitem, quique cum eodem Apostolo ad Hispanias prædicandi gratiâ pergens, ibidem relictus est, vbi prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis in pace quieuit. Biturico vico Aurio S. Florentij Episcopi & Confessoris.

Idibus. Ipso die sancti Autmari Cameracensis Episcopi.

Decimo nono. Remis passio S. Nicasij, & Eutropiæ Virginis, sororis eiusdem.

Decimo octauo. In territorio Aurelianensium S. Maximi Confessoris.

Decimo septimo. Eodem die B. Lazari, quem Dominus IESVS in Euanglio dicitur resuscitasse à mortuis. Item beatæ Marthæ sororis eius.

Decimo quinto. Turonis sancti Gratiani Episcopi & Confessoris, qui ab vrbe Roma eidem ciuitati primus directus, multis clarus virtutibus, quieuit in pace.

Decimo quarto. Ciuitate Autissiodoro S. Clari Mart. Item S. Gregorij Episc.

Decimo. Parisius Dedicatio Basilicæ in honore sanctæ Crucis, & sancti Vincentij Martyris, & depositio Domni Childeberti Regis.

Quinto. Bituricas Depositio Chadi Episcopi, qui requieuit in Basilica sancti Sulpitij Nauensis Monasterij.

Quarto. Apud Arelatum S. Trophimi, cuius meminit Paulus scribens ad Timotheum, qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus, præfatæ vrbi primus ob Christi Euangelium prædicandum directus est: Ex cuius prædicatione, vt Papa Zozimus scribit, tota Gallia fidei riuulos accepit. Bituricas Depositio sancti Vrsini, qui ipsius populum conuertit ad Christum.

Pridie Kalendas Ianuarij. Apud Senones beatorum Sabiniani Episcopi, & Potentiani, qui à Pontifice Romano ad prædicandum directi, eandem Metropolim martyrij sui confessione illustrem fecerunt. In eadem vrbe sanctæ Columbæ Virginis, quæ superato igne, gladio cæsa est. Bituricas sancti Eustadij Episcopi.

EXPLICIT.

Auro contra non cauus eruditis omnibus esse debet vetustate propemodum exesus atque vsu assiduo detritus manuscriptus hic codex ex alio antiquiore, aut eiusdem Laurentiani Monasterij, aut Abbatiæ sancti Sulpitij iam olim descriptus, & identidem nouis accessionibus locupletatus, vnde ista in communem vsum deprompsimus, tibiq; communicamus non parca manu, candide lector. Notationes porrò ei nullas cùm primùm in lucem prodiit anno 1643. adjunximus, quòd de omnibus hisce periochis, seu Sanctorum, Sanctarumque breuibus, vt vocant, elogiis, plura dicturi eramus in nostra Martyrologiorum discrepantium Concordia, seu duodecim Obseruationum libris ad authenticum Franco-Galliæ Martyrologium, nisi ea omnia tam affecta nescio quo fato è manibus nostris, ac penè Typographorum prælo, excidissent. Valeto interim, conatusque nostros æqui bonique consulito.

Digitized by Google

DE SANCTIS ECCLESIIS ET MONASTERIIS CLAROMONTII

Libellos duos Authoris Anonymi, qui vixit circa annum DCCCCL. *primum editos* IO. SAVARO, *Regis Consiliarius, Præses, & Præfectus Aruerniæ, recen ſuit, & Notis illuſtrauit anno* MDCVIII.

FRANCISCO DE RVPEFVLCODIA, CARDINALI INLVSTRISS. CLAROMONTENSI Epiſcopo, & interioris Conſilij Regis Chriſtianiſſimi Senatori meritiſſ. IO. SAVARO S. D.

CHRISTIANÆ & Catholicæ Religionis acerrimi vindices *Aruernenſes Epiſcopi pro aris ſtenuè contenderunt, quas pubeſcentis Eccleſiæ temporibus apud Aruernam ædificatas excoluerunt, poſtmodum autem, temporis iniuriâ, bellorum excidio, aut vi maiore collapſas, à ſolo reſtituerunt. Huiuſce rei teſtes aſſidui ſuppetunt, primicerius Epiſcoporum ſanctus Auſtremonius, qui fana gentilium euertit, vertitque in Chriſtianorum Eccleſias, quas cùm Chrocus funditùs excidiſſet, ſanctus Namatius duodecim Epiſcopatus ſui annos, veteres Eccleſias reſtaurando conſumpſit, quæ ne deſtruerentur, ab Euuarige Gothorum Rege Arriano, & Catholicis infenſiſſimo, cauit ſanctus Sidonius, qui poſt inſuperabiles obſidias, & obſidia longa ad extremam fortunam deductus, priuſquam Aruernam dederet, illi Victorium Euuarigis Ducem Catholicum præponi curauit. Sanctus quoq; Auitus deceſſorum ſuorum exemplo, ſanctæ Mariæ principalis fabricam erexit, quam Normannorum incurſu ſublapſam ſanctus Sigo reparauit in melius. Nec poſſum quin efferam auſus ſancti Præiecti, cui Martyrum vnicuique proprium adſcribere loculum, & conſecrare martyrium mens fuit, quod cùm per vitam illi martyrio extortam adimplere non potuiſſet, S. Auito ſucceſſori ſuo perficiendum reliquit. Verùm ne videar hiſtoriam texere, non epiſtolam, in huiuſce libelli authore anonymo deſinam, qui poſt gentilium inundationem, quæ penè omnes Eccleſiaſticas naues abſorbuit, hanc naufragij tabulam delineauit, vt in ea poſteri cernerent, quibus olim Sanctorum reliquiis & altaribus Aruernenſes Eccleſiæ, quibuſve Eccleſiis Aruerna nobilitaretur, cùm vt his Religioni cultus redderetur, tùm ne loca Deo dicata ſpurcis vſibus inſeruirent. Quod cùm (proh dolor!) acciderit, hunccè libellum à ſitu & carie, quâ obſitus veteraſcebat, vindicandum putaui, atque publicare, tuoque nomini (Cardinalis Illuſtriſſime) conſecrare, ne Sanctorum memoriæ penitùs interciderent, & animis Aruernenſium elaberentur, quibus olim velut propugnaculis quibuſdam munita ciuitas Aruernorum, hoſtium publicorum arma contudit, quibuſve euerſis, aut deſpectui habitis, publicis hoſtibus patuit, & prædonibus præda fuit. Illis enim circumvallata ciuitas, Euarigis ſuperuentus, atque crebras obſidiones eluſit. Theo-*

dorici etiam Regis vrbi minantis exitium, conatus irritos fecit. Ad illas procedendo S. Gallus, & sanctus Bonitus inquinaria, luem, siccitatem, & aëris intemperiem auerterunt: Valerianus etiam Cantor illas circumiendo à quartana curatus est. At cùm Religionis ardor attepuit, neque debitus honos Ecclesiis exhibitus est, Saraceni, Normanni, & infideles Aruernam cœperunt, spoliarunt, diruerunt, suisque ruinis Ecclesias obruerunt: superstites autem quidam Pseudo-Christiani Comites sacrilegè vsurparunt, & eiectis Episcopis, earum reditus suos esse voluerunt, vnde maximam stragem Aruernæ & Aruerniæ nostræ intulerunt pij Regum exercitus, qui vi armatâ Episcopos Ecclesiis restituerunt. Ad extremum fatum Aruernæ deploro, quod nullo titulo, aut saltem iusto priuati possideant, quod publici iuris est, & ad obscœnos vsus contra Canonum statuta conuertant. Tu qui de gente Rupefulcodia (quam à Diuo Martiale fidei sacris initiatam historici tradunt) longo stemmate genus ducis, quique in specula & cardine positus, pro fide catholica strenuè præliaris Victorioſissimo, Christianissimo, & Catholicissimo Regi HENRICO *frequens adsides, pro Ecclesia vigil excubas & incubas, incubones istos, & malæ fidei possessores sacris ædibus deturbes, ne sint profana fana, & aræ velut haræ polluantur, ædesque sacras inspiciendi gratiâ circumeas, an sartæ tectæ sint, vel an aliquâ refectione indigeant; quas vt viâ compendiariâ circumire possis, huncce vetustissimum indiculum tuæ sanctitati porrigo. Cùm enim paternos reditus, Episcopatus, & Beneficiorum prouentus in inopes effundas, ea demùm cardinalis virtus est, si nutricias inopum Ecclesias defenses & protegas: Patronos etiam Aruernæ nostræ, qui proprij sanguinis aspergine fidem Christianam obsignarunt, & Ecclesias irrorarunt; & qui in professione fidei constantes perstiterant, in patrocinium tuum suscipias: triginta enim ex illis, infulis Episcopalibus insigniti, Ecclesiæ, cui tu meritissimè præsides, mirâ sanctitate præfuerunt, & mundo mortui viuis adscripti colluntur; idcirco vota nuncupamus, vt quemadmodum octuagesimus quartus numeraris Episcopus, Cardinalis etiam inter Episcopos quartus; ita à Cardinalatu ad summi Pontificatus apicem tertius ascendas, & ab hoc apice cælo proximo ad cælum euharis, atque tricenarium sanctorum numerum augeas, & in his Ecclesiis statuâ doneris.*

Vale.

LECTORI.

HVnc Authorem anonymum ex MSS. sancti Illidij, & sanctæ Mariæ Portuensis exscripsi bonâ fide, & commentarium librum adjeci, ex veteribus libris & chartis summo cum labore collectis, & carptim lectis; descendi etiam cum peritis senibus in rem præsentem, vt suis titulis Ecclesias, Ecclesiisque suos titulos redderem, non extantium vestigia inquirerem, & ex incertis certi aliquid inuestigarem. Num rectè, stet arbitrio tuo. dignum credidi, qui publicaretur, cùm vt testatior esset fides libri mei de originibus Claromontij, vbi sparsim hunc authorem laudo, tùm vt velut anteambulo Gregorij Turonensis ingens opus antegrediatur, cui non parùm lucis adferet. Illum autem vixisse circa annum Domini DCCCCL. colligo ex eo quod lib. 1. num. 2. Ecclesiæ sancti Illidij meminit, priusquam Arnaldus XLIII. Episcopus, & Raymundus Comes Claromont. XXIIX. Ecclesiam à Normanis An. Christi 916. euersam restauraſſet in Monasterium Ordinis sancti Benedicti, circiter annum 958. & Paschalis II. de more consecrasset, sexto Kalendas Iulij, Anno Dom. 1106. Colligo etiam ex num. 21. lib. 1. quo loci Ecclesiam sancti Symphoriani collocat, priusquam sancti Genesij titulum accepisset, quem illi tribuit donatio Rogerij militis, An. Chr. 1090. Adde quod in hisce libellis non occurrit Ecclesia sancti Nicolai ab Asselmo Olbiensi in capite Refectorij constructa, & à Durando IIII. Episcopo consecrata, circa annum 1064. in qua Durandus ab Vrbano II. depositus fuit

Digitized by Google

an. Chr. 1095. Monasteria etiam Virginum, de quibus lib. 1. num. 26. & 30. lib. 2. num. 2. & 9. non defecerant in Canonicas & Ecclesias sæculares. Constat autem Canonicos Camalerienses fraternitatem iniisse cum Monachis sancti Illidij Anno Christi 1095. Antecessit quoque hic author translationem sancti Amabilis ex Ecclesia sancti Hilarij Claromontensis, vt videre est lib. 1. num. 12. in Ricomagensem Ecclesiam; quem tamen flammis opposuisse milites, qui castrum Ricomagense defendere habebant, obsessum à Comite Aruerniæ, sancti Amabilis historia fidem facit, regnante Ludouico Crasso, & sedente Stephano 54. Episcopo, An. Chr. 1124. Præterea Ecclesia sancti Andreæ nondum accreuerat in Monasterium Ordinis Præmonstratensis, quod sanctus Wilielmus Magnus Comes 37. & Delphinus Claromontensis, & Ioanna Calabraeius vxor, faciendum curauerunt An. Chr. 1149. Ad extremum Ecclesia sancti Ioannis de Turre, vicina Ecclesiæ sancti Nicolai, atque etiam ipsa Ecclesia sancti Nicolai, non extabant; ex quibus facile coniicio hunc authorem circa annum DCCCCL. vixisse, doleo quòd nomen suppresserit: non illi tamen, licet ignoto, benè precari desino. Vale, & Salue.

TITVLVS LIBRI VETERIS MS.

DE Ecclesiis, & altaribus, quæ in Claromonte consistunt.

Ecclesiis] Pluribus olim Ecclesiis Aruerna ciuitas illustrabatur, murisque illius vndequaque circumiebantur. Gregor. Turon. lib. 3. hist. cap. 25. & lib. 10. cap. 7. Idem de S. Quintiano: *Quorum (sanctorum) Basilicæ muros vrbis ambiunt*; quas Aruernenses ædificasse, postquam relictis idolis fidei sacris initiati sunt, S. Austremonij testatur historia MS. *Destruebant aras, vbi dæmonibus antè sacrificauerant, & ipsis in locis magno conamine, & miro decore Ecclesias construebant, à quibus per idem tempus mos & amor in prædicta vrbe increuit, vt tantæ Basilicæ, Domino opitulante, construerentur, quantæ nunquam in vna ciuitate regni illius constructæ cernuntur.*

Claromonte] Tunc enim Aruerna nomen antiquum mutauerat in Claromontem, Thoromachus lib. 6. Lupus Ferrarienſis epist. 28. ad Ionam Aurelianensem, Nithardus lib. 1. hist. Guillelmus Tyrius lib. 1. hist. c. 14. Vvinebrandus. Plura si velis, vide quæ dixi de originibus Claromontij nostri, præterea vita S. Sidonij Ms. in Biblioth. Regia, & Claudij Puteani V. C. *Apud Aruernum vero Ciuitatem, quæ nunc Clarus-mons dicitur, factus Episcopus est*, &c.

I.

In primis in domo matris Ecclesiæ, est altare Sanctæ Mariæ, & Sanctorum Agricolæ & Vitalis, & altare S. Crucis, altare S. Geruasij, altare S. Ioannis Baptistæ, altare S Iuliani martyris, & altare S. Angeli.

Matris Ecclesiæ] id est Episcopalis atque primariæ: præter veteres chartas, in quibus ita passim appellatur, Hildebertus epist. 55. ad Aimericum Claromontensem Episcopum, *Audiuimus autem, & vltra quam credi possit admirati sumus, in vestra matre Ecclesia hereditario iure canonicas obtineri*, &c. & ita mater Ecclesia pro maiore & cathedrali accipitur. S. Aurelianus in hist. S. Martialis: *ad matrem Ecclesiam S. Stephani orandi gratia conuenirent*. Gregor. Turon. de mirac. S. Martini l. 3. cap. 14. *quæ sub tuitione matris Ecclesiæ habebatur*. Carolus Magnus l. 15. cap. 12. *census ad matrem ciuitatis Ecclesiam persoluunt*. Lupus Ferrarienſis ep. 98. & 99. *Clerus matris Ecclesiæ Parisiorum, matrix Ecclesia*. Concilii Carthaginens. 111. can. 46. & Aquisgranens. can. 5. & Gilebertus Episcopus in solemni iurisiurandi formula, *matrix & maior Ecclesia*. *cap. 3. de Ecclesiis ædificandis, & cap. 22. de verbor. significat.* Mater autem Ecclesia Claromontensis, *Ecclesia Aruerni municipioli* dicitur à Sidonio lib. 3. ep. 1. *Ecclesia Aruerna*, in proœmio Synodi Aruernensis, & à Gregorio Turonensi l. 3. cap. 2. lib. 4. c. 12. & 31. ab eodem *senior Ecclesia*; vel vt alias legitur, *veterrima* l. 2. c. 16. à Roberto Comite in vetere charta Ms. *maioris sedis Ecclesia*, *maior Ecclesia* ab Vvinebrando in hist. S. Illidij Episcopi, absolutè *Ecclesia* ab eodem Gregorio l. 2. c. 23. & l. 10. c. 6. *Ecclesia S. Laurentij* dicta etiam fuit. Vide inf. numer. 3. necnon *Ecclesia*

S. *Michaelis*. Surius, num. 3. infr. hist. S. Boniti; & quia S. Mariæ virgini consecrata erat, *Ecclesia Beatæ Mariæ Episcopalis*, vocatur à Sugerio Abbate S. Dionysii, & ex eo à continuatore Aimoini l. 5. c. 49. de qua plura lib. de originibus.

Altare S. *Mariæ*] in cuius honorem mater Ecclesia consecrata fuit, Vvinebrandus in histor. S. Illidij Ms. *vt ad Ecclesiam maiorem sedis Episcopalis ducatur, quæ est sub obtentu genitricis Domini Mariæ*, &c. à S. Martiale, excerpta ex archiuis S. Martialis Lemouicensis: S. *Martialis paruam Basilicam in vrbe Turonis fundauit in honore S. Petri, Aruernis quoque & Rutenis, atque Anitio montuoso oppido fabricauit in titulo* S. *Mariæ*. Et si fides chronicis abbreuiatis Mss. quosdam capillos virginis Mariæ in eadem Ecclesia deposuit, *In rupe autem Anicij, quæ nunc Podium dominæ nostræ dicitur, altare in honorem ipsius dominæ dedicans, totularem ipsius ibidem posuit, & alterum in Rutena, de capillis vero eiusdem posuit partem in ciuitate Aruernica (quæ nunc Claromons dicitur) & partem alteram in Mimata*, &c. quos tamen S. Austremonium ad vrbem Aruernam detulisse, & eos intra statuam S. Mariæ condidisse Stephanum Episcopum cum aliis pluribus reliquiis testatur memoriale reliquiarum Ms. Ecclesiæ Clamont. Rogatu autem Roberti Mousiacensis Abbatis, eundem Stephanum Episcopum, Ecclesiam titulo S. Mariæ struxisse, veteris Mti. fragmenta testantur, eamque de more consecrasse IV. *Non. Iunij vet.* Martyrolog. & ordo Claromont. Ms.

Sanctorum Agricolæ & Vitalis] quorum reliquias S. Namatius Episcopus à Bononia in Aruerniam transferendas curauit, illisque magnificam Ecclesiam dedicauit, Gregor. Turon. l. 2. hist. c. 16. & de miraculis martyrum l. 1. c. 44. exinde vet. chartis vocatur *Ecclesia S. Mariæ, & SS. Agricolæ & Vitalis*: Helgaldus Floriacensis in vita Roberti Regis vbi de Monasterio S. Aniani Aurelianensis, *caput autem ipsius Monasterij fecit muro opere in similitudinem Monasterij S. Mariæ matris Domini, & SS. Agricolæ & Vitalis in Claromonte constituti.* horum translatio v. Kalend. Decemb. Martyrolog. Clarom. Ms. *In Gallis vrbe Aruernis translatio Beatorum Martyrum Agricolæ & Vitalis*, &c. Ordo Claromont. Ms. *Si festum translationis Sanctorum Agricolæ & Vitalis infra aduentum fuit, dicatur missa de sancta Maria*, &c. quod festum chorus cappis indutus solemniter celebrat, vet. lib. & Ordo, illi enim fuêre Diui Tutelares, idcirco de his crebra commemoratio fit in Ecclesia Claromontensi, vel tum cum aliud festum non occurrit. Ordo Ms. *Si hodie festum aliquod non occurrerit, dicetur missa de sanctis Ecclesiæ, scilicet Austremonio, Agricola & Vitale Martyribus.* Feria quinta *de sanctis Ecclesiæ. Quinta feria cuiuslibet hebdomadæ de sanctis Ecclesiæ, scilicet Austremonio, Agricola & Vitale.* Et illis à sinistris secundarium altare dicatum est. Idem ordo & Catalogus altarium.

Altare S. Crucis] quod est septimum à dextris Ecclesiæ Claromontensis, cuius frequens mentio in Ordine Ms. ibique parœcia habetur: exaltatio autem sanctæ Crucis inter solemnia festa numeratur in Ordine Claromont. vet. lib. & Breuiario, & obiter notandum quod An. Christi 1269. *S. Ludouicus Francorum Rex, dedit Episcopo Claromontensi (Guidoni de Turre) crucem auream ornatam lapidibus, videlicet de cruce domini portionem vnam, de corona domini portionem vnam, de sudario, de veste purpurea, de pannis infantiæ Domini saluatoris, de linteo quo præcinctus fuit in cœna, de ossibus Beatæ Mariæ Magdalenæ*, quæ in die Parasceue de geniculis adoratur.

Altare S. Ioannis Baptistæ] quod est in capite Ecclesiæ, cuius crebrò meminit ordo Claromontensis.

Altare S. Iuliani Martyris] Diui totius Aruerniæ Tutelaris, Sidonius lib. 7. ep. 1. idem Carm. vlt. vide notas. Cuius titulo nonum à dextris altare insignitum est, & eius festum inter solemnia locum tenet; sine cappis tamen, vet. lib. Ms. & ordo Claromontensis.

Altare S. Angeli] quod ex ruinis Ecclesiæ veteris superstat adhuc, id est S. Michaelis, à quo vetus Ecclesia titulum sortita est, vetus Prologus de S. Bonito XVIII. Kalend. Febr. in Breuiario Claromontensi.

Sanctitatis dans exemplum,
Michaelis petit templum.

de quo præterea Vincentius Beluacensis, & ex eo Petrus Equilinus lib. 2. c. 82. Surius Tom. 1. & Marullus lib. 2. c. 4.

Digitized by Google

II.

In Ecclesia S. Mariæ principalis, primum altare S. Mariæ, altare S. Iuliani, altare S. Priuati, altare S. Sulpitij. Vbi requiescunt S. Auitus, & S. Garius, & S. Sigo.

Ecclesia S. Mariæ principalis] quam Auitus Pontifex Claromontensis condidit, vet. hist. S. Auiti Ms. ex vet. lib. Portuensis Ecclesiæ, item alius liber Ms.

Hoc templum sanctus primò fundauit Auitus,
Inclytus antistes, nobilis & genere.

principalem Ecclesiam appellari Anonymus auctor vitæ S. Auiti putat, *atque prædictam Basilicam principalem appellari placuit, vel quia inter cæteras, quæ per Episcopatum in honorem S. Dei genitricis constructæ videbantur, principatum teneret: vel quia in eadem ciuitate tunc temporis Ecclesia ad gloriam matris Dei fabricata mueniri nullomodo poterat.* Idem paulo post, *In Ecclesia Portuensi, quæ principalis dicitur.* Veruntamen hæc Ecclesia non principalis, at Ecclesia Sanctæ Mariæ principalis appellari videtur. Stephanus Episcopus Claromontensis anno Domini DCCCCLIX. in beneficiali scripto, *Ecclesiam S. Mariæ, quæ dicitur principalis*, &c. Quia hæc non satis explicita sunt, omne dubium abstergit, idem Stephanus in testamento suo anno Dom. 976. *In primis Abbatiam S. Mariæ, quæ dicitur principalis*, &c. atque etiam indiculus huiusce libelli in Ms. Portuensi ante præfatos versus: *Nota ædificatorem templi S. principalis Mariæ, destructoresque Normannos, & reædificatorem.* Et ita in isto libello Portuensi, necnon Illidiano distincte exprimitur, *In Ecclesia S. Mariæ principalis*, & in aliis vet. chartis eiusdem Ecclesiæ, *Ecclesia de Portu. & Ecclesia B. Mariæ de Portu* vocatur in testamento Guidonis Episcopi, & in vet. ordinibus, Kalendariis, & chartis. *Et sic postmodum ad S. Mariam ad Portum peruenerunt*, &c. Vvinebrandus: quod dictum volui, ne lites inposterum oriantur ex his verbis malè perceptis, vel vt ortæ sopiantur.

S. Auitus] auctor vitæ S. Auiti, *sepultus est autem in Ecclesia Portuensi, quæ principalis dicitur, quam ipse dum aduiueret decenter fundauerat, & diligenter consummauerat.* Vide Catalogum Episcoporum. Vnde nomen sumpserit, docet idem auctor: *Sanctissimus iterum Auitus, post ædificationem Tiernensis Ecclesiæ, in vrbe Aruerna, qua (vt prædiximus) domino annuente Cathedram Pontificalem susceperat; in locum qui ab antiquis Portus vocabatur: in honore S. Dei Genitricis & Virginis Mariæ Ecclesiam eleganter construxit, quam & multis Sanctorum reliquiis diligenter adornauit*, &c.

S. Garius] S. Garii sepulchrum est in claustris Ecclesiæ Portuensis, intra capellam S. Katherinæ, quem nedum vindicatum vt credam, facit, quod nulla eius commemoratio fit, nullaque extat memoria, vulgò *S. Guerin*; illi tamen per traduces veneratio quædam impenditur.

Et S. Sigo] hæc verba absunt à Ms. Illidiano, is est qui Portuensem Ecclesiam à Normannis primùm euersam reparauit.

Hæc Normannorum flammis gens vsitat acerba,
Bacchans, & strages heu miseras faciens.
Sed Sigo hanc præsul prisco decorauit honore, &c.

Eius festum celebratur 13. Idus Febru. Breuiar. Martyrolog. Ordo Claromon. & Kalendaria Mss. vide Catalogum Episcoporum, eiusdem cineres capsa concluſi capite Portuensis Ecclesiæ superstant.

III.

In Ecclesia S. Laurentij, altare S. Laurentij, ibi requiescunt S. Gallus, & S. Briccius, & alij SS. quorum nomina Deus scit.

Ecclesia sancti Laurentij] S. Laurentij Basilicam ædificasse Victorium comitem tradit Gregor. Turon. lib. 2. hist. cap. 20. ambigo vtrum ista sit non procul ab Ecclesia Portuensi remota; de qua tamen indubiè idem Gregor. de vita patr. c. 6. infra Vvinebrandus in hist. S. Illidij *Item mulier ex vico Cibaciaco habitans fuit ad Portum iuxta Ecclesiam sancti Laurentij*, &c. paulo post, *ducunt illam prius ad præfati martyris Ecclesiam*, &c. Guidonis Episcopi testamentum, quo S. Laurentij Basilicam Ecclesiæ Portuensi propter vicinitatem vniuit, *Item Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Portu Claromontensi vnimus Ecclesiam sancti Laurentij prope dictam Ecclesiam de Portu*, &c.

Monasterii S. Laurentii meminit Iuo Carnot. Epist. 3. Monachis Dolensis Monasterii sub finem, *Ex quibus duo de Monasterio crucis literati & religiosi, Guimundus & Robertus; alter ad Episcopatum Aruernensem, alter ad gubernationem Monasterij sancti Laurentij Aruernensis auctoritate Apostolica assumpti sunt.* Ne quis hæreat in hac re, & vt lux Iuoni detur, Monasterium illud S. Laurentii Aruernensis, non est Ecclesia sancti Laurentii de qua hoc loco agitur, sed mater & Episcopalis Ecclesia, quod ex donatione Stephani Episcopi facta matri Ecclesiæ clarum est An. Dom. 959. *Ipsi Ecclesiæ S. Mariæ & sancti Laurentij, atque sanctorum martyrum Agricolæ & Vitalis, fratribusque ibi Domino in commune deseruientibus, vt in reliquum ipsi matri Ecclesiæ sine penuria vinearum & panis alacriter deseruiant, has res adpræsens sub omni integritate concedimus,* &c. De qua hist. S. Boniti à quodam eius coætaneo scripta lect. 8. *nec mora vbi B. Leuitæ & martyris Laurentij Ecclesiam ingressi sumus,* &c. Cui locus etiam datur intra sancta sanctorum matris Ecclesiæ ad dextram altaris principalis, cuius solemne festum agitur, & chorus solet esse cum cappis, IV. Id. Augusti. Anonymus auctor ordinis Claromontensis Ms. hortatur Durantum succentorem vt diem illum festiuè celebret; & vt annuatim excoleretur, cum maxima festiuitate Henricus de Turre Episcopus octo libras Turonenses distribuendas concessit, quolibet anno, vet. liber anniuersariorum Ms. & Ludouicus Royre Canonicus Claromont. Anno Dom. 1285. in octaua S. Laurentii xvj. Kalend. Septemb. vt panis & vinum Canonicis & reliquis ministris dispensetur, decem sextarios frumenti, & vini modios totidem Claromontensi capitulo legauit, annuæ præstationi domum & reditus præceptoriæ de la Tourrette assignauit, vt honorificentissimè memoria S. Laurentii recolatur. Idem liber Ms.

S. *Gallus*] Gregor. Turon. de vita patrum cap. 63. *Episcopis autem quarta die aduenientibus cum de Ecclesia leuauerunt, & portantes in sancti Laurentij Basilicam ibi sepeliunt,* vnde Ecclesia S. Galli dicta est ab Anonymo in ordine Claromontensi ad Durandum succentorem Kalend. Iulij, *hodie visitamus Ecclesiam S. Galli, & dicimus magnam missam sicut supra in festo B. Genesij,* qui mutata sede locum præcipuum tenet in Ecclesia Portuensi.

S. *Briccius*] Episcopus Turonens. quem Diuis asserunt Gregor. Turon. Martyrol. Pet. Equili. lib. 10. c. 55. Radulphus Tungren. de Can. obl. propos. 12. cuius reliquias S. Gregor. Turon. huc transferendas forte curauit, vt S. Galli Patrui sui memoriam illustraret, de quo Kalend. Ordo Breuiaria Claromon. Idib. Nouemb.

IV.

In Ecclesia S. Boniti, altare S. Mauritij, altare S. Angeli, altare S. Petri, & S. Mariæ, ibi requiescit S. Bonitus in corpore.

Ecclesia S. *Boniti*] Martyrolo. Claromon. Ms. viij. Idus Iunii, *In suburbio dedicatio Basilicæ eiusdem* S. *Boniti prædicti confessoris.* Vet. Kal. Ms. Kal. Aprilis. *Apud Ecclesiam* S. *Boniti, pro Hugone Chapelier anniuersarium,* &c. Ritualis liber Illidiani Cœnobij Ms. 11. die Rogationum, *pergitur ad Eccles. S. Boniti,* &c. postea, *ante portam Ecclesiæ S. Boniti fit statio,* &c. Ordinalis Claromon. Eccles. feria 2. in Rogationibus, *transeunt ad petram regalem, & veniunt in cœmeterium sancti Boniti, ibi fit sermo ab eo, cui Cantor iniunxerit, nisi Episcopus præsentialiter voluerit prædicare.*

Altare S. *Mauricij*) à quo Ecclesia S. Mauricii dicebatur antequam in eam S. Bonitus translatus esset ex Ecclesia Lugdunensi S. Petri: historia S. Boniti à quodam eius synchrono scripta, *Nam cum B. Mauritij basilicam omni ex parte reperisset incultam* &c. & alias non semel, & ex ea Surius tomo 1.

Altare S. Petri) de quo anonymus auctor historiæ S. Boniti, & iuxta quod corpus S. Boniti sepultum fuit, *post hæc sancti Sacerdotis membra dignæ sepulturæ tradita, iuxta beatorum Apostolorum Petri & Pauli, atque S. Andreæ altare, quorum reliquias Proculus Pontifex ex vrbe iussit deferri,* &c.

S. Bonitus] idem auctor vbi supra de Translatione S. Boniti, *deinde cum ab Episcopo in Ecclesiam S. Mauricij portaretur,* &c. à quo S. Boniti Ecclesia in vet. chartis appellatur, atque etiam hodie S Boniti, vel S. Ferreoli, & est parœcialis Ecclesia atque prioratus Illidianæ ditionis, vulgò S. *Bonnet* ou *S. Ferreol*: cuius dedicatio celebratur VIII. Idus Iunii. Ordo & Martyrolog. Claromon. Ms. Translatio S. Boniti *Aruernorum præsulis à ciuitate Lugduno ad vrbem Aruernam, in suburbio dedicatio Basilicæ eiusdem prædicti Confessoris.*

V.

Digitized by Google

V.

In Eccleſia S. Chriſtophori, altare ſancti Chriſtophori, altare S. Hilarij, altare ſancti Martini & Iſidori.

Eccleſia S. Chriſtophori] Eccleſia non procul à Illidiano Cœnobio olim diſſita, & abhinc ſexaginta annis & quod excurrit diruta, non ita tamen, quin veſtigia quædam ſuperſint, quibus eam ab obliuione diuinitas aſſeruit. Ritualis liber ſancti Illidij 11. die rogat. *Pergitur ad Eccleſiam ſancti Boniti, facientes commemorationes Sanctorum Ioannis Baptiſtæ, ſancti Petri, ſancti Hilarij ſancti Caſſii, ſancti Chriſtophori,* nam (vt prius dixit) *cum autem ad huiuſmodi proceſsiones pergimus, commendationem ſanctorum facimus, ante quorum Eccleſias pertranſimus.*

VI.

In Eccleſia ſancti Petri, altare ſancti Petri.

Eccleſia S. Petri] multæ cognomines Eccleſiæ fuerunt, infra numer. 17. 20. 27. *Vnde Gregor. Turon. lib. 4. hiſt. cap. 31. numerata ſunt autem quadam Dominica, in vna Beati Petri Baſilica, trecenta defunctorum corpora*, in honorem ſancti Petri, S. Auſtremonium Eccleſiam ædificaſſe ſancti Auſtremonii tradit hiſtoria, de qua ſupra numero 5. & infra num. 17. ex Rituali libro S. Illidii. Hæc autem de Paroeciali intelligenda eſt, de qua Innocent. 111. Collect. 111. Decretal. l. 2. tit. 12. de teſtibus cap. 2. Ordo 111. die Rogation. *Viſitamus Eccleſiam ſancti Petri*, &c.

VII.

In Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ, altare S. Ioannis.

Eccleſia S. Ioannis] diſtabat à Monaſterio S. Illidii viginti paſſus, verſus meridiem, intra hortos Illidiani Cœnobii: Ritualis liber Ms. 11. die Rogat. *Pergite ad Eccleſiam ſancti Boniti facientes commemorationes ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, ſancti Petri, S. Hylarij, S. Caſſij, S. Chriſtophori*, &c. quorum ante Eccleſias fiebat tranſitus: idem liber fol. 1586. *Si forte ad maiorem Eccleſiam oportuerit conuenire facimus (vt diximus) commemorationes ſanctorum, ante quorum Eccleſias tranſimus S. Stephani, Petri, Ioannis, Nicolai, Martini.*

VIII.

In Eccleſia S. Galli, altare S. Mariæ, vbi requieſcunt S. Gallus, & S. Vrbicus, & S. Antolianus, & ſanctus Geriualdus.

Eccleſia S. Galli) ſuis ruinis ſepulta ne ſui quidem veſtigium reliquit.

S. *Gallus*) non huius nominis primus; is enim in Baſilica S. Laurentii humatus eſt, ſupra num. 3. ſed (vt coniicio) Gallus Epiſcopus Claromontenſis huius nominis ſecundus, de quo Catalogus Epiſcoporum.

S. *Vrbicus*) primus ab Auſtremonio Claromontenſis Epiſcopus, de quo Gregor. Turon. hiſtor. cap. 44. *ipſe quoque Sacerdos cum coniuge & filia in crypta Cantobennenſi iuxta aggerem publicum eſt ſepultus*, ex quibus verbis licet colligere S. Galli Eccleſiam illo loci conditam fuiſſe, de qua vel minante ruinam, vel euerſa, S. Vrbicus in Illidianam migrauit. Tabula Illidiana.

S. *Antolianus*) Gregor. Turon. lib. 1. hiſt. c. 33. *iuxta hanc vrbem Liminius, Anthollianuſque Martyres requieſcunt*, idem de miraculis lib. 1. c. 65. *Antholianus autem Martyr apud vrbem Aruernam Martyrium conſummauit*, &c. eius fit commemoratio viij. idus Febru. Clarom. Martyrolog. *Natalis S. Antholiani apud vrbem Aruernam Martyrio coronatus eſt.* Idem Ordo. Videnda Martyrologia, Bedæ, Vſuardi, Adonis, & Notkeri, & Petrus Equilinus l. n. c. vlt. num. 51. cuius paſſionis hiſtoriam S. Præiectum Epiſcopum eleganter deſcripſiſſe traditur in eius hiſtoria: *nam paſſiones Martyrum Caſſij & Victorini, Antholiani, ac Aſtrobodij, ac cæterorum ſanctorum qui in eadem vrbe ſanguinem fudere pro Chriſto, glorioſo eluebrauit ſtylo*, obiter emendandum eſt Martyrologium Bedæ, in quo mendoſe legitur *apud Aruernam vrbem natale S. Anatholij Martyris*, reponendum eſt *Antholiani.*

S. *Geriualdus*) Claromontenſis Epiſcopus, qui in Catalogo Claromontenſium Epiſcoporum *Cariualdus* in hiſtoria S. Præiecti, *Gairoaldus*; quo iure Diuus adſcriptus ſit, neſcio; niſi ſanctus vocetur propter Epiſcopatus honorem, & quod diuino cultui conſecratus eſſet. Caſſian. Eremita Collat. 22. cap. 9. vel quòd ſolutiorem vitam cum ſanctitate mutauerit.

Digitized by Google

IX.

In Ecclesia S. Cassii, altare S. Petri, altare S. Iuliani, vbi S. Cassius, & S. Victorinus, & S. Leogontia, & S. Georgia quiescunt.

Ecclesia S. *Cassii*] *Gregor. Turon. lib. 4. hist. cap. 12. erat enim ad Basilicam S. Cassij Martyris*, &c. Idem ex Gregor. Turon. Aymoinus lib. 2. cap. 36. Item Gregor. Turon. de miraculis Confess. cap. 34. & 36. suppresso tamen nomine, hodie parochialis Ecclesia S. Cassii nomen retinet: Ritualis liber S. Illidii 11. die rogationum, vide supra num. 5. & 7. Idem liber fer. IV. Rogatio. *Et sic venitur ad* S. *Remigium, & si tempus congruum non fuerit, seu pluuiarum, fit processio ad S. Cassium.*

S. *Cassius*] Gregor. Turon. l. 1. hist. cap. 33. *Ibi Cassius ac Victorinus in dilectione Christi fraterno affectu sociati, per effusionem cruoris proprij cœlorum regna pariter sunt adepti*, quorum passiones sanctum Præiectum enarrasse, supra notatum, de quibus Martyrologium Romanum, Kalendaria vetera, & martyr. Clarom. *Aruernis natalis SS. Cassij & Victorini Martyrum, cum alijs sex millibus* CCLXVI. *Idib. Maij.* Molanus in Vsuardum *apud Aruernum SS. Martyrum Cassij, Victorini, Maximi & sociorum, quorum actus scripsit S. Præiectus Episcopus.*

S. *Leogontia*) Tabula Illidiana. S. *Leogontia Virgo.*

S. *Georgia*] De qua Gregor. Turon. de gloria Confessorum cap. 34. cuius reliquiæ arca lapidea inclusæ in Ecclesia S. Cassii supersunt adhuc cum hoc titulo, qui incisus est opertorio marmoreo.

Hoc iacet in tumulo sacrata Georgia Christi
Et deuota bonis, mente, fide, merito,
Ob quam magna patrem premeret cum turba procorum,
Illa Deum legit feliciore toro.

cuius sepulchrum Anno Dom. 1531. Guillelmus Duprat Claromont. Episcopus aperuit, caputque Illidiano Cœnobio concessit, eius natalitium excolitur V. Idus Febru. Martyrol. Roman. *Aruernis S. Georgiæ virginis*, vixisse autem circa annum Do. 480. Baronius sine auctore scribit tom. 6. fides sit penes eum.

X.

In Ecclesia S. Venerandi, altare S. Iuliani & S. Basilicæ Antiochenæ, altare S. Quintini, & S. Dionysii, altare S. Mariæ, vbi S. Venerandus, & S. Linguinus, & S. Nepotianus & S. Auitus, & S. Clara, & alij sex millia ducentorum in corpore quiescunt, quorum nomina Deus scit.

Ecclesia S. Venerandi) Gregor. Turon. de gloria Confessor. c. 35. *In Basilica autem S. Venerandi, quæ S. Illidij est proxima.* Item cap. 36. *si ingrediaris per ostium in Basilica S. Venerandi*, &c. Item c. 37. hodie S. *Venerandi* intra hortos Illidiani Cœnobii.

S. *Venerandus*) Gregor. Turon. de gloria Confess. cap. 34. *est ibi sepulcrum ipsius S. Venerandi, à quo hæc ædes nomen accepit sub Analogio compositum*, &c. vetus Tabula Illidiana, *Nam in B. Illidij Monasterio B. Venerandus Episcopus* S. *Mariæ amore, aliorumque Martyrum requieuit*, &c. cuius reliqua Arbertus Episcopus petitioni annuens Guidonis Scoti Abbatis Illidiani cum reliquijs S. Illidiani in eadem capsa discretum concluſit, & suo anulo obsignauit, anno Dom. 1311. XI. Kalend. Ianuarij; vetus liber Ms. qua die eius translatio celebranda est: Idem liber Ms. reliquorum tamen partem intra sepulchrum S. Venerandi præposuit: vetus liber. *Porro nonnulla pars pulueris & ossium corporis B. Venerandi dimissa sunt in capella sua, sub suo altari, infra pristinum eius sepulchrum sub Analogio factum.*

S. *Linguinus*) sic Mss. legendum, vel saltem addendum arbitror Liminius, cuius tumulus non procul ab Aruerna ciuitate. Gregor. Turon. lib. 1. cap. 33. hist. *Iuxta hanc vrbem Liminius Antolianusque Martyres requiescunt.* In Ecclesia, scilicet S. Venerandi. Idem Gregor. Turon. de gloria Confess. cap. 36. *In hac enim Basilica S. Venerandi, & Beatus Martyr Liminius est sepultus*, &c. Molanus in appendice, cuius capite Thureti Prioratus gloriatur, eiusque solemnitas agitur IV. Kalend. Aprilis translationis autem festum III. Idus Maij. Collectarium S. Illidij Ms. verum quia in rebus, quæ ad religionem spectant, nihil temere tentandum est, secundum vindicias Ecclesiæ S. Venerandi, hic appingo S. Liminium martyrem, non expungo S. Linguinum Confessorem, de quo vetus tabula Illidiana. S. *Linguinus Confessor.*

S. *Nepotianus*] Gregor. Turon. de glor. Confessor. cap. 37. vbi de eadem Basi-

Digitized by Goog

lica S. Venerandi. *Ibi & S. Nepotianus Episcopus requieſcit, qui fuit in ſæculo ſummæ vir ſanctitatis*, &c. cuius cineres Arbertus Episcopus anno Domini 1311. cum corpus S. Venerandi translatum fuit, diligenter inquisiit, nec inuenit: vetus ille liber, *Verum propter difficultatem quærendi corpus B. Nepotiani Confeſſoris & Episcopi Claromontenſis, quod in eadem capella ſepultum fuiſſe noſcitur, fuit ibidem dimiſſum*, vide Catalogum Episcoporum de Originib. Claromontij.

S. *Auitus*] huius nominis secundus, & S. Boniti frater, tabula Illidiana S. *Auitus frater* S. *Boniti Episcopi*, vide Catalogum Episcoporum ibidem.

S. Clara] Tabula Illid. *S. Clara Virgo.*

Et alij ſex milia ducenti] Gregor. Turon. de glor. Confeſſ. cap. 36. *ſunt enim ibi (vt diximus) inluſtrium meritorum viri, quorum nomina ignota incolis; ſcripta tamen, vt credimus, retinentur in cœlis.* Vide cap. 35. eiuſdem libri, & Martyrol. Claromont. Idib. Mai. vide ſupra num. 9.

Quorum nomina Deus ſcit) ne inſolens loquutio videatur, Notkeri Martyrologium, XIII. *kalend. Martij, In Aquileia, Chriſanti: Concordia, Iuſti, Romuli: Saloni, Syluani, & aliorum 84. quorum nomina Deus ſcit.* Idem Rabani Martyrolog. II. *kalend. April. in Africa natale Aniſij, & depoſitio Ambroſij Episcopi & natale vij. Virginum quarum nomina Deus ſcit*, Vetus inſcriptio Illidiana marmori inciſa.

HIC REQVIESCVNT CORPORA SANCTORVM
QVORVM NOMINA DEVS SCIT.

infra num 3. *Ibi requieſcunt S. Gallus & S. Briccius & alij SS. quorum nomina Deus ſcit.*

XI.

In Eccleſia S. Illidij, altare S. Clementis, altare S. Mariæ, vbi S. Illidius, & S. Deſideratus, & S. Gallus, & S. Auolus, & S. Iuſtus, & S. Iniurioſus, & Scholaſtica, in corpore quieſcunt.

S. *Illidij*] de qua Gregor. Turon. de glor. Confeſſor. cap. 35. *In Baſilica autem S. Venerandi, quæ S. Illidij eſt proxima.* Item cap. 7. *Inter egreſſum Baſilicæ S. Illidij, & ingreſſum templi B. Venerandi*, &c. Idem in eius vita, *vt ad beati Illidij Baſilicam deportetur*, &c.

Altare S. Clementis) Vvinebrandus, *huic etiam ſanctiſſ. viro quoddam oratorium cum altari, aſcribitur feciſſe, in honore S. Clementis Martyris, qui fuit vir Apoſtolicus S Romanæ ſedis, cuius & brachium in crypta quadam ſubtus altare poſuit, pro cuius etiam veneratione oratorium illud ſacrauit.* Idem repetit in libro miraculorum, Donatio Chlodouei Regis Theodechildi facta. *In ſuburbio Aruernenſis vrbis, Eccleſiam indominicatam S. Clementis, cum appendiciis ſuis.* Vetus liber de brachio S. Clementis ex Bibliotheca S. Illidij Ms. *quod poſt deceſſum beati Clementis tulit ad ſepulchrum eius Beatus Illidius atque diſponente domino partem reliquiarum ſuarum ſecum attulerit, (ſcilicet brachium eius dextrum) atque in quodam oratorio, ſub arca altaris, quæ in honore eius conſecrata fuerat, cum ſuo ſigillo adſignatum honorificè condidit*, quod è terra defoſſum Bego Episcopus & Mancidius Abbas S. Illidii in eburnea pixide adfabrè facta recondiderunt, & in eiuſdem honorem altare erexerunt. Idem liber, *Ibi repererunt* B. *Clementis brachium, & cum magnis populorum laudibus in quodam ſcrinio honorificè poſuerunt, poſtea verò ædificauerunt altare in honorem eiuſdem.* Vnde ab eo S. Clementis Eccleſia olim dicta eſt, ſupra hac nota Kalend. Ms. Ritualis Illidiani VI. *Kalend. Iulij dedicatio Eccleſiæ S. Clementis, maior dupla.*

Altare S. Mariæ] Cui primitus Eccleſia dedicata fuerat à S. Auſtremonio, poſtmodum titulo S. Mariæ inter ſanctos honorata. Illidiani Cœnobii documenta, & Vvinebrandus in hiſtor. ſancti Illidii, & vetus hiſt. S. Præiecti, quo loci S. Illidius ſepeliri voluit, Vvenebrandus, *iubet & illis poſtquam de hac vita migrauerit, vt apud vrbem Aruernam, in loco qui dicitur, ad S. Mariam inter ſanctos, ſepeliant illum, neque alicubi faciant ei ſepulchrum*, &c. idem de miraculis, *perluſtratis iam penè vrbis omnibus Eccleſiis, tandem ſub die Iouis venit in ſuburbio, ad locum qui antiquitus ſanctæ Mariæ inter ſanctos eſt appellatus, vbi beatiſſimus Confeſſor Dei requieſcit Illidius.*

Vbi S. Illidius] Claromontenſis Episcopus ordine quartus, Gregor. Turon. in eius vita. *Sanctus verò (vt aiunt) impleto vitæ præſentis tempore, in ipſo itineris curriculo migrauit ad Chriſtum, à ſuiſque delatus in vrbe ſua ſepultus eſt.* Idem hiſt. lib. I. cap 45. *qui felici conſummatione vitæ huius perſunctus tramite migrauit ad Christum, ſepultuſque in crypta ſu-*

barbano ciuitatis illius, & vt nullus reſtet dubio locus, quin in ea Baſilica ſepultus ſit S. Illidius ex eodem Gregorio liquidò liquet, in S. Illidii vita, vbi de ſe ipſo loquitur. *Interea aduenit paruulo deſiderium, & credo inſpirante Deo, vt ad beati Illidij Baſilicam deportaretur, illatuſque manibus puerorum ad eius tumulum*, &c. Clerici Turon. in hiſt. S. Gregor. Turon. cap. 3. *Rogat igitur vt ad ſepulchrum S. Illidij (erat enim iuxta) portari deberet*, paulo poſt *ad ſepulchrum beati Illidij me ſemel adhuc deferte*, &c. Cui ſepulchro verſus erant, anno Dom. 1311. nomine S. Illidii inſcripti, quibus edoctus Arbertus Epiſcopus corpus effoſſum in ſublime leuauit v. Idus Decemb. qua die commemorationem reuelationis fieri à religioſis Illidianis placuit, vetus libellus de feſto releuationis B. Illidii, maiustamen & duplex feſtum XIX. Kalend. Ianuar. Idem lib. & ordo Claromont. & S. Illidii.

S. Deſideratus] Tabula Illidiana, *S. Deſideratus Epiſcopus* martyr. Clar. Ms. III. Id. Februarii, *apud vrbem Aruernam depoſitio B. Deſiderati Epiſcopi & Confeſſoris*, vide Kalendaria & Breuiaria Mss. & impreſſa & ordines.

S. Gallus] Tabula Illidiana, *Gallus Epiſcopus*. Item vet. libellus de Dedicatione Monaſterii S. Illidii, *namque in S. Illidij Monaſterio, B. Venerandus Epiſcopus S. Mariæ amore, aliorumque Sanctorum Martyrum requieſcit, necnon etiam beatus Gallus, atque Caſſius. S. Gallus in dextera, Caſſius verò in parte ſiniſtra quieſcunt.* Item liber Ms. de feſto releuationis S. Illidij, *intra quam repertæ fuerunt, in quodam calice cupreo, reliquiæ Galli & Petri, in vno oſſe & in puluere valde cautè & reuerenter impoſitæ, quarum memoriale per Epiſcopum & alios quoſdam lectum, ſtatim præ vetuſtate in cineres eſt reſolutum*, &c.

S. Auolus] Tabula Illidiana. *S. Auolus Epiſcopus*, Catalogus Epiſcoporum.

S. Iuſtus] Gregor. Turon. l. 1. hiſt. cap. 45. *habuit & Archidiaconum nomine & merito Iuſtum, qui & curſum vitæ bonis conſummans operibus, magiſtri tumulo ſociatur.* Tabula marmorea parieti Monaſterii affixa Illidiana ſepulchro adfini.

IBI REQVIESCIT SANCTVS
IVSTVS ARVERNICÆ
VRBIS EPISCOPVS.

Tabula Illidiana *S. Iuſtus Archidiaconus*, cuius feſtum agitur XIJ. Kalend. Nouemb. vet. lib. Illid. plura in Catalogo Epiſcoporum, cuius cineres Arbertus Epiſcopus anno Dom. 1311. dum SS. Illidii & Venerandi reliquias è terræ viſceribus erueret, inueſtigauit, nec reperire potuit vet. liber, *eadem ratione conſtat idem omiſſum eſſe de illo, re & nomine Iuſto Archidiacono diſcipuloque beati Illidij, qui iuxta ſepulchrum ipſius S. Illidij legitur fuiſſe ſepultus.*

S. Iniurioſus] vnus ex eis quos vulgus duos amantes vocat, qui cum coniuge ſua caſtè vixit ſine vlla pudicitiæ labe, Gregor. Turon. lib. 1. hiſt. cap. 47. *per idem tempus Iniurioſus quidam de Senatoribus Aruernis, cum magnis opibus ſimilem ſibi in coniugio puellam expetit*, &c. Idem de glor. Confeſſ. cap. 32. *Duos fuiſſe apud Aruernum, virum ſcilicet & puellam, refert antiquitas, qui conuicto coniugio non coitu, & in vno ſtratu quieſcentes, non ſunt ab alterutro polluti in voluptate carnali*, &c. Tabula Illidiana S. *Iniurioſus Confeſſor*, quem virum Dei coniux appellauit, Gregor. Turon. lib. 1. hiſt. cap. 47. quique coniuge vxorio contenta nomine ſummo colebatur honore à maioribus noſtris, Gregor. Turon. de miracul. Confeſſ. cap. 32. *Idcirco nunc incolæ duos amantes vocitant, & ſummo venerantur honore.*

S. Scholaſtica] ſoror D. Benedicti. Tabula Illidiana.

S. Scholaſtica Virgo] cuius reliqua cum illis ſancti Benedicti à S. Aigulfo è Caſino in Gallias aſportata fuiſſe Adrevaldus aſſerit, cap. 4. 5. 6. quibus Cœnomani gloriantur, eodem auctore c. 7. & 8.

XII.

In Eccleſiis S. Hylarij, altare S. Hylarij, vbi S. Amabilis in corpore quieſcit.

S. Hylarij] de qua Ritualis liber S. Illidii, vide ſupra num. 5. non deſunt qui putent eſſe Eccleſiam Mariæ Magdalenæ, domui de Croſo contiguam, de qua vetus ordo, *In hoc feſto (Mariæ Magdalenæ) viſitamus aliquando Eccleſiam Mariæ Magdalenæ, & dicimus ibid.* III. & VI. &c. vetus liber rationum accepti & expenſi Roberti de Riomo ciuis Claromontenſis & publicorum receptoris, anno Chriſti 1359. *Du Prieur de la Magdelaine membre de l'Abbaye de Rion 36.* S. quæ ad iura Ricomagenſis

Ecclesiæ S. Amabilis pertinet, est in altari vetus statua schemate Episcopali decora, quam S. Hylarij facile crediderim ex eorum sententia, cui non succenseo.

S. Amabilis) diuus modo Ricomagi tutelaris, *qui ciuitati Claromontensi Cantor datus est*, vitæ eius, cap. 3. de quo etiam Gregor. Turon. de miracul. Confess. cap. 33. *Fuit etiam in supradicta Aruerna vrbe admirabilis sanctitatis Amabilis quidam vici Ricomagensis Presbyter*, &c. cui diem functo iusta persoluisse clerum ciuesque Claromontenses testatur eius hist. Ms. cap. 9. primæ diei, *transiit autem Beatissimus Confessor Amabilis de terris ad cœlos sanctis meritis Kal. Nouemb. conuenere ergo clerus & populus ciuitatis Claromontensis, Monachique & multitudo promiscui sexus, qui sanctitatem eius nouerant & condigno honore eius celebrauerunt exequias*, &c. Idem paulo post, *celebrent ergo eius solemne festum, vigiliis, Psalmis, & hymnis, omnes illi, qui in vrbe Aruernica commorantes eius frequentant tumulum, vt cuius meritis muniuntur auxiliis, illi exhibeant debiti veneramen honoris*, &c. qui eius historiam anno Domini MDXCV. Ricomagi cudendam curauit, malo exemplo, *pro vrbe Aruernica* subtrusit, *Riomensi*, contra fidem veteris exemplaris, ex quo historiam exscripsit. Præterea in dicto cap. 9. suppressit hæc duo verba, *ciuitatis Claromontensis*, &c. nonnulla etiam alia interpolauit, quæ persequi non est instituti mei, vt ad rem, præterea quæ supra notaui, eadem historia quintæ diei lectione prima vbi de S. Gallo, *qui magnificas Christo Domino retulit laudes, quod ciues Aruernenses tanto dignatus est munere patrono*, ex quibus & ex supradictis, maximè autem ex Gregor. Turon. non parum lucis adfertur huic libello ex Mss. libris Ecclesiæ Portuensis & Illidiani Cœnobij bona fide descripto qui S. Amabilem in Ecclesia S. Hylarii situm esse constanter astruit, præsertim verò Ms. Illidianus, in quo ita legitur, S. *Amabilis in corpore quiescit*, cui tamen refragari videtur hist. S. Amabilis primæ diei lectione 9. his verbis, *Et sepelierunt eum cereorum apparatu & lampadarum in Basilica S. Benigni quam ipse construxit in medio scilicet Ecclesiæ*, quin hoc sibi parum constare videtur; vix enim credi potest, clerum & populum ciuitatis Claromontensis S. Amabilem cum cereis & lampadibus in Ecclesia Ricomagensi S. Benigni tumulasse; nisi dixeris in vrbe Aruerna tunc temporis Ecclesiam fuisse titulo S. Benigni inscriptam, & hodie, *Martyrium* vocatur, vulgò *Marture*, quod etiam pendet ex collatione Ricomagensis Ecclesiæ, sed huius historici fidem satis eleuat primæ diei lectio tertia, *cui dominus præsul Præiectus ac testis Dei gloriosus, qui tunc Claromontensem regebat Ecclesiam, territorii præfati Abbatiam loco beneficentiæ dedit*. Longè enim post S. Amabilem S. Præiectus Episcopus creatus est, nec mirum si tam miserè lapsus est, cum historiam suam ex vetenbus actis consarcinauerit, multaque suffecerit ex ingenio suo, quæ malè commissa sunt: verum vt hunc auctorem cum seipso & hoccè libello conciliem, credo S. Amabilem in S. Hylarii Basilicam ciues Aruernenses extulisse, ibidemque sepelisse, postea verò Ricomagenses sibi, vt suum Presbyterum asseruisse, & in S. Benigni transtulisse Basilicam: vnde Translationis eius celebratur officium xv. kalend. Nouemb. Breuiarium Claromont. & officium Ricomagense, quod ex eodem historico licet colligere, primæ diei lect. III. in fine *construxit alteram Basilicam, in qua ipse modo habetur humatus, in memoriam B. Martyris Benigni, grandi fabrica nihilominus exaltauit*, vim facio in hoc verbo (modo) videtur enim antea alibi sedem habuisse, de his nimis.

XIII.

In Ecclesia S. Stephani, altare S. Stephani, vbi S. Namacius & S. Quintianus, & Sanctus Aprunculus, & S. Felix. & alia sanctorum corpora, quorum nomina nescimus, quiescunt.

Ecclesia S. Stephani) de qua Gregor. Turon. lib. 2. hist. cap. 17. *cuius coniux Basilicam Sancti Stephani suburbano marorum ædificauit*, &c. Idem de S. Quintiano in fine, *& sepultus est in basilica S. Stephani.* Matricula, siue vetus descriptio ciuium Claromontensium, trecentis abhinc annis scripta: *la parroche de S. Stephe.* Ordinalis Claromontensis Ms. feria 2. in Rogationibus: *Tunc exeant per portam quæ est ab occidente cantando, Propitius, & alias Antiphonas, transeuntes per gradus ante domum hospitalem, & ante Ecclesiam S. Stephani, facta commemoratione de eo*, &c. Ritualis liber S. Illidii: *primo die* (Rogationum) *fit processio ad S. Bonitum, & cum processio apparet ante Ecclesiam S. Stephani, subsacrista debet facere pulsare omnia signa tam de turre, quàm de choro, & tenet dicta pulsatio vsque ad portam S. Beniti vel circa.* Idem liber paulò ante III. *die*

Rogat. Si *forte ad maiorem Ecclesiam oportuerit conuenire, facimus* (*vt diximus*) *commemorationes Sanctorum, ante quorum Ecclesias transimus sancti Stephani, Petri, Ioannis, Nicolai, Martini*, &c. hodie Ecclesia parrœchialis Sancti Eutropii suburbicarii, in qua ad sinistram est altare in quo Martyrium sancti Stephani statuæ exprimunt exesæ vetustate, atque etiam altare primarium statua eiusdem S. honoratur.

S. *Namatius*] Claromontensis Episcopus, cuius vxor hanc Ecclesiam ædificarat, Greg. lib. 2. hist. cap. 17. vide Catalogum Episcoporum.

S. *Quintianus*] Claromontensis Episcopus, Gregor. Turon. in eius vita: *obiit autem perfectus in sanctitate, & sepultus est in Basilica S. Stephani, ad lævam altaris*, &c. IV. *Id. Nouemb.* Vide Catalogum Episcoporum, postea translatus fuit in Ecclesiam Sanctorum Symphoriani & Genesii, v. Idus Iulij: quo anno, non liquet; liquet tamen translatum fuisse ante tempora Duranti Episcopi, qui vixit Philippo Rege, ex eo quod in veteri charta Ms. vocatur Ecclesia illa propter translationem Sancti Quintiani, *Ecclesia Sanctorum Symphoriani, & Genesii, & Quintiani*, & ita non semel in aliis veteribus chartis, Ecclesiæ Sancti Genesii, vbi in eius honorem altare erectum est, & eius reliquiarium superpositum, de quo Ordo Claromontensis IV. Idi. Nouembr. *dicta tertia præcedente Diacono cum aqua benedicta, duobus ceroferariis, & thuribulario & capellano* S. *Crucis, cum cruce vadimus processionaliter ad Ecclesiam S. Genesii, vbi dicitur iterum tertia: Iterum Sacerdos Hebdomadarius induitur in sacrario, & chori prouisores, & cantatur Missa ad altare Sancti Quintiani*, &c. Ordo Ms. sancti Genesii, Sancti Quintiani solemne festum, *& missa dicitur in cappella ipsius.* Idem Dominica IV. post Pascha vbi de consecratione Ecclesiæ Sancti Genesii, *prope hospitium S. Quintiani*, &c. hodie sacrarium est.

S. *Apruncalus*] de quo nos plura in Catalogo Episcoporum, vide Sidonium epist. 10. lib. 9. Ruricium lib. 2. epist. 48. 54. & sequentibus, & Gregor. Turonensem.

Felix] Episcopus Aruernensis, de quo nonnulla in Catalogo, ex histor. Sancti Præiecti Ms. & edita, vide Antoninum part. 2. cap. 6. tit. 13. §. 25. & Petrum Æquilium lib. 3. cap. 22.

XIV.

In Ecclesia Sancti Cirici, altare S. Cirici, vbi S. Abraham, & S. Iustus, & S. Siluinus requiescunt.

Ecclesia S. Cirici) de qua Gregorius Turon. de vita S. Abrahæ, *Aruernis aduenit, ibique ad Basilicam S. Cirici Monasterium collocauit*, vnde Monasterium S. Cirici dicitur ab eodem Gregor. lib. 2. hist. cap. 21. *fuit in Monasterio Beati Cirici*, &c. sic legendum, *non Ciriaci*, Basilica & Monasterium coniunctim cap. sequenti *ad festiuitatem Basilicæ Monasterij*, &c. ad quam festiuitatem scilicet sancti Cirici, & Iulitæ matris eius Martyrum cum sociis eorum proceditur, quæ celebratur XVI. Kalend. Iul. Martyrologium, Ordo, & Breuiarium Claromonten. Sidonius Claromontensis Episcopus cum Victorio Comite à præposito Auxiano inuitatus, totum festiuitatis opus memoriter explicuit, Gregor. de vita Abraham, & hist. lib 1. cap. 22. Liber Ritualis Illidia. III. *die rogat. itur ad* S. *Ciricum, postea egressa processione Claromontis cœmiterio S. Cirici, visitamus & nos eandem Ecclesiam*, &c. Ordo Claromont. eadem die, *hodie vadimus ad Ecclesiam S. Cirici, vbi facto sermone ab eo cui Cantor iniunxerit, & commemoratione de Cruce super populum, & super fructus terræ, intramus Ecclesiam, & facta commemoratione de SS. Martyribus Cirico, & Iulita*, &c. Idem vbi de festo Sanctorum Cirici & Iulitæ. *Sed hodie dicta tertia, vadimus processionaliter ad Ecclesiam eorum*, &c. vulgò S. *Cirgues.*

Altare S. Cirici) Cuius reliquias S. Amator Antissiodorensis, S. Abrahæ synchronus, in Gallias ex Oriente detulit. Mombrusius tom. 2.

S. *Abraham*] Aruernæ ciuitatis Abbas. Gregor. Turon. lib. 1. hist. cap. 21. vitæ sanctitate conspicuus, & miraculis illustris. Gregor. Turonen. in libello de eius vita, & hist. lib. 1. cap. 21. Conditor Ecclesiæ S. Cirici, in qua conditus est, Sidonius ep. 17. lib. 7. in eius Epitaphio.

Ædificas hic ipse Deo venerabile templum
Ipse Dei templum corpore factus prius:
Finit cursus isthic, vitæque, viæque, &c.

Gregor. Turon. *Occidentalem quoque plagam visitare cupiens Aruernis aduenit, ibique*

ad Basilicam sancti Circi Monasterium collocauit. postea, *in quo Monasterio plenus dierum obiit, ibique cum honore sepultus est.* cuius natalitium honoratur XVII. Kal. Iulij, Breuiarium, Missale, Ordo Claromon. atque Martyrol. Ms. *Aruerni natalis S. Abrahæ Abbatis & Confessoris.* Fons limpidus non procul ab Ecclesia collabitur, qui vulgò vocatur, *La fon de sainct Abraham*, in quem malo more merguntur infantuli plus æquo quiritantes, mense Decembri in summo hyemis accentu, vt ejulatus sistant porrò, Quirites, tuque Præsul puræ vindex Religionis, hanc anilem superstitionem puerulis illis exitialem atque peremptoriam auertite, inde natam (vt audiui) quòd Abraham abigat bramam, (si ita fari liceat) id est, quiritatum, & infantilem ploratum.

S. *Iustus*] quantum conjecto, Aruernensis Episcopus: conjecturæ meæ rationem reddet Catalogus Episcoporum.

XV.

In Ecclesia sancti Adiutoris, altare sancti Adjutoris.

In Ecclesia sancti Adjutoris] vetus charta ex archiuis matris Ecclesiæ: *Et ab ipsis turribus, vsque in viam quæ est supra Ecclesiam sancti Adjutoris Maxentij, iuxta diuisionem quam ego pereg', præsente Domino Rencone Episcopo*, &c. Cuius commemoratio fit VI. Kal. Iulij, vetus Kalend. Claromon. Martyrolog Rom. & Vsuardi, eadem die, necnon Petrus Equilinus lib. 6. cap. 14. & lib. 11. cap. vlt. num. 179. hodie Ecclesia Parœcialis sancti Adjutoris, vulgò, *sainct Adjudon.* vides vt Maxentij nomen exciderit, adjectum remanserit.

XVI.

In Ecclesia S. Martini, vbi S. Pegontius, & S. Marcellus quiescunt.

In Ecclesia sancti Martini] intra septa Cœnobij Andræani, & est Parœcialis Ecclesia, quam præter adfines & vicinos, villarium etiam nostrum agnoscit, etsi leucâ dissitum, immune tamen à decimis.

XVII.

In Ecclesia S. Petri, altare S. Petri. altare S Mariæ. altare S Genesij.

S. *Genesij*] quatuor sunt cognomines sancti, qui in his regionibus honorantur: in primis Arelatensis ille, qui ex thymelico Christianus & Martyr apud omnes celebris est: Alter est diuus Thierni Tutelaris, de quo Greg. Tur. lib. 1. de mirac. c. 67. hist. sancti Auiti Ms. & acta S. Genesij Thiernensis, quæ habeo, cuius festum celebratur V. Kal. Nouemb. Tertius est Episcopus Claromontensis, de quo Ordo III. Non. Iunij, & Catalogus Episcoporum. Vltimus est Comes Claromont. de quo Catalogus Comitum, hist. S. Præjecti, & S. Boniti, & Acta Mss. quæ anonymus eleganter conscripsit. Is Nonis Iunij colitur Combronio, & Camaleriæ sub Thymelici habitu, malè.

XVIII.

In Ecclesia S. Desiderati, altare S. Petri, altare S. Isidori, & Sanctæ Mariæ.

Ecclesia sancti Desiderati] Claromontensis Episcopi, cui decessit sanctus Auitus, huius nominis primus. Hist. Auiti sub finem: *Ciues itaque ciuitatis Aruernæ, sanctissimæ vitæ virum nomine Desideratum, Pontificalis Cathedræ illicò substituerunt*, &c. Diuis adscribitur, Martyrol. Claromont. Ms. III. Idus Februarii. *Apud vrbem Aruernam depositio B. Desiderati Episcopi & Confessoris.* Molanus in additionibus ad Vsuardum, *Aruernis S. Desiderati Episcopi & Confessoris*, præter Breuiarium & Missale. Ordo eadem die, *Desiderati Episcopi & Confessoris, idem per omnia quæ supra in festo B. Sigonis*, &c. Vide Catalog. Episcop. Ecclesia hacce diruta, secessit in Illidianum Cœnobium, vet. Tabula.

XIX.

In Ecclesia S. Vincentij, altare S. Vincentij, altare S. Gerontij, altare S Præiecti.

S. *Gerontij*] Ciuitatis Italicæ Episcopi, de quo Martyrol. Roman. & Vsuardi, VIII. Kalend. Septemb.

XX.

In Ecclesia S. Petri in Castello, altare S. Petri, altare S. Fronti, altare S. Mariæ.

S. *Petri in Castello*) id est intra Claromontem. Claromons enim castrum erat ciuitatis Aruernæ, vt ex Thoromacho, Reginone, & reliquis docui de originibus Claromontii, vbi quærenda est Ecclesia S. Petri, quam vnitam vt putem Ecclesiæ matri, à Stephano Episcopo, facit ordo Claromont. 9. Kalend. Ianuar. *In vigilia natalis Domini, fit processio & missa mortuorum celebratur in capella Sancti Petri, pro anniuersario Episcopi Stephani.* Idem vetus Martyrol. is enim est qui veterem Ecclesiam struxerat, Arnaldus Diaconus Ms. *Denique construxit Basilicam in loco quo præsulatum susceperat, Claro scilicet monte, in honore Dei genitricis perpetuæ Virginis*, &c. In taxatione tui Episcopatus Romæ facta (Cardinalis Illustriss.) sic habetur, *Ecclesia est in Aluernia, Suffraganea Archiepiscopatus Bituricensis, duo Petro dicata*, &c. Ea propter Parœcialis est Ecclesia Claromontis.

S. Fronti] infra Frontonis Episcopi Petracoricensis, qui Frontus etiam appellatur in Concilio Lemouicensi Ms. dicta 2.

XXI.

In Ecclesia S Hilarij, altare S. Hilarij.

XXII.

In Ecclesia sancti Saturnini, altare sancti Saturnini, vbi sanctus Amandinus, & sanctus Sidonius quiescunt.

Ecclesia S. *Saturnini*] de qua Winebrandus de miraculis sancti Illidij, *alio quidem tempore de vico Ruminiaco quidam rusticus extitit, nomine Genesius, qui dum ad Oratorium Christi Martyris Saturnini cum cæteris suis vicinis in sanctorum Innocentium festiuitate iret*, &c. quæ mutato nomine sancti Amandini dicta est: vetus charta sancti Genesij, *iuxta vineam sancti Amandini*, &c. abhinc quadraginta annis aratro circumscripta, adeò vt nihil illi præter nomen reliquum sit, vulgò *sancti Amandi*, quæ ad iura Prioratus Euodij pertinebat.

S. *Amandinus*] vetus Kalend. Ms. VII. Idus Februar. *Amantij Martyris, Amandini Confessoris*, cuius commemoratio fit eadem die in Ecclesia Claromont. Ordo, & Breuiar. Claromont. Item Martyrol. Ms. VII. Idus Nouembris, *Aruernis ciuitate, natalis sancti Amandini Confessoris.*

S. *Sidonius*] Episcopus Claromontensis, qui sanctum Saturninum præ reliquis in honore & veneratione habuit, vt ex epist. vlt. lib. vlt. in fine Carminis ipse tradidit, & præelegit in eiusdem Ecclesia sepeliri; sepultus autem est ad dexteram eius Altaris.

Sidonij Epitaphium.

Dextrum funde preces super sepulchrum,
Nulli incognitus & legendus orbi,
Illic Sidonius *tibi inuocatur.*

Postmodum in cornu dextrum maioris altaris Ecclesiæ sancti Genesij translatus, cuius natalitium colitur XII. Kalend. Septembris, vetus Martyrol. & Kalend. Ms. Breuiar. Missale, & Ordo Claromont. ab omni antiquitate: translatio autem V. Idus Iulij Kalendar. Ms. Ecclesiæ sancti Genesij.

XXIII.

In Ecclesia sancti Iacobi, altare sancti Iacobi.

Ecclesia sancti Iacobi] superstat adhuc integra non procul ab Ecclesia sancti Amandini, & vulgò S. *Iamme* vocatur, Vicariatus Ecclesiæ Claromontensis. Vetus liber Canonum Ms. *In Ecclesia sancti Iacobi de Rabanessas.* Vetus liber Ms. Anniuersariorum, VIII. Kalend. Augusti, *Missa celebratur in Capella sancti Iacobi, extra portam nouam*, &c. Ordo Claromont. *In hoc festo* (sancti Iacobi) *aliquando visitamus Ecclesiam sancti Iacobi de Rabanessas, & cantamus ibidem Tertiam Missam, & Sextam*, &c.

XXIV.

In Ecclesia sancti Præjecti, altare sancti Præjecti, altare sancti Boniti, altare sancti Pardulfi.

Ecclesia sancti Præjecti] Ecclesia diruta, cuius nec vola, nec vestigium, omninò tamen memoria non intercidit: hortus enim Rabanessæ censum annuatim pendet

Matri

matri Ecclesiæ propter Ecclesiam sancti Præiecti, quæ intra eius septa quondam emicuit. Capitularium, id-est censualis liber Ecclesiæ Claromont. atque ita S. Iacobi Ecclesiæ vicinabatur. *In iurisdictione Claromontensi & in territorio de Rabanesses, prope S. Præiectum, iuxta terram Martini & Guillelmi Deborts, & eorum nepotum, quæ fuit domini de Cros militis, ab Oriente, & à meridie viam communem tendentem de porta noua Claromontensi apud Bellum montem ab occidente, & capellam S. Præiecti à Borea,* &c.

XXV.

In Ecclesia sancti Symphoriani, altare sancti Symphoriani, altare S. Amantii, altare sancti Marcelli, vbi S. Genesius requieſcit,

Ecclesia S. Symphoriani) de qua hist. sancti Præiecti, vbi de scamno S. Præiecti, *Ipsum scamnum in Basilica, sancti Symphoriani studuerunt reportare*, testamentum Stephani Episcopi, *Iterum credo omnes vineas, quæ sunt iuxta ciuitatem ad sanctum Symphorianum*, hodie sancti Genesii collegialis Ecclesia, vetus donatio Rogerii militis, facta circa Ann. Dom. 1090. *Integerrimè dimisit omne quod habebat, vel aliquis ab eo in Ecclesia S. Symphoriani, quæ nunc nuncupatur Beati Genesii*, &c. & alias non semel in vet. chartis. *Ego Signandus dono* B. *Symphoriano, &* B. *Genesio, in communia fratrum illic seruientium*, &c. hodie *l'Egliſe Collegialle & Parrochiale de* S. *Genés*, cuius dedicatio celebratur Dominica iv. post pascha. Ordo S. Genesii Ms. In quibusdam etiam veteribus chartis Ecclesiæ S. Genesii vocatur, Ecclesia sanctorum Symphoriani Martyris, Genesii & Quintiani Confessorum, non autem S. Stephani, licet hæc multis stet sententia supra num. *13*.

S. *Genesius requieſcit*] Claromontis Episcopus, de quo plura in Catalogo, à quo nomen Ecclesia nanciscitur vet. hist. S Genesii Ms. in Ecclesia Briuat.

XXVI.

In Monasterio puellarum, Cantoenno, Ecclesia S. Petri altare sancti petri, altare sancti Præiecti.

Monasterio puellarum] quod (ni fallor) ædificauit S. Genesius Episcopus, hist. S. Genesii Ms. in Ecclesia Briuat. *non procul ab vrbe Monasterium virginum collocauit, quas regulariter viuere instituit*, &c.

Cantoenno] ita passim in vet. chartis, vulgò *Chantoen*: *crypta Cantoennensis*, Greg. Turon. lib. 1. cap. 44. *Et Cantoennicus mons* l. 2. cap. 21. hist. liber Ritualis S. Illidij Ms. feria 11. Rogat. *Et si tempus congruum fuerit, visitatur Ecclesia Cantoenni.* Titulus sepulchri in capitulo Cantoennico siti, *Hic iacet Magister Aldefredus pœnitentiarius Claromontis, qui fundauit hanc domum Cantoenni & obijt xvij. Kalend. Maij.* In quam domum receptui cecinisse canonicos regulares Augustinianos, qui regulam eiurare renuerunt, cum decreto Pontificum & non iniussu Regis Ecclesia Cathedralis eiurauit, à patribus accepimus, nec vana fides est, vt ex veteribus chartis Cantoenni constat, idcirco bonæ memoriæ Robertus de Turre Episcopus vocat eam *principalem filiam*, Anno Chr. MCC. Mense Martio. Atque Canonicis Cathedralis Ecclesiæ concessum, in Cantoenni claustra secedere & more maiorum regulariter ibi viuere, saluo Canonicæ Claromontensis annuo canone, qui ad eos in solidum peruenirent.

Ecclesia S. Petri] & sic hodie ab indigenis indigetatur, Ecclesia S. Petri Cantoennensis. vet. chartæ. ad quam 11. die Rogationum procedit Ecclesia Claromontensis vet. Ordo. *Intramus Ecclesiam Cantoennensem, & facta commemoratione de S. Petro* &c.

XXVII.

In Ecclesia S. Mariæ, altare S. Mariæ.

Ecclesia S. *Mariæ*] hodie S. Maria glorioſa, vulgò *l'Egliſe Noſtre-Dame de gloire*; in clausstris Monasterii Cantoennensis posita est.

XXVIII.

In Ecclesia sancti Desiderii, altare sancti Desiderii.

XXIX.

In Ecclesia S. Artemij, altare S. Mariæ, altare sancti Martini, vbi S. Artemius, & S. Vera, & S. Supporina, & alia corpora sanctorum requieſcunt.

Ecclesia S. Artemij] Claromontensis Episcopi, de quo in Catalogo, cuius Ecclesia solo æquata est, & vulgò dicitur, *le vas de S. Arthem*, quòd loci arca lapidea, in qua olim condebatur S. Artemius, carris rotantibus atteritur, & prætereuntium pedibus conculcatur, conculcatis canonum sanctionibus.

XXX.

In Monasterio Columbariensi, altare sanctæ Mariæ.

Monasterio Columbariensi] hodie S. Guillelmi Basilica, cui terræ, vineæque conterminæ, sitæ dicuntur in campania Columbariensi, vulgò *Champ Columb'*, cognominis Monasterii Columbariensis, à S. Patroclo recluso constructi in eremo Bituricensi, meminit Gregor. Turon. in eius vita.

XXXI.

In Ecclesia sancti Clementis, altare sancti Clementis.

XXXII.

In Ecclesia S. Austremonii, altare S. Austremonii, altare S. Boniti.

Eccles. S. Austrem.] De qua testamentum Stephani Episcopi. *In cultura sancti Austremonij.*

XXXIII.

In Ecclesia sancti Iuliani, altare sancti Iuliani.

Ecclesia S. Iuliani] De qua Gregor. Turon. hist. lib. 2. cap. 20. *ad Basilicam S. Iuliani*, &c. Gregorii Turonensis abbreuiator Ms. seu verius Fredegarius Scholasticus lib. 2. historiæ Miscellæ cap. 13. *Eoricus Rex Gothorum xiv. regni sui anno Basilicam S. Iuliani Briuate columnis ornatam mirificè construxit*, qui longè aberrat à vero: Rex enim Gothorum Eoricus Arrianus euertebat Ecclesias. Sidonius epist. 6. l. 7. Greg. Turon. l. 2. cap. 25. hist. nec apud Briuatem, sed apud Aruernos, Victorius Comes ciuitatem Aruernam augere voluit, Greg. Turon. lib. 2. cap. 20. hist. hodie S. *Julien à Iaude*, *Ecclesia de Ialde*, in libro Canonum Ms. & donatio Stephani Episcopi facta matri Ecclesiæ Anno Christi 959. *Et vinea quæ fuit Regenfredo in valle S. Iuliani*, &c. Claromontensis ordo IV. die Rogation. *transeuntes per Gallium, & ante Ecclesiam S. Iuliani, illi duo Presbyteri incipiunt Responsorium de Beato Iuliano*, &c.

XXXIV.

In Ecclesia S. Andreæ, altare sancti Andreæ, ibi requiescit S. Tigridius, & sunt Ecclesiæ triginta quatuor, altaria sexaginta vnum, istę sunt Episcopales Ecclesiæ.

Ecclesia sancti Andreæ] De qua Gregor. Turon. lib. 4. hist. c. 31. *simile & in Basilica B. Andreæ de lychnis lucentibus auis alia fecit*, &c. quam æui senio collapsam restauravit Vvillelmus Comes & Delphinus Aruerniæ anno Dom. 1149. vetus charta, ibique religiosos Ordinis Præmonstratensis instituit, vide Catalogum Comitū: ad quam clerus Claromontensis procedebat IV. Rogation. *sed hodie transeuntes ante Ecclesiam S. Andreæ, & facta commemoratione de eo, per antiphonam, Andreas Christi famulus, versum, dilexit Andream Deus, Orationem, Maiestatem tuam, cum processionibus S. Andreæ, & Camalarienſi, quas ibi obuiam inuenimus, vadimus ad Ecclesiam Camalariæ*, &c. hæc Ordo Claromont. nec abludit Ritualis liber sancti Illidii post illa, quæ vide infra num. 2. addit postea, *Inchoatur Letania, & cantando eam, reuertimur & intramus apud S. Andream*, &c.

S. *Tigridius*] vrbis Aruernæ ciuis, ordine Sacerdos, officio Archidiaconus S. Illidii Claromontensis Episcopi, in pietatis officiis totus consenuit, plenusque dierum septuagesimo ætatis anno XIV. Kalend. Martii mundo mortuus, Christo natus est, hæc ex Ms. meo, & Ms. Rituali S. Illidii. Cuius fit commemoratio eadem die, Mss. Breuiar. Claromont. ex Biblioth. Abbatis Syndici Mauguini, *Tigridij Episcopi & Confessoris commemoratio*, Ordo Martyrol. Claromont. Ms. XIV. Kalend. Martii, *Ipso die in suburbio vrbis Aruernæ, depositio S. Tigridij Confessoris*, cuius tumulus ad sinistram ingressus Andreani chori.

Episcopales Ecclesiæ] id est Ecclesiæ maiores, Concil. Ticin. cap. 4. quæ intra septa, vel in suburbio vrbis Aruernæ sitæ sunt, sub dispositione Episcopi & Ecclesiæ Claromontensis.

Digitized by Google

LIBER II.

SEquuntur Eccleſiæ, vel Monaſteria ad Comites, vel à vaſſis dominicis.

Ad Comites] Carolus Magnus l. 6. cap. 225. *vt vnuſquiſque Epiſcopus, & Abba, & ſinguli Comites ſuum notarium habeant.* Burchardus l. 3. c. 88. Concil. Cabillo. 1. can. 14. Carol. Magnus l. 6. c. 222. l. 7. c. 12. & cap. 213. Concilij Aruernenſis can. 14. Aurelian. 4. can. 25. Ticinen. c. 4. & 20.

Vel à vaſſis dominicis] ideſt Eccleſiæ minores, atque ſerules: Walfredus Strabo de rebus Eccleſiaſticis. c. 31. *Capellani minores ita ſunt vocati, ſicut hi quos vaſſos dominicos Gallica conſuetudine nominamus*, Carolus Magnus l. 5. c. 12. Greg. Turo. l. 10. c. 7. hiſt.

I.

In Eccleſia S. Remigij, altare ſancti Remigij.

Eccleſia S. Remigij] Eccleſia infra ſepta prati Andreani, Ritualis liber Ms. Illid. Cœnobij feria IV. Rogationum, *venitur ad* S. *Remigium, & ſi tempus congruum non fuerit, ſeu pluuiarum, fit proceſſio ad* S. *Caſſium*, &c. pertinet ad iura monaſterij Illidiani. liber rationum expenſi & impenſi Roberti de Riomo Ciuis Claromontenſis. A. D. 1359. *Le Chamarier de* S. *Alari pour le prieuré de S. Remeſi prez de Clairmont xij. vulgò* S. *Remeſi*, pars inferior Eccleſiæ collapſa eſt, ſuperior autem extat adhuc cum altari, cui ſuperpoſita eſt ſtatua S. Remigij Archiepiſcopi.

II.

In Monaſterio Camalarienſe, altare S. Mariæ, altare S. Præiecti, altare S. Agathæ, altare S. Martini, altare S. Pardulfi, vbi requieſcit S. Tecla.

Monaſterio Camalerienſe] hiſt. S. Geneſij c. 4. *conſtruxit quoque diuino admonitus oraculo apud caſtrum proprium, Camaleriam à Camelis ſic nuncupatam, quinque Eccleſias, quinque corporis ſenſus deſignantes. Quarum vnam in honore* Saluatoris *condidit, poſtea alteram in honore Dei genitricis Mariæ* &c. Vide ſupra lib. 1. num. 34. ex ordine Clar. Ritualis liber S. Illidij IV. die rogation. *Ordinata proceſſione progreditur verſus Camaleriam, peractoque ſermone & Eccleſia Camaleriæ viſitata à proceſſione Claromontis, viſitamus & nos eandem.*

S. *Tecla*] à qua fortaſſe *Monaſterium Teclatenſe* vocatur, in hiſt. S. Boniti, quæ propter probitatem morum, & vitæ ſanctitatem Teclæ nomen ſortita eſt, vt idem de Melania ſcribit Gregor. Turonen. l. 1. hiſt. cap. 40. ex Chron. D. Hieronymi Anno Dom. 376. infra lib. 2. num. 10.

III.

In Eccleſia S. Petri, altare S. Petri, altare S. Angeli, altare S. Boniti, altare S. Ioannis, altare S. Petronillæ.

Eccleſia S. Petri] hiſt. S. Geneſij cap. 4. *Tertiam* (Eccleſiam) *Petro Apoſtolo dicauit.* poſtea: *quam ſexus virgineæ perſonis donauit*, hiſt. S. Præiecti. *Tandem itaque vir nobilis verbis conſentiens, in ſuburbano memoratæ vrbis monaſterium ſub norma ſanctæ regulæ ibidem viuere inſtituit virgines.*

IV.

In Eccleſia S. Ceciliæ, altare S. Ceciliæ.

Eccleſia S. *Ceciliæ*] quam idem Geneſius Comes condidit, hiſt. S. Geneſij Comitis c. 4. *Quartam* (ſcilicet Eccleſiam) *Ceciliæ nihilominus fecit*, poſtea, *Quarta denuo monachos adiunxit.*

V.

In Eccleſia S. Crucis, altare S. Crucis, altare S. Orientis, altare S. Iulianæ, altare S. Andreæ.

Eccleſia S. *Crucis*] de qua eadem hiſt. c. 4. *Quintam* Eccleſiam) *in exaltatione S.*

Crucis ædificauit, &c. postea cap eodem, *Quinta vero Ecclesiasticos duntaxat presbyteros dare arbitratus est, non secundum vllius prædictarum regularum consuetudinem viuentes*, &c. de Cruce commemoratio fiebat, quando procedebatur ad Ecclesiam Camalerien sem. Ordo Clarom.

VI.

In Ecclesia S. Pauli, altare S. Pauli.

Hodie parœcialis Ecclesia Diui Pauli titulo insignita, in vico Camalerien si.

VII.

In Ecclesia sancti Victoris, altare sancti Victoris, altare sancti Pardulfi, altare sancti Boniti.

Ecclesia Sancti Victoris] Extat adhuc Ecclesia, diuisis portionibus, diuino & profano vsui seruiens, vulgò *Sainct Victour*, à possessore bona fide, & sua pecunia empta, si sacra res in commercium deduci potest contra ius fasque, præter Caroli Magni capitulare lib. 1. cap. 150. & Theodulfum ad parochos cap. 8. relego ad Concilium Claromontense 16. quæst. 7. cap. 2. possessores huiusmodi.

VIII.

In Ecclesia S. Pardulphi, altare sancti Pardulphi.

Cuius nomine plurimæ sunt inscriptæ Ecclesiæ, præsertim vici Cyriaci, Blansaci, Turris; fuit autem Sanctus Pardulfus Lemouicensis, vico Sardeno oriundus virtute & moribus præclarus, eremum incoluit, ægris medicinam fecit, energumenos sanauit, & à natiuitate contractos dissoluit; tandem à Lauterio Comite Lemouicensi Garactum euocatus, vt Abbatiæ præficeretur, quam in honorem Apostolorum construxerat, in ea sanctè & religiosè versatus est, item Saracenos à Carolo Martello profligatos & in Aquitaniam profugos à suo oratorio effugauit, & octogenarius non absque viatico decessit, cuius memoria celebris est in his regionibus, cuiusve reliquiæ Garacto coluntur, eius historiam cum aliis non paucis publicabo, si Deus otia fecerit.

IX.

In Monasterio Rubiacense, altare S. Mariæ, altare S. Segolenæ, altare Sanctæ Genouefæ, ibi requiescit S. Sacra.

Monasterio Rubiacense] vetus histor. Sancti Boniti, *Ipse autem Rubiacense Cœnobium, quod hinc & inde montibus septum, ab Oriente pandit aditum, & haud procul eminet vrbi*, in quo nonnæ degebant eadem hist. *atque matri ipsius Monasterij tradens, suæque nepti in cœtu virginum commendauit.*

S. *Sacra*] Cuius arca funebris appensa cernitur in Ecclesia Rubiacensi.

X.

In Ecclesia sancti Petri, altare sancti Petri, altare sancti Angeli, altare sancti Andreæ.

Ecclesia Sancti Petri] vulgò, *Sainct Pierre du Chastel*, cuius situs marmore signatur, ad quam paschate Pascharum die totius anni solemnissimo Rubiacenses accolæ confluunt, & in diebus Rogationum procedunt.

XI.

In Ecclesia sancti Præiecti, altare sancti Præiecti, altare S. Martini, altare sanctæ Teclæ.

Ecclesia Sancti Præiecti] Claromontensis Episcopi de quo, vide Catalogum Episcoporum, & Ordinem Claromont. VIII. Kalend. Februarii.

XII.

In Ecclesia S. Martini, altare sancti Martini, altare S. Ioannis, altare S. Petri.

Ecclesia Sancti Martini] intra muros Rubiaci, ad Rubiacensem Prioratum pertinebat, sed ab hinc aliquot annis, annuo censui adscripta est, qui penditur Abbati Mouziacnensi, libri Censuales.

XIII.

In Ecclesia S. Iuliani, altare sancti Iuliani.

Digitized by

Ecclesia S. Iuliani] Parœcialis in villa Versinate posita.

XIV.

In Ecclesia S. Pauli, ibi requiescit sanctus Leonardus,

S. *Leonardus*] Aruernæ territorii indigena Sancti Gregorii Turonensis coætaneus, reclusus in cellula, Maiori Monasterio propinqua, qui in summa austeritate bene acto vitæ cursu, in sepulchro, quod ipse sarculo in cellula sua sculpserat, depositus est, Gregor. Turonen. de vita patrum cap. vlt. quem postea Aruerniam, vt suum vindicasse crediderim, & in hac sancti Pauli Ecclesia collocasse.

XV.

In Ecclesia sancti Euonij, altare sancti Euonij, altare sancti Matialis, altare S. Petronillæ.

Ecclesia S. Euonij] Ecclesia diruta, quæ nomen retinet in suburbano Rubiaci, & vulgariter appellatur de S. Igoni de S. Iuonio, vet. lib. Maurienſis Ms. vbi de Sancti Austremonii translatione, *à prædicto Castro* (*Petra incisa scilicet*) *quod nunc Sanctus Iuonius appellatur, apud Iciodorum delatum est*, &c. cuius festum celebratur in hoc castro S. Iuonij non procul ab Icciodoro, eiusque statua insigniis Episcopalibus effingitur, cumque eius historia non extet, S. Iuonis acta leguntur, quod absonum est, ne dicam irreligiosum. Eonii Episcopi Leontii successoris; meminit Ruricius lib. 1. cap. 15. & lib. 2. cap. 15.

XVI.

In Ecclesia Sancti Martini, altare sanctæ Felicitatis, ibi requiescit Sanctus Martius

Ecclesia Sancti Martij] Ecclesia inter Rubiacense Monasterium, & Sancti Victoris Ecclesiam sita, in radicibus Vvaiferi castri, quæ ad iura domus Illidianæ pertinet, vulgò, *le Prieuré de sainct Mart.*

S. *Martius*] à quo nomen Ecclesiæ, is fuit Aruernæ ciuitatis Abbas, à qua haud procul secessit, vt emendatiorem vitam viueret, qui in summa sanctitate peracto vitæ tenore infra oratorium Monasterii sepultus est, ex Gregor. Turon. ista decerpsimus de vita patrum cap. 8. quem (ni piget) consule: Trithemium de viris Illustribus lib. 3. cap. 27. & Molanum in appendice in Vsuardi Martyr. Cuius fit commemoratio Idibus Aprilis, Kalend. Mss. *Idibus Aprilis, Martij Abbatis commemoratio*, Breuiar Claromont. atque Martyr. Ms. Idibus Aprilis, *In suburbio Arnernico natalis Beati Martij Abbatis*, ad cuius Ecclesiam malo more cateruatim confluunt indigenæ VII. *Kalend. Maij*, qua die Sancti Marci Euangelistæ festum agitur; non sancti Martij Abbatis, qui colendus est Idibus Aprilis, atque pro sancto Martio Abbate D. Marcum Euangelistam adorant, natus error ex antiquitatis inscientia, & nominis ambiguitate; qui facile tolli poterit, si per præcones Euangelicos error ex animis hominem euellatur, quod vt faciendum cures animitus obtestor; interest enim Catholicæ Ecclesiæ, suus vt vnicuique cultus exhibeatur, ne vt est in veteri prouerbio, idem sit Gaius, qui Maeuius.

XVII

In Ecclesia S. Sulpicij, altare sancti Sulpicii, altare sancti Martialis, altare Sancti Stephani.

XVIII.

In Ecclesia S. Leogontij, altare S. Mariæ, altare S. Michaëlis, altare S. Iuliani, ibi requiescit S. Leogontius.

Sanctus Leogontius] Aruernensis Episcopus Sancti Vrbici successor. Catalog. Episcoporum.

XIX.

In Ecclesia sancti Hylarij, altare sancti Hylarij, ibi requiescit S. Flamina.

Ecclesia sancti Hylarij] veteribus ruinis deformis inter Rubiacum & Valerium collem posita, *vulgò S. Clamine.*

S. Flamina] Virgo miræ sanctitatis & castitatis, morbos curauit, egenos aluit, Balderio exoculato visum restituit, vnde nominis eius fama increbuit, adeo vt Eulasius Præses Christianis aduersissimus, precibus & minis eam à fide dimouere non potuerit; in qua constantissima, plagas & carcerem pertulit, & detonsa, capitis decollatione martyrium fecit, VI. Nonas Maii, Diocletiano & Maximiano Imperat. in Nicomedia, hæc ex actis Ms. excepta, quæ penes me sunt, cuius reliquias in Aruerniam translatas fuisse eadem acta testantur, cap. vlt. festum translationis celebratur Dauaiaci. III. Nonas Augusti. Ibidemque natalitium VI. Nonas Maii.

XX.

In Ecclesia S. Hylarii, altare sancti Hylarii. Et sunt Ecclesiæ XX. altaria XXVI.

CATALOGVS ECCLESIARVM.

Ecclesia S. Adiutoris	xv.	Ecclesia S. Symphoriani	xxv.
Ecclesia S. Andreæ	xxxiv.	Ecclesia S. Venerandi	x.
Ecclesia S. Artemii	xxix.	Ecclesia S. Victoris lib. 2.	vii.
Ecclesia S. Austremonii	xxxij.	Ecclesia S. Vincentii	xix.
Ecclesia S. Boniti	iv.	Ecclesia S. Christophori	v.
Ecclesia S. Cassii	ix	Abraham	xiv.
Ecclesia S. Christofori	v.	Amabilis	xii.
Ecclesia S. Cirici	xiv.	Amandinus	xxii.
Ecclesia S. Clementis	xxxi.	Antolianus	viii.
Ecclesia S. Ceciliæ l. 2.	iv.	Aprunculus	xiii.
Ecclesia S. Crucis l. 2.	v.	Artemius	xxix.
Ecclesia S. Desiderati	xviii.	Auitus	ii. x.
Ecclesia S. Desiderii	xxviii.	Auolus	xi.
Ecclesia S. Euonii l. 2.	xv	Briccius	iii.
Ecclesia S Galli	viii.	Bonitus	iv.
Ecclesia S. Hylarii lib. 1. xii. xxi. l. 2. xix. xx.		Cassius	ix.
Ecclesia S. Iacobi	xxxiii.	Clara	x.
Ecclesia S. Illidii	xi.	Felix	xiii.
Ecclesia S. Ioannis Baptistæ	vii.	Flamina lib. 2.	xiv.
Ecclesia S. Iuliani lib. 1. xxix. ii. ix. l. 2. xiii.		Gallus	iii. viii. xi.
Ecclesia S. Laurentii	iii.	Garius	ii.
Ecclesia S. Leogontii lib. 2.	xviii.	Genesius	xxv.
Ecclesia S. Marcelli	xxv.	Georgia	ix.
Ecclesia S. Mariæ principalis	ii	Geriualdus	viii.
Ecclesia S. Mariæ	xxvii.	Illidius	xi.
Ecclesia S. Martini lib. 1.	xvi.	Iniuriosus	xi.
Monasterium Camalerienſe lib. 2.	xi.	Iustus	xi. xiv.
Monasterium Rubiacenſe lib. 2.	ix.	Leobardus lib. 2.	xiv.
Ecclesia S. Martii lib. 2.	xvi.	Leogontia	ix.
Ecclesia S. Pauli lib. 2.	vi. xiv.	Leogontius	xviii.
Ecclesia S. Pardulphi lib. 2.	viij.	Linguinus	x.
Ecclesia S. Petri vi. xvii. xx. xxvii. lib. 2. iii. x.		Marcellus	xxv.
Ecclesia S. Præiecti	xxiv.	Martinus lib. 2.	xvi.
Ecclesia S. Remigii lib. 2.	j.	Nepotianus	x.
Ecclesia S. Saturnini	xxii.	Namacius	xiii.
Ecclesia S. Stephani	xiii.	Pegontius	xvi.
Ecclesia S. Sulpicii lib. 2.	xvii.	Quintianus	xiii.
		Sacra lib. 2.	ix.
		Scholastica	xi.
		Sidonius	xxii.

Digitized by Google

Sigo ii.
Supporina xxix.
Syluinus xiv.
Tecla lib. 2. ii.
Tigridius xxxiv.
Venerandus x.
Vera xxix.
Victorinus ix.
Vrbicus viii.
Agatha lib. 2. ii.
Agricola i.
Angelus. i. iv.
Andreas xxxiv. lib. 2. v. x.
Adiutor xv.
Amantius xxv.
Auſtremonius xxxii.
Baſiliſſa x.
Bonitus xxiv. xxxii. lib. 2. iii. vii.
Crux 1. lib. 2. v.
Cecilia lib. 2. iv.
Clemens xi. xxxi.
Ciricus xiv.
Dionyſius x.
Deſiderius xxviii.
Euonius lib. 2. xv.
Frontus xx.
Geneſius xvii.
Genouefa lib. 2. ix.
Gerontius xix.
Geruaſius i.
Hylarius v. xii. xxi. lib. 2. xix. xx.
Iacobus xxiii.
Ioannes Baptiſta i. vii. lib. 2. xii.
Iſidorus xviii.
Iulianus i. ii. ix. x. xxxiii. lib. 2. xiii. xviii.
Iuliana v.
Laurentius iii.
Marcellus xxv.
Maria 1. ii. iv. viii. x. xi. xvii. xviij. xx. xxvii. xxx. lib. 2. ii. ix. xviii.
Martialis lib. 2. xv. xvii.
Martinus v. xvi. xxix. lib. 2. ii. xi. xii.
Mauricius iv.
Michael lib. 2. xviii.
Oriens lib. 2. v.
Pardulphus xxiv. lib. 2. ii. vii. viii.
Paulus lib. 2. vi.
Petronilla lib. 2. iii. xv.
Petrus iv.
Præiectus xix. xxiv. xxvi. lib. 2. ii. xi.
Priuatus ii.
Quintianus xiii.
Quintinus x.
Remigius lib. 2. i.
Saturninus xxii.
Segolena ix.
Stephanus xiii lib. 2. xvii.
Sulpitius ii. lib. 2. xvii.
Symphronianus xxv.
Tecla lib. 2. x.
Victor vii.
Vincentius xix.
Vitalis i.

ILLVSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS AC DOMINI D. HENRICI LVDOVICI CASTANÆI DE LA ROCHEPOZAY, Pictauorum Episcopi.

Notæ ad Litanias Pictonicas, quas ipse concinnauit, disposuit, vulgauitque.

Ad diem 2. Nouembris.

VICTORINVS primus Pictauorum Episcopus multa scripsit in Biblia, à sancto Hieronymo in libro de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus recensita; martyrióque anno Domini 303. sub Diocletiano Imperatore coronatus est.

18. Augusti.

AGON quintus Pictauorum Episcopus. Visitur etiam nunc in vrbe Pictauensi ædicula, iuxta sanctæ Troëciæ cœmeterium, ipsius nomini dedicata.

26. Augusti.

IVSTINVS sextus Pictauorum Episcopus.

13. Ianuarij.

HILARIVS decimus Pictauorum Episcopus, famâ super æthera notus: obiit anno 369. Pictauis natus est, vt ex his Fortunati Pictauorũ Episcopi versibus liquet:

Pictauis residens, quà sanctus Hilarius olim
Natus in vrbe fuit, notus in orbe pater.

26. Augusti.

GELASIVS decimus tertius Pictauorum Episcopus, iacet in Basilica sancti Hilarij. Eius nomini dicatus est insignis Prioratus prope Nyorthum in Diœcesi Pictauensi.

3. Decembris.

ANTHEMIVS, vulgò, *sainct Anthesme*, obiit in Xantonibus dum Dei verbum disseminaret, & apud Ionzacum iacet. Breuiarium Xantonensis Diœcesis solemni officio illius memoriam recolit.

13. Martij.

PIENTIVS, vulgò, *sainct Pien*, obiit in vrbe Metulo, quod nunc, *Melle* dicitur, dum Diœcesim lustrat, ibidémque sepultus est. Huius tempore beata Radegundis, sanctæ Crucis Ecclesiam Pictauij ædificauit. De eo Gregorius Turonensis Histor. lib. 4. cap. 18.

14. Decembris.

FORTVNATVS Italus, Duplauenis, in agro Taruisino oriundus, multa opuscula eleganti carmine conscripsit, quæ apud omnes in pretio sunt. Pictauij in familiam beatæ Radegundis Reginæ adscriptus, ibidem in Episcopum electus est.

29. Martij.

GVILLELMVS tertius huius nominis Pictauorum Episcopus, cognomento Temperij. Canonicus Regularis primùm fuit in Monasterio sancti Hilarij de Cella, intra Pictauensis vrbis muros. Obiit quarto Kalendas Aprilis, anno 1197. iacétque in ædc Monasterij sancti Cypriani Pictauensis, in Capella Beatæ Mariæ ponè magnum Altare. Post obitum miraculis claruit, vt refert Rogerius de Houeden, Annalium parte posteriore, anno 1197. multíque creberrimè sanguinis profluuio diuexati, susceptâ inueterato ex more ad ipsius monumentum peregrinatione, medelam haud dubiè nanciscuntur. Porrò cognomen Temperij neutiquam ascitum, sed gentilitium esse deprehenditur duabus ex Nobiliacensis Monasterij chartis, quarum altera

tera annũ 1126. antecedit. His enim Garnerius Temperij, seorsim, & Petrus Temperii, ac Helias Temperij coniunctim, testes inter subscripsêre. Eodem olim in Sacello beati Reuerentij, territorij Bajocensis, Abbatis corpus conditum fuit, cuius reliquiæ dum magnificentissimum sancti Cypriani Templum bellorum iniuriâ subuerteretur, infeliciter dissipatæ sunt. De eodem Guillelmo, ex Tabulario Chirographorum Monasterij Absiæ, hæc accipe:

Notum sit omnibus præsentibus atque futuris, quòd ego Theobaldus fil. ius Theobaudi Chabot, pro salute animæ meæ, parentúmque meorum, concessi in eleemosynam Deo, & Monachis sanctæ Mariæ Absiæ, in præsentia Abbatis eorum Rainerij, omnes eleemosynas, quas in ruris Massigniaci, & in tota illa planitie habent de patre meo, & de auo meo Stebrando, &c.

Hæc eis concessi apud Vlmes in domo Grotelli, anno ab Incarnatione Domini 1185. Ricardo Angliæ Enrici filio, totius Aquitaniæ Ducatum viriliter tenente, Domino Vuilelmo Episcopo Ecclesiam Pictauorum regente, & pro iure eiusdem Ecclesiæ persecutionem laudabiliter patiente.

29. Maij.

MAXIMINVS vrbis Aquitanicæ Pictauorum indigena, (vt habet eius vita à Lupo scripta anno 839.) claruit anno 346. Ab eo susceptus est hospitio S. Athanasius, cùm Treueris exularet, vt scribit sanctus Hieronymus in Chron. Obtinet tamen annosa apud populares nostros fama, Maximinum Sigiliaci in conspectu Lodunensis vrbis natum esse, quod Lupum, virum forrasse exoticum latuit; ideóque primariæ regionis ciuitati, sancti huiusce Præsulis cunabula adscripsit. Sigiliacum autem vulgò *Sillé*, seu, *Montersillé*, dicitur, vbi Parochialis Ecclesia sancti Maximini titulo nobilitatur.

11. Nouembris.

MARTINVS aliquandiù apud sanctum Hilarium Episcopum Pictauensem commoratus est, & haud longè sibi ab oppido Pictauensi Monasterium constructit, vt refert Seuerus Sulpitius in libro de vita sancti Martini, quod & comprobat Fortunatus Episcopus Pictauensis lib. 1. de eiusdem Sancti vita:

Fitque Monasterium Pictauâ cominus vrbe.

Quibus Petrum Venerabilem Epistolarum lib. 4. epist. 17. idem affirmantem iungere est. Monasterium autem illud, nunc *Ligugé* dictum, diuóque Martino dicatum, quod totos tredecim annos incoluit post sancti Hilarij ab exilio reditum, Lococigiagense vocabatur, vt habet Gregorius Turonensis miraculorum sancti Martini libro 4. cap. 30. cuius ipsissima verba accipe: *Tempore pòst habito, cùm vsque Pictauam accessissemus vrbem, libuit gratiâ tantùm orationis Monasterium Lococigiagense adire, quo congregatam Monachorum cateruam locauerat vir beatus: ibi enim mortuum primùm suscitasse legitur, & ex illo ad Episcopatum ductus scribitur, &c. Distat autem ab vrbe Pictaua quasi stadijs quadraginta.*

Obiit anno 400. vt volunt recentiores permulti, maximúmque inter Pictones & Turonicos ortum est dissidium super eius corpore, cùm dicerent Pictaui: *Noster est Monachus, nobis Abbas extitit*; vt habet Gregorius Turon. hist. Franc. lib. 1. cap. vlt. Cedit autem permagnam in Pictauensis Diœceseos, quæ plures sancto Martino, quàm sancto Hilario Ecclesias Parochiales dicatas habet, gloriam, quòd Locociagij primum omnium in Gallia Monasterium exstructum sit à sancto Martino: qui primus author & fundator Monasteriorum in Gallia verè dicitur: cuius eò processit celebritas, vt annos olim Franci à beati Martini transitu computauerint, quod vsque ad Pipini & Caroli Magni tempora factitatum est.

22. Septembris.

EMMERAMMVS expirauit anno 652. cuius vita extat apud Surium scripta à Cyrino, in qua hæc leguntur: *In Aquitaniæ partibus, Pictauorum vrbs antiqua sita est, ex qua ortus [illegible]mmeramnus.* Cyrinus iste Frisingensis Episcopus trinomius fuit; Heres enim dicitur, & Aribo, nisi verius vnum idem nomen trium linguarum interpretatio sit, vt notat Marcus Velserus lib. 5. Rerum Bojoarum.

23. Octobris.

BENEDICTVS Episcopus, de ciuitate Samaria, Paganorum sæuitiam declinans, venit Pictauos ad diuum Hilarium, à quo eremum iuxta castellum Grauionem, haud procul à Pictauorum vrbe impetrauit, vbi ad exitum vsque vitæ permansit, ibi-

démque conditùs est. Accedente verò tempore Monasterium illic constructum est, quod sancti Benedicti de Quinciaco dicitur.

2. Octobris.

LEODEGARIVS multis nominibus noster est: frater enim erat Gerini Pictonum Comitis, nepos Didonis Pictauorum Episcopi, & Archidiaconus Ecclesiæ Pictauensis. Abbas demùm fuit Monasterij sancti Maxentij in Diœcesi Pictauensi, vbi & sepultus est. Martyrio coronatur anno 685.

15. Septembris.

LEOBINVS apud Pictauos humili genere natus, Childeberti Francorum Regis temporibus claruit, obiitque anno 537. Prioratus *de la Veyré*, & Ecclesia Parochialis *de Polligny* in Diœcesi Pictauensi eum patronum habent.

16. Aprilis.

PATERNVS ortus est Pictauis, Aquitaniæ oppido, ex parentibus generis nobilitate, atque etiam publicâ administratione conspicuis; primáque in adolescentia Monachum egit in Hensionensi Cœnobio, sub Generoso Abbate. Claruit circa annum 590. eique Fortunatus Pictauorum Episcopus, versus aliquot scripsit lib. 3. cap. 30. & lib. 7. cap. 23. Huius Præsulis vitam apud Surium reperies.

10. Aprilis.

FVLBERTVS præfuit per annos aliquot Basilicæ sancti Hilarij Pictauensis, vt ex ipsis epistolis constat, sed præsertim ex 103. ad Guillelmum Aquitaniæ Ducem, in qua hæc verba habentur: *Doleo, vir optime, quòd nuper in conuentu Regis atque nostro, loquendi tecum opportunitatem non habui, non de sæculari negotio, sed de loco sancti Hilarij, cuius Rectores nos esse bonitas tua voluit.* Rectoris muneri, nunc Thesaurarij dignitas eadem in Ecclesia respondet. Anno 1028. vltimum spiritum Deo reddidit.

31. Maij.

SIMPLICIANVS viro consulari, & Pictonicæ Prouinciæ Rectore natus, quòd idolorum cultum sperneret, patris iussu iuxta Pictauorum vrbem gladio obtruncatus est, in prato Ponti sancti Cypriani contermino, vbi Crux memoriæ causâ antiquitùs posita est. Ipsius nomini Parœcialis Ecclesia intra muros eiusdem vrbis consecrata est; & qui capitis doloribus anguntur, eius non incassum implorant auxilium, quod planè eiusdem Sancti indicat oratio, Diœcesis Pictauensis Breuiario antiquitùs intexta.

11. Iulij.

SAVINVS, & CYPRIANVS fratres, iidémque milites, &c. Vide paginam 665. & seqq.

9. Ianuarij.

HONORIVS, cuius iam pridem memoria fit in Breuiario Diœcesis Pictauensis, natus est apud *Buzançay*, oppidum Bituricensis Diœcesis, & in Tenezayo vico Pictauensis Diœcesis occisus est, in loco, vbi etiam nunc ædiculam ipsius nomini consecratam cernere est.

27. Nouembris.

IVSTVS post diui Hilarij obitum, Oratorium suum *Beatæ Mariæ Virgini* in Petragoricis repetiit, ibidémque migrauit ad Dominum.

3. Februarij.

LEONIVS (vulgò *sainct Lienc*) Presbyter, beatum Hilarium Pictauorum Antistitem, dum exilium pateretur, comitatus est, eúmque in Ecclesiasticis negotiis maxima ex parte adjuuit. Pictauij iacet in Ecclesia sancti Hilarij de Cella.

25. Iunij.

MAXENTIVS Agathensis, Clodouæi Regis temporibus Abbas reclusus erat in Monasterio suo, intra terminum Pictauensem, quod nunc sancti Maxentij dicitur. Huius meminit Gregorius Turonensis Hist. lib. 2. cap. 37.

24. Octobris.

SENOCH Abbas, Pictaui pagi, quem Theiphaliam vocant, oriundus fuit: Monasteriúmque in Turonum prouincia construxit, in quo annos natus quadraginta, mortuus est, astante Gregorio Turonensi Episcopo, apud quem in lib. de vita Patrum eius vita legitur. Claruit anno 680. Theïphalia hodie *Tiphauges* nuncupatur, quantùm intelligo.

6. Martij.

FRIDOLINVS Hybernus, gente nobili, diù Pictauij hæsit in Basilica S. Hilarij,

Digitized by Google

expirauitque circa annum 560. cùm Abbatis munere fungeretur Secxingi ad Rhenum: cuius vitam Notgerus Abbas sancti Galli conscripsit. A multis sæculis in Breuiario Diœcesis Pictauensis locum obtinet.

1. Iunij.

IOVINVS ex illustri familia in territorio Lodunensi natus, Henssionensis Monasterij, quod nunc sancti Iouini de Marnis dicitur, propagator extitit, ibidémque diem obiit, & humatus est. Locus ille olim vocabatur *Ausson.*

10. Iulij.

GENEROSVS Romanus, Henssionensis Cœnobij Monachus, eidem, defuncto Lemiegisilo Abbate, præfectus est. Ansoaldi Pictauorum Antistitis tempestate emicuit, eiúsque nomini Ecclesia Prioratûs & Parœciæ titulo insignita, in Diœcesi Pictauensi dicata est.

7. Augusti.

IVNIANVS nobili genere in Pictonum regione natus, in pago Briossio, prædio Campaniaco, eâ sanctitate præditus fuit, vt eo beata Radegundis plurimùm rebus in arduis vteretur. Corpus eius innumeris coruscans miraculis, apud Mariacum (vulgò *Mairé*) sepultum est, & exinde ad Monasterium Nobiliacense delatum, Sigebranno Pictauorum Episcopo. In Martyrologio Benedictino Hugonis Menardi eius vita legitur, scripta à Boëtio Vulphino Episcopo, qui ex Gothis originem ducebat.

Pagus ille Briossius, (vulgò *Brion*) vicus est in Parœcia *de Payré*, ad amnem nuncupatum *la Cloüere*, vnóque tantùm distat milliario à Campaniaco, quod hodiè *Champagné sainct Hilaire* dicitur.

9. Iulij.

ANNEMVNDVS, beati Iuniani cómes indiuiduus, minister, & discipulus fuit, eíque in Monasterij regimine suffectus est. In Breuiario Nobiliacensis Monasterij nouem Lectionum habet Officium, eiúsque in Litaniis prædicti Breuiarij mentio fit.

30. Ianuarij.

ADELELMVS Loduni in Diœcesi Pictauensi natus, sancti Roberti, primi *Casæ Dei* in Aruernia Abbatis, discipulus fuit, ibidémque posteà Abbas tertius ordine constitutus est. Obiit Burgis in Hispania, à Constantia Regina accersitus.

20. Augusti.

PHILIBERTVS claruit Dagoberti Regis temporibus, & filiorum: eiúsque vita scripta ad Coschinum Abbatem, & fratres Gemeticensis Cœnobij extat apud Surium. Ansoaldo Pictauorum Episcopo, Quinciacum sancti Benedicti Monasterium prope Pictauorum vrbem, & aliud Monasterium eiusdem Antistitis liberalitate in Herio insula exstructum incoluit. Hæc autem insula nunc vocatur, *Noirmoustier*, seu Nigrum Monasterium.

15. Septembris.

AICHARDVS Pictauij natus, Anschario milite, & Hermena parentibus, in Henssionensi Monasterio regularem disciplinam amplexus est, & deinde per annos aliquot in Quinciaco Cœnobio commoratus est. Claruit circa annum 680. cuius vitam à Fulberto prolixè scriptam apud Surium consule.

FAZEOLVS, cuius titulo decoratur Prioratus (vulgò *sainct Fazioux*) nuncupatus, prope Metulum in Parœcia beatæ Mariæ *de Mazieres*, Diœcesis Pictauensis. Nomen eius Litaniis Monasterij sancti Cypriani Pictauen. insertum est, à quo pendet Prioratus ille suprà scriptus. Iacet vir sanctus in sancti Sauiniani æde apud Metulum.

11. Octobris.

GENARDVS in eadem sancti Sauiniani Ecclesia requieuit, eiúsque Nobiliacensis Monasterij Litaniæ nomen habent. Prioratus cũ Parochiali Ecclesia in Diœcesi Pictauensi ipsius præfert titulum.

LVPIANVS *fertur à B. Hilario Antistite donum baptismatis suscepisse: sed mox migrauit à corpore. Cui à Deo bonorum omnium largitore tanta est gratia attributa, vt ad eius sepulchrum cæcus visum, paralyticus gressum, mutus mereretur eloquium. Requieuit in vico Ratiatensi, intra Pictauorum terminum, qui adjacet ciuitati Namneticæ*, ex Gregorio Turonensi lib. de gloria Confessorum, cap. 54. Ratiatensis ille vicus haud dubiè nunc *Rié* dicitur.

10. Februarij.

GVILLELMVS nonus, Dux Aquitaniæ, vitam edidit anno 1137. Hunc sanctus Bernardus Partheniaci conuenit, & ab Anacleti II. Pseudo-Pontificis partibus disiunxit, vt constat ex Bernardo Bonæuallis Abbate, in vita sancti Bernardi.

13. Augusti.

RADEGVNDIS, Clotarij huius nominis primi Francorum Regis vxor, Monasterium Virginum in vrbe Pictauensi, cum insigni sanctæ Crucis titulo fundauit, obiitque Pictauij anno 590. vbi & sepulta est in æde, quæ nunc sanctæ Radegundis dicitur. De ea Fortunatus Pictauorum Episcopus, plura; & Gregorius Turonensis, qui eius exequiis interfuit.

1. Decembris.

FLORENTIA Virgo patriam deserens, sancto Hilario ab exilio reuertenti adhæsit, & Pictauium vsque profecta est: móxque beatus Præsul ipsam, in cella, vt enixè postulabat, inclusit, vbi obdormiuit in Domino. Corpus eius à beato Hilario sepulturæ mandatum est eo in loco, qui nunc vocatur *Comblé*, vbi Prioratus sanctæ Florentiæ dicatus à multis extat sæculis.

15. Decembris.

ABRA, beati Hilarij ante Episcopatum (vt fertur) filia, in Litaniis Diœcesis Pictauensis ab omni æuo celebratur. Eius meminit Fortunatus Pictauorum Episcopus, lib. 1. de vita sancti Hilarij, qui operibus eiusdem Hilarij præfixus est.

16. Augusti.

TROECIA, vulgò *sainčte Triaise*, à sancto Hilario edocta, abjectis sæculi pompis, toto vitæ decursu in cellula sibi à præfato Præsule assignata, sese religiosè continuit, vbi nunc Ecclesia Parochialis intra Pictauensem vrbem cernitur, sanctæ Troëciæ nomine conspicua.

25. Iunij.

PECINNA Virgo, morum innocentiâ illustris, nomen dedit Ecclesiæ, & Parœciæ, quæ *sainčte Pezaine* dicitur, in Diœcesi Pictauensi iuxta Nyorthum: & alteri etiam Parœciali Ecclesiæ, in Lucionensi Diœcesi, prope *Monstiers sur le Lay*. Huius meminit Molanus in Additionibus ad Vsuardi Martyrologium, & Chronicon Malleacense manuscriptum, in quo hæc leguntur: *Anno 1098. inuentum est corpus sanctæ Pecinnæ.*

7. Ianuarij.

VIRGANA Virgo, ouium custos, vulgo *sainčte Vierge*, nata est in Parœcia beatæ Mariæ *de Hault-bois*, in Diœcesi Pictauensi: cuius ea fuit sanctitas, vt loci illius Ecclesia sanctæ Virganæ nomen tulerit, in qua sepulchrum eius apparet perspicuè.

13. Maij.

AGNES Abbatissa sanctæ Crucis Pictauensis, cui plurimos versus Fortunatus Pictauorum Episcopus inscripsit, lib. 11. suorum Poëmatum.

13. Maij.

DISCIOLA, beati Saluij Albigensis Episcopi neptis, Monialibus sanctæ Crucis Pictauensis, olim annumerata est: de cuius felici obitu agit Gregorius Turonensis hist. lib. 6. cap. 29.

14. Ianuarij.

NEOMADIA Virgo, vulgò *sainčte Neomoye*, de stirpe Baussaij, in agro Pictauico, vt habet Prosa Missalis Diœcesis Pictauensis, quæ in ipsius festo legitur, clarissimis orta parentibus, pastoritiam vitam egit, eiúsq; intercessione plurimi à morbo epileptico curantur. Patrona est Parœcialis Ecclesiæ sui nominis, non longè ab oppido sancti Maxentij sitæ, apud quam sepulta fertur; multæque ei ædiculæ in Pictonum regione exstructæ sunt. Castrum autem *de Baussay*, perparùm ab vrbe Lodunensi distat, cuius Barones piissimi, vetustissimum item castrum sanctæ Neomadiæ, iam dictæ Parœciali Ecclesiæ conterminum, diutissimè possederunt. Minimè verò prætereundum est, non solùm in omnibus ad vnum ditionis eorum castris, sed etiam quibuslibet in Ecclesiis, & Monasteriis ab eisdem excitatis, Capellas tantæ Virgini in gentilitatis gratiam positas, & dotatas fuisse.

Possent etiam superioribus jungi.

1. Ianuarij.

CLARVS, Martyrij lauream adeptus apud Pictones, sub Gallieno Imperatore, vt habet Martyrologium Gallicum nuper euulgatum.

THAVMASTVS *Momociacensis vrbis Episcopus, Pictauum oppidum petiit, ibique præsentem vitam finiuit: sepulchrum habet ante ipsum atrium beati Hilarij, de quo tumulo erasus à multis puluis, & haustus ita dolori dentium, febriúmque medetur, vt qui hauserit, mireturr effectum. Nam ita hæc benedictio assiduè expetitur, vt iam in vno loco sarcophagus appareat transforatus.* Ex Gregorio Turonensi lib. de gloria Confessorum, cap. 53.

Legendum est, *Mimatensis vrbis Episcopus*, vt coniicere est ex vicinia locorum, in quibus miracula quædã edita refert paulò antè idem Gregorius: Non enim mihi audiendi videntur, qui Momociacum de Moguntia Germaniæ ciuitate interpretãtur.

MAXENTIVS, Pictauorum Episcopus, Sanctus dicitur in vita sancti Maximini Treuirorum Episcopi: cuius, & sancti Iouini Abbatis frater erat.

AGAPIVS Presbyter Pictauensis, præceptor sancti Maxentij Abbatis, tumulatus est in Ecclesia sancti Saturnini, quæ adjacet Monasterio sancti Maxentij, vt Chronicon Malleacense edocet.

MAXIMINVS Pictauorum Episcopus, hîc iure merito collocandus est cum attextis hisce Chronici Turonici manuscripti verbis.

Anno 1226.

Philippus Episcopus Pictauensis, apud Monasterium Sillé, corpus sancti Maximini Episcopi Pictauensis, quinto Idus Octobris à terra leuauit.

Chronicon istud à Canonico Turonensi, qui eodem vixit sæculo, conscriptum, meo non indiget calculo, cùm à lynceis authoribus sæpenumerò in medium adducatur. Monasterium verò *Sillé*, beatæ Mariæ Virgini sacrum, in vicinia Abbatiæ Fontisebraldi, nunc *Sully* dicitur, & Turonensi Diœcesi addictum est.

MAYRVLFVS, Henionensis Cœnobij (vt perhibent) Monachus, istius quoque in opusculi ornamentum accedet: de quo hæc duntaxat in Abbatiæ sancti Cypriani Chartulario reperi, quæ reticere nequeo.

Radulfus, Flamma cognominatus, concessit Monachis sancti Cypriani Ecclesias de Bomniaco, vnam in honore sancti Petri, antiquâ vetustate dirutam: alteram in honore beatæ Mariæ: tertiam in sancti Ioannis: quartam in sancti Mayrulfi, vbi ipse Sanctus iacet. Testes Radulfus Flamma, Arsendis vxor, Tetbaudus filius, Launo frater Radulfi, Gaufredus Vicecomes, Aimericus filius, Ainor Vicecomitissa, Fulco Archidiaconus, & alij.

Gaufredus iste Toarcensium Vicecomes fuit, anno Christi 1028. & aliquot etiam pòst annis sub Henrico I. Rege. Porrò apud Bomniacum, vulgò *Boëmé*, haud procul ab oppido Bercorio in Pictonibus, stat etiam hodiè Ecclesia sancti Mayrulfi, cuius ad tumulum turbæ multæ perseueranter confluunt. Prioratus autem, & Ecclesia sancti Petri *de Boëmé* pendent à sancti Cypriani Monasterio.

Præter hæc, iuxta Cœmeterium oppidi *de Moncontour*, Pictauensis Diœcesis, Cãpellam videre est sancto Mayrulfo dicatam, quæ ad S. Iouini Cœnobitas pertinet.

ANDREAS *Canonicus S. Petri Pictauensis, reuertens de Ierusalem obiit anno 1111. in territorio Astæ ciuitatis, ad cuius tumulum multa miracula fiunt*, vt habet Malleacense Chron.

4. Aprilis.

PETRVS II. huius nomenclaturæ Episcopus, cui Fontisebraldi Monasteriũ sua debet incrementa, an. 1086. quo Isembertus II. animã efflauit, electus, Põtificali infulâ 8. Kal. Martij, an. 1087. decoratus est. Guillelmum VIII. Aquitaniæ Ducem, & Pictonum Comitem sacris arcuit, qui (vt tradit Vuillelmus Malmesburiensis lib. 5. de gestis Regũ Anglorum, cap. 50.) *Vipereo meretriculæ infectus sibilo, inceptì dissuasorem detrusit exilio: vbi beato fine conclusus, frequentibus & magnis miraculis innuit mundo quàm gloriosè viuat in cælo.* Eadem, Petrum extollens laudibus, sic extulit Gaufredus Grossus Monachus in vita S. Bernardi de Abbatis villa, in Tractu Pontiuensi: *Exilium pro iustitia vsque ad mortem sustinuit, eiúsque vitæ sanctitas mirabilis extitit, vt post ipsius obitum miraculorũ etiam attestatione patet.* Quod & confirmat Chron. manuscriptum Ricardi Pictauensis.

In illo tempore, illud famosissimum Cœnobium fœminarum, quod dicitur Fons-Ebraldi, con-

stituitur in pago Pictauensi à Roberto de Bruxello, iuuante Pictauorum Petro Episcopo: cuius sanctitatem crebra miracula tumuli eius loquuntur, & prædicant. Desciuit à vita secundo Nonas Aprilis, vt barbarè, pro pridie Nonas, ex more illius sæculi, notat Necrologium Abbatiæ sancti Hilarij de Cella; & in Ecclesia sancti Cypriani, iuxta portam Claustro contiguam quiescit.

Varij authores nominis conuenientiâ decepti, sancto Guillelmo IX. Aquitaniæ Duci, qui stemmati suo perinsigni clausulam insigniorem imposuit, probra aliquot perperam ascripserunt, quæ in facinorosum Guillelmum VIII. patrem ipsius regerenda sunt, vt animaduertit Ioannes Besly, Regius apud Fonteniacum Consiliarius, exquisitissimâ antiquariæ rei eruditione, (è qua permulta tenacis amicitiæ priuilegio fultus, sitienter hausi) prænitens, qui primus subductis temporum rationibus, Pictonum Comites, cosdémque Aquitaniæ Duces inter se distinxit, & in ordinem digessit.

Gestiret animus Petro II. cognomen de Turre non absque probabilitate appingere, cùm antiqua in charta Monasterij Fontisebraldi, Longus de Turre frater eius dicatur. Verùm quia vterinus esse potuit, aut Petri sororis maritus, nihil ausim affirmare.

25. Aprilis.

BERNARDVS de Abbatis villa dictus, quòd eò loci in Pontiuensi Comitatu ortus sit; anno 1100. Abbas sancti Cypriani, defuncto Reginaldo, eligitur. Fundamenta posuit Tyronensis Cœnobij in Carnotensi Diœcesi, & 7. Kal. Maij, anno 1116. mortem occubuit. Ordericus Vitalis, qui hist. lib. 8. eum Quinciaci Abbatem nuncupat, oppidò falsus est, vt variis ex Chartulario S. Cypriani locis manifestè colligitur, quorum enumerationi parsum esse aueo, ne libellus iste turgescat. Huius Sancti vita legitur à Gaufredo Grosso Monacho, eius discipulo, scripta ad Gaufredum Carnotensem Episc. Apostolicæ Sedis Legatum, pulchrè docti Yuonis Carnotensis successorem.

16. Augusti.

RADVLPHVS de Fusteïa, seu de Fragreio, vulgò *de Fragrei*, socius Roberti de Arbrissel, conditoris Ordinis Fontisebraldi, & Monachus in sancti Iouini de Marnes Cœnobio, iacet in Ecclesia sancti Sulpitij iuxta Rhedonensem ciuitatem, eiusdémq; Ecclesiæ in Necrologio hæc verba habentur: *12. kal. Sept. obiit sanctus Radulphus, Monachus sancti Iouini, seruus, & Pater Fratrum, & Monialium Abbatiæ sancti Sulpitij, anno 1129.*

22. Ianuarij.

GVALTERVS de Brugis, Ordinis Minorum, Pictauorum Episcopus, scripsit in libros Sententiarum, Quodlibeta, & Sermones. Anno 1307. humanitatis debitum soluit, Pictauiique in Ecclesia Minorum, miraculis clarus, Domini aduentum præstolatur.

DE AQVITANIA OPVSCVLVM.

Ex codice Thuano 529. post Chronicon quod ab ortu Rerum inchoatum, & ad annum vsque 1265. perductum, nescio quam ob causam dicitur Lemouicense, nisi forte illud sit, quod Gerardo Fracheto Lemouicensi, Ordinis Prædicatorum, ab Andrea Duchesnio, & quibusdam aliis vindicatur, quódque ex Petauiana Bibliotheca in Sueciam transiit.

AQVITANIA, vt dicunt Iulius, & Orosius, & Isidorus, & Gesta Francorum, tertia pars est Galliarum, & habet tres Prouincias. Prima, Bituricensis; secunda, Burdegalensis; tertia, Nouempopulania, siue Auxitana, quę nunc Vasconia dicitur. Bituricensis habet ciuitates octo: Bituricam, Lemouicam, Claromontem, Mimatem, Rutenam, Albiam, Caturcum, & exemptam Vallatem, quæ nunc Podium dicitur. Burdegalensis sex: Burdegalam, Pictauim, Sanctonas, Engolismam, Petragoricam, Agennum. Auxitana nouem habet ciuitates: Auxum, Tarbiam, Conuenam, Lactoram, Olero, Lascurram, Aduram, Aquas, Basatum, Bajonam, Coseran. Habet etiam Aquitania Turonam, & Tolosam; quia quidquid est inter

Garonnam & Ligerim, Pyrenæos & Oceanum, Aquitaniæ cedit: vnde Aquitania dicitur, quòd Ligeri, & Garonna, & mari ferè circumdatur. Secundùm antiquos, & Isidorum, Narbonensis Bituricensi Primati subeiat, vt dicit Decretum IX. c. Conquestus. Sed Karolus Narbonæ Ducatum posuit, & terram vltra Garonnam vsque ad Rhodanum adjunxit. Legitur autem quòd Clodoueus Rex Francorum quintus, & primus Christianus, regno Francorum Aquitaniam subjugauit, & eam de manu Alarici Regis Gothorum Ariani, qui Romanis eam abstulerat, & qui Tolosæ regnabat, eripuit precibus beatorum Martini & Hilarii, & decimo milliario à Pictauis eum deuicit precibus prædictorum. Theodericum verò filium suum per Albicensem & Rutenensem ciuitates Aruernam direxit; qui omnes illas vrbes vsque Burgundiam à manu Gothorum abstulit. Clodoueus autem hiemauit Burdegalæ, & thesauros Amalarici de Tolosa accepit, & per Caturum & Lemouicam rediens, Engolismam obsedit, & in eius aduentu muri corruerunt, totámque terram subjugans, in Xantonia & Engolisma & Burdegala Francos reliquit contra Gothos. Huius Clodouei nepos Chilpericus Rex filium Clodoueum in Aquitaniam misit, vt Agennensem, & Petragoricum pagum subiiceret. Legitur etiam quòd Clotarius pater Dagoberti Sadregisilum sub se rebus tractandis præfecit Aquitaniæ Ducatu sibi specialiter commisso: cuius barbam Dagobertus depilans, patrem offendit, & in antro beati Dionysij latuit. Legitur etiam quòd Dagobertus fratrem suum Aritpertum consortem regni fecit, collatâ ei terrâ à ripa Ligeris vsque ad iuga Pyrenæi, quæ Galliam & Hispaniam disterminant; qui sedem regni Tolosam eligens, totam Vasconiam subjugauit. Karolus autem Martellus Eudonem Ducem Aquitaniæ fugauit, qui se videns inferiorem, Saracenos de Hispania vocauit, qui cum omni familia Garonnam transeuntes, Christianos & Ecclesias vastauerunt: perueniunt Burdegalam, cremant Ecclesias, & vsque Pictauim omnia vastant; & cùm Martinopolim vellent incendere, occurrit Karolus Martellus, quorum trecenta octoginta quinque millia peremit, & tantùm mille quingentos suorum amisit. Nec multò pòst idem Eudo rebellat, sed Martellus eum in Vasconia persequens, vitâ & principatu priuauit: cum filiis quoque eius Gaifero & Hunaldo pugnans, eos deuicit, & totam sibi Aquitaniam subjugauit: Blauiam etiam castrum cepit. Pipinus autem filius Karoli Martelli, videns Gaiferum Ducem Aquitaniæ non consentire iustitiæ Ecclesiarum ex partibus Francorum, venit in Aquitaniam, & cepit castella Borbon, Cantela, Clarmon, & multa alia castra Aruerniæ cepit; & veniens Lemouicam, muros eius destruxit. Inueni in Chronicis Mosaicensis Monasterij, quod destructâ Lemouicâ, Primatia Bituris, & sedes Ducatus Pictauis translata sunt, quamuis ordinatio Ducis postea apud Lemouicam sit reducta. Tertiò rediens in Aquitaniam, cepit Bituricam, & castrum Tuarcis. Quartò rediens Casturtium, vastauit, & veniens apud Lemouicam, in restitutionem villam de sancto Valerico sancto Martiali, & Salaniacum sedi sancti Stephani dedit. Quintò, in Aquitaniam rediens, castrum Argentonij contra Gaiferum restaurauit. Sextò, contra Gaiferum rediens, cepit Narbonam, Tolosam, & Albiam, & Gaualdanum, & multas roccas & speluncas cepit transiens per Lemouicam, Scoralliam, Torennam, & Petruciam acquisiuit. Vltimò, in territorio Petragorico Gaiferum Ducem occidit.

Finito ergo Aquitanico bello, quod per nouem annos continuos gesserat, Pipinus mortuus est anno Domini DCCLXVIII. cui successit Carolus Magnus: cuius prima expeditio in Aquitaniam contra Hunaldum fratrem Gaiferij fuit; vnde Garonnam transiens, castrum Fronciacum ædificauit contra Burdegalam. Ordinauit autem per Aquitaniam Episcopos, Abbates, & Comites de genere Francorum, & sub se nouem Comites posuit, scilicet Bituris Vmbertum, Pictauis Abonem, Lemouicæ Rotgerium, Petragoricæ Guitonum, Aruernis Iterium, Vallagiæ Bullum, Tolosæ Corsonem, Burdegalæ Siguinum, Albiæ Aymonem: quibus filium suum Ludouicum Regem præfecit, qui Carcassonam in finibus Aquitanorum muniuit, & Tolosæ quater legitur placitasse: qui Ordinem Ecclesiasticum reparans, viginti quatuor Monasteria in Aquitania legitur fecisse. In tantùm autem res publica profecit, vt proficiscente per Aquitaniam Rege vix inueniretur conquerens aliquid se iniustè perpessum: tribus enim diebus per septimanam Rex iudicabat; qui factus Imperator, Pippinum filium suum Aquitaniæ præfecit, quo rebellante, Ludouicus apud Lemouicam venit, ac in Palatio Iogennaco, iuxta vrbem Pippinum, propter

Digitized by Google

morum correctionem sub priuata custodia Treuerim perduci fecit. Quo mortuo, Emeno Comes Pictauensis contra voluntatem Imperatoris voluit filium Pippini Regem Aquitaniæ leuare, sed non prævaluit, immò Karolum Caluum alium filium Imperator Aquitaniæ præfecit. Eo tempore Normanni Aquitaniam vastauerunt, Namnetas, Turonim, Burdegalam, Xantonas, Engolismam, Lemouicam, Pictauim, Aurelianos, Parisium, Beluacum, Nouiomum, & innumera castra, & Monasteria cremauerunt. Et sciendum quòd propter multas & frequentes rebelliones Ducum Aquitaniæ, Rex Franciæ nunc Comitem Tolosanum, nunc Engolismæ, nunc Bituriæ, nunc Vallagiæ, nunc Albiæ, nunc Aruerniæ, & vltimò Comitem Pictauiæ, & quosdam Episcopos, qui Regalia habent, dominio Ducis substraxit, regno vniens illos. Cùm igitur Francorum Rex Aquitaniam primò à Gothis, secundò à Saracenis, tertiò à Normannis, quartò ab Anglicis, & Ruptariis, & Hæreticis liberauerit, & cum Ducibus eius, & pòst cum Regibus, & filiis, & nepotibus semper guerras habuerit; si eam modò alicui tradit, erit multorum initium malorum; & cùm occurrere non poterit, pœnitebit. Ista collecta sunt ex diuersis Chronicis.

BREVE CHRONICON
S. MARTINI MASCIACENSIS
IN BITVRIGIBVS,

Ad Cyclorum Paschalium margines insersum.

Ex Codice eiusdem Monasterij peruetusto descripsit R. P. Petrus-Franciscus Chiffletius, Societatis nostræ Theologus, & ad me perhumaniter cum sequentibus Annalibus misit.

ANNO A CHRISTI INCARNATIONE.

DCCXXXII. Karolus contra Saracenos pugnauit Pictauis.
DCCXXXVIII. Initium Monasterij Masciacensis ab Egone Comite.
DCCLXI. Aluernis incensa.
DCCLXIII. Bituricæ captæ.
DCCLXVI. Lemouicas captæ.
DCCLXVIII. Rex Pippinus mortuus, Karoli pater.
DCCLXXVIII. Ludouicus nascitur.
DCCCXIII. Karolus moritur.
DCCCXIIII. Aduentus Monachorum in Masciaco.
DCCCXVII. Abbo Abbas nascitur.
DCCCXXIIII. Karolus ex Iudith nascitur.
DCCCXXXII. Ludouicus regno priuatur, & carcere truditur; & prælium fit cum Lamberto & Odone.
DCCCXL. Ludouicus Imperator obiit duodecimo Kalendas Iulij. Eclipsis Solis.
DCCCXLII. Fraternum bellum fit in Fontaneto.
DCCCXLVII. Abbo Abbas ordinatur.
DCCCXLVIIII. Saraceni Basilicam sancti Petri & Pauli deuastant.
DCCCLIIII. Turonis à Normannis crematur.
DCCCLXV. Stephanus à Marcomannis occiditur, & Aruernis incenditur.
DCCCLXVI. Abbo Abbas moritur, & Aurelianis crematur. *In veteri Kalendario eiusdem MS. codicis legitur*: VII. Kalendas Decembris Abbo Abbas migrat ad Christum.
DCCCLXVII. Abbas Wandalmarus ordinatur; & Biturix eodem anno à paganis vastatur, & incenditur.
DCCCLXXIII. Marcomanni in Masciaco venerunt.
DCCCCX. Madalbertus Bituricensis Episcopus à paganis occiditur.

DCCCCXVI.

Digitized by Google

DCCCCXVI. Bituricas incenditur.

DCCCCXIX. Guillelmus famosus Dux Aquitanorum efflauit, & coniux eius Ingelberga finem viuendi fecit. Hoc anno vrbs Biturix à Guillelmo nepote fraude intercepta, à suis patenter recipitur conciuibus.

DCCCCXXII. Hoc anno rebellauit Rotbertus contra Karolum Regem seniorem suum, & vnctus est super eum Rex.

DCCCCXXVI. Obiit Berno Abbas : & Guillelmus Dux Aquitanorum hominem exuit.

DCCCCXXXV. Odo Abbas ordinatur.

DCCCCXLVIII. Sic obiit Geruncus Archipræsul Biturigensis. Ipso anno domnus Launo in præfatâ sede nobiliter ordinatur.

DCCCCLIII. Neuernis hoc anno capitur & incenditur.

DCCCCLIV. Lodouicus Rex Francorum moritur, & Lotharius filius eius maior in regno eligitur.

DCCCCLV. Launus Archiepiscopus Biturigensium hominem exuit.

DCCCCLXI. Bellatores Francorum hoc anno Monasterio Masciaco latenter voluerunt rapere, eumque de nocte exturbauerunt.

DCCCCLXVII. viij. Idus Iunij sic obiit Odo Abbas bonæ memoriæ, & Ardiucus Monachus Nonis Septembris.

DCCCCLXIX. Vgo in præfatâ sede Biturigensium ordinatur Archiepiscopus.

DCCCCLXXVIII. Adelardus Abbas ordinatur.

DCCCCLXXXV. iiij. Kalendas Februarij obiit Lotharius Rex.

DCCCCXCIX. Castrum Masciacense hoc anno destruitur. Abbas Adelardus moritur.

M. I. Anno ab origine mundi $\overline{IV}$. CCI. Fames Valida.

M. II. Ingo Abba ordinatur in Masciaco Monasterio.

M. XII. Dacbertus Archiepiscopus obiit. Hoc & Stephanus Episcopus ad Legardem materteram suam latenter interficitur, & Rod. moritur.

FINIS.

ANNALES FRANCORVM.

Ab anno DCCXXVI. vsque ad annum DCCXCVI.

Ex Codice S. Martini Masciacensis peruetusto.

ANno DCCXXVI. Martinus mortuus est. Fuit autem Monachus in Corbeiâ, vir vitæ continentissimæ, & adprimè eruditus; quem Karolus Dux in summâ veneratione habuit, & peccata sua ei confitebatur.

DCCXXVII. Danihel in Attiniaco mortuus est.

DCCXXVIII. Item Karolus fuit in Saxoniâ : & Adulfus Episcopus mortuus est : fuit autem de Camaraco, & habuit Abbatiam Sancti Vedasti.

DCCXXIX. Quando Carolus voluit pergere in Saxoniâ.

DCCXXX. Quando Karolus perrexit Suauis contra Lantfridum.

DCCXXXI. Quando Karolus fuit Vvasconiâ contra Eodonem, & Raganfredus mortuus est.

DCCXXXII. Karolus habuit bellum contra Saracenos in mense Octobrio, die Sabbati. * * *.

DCCXXXIV. Karolus perrexit in Frisiam, & deleuit eam vsque ad internecionem.

DCCXXXV. Quando Karolus inuasit Vvasconiam.

DCCXXXVI. Audoinus Episcopus mortuus est : & Karolus dimicabat contra filios Eodonis.

DCCXXXVII. Quando Karolus bellum habuit contra Saracenos in Gotiâ.

DCCXXXVIII Karolus intrauit in Saxoniam.

DCCXXXIX. Karolus intrauit in Prouinciâ, vſque Maſſiliam.
DCCXL. Sine hoſte fuit hic annus.
DCCXLI. Karolus mortuus eſt, & Theobaldus interfectus.
DCCXLII. Carolomannus perrexit in Vvaſconiam.
DCCXLIII. Vaſtauit Carolomannus Alamanniam.
DCCXLIV. Pax inter Carolomannum & Odilonem : & hoſtes in Saxoniâ.
DCCXLV. Carolomannus & Pipinus abierunt in Saxoniam.
DCCXLVI. Carolomannus intrauit Alamanniam : vbi fertur quòd multa hominum millia ceciderit ; vnde compunctus regnum reliquit, & Monaſterium in caſtro Caſſino ſitum adiit. Petiit autem Abbatem loci illius ac fratres, vt quod vilius excogitare poſſent officium ei iniungerent. At illi anſerum cuſtodiam mandauerunt ei. Quas cùm paſceret, contigit, vt lupus ex improuiſo veniens ; vnam earum raperet. Quod ille cernens, & eripere non valens, cum gemitu conuerſus ad Dominum, dixit ; Ecce Domine, cui regnum commiſeras : quomodo enim innumeros populos ac regiones prouido moderamine regerem, qui paucas anſeres ſeruare nequiui ? Cumque amariſſimè fleret, reumque ſe creditæ ſubſtantiæ torporis ignauiâ reſolutâ fateretur ; cogente Deo qui eius compaſſus eſt lacrymis, lupus rediit, anſerem ſanam depoſuit, fruſtratus dilectæ prædæ vſu, auidis faucibus inuitus abſceſſit.
DCCXLVII. Carolomannus Romam migrauit.
DCCXLVIII. Grifo fugit in Saxoniam.
DCCXLIX. Grifo reuerſus eſt de exilio.
DCCL. Sine hoſte fuit.
DCCLI. Lantfridus obiit.
DCCLII. Domnus Pipinus eleuatus eſt ad Regem.
DCCLIII. Pipinus Rex in Saxoniâ : & Ildegarius Epiſcopus defunctus eſt : & Papa venit ab vrbe Româ, & Carolomannus poſt eum : & filij eius tonſi ſunt : & Gripho occiſus eſt.
DCCLIV. Bonifacius Martyrium ſuſcepit : & Hildetrudis mortua eſt : & Carolomannus obiit : & Rex Pipinus abiit Longobardiam : & Papa reuerſus eſt Romam.
DCCLV. Venit Taſſilo ad Marciſcampum, & mutauerunt Marcis-campum in menſe Maio.
DCCLVI. Rex Pipinus perrexit Longobardiam : & Aiſtulfus mortuus eſt.
DCCLVII. Venit organa in Franciam.
DCCLVIII. Rex Pipinus fuit in Saxoniâ.
DCCLIX. Rex Pipinus mutauit nomen ſuum in filio ſuo.
DCCLX. Domnus Pipinus Rex fuit in Vvaſconia contra Vvaifarium.
DCCLXI. Iterum Pipinus fuit in Vvaſconiâ vnà cum Carolo : captóque omni pago Aruernico, Burbonem caſtrum, & Clarum-montem igne cremauit.
DCCLXII. Iterum domnus Pipinus cum dilectis filiis ſuis Carolo & Carolomanno perrexit Vvaſconiam, & adquiſiuit ciuitatem Bituricas.
DCCLXIII. Pipinus placitum habuit Vvarmatiâ : dedit Comitatos dilectis filijs ſuis.
DCCLXIV. Habuit domnus Rex Pipinus conuentum magnum cum Francis ad Cariſiacum. Eodem anno gelu magnũ fuit à XIX. Kal. Ianu. vſque in XVII. Kal. Aprilis.
DCCLXV. Venerunt corpora Sanctorum ab vrbe Româ in Franciam, Gorgonius, Naborius, & Nazarius : & habuit tunc placitum Pipinus in Attiniaco.
DCCLXVI. Quando Pipinus fuit in Vvaſconiâ. Eodem anno Frotgaudus Epiſc obiit.
DCCLXVII. Iterum Pipinus fuit in Vvaſconiâ in menſe Martio, & cœpit Lemouicas ciuitatem : & domna Berta erat Bituricas.
DCCLXVIII. In iſto anno domnus Pipinus mortuus eſt viij. Kalendas Octobris : & domnus Carolus, & Carolomannus vncti fuerunt in Reges vij. Idus Octobris : & Vvaifarius interfectus eſt.
DCCLXIX. Eodem anno domnus Karolus Rex poſtquam cœpit regnare, primâ vice fuit in Vvaſconia vltra flumen Garonna : & corpus Sancti Gorgorij poſitum Gorziâ Monaſterio.
DCCLXX. Hoc anno fuit domna Berta Regina in Italiâ, propter filiam Deſiderij Regis : & redditæ ſunt ciuitates Sancti Petri plurimæ.
DCCLXXI. Bonæ memoriæ domnus Karolomannus obiit pridie Nonas Decembris.

Digitized by Google

DCCLXXII. Domnus Rex Carolus perrexit Saxoniam, & cœpit Herisburgo: & peruenit ad locum qui dicitur Hermensul: & succendit ea loca.

DCCLXXIII. Domnus Carolus perrexit Italiam: & concitato bello fugit Desiderius Rex Longobardorum, & retrusus est Papiâ: & domnus Rex Carolus obsedit eam dominans Italiæ.

DCCLXXIV. Hoc anno tradita est Papia Francis, & Desiderius directus est in Franciam, Et Carolus misit Comites per omnem Italiam, lætus S. Petro reddidit ciuitates quas debuit, dispositisque omnibus alacer, venit in Franciam: & eodem anno bellum habuit contra Saxones, in loco qui dicitur Herisburgo.

DCCLXXV. Carolus Rex perrexit Saxoniam, & cœpit Sigeburgo: & interfecta multa millia paganorum, victor remeauit Franciâ.

DCCLXXVI. Perrexit Rex Carolus in Italiam, & occiso Rodgardo qui illo rebellis erat, obsederuntque Stabilinium socerum suum Tarauiso ciuitate. Eo capto, dispositisque omnibus rediit cum suis Franciâ: & audiuit quòd Saxones rebellassent contra Francos, motoque exercitu, perexit obuiam illis. Cùm vidissent pagani quod non poterant Francis resistere, timore perculsi venerunt maiores natu ad Carolum Regem postulantes pacem: & baptizatâ multâ turbâ populi, ædificauerunt Franci in finibus Saxonum, ciuitatem, quæ vocatur Vrbs Caroli.

DCCLXXVII. Eodem anno glorioſus Rex Carolus venit Saxoniâ, loco cognominante Patresbrunna: habuitque ibi magnum placitum: & ibi conuenerunt Saxones ad Baptismum Catholicum, & baptizata multa millia populorum gentilium: & ædificauerunt ibi Ecclesiam Franci: vnde in postmodum Carolus Rex meritò gaudet cum Iohanne Baptistâ, qui & prædicauit Baptismum in remissionem peccatorum.

DCCLXXVIII. Eo anno Rex Carolus cum magno exercitu venit in terram Galliciam, & adquisiuit ciuitatem Pampaloniam. Deinde accepit obsides in Hispaniâ de ciuitatibus Habitauri atque Ebilarbi, quarum vocabulum est Osca & Barcillona: & ipsum Ebilarbum vinctum duxit Franciâ. Interim Saxones rebellantes mouerunt exercitum, ad amnem Rheni, properantes incenderunt oppida, & igne cremauerunt ciuitatem, quam Franci constituxerant inter flumen Lippia.

DCCLXXIX. Inclytus Rex Carolus commoto magno exercitu venit Saxoniam, iterum vastantes & incendentes omnia vsque flumen Vvisera: & multis obsidibus acceptis, remeauit Franciâ.

DCCLXXX. Iterum pulcherrimus Rex Carolus cum Francorum exercitu venit Saxoniam vsque fluuium Aluia, & adquisiuit vniuersam terram illam sub forti Dei brachio. Ipso quoque anno Saxones derelinquentes idola, Deum verum adorauerunt, & eius crediderunt opera. Eodem vero tempore ædificauerunt Ecclesias, & venerunt ad Carolum Regem multa millia Vvinethorum hominum: ipsosque cepit vnà cum Dei auxilio.

DCCLXXXI. Sine hoste fuit hic annus; nisi tantùm Vvarmaziâ ciuitate venerunt Franci ad placitum: & ibi fuit Tassilo Dux de Bacoarios, magnáque munera præsentauit Carolo Regi, & per eius licentiâ rediit patriam.

DCCLXXXII. Religioſus Rex Carolus habuit magnũ placitum in Saxoniâ super flumen Lippia, & ibi venerunt legationes Hunorum ad præsentiam Principis. Ipso anno Saxones rebellantes reducti sunt ad priorem tramitem, Deum abnegantes, & fidem quam promiserant. Tunc cum magno exercitu hostes in Saxoniâ: & cæciderunt Franci de Saxis multitudo hominum, & multos vinctos adduxerunt Franciam.

DCCLXXXIII. Carolus Rex commoto exercitu perrexit Saxoniam: & concitauerunt prælium circà flumen Vvisera, & secus fluuium Hassa: & Carolus, quippe victor, cum suis omnibus remeauit Franciam. Et in ipso anno bonæ memoriæ Berta obiit: & Hildegardis Regina defuncta est pridie Kalendas Maij.

DCCLXXXIV. Iterum domnus Carolus venit Saxoniam, terram illam vastantes & destruentes omnia. Et eodem anno verni temporis obsedit Rex Carolus Herisburgo & Franci sederunt per gyrum in Bordetes.

DCCLXXXV. Tunc domnus Carolus moto exercitu de ipsis tentoriis, venitque Dersia; & igne combusta ea loca venit vltra flumen Vvisera: & eodem anno destruxit Saxonum rates, siue eorum firmitates: & tunc adquisiuit Saxones cum Dei auxilio.

DCCLXXXVI. Hic annus fuit sine hoste, nisi tantùm vero tempore perrexit Carolus Rex in Italiam cum suo exercitu, & venit Romam. Deinde cœpit terram Beneuenti per Dei auxilium. Et illo anno fuit missum de cœlo signum à Deo in terrâ, terrorque magnus.

DCCLXXXVII. In isto anno Rex Carolus venit cum suo exercitu Bagoarios, & accepit ibi obsides: Victor remeauit Franciâ.

DCCLXXXVIII. Eo quippe anno fuit placitum Anglishamio: Et eodem anno pugnauit omnipotens Deus pro Carolo Rege, sicut fecit pro Moyse & filius Israël, quando demersus est Farao in rubro mari; sic Deus omnipotens, sine bello, & sine altercatione tradidit regnum Bagoariorum in manus Caroli: & Tassilo Dux tonsus est, retrususque Gemetico Monasterio.

DCCLXXXIX. Fuit domnus Carolus in Vvenetis, & peruenit in Vvilciâ, & adquisiuit ibi Draoscionem Regem, & alios quamplurimos: & accepit obsides plures, atque omni terrâ illâ obsessâ siue subiugatâ, victor rediit Franciâ.

DCCXC. Hic annus hostem non habuit, nisi tantum ad Vangionem, quod est Vvarmazia. Ibi habuit Rex Carolus Magnum conuentum cum Francis. Et Andegarius Episcopus Monasterii Sancti Martini obiit xv. Kalendas Februarij. Fuit autem ex genere Anglorum; sed pater eius, Botto nomine, negotiator, fuit in vrbe Massiliâ. Fuit autem magnæ humilitatis, vnde omnibus gratissimus habebatur.

DCCXCI. Domnus Carolus moto magno exercitu perrexit in Huniâ, ibique habuit conflictum magnum cum Hunis & vastauit Huniam plagâ magnâ vsque flumen Rapha: cum prædâ magnâ, Deo protegente reuersus est Franciam.

DCCXCII. Hoc anno inclytus Carolus cum suis fidelibus resedit in Baugoarios, & habuit magnum placitum in Rageniſburgo ciuitate. Et hoc anno Saxones mentiti sunt fidem quam polliciti fuerunt iamdudum Regi Carolo: errauerunt, atque deuiauerunt, adeptique sunt tenebris, sicut scriptum est, *zelus adprehendit populum inerraditum*. Et eodem anno patefactum est consilium iniquum quem consiliauerunt cum Pipino filio suo Caroli, iniqui consiliatores; Vnde reprobi apparuerunt, & receperunt eorum meritum.

DCCXCIII. Glorioſus Rex Carolus iterum resedit Baugoarios, missisque exercitibus suis vastauit omnia, victorque resedit Baugoarios.

DCCXCIV. Domnus Carolus commoto exercitu venit in Saxoniam: & Saxones polliciti sunt emendari, fœdusque pepigerunt Rege Carolo vnà cum suis fidelibus: deinde cum suis optimatibus rediit Franciam.

DCCXCV. Domnus Carolus commoto magno exercitu iterum venit in Saxoniam, omnémque terram illam circuiuit, venitque in Vvidmodinga; deinde Bardinc pago: vastauítque & subiugauit has regiones: acceptis obsidibus sospes & alacer remeauit Franciam.

DCCXCVI. Iterum domnus Carolus moto exercitu suo venit Saxoniam. Tunc cum magnâ prouidentiâ & decertatione vastauit Saxoniam, & præda magna acceptis obsidibus in Drachina: feceruntque Franci pontem super amnem Vvisera, in loco cuius vocabulum est Alisni. Exinde perrexit Vvimodin. Deinde vastauit regiones illas, cum suis omnibus prosperè & incolumis remeauit ad propria.

Hic terminantur Annales; tum sequitur in Codice, manu perinde antiquâ.

Anno DCCLVI. anno v. regnante Pipino Rege, obiit Vvicterbus Episcopus & Abba Sancti Martini. Fuit autem Baugoarius, genere Heiloluingus: senex & plusquàm octogenarius, vsque ad id tempus sedebat, propriâ manu scribens libros.

Obiit Alchuinus xiv. Kalendas Iunij, feriâ i. Pentecostes, inlucescente die, Lunâ vi. anno Incarnationis Domini DCCCIV. Indict. xii. anno xxxvi. regnante domno Carolo: accidente paralysis viij. Idus Maij, feriâ v. ad vesperum, post Solis occasum, Lunâ xxv.

FINIS.

Digitized by Google

BREVE VIRZIONENSE CHRONICON
Ab anno 843. ad annum Christi 1221.

Descriptum ab antiquo Regesto asseruato in Abbatia S. Petri Virzionensis per Dom. Claudium Le Begue superiore seculo in eadem urbe Juri dicundo Præfectum. Quod mihi ante quindecim annos tradidit carissimus auunculus meus Dom. Philippus Le Begue Regius in Senatu Biturigum Præses eloquentia atque eruditione non vulgari tota Gallia celeberrimus.

ANno 843. Principium Abbatiæ de Douero.
Anno 903. Eadem Abbatia translata Virsionem cum Abbate Raymundo.
Anno 1026. Castrum Masciacum ædificatum.
Anno 1067. Castrum Virsionis incensum.
Anno 1128. Monasterium S. Martini Masciacensis arsit vna cum Burgo.
Anno 1135. Castrum Issoldunense cum Abbatia incensum.
Arnulfus Virsionis Dominus obiit anno 1142.
Successit Gosfredus filius qui obiit anno 1144.
Herueus Virsionis Dominus adiit Hierosolyma anno 1164.
Vvillelmus Virsionis Dominus fuit miles, anno 1192.
Anno 1193. septimo Kalendas Maij fundata est Ecclesia sancti Petri Virsionensis.
Anno 1197. Castrum Virsionis destructum à Rege Angliæ, & obiit Vvillelmus Virsionis Dominus: cui successerunt fratres.
Anno 1202. Ostensæ sunt reliquiæ Sanctorum Perpetuæ & Felicitatis populo Virsionensi, præsente Abbate Guillelmo.
Anno 1204. Franci Constantinopolin ceperunt.
Anno 1205. Naues cum velis Virsionem venerunt.
Anno 1213. Vvillelmus Dominus Virsionis profectus contra Albigenses.
Qui obiit anno 1216.
Successit Herueus qui Hierosolyma adiit cum Simone de Montfort, anno 1221. relicto Vvillelmo filio Virsionensi.
Quædam adduntur in Gallica eiusdem Chronici versione, *quæ suo aliàs loco describentur.*

FRAGMENTVM DE PETRAGORICENSIBVS EPISCOPIS:
Siue Epitome Gestorum quorundam Ecclesiæ Petragoricensis Præsulum.

Ex duobus Apographis calamo exaratis.

ANno Incarnationis Dominicæ noningentesimo septuagesimo sexto, Froterius Episcopus ab Hugone Capetio Francorum Rege Petragoras missus est, & rexit Ecclesiam annos xiv. menses vj. dies iij. Obiit autem anno Domini DCCCCXCI. vj. Idus Decembris & sepultus est in Basilica S. Frontonis. Hic Episcopus magnum Monasterium S. Frontonis ædificare cœpit atque castrum Agoniacum, Craoniacum, Albam Rocham, rupem S. Christophori, rupem de Basiliaco, vt essent munimen & refugium contra Normannos tunc temporis paganis erroribus aberrantes: tempore huius corpus S. Frontasii Martyris per visionem reuelatum est cuidam viro religioso eiusdem Ecclesiæ Canonico: locus tamen in quo iacebat propter guerrarum frequentes discursus penitus ignorabatur. Ad vltimum iste Episcopus à Præposito suo iugulatus est in loco qui dicitur Morcinq, qui est in Parrochia de Courfiaco.
Post hunc in Episcopatum successit Martinus dono Dei Episcopus, & rexit Ec-

cleſiam annos nouem. Obiit autem anno Domini milleſimo. Obitus verò eius non eſt in Calendario denotatus, eſtque ſepultus in ſupradicta S. Frontonis Eccleſia. Martinus iſte Boſonis vetuli Comitis Petragoricenſis & Marchiæ filius extitit, natus ex ſorore Bernardi Comitis Petragoricenſis Eyna nomine, & ipſa ædificauit Capellam ſancti Andreæ.

Poſt verò hunc in eundem Epiſcopatum ſucceſſit Radulphus de Cohalia Epiſcopus, qui rexit Eccleſiam annos xij. menſes vj. Obiit autem anno Domini milleſimo xiij. Nonis Ianuarij, & ſepultus eſt primum in Monaſterio vetulo, vbi altare conſecratum eſt in honorem S. Thomæ Martyris.

Iſte Epiſcopus ædificauit Eccleſiam S. Aſterij & conſtituit in ea Canonicos Regulares, in qua quondam Monachæ habitauerant, ſed à Normanis extiterat deſolata. Ædificationi huius Eccleſiæ Epiſcopus Tholoſanus interfuit, quo tempore Canonici S. Saturnini & S. Frontonis inter ſe confœderati ſunt.

Poſt hunc in eadem ſede ſucceſſit Arnaldus Vittabrenſis Epiſcopus, & rexit Eccleſiam annos xxii. Obiit autem anno Domini milleſimo trigeſi. ſexto, ij. Idus Iulij, ſepultuſque in dicta Baſilica: cuius tempore iterum Normanni portum Aquitanicum applicuerunt apud S. Michaëlem de Eremo volentes Aquitaniam deſertare: contra quos Glorioſus Guilhermus Comes Pictauenſis bellum commiſit & maxima eorum pars mortua eſt.

Huic bello Arnaldus Vittabrenſis Epiſcopus interfuit, ſed cum non haberet pecuniam, vnde ſuos remuneraret milites, pro eorum labore accepit quandam pecuniæ ſummam ab Antoyno, ſiue vt alio Codice legitur, Antonio, Lemouicenſi Epiſcopo ſuper Archipresbyteratu Exindolienſi quod vſque hodie propter Petragoricenſis Eccleſiæ negligentiam obliuioni traditum eſt & omiſſum.

Poſt autem milleſimum trigeſimum ſupra ſeptimum in eundem Epiſcopatum Giraldus de Gordonio Epiſcopus ſucceſſit, qui quidem Eccleſiam annos xxij. menſes iiij. dies xxi. rexit, & moderatus eſt. Obiit autem anno Domini milleſimo quinquageſimo nono, xij. Calendas Aprilis, & in dicta Baſilica ſepultus. Iſte verò Epiſcopus à menſa Epiſcopali alienauit Caſtrum Agoniacum & Albam Rocham pro quadam guerra, quam aduerſus Audebertum Cadenerarium Comitem habuit: depoſuerat enim monetam Helianenſem, quam Helias Comes pater eiuſdem Audeberti iuſſerat fabricari.

Poſt hunc ſucceſſit Guilhermus de Monte Berulpho, qui rexit Eccleſiam annos xx. menſes xi. dies iii. Obiit autem anno Domini milleſimo lxxxi. viij. Idus Febr. & ſepultus eſt apud Montem-Berulphum in Eccleſia S. Mauricij. Iſte Præſul homo ſanctiſſimus fuit, & quicquid maledicebat, à Domino erat maledictum. Inter quæ quædam Molendina, quæ fuerant in Nizona flumine, in territorio Villaboenſi, quadam die maledixit, & deſolata ſunt.

Cuius tempore Guinamandus Monachus Caſæ-Dei ſepulchrum S. Frontonis mirabiliter ſculpſit anno Domini MLXXVij. Stephanus Iterius Canonicus S. Frontonis & cellarius omnia neceſſaria huic operi miniſtrauit.

Poſt hunc in eundem Epiſcopatum ſucceſſit Reynaldus de Tiborio & rexit Eccleſiam annos xvij. menſes iv. & dies vnum & xx. Obiit autem anno Domini milleſimo nonageſimo nono, octauo Idus Septemb. apud S. Georgium de Rama. Hic Epiſcopus obſidioni Antiochiæ interfuit, ſed dum die quadam diuina celebraret, à Sarracenis ſuper altare decollatus eſt. Hic Eccleſiam S. Ioannis de Cola ædificauit, & in eadem conſtituit Canonicos regulares.

Hunc verò ſupradictum ſecutus eſt in eadem ſede Guilhermus de Alba Rocha, & Eccleſiam rexit annos xxiiij. Obiitque anno Domini milleſimo centeſimo xxij. iv. Nonas Aprilis & ſepultus in hac Eccleſia. Cuius tempore Burgus S. Frontonis & Monaſterium cum ſuis ornamentis repentino incendio peccatis promerentibus conflagrauit, atque ſigna in clocario igne ſoluta ſunt. Erat tunc temporis Monaſterium ligneis tabulis coopertum: hic Epiſcopus Cœmiterium pauperum, quod eſt vltra Pontem vſque ad Ripam fluuii benedixit.

In eundem Epiſcopatum poſt hunc ſucceſſit Guilhermus de Nanclars, & rexit Eccleſiam annos 14. Obiit autem anno Domini milleſimo centeſimo xxxviij. 4. Calend. Ianuarij, & in dicta Eccleſia ſepultus Hic Epiſcopus primus inſtituit fieri ſcrutinium in ſacris Ordinibus. Item inſtituit, vt omnes agricolæ darent conuiuium pro-

pace obſeruanda; cuius tempore domus Bladagij Sancti Frontonis, quæ erat in clauſtro ab Helia Rudello Comite, & à Burgenſibus confracta eſt. quem mater ſua Comitiſſa, Gaſconia nomine, (aliâs Brunichilda de Foix) coram eodem Epiſcoco in conuentum publicè abaſtauit (ſiue vt alia lectio habet, abaſtardauit) dicens quod non erat filius Heliæ Comitis.

Poſt hunc ſucceſſit in Epiſcopatum Gaufridus de Cauze, & rexit Eccleſiam annos duos, menſes 8. dies 11. Obiit autem anno Domini milleſimo centeſimo xlij. quinto kalend. Septembris, & ſepultus in Baſilica. Tempore huius Epiſcopi fratres Militiæ Templi in terram iſtam primitus aduenerunt, & data eſt eis Eccleſia S. Mauricii de Androuallo, in qua quondam Monachæ habitauerant, ſed propter earundem irreligioſitatem & incontinentiam eam reliquerant deſolatam.

Poſt autem hunc ſucceſſit in Epiſcopatum Raymondus de Marollio, & rexit Eccleſiam annos 17. & poſtea extitit Burdigalenſis Archiepiſcopus annis duobus paulò plus. Obiit autem anno Domini milleſimo centeſimo lviij. 10. Calend. Ianuarij, & ſepultus eſt Burdegalæ in Eccleſia Sancti Andreæ. Tempore huius Epiſcopi Henricus Anglorum Rex, Normanorum & Aquitanorum Dux, in Aquitaniam intrauit; habebat enim in vxorem Dominam Helionoram filiam Guilhermi Pictauorum Comitis, quam quidem Ludouicus Francorum Rex ob eiuſdem nimiam luxuriam prius reliquerat. Henricus præfatus habuit de Theſauro Eccleſiæ S. Frontonis Tabulam quandam argenteam, in qua erant duodecim Apoſtoli figurati. Item tempore huius Epiſcopi Boſo Comes Petragoricenſis ſupra locum Arenarum Petragoræ magnam Turrem & excelſam conſtruxit.

Poſt hunc ſucceſſit in eundem Epiſcopatum Ioannes Daſida Magiſter Scholarum Pictauenſis Eccleſiæ, & rexit Eccleſiam annos octo, minus octo diebus. Obiit autem anno Domini MCLXIX. quinto Nonas Maij, & ſepultus in ciuitate Petragorica per violentiam. Vnde inter Clericos Sancti Frontonis & Sancti Stephani vno anno extitit magna controuerſia, & plures expenſæ in placitis exequendis exinde factæ ſunt. Hic Epiſcopus caſtrum Gauandunum Agennenſis Diœceſis obſedit, cepit, totumque ſubuertit. In eodem caſtro raptores inhabitabant viris religioſis plurima mala vndique inferentes.

Demum poſt hunc in eandem ſedem Epiſcopalem ſucceſſit Petrus Minetus, & rexit Eccleſiam annos 12. menſes 5. & dies 22. obiitque anno Domini milleſimo centeſimo 82. 3. Idus Aprilis, & ſepultus in Eccleſia S. Stephani. Hic Epiſcopus corpora prædictorum Epiſcoporum à Capitulo Sancti Frontonis leuauit, & ea repoſuit cum magno honore & reuerentia infra Eccleſiam, vbi altare in honorem Beatæ Catharinæ conſecrauit. Item tempore huius Epiſcopi Henricus Rex Anglorum & Dux Normannorum cum filiis ſuis Henrico Rege Iuniore, Richardo Duce Aquitanorum, & Gaufredo Comite Britannorum, cum quodam Arragonum Rege, atque Ergamanda Domina de Narbona, Podium S. Frontonis obſedit.

Hæc Epitome à me deſcripta fuit (inquit neſcio quis Anonymus in neutro ex Apographis quibus vſus ſum de nomine deſignatus) anno milleſimo quingenteſimo & ſeptuageſimo, ex libro quedam, qui à Capellanis Sancti Antonij adſeruabatur, cuius copiam mihi præbuit Sequinus Capellanus illius Sacelli. Prædictorum imagines depictæ erant prope altare Diuæ Catharinæ, & præter eos quatuor antiquiorum, quorum primus erat Bertrandus, II. Raymondus tertij & quarti nomina legi non poterant, quintus erat Frotarius depictus in prima Columella ſtructili, quæ proxima eſt altari S. Catharina ad latus templi. Poſt quem reliquorum Epiſcoporum, de quibus ſupra dictum eſt, Imagines viſebantur ſuperſcriptis nominibus, quæ vix legi poterant, & omnes præter Imaginem Frotarij & aliorum paucorum imbribus madefactæ deciderunt meunte Ianuario, anno 1587. quadriennio ante, cum is locus Baſilicæ S. Frontonis, vbi ante annum milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum quintum fuerat chorus, adæquaretur, loculi lapidei in quibus condita fuerant aliquot dictorum Epiſcoporum corpora, reperti fuere humo & ruderibus obruti, vacui tamen: oſſa enim inde detracta, & in ædicula Diuæ Catharinæ in quibuſdam arculis lapideis ſecus parietem Baſilicæ repoſita fuerant à Petro Mineto Epiſcopo depictis Imaginibus & nominibus annum circiter milleſimum centeſimum & octuageſimum.

In vno ex his Apographis hæc reperi addita.

Anno Domini MXLVII: Feria 4. Magnum Monaſterium Sancti Frontonis dedica-

tum est ab Aymone Bituricensi Archiepiscopo, vt habetur in libro magno Sancti Sillani, & Calendario.

Anno Domini MCCXX. Ranulphus de Turribus Episcopus Petragoricensis primum lapidem posuit in Ecclesia Conuentus sancti Francisci Petragoricensis, & anno Domini MCCXX. obiit dictus Ranulphus.

Anno Domini MCCLXIX. pridie Kalend. Octobris Consecratum fuit magnum altare dicti conuentus per reuerendum patrem Heliam Pileti Episcopum Petragoricensem in honorem D. Frontonis, D. Laurentij, D. Francisci, Beatæ Agnetis Virginis.

SERIES GENEALOGICA DOMINORVM DOLENSIVM & CASTRI-RADVLFI.

Ex veteri MS. Codice.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis incipiunt nomina Principum Dolensium à fundatione Dolensis Monasterij.

I. Dominus Dolensis & fundator huius loci EBBO nobilis.

II. Dominus Dolensis RADVLPHVS Largus filius Ebbonis, qui ædificauit Castrum-Radulphi, & dedit nobis castrum Dolense, & quidquid iuris habebat.

III. Dominus Dolensis RADVLPHVS Caluus filius Radulphi Largi.

IV. Dominus Dolensis ODO senior filius Radulphi Calui.

V. Dominus Dolensis RADVLPHVS Prudens filius Odonis senioris.

VI. Dominus Dolensis RADVLPHVS Infans filius Radulphi Prudentis: Obiit sine Liberis

VII. Dominus Dolensis RADVLPHVS Theobaldus filius Radulphi Prudentis.

VIII. Dominus Dolensis RADVLPHVS Senex filius Radulphi Theobaldi.

IX. Dominus Dolensis EBBO secundus filius Radulphi Senioris.

X. Dominus RADVLPHVS de Dolis filius Ebbonis secundi.

XI. Domina Dolensis DIONYSIA filia Radulphi de Dolis.

XII. Dominus Castri-Radulphi ANDREAS de Calueniaco optimus miles, sponsus Dionysiæ.

XIII. Dominus Castri-Radulphi GVILLERMVS de Calueniaco primus filius Domini Andreæ & Dionysiæ.

XIV. Dominus Castri-Radulphi GVILLERMVS de Calueniaco filius Guillermi primi.

XV. Dominus Castri-Radulphi GVILLERMVS de Calueniaco filius Guill. II.

HÆC EST PROGENIES DOLENSIVM PRINCIPVM.

LAVNVS fuit pater Ebbonis fundatoris Dolensis Monasterij & Launi Archiepiscopi Bituricensis.

Filius Ebbonis nobilis fuit Radulphus Largus.

Filius Radulphi Largi fuit Radulphus Caluus.

Filij Radulphi Calui fuerunt Odo Senior & Ebbo.

Filij Odonis Senioris fuetunt Radulphus Prudens & Ebbo & Helias.

Filij Radulphi Prudentis fuerunt Radulphus infans, Radulphus Theobaldus, Odo Exoldunensis & Aremburgis.

Filij Odonis Exoldunensis fuerunt Radulphus & Gaufridus Exoldunensis.

Filius Radulphi Theobaldi fuit Radulphus Senex.

Filij Radulphi Senioris fuerunt Ebbo secundus, Gaufredus de Prulée, Karolus, Guillermus Abbas Dauratensis, Radulphus & Gaufredus dominus de Mellano.

Filius Ebbonis secundi fuit Radulphus de Dolis.

Filia Radulphi de Dolis fuit Dionysia vxor Andreæ Domini de Calueniaco.

Filij autem Dionysiæ fuerunt Guillermus de Calueniaco & Andreas Dominus de Leprosо.

Filius Guillermi primi de Calueniaco fuit Guillermus de Calueniaco secundus.

Filij

Digitized by Google

Filij & Filiæ Guillermi de Calueniaco secundi fuerunt Guillermus de Calueniaco tertius & Andreas & Vicecomitissa de Ventadour, & Domina de Bamez, & plures aliæ.

NOMINA ABBATVM DOLENSIVM.

Ex eodem MS. Codice.

Primus Abbas Berno.
II. Sanctus Odo.
III. Franbertus.
IV. Raynardus.
V. Rannulphus.
VI. Dacbertus.
VII. Roccho.
VIII. Hugo.
IX. Emenus.
X. Herbertus.
XI. Bernardus.
XII. Ingelbodus.
XIII. Raymundus.
XIV. Petrus.
XV. Garmundus Archiepiscopus Viennensis.
XVI. Aldebertus Archiepiscopus Bituricensis.
XVII. Geraldus.
XVIII. Hugo.
XIX. Ioannes.
XX. Ioannes Pictauis.
XXI. Girbertus.
XXII. Girardus Morail.
XXIII. Ioannes de Rochâ
XXIV. Geraudus de Spinolio.
XXV. Radulphus de Podio.
XXVI. Ioannes de Rochâ.
XXVII. Ioannes de Monte.
XXVIII. Eurardus de Nozerolles.
XXIX. Ioannes de Yvernali.
XXX. Guillelmus de Ceries.
XXXI. Gaufridus de Ceries.

Recentiore manu additi

XXXII. Hugo de Crossi.
XXXIII. Robertus.

Addendi ex Appendice ad Chronicon.

Simon de Ceris.
Eurardus de Leron.
Ludouicus de Combornio.
Ioannes Loubet.
Renatus de Prie Cardinalis Episcopus Bajocensis.
Adrianus Goufier Card. de Boisy.
Iacobus Loubè.
Georgius de Ambasiâ Card. Archiepis. Rotomagensis.
Robertus de Lenoncourt Cardinalis.
Iacobus le Roy Archiepis. Bituricensis.

DE ARCHIDIACONO CLAROMONTENSI, qui factus est Monachus Sancti Martini

VIr Venerabilis simul & Præpositus & Archidiaconus Claromontensis Ecclesiæ ad Festum Beati Martini, quotannis venire consueuerat, pariterque maioris Monasterii Cœnobium visitare. Cui cum inibi multam Religionem feruere conspiceret, pio conuersationis desiderio est accensus. Aliquando igitur de more ad S. Martini festum venturus thesauros suos & vestes holosericas, multamque diuitiarum supellectilem secum afferri fecit. Cum igitur tota nocte & die solemnitatis factis officiis deuotus interfuisset cum comitatu suo secedit ad hospitium, ac inter fabulandum post epulas ait suis. Vobis crastino die labore quiescentibus ipse solus paulisper egrediar ad prandium reuersurus. Nihil ergo de me fueritis solliciti, sed parate vobis. Mane igitur facto induens se vir Nobilis cuiusdam serui sui habitu viliori ad maius Monasterium venit, repertóque Abbate Guillelmo, procidit ad pedes eius, & pro amore Christi & Beati Martini Monachatum sibi concedi exorat.

Cuius humilem supplicémque petitionem pio Abbas attendens intuitu, benignè concedit; quod ille humiliter precatur. Inde ad suos regreditur, mirantibus nimirum cunctis quomodo vel quali habitu processisset, resumptis vestibus dissimulato voto tota dies illa in lætitia agitur, denique iubet in crastino suum iter parari quasi ad patriam rediturus ..... autem Comitatus secreto mandat, vt cum ventum ad biuium fuerit, ad maius Monasterium diuertant gressum, itaque oratione priùs celebrata se poscit ad Abbatem deduci. Cui Abbas assurgens, iam enim famâ præconante quis esset audierat, in osculo pacis gaudens excipit, illum rogat etiam pro consuetudine & hospitalitatis gratiâ vt laborem itineris sui ibidem quiescendo releuet, ne dedignetur beneficium domus suscipere, cui sacer Martinus & expensas prouidet, & expendendi voluntatem largitur: tunc ille, Domine inquit non dedignor, aut respuo beneficium Beati Martini & vestrum, me enim in Monachum suscepisti, & ad hoc hodie veni, mirari Abbas se illum eatenus non vidisse, non, ait, meminit vos heri quemdam pauperem Clericum in tali & tali habitu recepisse in Monachum, hoc inquit, Abbas recordor. Ego, ait ille, sum, iam nunc si placet me & mea suscipite: de his qui mecum sunt si quis eodem vitæ desiderio tactus est, precor, vt pro Deo mecum suscipiatur: gaudet Abbas, Clerici contristantur. Duo tamen ex eis, cæteris cum luctu abeuntibus remanserunt. Factus igitur Monachus quo sublimior in sæculo fuerat, eo se exhibuit humiliorem, post non multum temporis sacrista efficitur, at ille magis magisque in Deum proficiens secum cœpit tractare qualiter omnibus fratribusque ita deseruiret, vt omnes lateret: denique nocturnis horis cum se cæteri quieti concederent, ipse clam cunctis aquam hauriebat & lauatorium implebat: hoc cum multo tempore iam fecisset, omnium sanctorum aduenit sollemnitas. Cæteris itaque post matutinos ad lectos redeuntibus, ipse operi assueto succedit, quo expleto de more redit in oratorium, incumbit orationi, cum ecce ex ea parte Ecclesiæ quâ Beati Martini lectus habetur, audit immensæ multitudinis dulcissimas voces: Erigens autem caput, vidit tres Personas Pontificalibus infulis decoratas, quarum qui medius erat & honore & vultu videbatur cæteris præeminente: deinde Abbates multos, ac Monachorum infinitas caeruas, omnes lætos ac dulci melodiâ iubilantes, incipit interim ille Archiepiscopus ℟. Concede nobis, dictóque repetito, ℟. completo, ordine secundo agitur pro defunctis, tertio pro illius loci congregatione incipit ille Archiepiscopus Antiphonam. Ciuitatem istam tu circunda Domine, & subiungit ℣. Fiat pax in virtute tuâ, & Collectam..... Deus qui renuntiantibus sæculo mansionem paras in cœlo, dilata huius Sanctæ Congregationis temporale habitaculum cœlestibus bonis, vt fraternæ tenęantur compagine charitatis, vnanimes continentiæ præcepta custodiant, sobrii, simplices & quieti gratis datam sibi gratiam fuisse agnoscant, concordet illorum vita cum nomine, professio sentiatur in opere per D. I. quibus expletis Beata illa & Gloriosa Processio, qua venerat, redire cœpit. Ille autem curiosius intuens nonnullos quos nouerat obiisse recognoscens, alloquitur eos, inquirens qui ei essent. At illi Martinum esse qui medius incedebat Episcoporum, qui vt meritis, ita vultus eminentiâ præcellebat, Fulgentium atque Corentinum qui ei obambulabant Abbates ipsius loci & deinde Monachos, qui Martini meritis sui laboris fructibus iam partis fruebantur, eoque incedere eos ordine quo ad Christum migrauerant profitentur. Abbatem etiam ordine, qui tunc loco præerat eodem anno ad suam societatem arcessendum denuntiant: referebant etiam quod Beatus Martinus cum ipsâ processione cum suo illo, vt semper frequentissimo discipulorum sanctissimóque comitatu ipsum Monasterium sæpissime frequentaret. His auditis, vir Venerandus quosdam de sociis excitare festinat Garnerium scilicet eiusdem loci postea Abbatem, & nonnullos ex aliis qui à somno excíti & voces cantantium audierunt & aliquos de nouissimis ipsius processionis videre meruerunt, quam Beatam putamus quamque mundam viri conscientiam cui adhuc viuenti in corpore præstitum est Martini Gloriam & Sanctorum eum comitantium contemplari.

Digitized by Google

CHARTA RESTAVRATIONIS, CONSVETVDINES, ET IVRA MONASTERII REGVLÆ ORD. BENED. AD GARVMNAM.

Ex Tabulario eiusdem Cœnobij, & ex veteri membrana ante quadringentos annos, vt quidem V.C. Ioanni Beslyo videbatur, descriptâ.

ANno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXVII. Indictione v. In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Ego Gumbaldus Episcopus Vasconiæ, & frater meus Vuillermus-Sancij Dux Vasconum tacti diuino amore super peccatorum nostrorum recordatione, pro remedio animarum nostrarum parentúmque seu fidelium nostrorum & eorum qui nobis in opere deifico fautores & consultores extiterunt, Decreuimus quoddam Monasterium nostri iuris in honorem sancti Petri Apostolorum Principis dicatum cum consilio fidelium nostrorum ad pristinum reducere statum. Notum verò erat omnibus ibidem ex antiquo Monasticæ institutionis regulam floruisse & idcirco cùm antiquitus idem locus dictus fuerit Squirs modernis temporibus dicitur Regula. Quibus super tali deliberatione multimoda animi anxietate fluctuantibus per eam quæ in antiquis sapientiam compertum est ante Normannorum irruptionem & sui destructionem idem Monasterium Cœnobio Floriacensium fuisse subditum. Non solum enim vtriusque Monasterii septa lugubri satis deuastatione Paganorum, verumetiam totius Galliæ & Aquitaniæ nonnulla perierunt municipia. Vnde communi consilio propinquorum seu fidelium nostrorum quẽdam Clericum legationis nostræ baiulum ad venerabilem Abbatem Richardum fratréque Floriacenses cum omni supplicatione direximus precantes, vt ipse si fieri posset ad præfatum locum descenderet, vel saltem quos placeret de suis Monachis transmittat, qui amissa reciperent, destructa à fundamentis resarcirent, & aliquod lucrum animarum ibidem acquirerent. Quippe lucriferam famam de eorum speciali Schola & singulari conuersatione audieramus. Donamus ergo & donatum in perpetuum esse voluimus cum hac testamenti auctoritate, Monasterium nostrum vocabulo Squirs, quod fundatum est in partibus Vasconiæ in pago Aliardensi supra ripam Garonnæ fluminis, cum omnibus ad se pertinentibus, hoc est Ecclesiis, villis, mansis, vineis, siluis, pratis, pascuis, molendinis, aquis, aquarúmque decursibus, & iustitiis totum ex integro quæsitum & inexquisitum quidquid ad eundem pertinet, tradimus atque transfundimus de iure nostro in ius & ditionem præfati Monasterij Floriacensis, itaut ab hodierna die in omnibus quidquid Abbas & fratres eiusdem Cœnobii facere voluerint, liberam in omnibus habeant potestatem, siue placuerit Abbatem constituere siue Præpositum qui eisdem debeat de omnibus rationem reddere. Ita firmatum esse volumus, vt non Comes, non Episcopus, non quælibet submissa persona aliquid de terris vel reditibus eiusdem Ecclesiæ audeat subtrahere aut inuadere, sed omnia sint in prædicti Abbatis potestate. Si verò quod non credimus nos ipsi vel aliquis de hæredibus nostris aut successoribus, vel aliquis prædictorum honorum persona contra causari vel calumniari voluerit, imprimis quod repetit, non euindicet, sed insuper à summo Petro, cui Dominus ligandi & soluendi tradidit potestatem, in cuius honore idem locus est dedicatus, se damnatum sciat perpetuò anathemate. Et vt hæc charta firma & inuiolabilis permaneat, non soùlm subterfirmauimus & fideles nostros subterfirmare rogauimus, sed adhibitis Sanctorum pignoribus omnes pariter iurauimus cum obseruatione nominis Domini nos hæc obseruaturos quæ in præsenti continentur testamento. Hi sunt testes & huius præcepti confirmatores, quorum inferius vocabula confirmatione descripta sunt. Signum Gumbaldi Episcopi & totius Prouinciæ Ducis, qui hanc donationem deuoti cordis instinctu Deo redemptori concessit. Signum Willelmi Vasconiæ Ducis fratris eiusdem, qui donum Deo traditum mirè corroborauit. Signum Garciæ nepotis ipsorum. Signum Rotgarii iudicis. Signum Vtzam Amaneu. Signum Vicecomitis Ezii. Si-

gnum Areolidat Vicecomitis. Signum Arnaldi Amaneu. Præterea ego Gombaldus Vasconiæ Episcopus & frater meus Vvillelmus Sancij Monasterio Beati Petri, quod vocatur ad Regulam, quod Beato Benedicto Floriacensi reddidimus, hæc sibi appendicia solemni donatione perpetuo affirmamus Ecclesiam videlicet B. Martini cum clausis & reliquiis ædificiis.

His itaque taliter peractis atque confirmatis ad preces & instantiam nostrã præfatus Abbas Floriacensis, nomine Ricardus, vir quippe piæ recordationis & profundi pectoris cum discretioribus Monachis Ecclesiæ suæ, prout decebat, ad sæpefatum locum qui Squirs ab antiquis vocabatur, nunc autem Regula; de consilio nostro & voluntate præfatorum etiam Vicecomitum & aliorum Baronum terræ, villam in pago, qui dicitur Alliardegs, ædificauit; IVRA sibi & Ecclesiæ suæ & consuetudines perpetuo obseruandas constituit. Easdem verò institutiones ratas habentes, perpetuò nos & successores nostros obseruaturos in animas nostras & successorum nostrorum cum obtestatione nominis IESV-CHRISTI pariter iurauimus & transgressores consuetudinum perpetuo anathemate, prout dictum est, subiecimus.

Consuetudines verò & iura Ecclesiæ de Regula sunt hæc.

Imprimis sciendum est quòd venerabilis Dux frater noster, cùm super his assensum præbuisset, retinuit sibi & successoribus suis in eadem villa procurationem semel in anno si sine exercitu per terram transitum cum facere oporteret. Ad hæc sciendum est quòd Dux cum priuata familia sua penes Ecclesiam procurabitur, cæteri verò milites & seruientes per villam procurationem recipient sufficientem. Quòd si Duci placuerit equus cuius pretium sit ducentorum solidorum Burdegalensium nomine procurationis, ei dabitur. Excepta verò hac procuratione nihil nobis retinuimus in hac villa vel Ecclesia, sed omnia dispositioni Abbatis reliquimus.

Statutum est quòd nullus Præpositorum vel Priorum intra villam vel extra audeat dare domos, terras, vineas vel possessiones aliquas sine censu. Si verò hoc aliquis facere præsumpserit, non est tenendum, quia hoc sub anathemate dantis & accipientis fuit inhibitum.

Statutum est etiam quòd si quis possessiones quas tenet in feudo de Ecclesia, vendere voluerit, cum assensu Prioris vel Præpositi, faciat: & Prior ipse, si voluerit emat: alioquin cui voluerit, vendat, saluo iure Ecclesiæ, scilicet de vnoquoque solido nummum vnum.

Statutum est iterum, quòd de vnaquaque domo intra villam & extra habeat Ecclesia duos homines vel fœminas cum sarculis vnoquoque anno ad segetes purgandas: & dabitur vnicuique in Quadragesimâ vna libra seruientalis, & alio tempore in mane vna torta de furno & vinum, & in nocte vna libra: & in festiuitate Apostolorum Petri & Pauli vnum fasciculum herbæ de vnaquaque domo Priori deferre tenentur, & ad vincula S. Petri vnum panem talem qui sufficiat homini in mensa: & de vnaquaque domo vnum hominem ad vindemias colligendas.

Statutum est etiam quòd omnes homines qui morantur in villâ vel in dominio Prioris intus & foris iustitiam debent Priori & Clauigero.

Statutum est quòd quicumque segetes ad molendina detulerint, vel vinum ad vendendum in conductu Prioris sint, vt nullus burgensium audeat eos inquietare, ex quo de domibus exientes vsque ad propria redeant: quòd si hoc facere præsumpserit, gadium soluent: similiter & in manu Prioris sicut eodem pacto molendina.

Statutum est similiter quòd omnes burgenses si vinum emerint, & postea vendiderint, obolum domino de vnaquaque saumata dabunt Præterea Prior habet bannum salis vno mense in villa, & nullus burgensium audebit vendere & emere, nisi cum assensu Prioris: qui verò hæc infregerit, cum damno LXVI. solidorum emendabit.

Statutum est quòd omnes sutores vnoquoque anno in festo S. Martini reddant optimos solutares, similiter omnes pellipary debent Priori bonam pelliciam vnoquoque anno in ramis Palmarum, & in festiuitate Apostolorum Petri & Pauli, & in vincula B. Petri: nec miles nec Burgensis vel aliquis hominum erit liber in his tribus diebus quin persoluant de his quæ vendiderint, vel emerint tributa Priori & Monachis.

Omni tempore statutum est forum in villa Regulæ, in die Sabbati Dominus de Girunda tenet in hoc foro in feodum de Priore iustitiam mercati. Nec debet alia die

Digitized by Google

Sabbati aliquid vltra riuos emere. Quod si factum fuerit, ad dominum Girundæ pertinet iustitia: & ipse die Sabbati manuleuabit ille dominus Girundæ vsq; ad octo dies. Quòd si tunc non soluerit, iustitia pertinet ad Priorem vel Clauigerum. Item Prior vel Clauiger poterunt manuleuare. Præfatus verò dominus Girundæ securum conductum dabit venientibus ad forum, in eundo vel redeundo. Carnifices etiam sunt securi ab ea hora qua porcum, vaccam, vel cætera ad officium suum pertinentia acceperint, ita quod non pignorentur, sine consilio Prioris vel Clauigeri.

Eandem securitatem habent hij qui veniunt ad molendina: qui autem hoc vel illud infregerint, sex solidos soluent. Noster verò molendinarius de vnoquoque molendino vnam coucam vnoquoque die, si voluerit, accipiet ad molendum. Nullus molendinarius quærat bladum per villam: si factum fuerit, sex sol. soluet. Vnoquoque die Veneris soluent molendinarii Clauigero quartam frumenti quod lucrati fuerint sub sacramento. Statutum est quod Clauiger accipiat de vnoquoque porco obolum & de porco vltra 20. den. lumbos habebit Clauiger: de vacca habebit duos denarios: de bacone tantundem: & non alibi vendentur carnes nisi in consuetis locis, vel pisces. Diebus etiam Dominicis 3. feria & 5. manuleuabit carnes Clauiger, tiliam porci vel apri pro 4. den. Frustum vaccæ pro tribus denariis: quarterium arietis pro vno. Quicumque vendiderit carnes, eandem seruabit consuetudinem.

Item si extraneus portauerit sturionem, denariũ habebit Clauiger: & si ibidem fractus fuerit sturio, nerbilium & budellum habebit Clauiger, nec minus habebit denarium.

Item si duo vel tres socij fuerint in porco vel vacca, vel ariete de vnoquoque manuleuabit, prout dictum est superius, etiamsi vnus vendiderit pro omnibus. Similiter si extraneus saumonem portauerit, obolum dabit. Si extraneus portauerit duodenam Lampredarum denarium dabit: si sex, obolum. Si duodecim colagos portauerit per aquam, vnum dabit: si sex obolum; si cum asino portauerit tres denarios: si cum equo vel equa, mulo vel mula 4. den. dabit, si cum collo duodena colagorum vel lampredarum, denarium dabit. De sturione & salmone primò captis in Beta, medietatem piscatores dabunt: & tunc accipient illi duo piscatores duos panes seruientales & duas mẽsuras vini: & deinceps de omnibus piscibus ibidem captis decimam sub sacramento.

Si balæna feratur per mare frustum habebit Clauiger: si per terras feratur vel alij quilibet pisces, fiat sicut superius scriptum est de colagis vel lampredis.

Item de his quę venduntur in foro; de porco qui venditur vltra 20. denarios accipiet Clauiger vnum denarium: & si minus, obolum: de capra similiter; de vacca similiter: de boue denarium. De oue sicut de porco: de asino sicut de boue, de equo & mulo quatuor denarios, de cifis & salerijs, de carra bestiæ quatuor cifos & totidem salerios; de collo onusto duos. Die Sabbati nemo vendat intra vel extra aliquid, quin reddat Clauigero consuetos redditus.

Statutum est etiam quòd si quis porcum extra villam emerit & infra octo dies vendiderit, denarium dabit: de nomeriis & cultris & fosseriis, sarculis, falcibus, toseriis, vasoriis & cæteris ferramentis quæ venduntur in foro, semel in anno ab vnoquoque venditore vnum accipit Clauiger. De retumbis & cifis vitreis, de cæpis & alliis vnoquoque Sabbato & Dominica, exceptis illis de Papeyran vnam cordam & de scaloriis vnã garbam. Habitantes in terra de Papeyran liberi sunt in omnibus quæ nascuntur in eadem terra: si extra terram illam aliquid acquisierint, non sunt liberi.

Item accipit Clauiger de vendentibus sal die Sabbati in foro de vnoquoque vnam palmatam, & in Dominica similiter. Et vt breuiter concludam: quocumque modo vel quacumque die extranei aliquid portauerint, vel cum aliqua re transitum feecerint, ius suum recipiet Clauiger: sic sal, equi, porci, oues, boues, bladum & cætera: & in foro manuleuabit Clauiger quidquid voluerit per octo dies.

Item habebit Clauiger de his omnibus qui vendunt saginum omni quintodecimo die Sabbati vnam obolatam. In festo beati Petri accipit Clauiger vnam corrigiam de vnoquoque mercenario.

Item Passapont recepit nomine nostro de ligassa lini vnum paladuir in foro, & plenam manum lanæ, iuxta quod ibi fuerit: de mercenariis quintodecimo die obolum: de his qui deferunt vasa vitrea, vnam lampadem: de fasciculo ciforum, vnum. Pro his tenetur Passapont & eius successores in dormitorio facere luminare, & in camerâ Prioris, dum ipse præsens fuerit. De nattis vnam habebit Clauiger semel in anno: & sic de cæteris quæ venduntur.

Statutum est quòd ille quem Prior in ius vocauerit, statim coram eo cum fideiussoribus se præsentet, nisi iam manum ad comedendum lauauerit, vel ad lauandum caput iam se parauerit. Si verò post vesperas eum vocauerit in crastinum coram eo cum fideiussoribus appareat. Ille verò qui die assignata vsque ad horam sextam coram Priore non comparuerit, tanquam conuictus iudicabitur. Quod si præsens Prior non fuerit, Clauigero se præsentet.

Item de vnaquaque Saumata lignorum dabitur domui nostræ vnum lignum per omnes portas de his qui sunt extranei.

Statutum est etiam quod Prior tempore vindemiarum per omnes portas villæ diriget nuncios suos ad quorum conspectum decimæ vini & quarta fideliter reddantur, prout in scriptis eorum continebitur. Et debent deferre illi quorum sunt vineæ ad torcular Prioris sine ipsius adiutorio. Item de omnibus Obliariis qui fabbas excolunt, dabitur conuentui coquus vel alter seruiens onustus de fabbis. Tempore verò suo de agresta per vineas arripient seruientes coquinæ: similiter de oleribus à natali vsque ad Quadragesimam, & in Quadragesima de porris similiter.

Statutum est præterea quod omnes Bailiui ad hoc sunt constituti, vt census bailiarum nobis absque difficultate reddi faciant: videlicet frumenti, auenæ & denariorum. Quòd si in festo B. Martini ad præfatos census subditos suos non compulerint, Bailiui debent pignorare: sed ad Priorem pertinet iustitia.

Præterea statutum est quòd Clauiger per totam villam accipiat asinos ad deferendum bladum suum.

Item cùm Comes procurationem suam accipiet Clauiger per totam villam manuleuabit porcos & capiet gallinas per domos.

Sciendum præterea quòd per omnes bailias nostras accipimus ab vnoquoque villano vnam gallinam, duos fasces paleæ, & vnum panem & traceam boum in vigilia Natalis Domini.

Item omnes Bailiui nostri & foris debent procurationem Priori semel in anno præter homines de Pins.

Item omnes villani de Bailliis nostris debent procurationem Priori semel in anno.

Boneta de Bordes & successores sui debent Priori procurationem apud Burdegalam cum his omnibus quos secum habebit: & equos similiter procurabit, & hoc semel in anno.

Milites de Bordes soluunt procurationem plenam Priori & sociis suis, & omnibus quos secum adducet; & superuenientes similiter procurabunt: & debent commodare Priori vnum equum, cùm sturiones ad sanctum Benedictum miserit: Quòd si in via equus decesserit, Prior equi pretium eis restituet.

De iure Prioris est & Ecclesiæ de Regula, vt lites, discordias, causas, & iudicia per iudices quos voluerit, & vndecumque voluerit intus vel extra terminet: si qui verò aduentitius vel naturalis sine hærede legitimo decesserit, res eius, si solutus fuerit, ad Priorem pertinent: si conjugatus, medietas.

Homines de Lauizon Vvillelmus Textor, Petrus Ogau, Vvillermus Garsias & Vitalis Iuliani debent portare Priorem per mare cum sociis suis vbicumque voluerit, & reducere similiter, & debent deferre similiter bladium per mare quacumque parte domus nostra habuerit, & nocte quâ redierint, habebunt de Cellario portatores isti panem & vinum.

Præpositus de Lobanaeg debet procurare Priorem & socios suos semel in anno: & omnes illi qui sunt de Præpositura illa: aliam tantùm debent procurationem Priori & sociis suis semel in anno, Præpositus sanctæ Aurelianæ cum participibus suis, debent procurationem Priori semel in anno, & in mutatione cuiusque Prioris 14. solidos Burdegalenses nomine portulæ, & Aiquilinus de Fonte sex denarios portulæ.

Amaneus de Lobengs & sui debent facere hominium Priori pro mota sua & pro feodo Regulæ & pro iustitia fori, & pro his quæ tenet ab eo intra & extra: & præterea pro his omnibus faciunt solemnem in die Paschæ toti conuentui de Regula.

Item Arnaldus Bernardi de Taurignac facit hominium Priori pro deualata pedagii Mariæ de Gerunda & præterea pro communitate casati cum participibus suis annuatim in Vincula B. Petri 5. solidos Burdegalenses.

Item Helias de Barela debet soluere Conuentui de Regula annuatim 24. panes

& 12. Lamptedas, & vnam Saumatam vini in Ramis Palmarum.

Item Dominus de Culed-Mauiron debet facere hominium Priori pro feodo quem tenet in villa de Regula. Dominus de Landerno & Sanctæ Basilicæ debet facere hominium Priori pro his quæ tenet in foro Regulæ, & in Salargiis, & pro feodis domorum quæ sunt in eadem villa & pro his omnibus quæ tenet à riuo qui dicitur Merdanus vsque ad Regulam.

Item Donatus Garsiæ vel Berned & eius successores debent assistere Priori in iudiciis pro feodo quem tenet infra Regulam.

Item homines de Taurignac & homines de sancto Michaële, & de Guarzac, si fortè Prior propriam guerram habuerit, debent venire in eius auxilium pro feodis quæ tenent intra villam.

Item si Prior proprium bellum habuerit pro exhæredatione terræ medietatem expensarum facient burgenses, aliam medietatem Prior. Pro tali bello tenentur se præsentare Dominus Gerundæ & Dominus de Taurignac & Dominus del Berned.

Item si aliquis miles feodetarius Prioris contra Priorem, quod ablit, in aliquo deliquerit, per nuncium suum ipsum in ius vocabit: & in manu Prioris de querelis, quod iustum fuerit, exequetur. Quòd si in eius manum iure parere noluerit, feodum Prior occupabit.

Statutum est præterea quòd si Iudæus trasitum fecerit per villam 4. denarios soluat Clauigero. De equo Hispaniæ 4. denarios: de traca (fortè vt postea carga) coriorum boum, ouium, vel caprarum 4. denarios. De vno corio vnum denarium: de carga stagni vel metalli 4. denarios. Quicumque vendiderit equum in foro quatuor denarios: extraneus vbique. Constitutum est præterea & iureiurando firmatum quòd neque Prior, neque Clauiger aliquem vel aliquam supercurrat, dum ille vel illa fideiussorem Priori gratum dare poterit.

Item nemo cultellum, ensem, lanceam, spiculum, securim, besogium, neque gladium in contentione trahat: quod si traxerit, & non percusserit, & traxisse conuictus fuerit, sex solidos Priori sine intermissione dabit. Si verò percusserit & sanguinem effuderit 66. solidos similiter dabit Priori, & damnum percusso ex integro restituet. Aut si hoc totum facere non poterit, vno membro curtabitur. Si percussus mortuus fuerit, ille qui percussit exheredabitur, & hereditas tota & possessio pertinebit ad Priorem.

Item nemo extra villam vel infra, aliquem capere præsumat sine assensu Domini Prioris vel Clauigeri; sed si casu contigerit, quod ante præsentiam Prioris vel Clauigeri cum capto se præsentet, si tamen tempus fuerit opportunum. Quod si id facere neglexerit, 6. solidos dabit Priori. Item si contigerit quod aliquis aliquem ante præsentiam Domini percusserit, absque dubio damnum restituet & Priori satisfaciet.

Item de mensuris cuiuscumque modi sint, vt de conchis, de virgis, de cubitis, de canis quibus panni venduntur, & de libris, & de rasoriis quibus sal & segetes raduntur, similiter fuit constitutum omnia esse æqualia & iusta. Quod si penes aliquem aliquod istorum falsum inuentum fuerit 6. solidos Priori soluet. Quòd si aliquis reclamauerit & probauerit se in huiusmodi mensuris fuisse deceptum, deceptor damnum restituet, & Priori sex solidos soluet.

Similiter de hortis in villa constitutis & circumjacentibus, & de vineis, statutum est & iureiurando firmatum, quòd nemo audeat in hortum vel vineam alterius intrare, nec aliquid rapere, neque olera, neque porrum, neque fructus si fuerint sibi.

Similiter de vineis neque agrestam, neque racemos, neque paxellos, neque aliquid earum. Quòd si aliquis fecerit & de facto comprobatus fuerit, damnum restituet, & Priori sex solidos soluet, & si dare non possit, auriculam perdet.

Item statutum est ne aliquis sine assensu Prioris in expeditione eat, nec prece, nec pretio aliquorum ductus castellum ingrediatur ad defendendum, vel foras ad expugnandum. Quod si fecerit & vulnus intulerit 66. solidos Priori dabit, & percusso damnum restituet. Si occiderit hominem, omnia confiscantur Priori. Si quis autem superbiæ facibus accensus negligenter de villa exierit profugus ea occasione, quod dicit burgenses vel ipsum Priorem sibi iniurias irrogare, & nolit iuxta statuta villæ iudicio iniurias persequi, post primam & secundam admonitionem Prioris per se vel per suos factam, ille talis omnibus diebus vitæ suæ ex tunc exul & profugus non reuersurus abeat, & omnis eius hereditas Priori incurratur.

Demum ſtatutum eſt quòd quicumque intus vel extra aliquem vel aliquam interfecerit, ſine miſericordia incurratur Domino.

De minimis autem querelis, vt eſt de percuſſione ſiue ſanguinis effuſione facta, & de illatis contumeliis, de capillis ruptis, & de aliis huiuſmodi, vt conſuetum eſt & ſtatutum teneatur.

Item ſi quis virginem corruperit vi; ſi mulier fuerit vilior eo, dabit ei maritum conſilio amicorum ſuorũ, vel accipiet eam in vxorem. Quod ſi mulier fuerit nobilior, ad arbitrium Prioris & amicorũ mulieris, mulieri ſatisfaciet & 66. ſolidos Priori ſoluet.

Item ſi aliquis quamlibet aliam ſtupratus fuerit 6. ſolidos dabit Priori, & mulieri ſatisfaciet. Si quis coniugatam rapuerit, & cum ea fugerit, vt de homicidio ſtabilimentum villæ ſeruetur.

Hucvſque vetus membrana ante 400. annos deſcripta.

Priorem partem huiuſce veteris inſtrumenti vſque ad verba *prout datum eſt ſubiecimus*, edidit in lucem ante annos octodecim V. C. PETRVS MARCA in ſupremo Nauarræ Senatu Palenſi Præſes ampliſſimus, nunc verò Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Archiepiſcppus Toloſanus omni commendatione ſuperior in Appendicibus ad caput v. libri III. Benearnenſis Hiſtoriæ, eíque ex eodem Tabulario Regulatenſi ſubnectit ſequens diploma, quod ad illuſtrandas Aquitaniæ Antiquitates plurimum conducit.

GVMBALDVS Epiſcopus & totius circumpoſitæ regionis Dux hortatu fratrum Monaſterii B. Petri, quod diu Squirs, nunc autem Regula vocatur, inhabitantium commemorationem pro communi vtilitate faciens, atque medietatem Eccleſiæ ſalua viciſſitudine ad partem propriam recipiens, quæ in honore B. Mariæ dicata fundata conſiſtit in Villanoua facta recompenſatione fideli noſtro, Arſia nomine, aliam conceſſimus S. Pauli ſub nomine conſecratam, manétque in ea villa, quæ ab incolis vocatur Andrie. Hoc autem tali tenore eſt ſtatutum, vt Fratres Monaſterij B. Petri abſque aliqua conditione medietatem poſſideant ex reditibus Eccleſiæ B. Mariæ atque iam dictus fidelis noſter in æternum, tam ipſe quàm ſui poſſideant, quæ ſub fidelium minorum teſtimonio tradita ſunt, videlicet Sancti Pauli Eccleſiam. Et vt hæc deſcriptio ſit firma, eam ſubter ſignauimus, manibúſque fidelium noſtrorum roborandam fideliter reddidimus. Gumbaldus Epiſcopali officio præditus firmauit atque ſubſcripſit cum conſilio fratrum, ſub magiſterio B. Benedicti degentium. Willelmus Sancio Dux, Fortis Mancio Abbas, Anerſans Vicecomes, Vuillelmus Arſiæ, Sans Aner, Rotgarius Vicecomes, Seguinus Vicecomes, Ditarſi Vicecomes, Vtzan Amaneu, Arnald Amaneu. Hoc autem conſtitutum anno Incarnationis Domini DCCCCLXXVIII. Indictione v.

In eadem Hiſtoria Benearnenſi editum animaduerti ſequens diploma quod ex alio Codice deſcripſeram.

CHARTA ET MEMORIA QVOD COMES Bigorræ dedit ſeipſum Sanctæ Mariæ de Podio. & conceſſit ferre terram Bigorræ vnoquoque annò LX. ſolidos.

Ex veteri Regiſtro membraneo, cuius titulus eſt: Hic eſt Liber in quo Cenſus & debita Bigorræ in memoriam ſcripta ſunt, communicato mihi cum pluribus alijs Gallicæ Antiquitatis monumentis à V. C. Antonio de Vyon Domino d'Heronual, Regiarum rationum Auditori eruditiſſimo.

MVndi ruinis crebreſcentibus, plurimis quoque hominum potius tranſitoriis commercijs, quàm perpetuis inhærentibus, coëgit me valdè humanitas meæ fragilitatis, vt non ſolum pertractarem vltimum ineuitabilis noſtri obitus diem, verùm etiam præſentem, quoad vixero, mei meorúmque vtilitatem. Hac ergo ſententia nec irrationabiliter ſuffultus, non meis meritis, ſed miſericordiâ Chriſti prævenientè Bigorrenſis Comitatus ab ipſo auctore Deo, qui cuncta diſponit regna mundi, Comes prælectus, hoc perutile negotium tractaui, vt me & omnem præmiſſum Comitatum omnipotenti Deo committerem, & almæ Mariæ Virginis tutelæ ac defenſioni

me

Digitized by Google

me, atque omnia mea commendarem. Dominicæ ergo Incarnationis milleſimo ſexageſimo ſecundo anno, Petro Epiſcopo Anicienſi Eccleſiæ præſidente, ego Bernardus Bigorrenſis Comes egregius adueni prædictam Eccleſiam gratiâ orationis imploraturus ſuffragia pro ſalute animæ meæ & corporis. Ergo conuocatis Canonicis, commiſi me eorum orationibus aſſiduis, ac deuoui me, & omnem Comitatum meum Anicienſi Eccleſiæ ſub honore ſanctæ & intemeratæ Virgninis Mariæ conſecratæ, quatenus Regina cæli, & mundi Domina, ſolamen miſerorum, ac peccatorum venia, protegat, defendat, & muniat me ſuum famulum, necnon & omnia mihi ſubdita: eâ ſcilicet lege, ac perpetuo tenore, vt quamdiù mihi vitam conceſſerit optimus Deus, L x. ſolidos pro ſalute ac tuitione mea offeram Anicienſi Eccleſiæ, eóſque vel deferam, vel deferri faciam in Capitulo Fratribus meis Canonicis. Nec ſolùm ego, ſed & omnis poſteritas mea hunc ſeruet tenorem, & quaſi debitum cenſum, præſcriptos lx. ſolidos offerat in perpetuam mei commemorationem. Vt autem hoc donatiuum pietatis ac religionis gratiâ peractum, ſtabile permaneat, atque firmum: Ego Bernardus Bigorrenſis Comes, & vxor mea Clementia Comitiſſa, hanc ſcripturam pro teſtimonio donationis fieri rogauimus, ac propriis manibus ſtabilem atque inuiolabilem eſſe decreuimus. Quòd ſi quis, vel nos, vel poſteritas noſtra fuerit, vel aliquis poſt obitum noſtrum præſidens honori, quem mihi Deus conceſſit, hanc donationem temerare, vel violare molitus fuerit, omni ſubjaceat anathemati, ac perpetuæ maledictioni, donec ex præſumptione cœpta, Deo, & beatæ Mariæ Virgini ſatisfaciat, & Canonicorum congregationi, S. Bernardo Comite, & vxore ſua Clementia, qui hanc ſcripturam fieri iuſſerunt, S. Bernardo de Baſeliaco. S. Guillelmo de Aſter. S. Arnaldo Guillelmo, &c.

DIPLOMA
FVNDATIONIS ECCLESIÆ
SANCTI PETRI MONASTERIENSIS
in vrbe Anicienſi, ſeu Podienſi.

Ex ipſo Originali deſcriptum fuit.

FVIT vir quidam ex nobili Francorum progenie ortus, Guido nomine, qui prouidentiâ Dei diſponente, traditus à parentibus literarum ſtudiis, relictis ſæcularibus pompis, Monachus factus in Cœnobio, quod vocatur Cormaricum, viriliter militans ibi ſub Regula ſanctiſſimi Benedicti; Patre verò illius Monaſterij migrante ex hac luce, Fratrum concordante conſenſu, Abbas ibidem eligitur, atq; iuxta morem canonicum benedicitur. Subleuatus autem ita bonis fulſit moribus, vt etiam fama bonitatis eius peruenirent ad aures Regis Franciæ, cuius Rex idem innixus conſilio diſponebat, quod beneplacitum erat Deo, & vtile populo: quo in tempore Anicienſis Eccleſia viduata ſuo Antiſtite, à Clero & populo ipſius ciuitatis vnanimiter Legati mittuntur ad Regem, vt daret illis vtiliſſimum Paſtorem, præfatum ſcilicet Abbatem, cui erat frater germanus nobiliſſimus Comes Gaufredus, cognomento Martellus. Vnde Rex nimiùm gauiſus conuocans electum virum, multâ prece monuit, tùm vt pergens ad Podium, fieret ibi animarum Paſtor, ſibi & populo fideliſſimus Procurator. Hæc ille audiens, nec citiùs conſentiens, Rege cogente, velit nolit, Fratribus valedicens, ſumptis inde ſociis ad eum miſſis, Anicienſe iter aggreditur. Hoc factum audientes Pontius & Bertrandus nepotes, Aquitaniæ clariſſimi Conſules, cum matre eorum Adelaïde ſorore ipſius, venerunt ei obuiam, ſe & ſua ei dantes, cum quibus Podium ingreſſus, fit magna proceſſio Clericorum, fit grandis exultatio Laicorum, quòd Deus eis talem Patronum dediſſet. Pontificali igitur cathedra ſublimatus, cogitans aſſiduè de tenenda pace, & de rebus Eccleſiæ, quas vi abſtulerant raptores huius terræ, iuſſit vt omnes milites ac ruſtici de Epiſcopatu

Digitized by Google

conuenirent in vnum, auditurus ab eis, quale sibi de regenda pace darent consilium. Ipse verò apud Briuatensem vicum nepotibus suis mandans congregare exercitum omnibus de Pontificatu suo ordinatis in vnum, in prata sancti Germani, quæ sunt prope Podium, quæsiuit ab eis vt pacem firmarent, res pauperum, & Ecclesiarum, nonas, primitias, ablata redderent, vt sicut decet fideles Christianos, ita se haberent. Quod illi dedignantes, iussit exercitum suum à Briuate totâ nocte venire, manè volens eos constringere, vt pacem iurarent, & pro ipsa tenenda obsides darent, rura & castella Beatæ Mariæ, & res Ecclesiarum, quas rapuerant, dimitterent, quod & factum fuit Deo auxiliante.

Postquam verò Deus omnipotens cuncta sibi subjiciens, dedit ei tranquillam & serenam pacem, conuocauit maiores Ecclesiæ, docens eos voluntatem suam esse, vt Clerici ibidem Deo seruientes, haberent communiter victum & vestitum sufficienter: hac de causa, bipartitâ oblatione Altaris B. Mariæ, dedit vnam partem Canonicis, Deo, & eius Genitrici die ac nocte seruientibus: Alteram verò reseruauit suis vsibus. Præterea, cum Truano Decano, optimo viro, magno ingenio fecit incidi rupem, quam vocauit aculeam, in cuius cacumine ædificauit Ecclesiam in honore B. Michaëlis Archangeli, quam similiter, priùs tamen à se dedicatam cum magnis appendiciis, dedit prædictis Canonicis. His ita compositis, diuinâ inspirante clementiâ, dum idem Guido sanctæ Vallauensis Ecclesiæ superno nutu Episcopus, sollicitâ inuestigatione mentis arcanò secum discuteret, qualiter pastorali officio à Deo sibi commisso ad vtilitatem suam, Ecclesiarum, seu Cœnobiorum, atque animæ suæ profectum, & cæteris, quæ præsulari curæ congruere videntur, die noctéq; inuigilare deberet, semetipsum erga id officium Pontificatus in multis Deum offendisse referens in terra, Iudicis Christi examinatione perculsus, Domini benignum cœpit implorare auxilium, ne vniuersæ carnis iter perficeret, priusquàm quidquid deliquerit, pro posse satisfaceret. Vnde Dei gratiâ succurrente, cùm studiosè secum tacitâ cogitatione reuoluens, qualiter peccatorum fasciculos Deo propitio deponere potuisset, sibi memoriæ accidit, quòd vt Ecclesiarum decus augeretur per multas ciuitates sint Monasteria. Ipsa verò Aniciensis, cui præesset, tali religione viduata manebat. Quocirca decus Vallauensis Ecclesiæ augmentare contendens, vt peccaminum molem sibi internus Iudex remitteret, in Anicensi vrbe Cœnobium construere Deo largiente disposuit. Suam igitur dispositionem suæ sorori Adelaïdæ Comitissæ, suisque filiis, videlicet Pontio & Bertrando, eius nepotibus, cunctorum Canonicorum collegio manifestauit, cunctis hoc laudantibus, in prædicta Anicensi vrbe, pro animæ suæ, omniúmq; Episcoporum, qui ante se in eadem vrbe pastoralem curam rexerunt, & suorũ successorum, necnon Stephani sui cognati, Adalaïdæ sororis, eorúmque filiorum Pontij & Bertrandi, & omnium Ecclesiæ Anicensis Canonicorum animarum redemptione, suorúmque peccatorum remissione, quandam Ecclesiam, sub nomine Monasterij, ædificauit, quam in B. Benedicti honore, & in Christi nomine dedicauit. Posteà verò quadam die ipso Domino Guidone Episcopo iam prædicto in Capitulo Anicensi personaliter existente, dictis Canonicis ad hoc specialiter vocatis, ex quorum numero erant venerabiles viri Guido Præpositus Anicensis & Valentinæ Ecclesiæ Episcopus, Truanus Decanus, Petrus sancti Petri Abbas, Viuariensisque Ecclesiæ Præsul, Quitardus etiam Viuariensis Ecclesiæ Archidiaconus, & Abbas Robertus, qui tunc sanctæ Anicensis Ecclesiæ erant Canonici, cum cæterorum Canonicorum collegio in Capitulo residentium, per ferulam sui Pontificatus indagatricem tradidit prædictæ Ecclesiæ, seu Cœnobio de sanctæ Mariæ Anicensis terra, cunctis Canonicis consentientibus, in territorio Viuariensi quandam villam, quæ dicitur Isla, cum omnibus iuribus & appendiciis suis, quæ ad Episcopi partem pertinere videntur, exceptâ duntaxat Capellâ, quæ in ipsa villa est ædificata, atque in honore B. Cypriani Episcopi & Martyris conseruata, viuente Truano Decano: post cuius obitum similiter dedit ipsam Capellam cum toto dominio suo, siue cum vniuersa hæreditate, quæ ad ipsam pertinere videtur, quæ est in ipsa villa de Vinea, & in villa de Thauliaco mansus vnus: rursus de proprio prædio in Viuariensi territorio, in villa, nomine Gimellis, mansos duos, quos acquisiuit de Guidone Desiderij nepote: in alio autem loco, in territorio Vellaico, in villa Cunarius, totum quod modò ipse D. Guido Episc. in dominium tenere videtur, videlicet prata, vineas, campos, siluas, & appendarias duas, & in eodem Vellaico, quæ

Lanciacus dicitur, manſum vnum, quem Roffredus Canonicus in beneficio tenebat: in villa quæ ſancti Germani dicitur, vnam appendaciam ad gallinas nutriendas; & in eodem Vellaico, in pago, quem Fimes vocant, vnam Eccleſiam in honore S. Iuliani dedicatam, ſuo Epiſcopio Anicienſi ſubjectam, à ſuis nepotibus Pontio & Bertrando accepit, eò quòd iam præfatum Guigonem Præpoſitum captum violenter à B. Mariæ Anicienſi Eccleſia Mimate duxerunt. In ipſa autem ciuitate, cui præeſſe videtur, vnum molendinum, quem 90. ſolidis Petrus ſibi vendidit, & vnum furnum, quem ab Hugone Aicardi Abbatis nepote ob Canonicam pro pretio 60. ſolidorum accepit; & in ipſa ciuitate de terra illa, quam vulgus propriè terram ſanctæ Mariæ nominat, quam Epiſcopus ipſius loci in propriis vſibus tenere ſemper ſolitus eſt, totam ſepulturam: & in Aruernico quoque territorio clauſum vnum, quem de Gomberto Preſbytero 100. ſolidis comparauit. Inſuper pro cunctorũ vtilitate laborare contẽdens, & vt ſui ſucceſſores indeficienter à totius bonitatis largitore mercedem pro temporali diſpendio accipiant ex omnibus quæ in Eccleſia cæterarum Vallauenſium matre, quæ cunctis ſibi ſubjicientibus Pontificali Cathedra excellentior eminet, Chriſto Dei & hominum Mediatori pro requie defunctorum, & ſalute viuorum oblatum fuerit, decimam partem iam prædicto Cœnobio tribuit, vt ita Cœnobitæ ſub B. Patris Benedicti Regula in eodem Monaſterio Chriſto famulantes, decimam partem ſub futuris Epiſcopis ex eorum ſemper medietate accipiant: ſuper hæc omnia vnam integram Canonicam ex 40. dedit; & omnes Canonici tam præſentes, quàm præteriti & futuri ſic in ipſa ſocietate perenne Deo concedente bonum valeant adipiſci.

Hæc & omnia, quæ ſuprà deſcripta, ſic leguntur eo tenore, ſicut ipſe Dominus Guido Epiſc. prædicto Cœnobio tradidit, vt Cœnobitæ ibi degentes, Chriſto Domino pro ſalute viuorum, & requie defunctorum ſeruientes, proprietario iure ità habeant, teneant, firmitérq; poſſideant ad ſuorum ipſiúſq; Cœnobij vtilitatem diſpenſent, quatenùs meliorando in ipſa ſemper Eccleſia maneant, & nunquam niſi ad Eccleſiæ, & ipſorum vtilitatem ab ea ipſa recedant. Canonicorum verò congregatio vt partem ſempiternæ remunerationis à Deo accipiant pro eius rogatu promiſerunt ſe talem ſecuritatem pro ſtabilitate prædicti Monaſterij poſt mortem ipſius Guidonis Epiſcopi, à futuris Epiſcopis loci petere, & hoc pro conſuetudine & lege teneri laudauerunt, qualem pro ſua parte Altaris eſt communia. Sic enim futuri Epiſcopi ipſius loci omnia, quæ Canonici ex eadem Anicienſi Eccleſia in ſua parte habent, & habere videntur, iureiurando conſeruare promiſerunt. Ita & huius ſupradicti Monaſterij, vt quæ Deo propitio ibi donatæ fuerunt, nullo modo à ſemetipſis & Epiſcopis minorari iureiurando promittant.

Denique pro certiori ſecuritate & ſtabilitate, vt certiùs credatur, & firmiùs teneatur à ſe & à ſuis ſucceſſoribus hanc chartulam in præſentia Canonicorum, Dominus Guido Epiſc. ſcribere rogauit, quam manu propriâ literarum apicibus roborans, cunctis ſanctæ Eccleſiæ Anicienſis diuerſorum ordinum Canonicis, quorum nomina inferiùs deſcripta habentur, propriis manibus firmare præcepit: nimis enim inhoneſtum & indecens, atque omnibus bonis moribus & operibus contrarium videtur, vt quod ordinatum eſt ad Eccleſiaſticam vtilitatem, alter quærat perperàm fundere, & quod ſuo debet ſtudio creſcere, perniciosè tentet peruertere.

Quapropter, ſi inſtigante diabolo, aliquis inquietare tentauerit huiuſmodi ordinationem, non ad dexteram Dei Patris omnipotentis collocari mereatur, ſed cum Datan & Abiron, quos terra deglutiuit viuos, accipiant partem hæreditatis mortiferæ, & cum Iuda peſſimo mercatore, adueniant ſuper eum vniuerſæ maledictiones, quæ ſcriptæ ſunt tam in nouo quàm veteri Teſtamento. Actum autem eſt hoc in Anicienſi ciuitate, Idus Aprilis Lunâ 17. anno Incarn 993. Indict. 6. Epactâ:: cõcurrente 6. feliciter hanc chartam firmauerunt Truanus Decanus, Guido Præpoſitus Valentinenſis Eccleſiæ Epiſc. Petrus Abbas Viuarienſis Epiſcopus Canonicus, Ademarius Abbas Can. Guitardus Abbas Can. & alij plures. S. Adelaidę S. Pontij. S. Bertrandi. S. Agni Vicecomitis. S. Adegerij, & aliorum.

BVLLA CLEMENTIS PAPÆ III.

DATA IN CONFIRMATIONEM IVRIVM ET PRIVILEGIORVM ABBATIÆ S. GILBERTI DE NOVEM-FONTIBUS Ord. Præmonſtratenſis Diœceſ. Claromontanæ.

Deſcripſimus ex Vet. Regiſtro Borboniæ Familiæ communicato à D. Antonio de Vyon d'Heronual V. C.

CLEMENS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Ioanni Abbati Eccleſiæ B. Gilberti de Nouem-Fontibus, eiúſque Fratribus, tam præſentibus, quàm futuris regularem vitam profeſſis. Religioſorum votis, quæ rationi & honeſtati conueniunt, nos decet libenter annuere, & eadem cum effectu proſequente complere, vt Eccleſiæ Romanæ feruentiori deuotione adhæreant, cùm ſe viderint in ſuis iuſtis poſtulationibus diligentiùs & efficaciùs exauditos. Eapropter, dilecti in Domino filij, rationabili petitioni veſtræ clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam, in qua diuino mancipati eſtis obſequio, ad exemplar felicis recordationis Lucij Papæ prædeceſſoris noſtri, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus. Imprimis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo Canonicus, qui ſecundùm Deum, & B. Auguſtini Regulam, & inſtitutionem Præmonſtratenſium Fratrum, in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur. Prętereà, quaſcumque poſſeſſiones, quęcumque bona eadem Eccleſia impræſentiarum iuſtè & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis, pręſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipſum in quo Eccleſia ipſa ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis; terram de Inſula, nemus & terram de Monte Ceſant, & terram à Robe vſque Andalo, quam Hugo de Caſtellione eidem Eccleſiæ dedit: Feuda etiam totius dominij Scolæ, quæ iuſto modo acquirere poteritis, ſicut prædictus Hugo & filij eius vobis legitimè conceſſerunt; nemus & terram de Born, nemus Bruuenc, decimam de Aubin, grangiam de Boſtat, grangiam & nemus de Agilaret cum pertinẽtiis ſuis; grangiam & nemus de Bornat, cum pertinentiis ſuis; grangiam de Scolula cum pertinẽtiis ſuis; grangiam Edumarij cum pertinentiis ſuis, grangiam de Vercilloliis; grangiam de Rozeria, grangiam de Montecanino, & de Cotors, Eccleſiam ſancti Ioannis de Monteladerio, Capellam ſororum de Scola, molendinum de Vante, & prata; Eccleſiam de Lezach, decimam de terra de Eſchances; molendinum de Buifferia, annuos cenſus quos habetis in Caſtellania Montiſpancerij, terram de Mazeriis, decimam quam habetis in vineis caſtri Scolæ, decimam S. Remigij. Sanè laborum veſtrorum, quæ propriis manibus, aut ſumptibus colitis, ſeu de nutrimentis veſtrorum animalium, nullus à vobis decimas extorquere præſumat. Liceat quoque vobis Clericos & Laïcos à ſæculo fugientes, liberos, & abſolutos ad conuerſionem recipere, & eos ſine contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper vt nulli Fratrum veſtrorũ, poſt factam in eodem loco profeſſionem, ſine Abbatis ſui licentia, fas ſit de eodem loco diſcedere. Diſcedentem verò ſine literarum communium cautione, nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, ianuis clauſis, excluſis excommunicatis & interdictis, ſubmiſsâ voce diuina officia celebrare. Inhibemus etiam, ne Eccleſias, aut terras, ſeu aliquod beneficium Eccleſiæ veſtræ collatum liceat alicui perſonaliter dari, ſiue aliquo modo alienari ſine licentia totius Capituli, vel maioris & ſanioris partis eiuſdem. Si quæ verò donationes, vel alienationes, aliter quàm dictum eſt, factæ fuerint, eas irritas eſſe cenſemus. Ad hęc autem adjicimus, ne aliqui Canonici, ſiue Conuerſi, ſub profeſſione domus veſtręadſtricti, ſine conſenſu Abbatis & maioris partis Capituli veſtri, pro aliquo fidejubeant, vel ab aliquo mutuò pecuniam accipiant, vltra pretium Capituli veſtri prouidentiâ conſtitutum, niſi propter manifeſtam domus veſtræ vtilitatem. Quòd ſi fa-

Digitized by Google

cere præsumpserint, non teneatur Conuentus pro his aliquatenùs respondere. Præterea, licitum sit vobis in causis vestris Fratres vestros idoneos ad testificandum deducere, atque ipsorum testimonio, sicut iustum fuerit, & propulsare iniuriam, & iustitiam vendicare. Ob euitandas verò sæcularium frequentationes liberum sit vobis, saluo iure Diœcesani Episcopi, & Ecclesiæ Parochialis, Oratoria in grangiis vestris construere, & in ipsis, cùm necesse fuerit, vobis tantùm & familiæ vestræ diuina officia celebrare. Pro chrismate verò, oleo sancto, consecrationibus Ecclesiarum, Ordinationibus Clericorum qui ad sacros ordines fuerint promouendi, siue Abbate deducendo ad sedem, vel quibuslibet aliis Sacramentis, nullus à vobis, aut sub obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo quidquam audeat postulare. Quia verò decimæ Ministris Ecclesiæ, tam veteri quàm nouâ lege noscuntur indultæ per laïcos, vos decimarum exactione vexari sub interminatione anathematis prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, saluâ tamen iustitiâ Ecclesiarum illarum, à quibus mortuorum corpora assumentur. Paci quoque & tranquillitati vestræ paternâ sollicitudine prouidere volentes, authoritate Apostolicâ prohibemus, vt infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam siue furtum committere, ignem apponere, hominem capere, vel interficere, seu aliquam violentiam audeat exercere. Obeunte verò te eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptione, astutiâ, vel violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel maior pars consilij sanioris, secundùm Deum & beati Augustini Regulam prouiderint eligendum. Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia illibata & integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, saluâ Sedis Apostolicæ authoritate, & Diœcesani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur imposterùm Ecclesiastica vel sæcularis persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire præsumpserit, secundò, tertióve commonita, nisi reatum suum dignâ satisfactione correxerit, potestatis, honorisque careat dignitate, reámque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri IESV CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax D. N. I. C. quatenùs & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Ego CLEMENS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Theobaldus, Hostiensis & Belligensis Episcopus.
Ego Ioannes, Presbyter Cardinalis tit. S. Marci.
Ego Laborans, Presbyter Cardinalis S. Mariæ trans Tiberim, tit. Calixti.
Ego Melior, Presb. Card. SS. Ioannis, Pauli, & Pammachij.
Ego Petrus, Presb. Card. tit. S. Cæciliæ.
Ego Radulfus, tit. S. Praxedis Presb. Card.
Ego Petrus, tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis.
Ego Iacobus, Diaconus Card. S. Mariæ.
Ego Gratianus, SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.
Ego Octauianus, SS. Georgij & Bacchi Diac. Card.
Ego Baro, S. Georgij Diac. Card.
Ego Ioannes, S. Theodori Diac. Card.

Datum Laterani per manum Moysi S. R. E. Subdiaconi vicem agentis Cancellarij, 3. Nonas Iunij, Indictione sextâ, Incarnationis Dominicæ anno MCLXXXVIII. Pontificatus verò Domini Clementis Papæ III. anno primo. *Sigillata sigillo plumbeo super cordulam sericam.*

FVNDATIO CAPITVLI S. MARTINI ARTONENSIS IN ARVERNIA.

Ex Apographo R. P. Iacobi Sirmondi Soc. IESV.

EGo Willelmus, Domini Widonis filius, cum vxore mea, nomine Poncia, vnà cum feliciſſima genitrice, Riglandis nomine; atque Aldinus, cuius pater extitit Rotgerius, cum conſilio & laude Papæ Leonis, & D. Renconis Præſulis per omnia Deo amabilis, & voluntate illuſtriſſ. virorum huius loci, omnibúſq; aduocatis in nomine Dei omnipotentis, ſanctæque Mariæ Dei genitricis, & in honore ſancti Martini Confeſſoris atque Pontificis, laudamus & eligimus libenti animo hunc locum in ordine canonicalis regiminis, ſcilicet Ioannem Abbatem, cum duodecim Canonicis, quorum ſunt nomina: Petrus, Gerardus, Raimundus, Geraldus, Theothandus, Radulphus, Wilelmus, iterùm Wilelmus, iterùm Wilelmus, Durantius, Ioannes, Amblardus, & vnum in eleemoſyna laudamus, nomine Aimo, in honore præfati Pontificis Martini, pro animarum noſtrarum redemptione, vel pro omnium parentum noſtrorum ſalute, omniúmque aduocatorum laudatione, vt pius Deus ac miſericors dignetur nos ſociare, & adjungere pariter cum ſuis electis, quibus dicturus eſt: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab mundi origine.* Alter verò Eleemoſynarius, qui poſt huius mortem intrauerit, non per noſtrum conſilium, neque per ſeniorum laïcorum laudationem introierit, ſed per commune conſilium Canonicorum illorum, qui ſaluationem loci præuiderint; & tales conſuetudines huic loco inter canonicos ponimus, vt cùm eorum Prælatus, id eſt Abbas, vel alij Abbates, qui venturi ſunt, mortui fuerint, ad ſumendum de Abbatia communiter remaneat Canonicis. Sed cùm Aldinus iſte, vel ille ſenior, qui iſtam villam tenuerit, alium Abbatem poſt mortem huius mittere voluerit, talem præuideat, vt communi conſilio Canonicorum libenter eligatur, videlicet ab illis, qui ſaluationem loci plus amauerint; & antequam eligatur, iuret ille communia eorum, & ornamenta loci, terras illorum, fructúſque earum, vt non tollat, neq; in damnum ſit, per quod S. Martinus & Canonici perdant, excepto hoc, quod in Capitulum illi Canonici ei conceſſerint, qui plus locum amauerint, & poſteà per ſacramentum teneat.

Ego Wilelmus illam terram, quam dedi Domino Deo, ſanctóque Martino, eiúſque Canonicis, & quæ in antea dabo, & illam quam mei homines dederint, vel dabunt; atque illam, quæ modò ab aliis eſt data, aut ab hodierno die eſt huic communi datura, non tollam, neque fructus eius terræ auferam, neque ornamenta huius loci, neque hæc communia deſtruam, neque diſrumpam, me ſciente; Canonicos, vel illorum Clericos non apprehendam: ſed ſi tale forisfactum mihi, aut aliis, iſti Canonici, vel illorum Clerici, ſeu homines eorum fecerint, & rectum facere noluerint, infra quatuordecim dies vangamentum non capiam, & in his quatuordecim diebus admonebo illos duos vel tres per me, aut per vnum miſſum in Capitulo illorum duas vices, vt rectum faciant. Quòd ſi facere noluerint, tranſactis iſtis quatuordecim diebus rectum accipiam, & non ampliùs me ſciente, ſi pro amore S. Martini non dimittam, & in anteà per ipſam cõuenientiam hoc ſacramentũ tenebo me ſciente. Quòd ſi alius homo deſtruere, vel diſruere hæc communia voluerit, in adjutorium ero Canonicis; & ſi iſte Aldinus me admonuerit per ſe, vel per ſuum miſſum, in adiutorium illi ero, excepto tanto, quod ille gratanter mihi explacitauerit, & in anteà ſimiliter hoc ſacramentum tenebo.

Ego Aldinus, ſicut Wilelmus ex ſua parte hoc ſacramentum iurauit, ita ex mea parte tenebo. Tale donum quale fecit Wilemus Tiernenſis ex ſua parte de ſe & de ſuis, & Aldinus Turiaci. Ego Odilo Artonæ ſimiliter facio ex mea parte de me & de meis fealibus. Si aliqua potens impoténſq; perſona, aut nos, quod abſit, vel aliquis ex noſtris hęredibus causâ deſtruendi hæc communia vendicauerit, ne ſit ei comes vita, & incipiat; ſed in ira Dei omnipotentis ſubitò cadat, & cum Datan & Abiron necnon cum Iuda proditore pœnas inferni in perpetuum ſuſtineat, & cum eis, qui

dixerunt Domino Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*; aut cum illis, quibus iustus Iudex dicturus est: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Cum omnibus istis sint excommunicati & malodicti, atque sine fine in infernũ demersi illi, qui hæc communia destruxerint, & cum eis eorum habitatio in sæcula sæculorum. Et qui ea laudauerint, & ab hodierna die sustinuerint, à Domino nostro IESV CHRISTO sint absoluti, atque benedicti, & cum sanctis suis in cælo in perpetuum coniuncti.

S. Wilelmi, qui hanc cartam fieri iussit, & optimos viros firmare rogauit.

S. Renconis Præsulis. S. Aldini, &c.

Hæc carta, in mense Martio facta, feriâ 5. Lunâ 21. Epactâ 3. concurrente 6. annus ab Incarn. Dom. 1048. Indict. 1. & in Gallijs regnante Aintico Rege, in Esperijs residente Papâ Leone cathedram Apostolicæ Sedis. Aquitaniæ Vvillelmus Comes, Signifer regionis.

EXCERPTA QVÆDAM DE KAROFFENSIS COENOBII PRIVILEGIIS.

Ex schedis R. P. Iacobi Sirmondi S. I. P.

CAROLVS Magnus Comites in Aquitania constituit, Biturgensibus Sturminium, Aruernensibus Brutmundum, Lemouicensibus ROTGERIVM, à quo fundatum est Monasterium, dotante simul Eufrasia coniuge, quæ erat ex pago Aruernico; & constituerunt ibi duodecim Monachos.

Priuilegium Karoli Magni, quo immunitatem Monasterio concessit in honorem Domini & Saluatoris nostri, in loco nuncupato Karoffum, super fluuium Carentæ, in pago Pictauensi constructo, vbi & vir venerabilis DAVID Abbas constitutus, Rotgerij Comitis rogatu.

Priuilegium Ludouici Pij, Iusto Abbate rogante, confirmantis Caroli patris præceptum de immunitate, & Abbatis eligendi potestatem, qui secundùm sancti Benedicti Regulam regere valeat. Helizachar recognoui. Data 2. Idus Februarij, anno Christo propitio secundo Imperij D. N. Indictione 8. Actum Aquisgrani Palatio Regio, in Dei nomine feliciter. Amen.

Priuilegium Ludouici & Lotarij. Suggerente Lotario filio, concedit Monasterio Karoff, vbi Gumbaldus Abbas præest, res proprietatis suæ, id est in pago Beluacensi villam, quæ dicitur Fraxinidus, & in pago Remensi villam, quæ dicitur Dominica villa; & in pago Meldensi villam Montiniaco. Durandus Diaconus ad vicem Fridugisi recognoui. Data 15. Augusti, anno Christo propitio 17. Imperij D. Ludouici Sereniſſimi Imperatoris, & Lotarij Aug. 8. Indictione 8. Actum Salmonciaco Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Priuilegium Ludouici eiusdem. Gumbaldo Abbate per Blandonum Monachum postulante concedit teloneum de tribus nauibus per Ligerim, alia flumina, aut per mare discurrentibus, itavt quocumque venerint, nullum ab eis teloneum, aut ripaticum, aut pontaticum, aut salutaticum, nullus census aut redibitio exigatur.

Priuilegium Synodi apud Vermeriam. Post alia. Canonum sanctionibus cohibentibus, & Sereniſſimo Regum Carolo orthodoxo annuente, & inuitante cum anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo sexagesimo nono, Indictione secundâ, regni supradicti Principis 27. conueniſſemus, Nos suffragante Christi gratiâ Episcopi, quorum nomina subter habentur, in Remensem Diœcesim apud Palatium Vermeriam, prætaxatúsque Rex pridiè Kalendas Maij medio nostrûm sancta resideret in Synodo venerabilis Karoffensis Monasterij Abbas Guillelmus nostro Conuentui præcepta obtulit, &c. qualiter ad deprecationem Gumbaldi, & Valafredi Abbatum tria Monasteria integra prædicto Monasterio conceſſerat: quorum vnum dicitur Colonus in pago Alninse situm: alterum in honore sancti Saturnini constructum in pago Andegauensi: tertium in pago Sanctonico, in honore S. Florentij Martyris; & prætereà villas Fraxinidum, & Montiniacum confirmauerat. Quæ omnia recitata in Synodo confirmantur Episcopis manu propriâ subscribentibus.

Vrbanus II. cùm apud Claromontem Concilium celebraret, rogatu Petri post Fulcrandum Abbatis Karoffum venit, & maius Altare conſecrauit, Miſſamque celebrauit, præsentibus Amato Burdegalensi Archiepiscopo, S. R. E. Legato, Hu-

gone Lugdunensi Archiepiscopo & Legato, Rangerio Pisensi Archiepiscopo, Petro Pictauorum, Brunone Signiensi Episcopo, Ioanne Cardinali Diacono. Facta sunt hæc quarto Idus Ianuarij, feria scilicet quinta, quâ tunc B. Hilarij festum fuit, anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Domini Vrbani II. Papæ anno octauo.

Audebertus de Roccamello, cum Arsinda coniuge, & Ostento filio guerpiit in manu Isemberti Episcopi piscationem in Carantono, quam Karoffensi Monasterio auferebat, & syluam Bellum boscum concedit. Fulcrado Abbate creato, diuina virtus, id est Christi caro, ex loco vbi abdita fuerat Abbatiâ vacante, tollitur, Amato Episcopo Burdegalensi, Guidone Lemouicensi, Almaro Engolismensi adstantibus, & vas sanguine conspersum reperitur.

Præceptum Caroli Calui. rogatu Frotarij Abbatis confirmat Monasterio Karoffensi, quæ Ludouicus pater, & Carolus Cæsar auus ad eius immunitatem decreuerant.

Odone Rege regnante, Rannulfus Comes Pictauorum in aula eius veneno periit, filiúmque suum Ebolum paruulum ad tuendum Guillelmo Comiti Aruernensi reliquit. Iterùm verò quidam Ademarus filius Emenonis Comitis Engolismensis, qui frater Turpionis æquè Comitis Engolismensis fuit Comes Pictauorum à supradicto Odone promotus est. Huic coniux nomine Santia fuit, quæ prole sterilis extans, ex suis prædiis Ecclesiam Christi sibi fecit hæredem. Hæc ergo Vohertam Karoffo dedit, Multonem sancto Martiali, Coruillam sancto Eparchio, Herciacum sancto Ioanni, Corcolmum sancto Hilario concessit. Normannorum metu Reliquiæ Caroffenses ad castrum sancti Euonij, quod Eufrasia olim dederat, transferuntur, excepto Crucis ligno, & sanctâ virtute, quæ Engolismam posteà delata sunt. Pacatis rebus, cùm Alduinus Comes Engolismensis, Vvlgrini filius, Reliquias reddere nollet, septennio afflictus fuit morbo; tandem per filium Guillermum ferri sectorem eas reddidit, & Lubiliacum villam Monasterio obtulit Caroffensi, & post annum obiit.

Concilium Lemouicæ aggregatum Episcoporũ Aquitaniæ, & Narbonensis Prouinciæ, ad quod Caroffenses profecti cum suis Reliquiis Flandrensibus interim aduentantibus diuinâ virtute spectandæ gratiâ compertum est illam & in loco solito, & Lemouicæ eodem semper tempore apparuisse.

Testamentum Rotgeri Comitis. In nomine S. Saluatoris sub die decimo quarto Calendas Iulias regni Domini nostri Caroli glorioſi Regis sub anno quinto, regnante filio suo Domino nostro Lodoïco Rege Aquitanorum, domno & venerabili Pontifici, & in Christo Patri Bertrando Episcopo, qui Pictauis ciuitatis Ecclesiæ sancti Petri Rector præesse videbatur, Rotgerius & coniux sua Eufrasia. Compellit nos amor cælestis, &c. Quod testamentum amico nostro Bertrando Pictauensi Episcopo credidimus commendandum, &c. In loco nuncupato Carotto, in vrbe Pictaua, infra terminum Briosinse, prope fluuium Carantonæ, Monasterium ædificare in Dei nomine, ædificare Ecclesiam in honore S. Saluatoris, sanctissimæque ipsius Genitricis, sanctorúmque Martyrum, & Monachos duodecim ibidem instituimus, atque illis Dominicum Abbatem instituimus. Dat illis agrum cum suis appenditiis, & quæcumque de Amelio dato pretio comparauit, vel posteà adjecit: villam Genuliacam in pago Pictauensi, quam de Lamberto comparuit, &c. multa. In pago Lemouicensi castrum sancti Angeli cum Monasterio: curiam Colomensem cum Ecclesiis suis, ac castrum Nutronense, &c. In pago Petragoricensi Castanedum cum suis appenditiis. In pago Briosinse, quod nobis traditum fuit, in loco nuncupato Vernolio & Cagiaco.

Ego Eufrasia Rotgerij nobilissimi Principis atque Catholici Comitis coniux, Karoffensi Cœnobio, ego de mei iuris, hæreditatisque proprio, castrum S. Yuonij, cum omnibus adjacentiis, cum curia Solanacensi: hoc castrum in Aruernensi pago constitutum est. Item in ipso pago curiam Caldolomi, & curiam Molangiæ, cum Ecclesia sua, & curiam Perusiæ cum Ecclesia, & curiam Nobiliaci cum Ecclesia sua, & curiam Firminaci cum Ecclesia sua, & curiam Gaduicensem cum Ecclesiis suis, omnia in pago Aruernensi, &c.

In Testamento Rogerij Comitis, Carolus Magnus Caroffio cessisse narratur in Episcopatu Santonico curtem Giruiacensem, Ecclesiam de Furnis, curiam Cressiacensem,

Digitized by Google

siacensem, & Ecclesiam S. Florentij. Castrum Columps in pago Alniensi, in pago Beluacensi Fraxinidum, in Remensi villam Dominicam, in Meldensi Montiniacum: Signum Rotgerii Comitis qui hoc testamentum fieri iussit. S. Eufrasiæ. S. Aricij Episc. Tolosanæ sedis. S. Benjamin Santonicæ Episcopi. S. Adaberti Aruernensis Episcopi. S. Ebroini Comitis. S. Amalfredi Comitis. S. Sansoni Comitis. S. Abraham Abbatis, &c.

Priuilegium Philippi Regis, Karroffensi Monast. confirmat omnia quæ data fuerant à Carolo-Magno, & à Rogerio Comite eiúsq, vxore Eufrasia, qui fundatores fuerunt, & quæ à successoribus eorũ, & nominatim Monast. Itiodorense atque castrum S. Yuonij cum adiacentibus villis, scilicet villam Melangiam, & Perusiam & Gadimacum, & Nubiliacum, & Cadalum. In Franciâ verò curiam quæ dicitur Fraxinidus, & in Remensi pago villam Dominicalem nomine, & in Meldensi Montiniacum. In Lemouicensi pago castrum S. Angeli, & castrum Nutronum, & villam Colongiam, & villam quæ Colla dicitur, & Monast. quod est castro Rixacoardi, & Monast. S. Germani in castro Varegia in Sanctonico pago. Hæc omnia, & quæ ab Apostolico Leone consecratore eiusdem loci, & à Ioanne Papa, & alio item Leone, & post à Victore, dehinc ab Alexandro sunt consignata, confirmat. Et quia ipse locum adierat, quo nullus antecessor per annos ferè CLX. accesserat, concedit Monast. sex familias seruorum atque ancillarum in supradicta Fraxinido, quæ Regij iuris erant. Actum Karoffo Monasterio Fulcaudo Abbate anno MLXXVII. Indictione VI.

Priuileg. um Leonis III. PP. Bertrando Episcop. Pictauensi & Metropolitanis Aquitaniæ, & Episc. eius totiusque Galliæ. De Monasterio Karoffo quod nuper vna vobiscum dedicauimus per suggestionem Rotgeri Comitis, qui ex præcepto D. Karoli Augusti Cœnobium fundauit, concedit immunitatem & exemptionem, & ius Abbatis eligendi, meminit priuilegij à Carolo de immunitate concessi.

Priuilegium Ioannis Papæ Grinferio Abbati S. Saluatoris in Karoff. concedit eandem immunitatem & exemptionem ab Episcopo. Scriptum per manum Georgij Scriniarii S. R. E. in mense Septembrio, Indictione XII. per manum Gualterii Episcopi Portuensis Ecclesiæ.

Priuilegium Benedicti Papæ Gisleberto Pictauensi Episcopo. Repetit quod & Ioannes dixerat, nec Episcopus ipsius Parochiæ, nisi inuitatus ab Abbate Monasterii, missas in eo celebrare possit.

Priuilegium Leonis IX. PP. Hugoni Religioso Abbati ex Monasterio S. Saluatoris Karroffensis Cœnobij, confirmat bona Monast. quæ enumerat. Item illa quæ in pago Aruernico habentur, vel in circuitu eius, quæ quondam fuerant ablata eidem loco, & moderno tempore sunt restituta ipsi per Guillelmum Principem Aruernorum, & per filios eius, id est castellum S. Yuonij, & quicquid ad ipsum pertinuit, & Ecclesiam Cadiloco, & Ecclesiam Molangia, & Ecclesiam Nobiliacus, & Ecclesia Chrosogilo, & villa Perusia, & Ecclesia Gaudiniacus, & omnia quæ his Ecclesiis pertinent. Dat. v. Nonas Maij, per manus Petri Diaconi Bibliothecarij & Cancellarij S. A. sedis, anno D. Leonis IX. Papę II. Indictione III.

Priuilegium Alexandri II. Papæ Hugoni Religioso Abbati Monasterij S. Saluatoris Karroffensis. Confirmat omnia quæ in Leonis priuilegio continentur, &c. Ecclesiam de villa Dominica cum altari suo, quod Arnulfus Remensis Archiepiscopus, eidem Monasterio per seipsum tradidit.

Priuilegium Vrbani II. Petro Monasterij Karroffensis Abbati, eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. In tutelam & protectionem suscipit Monasterium, sicut antecessores Leo & Alexander, & omnia illi donata confirmat, quæ enumerat multa vberiùs & copiosiùs, quam alij superiores. Meminit altaris ipsius Ecclesiæ, quod suis manibus consecrarat.

Priuilegium Karoli Regis Augusti, Vvalefridi Abbatis Karroffensis, qui ad nostram accedens excellentiam attulit auctoritates D. Genitoris nostri, in quibus continebatur, qualiter ad nostram deprecationem eidem congregationi concessisset villam in honore S. Saturnini constructam, sitam in pago Andegauensi, & in pago Beluacense villam, quæ vocatur Fraxinidus, & in pago Remense villam quæ dicitur Dominica villa, & in pago Meldense villam Montiniacum. Petit obnixè, vt pro firmitatis studio nostram super adderemus auctoritatem, per quam illa idem Abbas & successores quietè tenere possint.

ORDINATIONES FACTÆ PER VENERABILES

Patres Abbates Sancti Jouini, Nantolij, S. Augustini, S. Maxentij. Præsidentes in Capitulo Prouinciali Lemouicis celebrato, præsentibus & consentientibus Venerabilibus Patribus Domnis sancti Cypriani prope Pictauium, sancti Ioannis Angeliacensis, Sancti Eparchij, sancti Sauini, sanctæ Crucis Talmundi, Nobiliacensis, sancti Sulpitij, sancti Martialis, sancti Amantij, sancti Martini, De Meyniaco, De Bacjaco, sancti Genulphi, De Vallibus, Vosii, Monasteriorum Abbatibus: necnon & Venerabilibus Prioribus Claustralibus Lucionensi, Sarlatensi, Prouinciarum Biturigensium, & Burdegalensium. M. CCC. LXVII.

1. IN primis Statutum est quod licet in Canone Missæ de Domno nostro Papa habeatur mentio specialis, tamen ex filiali affectione, in quolibet Prouinciarum Monasterio huius Ordinis, singulis mensibus amodo missa Sancti Spiritus solemniter celebretur, in qua conuenient Abbas & alii administratores & Monachi pro salute & incolumitate Sanctissimi in Christo Patris Domini Domini Vrbani Papæ & sui Sancti Collegii Cardinalium, vt post decursum præsentis vitæ perueniant ad vitam sempiternam.

2. Item, Quia quanto administratores huius Ordinis, administrationibus & bonis temporalibus specialiter prædotantur, tanto debent se ostendere modestiæ & obedientiæ præ aliis dono fulgere; Statutum est quod ipsi in Monasterio ad diuina Officia conueniant, videlicet ad nocturnas vigilias, siue Matutinas, Primam, Tertiam, Missam, Vesperas & Completorium, nisi ex causa necessaria Priori Claustrali primitus exposita abstinuerint, & de ipsius licentia speciali; quam tamen licentiam ipse parcè concedat, alioquin ipsi Officiarij in Capitulis quotidianis quibus adesse tenentur, nisi ex causa, vt præmittitur & de licentia fuerint, veniam petere & disciplinam regularem recipere teneantur; quod si forsan contentiosi aut inobedientes extiterint, in disciplina huiusmodi recipienda humiliter & deuotè, administrationibus & officiis eo ipso priuantur & ex tunc vacantia censentur, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus quæ reputantur verius corruptelæ.

3. Item, Prohibetur quibuscumque Monachis officiariis & aliis administratoribus ne infra septa Monasterij iaceant, aut comedant in cameris, sed in dormitorio vel domo, ad hoc per Abbatem ordinata soli iaceant, & cum aliis Monachis comedant communiter, quacumque consuetudine nonobstante, nisi ex causa necessaria & cum licentia, vt præmittitur, antedicta, alioquin disciplinæ subiaceant supradictæ, vel quotidianam portionem non recipiant consuetam, in vsus pauperum conuertendam; quod si obstinati & inobedientes extiterint in præmissis, eo ipso pœnæ subiaceant in articulo proximo contentæ.

4. Item, Quia fraudari non debent denario in vinea Domini operantes, Statutum est quod administratores & Priores ac alii huius Ordinis, deueria & pensiones & alia onera siue Messagia subire debentes, pro Abbate, Conuentu, aut singulis de Conuentu seu familiaribus eorumdem, integrè satisfaciant, vel amicabiliter conueniant cum eisdem: Alioquin si inobedientes extiterint in præmissis, post monitionem Abbatum certo tempore pro eorum arbitrio moderandam, administrationes & officia supradicta, perpetuo, eo ipso interdicuntur eisdem, ac Abbates iuxta facultatum & administrationum prædictarum receptarum deffectum per eas supplere teneantur, & ipsis sic reuocatis ad Claustrum, sicut vni ex aliis Claustralibus prouidere, vel alium Claustralem in aliquo de prioratibus assignare.

5. Item, Statutum est quod omnes alij & singuli Monachi, administratores, præpositi, Decani & alij huius Ordinis iuxta professionem emissam, castè viuant & honestè in locis sibi commissis, tantum coram Deo peccauerunt, conuertentur; alioquin si diffamati publicè de adulterio aut lapsu carnis fuerint, eo ipso suis prioratibus administrationibus & officiis, quacunque appellatione postposita, priuantur omnino, ne Ordo propter talium dissolutionem aliquod dispendium patiatur: & alij

Digitized by Google

administrationes, prioratus, aut officia non habentes, redduntur inhabiles ad habendum, & aliis pœnis, quæ pro grauioribus culpis consueuerunt infligi, puniantur; & si incorrigibiles fuerint, perpetuo carceri mancipentur.

6. Item statutum est quod omnes alii & singuli Monachi teneantur semel in anno, quæcumque bona detinent, etiam non requisiti in capitulo suo generali reuelare suo Abbati & realiter veraciter assignare, alioquin reputentur inhabiles & indigni ad quodcumque Ecclesiasticum beneficium obtinendum, & aliàs vt proprietarij priuantur: Administratores, Priores, & alij Officiarij computum & rationem de bonis per eos quoquo modo detentis ex Officiis antedictis, reddere teneantur in capitulo prædicto: quod si in fraude fuerint deprehensi, tertiam partem mobilium per ipsos detentorum, in Fabrica Monasterii infra octo dies, post deprehensionem huiusmodi conuertere teneantur, alioquin pœnæ subiaceant contentæ in articulo.

7. Item, Statutum est quod omnes & singuli Monachi, administratores, mantellos fissos ad latus, vestes superiores curtas & fissas, nec non & capucia non fissa cum corneta, & alia inordinata habentes, in manibus Abbatum vel Priorum Claustralium ad hoc per Abbates commissorum, infra mensem à tempore publicationis huiusmodi, resignare & tradere teneantur, secundùm dispositionem eorum, in vsus pios conuertenda, alioquin quoniam talibus vtentes publicè, facti sunt in Ordinis nostri opprobrium & derisum, beneficiis & officiis eo ipso priuantur, & alii non habentes, per annum redduntur inhabiles ad habendum.

8. Item, Statutum est quod illi qui de Ordine mendicantium ad nostrum ordinem sunt translati, infra mensem à tempore publicationis huiusmodi, legitimam licentiam translationis suæ Præsidentibus vel eorum alteri exhibere, & copiam de ea tradere teneantur, de qua traditione facta, scriptura autentica vel publicum instrumentum: alioquin ex tunc, de ipso ordine, ipso facto penitus sunt expulsi, nec in aliquo gaudebunt, vel vti poterunt priuilegio Monachali.

9. Item, Quod priores teneantur in prioratibus sibi commissis cum suis Claustralibus, nonobstante quacumque consuetudine residere & reparationem ædificiorum intendere diligenter. Quod si prioratus non sufficiant facultates, resideant in Monasterio vel aliquo prioratuum, & seruiant vt Claustrales, quibus prouideatur de fructibus prioratuum prædictorum, & residuum si supersit, ponatur in reparationem & vtilitatem ipsorum per manus Abbatum, vel eorum quibus ipsi hoc duxerunt committendum: quod si inobedientes extiterint, ipsis prioratibus & beneficiis eo ipso priuentur.

Datum Lemouicis sub sigillo capituli in talibus consueto. Die vndecima mensis Maij, stante & durante dicto capitulo, anno Domini MCCCLX. septimo.

EXCEPTA QVÆDAM EX KALENDARIO *Ecclesiæ Lemouicensis.*

X. Kalend. Februar. anno MDXX. obiit Guillelmus Bartonis Decanus & electus Ecclesiæ Lemouic. ad cuius anniuersarium distribuuntur viij. l. d.

XI. Kalend. Martij anno MCCCCLVI. obiit Petrus de Montebruno Episcopus Lemouic. pro cuius anniuersario IV. l. d.

IV. Kalend. Martij, anno MCCLXXXVI. obiit D Hodo de Castro-Radulphi Cardinalis, ad cuius anniuersarium dedit Petrus de Petralata XV. sol.

XVI. Kalend. Aprilis, hic fiat anniuersarium beatæ memoriæ quondam D. Gregorij Papæ XI. de ista Diœcesi; oriundi de domo de Belforti, ex ordinatione Capituli Generalis pro eo, quia pretiosis vestimentis quatuor Capellarum, atque opulentis & dignissimis jocalibus Ecclesiam decorauit, & distribuantur IV. libræ Tur. per bajulum anniuersariorum soluendæ.

Eodem die obiit Seebrandus Chabot pater Seebrandi Lemouicensis Episcopi, & mater eius Agnes Chabossa, & Theobaudus frater dicti Episcopi: ad quorum anniuersarium debentur XXV. solidi de Ecclesia S. Seuerini de Valueyra, & debent reddi in Synodo S. Lucæ.

IX. Kalend. Aprilis obiit sanctæ memoriæ D. Gregorius Papa XI. qui deco-

rauit ſanctam Lemouicenſem Eccleſiam de quatuor Capellis munitis nouis, cum paramentis altaris, duobus calicibus, vno argenteo aurato cum armis ſuis, & alio ex auro cum duabus vinageriis, item amplius vnam Capellam viridis coloris munitam, & duas Capellas nigras cum nouem coraballis. Item de mandato Domini Cardinalis Arelatenſ. Fr. Mar. Gayaudi quondam Ordin. Frat. Heremit. Sancti Auguſtini emit xx. lib. renduales. Qui quidem Card. voluit c. ſol. eſſent ad opus iſtius anniuerſarii.

II. Kalend. Aprilis obiit Seebrandus Epiſcopus Lemouicen. ad cuius anniuerſarium debentur xxxv ſol. in Eccleſia de Trocha annuatim.

XVII. Kalend. Maij obiit D. Guido de Noua-villa Epiſcopus Xantonum.

VI. Nonas Maij, hic fiat anniuerſarium recolendæ memoriæ quondam Domni Nicolai Cardinalis Lemouic. tit Sanctæ Mariæ in via lata, ſupra eius tumulum eleuatum in Capella B. Mariæ Magdalenæ, & diſtribuantur IIII. lib. tur.

IV. Nonas Maij. Hic fiat anniuerſarium celeberrimæ recordationis quondam Domni Ioannis Barthonis huius Eccleſiæ egregij Paſtoris, & deinceps Nazarienſis Archiepiſcopi, hoc die defuncti, anno Domini MCCCCXCVII. & diſtribuantur XI. libræ ſuper Præpoſitura de Iuncheria huic Eccleſiæ per eum legata & donata leuandæ ſupra tumulum aheneum ante maius altare.

III. Idus Maij, hîc debet fieri anniuerſarium parentum Domini Girberti Lemouicen. Epiſcopi, ad quod faciendum, dedit idem Epiſcopus. XXXV. ſol.

VII. Id. Iunij. obiit Henricus Rex Angliæ iunior, ad cuius anniuerſarium debentur X. ſol.

V. Id, Iunii. Hic fiat anniuerſar. quondam Dom. Guillelmi Amici de Caſtro Lemouicarum, & familiæ honeſtorum Burgenſium Amici oriundi, Carnotenſis Epiſc. ac Hieroſolymitani Patriarchæ, viri vtique ſanctiſſimi & miraculis in dies coruſcantis, hac die defuncti, anno Domini MCCCLX. ſupra eius tumulum in Capella S. Thomę.

Eodem die obiit Girbertus Epiſcopus Lemouicen. in Synodo Pentecoſtes, & fuit corpus traditum ſepulturæ, tertio die ſequenti.

XVI. Kal. Iul. Sabb. poſt Feſtum Pentecoſtes debet fieri anniuerſarium domni Petri de Capella Cardinalis.

VI. Non. Iulij, obiit Epiſcopus Aymericus, ad cuius anniuerſ. debentur X. libræ. Sepultus eſt in Choro Eccleſiæ ſubtus Tahutum.

Hic fiat anninerſarium Stephani de Laubeſpine Epiſcopi Lemouic. qui obiit II. Iulii. anno MDLXXXII.

XII. Kal. Iulii, hic fiat anniuerſarium Reuerend. in Chriſto Patris & Domini D. Fulcaudi de Bonaualle Petragoricenſis Epiſcopi, & Prioris de Beneuento, & diſtribuantur V. libræ ſupra eius tumulum in Capella S. Martialis.

X. Kal. Iulii, anno Domini MCCXXVI. obiit B. Lemouic. Epiſc. in obſidione Auinionis, ad cuius anniuerſarium debet Eccleſia S. Iuſti XXXV. ſol.

V. Kalend. Iulij, hîc fiat anniuerſarium Ioannis de Langeac Lemouicen. Epiſcopi, hac die defuncti, anno Domini MDXLI. ſuprà eius tumulum, vltra muros chori à parte ſiniſtra propè maius altare.

III. Kalend. Iulij, obiit Tuſculanus Epiſcopus, ad cuius anniuerſarium debentur XXV. ſol.

II. Non. Septemb. obitus bonæ memoriæ domni Bartholomei quondam Epiſcopi Caturc. ad cuius anniuerſarium debet Capitulum LX. ſol.

Obiit XII. die Septemb. Dominus Innocentius Papa VI. ad cuius anniuerſarium debentur LXVII. ſol & XI. ſeſt. ſilig.

Idibus Septem. anno Domini MDX. Obiit Ioannęs Bartonis Epiſcopus Lemouic. fundauit duo anniuerſaria.

XIV. Kalend. Octob. Ferreoli Epiſcopi Lemouic. dupl.

VI. Nonas Octob. obiit Bonifacius de Sauandia Archiepiſcopus Cantuar.

VIII. Idus Octob. obiit G. Lemou. Epiſcopus, qui dedit Eccleſiam S. Prędecti ad anniuerſarium ſuum, pro qua redduntur L. ſol. in dicta Eccleſia.

X. Kalend. Nouemb. Hic debet fieri anniuerſarium Domini Raynaldi la Porta, quondam Cardinalis Oſtienſis. Sepultus eſt intra muros chori à parte dextra, prope maius altare.

IV. Kalend. Nouemb. debet fieri anniuerſarium Domini Simonis de Rupe-

Digitized by Google

Cauardi, quondam Archiepiſcopi Burdegal. & eius fratris Archid. Lemou.

XVI. Kalend. Decemb. obiit Hugo de Manhaco quondam Epiſcopus Lemouic. qui multis iocalibus auri & argenti decorauit iſtam Eccleſiam, & præcipuè dedit jocale argenteum, in quo portatur corpus Chriſti, & vnum pulchrum thuribulum argenti deauratum. Item vnam croſſam argenti, & vnam mitram. Obiit anno MCCCCXII. In teſtamento ſuo reliquit hæredes pro media Capitulum Lemouic. Eccleſiæ, & pro alia parte Religioſos S. Martialis.

III. Nonas Decemb. obiit Euſtorgius Epiſcopus Lemouic.

V. Idus Decemb. obiit Ioannes Epiſcopus Lemouic.

XV. kalend. Ianuar. obiit Audoynus Epiſcopus Petragoricenſis, ad cuius anniuerſarium in Eccleſia Lemouicen. faciendum anno quolibet, debet Dominus Aymericus de Trendaleu miles c. ſol. anno quoque renduales.

III. Kalend. Ianuar. Hic fiat anniuerſarium Durandi Epiſcopi Lemouic. qui obiit hac die anno MCCXLV. & diſtribuantur IV. libræ.

IX. Kalend. Ianuar. Hic fiat anniuerſar. B. Bruni Epiſcopi Nouiomenſis nepotis Reginaldi à Porta Card. Oſtienſis.

EXCERPTA EX CALENDARIO MONAſterij S. Andreæ Claromontenſis.

Ianuarius.

9. COmmemoratio piæ memoriæ Comitis Theobaldi.
13. Obiit Nobilis vir D. Gregorius de Volpiliere miles 1310.
14. Ob. Iacobus Deſſerra Abbas S. Andreæ. anno 1353.
17. Ob. *D. Beraldus Comes Clar. Dalphinus Aruerniæ & Dominus Mercurij anno 1399.*
18. Ob. Nobilis mulier D. Antonia de Diene vxor Anneti de Volpiliere Domini de la Baſtiſſe anno 1487.
19. Obiit felicis recordationis *R. Dalphini Dominus Geiniati anno Domini 1330.*
24. Obiit D. Aſtorgius Baraſt huius Eccleſiæ Abbas 1320.
26. Obiit D. Hugo Mardonic Abbas S. Girberti 1324.
28. Obiit D. Petrus Camaleriæ Abbas S. Andreæ 1265.
29. Ob. *D. Robertus Comes Clar. & Delphinus Aruerniæ anno 1324.*
30. Obiit D. Margarita Domina de Cornonio 1337.

Februarius.

4. Obiit nobilis vir D. Annetus de Voulpilhiere miles & Dominus de la Baſtiſſe anno 1500.
4. Obiit Dominus Vvillelmus de Cornonio Dominus dicti loci 1360.
5. Commemoratio *Chambonæ Comitiſſæ Aruerniæ*, obiit Domina Raymonda de Marolio.
6. Commemoratio D. Bertrandi de Murol, Claromontis Abbatis.
8. Obiit Arnaudus Abbas Combæ longæ.
   Ob. Vvillelmus de Bello-forti Canonicus Clarom.
   Ob. D. Petrus Teiſſers Abbas S. Andreæ 1278.
   Ob. Rodulphus de Cornonio miles 1330.
9. Ob. D. Hugo Præmonſtratenſis Eccleſiæ primus Abbas.
10 Ob. Dominus *Hugo Dalphini Sacerdos* & Canonicus Clarom. & Præpoſitus Briuatenſis anno 1347.
11. Obiit D. Vvillelmus Vſenda, huius Eccleſiæ Abbas 1259.
15. Obiit D. Franciſca Domina de la Baſtice, mater Domini Petri de Volpilhiere 1450.
16. Commemoratio Petri Præpoſiti Clarom. Eccleſiæ, fundatoris huius Eccleſiæ.
17. Obiit Domina *Iohanna de Fores Comitiſſa Clarom. Delphina Aruerniæ, Dominaque* terræ Mercurij 1359.
18. Obiit D. Claudius du Prat Epiſcopus Mimatenſis, Comes Gabalitani, Abbas S. Andreæ, & Magni loci, iacet in hac Eccleſia 1533.
   Obiit Petrus de Termes Domicellus 1412.

19. Obiit D. Amblardus de Calucio, anno 1189. qui dedit nobis quicquid iuris habebat in terra montis Leonis, & decimam de la Chassansiore.
13. Obiit D. Bertrandus de Murol Clar. Ecclesię Abbas.

Martius.

7. Obiit nobilissima Domina *Ysabel de Monteacuto, filia Domini Comitis Dalphini*, anno 1327.
8. Obiit Domina Dalphina de Cros, Domina de la Cueilha quæ fuit translata in Monasterium S. Andreæ anno 1399.
10. Obiit *D. Ioannes Comes Clar. Dalphinus Aruerniæ, anno 1351.*
20. Obiit Dominus Bonus Par Abbas huius Ecclesiæ 1360.
21. Ob. *D. Robertus Comes Clar. & Delphinus Aruerniæ 1281. in Festo Sancti Benedicti.*

Aprilis.

8. Obiit Domina Margarita de Monmouri Domina de Cuelhia 1415.
10. Obiit Dominus *R. Comes Dalphini 1252.*
16. Obiit D. Milo Abbas Sancti Mariani Autissiodorensis.
21. Obiit D. Bertrandus de Cueulhia Dominus dicti loci 1366.
24. Obiit *D. Robertus Dalphini miles Dominus de Combrande 1247.*

Maius.

11. Com. D. Katherinæ vxoris D. Guillardi de Belloioco.
12. Ob. D. Vvillelmus de Bessia huius Ecclesiæ Abbas 1296.
15. Ob. D. Iacobus de Cueulhia Dominus dicti loci 1442.
19. Commemoratio Gaufridi primi Abbatis IX. fontium.
26. Obiit *Domina Ioanna Comitissa Clar. & Delphina Aruerniæ 1436.*

Iunius.

9. Obiit Nobilis vir D. Ginotus de Cueulia Protonotarius Papæ 1497.
17. Obiit D. Ponchetus de Voulpilhiere Escuier, & filius Domini Anneti de Volpilhiere, anno Domini 1086. Et fuit sepultus in villa de Geiues.

Iulius.

13. Obiit D. Mathæus de Podio Reynaldi Abbas huius Monasterii, anno 1360.
14. Obiit Bartolomæus Laudunensis Episcop. fundator Præmonstratensis Ordinis.
15. *Obiit D. Alixens Comitissa Clar. 1286.*
17. *Obiit Vvillelmus Comes.....*
19. Obiit D. Vvillelmus de Voulpilhiere Abbas huius Ecclesiæ, & de Quadraginta 1329.
22. Obiit Beraudus de la Tour.
26. Obiit *D. Vvillelmus Dalphini Archidiaconus Tornacensis, & Canonicus Clar. 1302*
27. Obiit Vvillelmus Simonis Abbas huius Ecclesiæ.
28. *Obiit D. Beraldus Dalphini Com. Clar. 1426.*
Obiit Garsias Casæ-Dei Abbas.
23. Obiit Illustriss. Domina Margarita de Caluiniaco Comitissa Ponthebriæ & Petracoricensis, Vicecomitissa Lemouicensis, relicta illius Principis D. Ioannis de Britannia, *& primo relicta D. Beraldi Dalphini Claromontensis Comitis, & Aruerniæ Delphini primi mariti sui, qui obijt 28. Iulij anno 1473.*

Augustus.

4. *Obijt Dominus Beraldus Dalphinus Dominus de Rupeforti. 1384.*
8. Obiit D. Bertrandus de Plonziaco Abbas S. Andreæ 1300.
21. *Obijt D. Matildis Comitissa Claromontis an. 1380.*
27. *Obijt Domina Anna de Peleu Comitissa Clar. an. 1351.*
Obijt D. Beraldus Com. Clarom. & Delphinus Aruerniæ ac Dominus totius terræ Mercurij anno 1356.
28. *Obijt Dominus Emedeus Dalphini Dominus de Rupeforti 1361.*
Obiit Gringnaldus Comes & fundator Belli Podij.
15. Obiit Raynoldus de Alberia domicellus.

September.

1. *Obiit D. Ysabel Domina de Talhinet & Comitissa Clar. anno Domini 1297.*
3. Obiit Hugua Comitissa Montisferrandi.
6. Obiit D. Alozia de la Cueilha.

Digitized by Google

9. *Obijt Alais Comitissa Aruerniæ...*
11. Ob. Frogerius Sagiensis Episcopus.
13. Obiit D. Antonius de Voulpilhiere Commendator de Frugeyre 1082.
17. Obiit Amblardus de Chaslus 1357.
18. Ob. Dom. Beraldus de Voulpilhiere Abbas eius Ecclesiæ 1451.
19. Obiit Agnes de Ponte Gibardo.
20. Obiit D. Antonia Domicella de Cueulhia filia Domini Comitis de Ventadour, vxor Karoli Domini dicti loci de Cueulhia & de Castro-nouo, anno 1468.
24. Obiit Nobilis vir Guillelmus de Voulpilhiere Dominus de Rofiaco 1455.
25. Obiit D. Amblardus de Caslucio miles Dominus quondam de Montrodes ....
28. Obiit *Domina Maria de Villamur Comitissa Clar. 1383.*

Octobet.

3. Obiit Dominus G. de Cros Episcopus Nymocensis....
8. Obiit Domina Ysabel de Volpilhiere Religiosa Mediomontis, sepulta in Ecclesia Iussiaci, anno 1401.
16. Obiit D. Petrus de Voulpilhiere miles 1460.
17. Obiit D. Ademarus de Cros Episcopus Clar. 1291.
24. Obiit D. Arnulfus de Bois Abbas.
28. Obiit Fr. Stephanus Yssartelli Abbas huius Ecclesiæ.
31. Obiit Vvillelmus de Monterugoso, miles....

Nouember.

1. Obiit *Domina Iohanna de Bolonia Comitissa Clar. anno 1373.*
7. Ob. *D. Vvillelmus Comes Clar. & Dalphinus Aruerniæ & fuit primus fundator huius Ecclesiæ anno 1150.*
18. Obiit *Guido Comes...*
20. Ob. Dominus *Hugo Dalphini frater nobilis viri D.R. Comitis Clar. anno 1209.*
24. Obiit D. Petrus Atayna Abbas huius Ecclesiæ.
25. Obiit D. Hugo primus Abbas Beuævallis.
26. Obiit Dominus G. Vzanda Abbas huius Ecclesiæ, qui obiit in Festo Sancti Martini 1304.
4. Obiit Agnes Comitissa de Breua.

December.

5. Obiit D. Ioannes de Voulpilhiere Abbas huius Ecclesiæ 1492.
11. Obiit Nobilis ac Religiosus Fr. Antonius de Beaufort, Prior huius Ecclesiæ, 1573.

AQVITANICA CONCILIA

EX VARIIS CODICIBVS MSS. Studio diligenti collecta.

KARROFENSE CONCILIVM

Celebratum Kalendis Iunij anno circiter DCCCCLXXXVIII. certè ante annum DCCCCXC. quo obijt Hugo Episcopus Engolismensis.

Ex Codice Engolismensi Ioannis Tilij Meldensis Episcopi, ex quo & sequens.

PRÆDECESSORVM nostrorum auctoritatibus Synodalicis roborati. In nomine Domini & Saluatoris nostri IESV-CHRISTI. Kalendis Iunij. Ego Gumbaldus Archiepiscopus secundæ Aquitaniæ cum omnibus Episcopis comprouincialibus conuenimus aulam quæ olim Karrof vocitatur, tam Episcopi, quàm & religiosi Clerici, necnon etiam & omnis vterque sexus, auxilium diuinæ pietatis implorantes, vt qui quæ quondam in nostris domiciliis moribus pestiferis per longam tarditatem Concilii diu pullulare cognouimus, respectu cælestis gratiæ & eradicentur noxia & plantentur vtilia. Nos ergo in Dei nomine specialiter congregati decreuimus, sicut in sequentibus manifestata clarescant ita.

I. Si quis Ecclesiam Sanctam Dei infregerit, aut aliquid exinde per vim abstraxerit, nisi ad satis confugerit factum, anathema sit.

II. Si quis agricolarum, cæterorúmve pauperum prædauerit ouem, aut bouem, aut asinum, aut vaccam, aut capram, aut hircum, aut porcos, nisi per propriam culpam; si emendare per omnia neglexerit, anathema sit.

III. Si quis Sacerdotem, aut Diaconum, vel vllum quemlibet ex clero arma non ferentem, quod est scutum, gladium, loricam, galeam; sed simpliciter ambulantem, aut in domo manentem inuaserit, vel ceperit, vel percusserit; nisi post examinationem proprij Episcopi sui, si in aliquo delicto lapsus fuerit, sacrilegus ille, si ad satisfactionem non venerit, à liminibus Sanctæ Ecclesiæ Dei habeatur extraneus.

Ego Gunbaldus Archiepiscopus Burdegalensis. Subscripsi.
Ego Gislebertus Pictauensis Episcopus. Subscripsi.
Ego Hildegarius Lemouicensis Episcopus. Subscripsi.
Ego Frotarius Petrocororum Episcopus. Subscripsi.
Ego Abbo Sanctonum Episcopus. Subscripsi.
Ego Hugo Egolismensis Episcopus. Subscripsi.

PICTA-

Digitized by Goog

PICTAVENSE CONCILIVM,

IN QVO PRÆCEDENTIS KARROFFENSIS fit mentio.

SPecioſum quidem nomen eſt pacis & pulchra eſt opinio vnitatis, quam Chriſtus aſcendens in cœlum reliquit ſuis diſcipulis. Igitur Idibus Ianuarij GVILLELMO Pictauenſe Duce conuocante Concilium Pictaui conuenerunt Epiſcopi numero 5. Archiepiſcopi Burdegalenſis Siguinus, Giſlebertus Pictauenſis, Helduinus Lemouicenſis, Grimoardus Engoliſmæ ciuitatis, Iſlo Sanctonenſis, & Abbates duodecim pro reſtauratione Eccleſiæ. Firmauerunt per obſides & excommunicationem Dux & reliqui Principes huiuſmodi pacis & iuſtitiæ reſtaurationem. Conſtituerunt vt à quinque annis præteritis quæcumque res inuaſæ fuerant, & ab ipſo præſenti Concilio in reliquum tempus, vnde altercatio in ipſis pagis habetur, quorum ibi erant Principes, ſi ex contendentibus de ipſis rebus vnus alium interpellauerit, veniant ante Principem ipſius regionis, vel ante aliquem ipſius pagi iudicem, & ſtent in iuſtitia pro ipſis rebus. Et qui ſub diſtrictione iuſtitiæ ſtare noluerit Princeps vel Iudex ipſius rei aut iuſtitiam faciat, aut obſidem perdat. Et ſi iuſtitiam facere non potuerit, conuocet Principes & Epiſcopos qui Concilium inſtituerunt & omnes vnanimiter in deſtructionem & confuſionem ipſius pergant, & tamdiu patiatur ipſorum perſecutionem & confuſionem, quouſque redeat ad iuſtitiæ rectitudinem. Ergo dati ſunt obſides, & excommunicatum eſt in Concilio pro huiuſmodi confirmatione, vt nullus ab ipſo die in antea Eccleſiam infringat, & cætera, ſicut in Concilio Karroſenſe conſtitutum eſt. Item vt nullus Sacerdos propter pœnitentiam, neque propter Sancti Spiritus donum munera accipiat, neque requirat, niſi tantum ſi quis libenti animo donauerit. Item in eodem Concilio, vt nullus Preſbyter, neque Diaconus fœminam in ſua domo teneat, neque in cellario, neque in ſecreto loco intromittat propter fornicationem. Nam ſi facere temptauerit, ſciat ſe omnem gradum perditurum, & cum aliis hominibus ſacrum myſterium non celebraturum, quia qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & B. Gregorius, nec opus bonum eſt aliquid ſine caſtitate, nec caſtitas verò magna eſt ſine bono opere.

CANONES IV. CONCILII ROMANI SVB Gregorio V. Papa celebrati anno DCCCCXCVIII. qui erat III. eiuſdem Papæ & Ottonis III Imp. Ad res Aquitanias ſpectantes.

V.

STephanus Sanctæ Vallauenſis Eccleſiæ dictus Epiſcopus, vt omni ordine Sacerdotali careat auctoritate Apoſtolica edicimus, eò quod à Widone viuente Epiſcopo auunculo & prædeceſſore ſuo eſt electus ſine cleri & populi voluntate ac poſt eius mortem contra cleri & populi voluntatem à duobus tantum Epiſcopis non Comprouincialibus ſit ordinatus.

VI.

Dagbertum Bituricenſis Eccleſiæ Archiepiſc. & Rodenum Niuernenſis Eccleſiæ Epiſcopum à communione ſuſpendimus, donec ad hanc ſanctam & Apoſtolicam ſedem veniant & ſatisfaciant, eò quòd Stephanum Vvidonis Epiſcopi nepotem eo viuente, contra leges Eccleſiaſticas electum in Epiſcopum ordinare præſumpſerint.

VII.

Vt Clerus & populus ciuitatis Vallauorum licentiam habeant eligendi Epiſcopum indicatum eſt, & vt electus à Domino Papa conſecretur in Epiſcopum ſtatutum eſt.

VIII.

Vt Rex Robertus Stephanum Vvidonis quondam Vallauorum Epiſcopi nepo-

tem iustè damnatum & depositum nullomodo iuuare præsumat, nec ei præbere auxilium iudicatum est; sed vt Cleri & populi faueat electioni, salua sui debita subiectione decretum est.

Ego Gregorius sanctæ Catholicę & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ Præsul præfui & subscripsi.

Gerbertus Rauennas Archiepiscopus: Gislebertus Capuanus Archiep. Sigefridus Placentinus Episc. Hubertus Firmensis Epis. Petrus Cumanus Ep. Lambertus Constantiensis Ep. Hugo Genauensis Ep. Hugo Sedunensis Ep. &c.

CONCILIA DVO

BITVRICENSE ET LEMOVICENSE

Illud celebratum Kal. Nouembris anni MXXXI. Ind XIV.
Hoc verò XIV. Kal. Dec. eiusdem anni & Indictionis.

Cum Codice MS. 92. Bibliothecæ Thuanæ denuo collata, atque edita.

FActum est illo tempore, vt Dei nutu in festiuitate dedicationis templi Domini Saluatoris, quæ est decimo quarto Calendas Decembris, congregaretur Concilium apud vrbem Lemouicam. Ipso itaque dedicationis die, summo mane, conuenerunt omnes simul Episcopi cum Presbyteris & Diaconis in Ecclesia beati Protomartyris Stephani. Erat autem eadem Basilica propter coadunatum Concilium solemni more pridie ornata, sicut & Ecclesia Saluatoris Domini, in qua anniuersaria dedicationis festiuitas ab omni Lemouicensi populo ritè celebratur. Fuerunt itaque dispositæ in modum coronæ sedes Episcoporum in eadem sancta Lemouicensi Ecclesia, quæ est prima omnium Ecclesiarum Galliæ.

Iordanus Episcopus Lem. At vbi oratum est & sederunt Episcopi, data ab Archidiacono Lectione; Iordanus Pontifex, ait, Gratia diuina inspirante, vocatione nostra Episcopi præsentes ad nostrum suffragium de quibuscumque opus fuerit, dignati sunt venire. Qua de re omnes vos, dilectissimi Clerici, admonemus, vt in hoc sancto Concilio veritatem nullus scienter occultet, nullus timore, aut fauore, siue munere, siue odio, rectam perturbare præsumat iustitiam. De ordine siquidem nostro imprimis loquendum est, vt quæ corrigenda sunt, Deo opitulante corrigantur, & superflua resecentur; probata verò ab omnibus corroborentur, quatenus inter nos vnitas pacis firma permaneat. Scimus enim quòd in scissuris mentium Deus non est, & Deus vnitate gaudet; & illi gratiam eius merentur habere, qui se ab inuicem per sectarum scandala non diuidunt. Si quis verò de aliquo sibi dubius esse videtur, aut forte de quacunque re cæteros putat reprehensibiles, exeat in medium, & liberè dicat, vt aut doceat, aut doceatur, & derogatio confundatur de fraternitate Ecclesiæ. Ideóque hîc nomine IESV congregati esse videmur, qualiter iustitia sibi inter nos locum inueniat, & iniusta explodantur.

Cúmque de diuinis strictim esset disputatum, iterum Pontifex ait. Dolorem cordis mei vobis patefacio, ô venerabiles Episcopi, & reliqui ministri Domini, & clamorem facio de sæcularibus potestatibus parochianis meis, qui Ecclesiam Dei quietam esse non sinunt, res sanctuarii peruadunt, pauperes mihi commissos, & Ecclesiæ ministros affligunt, & me, qui eorum pastor sum, de pace audire nolunt.

Omnes Episcopi vno ore dixerunt: Qui conturbat vos, portabit iudicium quicunque est ille: dignum est enim vt tales qui vobis contraire præsumunt, ab Ecclesiæ communione abscindantur. Nam quicunque vobis subditos conturbant, vos conturbant; qui autem vos conturbant, Christum conturbant, cuius vice Episcopi legatione funguntur; ideóque seueritate diuinæ & Apostolicæ districtionis digni sunt, & à nostro Concilio iusto anathemate plectendi, quousque fructuosè pœnitendo resipiscant.

Odolricus Abbas. Tunc Odolricus monasterij Reuerentissimus Pater, sacris vt iuxta Pontificem residebat vestibus ornatus, in corona Episcoporum exurgens, facto silentio, dixit Pontifici: Rogamus, optime Pontifex, reuerentiam ordinis vestri, vt priusquam de

quibuſpiam conferatur, quæſtio Eccleſiæ veſtræ de Apoſtolatu Beati Martialis prudenter ventilata, hîc ſecundum regulam veritatis pactum inueniat. Hac enim præcipuè de re, ego & vos Concilium hoc adgregare curauimus. Ecce vobiſcum ſancti præſentes Epiſcopi in nomine Spiritus-Sancti adſunt; ecce in diuinis & ſæcularibus ſcripturis eruditi præſto ſunt plures: ecce quicumque nobis contradicere vult de hac re, qua Beatum Martialem profitemur eſſe Apoſtolum, & memoriam ei vbique in diuinis Apoſtolicam exhibemus, cum fiducia exeat coram vobis, & aut mendaces nos per rationem oſtendat, & nos libenter ei acquieſcamus; aut quod Deo opem ferente credimus, veraces nos inueniat, & veritatem cum pace ſuſcipiat. Totiens vos rogauimus vt firmiter in omnibus Eccleſiis & Monaſteriis per Lemouicinum ſtatueretis hanc regulam: totiens excuſaſtis id vos minimè agere velle, quouſque poſt Epiſtolam *Papæ Ioannis in Concilio* apud hanc ſedem cauſa à comprouincialibus Epiſcopis audiretur, & dignum & iuſtum atque rationabile fieri per antiquorum autoritatem iudicaretur; ne videlicet vos ſine conſultu vicinorum agere videremini Epiſcoporum, ne elati aut præſumptores diceremini à maleuolis.

Et Pontifex ait, ſicut *primum à Romano Papa*, & iterum à *Concilio Bituricenſi*, in quo mea vos vice fuiſtis, in *capite huius Nouembris* abſque præſentia mea probatum eſt, & collaudatum atque confirmatum; ſic volo, vt modo præſente me in hac ſancta Sede Beati Martialis dijudicetur iuſtè & Canonicè, vt poſt tertiam iſtam auctoritatem totum ſciſma de omni Lemouicino deinceps tollatur edicto noſtræ auctoritatis. In conſpectu ergo Epiſcoporum fiat examinatio de Apoſtolatu Beati Martialis, vtrum verè ſit Apoſtolus, an non.

Ad hæc adprimè eruditus quidam Anicienſis Eccleſiæ Canonicus, & Presbyter Engelricus coram exurgens, ait. Ideo infinita indoctorum hominum multitudo contradicit eum eſſe Apoſtolum, quia non eſt vnus de duodecim; & dum crebro duodecim Diſcipulos, vel duodecim ſedentes ſuper duodecim ſedes audiunt, putant multi nullum eſſe Apoſtolum, exceptis duodecim; nec alios ſeptuaginta duos putant fuiſſe Apoſtolos, ſed tantùm ſimpliciter diſcipulos. Sed contra hæc deferatur in Concilium veſtrum illius auctoritas viri, qui vetus & nouum teſtamentum de Hebræo & Græco in Latinum fideliter tranſtulit, qui ſacrorum voluminum expoſitor fuit, de cuius autoritate dubitare quempiam nefas eſt, cùm inter omnes Doctores poſt Apoſtolos fortior columna Eccleſiæ ſit. *Engelricus Anicienſis Presb.*

Tunc delato & perſcrutato Codice, commentum Hieronymi ſuper Epiſtola ad Galatas legere Epiſcopi fecerunt coram ſe, vbi Hieronymus ſcribit dicens. Quod autem exceptis duodecim, quidam vocentur Apoſtoli, illud in cauſa eſt: Omnes qui dominum in carne viderant, & eum poſtea prædicabant, fuiſſe Apoſtolos appellatos; vt illud Pauli: Viſus eſt illis vndecim; Deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus, ideſt ſeptuaginta duobus, qui bini à Domino ad prædicandum miſſi ſunt Nam & alij ab his, quos dominus elegit, ordinati ſunt Apoſtoli, ſicut ad Philippenſes ait. Neceſſarium exiſtimaui Epaphroditum commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum mittere ad vos. Et ad Corinthios de talibus ſcribitur. Siue Apoſtoli Eccleſiarum in gloriam Dei. Silas quoque & Iudas ab Apoſtolis Apoſtoli nominati ſunt. Et ſubiunxit ad hoc Engelricus dictus: Si illi qui in carne Dominum videntes, eum poſtea prædicantes Apoſtoli ſunt, quanto magis Martialis Apoſtolus eſt, qui Domini in carne diſcipulus fuit, & in prædicatione maximus laborator extitit; & fructificator; ita vt Gallia ſignum ſit Apoſtolatus eius? Scit omnis Aquitania Martialem eſſe primum illuminatorem Galliæ, cui contradicere nullus poteſt. Cum ergò diſcipulus Domini ſit, ſicut & Cleophas, & hanc partem occiduam ſignum Apoſtolatus habeat, indubitanter Apoſtolus eſt eodem ordine, quo & Paulus & Barnabas. Si tamen hæc melior inchoata inſtitutio quibuſdam dura eſſe videtur, propter vſitatum ſibi morem, quo eius memoriam de Confeſſore facere ſolent; tamen confidenter dicò, hoc nemo iuſtè contradicere aliqua ratione poteſt illis qui eius memoriam potius de Apoſtolo eligunt agere.

Ad hæc quidam literarum peritus, Monaſterij Maſciacenſis pater Azenerius exurgens in conſpectu Epiſcoporum, teſtimonium perhibuit dicens: Quia inter Grammaticos detritus ego, & poſtea in palatio, nunquam in noſtris Monaſteriis per Francjam, Martialem, qui hanc primam Eccleſiam ante omnes Galliæ Eccleſias dedicauit, audiui recitare niſi cum aliis Apoſtolis; & merito, quia ipſe populos *Azenerius Maſciacenſis A.*

Galliæ primus in Christo IESV per Euangelium genuit. At postquam iubente *Rege Roberto in solo Bituricensi Monasterij* eius prælationem suscepi, ibi primum aliam de hac re indebitam consuetudinem reperi, quam mox amputaui. Quia mox in eo proprio, quo Dominus eum gradu posuit, hoc est inter Apostolos, nomen & memoriam eius adscripsi. Nam olim antequam Monachi habitum susciperem, dum Hierosolymam proficiscens apud Constantinopolim in Basilica Sanctæ Sophiæ, Sabbato Pentecostes solemni interessem officio, memini me audisse in Letaniis Græcis Martialem inter alios Apostolos post duodecim fuisse à Græcis pronunciatum.

Odolricus Abbas. Ad hæc Odolricus explicare cœpit dicens: Audiant me Pontifices & seniores qui coram adstant, quòd Martialis semper ab antiquitate in pluribus doctissimorum patrum locis pronunciatus sit Apostolus; mihi necesse non est testificari, ne fortè adulatorius iudicer testis pro eius Ecclesiæ regimine. Adsunt ab externis locis qui ex hoc verum dent coram vobis testimonium, non tamen est mihi tacendum, quòd quando iam longo olim apud *Monasterium Sancti Benedicti* per plures annos artibus imbuerer liberalibus, annosam Monasterii legem reperi, Martialem in Letaniis cum aliis pronunciari Apostolis. Pater illius loci *Abbo florentissimus Philosophus*, quem multi vestrum nouerunt, & omni diuina & seculari autoritate totius Franciæ magister famosissimus, & postmodum gladio persecutoris martyrio coronatus apud Wasconiam, quid de Martiale scripserit, quod de eo testimonium perhibuerit, huius vobis Clero notum est. *Extitit post eum ipsius Monasterij* pater, tùm grandæuitate, tùm genere, cùm eloquentia, & disciplinis liberalibus clarus, ac demum leuatus Bituricæ sedi Archiepiscopus. Quod testimonium sancto Dei perhibuerit ille, multi ex nostris nouerunt. Adhuc *enim viuente Rege Roberto* cum antecessor meus *Hugo in palatio ei* apud Parisius adsisteret, tum multitudine nobilium & doctorum altercatio inter Francos & Lemouicenses de re huiusmodi coram Rege fieri cœpit, & ego ibi tunc præsens interfui. Dicebant isti: Vos Franci non rectè facitis, quod Martialem cum Apostolis pronunciatis: nos rectè agimus, quia eum inter Confessores recitamus. Vos vltimum Apostolorum dicitis: nos primum Confessorum in Litaniis dicimus. Quorum litigium *Archiepiscopus supradictus Gaulzlenus* compescuit dicens. Ambæ huius rei partes, nisi vniformes fuerint, altera pars altera parte iustior est, & necesse est vt semper iustior & rationabilior prævaleat pars.

Gaulzlenus Abbas & Archiepiscopus Bit.

Nam omnes qui Martialem inter Confessores pronunciant, non benè iustè, non iustè perspicaciter agere videntur: ille enim magis est sortis Apostolicæ vnus, quam sortis Confessorum. Idcirco non benè rectè agunt, qui nomen eius auferunt de eo in quo Deus eum posuit gradu, & ponunt vbi Deus non posuit. Potius est de agmine Apostolico, quàm de Confessorum, qui post Martyres sunt, serie; Vtique si regis, qui adest, nomen non inter Regum, sed Comitum subiectorum vocabula diceret quis, aut rusticus diceretur, aut maleuolus Regis contemptor, & si simplicitate rustica id fieret, nil moueretur Rex animo, sed rusticitati facilè ignosceret. Si verò non simpliciter, sed contemptiuè diceretur, non dubium quin Regis animus ad iracundiam pro contemptu suo accenderetur. Quòd si in tali intentione contemptor persisteret, sententiam contra se pro maleuolo contemptu sentiret. Nec tantùm Rex; quantùm subditi Comites eius, & Principes, & amici in contemptorem irati fierent. Re vera scit omnis hæc Regio, quòd ille prædicator Aquitaniæ de gradu non Confessorum, qui post Martyres sunt, sed Apostolorum, qui ante Martyres sunt, existit. Ego autem si nomen eius de Apostolico ordine auferrem, timerem vt Apostoli Petri & aliorum indignationem hac in re incurrerem, qui olim in mundo, & nunc in cœlo collegam & Sodalem suum Martialem præclarum consocia per sedilia Apostolica habent. Et si nomen eius permutarem in eum Catalogum quo Sanctum Benedictum, & Hilarium, & Martinum pronuncio, metuerem, quid ni? Iram Sancti Benedicti, & Hilarij, & Martini, & aliorum incurrere, qui cum in cœlo gaudent ordine Apostolico radiare. Illic nulla inuidia, nullum litigium, inter Sanctos esse potest, quia regnat in omnibus charitas, & quod singuli per se non habent, per charitatem in omnibus habent, vbi est Deus omnia in omnibus. Nimirum si alij Apostoli sunt, exceptis duodecim, sicut & absque dubio sunt, ille vtique Apostolus est, qui omne donum gratiarum à domino cum aliis

duodecim accepit Apostolis; certè Martialis non est nunc, nec erit alius quàm olim quis fuit, & qui fuit, ipse est nunc, & ipse semper erit. Amicus Dei fuit, amicus Dei erat; Apostolus fuit, Apostolatum habet: nam signaculum Apostolatus eius Gallia est, Apostoli honorem in cœlo in æternum habebit. Apostolus officio fuit, Apostolus est remuneratione, Apostolus erit in æternum gloria & honore. Est carnaliter de genere Abrahæ, est discipulus Domini, *est à Petro Baptisatus* Christo iubente, est eidem *Petro Regni* clauicularío, & Protomartyri *Stephano* consanguinitate carnis iunctus, est à Domino missus, est per insufflationem Domini Spiritu Sancto consecratus, & potestate ligandi & soluendi sublimatus, est à Domino die Ascensionis suæ, benedictione Episcopali sanctificatus, est in Sion in die Pentecostes Spiritu Sancto repletus, omnium gentium loquelas nouit, gentibus istis occiduis testimonium Dei viui attulit primus. Ideóque ipsum crucifixum, & resurrectionem in resuscitandis extinctis semper testem barbaris proferebat dicens. In nomine Domini, quem Iudæi crucifixerunt, & tertia die resurrexit à mortuis, resurgite qui mortui iacetis. Ipsam testificationem Dei eius nomen resonare videtur: Martialis quippe interpretatur græco *nomine testimonium*, siue testis vitæ, vel sicut alii volunt, virtus immortalis, quia discipulum virtute resurrectione de morte post sex dies Petri bacterio tactum resurgere fecit: siue virtus immortalitatis, hoc est prædicator vel testis illius, qui Rex sæculorum immortalis solus habet immortalitatem, ideoque testificator resurrectionis Christi extitit inuincibilis. Planè si Apostolus nullus est exceptis duodecim, sicut *Hebionitæ Hæretici* prædicant, & nefas est cogitare; ipsi enim nullum Apostolum recipiunt præter duodecim, & Paulum repudiant, quia non est de duodecim, sicut Beda in commento super Marcum dicit. Ergo Paulus & Barnabas non sunt Apostoli, quod putare dementia est. Nos Franci morem, quem patres nostri, qui primi Monasterium Sancti Benedicti suo magisterio innormarunt, plena nobis ratione subnixum tradiderunt, de hac re ratum conseruamus. Quisquis nos hac in re imitari voluerit, ratam veritatis lineam tenebit. Quo *perorato Archiepiscopus* tacuit, & Rex cum omni dignitate Clericorum & principum qui sibi adsistebant, dicta Archiepiscopi collaudauit. Nos autem vbi digressi sumus ad hanc vrbem, hæc de re Codices antiquos loci nostri perquirere confestim curauimus, & innumeros tam penes nos, quàm per diuersas Aquitaniæ Ecclesias inuenimus, Martialem habentes scriptum Apostolum. In antiquis etiam Martyrologij voluminibus duos eius discipulos, Alpinianum & Austriclinianum scriptos esse adhuc reperimus Apostolos. Sic quippe legitur in vetustissimis quibusdam. Pridie Calendas Iulij, natalis Sancti Martialis Aquitaniæ Doctoris & Apostoli; cum duobus Apostolis Austricliniano & Alpiniano, quorum vita signis & miraculis admodum effulsit. Ne miremini autem quòd in vestro consilio testimonium hoc protuli, Reuerendissimi Præsules, quasi ipsos discipulos eius recitari velimus Apostolos: hoc enim nolumus, ne vilescat, vt aiunt quidam, nomen Apostolicum, si tot Apostolos Ecclesia proferat, cùm hoc de ipso Martiale nonnullis ingratum esse sciamus. Verùm hæc idcirco diximus, vt qui præsentes in concilio sunt, facilè perpendant quia si ante nos longè olim antiqui patres discipulos Martialis non dubitauerant fateri Apostolos, multo magis eorum magistrum sciebant proculdubiò, & credebant esse Apostolum. Interrogentur de ipsa antiquitate maiores Monasteriorum per Lemouicense solum, vt impleamus illud propheticum: State super vias, interrogate de semitis domini antiquis; quærite quæ sit via recta, & ambulate in ea. Testificatur nobis pater *Monasterij Tutelensis*, quia postquàm ipse locus est fundatus temporibus Caroli Augusti, consuetum semper retinet morem memorandi Martialis Apostoli.

Interea Pater Monasterii Solempniacensis Geraldus solemniter in Concilio residens, sacris indumentis ornatus, ait coram omnibus. Antiquissimos Codices scio penes nos, antiquissimum habentes testimonium, Martialem esse Apostolum ab antiquis prædicatum: Verùm crescente paulatim negligentia Ecclesiasticorum virorum, cum alia quoque recta cæpissent deprauari, hoc etiam deprauatum est à iuniоribus, vt iam non vocaretur Apostolus, quia non erat vnus de duodecim. Nam multi, hodieque non aduertentes Paulum & Barnabam putant esse de duodecim, ideóque permutarunt eius nomen per Letanias de ordine Apostolico in Confessorum seriem; zelumque bonum habentes, sed non secundùm scientiam, putarunt patro-

Geraldus Solemniacensis A.

num suum melius honorari, si non vltimum Apostolorum, sed primum Confessorum dicerent, ideóque per eius gesta in aliquibus locis Confessorem eum scripserunt. Nam in vetustissimis Codicibus probatum est hoc minimè per eius gesta scriptum. Hac de re consultius est eum per omnia scribi Apostolum, quàm Pontificem siue Confessorem, quia sancti Apostoli, qui Episcopi fuerunt, siue occisi, siue non occisi gladio, omnes & Pontifices & Confessores vocantur, dum Apostoli vocantur: Pontifices autem, & Confessores innumeri sunt, qui Apostoli non sunt. Si autem in consecratione Episcopali Episcopus vocatur Apostolus, vbi dicitur, Vrbanus es, Apostolus Christi es: sit Ecclesia mater tua, sint Apostoli fratres tui. Apostolatus tui gradum custodiant Angeli. Quantò magis ille Apostolus est, qui ab ipso Domino missus & consecratus, & potestate Apostolica, id est ligandi & soluendi est sublimatus? Sed in Concilium vestrum, ô Præsules, veniat *Ambrosius Mediolanensis*, fortis columna Ecclesiæ; audiamus eius super hac re auctoritatem. Tunc delato Codice, lectum est in commento *super Epistola ad Timotheum*, vbi Ambrosius dicit: Primo itaque nascentis Ecclesiæ tempore omnes Presbyteri vocabantur Episcopi, siue Presbyteri, & omnes Episcopi vocabantur confusè, & Presbyteri siue Episcopi. Item omnes Episcopi vocabantur Apostoli. Cur ergò nunc discreta sunt hæc vocabula, vt iam Episcopi non vocentur Apostoli, non Presbyteri, sed tantummodo Episcopi? Et Presbyteri ante ordinationem Episcopalem non vocentur Episcopi, nisi solùm Presbyteri? Episcopi qui post decessum Apostolorum Ecclesiam regebant, cum viderent se non eandem habere quam Apostoli habuerant gratiam, in potestate signorum, in virtute miraculorum, in resuscitatione mortuorum, graue sibi existimauerunt vindicare Apostolicum nomen: & ideóque hæc duo nomina ita inter se diuiserunt, vt maiores Sacerdotes vocarentur Episcopi tantùm; minores verò Sacerdotes Presbyteri duntaxat appellarentur. Si igitur illi Episcopi quondam post Apostolos virtute signorum Apostolis qui dominum viderant, inferiores vocabantur Apostoli, quantò magis ille Apostolus est, & iure Apostolus vocabatur, qui à Domino omne donum gratiarum cum consortibus suis accepit, & in virtute signorum tanquam verè Apostolus præpotens fuit?

Petrus Presbyter. Cúmque fileret, dixit Petrus quidam Presbyter. Hoc idem testificatum est ante hos plures annos à *Regembaldo patre Monasterij Milbecensis*: nam cum vos, ô Venerande Pontifex, in hac Basilica per Hebdomadam Pentecostes *in vestra Synodo*, adstante multitudine Sacerdotum resideretis, *allocutus estis Synodum*, dicens: Nobis nescio quæ nouitas de patrono nostro Martiale orta est, mihi satis dura & grauis. Alij memoriam eius de Apostolo, alij de Confessore agunt: alij testantur eum esse Apostolum, alij non Apostolum. Quid ergò Fratres in hoc sentitis? At ille memoratus veneranda canitie, doctrina & moribus egregius confestim admirando signare se cœpit signo crucis, & sic primus respondit: Tale nunquam audiui quale nunc. Certè auribus meis, ô Pontifex, maiorem inducitis nouitatem: in nostro siquidem Monasterio, & in cæteris in quibus à pueritia mea vsque modò per Bituricensem & Turonensem prouincias conuersatus fui, nunquam audiui Martialem recitari, nisi cum aliis Apostolis. Interea *in Concilio illo cum* quidam ex clericis Petracoricæ vrbis cum patre Monasterij Solemniacensis altercaretur & diceret: Eodem modo Sanctum Frontum possumus dicere Apostolum: ille coram omnibus sic ei respondit. Tace, inquam, frater, melius est vt fileas; quia quando nos in Scholis magistrorum mel & lac bibebamus, tu solam ruminabas fabam. Scripturam *de Sancto Fronte nouam*, cuius tu autoritate niteris, *Gauzbertus noster* edidit lucri causa, qui sub huius Lemouicæ sedis *Episcopo Hilderio* Corepiscopus nobis extitit. Qua autem ratione ille potest esse Apostolus, qui indigena Petracoricensis fuit? Profectò si ibi à puero psalterium didicit, sicut in eius gestis legitur, & ibi clericus est factus, iam ibi Sacerdotium & Christianitas erat, vbi Scholæ scripturarum diuinarum, vbi cleticatus ordo erat; legitur eum potius Heremitam vixisse quam Episcopum. Dicere nescis quæ signa ille operatus est, vt Petracoricenses conuerteret: potius ille Deo eos acquisiuit qui omnem Aquitaniam cum Stephano principe Galliarum ad fidem traxit. Neque Frontus, neque Saturninus, neque Dionysius leguntur mortuos suscitasse. Et vtique sine suscitatione mortuorum, sine ostensione signorum primi gentiles non potuerunt credere, dicente domino; Nisi signa & prodigia videritis, non credetis. Item alibi dicitur: Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus

Digitized by Google

ſignis, Apoſtolus nullus fuit, niſi qui ab Hieruſalem profectus eſt, dicente Iſaia: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Itemque Dominus ait, Oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis die tertiâ, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientes ab Hieroſolyma. Et alibi dicit: eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Vbi autem eſt locus in quo Frontus Georgium legitur ſuſcitaſſe? Porro *apud Elſe monſtratur* ſemper locus vbi Martialis Auſtriclinianum ſuſcitauit. Martinus Turonenſis tantam poſt Apoſtolos gratiam à Deo legitur habuiſſe, vt trium mortuorum ſuſcitator fieret: diſcipuli eius orbem luſtraſſe dicuntur: Si quem fortè tunc viuentem inuenire potuiſſent in ſuſcitatione trium mortuorum Martino ſimilem, nec inuenire potuerunt. Dic nobis, frater, quos Martyres, quos Confeſſores, quas Virgines legiſti poſt Apoſtolos vltra tres mortuos ſuſcitaſſe? Nimirum hac in re etiam Martialis oſtenditur verè Apoſtolus eſſe, eo quòd, vt multam Deo gentilitatem acquireret, vt fructum plurimum afferret, *ſex mortuos tanquam* verè Apoſtolus ſuſcitauit. Sex ipſos mortuos in teſtimonium veritatis poſſumus oſtendere, in quibus iacent monumentis; Auſtriclinianum quippe, & filium Neruæ, duoſque idolorum Pontifices, atque armigerum Stephani, & filium Arcadij; nouimus vbi quieſcentes expectant reſurrectionem. Præter has ſuſcitauit puellam, quæ quaſi mortua facta erat, dilaniata à dæmonio. Item penes Mauritaniam oppidum maritimum, qui ante pedes eius quaſi mortui iacebant, vt cunctus populus mortuos eos crederet, nouem ſimul viros ſuſcitauit. Veritatem dico, non mentior: niſi Martialis ab eo qui diſcipulis ſuis poteſtatem mortuos ſuſcitandi tradidit, tantam ſignorum gratiam haberet, non tantam cœlo gentilitatem adquireret. Talibus ſignis barbari facilè potuere fidem & Chriſti nomen ſuſcipere. Nos autem ita Deo opem ferente, in Eccleſia Catholica conſtantes ſumus & ſolidi, vt quamuis omnia hæc Apoſtoli officio Martialis egerit, nullo tamen pacto eum fatemur Apoſtolum, hoc eſt legatum Dei, niſi hoc etiam ab antiquis patribus noſtris eſſet præoccupatum. Niſi enim verè legatus Chriſti eſſet, hoc eſt à Chriſto miſſus ad prædicandum, nunquam antiqui olim eum faterentur eſſe Apoſtolum; nunquam nomen eius cum nominibus aliorum Apoſtolorum nobis ſcriberent pronunciandum. Hanc rem antiqui Codices à Francia, ab Hiſpania, à gente Anglorum aducti demonſtrant, hoc priorum tractatus Doctorum, qui de eius laude quædam probè ediderunt, indicat. Scimus quod Deus mendacio non oblectatur; Sancti eius adulatione non gaudent, veritatem requirit Dominus, propter veritatem Sancti peruenerunt ad regnum. Et ne verbo meo longiores faciam vos, ô Venerabiles Patres, qui in hoc intereſtis Concilio, hoc tantum breuiter perſtringam, quia nunquam vſque ad hunc hodiernum diem, qui *eſt quinta Sabbathi*, factus eſt liber in toto orbe terrarum, qui in ordine Apoſtolorum per Letanias habeat ſcripta nomina Fronti, Saturnini, Dionyſii, Iuliani, Auſtremonii, Vrſini, neque aliorum, qui poſt Martialem in Galliam venerunt, patrum. Martialis verò nomen, vt iam dixi, & in vetuſtiſſimis Aquitaniæ atque Franciæ, necnon & Hiſpaniæ, ſiue aliarum gentium libris per innumeras Letanias cum aliis Apoſtolis inſcriptum comperitur. Denique qui eum in duodecim Apoſtolorum ſerie per Canonem Miſſæ, & per alia loca ſcripſerunt, ſicut Paulum & Barnabam, Lucam & Marcum & Cleopam, non vtique id agerent, niſi eum verè Apoſtolum ſcirent eſſe, de illo ſcilicet ordine, quo dicuntur eſſe Apoſtoli Paulus atque Barnabas. 1031. 18. Nou.

Ad hæc ex Clericis Engoliſmenſibus, qui tamen minus eruditus erat, quidam ſe oppoſuit dicens: Si nomen Martialis inueniretur in Actibus Apoſtolorum, nobis ſufficeret. *Clerici duo Engoliſmenſes.*

Cui mox quidam eruditus ex ipſis Engoliſmenſibus Clericis, qui tunc ab Engoliſma cum Epiſcopo *Rohone ad Concilium* venerat, obuiauit reſpondens: Adiurare Epiſcopos in Concilio iſto audiuimus, ne quis ſcienter hic taceant veritatem: ideóque de hac re non audeo, quin tibi coram omnibus reſpondeam. Nomina ſeptuaginta duorum, nec in Euangeliis, nec in Actibus Apoſtolorum inueniuntur: & Martialis procul dubio vnus eſt de illis ſeptuaginta duobus. Quando autem diſcipulus Pauli Lucas Actus Apoſtolorum ſcripſit, iam ante *viginti annos Martialis* apud Aquitaniam erat. Tacuit Lucas de aduentu Petri in Antiochiam, tacuit de aduentu Petri ad vrbem Ro- *Rohо Epiſcopus Engolism.*

Digitized by Google

mam. Si hæc duo tangeret planè, & Martialem non exprimeret nominatim iustè mirareris. Verum quia Petrus in Antiochiam, dehinc ad vrbem Romam cum Martiale venit; & primum Antiochiæ, dehinc Romæ Episcopus sedit, & quatuordecim annis ante Paulum venerunt Romam Petrus & discipulus eius Martialis, & Lucas nihil de his dixit, nihil est quòd mireris vel dubites. Si enim propter hoc dubitas, quasi Martialis de tempore prædicationis Domini non fuerit, gesta eius non credis, & idcirco merito brutum animal reputaris. Si tot ac tantos & tales patres doctissimos; & priscos, & modernos, qui eius gesta summa reuerentia & susceperunt, & suscipiunt, nutasse hac in he arbitraris. Quod autem à quibusdam dudum audiui, necesse est mihi in hoc Concilio proferre. Nonnulli enim, nescio, vtrum verè, an falsò opinantur, *Martialem esse illum adolescentem*, qui secundùm Marcum in passione Domini post omnes discipulos est secutus: & hoc propterea opinantur, eo quod tunc Martialis adolescens erat, & in cœna nocte ipsa Domini ministrauerat. Ætatis enim quindecim annorum erat, quando eum Dominus vocauit, & baptisari à Petro iussit. Alij autem illum adolescentem suspicantur esse Ioannem Euangelistam. Sic autem Marcus ait: Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus syndone super nudo, & tenuerunt eum. At ille rejecta syndone nudus profugit ab eis. De qua re in commento super *Marcum Beda dicit*. Hic adolescens, siue Ioannes, siue alius quilibet, nobis nomine ignotus proprio fuerit, certum est quia magnum amoris ardorem in Dominum habuerit. Item alij opinantur Martialem fuisse illum discipulum, qui secundùm Ioannem notus erat Pontifici, & dixit Ostiariæ, & introduxit Petrum. Quod hac de re opinantur, quia de nobili fuisse legitur genere, ac per hoc cognitus Pontifici. Alii autem hoc negant, & asserunt ipsum discipulum fuisse Ioannem. *Augustinus verò in commento* super Ioannem super hac re, sic ait: Nescimus quis iste discipulus fuerit notus Pontifici: non enim possumus affirmare illum fuisse Ioannem, quia Ioannes vbicumque se commemorat, hoc adiicit; quem diligebat Iesus; hic verò prætermittit. Alios quoque vidi qui opinabantur Martialem ipsum esse Mathiam, & similitudine nominis lingua Aquitanorum ita facile cœpisse vocari, siue propterea quia non facilè inuenitur, vbi corpus iacet Mathiæ. Ego autem pro certo teneo, quia si non alius esset Mathias, & alius Martialis, vterque tam in nostris, quàm in Anglorum gentis libris minimè in ordine Apostolorum esset scriptus. Per Letanias siquidem vetustorum voluminum Angligenæ gentis, quæ fidei rudimentum & Ecclesiasticas institutiones à Gregorio Papa percepit, Mathias & Martialis vterque cum aliis Apostolis inscriptus habetur. Proinde non ignorabat Gregorius non eundem esse Mathiam, quem & Martialem. Ego autem *quendam Græcum peritum* interrogans, didici ab eo Mathiam Armeniæ minori prædicasse, & ibi in pace migrasse. Sed libenter me audiat sacer patrum conuentus. Ante hos plures annos *quidam ex fratribus de monte Sinai*, in hanc partem aduenerunt occiduam, Dei disponente nutu, moribus graues, doctrinâ Catholicæ fidei profluentes, vitâ per omnia honesti, vtriusque linguæ periti. Qui cùm diu nobiscum Engolismæ fuissent expectantes principem ciuitatis, & literis Græcis ac Latinis eos videremus ad vnguem imbutos, super hac re interrogare curauimus eos. Eo tempore hæc regula de Apostoli memoria in hac vrbe frequentabatur, recuperata potius quàm primò inchoata, viuentibus, *Rege Roberto & Gauzleno* Bituricensi Archiepiscopo. Ego autem Engolismæ positus, vbi etiam ab ineunte ætate educatus sum, dum inter alios quasi sciolus viderer, ante omnes & super omnes huic sanæ regulæ repugnabam, putans esse vanum & falsum, siue ex elatione descendisse, quia Martialem audiebam in hac vrbe Lemouicensi prædicari esse Apostolum, & incautus rusticorum opinioni meam accommodabam intelligentiam, putans neminem esse Apostolum præter duodecim. Itaque illos conueni Græcos, scisitans vtrum orientales Martialem nossent. Qui alter *Simeon*, *alter nomine Cosmas*, consono ore responderunt dicentes: Vtique Martialem nouimus Apostolum vnum de septuaginta duobus. Quibus cum diceremus, nescimus præter duodecim Apostolos. Interrogauerunt nos: Habetisne, inquiunt, per istas occidentales Ecclesias Euangelistam Lucam, qui scribit alios septuaginta duos esse electos à Domino post 12. Apostolos? Et cùm diceremus vtiq; haberi; sed illos 72. à nobis non credi fuisse Apostolos, sed tantùm discipulos: Illi protinus nos fugientes, & signo crucis se munientes, cœperunt detestari vocem nostram, dicentes:

Discedite

Discedite procul à nobis miseri, quia hæretici estis, cùm non creditis verbis Domini dicentis ad illos: Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos. Non creditis esse Apostolos illos, quos ipse incarnatus Dominus ad prædicandum misit, duodecim misit binos, & postea nihilominùs binos misit alios septuaginta duos. Græci semper Latinis sapientiores fuerunt, & scripturæ Latinorum ex Græcorum fonte deriuatæ sunt: Martialem proinde, quem nos dicimus, ὁ ἅγιος Μαρτίαλος, verè scimus esse vnum de illis septuaginta duobus, qui cum Petro Occidentem petiit ad prædicandum, cuius gesta, & omnium septuaginta duorum in monte Sinai in eloquio nostro habemus. Hoc ego testimonio à Græcis accepto, cœpi mecum multa voluere, & curiosè antiquorum voluminum arcana rimarus frequentiùs, Martialem comperiebam ab antiquis esse pronuntiatum Apostolum. Animaduerti quoque Paulum & Barnabam, Sylam & Timotheum esse Apostolos, non de duodecim, non de septuaginta duobus. Perspexi quia Timotheus discipulus Pauli à Hieronymo dicitur Apostolus: Marcus etiam & Lucas, Silas atque Onesimus, & alij quidam per veteres scripturas dicuntur Apostoli, & memoria illis Apostolica exhibetur. Sic Deo reuelante patenter intelligere cœpi verè illum esse Apostolum, qui genere Hebræus, Domini discipulus, Domini in cœna minister, Domini insufflatione Spiritu sancto repletus, à Domino potestate ligandi atque soluendi sublimatus, à Domino ad prædicandum missus, fructificator maximus, in officio Apostolatus existere meruit; & hanc regulam rationabilem, & authoritate antiquorum plenam, & Dei voluntate inspiratam deinceps iudicabi, & ex eo defendere totis viribus cœpi, quod totis viribus antè ignorans persequebar. Nam & Episcopus noster Engolismensis, vir vndecunque doctissimus, qui ante hos quadraginta annos migrauit, cuius successor ante hos quatuordecim annos est defunctus, in quadam sua editione de Martiale hæc loquutus est: Illis, inquit, temporibus, ciuitas Lemouica ante omnes, & super omnes Galliarum vrbes eminebat, arcem regni Aquitanici tenens; & peruenit ad eam beatus Martialis, qui à Domino per legationem beati Petri gentibus Aquitanicis est destinatus Apostolus: qui dum ad Burdegalam vrbem ad prædicandum Vasconibus proficisceretur, transitum per ciuitatem Engolismam habuit, & diù illic demoratus, Engolismensem populum ad Deum viuum conuertit, eisque primum Episcopum nomine Ausonium, ex ipsa patria oriundum, quem ipse baptisauerat, ordinauit.

Hugo Engolisc. mensis Episc.

Auson. Episc. Engol.

Et cùm quidam ex concilio dicerent, cur Dionysius, qui longè post Martialem in Galliam venit, in libro Actuum Apostolorum nominatur, cur Martialis nominatim non ibi exprimitur? Ille respondit: Quia Dionysius Gentilis discipulus Pauli fuit, & Lucas comes Pauli erat, qui in illo libro plus gesta Pauli quæ vidit, enarrat. Sed de nominibus eorum, qui tunc in prædicatione floruerunt, quid nobis vel controuersiæ, vel vtilitatis attingat, non video; cùm plures nominentur ibi, vel in Epistolis Pauli, quorum memoriam in festiuitatibus minimè nouimus. De Iasone illo antiquo discipulo, de Philippo Euangelista, de Apollo, de Epaphra, siue de aliis ibi nominatim expressis, nos quidem eorum mentionem per singula, quamuis speciatim siue nesciamus, siue omittamus, illi tamen populi, quibus patroni dati sunt, certum est eorum memoriam non segniter venerari. Nam etsi Martialis memoria apud quasdam gentes annua speciarim non agatur, nobis tamen Occidentalibus, qui eius aduentu illuminati sumus cælesti claritate, qui eum in cælo & terra patronum occiduis gentibus esse scimus, non ignobili recordatione semper pro opportunitatibus habenda est gaudiorum. Porrò autem de Dionysio Areopagita, qui in Actibus Apostolorum memoratur, putare solebam ipsum esse, qui in Galliam cum Rustico & Eleutherio post decessum Apostolorum Petri & Pauli & Martialis venit; donec nuper contigit mihi fortuitò legere commentum Bedæ super libro Actuum Apostolorum, vbi ita scriptum est: Dionysius iste Areopagita ipse est, qui posteà Corinthiorum Episcopus factus, gloriosissimè Ecclesiam rexit, & eloquio clarus, multos libros ad vtilitatem Ecclesiæ scripsit. Huius Dionysij Hieronymus in Chronica sua mentionem faciens, dixit: Dionysius Corinthiorum Episcopus, eloquio clarus, sub Antonino floruit Imperatore, quo tempore Polycarpus discipulus Ioannis Euangelistæ passus est. Sub Trajano verò, qui quintus post Vespasianum imperauit, Ioannes Apostolus in pace quieuit; & Clemens Papa in mare mersus, martyrio coronatus est. Huius Dionysij Gregorius in quadam homilia meminit, dicens: Fertur

Dionys. Areop.

Dionysius ille antiquus venerabilis Pater Areopagita dicere, quòd ex minoribus Angelorum agminibus foris ad explenda ministeria vel visibiliter, vel inuisibiliter mittuntur. *Hic autem de Francia* Dionysius vnde fuerit oriundus, in passione sancti Marcelli fideliter memorari mihi videtur; sic enim ibi habetur: Puer quidam Marcellus sub doctrina beati Sixti erudiebatur; cúmque suppliciis Sixtum Episcopum videret puer macerari, cœpit timere. Tunc sanctus Laurentius corroborans ætatis eius infantiam, ait ad eum: Marcelle, genitor tuus Egeas noluit Christum credere; nam mater tua Marcellina, & fratres tui Saturninus & Dionysius, iubente sancto Clemente Papa vrbis Romæ, partibus Galliarum, vt ad fidem Christianam gentes instruerent, directi sunt: Vade ad eos, vt non pereas in manu Decij. Et infrà dicitur: Profectus Marcellus cum Anastasio commilitone Christiano, vt iret vbi erat frater suus Saturninus Episcopus, peruenit vsque ad Argentomagum, vbi à Præside comprehensus, inquisitus, vnde esset, aut de qua prouincia, vel ciuitate hùc venisset, Puer respondit: Christianus sum, ab vrbe Roma exiui, & propero ad ciuitatem Tolosam, vbi fratres mei Saturninus & Dionysius commorantur. Cui Heradius Præses ait: Dic mihi vocabulum patris vel matris tuæ. Puer respondit: Pater meus Egeas, & mater mea Marcellina nuncupati sunt. Sed si velint Episcopi, ipsa passio in concilium eorum potest sine mora deferri: Hæc mihi non discrepare videntur à scriptura, quæ penès nos *Engolismæ de Dionysij gestis habetur*: Ibi enim legitur, quia Clemens quendam Philippum ordinauerit Episcopum, & Hispaniæ destinauerit ad prædicandum. Dionysio verò verbi diuini semina gentibus tradidit eroganda, quem in Galliam misit, sociósque ei Saturninum, Marcellinum, & Lucianum, atque Rusticum & Eleutherium adhibuit. Qui cùm simul peruenissent ad portum Arelatensium ciuitatis, Marcellinus in Hispaniam abiit, Saturninus autem Tolosam profectus est, & Dionysius cum Rustico & Eleutherio Parisius adierunt; Lucianus verò Presbyter ad Beluacensem profectus est vrbem. Iulianus quoque Cenomanensis (vt in gestis eius reperimus) genere Romanus fuit. Saturninus autem (vt passio eius docet) tempore Diocletiani & Maximiani, Decio Germanico & Grato Consulibus, passus est. Verùm nonnullos audio interdum mouere, quomodo non discrepet illud, quod apud Tolosam gesta eius de tempore narrant; videlicet si in tempore Diocletiani & Maximiani, Consulatu verò Decij Germanici & Grati, primò Tolosam aduenit; vel quod verius esse mihi videtur, tempore Decij secundùm passionem supradicti Marcelli, & sub ipsorum Principum tempore passus est; quomodo à Petro Apostolo Episcopus ordinatus, & Tolosam missus est? Namque à passione beati Petri, quæ secundùm puram veritatem Hieronymi trigesimo septimo à Resurrectione Domini, hoc est decimo tertio Neronis anno extitit, vsque ad primum annum Decij fuerunt anni numero CLXXXII. & à primo Decij anno vsque in primum Diocletiani annum, fuerunt anni duodetriginta. Fuerunt à Resurrectione Domini vsque in vltimum annum Diocletiani, anni numero ducenti sexaginta quinque.

Ad hanc vocem cùm in Concilio à quibusdam de Chronicæ concordia propter aduentum Martialis in Aquitaniam subtilis inquisitio à Clericis fieret, ille *Engolismensis Clericus adjunxit, dicens*: Hieronymi Chronica, quæ mentiri non potest, si placet, in concilium deferatur, & super hac questione diligenter perspiciatur. Itaque perscrutato libro locutus est: Licet, inquiens, Beda in commento super Actus Apostolorum dicat Petrum quarto Claudij anno Romam venisse, & trigesimo nono anno post Resurrectionem Domini passum esse: tamen secundùm Hieronymi Chronicam subtiliter supputatam ita inuenitur, quòd decimo octauo Tiberij anno Dominus passus est; post Tiberium verò regnauit Caius, & post eum Claudius, cuius imperij secundo anno venerunt Romam Princeps Apostolorum Petrus, & condiscipulus eius Martialis. Ipsius autem Claudij quarto anno Marcus in Ægypto, Martialis in Gallia Dominum prædicare cœperunt. Post Claudium, qui imperauit annis tredecim, mensibus septem, diebus viginti octo, suscepit iura principalia Nero nihilominus annis tredecim, mensibus septem, diebus viginti octo: nam tredecim plenis annis regnauit, & quarto decimo plusquam medio mortuus est. Huius imperij primo, Rex Galliarum Stephanus Romam cum legionibus Gallorum ad eum perrexit, quemadmodum literis per veredarios ei fuerat iussum. Ipsius quoque Neronis anno secundo Paulus Apostolus primitùs venit Romam, hoc quarto decimo anno post aduentum beati Petri: necdum enim fuerat Paulus Romæ, quando Stepha-

Digitized by Google

nus ad Neronem profectus est. Missus est autem vinctus Romam Paulus à Festo Præside Iudææ, quia Cæsarem appellauerat. Item anno primo Tiberij Herodes Tetrarcha apud Iudæos cœpit regnare, qui regnauit per annos viginti quatuor, id est, vsque ad primum annum Caij Caligulæ, qui fuit successor Tiberij; sub quo Herode Dominus passus est, fuitque frater Archelai, id est, filius illius Herodis, sub quo Christus natus est. Post Neronem verò Tetrarcham regnauit Agrippa annis septem. Ipse est Herodes, qui Iacobum occidit, & Petrum comprehendit, & ab Angelo percussus est. Cuius Herodis anno quinto, hoc est Claudij Cæsaris secundo, Petrus & Martialis, vt iam diximus, primò venerunt Romam. Post Agrippam Herodem regnauit filius eius alter Agrippa annis viginti sex, hoc est vsque in secundum annum Vespasiani, quando Iudæorum regnum defecit. Post Neronem quippe imperauit Vespasianus, cuius tertio anno imperij, Martialis apud Lemouicam quieuit. Superuixit Petro quatuor annis; anno enim trigesimo septimo à Resurrectione Domini, vt iam diximus, hoc est decimo tertio anno Neronis imperij, Petrus passus est; & anno quadragesimo post Resurrectionem Domini, Martialis assumptus est. Hæc omnia ita diligenter supputantur, vt si secũdùm quosdam, trigesimo nono anno post Resurrectionem Domini Petrus passus est, ergo Martialis Petro superuixit vno integro anno, & crastinâ die, hoc est, primâ alterius incipientis anni die, cælos cum Christo ascendit, atque ipso anno, quo Basilicam, in qua ipse membris quieuit, in honore Petri Apostoli dedicauit, post duos menses dierum temporalem mortem suscepit. Si autem iuxta Hieronymum Petrus trigesimo septimo à Resurrectione Domini, hoc est decimo tertio Neronis passus est anno; igitur Martialis Petro quatuor annis superuixit.

Hæc & his similia de conuenientia annorum, cùm satisfactum esset: & ille *Engolismensis Clericus* iterùm diceret, quia nihil mirum si Martialem Lucas nomine proprio non exprimit, cùm illorum septuaginta duorum nomina non ostendat, atque Petri aduentum in Antiochiam & Romam nullo modo scribat.

Iterùm Odolricus pater allocutus est Concilium, dicens: Ne quis fortè nos dicat nunc nouum fateri Apostolum, & hactenùs non auditum, de Apostolatus eius antiquitate, eò quòd iam olim præoccupatus ab antiquis, & testificatus fuerit, iterùm perhibebo testimonium verum, ô Venerabiles Episcopi. Ecce duo Sacerdotes ex fratribus nostris coràm adsunt, quos olim hac ipsa de causa *Britanniam misi*, vt Anglorum à Gregorio (vt reor) præfixam legem annosam diligentiùs perscrutarentur, & omni summoto mendacio ad nos referrent. Qui cùm ad Anglos peruenissent, tam in Martyrologiis eorum, quàm in Litaniis Martialem ab antiquitate reperiebant Apostolum scriptum. Ad quoddam autem magnum deuenientes Monasterium, in quo primus Anglorum Episcopus requiescit corpore Augustinus, compererunt non ibi haberi librum de actibus beati Martialis; per Letanias tamen atque Martyrologia in eodem loco inueniebant eundem Patronum nomine Apostolico decoratum. At cùm à Patre Monasterij perquirerent, dicentes: Vt quid Martialem in vestris Letaniis prædicatis Apostolum, cùm eius gesta dicatis non habere penès vos? Ille respondit: Quia ab illo, inquit, tempore, quo primò in hanc prouinciam Christi nomen auditum est, à Patribus hoc nostris obseruatum est, quorum nullatenus immutare possumus traditionem. Scimus quippe Doctores nostros priores de Gregorij profluxisse magisterio. Attamen sæpiùs inter nos conferre indagando solemus, quis iste est Apostolus, cuius vocabulum in Euangeliis & in Actibus Apostolicis minimè intuemur. Et quoniam gestorum eius authoritatem non habentes, de eo non parùm, hæsitabamus; ideò nomen eius crebrò à memoria Apostolica eradere putabamus. Sed è contrà cùm animaduerteremus quia antiqui Patres nostri non incassum hunc nobis scripserunt Apostolum, ideircò nullo ausu eius vocabulum à serie Apostolorum abolere audebamus. Vos autem peregrini Galli, qui de eius estis Apostolatu, qui nobis eius actus enunciatis, à nostris cordibus de eo omnem omnimodis dubitationem abiecistis, & hac de re creberrimè dudum Deo supplicabamus certos nos reddi. Nec in aduentu vestro derelicti spe nostrâ videmur, imò exultandum nobis est de tam egregię virtutis Domini nostri IESV CHRISTI discipulo. Multa alia testimonia penès eandem gentem Anglorum de huius authoritatis vetustate testes veraces narrauerunt nobis sese comperisse. Illud quoque mihi commemorandum est, quòd ante *hos septem annos Rex Anglorum* Duci Aquitaniæ regalia munera misit,

Odolrici Abbatis.

* *

simúlque codicem literis aureis scriptum, in quo nomina Sanctorum distincta cum imaginibus continebantur: quod volumen *iam olim in Concilio Pictauiensi*, dum hâc
Concil. Pictau. eadem de re quæstio esset, illud, *Dux Guillelmus*, literis edoctus, in testimonium antiquitatis Pontificibus ostendit; erat enim ibi Martialis in aliorum Apostolorum catalogo positus. Qui peritissimus Princeps dicebat Archiepiscopo Burdegalensi, & aliis qui ibidem aderant Episcopis: Conijcere, inquiens, possumus, quàm egregiæ authoritatis sit beatus Aquitanorum Patronus, de quo Gregorius in illa sui laboris gente hanc legem tradidit obseruandam; nimirùm imperitorum est dubitare, de quo sanctus Papa Gregorius non dubitauit. Videtis, ecce, ô Episcopi, in hoc codice, qui apud Anglos scriptus est, prætermissum esse Timotheũ & Cleopã, & Silam, & alios, quorũ nomina in Euangeliis & in Actibus Apostolicis, siue in Epistolis Pauli leguntur, quos Apostolos dicitis præter duodecim esse: non tamen prætermissum esse illum nostrum Patronum, qui primus Galliarum fuit Episcopus, cuius nomen in Euangeliis reticetur, vt scilicet verè illum Dei fuisse discipulum in carne, & cum duodecim prioribus electis discipulis maximam à Deo accepisse Apostolatus gratiam, hanc gentem occiduam possidendi signum Apostolatus in æternum. Hoc autem in Martiali fieri videmus, quod etiam in Barnaba, Luca, & Marco, & antiqui faciebant, & moderni hactenùs faciunt. Nam eorum alij memoriam de Confessoribus, non de Apostolis agunt, eâ tantùm causâ, quia non sunt de duodecim. Alij autem rectiùs arbitrantes, non de Confessoribus, sed de Apostolis eorum agunt recordationem, eósque Apostolos prædicant. Ideò quia de Israël genere secundùm carnem procreati ad prædicandum ab aliis Apostolis missi sunt; ita & qui Martialis mentionem de Confessore agunt, idcircò agere videntur, quia non fuerit vnus de duodecim ex genere tamen Abrahæ, hoc est, de tribu Benjamin ortus, Dominum in carne videns, eius fuit discipulus: omne etiam donum gratiarum cum duodecim à Domino accipere promeruit. De cætero à Domino per beatum Petrum ad prædicandum Gallis missus est, vbi clara habet Apostolatus signa, prædicationis quippe fructificatio maxima illi inter alios Apostolos extitisse probatur. siquidem præter Paulum & illos duodecim nescimus tantâ copiâ fructificasse alium Apostolorũ, quãta Martialis prædicando fructificauit. Hæc & his similia cùm *super his Dux* peroraſſet, eiúsque verbo nullus contraire quiuisset, *quidam Clericorum* de eruditis ait ad eos, qui *sedebant in Concilio*: Non ignoramus quia Mathias de septuaginta duobus dudùm fuerit, & pòst per constituentem Petrum vnus de duodecim extiterit. Verùm alter, quem sors in duodenario non accepit, nihilominus tamen de eorum ordine, qui exceptis duodecim erant, Apostolus permansit: ipse est enim posteà dictus Iudas Apostolus, qui tunc Ioseph Iustus, siue Barsabas dicebatur: ipsè denique est, qui cum Sila Apostolo ab aliis Apostolis missus est: vnde Hieronymus diuinæ legis interpres scribit, dicens: Silas quoque & Iudas ab Apostolis Apostoli appellati sunt. Si ab Apostolis ibi appellati Apostoli sunt; ergo verè Apostoli erant: priores enim Apostoli eos quos Apostolos vocabant, non incassum Apostolos existimabant, nec appellassent nisi essent. Præterea, Paulus Apostolus, in quo Christus loquebatur, exceptis vndecim, non appellaret Apostolos, nisi verè Apostoli exceptis vndecim essent: non in vanum quippe, neque mendaciter aliquod verbum loquutus est Paulus: Apparuit, inquit, vndecim, deinde Apostolis omnibus. Hoc propter quosdam protuli, qui in concilio verbum ventilant dicentes: Quid enim si Martialis Apostolus tunc erat, vt quid minimè in locum Iudæ ponebatur, quando Mathias eligebatur? Sciant itaque non solùm Mathiam, sed cum eo & Barsabam ab Apostolis electos, & statutos; & occultâ sorte Mathiam, vt in locum Iudæ esset assumptum, quatenùs non iam vndecim, sed duodecim primi testes resurrectionis Domini essent; Barsabam verò apostolico nomine minimè caruisse, quia alij præter duodecim iampridem ad Apostolatus officium destinati fuerant, dicente Domino: Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Sanè quis dixerit Martialem non fuisse resurrectionis Domini testem? Nunquid non Barsabas, quia vnus erat de septuaginta duobus, sicut & Mathias, sicut & Apostolus tunc erat, ita deinceps Apostolus fuit? Nonne ipse est, vt iam dixi, qui nunc dicitur Iudas Apostolus cum Sila Apostolo? Etenim quemadmodum Mathias priùs erat Apostolus de septuaginta duobus, dehinc autem vnus de duodecim fuit; ita & Barsabas, vt Apostolus erat, Apostolus permãsit, licet non de duodecim; eodem modo & Martialis, si vnus de septuaginta

Digitized by

duobus fuit, ergo tunc & Apostolus erat, & demùm Apostolus permansit, translato Mathia in duodecimum. Vt autem quidam ait, Apostolus non numeri, sed officij nomen est. Re autem verâ illi statuti sunt duo ad supplendum duodenarium ordinem, qui à baptismate Ioannis, vsque in diem Ascensionis opera Domini viderant perfectæ ætatis existentes. Si enim ipse Dominus non ante tricesimũ ætatis est exortus prædicare annum, quantò magis discipulos duodecim oportebat non ante ætatem perfectam testes Domini publicos Iudæis esse? Porrò si Martialis, quando Dominus ascendit in cælum, necdum vicesimũ ætatis annum attigerat, quid in eo præjudicare possumus, quòd minimè in locum Iudæ substitutus fuerit, præsertim cùm anteriores duodecim testes, vel grandæui, vel perfectæ essent ætatis, hic autem nondum corporis ætatem haberet? Si autẽ cùm Dauid adhuc esset adolescens, à Domino electus est in regnũ, & eo iubente, consecratione regiâ vnctus est; tamen non antè regnare cœpit, quàm triginta annos compleret ætatis; Quid mirum si Martialis ætate adhuc adolescens, vnctionem S. Spiritus in potestate ligandi atque soluendi, & cætera gratiarum charismata ad officium Apostolicum pertinentia, cum aliis à Domino accepit Apostolis? Vbi iam enim peruenit vt integræ esset ætatis, hoc est annorum triginta, per B. Petri legationem Aquitanicæ gentilitatis apostolatum efficacissimo opere à Domino suscepit. Quòd autem Dominus iussit Petro vt dirigeret Martialem ad prædicandum prouinciis Galliarum, idem est simillimũ illi, quo Doctoribus Antiochiæ degentibus, ait Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus quo assumpsi eos. At illi orantes, & ieiunantes imposuerunt eis manus, & dimiserunt eos. Et sicut illi missi fuerant à Spiritu Sancto, quamuis per ministerium discipulorum: sic Martialis missus est à Domino in Galliam, licet per legationẽ & consultum B. Petri, qui vocante & eligente se Domino, ętatis quindecim annos impleuerat tantummodò, tribúsq; cum eo permansit, id est, vsq; ad passionem & ascensionem. Post aduentum denique S. Spiritus super Apostolos in Sion, annos 5. apud Iudæam fecit, & pòst cum Petro Antiochiæ septem permansit. At verò dehinc sequenti anno imperante Domino Aquitaniam introiuit, in qua per 28. annos prædicationi institisse cognoscitur; siquidem tertio Vespasiani anno migrauit. His igitur verbis æmulorum pertinacia compullulans facilè esset extincta, omnésque peritorum acclamassent satis fuisse conueniens ætatis perfectionem in illis, qui duodecim Apostoli priores electi sunt, extitisse. Interim *in illo Concilio Pictauiensi* super hoc capitulo cessatum est. Subjunxit etiam idem venerandus senior, qui hæc perorabat, dicens: Quid multa necesse, dilectissimi? Nil profectò hîc obesse conspicitis, quam illam minùs congruam multorum consuetudinem, non ratione perspicacem, sed incuriâ (vt assolet) torpente penès plurimos inueteratam. Quo autem modo hæc quæ in multis inualuit traditio, ex quo, videamus, fonte descendit. Nostrorum siquidem Patrum non incertâ didicimus relatione, quia longè olim, immò ab ipsius discipuli Domini tempore, quo imperante Vespasiano in pace occubuit, vsque in tempora nepotum Caroli Augusti, *quando in monasticum canonicalis ordo*, facientibus *Pipino & Carolo fratribus* filiis Ludouici, in quo ego Rector sum loco, permutatus est, eundem Christi discipulum passim per Aquitaniam Priores nostri cum aliis recitabant Apostolis, eiúsque de Apostolo mentionem recolebant, donec iuniores quasi melius zelando, immò deteriùs sapiendo, cœperunt nouitatem inferre dicentes: Licet nobis Patronum Aquitaniæ de loco Apostolorum, in quo nunc vltimus est, transmutare, vt sit nobis honorabilior, si primum in Confessorum serie eum dicamus. Sit nobis principium Confessorum, non extremitas Apostolorum: eligimus vt sit primus ante omnes Confessores, quàm vltimus in Apostolis. Hoc itaque arbitrio humano nullâ ratione fulto paulatim vsque ad hæc tempora nostra talis increuit mos, non tamen in omnibus locis: nonnullæ quippe Ecclesiæ hodiéque antiquiorem hac in re retinere videntur obseruantiam, quam licet alij permutassent in terris, nullatenùs tamen potuêre eius imminuere, neque obscurare gloriam in cælis, vbi ingens Apostolicum decus, in glorioso rutilans Apostolorum choro ante conspectum majestatis gloriæ Dei perenniter possidet. Si ergo priora & antiquiora Patrum secundùm veritatem, & rationabilem authoritatem, Deo inspirante, recuperamus instituta olim humanis adinuentionibus ablata, atq; deprauata, idque egimus renouando magis, quàm nouitatem præsumptiuam tradendo; vt quid culpamur velut transgressores paternorum terminorũ? De quibus scriptum: Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posue-

runt Patres tui. Cur, inquam, durum id aliquibus videbitur, si rectam veritatis lineam sequimur, si perspicaciores Patres antiquos hac in re imitemur, si minùs acutos non sectari dignum ducamus? Nonne hic Pater *Azenerius*, atque *Benedictus* Rector Monasteri) *Clusæ sancti Michaëlis*, pluréſque alij doctissimi, & reuerentissimi Abbates & Episcopi, tam præsentes quàm absentes, vnà cum Romana Apostolica sede, huic sententiæ testificantur nobiscum, bonúmque id ac iustum, Deóque beneplacitum ducunt? Cur autem multorum opinioni incautè aurem præbendo obscurare, immò (quod absit) infalsare tanti gesta Patroni videbimur? Qua enim ratione possumus eum negare fuisse discipulum Domini, eúmque in carne sequutum? Sed quisnam temerè inficiari audeat, eum à Domino ad prædicandum missum, necnon & ligandi soluendique cum aliis Apostolis potestate promotum, partémque gentilitatis enormem in occiduo climate specialem in sorte Apostolatus, Christo iubente, ac donante, beatóque Petro consultum præbente, suscepisse? Omnia hæc de illo abnuunt, qui eum aut non credunt esse Apostolum, aut si credunt, non libenter suscipiunt. Illi, inquam, hæc denegare videntur, qui eum non quemadmodum Ioannem Euangelistam, sed velut Syluestrum Papam, aut vnum de his, qui Dominum in carne non sequuti sunt, vel non viderunt, simpliciter Confessorem autumant.

Æmilius Albiensis Epiſc.

Tunc quidam moribus & ætate grandæuus, ex Episcopis qui sedebant in Concilio, Albiensis videlicet Ecclesiæ Pastor Æmilius, facto silentio dixit: Hunc Aquitanicæ patriæ coruscum illuminatorem, qui ad hanc plagam Patres nostros venit primus saluare, quem Christus Dominus, & B. Petrus, alter imperans vt magister, & Dominus discipulum, & seruum; alter exhortans vt condiscipulus & compropinquus condiscipulum & compropinquum, ad salutem & lumen Galliarum, in tenebris, & vmbris mortis sedentium direxerunt, iustissimum, & dignissimum esse omnimodis censemus, vt quo magis possumus, excellentiori habeamus honore. Secundùm tamen rectam veritatis normam hæc inquam in eo teneamus, quæ non sint vltra veritatem, & quod verum clarissimum illi est nec prætermittentes, nec excedentes, quo eum magè valemus, honoremus. Si enim verè à Domino ad prædicandum missus est; si discipulus ejus in carne fuit; si vnus de illis est, quibus dictum est: Beati oculi qui vident quæ vos videtis! qui eum negat Apostolum, profectò constat quia veritatem prætermittit, immò impugnat. Si autem ita diceretur Apostolus, vt de origine Israël discipulus Domini non esset, nec à Domino potestatem ligandi atque soluendi accepisset, vltra veritatem fieret transcensio: vel si quis eum vnum de duodecim dicat fuisse, vltra veritatem pertransit. Qui verò ita eum dicit Apostolum tanquam à Domino missum, non de duodecim, sed de septuaginta duobus vnum, siue tanquam Paulum, & Barnabam, qui post Domini Ascensionem electi, Apostoli extiterunt; hic veritatem neque contemnit, neque transcendit; verùm nec ad læuam, nec ad sinistram deuians, per viam rectam iustitiæ graditur. Igitur si pars aliqua probabilis antiquissimorum Patrum comperitur eum dixisse Apostolum, & nomen eius cum aliis pronunciasse Apostolis, bonum mihi videtur nos indubitanter tramitem tenere, vt posteri nostri callem directum deinceps assuescere ipsum non cunctentur.

Libertus Pictauiensis Epiſc.

Hæc & his similia eo dicente, alius ex Episcopis Isembertus Pictauiensis Ecclesiæ Rector, cœpit explanare dicens: Qui de hoc verbo controuersiam parit, nodum in scirpo quærit. Nos non sumus Hebionitæ, qui non recipiunt præter duodecim Apostolos, & Paulum quasi transgressorem legis repudiant: sufficit ad confodiendos aduersarios hoc telum acutissimum, hoc est, sola beati Hieronymi sententia: Item mucrone validissimo Pauli Apostoli nullâ arte, aut vi vnquam retundendo omnis pars contentiosa perimenda est. Ait Paulus, quia apparuit Dominus vndecim, deinde Apostolis omnibus; vt sciamus Apostolos fuisse omnes, quos Dominus in carne adhuc degens misit ad prædicandum. Ait Hieronymus, vt in præsenti recitatum est lectione. Omnes qui Dominum in carne viderunt, eúmque postea prædicauerunt, fuerunt Apostoli, &c. Liquidò constat, quia Martialis Dominum in carne vidit, & eum postea prædicauit. Bonum est eum dici Apostolum, quamuis non malum sit dici Confessorem. Nam & Apostolus Petrus si dicatur Confessor, malum non est, cùm confessio veritatis semper sit communis per os omnium Sanctorum, tam in veteri, quàm in nouo Instrumento. Cùm hunc autem Patronum bo-

num sit Confessorem dici, melius tamen est eum prædicari Apostolum, ne latere videatur sub modio claritas eius, quâ Domini discipulus est, & sortis apostolicæ vnus esse prædicatur. Qui autem contentiosè eum dicit Confessorem, ideò non bonum esse mihi videtur, quia quasi negare videtur eius proprium, & inimicitias in Ecclesia parit. Ne igitur scissura in Ecclesia Dei hâc fieri possit occasione, summoperè est prouidendum, vt omnes consono corde & ore vnum id quod melius est, pronuntient. Sola quæ obesse videtur auribus consuetudo in melius accipiatur, & scissura ac murmuratio, atque dubietas à nostro communi cœtu aboleatur. Quòd si quis contraire præsumpserit, huic pacificæ concordiæ, de contentiosis & schismaticis vnus iudicetur.

Ad hæc venerandus ait Iordanus: Multa, charissimi, ante hos annos hac de re facta est inquisitio, quousque hæc altercatio ad aures Apostolicæ sanctæ Rom. sedis perueniret. Super quo Dominus *Ioannes Papa* exemplar epistolæ nobis est dignatus destinare, magnoperè testificans apostolatus eius gloriam, & redarguens omnes, qui eum contradicunt esse Apostolum: quæ epistola sacra conseruata in promptu habetur, in qua facilè claret testimonium verum Romanæ sedis. *Iordan. Episc.*

Cui Bituricensis Archiepiscopus Aymo respondens dixit: Textum *epistolæ Papæ Ioannis* omnibus Galliarum Episcopis directæ, ante *hos quindecim dies in Concilio Bituricensi*, vbi plures Episcopi congregati eramus, coram nobis recitare fecimus, vbi multa doctorum turba interfuit: qui hanc disceptationem sub magna discretione examinantes, inuenerunt sanum esse, quod Ioannes Papa in Romana sede, & vos in hac quæ prima omnium Ecclesiarum Galliæ est, S. Spiritu afflante, de hac iustissima re instituistis. Nemo denegat eum fuisse vnum de septuaginta duobus. Illis autem Dominus dixit: Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Constat ergo quos Dominus dixit Apostolos, quia verè Apostoli sunt, & hunc Protoducem Galliæ semper plures antiquorum non cum Confessoribus, sed cum Apostolis pronuntiasse visi sunt. Itaque plurimo doctorum choro persuadente coram omni populo, *in maiori Ecclesia Bituricensi* testimonium perhibuimus beato Martiali, quia Apostolus veritatis est: curauimus enim ne Rom. Apostolicæ sedis decreto & imperio repugnaremus. In testimonium verò veritatis *in eodem Concilio tomum scribere* rogauimus, quem manibus corroborauimus nostris, quatenus omnibus sit notum nos de hac re à Rom. sede minimè velle desciscere, quod non oportet. Porrò verbũ idem dum in Ecclesiæ totius conspectu cõcionaretur, ilicò omnis populus quasi vir vnus vnâ voce Deum benedixit pro sui gloria Patroni. Sicut igitur Rom. testificatur Ecclesia, cui contradicere nefas est, & quemadmodum in prædicto Bituricensi testificati sumus Concilio, ita in præsenti concione generali hanc sententiam iustam, & necessariam sanctæ Ecclesiæ testificamur esse. Tunc Deo amabilis Iordanus respondit: Hoc equidem *verbum qualiter ante hos annos*, hoc est, *in primo anno dedicationis* huius Lemouicensis Basilicæ Redemptoris nostri, quam hodiè exultanter hæc ciuitas nobiscũ recolit, viuentibus tunc doctiss. Rege Francorum *Roberto & Gauzleno* Metropolitano prædecessore vestro, hęc sedes Lemouica non sine authoritate diuina receperit, paucis memorare libet. Post multas enim huius capituli altercationes, aliis assentiẽtibus, aliis verò cõpugnãtibus, cùm super hac re factæ multæ essent Letaniæ, vt hoc verbũ, nisi Dei esset bona voluntas, in concordiam huius sedis minimè resideret, *aduenit synodalis ad hanc Ecclesiam* conuentus, vbi *tertia die* Synodi omnis sacerdotum generalitas, & cæterorum clericorum numerositas, vnà nobiscum nobilium virorũ, & legis doctorũ adjunctâ multitudine, credo Deo gubernante, vnum cor & vnam voluntatem horâ diei 3. susceperit, talitérq; omnibus inspiratum est, vt pacificè, & libenter atque voluntariè, bona obedientiâ hæc susciperetur ab omnibus sententia, deincepsq; immutabiliter per nostram diœcesim obseruaretur. Et benè placuit omnibus, qualiter hanc Deo beneplacitam voluntatem, quemadmodũ multitudini nouitas videbatur, ita contra hanc altera quidem res noua, sed magnifica, & glorioſa aduersum omnes æmulos confirmaretur. Aggregato itaque maximo populorũ conuentu, sacratissimũ corpus Patroni à suo leuauimus tumulo, & pijssimo obsequio trãstulimus super hoc sanctum Altare, quod in honore Protomart. Stephani ipse consecrauit. Facta sunt hæc Dominicâ resurrectionis die in ipsa solẽnitate inuentionis corporis S. Stephani, atque huius sancti templi consecrationis, quod idem Patronus primũ in omni Gallia dedicauit, dirutis quæ in hoc loco pridem gentilitas coluerat simulacris. Quæ res ita *Aymo Archiepisc.* *Iordan. Episc.*

Digitized by Google

nobis conuenire visa est, vt sicut ille viuens, hanc suam sedẽ totius Aquitanicæ gentis fontem baptismi, & illuminationis Euangelicæ fecerat; ista corpore suo eandem visitando perlustrans, istic nobis huius daret initium obseruationis, hócq; institutum membra in reliquum conseruandũ non cunctarentur, quod exordium in capite suo sumebat. Super hoc itaque Altare eodem die mysteria in gloria apostolatus eius solemniter celebrauimus, quod semper in reliquum celebrare tam hîc, quàm per omnes nostræ diœcesis Ecclesias & Monasteria mãdauimus; vt videlicet vlteriùs non in Confessoris, sed in Apostoli recordatione memoria Patroni ab omnibus cõcorditer fieret. Hanc etiam diem statuimus habendam in recordatione omnibus annis, quâ ad suam sedem egregius Pastor translatus est, quâ etiam die cathedra eius, id est, ordinatio siue initium episcopatus eius est; non quòd eadem die cõsecratus sit in Episcopum: nam die ascensionis Domini consecrationem episcopalem cum aliis Apostolis à Domino accepit, quando eleuatis manibus, benedixit discipulis Dominus, & ferebatur in cælum: sed sicuti est cathedra B. Petri Antiochiæ, itémq; cathedra Romæ, nunquid tunc consecratus sit Episcopus, qui à Domino iam olim consecrationẽ susceperat pontificalem? Sed tunc primùm in illa die apud easdem Ecclesias sedit ad suscipiendũ super populũ Dei regimen pastorale. Ita *in hac die, quæ est tertia mensis Augusti dies*, hanc domum de fano dæmonum fecit Christi templum, vt in ipsa Ecclesia hac primũ sedit suscipiens in populo curã & regimen Pastoris, quem duo sacerdotes Dei Austriclinianus & Alpinianus discipuli eius inthronisasse credũtur in huius Ecclesiæ cathedra in testamento veritatis; vt vbi duo vel tres cõgregati essent in nomine Saluatoris, in medio eorũ ibi Dominus esset. Nam & B. Petrum Linus & Cletus discipuli eius sacerdotes, immò cum eis idem B. Martialis condiscipulus eiusdem B. Petri apud primam Rom. Ecclesiam inthronisasse creduntur: quæ Ecclesia prima, vt quidam dicunt, est apud titulum qui vocatur Ad primum, & est in honore Leuitæ Stephani primi Martyris; vt alij autem ferunt, est apud Lateranos, quia ibi Patriarchium est. Alterâ ergo die, quæ est post dedicationem huius sacrosanctæ Basilicæ, siue inuentionem reliquiarum Protomartyris Stephani, translatio Patroni ad suam sedem, siue festiuitas cathedræ eius ex eo tẽpore celebrari solita est in hac eadem sancta Lemouicensi Ecclesia. Eadem verò die consummatis cum tripudio mysteriis, & de Apostolica cõmemoratione instituta fœderato cum pace inter se vniuerso Clero & populo, sacratissimum Patroni corpus ad proprium retulimus monumentum. Posuimus autẽ sub anathemate eos, qui in nostra diœcesi vlteriùs hanc inquietare præsumerent sententiam. Post *multùm verò temporis*, cùm in nonnullis per Galliam Ecclesiis de hoc verbo murmur fieret, & quidam dicerent: Quomodo potest Apostolus esse, qui in Euangeliis non dicitur, sed nec in Actibus Apostolorum manifestatur? Alij verò putarent nunquam hactenùs dictum id esse, sed nouiter à nobis primùm (quod absit) vsurpatum esse; iterúmque grauis altercatio pullularet, Deo dispensante, directa est nobis super hac re epistola ab Apostolicæ *Romanæ sedis Papa Ioanne*. Tunc vnanimi consulto decretum fecimus, vt propter hoc verbum iterùm aut suscipiendum, aut non suscipiendum, congregatio Episcoporum atque peritorum virorum ad hanc vrbem colligeretur. Si ergo decernitis hanc non suscipi debere sententiam, nec à me vltra suscipienda est, sed magis impugnanda: si autem suscipitis, & ego ita suscipio sicut antè susceperam, vt quicumque nostræ diœcesis in eo scandalum generare vlteriùs præsumpserit, tam vestrâ quàm nostrâ coërceatur animaduersione.

Aymo Archiepisc. Tunc Archiepiscopus ait: Sicut iam dixi, & iterùm nunc palàm omnibus dico, quia quemadmodum *Romana Ecclesia* suscipit, & suscipi per textum epistolæ mandat, & hanc ipsam rem *Bituricense Concilium* nuperrimè collaudauit; sic laudo hoc bonum esse, & in pace suscipio, & huius sancti Concilij fraternitatem absque schismate suscipere id obsecro & exhortor. Si quis autẽ exhortationi nostræ non acquieuerit, habeat Iudicem Dominum vnius cuiusque conscientiæ testem. Veruntamen comprouinciales nostros necesse est, nisi susceperint, admoniti obediant Romanæ sedi capiti suo, seuerâ authoritate nostrâ compulsi.

Iordanus Episcopus. Ad hæc Iordanus venerabilis ait: Vt video quod hoc verbum in bona voluntate Dei à nobis cum pace suscipitur, gratias agimus IESV CHRISTO Domino Saluatori nostro, & benedictus Deus, qui hanc sanctam Lemouicensem Ecclesiam sacerdotiò beati Marcelli nobilitauit, & hanc gentem occiduam fructiferâ prædica-

tione

tione ab idolorum seruitute ad veram libertatem retraxit. Ipsi Patri Domini nostri Iesu-Christi gratiarum actiones offerimus, qui noluit lucernam ardentem sub modio occultari, nec ciuitatem supra montem positam abscondi; Sed quod ab antiquitate patres nostri priores probantur præoccupasse, nunc euentilatum prudenter in diebus nostris largiri nobis dignatur luce clariùs apparere. Verè cœlum & terra transibunt, sed verba & promissa Domini non præteribunt. Et si Beatus Martialis lux mundi à Domino vocatus est, eadem promissio Domini impossibile est quin compleatur in eo, qui officio Apostolatus & prædicationis claruit lumine magno, ideóque in nomine ipso iure rutilat fulgore Apostolico. Iterum conuersus ad Archiepiscopum locutus est dicens: Iam si placet, Venerabilis Pater, absoluatur hodiernum Concilium, ne populus festiuus tædio moræ nostræ grauetur; *crastina enim & tertia die* de aliis disputaturi Domino erimus auxiliante. Nunc ergò simul omnes ad *Ecclesiam Saluatoris* nostri procedamus, vbi nos multus expectat populus, stationem ibi festam agamus, & sacrificium pro solemnitate vnus ex nobis Deo offerat. Nos quoque reliqui illic circum adstabimus, & populum de præsenti Concilio ammonebimus, & pacificis benedictionem, bella volentibus maledictionem, secundùm legem Domini proponemus.

Ad hunc sermonem *de sedibus suis surrexerunt* Episcopi, & cum timore Dei processerunt ascendentes ad locum templi, ad audienda solemnia Sacrosanctæ Basilicæ. Rogante verò Venerabili Iordano, Metropolita Bituricensis sacro vsus pallio ad celebranda sancta accedit. Inter laudes autem quæ τρόπαι Græco nomine dicuntur, à conuersione vulgaris modulationis, dum versus Sanctæ Trinitatis à cantoribus exclamaretur, ilicò omnes Episcopi cum Archiepiscopo & Diaconibus cæterisque ministris ad maximum altare pariter accedentes, orauerunt, mutuámque tam sibi quàm ministris altaris pacem, vt mos est, dederunt. Deinde per circuitum altaris in sedibus præparatis resederunt. Angelico interea hymno cum tropis, id est festiuis laudibus, ornatissimè expleto, primam orationem de solemnitate Ecclesiæ dedit Archiepiscopus, secundam verò audiente omni Ecclesia de beati Martialis commemoratione adnexuit, quæ oratio ad hunc modum continetur. Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Martialem Apostolum Ecclesiæ tuæ sanctæ præesse voluisti, quæsumus, nobis eius suffragantibus meritis pietatis tuæ gratiam largiaris. Quam orationem idcircò præsertim palam omnibus voluit protulisse, vt testimonii Apostolatus beati Patroni clarus assertor liquidò patesceret. Quæ oratio cum secreta & præfatione & ea, quæ dicitur ad complendum, idcircò Gregoriana esse dicitur, quia à Ioanne Papa Romano ad Lemouicenses directa iam dudum fuerat.

Iordanus Episcopus.

Post Euangelium denique lectum, facto in plebe silentio, Iordanus Pontifex conuersa facie ad plebem adstans coram altari in eminentiori loco, sic alloqui cœpit populum dicens: Audiuimus, dilectissimi, verba Sancti Euangelij, quia venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat: Ideo enim Saluator dicitur esse Dominus noster Iesus-Christus, quia omnes peccantes vult ad salutem reuocare, dicente Apostolo: fidelis sermo: quia Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Cúmque de fide Zachæi, qui defraudata reddidit quadruplum, paucis dixisset, atque *ad milites deprædantes siue per calumniam & potentiam res sanctuarij*, & pauperum turbam opprimentes, vt fidelem Zachæum imitantes ea iustè restituerent quibus rapuerant, retraxisset sermonem, ad vltimum adiecit dicens: Ecce propter vestram pacem, dilectissimi, hic adsunt pastores Ecclesiarum sancti fratres nostri Episcopi, qui ad subleuandum onus mei ponderis, & vos saluandos atque pacificandos dignati sunt ad hanc vrbem conuenisse, sequentes Domini nostri Iesu-Christi exemplum, qui venit quærere & saluum facere quod perierat: qua de re vna cum illis moneo vos obtestans in Domino Iesu, quatinus nemo vestrum illis inobtemperans existere præsumat, nemo *sese à Concilio isto excusando* subducat, sed *omnes principes capita populorum ex Lemouicensi* prouincia in *crastinum & tertium diem* ad nos cum pace conueniant, & nullus à nostro cœtu communi recedat, nisi à nobis voluntario animo iussus. Conuenientibus autem ad Concilium, nemo alteri propter aliquas inimicitias nocere præsumat, siue in facultatibus, siue in domo eius, neque dum hic steterit, neque dum ad propria redierit, neque ante septem dies postquam regressus fuerit: nemo in hac congregatione seditionem generet, neque in vrbem, neque extra vrbem; nullus aliquid

per vim rapiat; nullus (vt assolet) quasi propter iustas *querelas pugnam* inire constituat; nullus hic expeditionem neque equitatum ineat aliquando agendum, sed nihil hic aliud quàm pacem quispiam inquirat. Si fortè pax nobis à Domino tribuatur quieta, quia hic conuentus propriè Domini conuentus est ad inquirendā pacem, ad consolandam sanctam Dei Ecclesiam. Hæc qui obseruauerit, tanquam filio pacis, immò Dei, à Domino nostro Iesu-Christo, & sanctis Apostolis eius absolutionem conferimus peccatorum, & benedictionem æternam: vt sicut Dominus beato Petro & huic beato Martiali, ad cuius sacratissimum corpus adsistimus, cæterisque Apostolis virtutem atque potestatem ligandi & soluendi tribuere dignatus est: ita à peccatorum nexibus absoluere dignetur eos, qui de pace & iustitia Deo & nobis, qui eius vice (licet indigni) fungimur, obedire festinauerint. Qui autem pacem nostram non susceperint, tanquam non Deum, sed diabolum sequentes, huic damnationi, quam modo coram recitare iubebimus, subiacebunt; pax autem nostra ad nos reuertetur, sicut Dominus in Euangelio ait: Si fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin, ad vos reuertetur.

Tunc iubentibus Episcopis idem qui Euangelium pronunciauerat, sic in *tomo cartæ* excelsa voce maledictionem corā populo in tribunali ante altare legere cœpit dicens: Ex autoritate Dei Patris omnipotentis, & Filij, & Spiritus S. & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, sanctique Petri Apostolorum Principis, & beati Martialis & aliorum Apostolorum, atque omnium Sanctorum Dei, Nos Episcopi in nomine Dei spiritualiter congregati Aymo Archiepiscopus Bituricensis, Iordanus antistes Lemouicensis, Stephanus Aniciensis, Renco Aruernensis, Ragamundus Mimatensis, Emilius Albiensis, Deus-dedit Cadurcensis, Esimbertus Pictauensis, Arnardus Petracoricensis, Roo Engolismensis, excommunicamus illos milites de isto Episcopatu Lemouicensi, qui *pacem & iustitiam Episcopo suo* firmare, sicut ipse exigit, nolunt, aut noluerint: maledicti ipsi, & adiutores eorum in malum: maledicta arma illorum, & caballi eorum, erunt cum Cain fratricida, & cum Iuda traditore, & cum Datam & Abiron, qui viui introierunt in infernum: & sicut hæ lucernæ extinguntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguetur in conspectu Sanctorum Angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem atque emendationem siue pœnitentiam dignam venerint in iudicium Episcopi sui. *Omnes Episcopi & Presbyteri* candelas ardentes *in manibus* tenentes, mox *eas in terram proijcientes* extinxerunt. Ad quod verbum cor populi valdè expauit, & omnes clamauerunt dicentes: sic extinguat Deus lætitiam eorum qui pacem & iustitiam suscipere nolunt.

Iordanus Episcopus. His dictis dominus Iordanus ait ad populum: Hæc verba maledictionis eodem dicta sunt tenore nuperrimè in sancto Concilio Bituricensi in aduersarios pacis. Quemadmodum autem inter Bituricenses, Deo donante, pax firmata est, ita inter Lemouicenses pacem fieri optamus. Post hæc singuli Episcoporum & vltimus Archiepiscopus de pace populum monuere dicentes: Sicut pastor vester ecce prædixit vobis de pace, ita nos eius dicta firmamus vno corde & vno consensu ex auctoritate Saluatoris Iesu-Christi Domini nostri, & beati Petri atque beati Martialis, sanctorúmque aliorum Apostolorum, quibus propriè à Domino collata est potestas ligandi atq; soluendi: quidquid hic pastor à Deo vobis datus confirmat, confirmamus, quidquid destruit destruimus, ligamus quos ipse ligat, benedicimus quibus benedicit.

Aymo Archiepisc. His & huiusce modi peroratis, facto silentio cùm ad horam confractionis Dominici corporis ventum esset, atque ex more Archiepiscopus benedictionem populo funderet, super Beati Martialis nomine mentionem interseruit, ita dicens: Benedicat & custodiat vos omnipotens Deus, domúmque hanc sui muneris præsentia inlustrare atque suæ pietatis oculos super eam die ac nocte dignetur aperire. Amen. Concedátque propitius vt omnes qui ad solemnitatem anniuersariam dedicationis huius Basilicæ hodierna die conuenistis, intercedente Beato Martiali Apostolo & cæteris sanctis suis, quorum reliquiæ hic pio venerantur amore, vobiscum hinc veniam peccatorum vestrorum reportare valeatis. Amen. Quatinus eorum interuentu ipsi templum Sancti Spiritus, in quo Sancta Deus Trinitas iugiter habitare dignetur, effici, & post huius vitæ labentis excursum ad gaudia æterna fœliciter peruenire mereamini: & cætera quæ in Episcopali benedictione proferri solitum est. Secundus tamen benedictionis ille versus in eo codice, sicut & nonnullis aliis nomen beati Ioannis Euangelistæ scriptum continebat verum, vt dixi, ob

Digitized by Google

loci & festiuitatis opportunitatem conuenienter & consultò hæc circumstantium peritorum assensu ab Archiepiscopo in Beati Martialis proprietate & gloria dicta sint. Quod valde placuit omni Ecclesiæ, summo amore & tripudio. Certissimum quippe tenemus ea placere Spiritui-Sancto, quæ plurimorum fidelium consensu in vnam voluntatem conueniunt, iuxta quod scriptum est: Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna.

Claudente luce diem, finitis vespertinis solemniis, Æmilius Pontifex, veneranda canicie Angelicus, in eadem Basilica hanc propter patrocinium Beati Martialis benedictionem dedit populo dicens: Deus qui vos in Apostolicis tribuit consistere fundamentis, benedicere vos dignetur beati Martialis Apostoli sui interuenientibus meritis, & cætera quæ sequuntur. Consilio autem inito, Episcopi semetipsos altrinsecus monuerunt, vt tarditate remota, crastino valdè manè, quod inluxit sexta feria ad Concilium iteratò cogerentur in vnum: quod qualiter actum sit, sequenti lectione paucis perstringendo reseruabimus, postulantes Dominum, vt vtilia quæ oculis ipsi vidimus, & auribus præsentes audiuimus, memoriæ nostræ suggerere ad literis mandandum dignetur Deus & Dominus noster Iesus-Christus; cum quo est gloria Patri, vnà cum Spiritu Sancto, per immortalia sæcula sempiterna. Amen.

Æmilius Episcopus Albanensis.

ALTERA PARS LEMOVICENSIS CONCILII.

SEcundo interea Concilii die, post anniuersariam Dominicæ Basilicæ solemnitatem excursam, surgentes Episcopi ad psallendum ante lucem, atque cum aurora lucis daret primum initium ipsi diei, altaris mysterium Domino persoluentes valdè manè, antequàm clariùs inluceseeret, ad Basilicam sanctæ sedis aggregati, congruenti & disposito ordine intrauerunt ad Concilium. Letaniam imposuit illis tribus diebus iam dictis Dominus Azanerius venerabilis Pater Monasteriorum S. Martini Masciacensis, sanctique Benedicti Floriacensis, qui vnà cum antistite Bituricensi, ad Concilium Lemouicense aduenerat. In quibus Letaniis B. Martialem inter aliorum Apostolorum nomina enunciauit per singulos dies; nam hæc illi & suis antiqua fuerat consuetudo, sicut ipse cunctis in Concilio publicè prædicabat. Erat autem adprimè liberalium artium peritus, qui dicebat valde fieri inconueniens, eum qui potestatem ligandi & soluendi à Redemptore cum aliis Apostolis acceperat, inter eos sanctos qui non acceperant, prædicari. Licet enim omnes Episcopi potestatem habeant ligandi & soluendi, non tamen eam à Christo priuatim alii acceperunt; nisi tantummodo illi qui eum in carne beatis oculis viderunt & secuti sunt, & ab eo ad prædicandum missi sunt, dicente Domino: Sicut misit me pater & ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Porrò cùm orassent omnes in vnum, & ab Archidiacono data esset congrua lectio, & deinde consequenti ordine ab eo qui verbum declamatoriè jubentibus Episcopis fecit, doctrina ex scripturis diuinis & de fide Catholica peruulgata esset, iterum inter Episcopos sermo habitus est de veritate requirenda, & vsque ad mortem obseruanda, de fallacia notanda, & ad nihilum redigenda, de iustitia, de pace, de Patrum statutis inuiolabiliter tenendis. In primis itaque antequam de aliquibus inter Episcopos confabulatio fieret, extitit ex maioribus quidam, qui Archiepiscopo diceret: Quosdam, carissime Pater, ex clericorum ordine in hac sede & in hac vrbe modò esse deprehendimus, qui non ratione, sed leuitate, vestris non obsequi parant verbis; quibus hesterno Concilio agitatum est de beato Martiale Aquitaniæ Doctore, vt potius inter Apostolos, quàm inter Confessores pronunciari ab omnibus rectè debeatur. Super qua re quidam adhuc velut nouitatis nacti occasionem, murmurant in angulis. Cui Archiepiscopus ita respondit. Nullus nostrum ignorat hesterno coram omnibus rationabiliter esse definitum, quòd Beati Martialis Legationis testimonium ab antiquis præoccupatum & testificatum sit, & quia sicut caput nostrum Romana Sancta Apostolica sedes comprobat, ita nos eius membra hoc idem debemus suscipere, & omni veneratione amplecti: & quia qui potestatem ligandi atque soluendi propriè à Christo in terris in carne adhuc degente acceperunt, absque dubio Apostoli sunt. Et quia nemo contradicere vero potest, Beatum Martialem à Christo in terris in carne adhuc degente potestatem ligandi & soluendi cum reliquis Apostolis accepisse. Sancti

Digitized by Google

etiam Doctores & Patres noſtri antiqui, columnæ Eccleſiæ fortiores proclamant, omnes qui Dominum in carne viderunt, cúmque poſtea prædicauerunt, fuiſſe Apoſtolos appellatos. Et quis negauerit beatum patronum illum vidiſſe Dominum in carne, & eum poſtea prædicaſſe? Paulus quoque Doctor gentium alios exceptis vndecim ſcribit eſſe Apoſtolos, dicens: Apparuit Dominus vndecim, deinde Apoſtolis omnibus, hoc eſt ſeptuaginta duobus, de quibus indubitanter vnum eſſe credimus beatum Martialem. Nam & cùm Dominus diceret: Nonne vos duodecim elegi? nunquid dixit; nonne vos duodecim Apoſtolos elegi? Potiùs ſubauditur diſcipulos, teſte Ioanne Euangeliſta, qui ait: Multi diſcipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergò Ioannes ad duodecim, ſubauditur diſcipulos; nunc vos duodecim, ſubintelligitur diſcipulos elegi. Et profectò conſtat multitudinem fuiſſe diſcipulorum Domini, illoſque ſpecialiter fuiſſe Apoſtolos, quos ipſe Dominus elegit, & miſit ad prædicandum. Nonne electi ad prædicandum fuerunt illi, de quibus Lucas ait Euangeliſta: Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos, dicens: Ite, ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos? Sed quia contendunt de Beato Dionyſio, & aliis Patribus antiquis Galliarum, nunquid Dionyſius & Saturninus genere Gentiles ab ipſo Ieſu antequam in cœlos aſcenderet, acceperunt poteſtatem ligandi atque ſoluendi cum his qui Dominum in carne viderunt & ſecuti ſunt? Nunquid vſque hodie inueniuntur quia de nouitate cauſantur, nomina Dionyſii & Saturnini ſcripta vſpiam per Letanias inter Apoſtolorum nomina? Liquidò conſtat verò quòd per antiquiſſimos Codices pene innumeros, locos & gentes longinquas beatus Martialis vnà cum aliis Apoſtolis ſcriptus eſt Apoſtolus: ergo ſit nobis, quia & erat antiquis. Quod denique de beatis Dionyſio & Saturnino dixi, eodem modo dictum putat de Vrſino, & Auſtremonio, de Fronto genere Petracorico, de Iuliano Cenomanenſi genere Romano, & de aliis qui Apoſtolos viderunt in carne, vel videre potuerunt, qui tam à Beato Petro, quàm à Beato Clemente ſiue ſucceſſoribus eius in Galliam poſt beatum Martialem prædicare miſſi ſunt. Illi non ſpecialiter à Chriſto, ſed ab eis qui illos in Epiſcopatus ordine conſecrarunt, poteſtatem ligandi, ſoluendique acceperunt, quemadmodum & ego ipſam poteſtatem non meo merito, ſed gratia Dei ab eo qui mihi gratiam tribuit Epiſcopatus conſecratore meo, præſente videlicet domno Iordano, huius ſanctæ ſedis Lemouicenſis paſtore accepi. Sed quid adhuc plura recapitulari opus ſit, de quibus iam & ab antiquis patribus, & à ſancta Romana & Apoſtolica ſede, & nuper à Concilio Bituricenſi, & hîc heſterna peritorum diſputatione plenius ad ordinem perfectum definitum eſt? Nihil itaque iam aliud reſtat, quàm vt à nobis hîc in conſpectu Concilii publica damnentur excommunicatione, quicunque Cleri de omnibus Comprouincialibus noſtris vlterius poſt hoc Concilium repugnanti animo beatum Martialem Doctorem primum Aquitaniæ, in alio quàm in Apoſtolorum ordine & memoria enunciauerint. Et cum auſtero vultu Metropolitanus ligamentum damnationis vellet ab ore proferre, ſic domnus Iordanus locutus eſt dicens: Petimus auctoritatem veſtram, venerabilis pater, vt hodie hoc iudicium ſuſpendatis à Clericis huius ſanctæ ſedis; adhuc enim ſecundum Dominicam vocem, corripiam eos hodie inter me & ipſos ſolos. Si me audierint, lucratus ero fratres meos: ſi autem non me audierint, adhibebo mecum adhuc vnum vel duos ex præſentibus Coepiſcopis fratribus noſtris, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. Quod ſi eos non audierint, dicam Eccleſiæ, publico præſenti Concilio, vt omnes audiant in teſtimonium: ſi autem Eccleſiam, hoc eſt Sanctum præſens Concilium non audierint, erunt mihi ſicut ethnicus & publicanus; & tunc verbo veſtræ auctoritatis ligate eos tanquam non hominibus, ſed Spiritui-Sancto inobedientes. Námque, vt ait Auguſtinus, Spiritus Sanctus, qui quondam per Apoſtolos loquebatur, nunc etiam per nos loqui dignatur, quotiens de diuinis diſſerentes veritatem loquimur

His verbis priuatis credens Archiepiſcopus: Ergo, inquit, cætera quæ ad Concilium pertinent, Domino opem ferente diſcutiantur. Cumque de regulis Eccleſiaſticis diutius explicaſſent, ait domnus Iordanus: Benè placet *vt Bituricenſis Concilij* capitula in promptu afferantur, ſi forte Lemouicenſibus hæc ipſa tantummodo coaptentur, an aliter clero noſtro placeant, ſiue alia opportunè ſuperadiiciuntur. Non enim vna eademque lex omnibus Eccleſiis, ſiue populis, ſiue ciuitatibus, ſiue gen-

Digitized by

tibus ſemper poteſt congruere ; ſed quædam pro qualitate locorum & gentis, & animorum, quamuis diuerſo, cõgruenti tamen ordine in conſuetudinem deducuntur. Nihil quippe obeſt diuerſa locorum conſuetudo ; ſi tamen ratione ſiue autoritate fulciatur, plus tamen ratio quàm autoritas prævalere debet. Nam Gentiles pro maiorum ſuorum autoritate, nulla tamen ſubnixi ratione idola colunt; quia quædam auctoritas ſine ratione videtur eſſe ; ratio verò per ſemetipſam auctoritatis dignitatem accommodat, atque ideo multorum maiorum auctoritas ſæpè in melius commutata, ſiue penitus neglecta eſt, quia minus ratione fulcitur. Grauis autem culpa eſt, ſi quis pro arbitrio humano auctoritatem, quæ rationis plena eſt, contemnere præſumit. Rationabilis itaque autoritas, ſiue ratio cum autoritate, & autoritas cum ratione ſemper vt ſeſe dignam præbeat & excellat neceſſe eſt. Diuerſarum igitur conſuetudinum vſus & obſeruantia per populos, per loca, niſi fidei, ſpei & charitati contraria ſint, nihil officere Chriſtianæ dignitati videtur : immò illa conſuetudo ſemper ad religionem prodeſſe creditur, quæ tum pro loco, tum pro tempore, pro neceſſitate, pro dignitate, pro ratione, pro autoritate vnanimi voluntate fratribus in vnum habitantibus bene complacere videtur. Quid enim? *Nunquid Canonici Monachos pro duodecim lectionibus, vel Monachi Canonicos pro nouem* numero reprehendere poſſunt ? Vtraque enim ratione & autoritate firma ſunt : ter quatuor pro quatuor mundi partibus ſanctæ Trinitati ſubuectis ; ter autem terni pro nouem Angelorum ordinibus Sanctæ Trinitati gloriam dantibus. Duodecim comprobauit ille vir ſpiritu omnium iuſtorum plenus, ſanctúſque Papa Gregorius prius Monachus, poſtea Apoſtolicus. Nouem traditæ ſunt à diſcipulo beati Petri Ignatio Martyre, qui per nouenarium numerum lectiones & pſalmos ab Angelorum choris prolata audiuit in cœlo; deinde à Niceno Concilio, deinde ab ipſo Sancto Gregorio hic numerus in Pſalmis & Lectionibus & Reſponſoriis obſeruatus eſt. Quid etiam *Orientalibus vel Occidentalibus Clericis vſus barbam radendi, vel non radendi officere* ad religionem videtur? Iſti enim Petrum Apoſtolum autorem huius conſuetudinis habent, & cum autoritate hanc tenent rationem, rationabile eſſe dicentes Clericos à Laicis ſicut in vita, ita in corporis habitu differre. Quocirca hic mos ad religionem nobis potius prodeſſe, quàm obeſſe perſpicitur. Illi autem non barbam radendi morem eligunt, Paulum ſiue Iacobum fratrem Domini Apoſtolos in autoritatem ſibi aſſumentes, qui cum autoribus rationem adiungunt: fieri quippe oportet rationabile obſequium noſtrum, rationabile dicentes Clericos ſicut & Laicos decorem in facie ſeruare virilem, iuxta dignitatem humanæ conditionis à Deo creatam, quæ ſolum virum barbam propter decorem habere voluit, & in vertice ſolummodo capitis clericatus ſignum præmonſtrare. Aliam adiungunt ſibi rationem, quia Dominus noſter Nazaræus, & intonſus eſſe voluit, ferrum ſuper caput eius non aſcendit, coronam ſpineam duntaxat in vertice dignatus eſt pati, ad cuius inſtar clericorum corona in vertice ferro incidente figuratur, vt regnum & Sacerdotium Chriſti, etiam in clericorum capitibus raſura ipſa præmonſtretur. Ita ſicut ſuper hac re noſtra conſuetudo auctoritatem ſimúlque rationem & religionis habet augmentum : ſic etiam penes Græcos illorum talis à noſtra diſſidens conſuetudine conſuetudo autoritatem vnà cum ratione & religionis continet fructum. Et hac in re neque illi nos, neque nos poſſumus reprehendere illos, ſicut de fidelibus qui carnibus veſcebantur, ait Apoſtolus; Qui non manducat manducantem non ſpernat; & qui manducat, non manducantem non iudicet. Qui enim manducat, Domino manducat; & qui non manducat, Domino non manducat. Qui porro autoritatem obſeruant cum ratione, rectè poſſunt reprehendere illos qui ſine ratione cuſtodiunt autoritatem ; Hi autem iſtos nullomodo. Qua de re qui Beatum Doctorem Aquitaniæ inter Confeſſores proponunt, auctoritatem habentes maiorum, ſine ratione dicentes : ſic propoſuerunt qui ante nos fuerunt, illi & illi, merito reprehenduntur ab his, qui cum autoritate rationem oſtendunt; proponentes eum vnà cum aliis Apoſtolis, & dicentes : illi & illi antiqui patres apud illa autentica loca, & Romana Apoſtolica ſedes, illique peritiſſimi viri eum propoſuerunt in Apoſtolorum ordine. Rationabile autem eſt vt ille qui inter alios Apoſtolos à Domino accepit virtutem prædicandi Euangelium, poteſtatem ligandi & ſoluendi, ſcientiam omnium linguarum, & ſignum Apoſtolatus habet Galliam, ideóque Apoſtolus eſt, meritò cum ipſis Apoſtolis proponatur, & memoria eius de

gloria Apoſtolatus ſemper confirmetur. Iſti ergo illos, non illi iſtos ſuper hac re arguere iuſtè poterunt. Hæc idcirco dixi, ne diuerſorum diuerſæ conſuetudines & leges ſi rationem habent, ſcandala generent. Obſeruandum equidem nobis magnopere eſt ante omnia, & ſuper omnia, vti mandatum Dei, & non noſtras traditiones populo obſeruandas tradamus, & nihil niſi ſcripturarum diuinarum autoritate fultum ſtatuamus agendum, nihilque de cordibus noſtris, nihil extra præceptum Domini & Sanctorum Patrum (quod abſit) conſtituere, docere, vel iubere præſumamus. Quæ verò aliis trademus, primi nos ea ipſi faciamus, ne ſimus de illis ſuper Cathedram Moyſi ſedentibus, ſuper quibus Saluator ad turbas, & ad diſcipulos ſuos ait: Dicunt enim & non faciunt. Et iterum: Digito autem ſuo nolunt ea mouere.

His dictis conuerſus Archiepiſcopus ad eum, qui ad dexteram ſuam ſuper aliam Cathedram ſedebat, ſacris veſtibus ornatum Azenerium Abbatem, dixit ad eum: Rogamus, cariſſime, vt (ſicut domnus Iordanus Pontifex iubet) Capitula Bituricenſis Concilij, velut vos ipſi, qui interfuiſtis, audiſtis, huic ſancto Concilio coram exponatis.

Tunc ipſe enunciare cœpit, dicens:

Hæc ſunt Capitula ſuper quibus hoc tempore deprauata erat ſancta Bituricenſis mater Eccleſia. Itaque Patrum ſequentes veſtigia, ſtatuerunt qui præſentes ibi fuerunt Epiſcopi, Aymo Bituricenſis, Stephanus Anicienſis, Renco Aruernenſis, Ragamundus Mimatenſis, Emilius Albienſis, Deus-dedit Cadurcenſis, hæc ſeruanda ab Eccleſiis ſibi commiſſis.

CAPITVLA CONCILII BITVRICENSIS.

I. IN primis, vt per omnes ſuarum Diœceſeon Eccleſias, beati Martialis Doctoris Aquitaniæ nomen & memoria, non inter Confeſſores, ſicut inter nos negligenter à nonnullis fieri ſolitum erat: ſed inter Apoſtolos proponatur, ſicut à Romana ſede, & à pluribus antiquis Patribus ſecundum veritatem Spiritus-Sancti definitum eſt: ita in eo gradu, in quo à Rege ſæculorum collatus eſt, tantus ille Dei Princeps & amicus ab Eccleſia vno corde & ore ſemper deinceps rata ſtabilitate confirmetur, quatinus eius interceſſione omnis ſancta Eccleſia Catholica in augmentum excreſcat Sanctæ Religionis, & optata proſperitate quieſcat in altitudine pacis.

II. Item quia corpus Domini per Eccleſias Parochianas dicebatur nimia vetuſtate neglectum, ſtatuerunt Epiſcopi in eodem Concilio, vt corpus Domini non plus ſeruetur, quàm à Dominica in alteram.

III. Item, vt Epiſcopi de ſacris Ordinibus munus non accipiant, nec aliquis loco eorum, neque aliquis de ſubiectis eorum, ſicut pro ſcribendis nominibus ordinandorum ſolebant ſcriptores pretium accipere.

IV. Vt Archidiaconatum nullus habeat, niſi Diaconus efficiatur.

V. Vt Preſbyteri & Diacones & Subdiaconi, ſicut lex Canonum præcipit, neque vxores, neque concubinas habeant, & qui eas modo habent, ita eas ſine mora peracto hoc Concilio derelinquant, vt nunquam vlteriùs ad eas accedant. Qui verò derelinquere eas noluerint, à proprio gradu & officio ceſſent, & inter Lectores & Cantores permaneant. Similiter nulli de Clero permittimus deinceps vxorem, neque concubinam habere. Supradicti autem in choro tantùm intrent ad legendum & cantandum: ad altaris verò miniſterium nullatenus accedant.

VI. Vt Epiſcopi nullum amplius ad Subdiaconatus gradum ordinent, niſi in præſentia Epiſcopi ante altare ſedis Deo promittat, nunquam ſe habiturum vxorem, neque concubinam; & ſi tunc eam habuerit, mox ei abrenunciet, quod lingua Francorum gurpire dicimus.

VII. Vt Archidiaconi, Abbates, Præpoſiti, Capiſcoli, Canonici, Oſtiarii, & omnes qui miniſterium intra ſanctam Eccleſiam tractant, tonſuram Eccleſiaſticam habeant, hoc eſt barbam raſam, & coronam in capite.

VIII. Vt filij Preſbyterorum, ſiue Diaconorum, ſiue Subdiaconorum, in Sacerdotio, vel Diaconatu, vel Subdiaconatu nati, nullomodo vlterius ad Clericatum ſuſcipiantur, quia tales & omnes alij, qui de non legitimo coniugio ſunt nati, ſemen maledictum in ſcripturis diuinis appellantur, nec apud ſæculares leges hæreditari poſ-

sunt, neque in testimonium suscipi. Et qui de talibus Clerici nunc sunt, sacros Ordines vlteriùs non accipiant, sed in quocunque gradu nunc sunt, in eo tantum permaneant, & vltra non promoueantur.

Similiter nullus seruorum vel collibertorum amodò Clericus fiat, nisi prius liber- IX.
tatem de dominis suis habuerit sub idoneis testibus.

Qui autem de aliquo gradu Ecclesiastico ad Laicalem ordinem ex toto reuersi X.
sunt, & coniugium legitimum acceperunt, & postea agentes pœnitentiam dignam ad pristinum gradum reuersi sunt, eorum filij legitimi sunt, quia in laicali ordine de legitimo coniugio procreati sunt, nec dici possunt filij Clericorum, sed Laicorum, vel etiamsi laici permanserint, idem est.

Item, statutum est vt Episcopi quando fecerint Ordines, vel Clericos, audiente XI.
populo excommunicent, vt nullus eis offerat ad Clericatum filium Presbyteri, neque Diaconi, neque Subdiaconi, neque seruos, neque collibertos aliorum, nisi libertate donatos. Et si ipsi per semetipsos obtulerint, nullus scienter eos ibi celet. Et si cuipiam de talibus sacrum Ordinem aut Clericatum ignoranter tribuerit Episcopus, mox vt cognitum fuerit, Archidiaconus deponat eos, quia irrita est illicita Ordinatio, sicut Sancti Patres dixerunt, & in talibus Ecclesia Dei despectui patet.

Nullus pretium pro baptismo, neque pro pœnitentia danda, neque pro sepultura XII.
accipiat, nisi quod fideles sponte dare vel offerre voluerint.

Vt Presbyteri oblationes, vel luminaria, quæ eis ad manus offeruntur, tanquam XIII.
propria sua habeant, & cereus paschalis ad inluminanda altaria remaneat.

Vt pallia, quæ super mortuorum corpora posita sunt, non ponantur super altare. XIV.

Vt in die Dominica vectigalia non fiant, quod carregium vel sagmegium dicitur, XV.
nisi amore Dei, vel timore hostium, vel propter magnam necessitatem.

Vt illi qui vxores legitimas, sine culpa fornicationis dimittunt, alias non accipiant XVI.
illis viuentibus, nec vxores viros, sed sibimet reconcilientur.

Vt nullus de parentela sua vxorem accipiat, vsque in sextam vel septimam pro- XVII.
geniem.

Vt nullus vxorem consanguinei vel alicuius parentis sui in coniugium accipiat, XVIII
quia vir & vxor legitimè conjuncti vna caro sunt.

Vt nullus filiam suam det vxorem Presbytero, neque Diacono, neque Subdiaco- XIX.
no, neque filiis eorum.

Vt nullus filiam Presbyteri, neque Diaconi, neque Subdiaconi, neque vxores XX.
eorum in coniugium accipiat, quia detestabile est. Nam & sanctus Gregorius dixit. Qui Presbyteram in coniugium duxerit, anathema sit.

Vt, sæculares viri Ecclesiastica beneficia, quod feuos Presbyterales vocant, non XXI.
habeant super Presbyteros.

Vt nullus Laicus Presbyteros in suis Ecclesiis mittat, nisi in manu Episcopi sui, XXII.
quia Episcopus curam animarum debet vnicuique Presbytero commendare de parœchiis Ecclesiarum singularum.

Vt Clerici Clericaturam suam dimittentes ab aliis Clericis separentur. XXIII

Vt illi qui voluntarij, & secundùm regulam Sancti Benedicti habitum Monachi XXIV
susceperunt, & postea voluntarij dereliquerunt, communione fidelium priuentur, vsque ad emendationem dignam. Et si Abbates, vel alii Monachi nolunt eos suscipere, maneant cum Clericis in Monasteriis, vel apud Ecclesias in habitu Monastico, & reuerentia, atque abstinentia.

Vt Canonici & Monachi de Monasteriis suis, vbi priùs titulati sunt, nisi causa ra- XXV.
tionabilis necessitatis, vel ædificationis animæ, vel Ordinem melius obseruandi, ad aliud Monasterium non transeant propter adipiscendum aliquod ministerium vel honorem, vel occupationem terrenam, absque consensu Episcopi sui vel Abbatis.

Finis Capitulorum Concilij Bituricensis.

Talia senior cùm peroraſſet, ait domnus Iordanus: Omnia nobis hæc bene placent. Tantum de corpore Domini mutando propter Presbyteros, qui omnibus dominicis diebus ad Ecclesias suas nequeunt adesse, placet ita temperanter institui, vt ab omnibus valeat inexcusabiliter obseruari. Quæ enim in Ecclesia instituuntur, sic debent fieri moderata, vt absque importabili fasce ab omnibus portentur, &

Digitized by Goo

qualiter animæ ſaluentur, & quod facit Eccleſia abſque murmuratione faciat, & ne inobedientia locum inueniat. Itaque placet vt corpus Domini in anno per duodecim terminos renouetur in omnibus illis Eccleſiis, vbi inceſſanter cuſtodiri ſolet, hoc eſt in Paſcha, in Pentecoſte, in natiuitate S. Ioannis, ad vincula S. Petri, in aſſumptione Sanctæ Mariæ, in feſtiuitate Sancti Michaëlis, in omnium ſanctorum, in S. Andreæ, in natali Domini, in Hypopanti, in Quadrageſima, in media Quadrageſima: his enim diſtinctionibus anni omnes Preſbyteri ad proprias poſſunt recurrere Eccleſias: Et ipſum corpus Domini quod mutatur, nonniſi à mundis Eccleſiæ miniſtris ſumatur. Monaſteria verò Monachorum regularia, quia diligentiùs & nitidiùs omnia ad cultum altaris procurant, in Abbatum ſuorum arbitrio de his, ſicut & de aliis regulis permittimus. Illi enim noſtris legibus conſtringi non debent, qui vltra nos per arctam & anguſtam portam vitæ ingredi appetunt, qui voluntatem propriam frangunt, qui iugum ab adoleſcentia portant, qui Epiſcoporum iuſſis ſummopere in omnibus obediunt. Tales, inquam, legibus non oportet ſubiici conciliorum, niſi fortè reprehenſioni vel contemptui patuerint, ſicut Apoſtolus ait: Iuſto lex non eſt poſita, ſed iniuſtis & non ſubditis, impiis & peccatoribus, ſceleratis & contaminatis, patricidis & matricidis, homicidis, fornicatoribus, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, periuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ aduerſatur, quæ eſt ſecundum Euangelium gloriæ Beati Dei, quod creditum eſt mihi. Nam & Abbates regulares non ideo ad Synodum venire cogo huius ſedis, vt arguantur, ſed vt mihi de rebus Eccleſiaſticis moderandis conſultum præbeant, quatinus ipſi ſpiritales viri, dum mihi per diuerſas multorum curas diſperſo opem ferunt ad ſubleuandum onus, in retributione coronæ mecum participentur. De cultu enim Eccleſiaſtico & reuerentia corporis Domini, probaui ipſe oculis meis regulares per Lemouicinum Monachos altaria & Codices, veſtimenta, calices, linteamina, & cuncta quæ ad altare pertinent, mundiſſima cotidiè & cum reuerentia ſeruare.

Cúmque de his & aliis huiuſmodi plura dicerentur, & Archiepiſcopo, omnibuſque placerent, accuſatores iuſti extiterunt ex ſenioribus, qui dicerent in Concilio: In loco Sancti Petri * Bellocenſis Monaſterii ſancta Eccleſia Lemouicenſis vim patitur. Hic ſiquidem locus in ordine regulari quondam fuit illuſtris, nunc autem ita à ſecularibus conculcatus eſt, vt ſuper Monachos ipſius Monaſterii *dominetur Abbas ſecularis*, & abſque Monachi habitu. Clamauerunt omnes qui erant in Concilio: Hoc magna deſtructio eſt, vt cæcus videntes ducat; ſtultus ſapientes doceat. Hac enim in re diſciplina moritur, locus hypocriſis Monachis datur, occaſio propria poſſidendi Monachis ſurripit(*cor* ſubrepit, per quæ decepti perire poſſunt. Capite morbido totum corpus inutile eſt: & pro tali deſtructione locorum Dei, ira ſuper populos à facie Dei egreditur. Tunc requiſiti Monachi ſupradicti Monaſterii adſtantes in conſpectu Epiſcoporum dixerunt: Ordinetur nobis Abbas idoneus ſecundùm regulam, & in pace erimus: lugentibus enim nobis, iſte ſuper nos tyrannidem arripuit. Vt autem præſentibus Epiſcopis ſit notum, *Rodulphus Archiepiſcopus* quondam Bituricenſis Monaſterium ipſum tempore Caroli Regis, in fundo ſuo conſtruxit, & prædiis ſuis, multiſque donis ſatis ſuperque nobilitauit. Poſt cuius tranſitum ad cœlos longo excurſo tempore, occaſione reperta, Comes Toloſanus Cœnobium ipſum ſuæ poteſtati addixit, & Comiti Petracoricenſi in beneficio largitus eſt: ille quoque Vicecomiti Combornenſi conceſſit, qui nunc nobis laicalem perſonam impoſuit ea de cauſa, quia *Bernardus Monachus Solemniacenſis*, & poſtea Epiſcopus Caturcenſis, nobis verò Abbas anteceſſor eius extitit. Dixerunt Epiſcopi: Eccleſiaſtica officia non ſecundùm carnis originem, ſed ſecundùm meritorum virtutum diſtribui oportet. Cumque ille Clericus non Monachus Abbas ſæculari nobilitate ac generoſitate magnus mox vocatus in Concilium ante Epiſcopos reus adſtaret genibus poſitis, & ſuper hac re iudicaretur ſecundùm Canones, ita reſpondit: O reuerentiſſimi Patres, hanc rogo iuſto iudicio corrigite rem, & libenter conſentio. Dixerunt Patres: Idoneum ex regularibus Monachis aliquem adducito ante dominum Iordanum, vt ipſe eum regulariter ordinet Abbatem ad regendum ipſum locum; & tu extrinſecus non diſſipator, ſed defenſor & prouiſor loci adeſſe memento. Itaque Epiſcopi poſtquam de his diu locuti eſſent, Primati Lemouicenſi ſub teſtimonio Concilii & *Vuillelmi Ducis Aquitanorum* hoc taliter commiſerunt negotium, vt vſque ad Natalis Domini feſtiuitatem, quæ in ſexta Hebdomada expectabatur, ordinaret in eo

Bellilocenſis.

Bellilocenſe Monaſt.

loco

loco dignum pastorem secundum regulam: quòd si contradicentes reperiret, qui id fieri non permitterent, & ipsos & ipsum locum excommunicatione Canonica ligaret; donec idem locus ad pristinam reuocaretur dignitatem. *Quibusdam verò scisscitantibus si qui Monachorum* forte de eodem sæculari loco ad alium regularem transmigrare vellent, vtrum eis liceret; eruditi qui aderant, rectè sapere tales iudicabant. Tales, inquit, Deo placere student. Nam si perfectus est qui inter malos bonus est, tamen bonorum consortium adipisci laudabile & perutile est; quia sicut Spiritus Sanctus per Psalmistam ait: Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, cum peruerso autem peruerteris. Et rursum Apostolus: Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Rursus scriptura ait: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: qui communicauerit superbo, induet superbiam. Nam si lilium inter spinas lucet, tamen grauatur à spinis, & glorioſiùs crescit inter amœna, quàm inter spineta. Nam & ipse regularis Abbas si contigerit vt super sæculares Ordinetur Monachos, nec eos ab illicitis potuerit deflectere, nec habuerit bonos qui eum adiuuent, vt patienter toleret malos, satius est eos derelinquere, & secum solum habitare, quàm eorum incorrigibili mordacitate cordis tranquillitatem amittere, & iuxta Dominicam vocem: melius est ei luscum vel claudum in vitam intrare, quàm duos oculos vel duos pedes habentem mitti in gehennam, hoc est melius est se solum lucrari, quàm cum prauis, quos inutiliter amat, detrimentum pati. De talibus loquitur Spiritus Sanctus, per Prophetam dicens: Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Et item Iob: Frater fui draconum, & socius struthionum. Et Dauid; Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Certè beatus Benedictus sæculares vel agrestes Monachos, qui eum veneno necare conati sunt, ideo deseruit, ne mentis suæ tranquillum oculum eorum pessima fœditate turbidaret. Vt enim Sancti Patres dixerunt: Quidquid pacem vel tranquillitatem cordis, qua Deum assiduè cogitare debemus, perturbare potest, quamuis vtile, quamuis necessarium sit, abiici oportet; quolibet quippe vitio cor perturbatum Deum cogitare non potest. Hæc dicentes non eos damnamus, qui inter Pseudomonachos boni aliquotiens, vel cum prauis maioribus necessariò degunt, si tamen illud adimplent quod scriptum est: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Et item: sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias: Et periculis in falsis fratribus Apostolus exercitatus est. Et præcepta pastoris in omnibus adimplere, etiamsi ipse (quod absit) aliter agat. Et in talium exemplo Beatus Petrus Loth in testimonium assumit dicens: Et iustum Loth à nefandorum conuersatione eruit habitantem inter eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. Nec de solis Monachis, verùm etiam generaliter de omnibus Christianis, qui boni inter malos conuersantur, hæc dicta sunt.

De talibus item Paulus ad Discipulos ait: In medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Hinc Ioannes Pergami Ecclesiæ: Scio, inquit, vbi habitas, vbi sedes est Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Ergo sicut Gregorius, ait, Bonus non est, qui malos tolerare recusat, & tantò magis tolerandi sunt, quantò & amplius abundant. Regulares autem Monachos dicimus, qui inlicita nolentes, non suo, sed alieno imperio viuunt, quibus omnia in medium conferuntur communia, nec aliquid habent, quod Abbas non dederit, aut permiserit. Potest autem (quamlibet difficile contingere possit) regularis vnus inter plures agrestes conuersari, si tamen ab illicitis sese continet, si his quæ sibi ad huius vitæ vsus congruunt permittente aut dante eo qui sibi præest, contentus fuerit, iuxta quod Apostolus loquitur dicens: Habentes victum & tegumentum his contenti sumus. Seculares autem Monachos illos dicimus, quos regulares Monachi in die iudicij iudicabunt, sicut Niniuitæ, vel Regina Austri, dicente Domino, Iudæos incredulos damnabunt, vel Apostoli duodecim Tribus Israël duodecim iudicabunt, quia illis credentibus, illi credere noluerunt; sic isti illos iudicabunt, quia istis regulariter viuentibus, illi regulariter viuere noluerunt. In capitibus ergò iustis Monasteria oriuntur & vigent, in vitiosis ruunt & languent. Episcopus itaque, ad cuius Diœcesim pertinent Monasteria, & Abbates, atque Christiani vicini, nisi prohibuerint indignos in pastoralem curam ingredi: malum in illos respicit, sicut bona merces à Deo illos

expectat, si familiæ Dei dignos constituant dispensatores. Hæc & his similia cùm mystico & vtili audientibus sermone de sublimiori proposito ed:ſſerrata essent, ait domnus Iordanus: Ago Deo gratias, quia in Dioceſi Lemouicensi plura Monasteria recto tramite incedunt, & boni odoris de se exempla latiùs diffundũt, sicut Apostolus ait: Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. Hos quippe qui præsentes huic sancto concilio interſunt, Abbates Lemouic. laudo & teſtificor in Domino Ieſu, quia cum sibi subditis regulariter agentes, lucrandis animabus potiùs inuigilant, quàm de caducis rebus & transitoriis curent. Dignum est enim, vt quicunque ſuſcipiunt animas regendas, præparent se ad rationem reddendam. In primis deniq; familiam beati Martialis in hac vrbe, & Cambonense Monasterium beatæ Valeriæ poſſeſſionem B. Martialis, & alia quæ ei iure poſſeſſionis perpetuæ ab antiquis subiacent temporibus Monasteria non ignoro regulariter viuere. Nihilominus Solomniacum atque Vſercam Cœnobia nobiliſſima; Monasteria quoque in hac vrbe S. Martini & Auguſtini, necnon & congregationem Virginum in Basilica B. Dei Genitricis, & alias seruorum Dei per Lemouicinium congregationes gaudeo sancti Ordinis reuerentiam regulariter obſeruare. Quantum denique in oculis omnipotentis Domini ad intercedendum pro salute populorum congregationes valeant seruorum Dei, B. Gregorius de congregatione Sanctimonialium locutus oſtendit inquiens: inter tot Langobardorum gladios, his noſtris temporibus Roma nequaquam ſubſiſtere poſſet, niſi Virginum Sanctimonialium in hac vrbe Romana congregationes ſuis orationibus tantæ hoſtilitati reſiſterent. Et item: Ideo, inquit, prouidendum nobis Monasteriis ancillarum Dei, quatinus eis abundanter ſubſidia miniſtremus, ne qua forte penuria grauatæ à ſuo proposito vel aliquantulum ſuccumbant. Nam Monasteria Monachorum idem Gregorius per vniuerſum mundum libera & quieta eſſe volebat, vt ſi quem Epiſcoporum comperiſſet aliqua ratione ea excommunicare, vel inquietare, grauiter in eos vindicaret; quod in epiſtolis ſuis facile perſpici poterit. Nos quoque Monasteria seruorum Dei defenſa, quieta, & tuta eſſe deſideramus, tanti patris veſtigia ſequendo. Veruntamen ſi culpa ſuperbiæ vel inobedientiæ in Abbatibus inuenta fuerit, eam canonicè inſequi oportet. Hæc dixi propter *Abbatem Monaſterij Vſercenſis*, quem dicunt hoc anno inſtituta ſancti concilii contempſiſſe: quidam enim narrauerunt nobis quia excommunicatum *Vicecomitem Albucienſem* interfectum in præda ipſe apud ſuum Monasterium ſepelierit; ſuper qua re, ſi vera eſt, cor meum contriſtatur. Omnes enim nouerunt in ſanctis Conciliis ſic inſtitutum, vt ſi quis ab Epiſcopo ſuo excommunicatus interfectus, aut obitu proprio mortuus abſque reconciliatione fuerit, nullatenus Chriſtianorum ſepultura ſepeliatur, niſi Epiſcopus ſatisfacientibus pro eo amicis vel parentibus abſolutionem & licentiam ex hoc conceſſerit: ſed neque pro eo oretur, nec facultas eius in eleemoſynam ſuſcipiatur, quouſque ab Epiſcopo abſoluatur. Simili modo ſi vulneratus ad mortem quilibet de excommunicatis fuerit, vel infirmitate ad exitum correptus pœnitentiam ex corde petierit, vel eſſe Monachus quæſierit, pœnitentia eius ſuſcipiatur quidem, & viaticum ei pro miſericordia tribuatur; nullatenus tamen ſepeliatur, neque poſt mortem pro eo oretur, donec ab Epiſcopo ſuo abſoluatur. Dicente enim B. Gregorio in Dialogorum libro ſecundo: Tantam Eccleſiæ Chriſtus largitus eſt virtutem, vt etiam qui in hac carne adhuc viuunt, iam carne ſolutos abſoluere valeant, quos viuos ligauerant, dicente Domino ad Petrum; Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis. Nam Sanctus Benedictus duas Sanctimoniales & vnum ex fratribus qui ligati obierant, poſt mortem abſoluit. Idemque Papa Gregorius medicum fratrem in ipſo exitu vitæ ligauit, nec eum conſolari in fine, nec pro eo orare permiſit. Sed nec eum in cimiterio Eccleſiæ fiuit, quem tamen longè poſt mortem pro miſericordia abſoluit, & pro eo orare inſtituit. Veruntamen valde horrendum eſt, vt Beatus Papa ſcribit, cum quis inreconciliatus à ſæculo exit. Præterea ſi quem Epiſcopus ligat, alius abſoluere ſe putat, & ipſe decipitur, qui eum ſuſcipit, & qui ſuſcipitur perit. Et hac occaſione falſæ pietatis concilia patrum deſtruuntur, & Deus contemnitur, & pax de Eccleſia expellitur. Siquidem ille qui excommunicatum ſuſcipit, idcircò ſimul cum eo perit, quia ſimilem ſortitur excommunicationis vindictam, & vt beatus Petrus in ſcriptura beati Clementis ait: Quicunque excommunicato conſentit, vel in colloquio participatur, vnus & ipſe eſt de illis, qui Eccleſiam Dei deſtruunt. *Cùmque in Concilio* à quibuſ-

Iordanus Epiſcopus.

Monaſteria Sancti Martialis, Cambonenſe. Solemniacũ, Vſerca, S Martii i. S. Auguſtini.

Digitized by Google

dam interrogaretur, vtrum obseruanda est excommunicatio ei, quem aliquando fortè iniustè, & absque culpa Pontifex ligat? *Odolricus pater* sic ait: Quemadmodum B. Gregorius attestatur, cuius autoritas sperni minimè potest: Si pastor ligat aliquem aut iustè, aut iniustè, aut ob culpam, aut sine culpa, obseruanda est excommunicatio, ne is qui iniustè forsitan ligatur, ipsam excommunicationem ex alia culpa mereatur: neque ouis pastorem suum temerè reprehendat, nec ex ipsa timidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat. Dicit autem de Episcopis; Quia ipsi se hac potestate priuant, qui vel odio, vel gratia, & non secundùm meritum causæ ligant vel soluunt. Ad hæc Pontifex adiecit dicens: Presbyter qui excommunicatum scienter suscipit, ideo ab ordine deponitur, quia semetipsum excommunicat, qui excommunicato consentit. Tunc Episcopi dixerunt: Statuimus canonicè, vt qui amplius excommunicatum nescius susceperit, & postea probauerit, ad pœnitentiam mox recurrat in cõspectu & iudicio Episcopi sui. Qui autem scienter id egerit, siue in vita, siue in morte, siue aliquid de facultate damnati in eleemosynam probatus fuerit suscepisse, ab ordine Presbyter cesset, nec gradum recipiat, nisi satisfactus, ab Episcopo suo sacris vestimentis reinduatur. Si Presbyter non est, communione Eucharistiæ & audientia missæ priuetur, vsque ad reconciliationem Episcopi. Quando autem Episcopus Presbyterũ deposuerit, sic agat; iubeat eum prius indui omnibus Sacerdotalibus indumentis, deinde manu sua auferat ei manipulum, deinde casulam, deinde mediam stolã de collo reflectat ei inter scapulas sub latere dextro, & depositus est à Presbyteratu in Diaconatum. Quando quemlibet excommunicauerit, eat publicè ad ostiũ Ecclesiæ, & ostiũ pro eo claudat. Dum absoluerit, ambulet cum eo vsque ad portas Ecclesiæ, & aperiat ei vt ingrediatur: aliter autem nullus excommunicatus Ecclesiam ingrediatur, quia nefarium & inlicitum est. Presbyteri autem de ignotis causis, Episcopi de notis excõmunicare est, ne Episcopi vilescat potestas. His dictis cum accusatum Abbatem inquirerent quid responderet; ille respondit domno Primati; Domine, inquit, pater, ex hac re qua accusor, veritas vobis nunciata non est; absit à me, vt absque vestra licentia aliquando suscipiam excommunicatũ. Ordo enim noster quanto sublimior est, tanto subiectior & promptior ad obediendum Episcopis vt sit necesse est. In Episcopis enim ipsum Deum honoramus vel contempnimus, sicut & ipse ait: Qui vos audit, me odit; & qui vos spernit, me spernit. Ecce idoneos testes adhibeo, quia ille Vicecomes excõmunicatus postquàm prædando interfectus est (omnes enim prædantes excommunicati palam in omnibus conciliis sunt) me ignorante à militibus suis ad Monasterium deportatus est, cuius corpus neque suscepimus, neque sepeliuimus, sed sine officio sacro retrò vltra aquam reuehi iussimus, vbi milites ipsi nullo Clericorum adstante, sepelierunt illud. Quo audito Episcopi iudicauerunt, dicentes; si ita est, nec ille excommunicatus sepultus est, nec Abbas Monasterii culpabilis iudicari potest. Tunc Episcopus Caturcensis cœpit enarrare dicens; Nuperrimè post Concilium Bituricense quidam de excommunicatis eques in nostra Diœcesi interfectus est, quem ego rogantibus amicis & propinquis eius nullatenus soluere volui, vt cæteri metum haberent; grauem enim culpam prædantis habuerat, itaque sine Sacerdotis obsequio à militibus apud quandam Ecclesiam S. Petri, non me iubente, sepultus est. Mane facto corpus eius longè extra Cimiterium proiectum & nudum super faciem terræ inuentum est. Tumulus autem vbi sepulturam habuerat intactus, ita vt dimissus pridem fuerat, repertus est; quem iterum milites aperuerunt, & nihil in eo aliud nisi vestes, quibus inuolutum fuerat, inuenerunt. Rursus cadauer ibidem sepellunt, & diligenter tumulum sub enormi pondere terræ & lapidum claudunt: sed die altero proiectum cadauer, & tumulum intactum vt supra aspiciunt, quinquies sepeliunt, toties eodẽ deiectũ tenore contuentur: tãto demũ victi stupore, corpus longè à Cimiterio Ecclesiæ terra obruunt, quo terrore perculsi Principes militiæ pacẽ nobis, velut optabamus, firmare nequaquã distulerunt. Ad hæc respondit Concilium: Quid hoc aliud est, nisi quia sub oculis hominum arbiter omnium adfirmat Ecclesiæ suæ auctoritatem, quia excommunicati à à sepultura Christianorum iustè ab Episcopis segregantur? Tales enim negant fidem dum latrocinia potiùs quàm pacem sectantur. Non enim Christiani dicendi sunt, de quibus ait Apostolus: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Item Iacobus: Fides sine operibus mortua est. Certè Dathan & Abiron pro pastorum suorum contemptu perierunt de medio multitudinis, ita in Episcopo suo Deum contempnens iustè insepultus ab Ecclesia disjungitur, si in excommunicatio-

Odolricus.

Depositio Presbyteri.

Caturcensis Episc.

nis vinculo eum contingat oppetere in morte. Odolricus interea venerabilis Pater familiæ beati Martialis ſedens in Cathedra, iuxta primatem Lemouicenſem, ſacris vt erat indutus ornamentis dare cœpit conſultum Epiſcopis dicens: Hîc vos, cariſſimi, decernere oportet medicinam, quam contra generalem morbum adhibeatis. Si enim de pace tenenda, ſicut & veſtra voluntas, principes militiæ Lemouicenſis vobis obſtiterint, quid contra iſta ſit agendum? Dixerunt Epiſcopi: Hac in re petimus, chariſſime, ipſe date conſultum. Quibus ille: Niſi de pace adquieuerint, ligate omnem terram Lemouicenſem publica excommunicatione, eo videlicet modo, vt nemo niſi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus aduenieńs, aut infans à bimatu & infra, in toto Lemouicino ſepeliatur, nec in alium Epiſcopatum ad ſepeliendum portetur. Diuinum officium per omnes Eccleſias latenter agatur, & baptiſmus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam ſigna ſonent in Eccleſiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione & pace fundant. Pœnitentia & viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes Eccleſias ſicut in paraſceue nudentur, & cruces & ornamenta abſcondantur, quia ſignum luctus & triſtitiæ omnibus eſt. Ad miſſas tantum quas vnuſquiſque Sacerdotum ianuis Eccleſiarum obſeratis fecerit, altaria induantur, & iterum poſt miſſas nudentur. Nemo in ipſa excommunicatione vxorem ducat, nemo alteri oſculum det; nemo Clericorum aut Laicorum tondeatur, neque radatur, quouſque diſtricti Principes capita populorum per omnia ſancto obediant Concilio. Si quis verò probatus fuerit aliquo modo huius vinculi violator, non recipiatur, niſi cum digna pœnitentia: magnoperè enim Epiſcoporum excommunicatio eſt obſeruanda, ne fortè plus iraſcatur furor Domini ſuper nos & ſuper populum. Tunc interrogatum eſt in Concilio, vtrum vni aut duobus primoribus ſi obedierint, debeat ab Epiſcopo ignoſci ſine omnibus aliis, an non? *Quod Emilius Pontifex*, atque *Azenerius Abbas* hoc modo enodauerunt reſpondentes: Si de centum impiis præter vnum nequimus reuocare, ipſum ſolum cum gaudio debemus ſuſcipere. *Odolricus autem* pater ſic reſpondit: Si vna de centum animabus perditis ad ſalutem lucratur, gaudium eſt coram Angelis Dei. Si quis denique poſt mortem inobediendi, ad obediendũ Epiſcopo feſtinat, iam à Deo interiùs viuificatur, ideóq; eum abſolui neceſſe eſt. Nam de his qui ad pœnitentiã compunctos non ſuſcipiunt, obturatos verò aut terrore, aut amore ſæculari abſoluunt, ſic Spiritus S. per Prophetam dicit: Mortificabãt animas quę nõ moriuntur & viuificabãt animas quę non viuunt. Et rurſũ: Væ his qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes lucẽ tenebras, & tenebras lucem. Si ergo vel vnus ex primoribus principibus vobis obedierit, cæteri verò omnes attrita fronte rebelles extiterint, pacificũ ſuſcipite in pace Chriſti, eique in omnibus opẽ ferte, & terram honoremque eius in abſolutione gaudentem, & liberum eſſe permittite. Cæteræ autem partes Lemouicenſis terræ, quæ rebelles principes habent, in ſupradicto relinquantur anathemate, vſque ad dignam correctionem, vt ſit inter bonum & malum differentia, ac ſi inter lucem & tenebras. *Quod ſi omnes maiores* poteſtates Lemouicenſes pacem conſenſerint, vt omnia ſint abſoluta, & aliqui de priuatis militibus, ſiue minoribus principibus inuenti fuerint concilio inobedientes, hi tales ita priuati excommunicentur, vt ſint ſegregati à communione corporis & ſanguinis Domini, in Eccleſia intrandi nullam habeant licentiam, cum Chriſtianis non comedant, neque bibant, neque ambulent, linum non induant, carnem non comedant, vinum non bibant, non tondeantur, neque radantur, ad nullas orationes proficiſci præſumant; ſi infirmi fuerint, non viſitentur à Clerico; morientes in ipſa excommunicatione non ſint de loco leuati in quo mortui fuerint, nec cooperiantur ligno, neque petra, neque alia munitione; ſubſtantiam eorum nullus pro animabus eorum in eleemoſynam accipiat. Dictum in Concilio eſt: ſi quis de Epiſcopis aliquotiens timore, vel amore, vel pecunia ſe inflexerit, vt ſecundùm Concilium non diſtringat per iuſtitiam illum, quem diſtringere debet & poteſt, ſiue abſoluerit viuum vel mortuum, quem abſoluere non debet, aut in aliquo probatus fuerit violare Concilium, quod ipſe cum aliis Epiſcopis inſtituit, ab ipſis Epiſcopis deponatur vſque ad ſpatium temporis, quod ipſi Epiſcopi concorditer iudicabunt. Dixerunt Epiſcopi omnes. Placet nobis hæc propoſitio, & ſic fiat. Similiter fiat de illo Epiſcopo qui excommunicatum alterius Epiſcopi ſuſceperit viuum ſiue mortuum, vel in Epiſcopatu ſuo ſuſcipere à quoquam permiſerit, vel conſenſerit.

Interea cùm talia Epiſcopi ſermocinarentur, querimonia in concilio commota

Digitized by Google

est à dicentibus ; in Monasterio beati Martialis *sursum* in Pascha & Pentecoste baptismus agitur,& ibi serui à dominis suis libertate donantur. Hæc volunt Clerici huius sedis non amplius alibi, quàm in hac sede administrari. His opposita sunt ista sanum sapientibus, qui sic responderunt : In oratorio S. Ioannis Baptistæ, quod est ad meridiem sursum secus Saluatoris Basilicam, fontes ab antiquis temporibus præparati sunt, & tantummodo in Pascha & Pentecoste ibi semper solet agi baptismus : aliis verò tẽporibus per totum annum in Ecclesia S. Michaëlis de illa superiori parrechia baptisantur infantes,nec vllo modo pro his hæc sancta sedes hactenus querelas commouit: Parochiani siquidem Ecclesiæ S. Petri *Cairogensis*, & quicunque ex principibus ex omni Lemouicino volunt filios suos ad scrutinium in quadragesima,& baptisandos in Pascha, siue in Pentecostem ad hanc deferunt sedem. Parochiani verò Ecclesiæ sancti Michaëlis, & Ecclesiæ Sanctę Mariæ de Harenis,& aliarum Ecclesiarum quæ Basilicæ beati Martialis subiectæ sunt, & quicunque de principibus ex toto Lemouicino, siue de externis Aquitaniæ ciuitatibus voluerint, filios suos baptisandos sursum ad Redemptoris aulam diligunt. Denique semper fuit consuetudo, vt quicunque voluerunt sursum,aut ante altare Redemptoris,aut ante corpus beati Martialis, seruos suos libertate darent. Quòd ergò semper vsque ad nos licitum fuit, nec amplius prohibitum, quo pasto nunc amodò illicitum erit ? Verum iusto iudicio iudicent præsentes Episcopi, quid hac in re æquum sit. Dixerunt Episcopi : Beato Martiali priuilegium suum ab antiquis statutum auferre nefarium est. Hæc autem sedes beati Martialis caput & mater omnium Galliæ Ecclesiarum est,quia prima ante omnes alias in Gallia extitit Deo consecrata. Ideóque Lemouicenses omnes Ecclesiæ præsertim huic tanquam capiti proprio in omnibus honorem exhibeant. Ipsa autem sedes & mater nullatenus à filiabus suis cæteris Ecclesiis iusta antiquitus concessa tollat instituta, nec eis impendi honorem debitum prohibeat. Gaudere enim Pontifex & assensum præbere debet, vt Ecclesiæ sibi subiectæ in honore antiquo perseuerent. Itaque in beati Martialis Monasterio, sicut antiquitus solitum erat, propter ordinem Paschalem non negligendum, qui mentes carnalium ad altiora trahit, & propter trinas letanias, & propter stationem ad fontes, rectè opportunum est celebrari baptismum, de tribus non minus infantibus in Pascha solummodo & Pentecoste. Simili ratione fieri congruum est in aliis Monasteriis & Ecclesiis, vbi ab antiquis diebus exerceri id solitum est : ita tamen vt maior numerus baptisandorum sit apud hanc matrem Ecclesiam : *& hi qui in aliis Ecclesiis apud hanc ciuitatem baptisantur*, ipso die coram *Episcopo ad confirmationem* in hac sede cum luminaribus exhibeantur : vbi enim cereus Paschalis consecratur,& baptismus agitur,ibi honestius Paschalis Ordo perficitur, & tres Letaniæ, quæ in Sabbathis Paschæ & Pentecostes nulla ratione prætermitti possunt, ne (quod absit) autoritas Spiritus sancti vilescat, aptius persoluuntur. Post sex enim lectiones septena fit in choro à pluribus simul cantoribus solemniter indutis : deinde cum terna ipsi Cantores & Sacerdos ac cæteri ministri procedunt ad fontes. *Peracto verò baptismo de tribus* tantum infantibus, nam cæteri si plus fuerint *ab alio Presbytero qui ibi remanserit* baptisantur, cum terna à fontibus regrediuntur, qui ad chorum, ad chorum; & qui ad altare,ad altare,cum cereis nondum inluminatis, sonantibus interim omnibus signis. Finita enim ipsa terna, & cessantibus metallinis clangoribus, mox hymnus Angelorum à Sacerdote excelsa voce profertur, inluminata iam omni Ecclesia, ex quo Cantores clamauerint:accendite. Hæc de baptismo satis sint. Nunc de seruorũ libertate dicendum,quia hanc agere licitum est vel apud hanc sedem,vel ante corpus beati Martialis, vel ad quancumque Ecclesiam Domini elegerint coram testibus, vel ante corpus defuncti proximi, sicut sæpè per plures ciuitates fieri videmus; ita sane vt huius sedis nominatiuus Cancellarius libertatem scribat. Nam & apud regale palatiũ, vel in quocunque loco Rex fuerit, coram Rege libertates legitimas fieri cernimus: immò lex Salica continet, vt vbicunque serui Dominus voluerit, potest seruum relaxare. *His dictis cum quidam de prædicatione ad populum, & de indicendis ieiunijs & letanijs* pro opportunitate temporum dicerent; quod hæc apud sedem duntaxat debeant instituí & edici. Dixerunt Episcopi : Prædicatio non solum apud sedem, sed etiam per omnes Ecclesias assiduanda est, vbi hanc dare strenuum Doctorem Domini voluntas inspirat. Etenim adeo gemendum est, quia valdè rari sunt in messe Dei operarii, etsi multi sunt qui bona audiant, sed rari sunt qui dicant : nam omnes Sacerdotes, quibus Parochia commissa est, omnibus dominicis & festis diebus ammonere prædicando

Baptismus & manumissio in Monasterio S. Martialis.

Seruorum libertas.

Prædicatio.

populum debent, secundùm illud: Argue, obsecra, increpa, quia Sacerdos si sine prædicationis sonitu incedit, interminatione diuina mortis reus est: Episcopus autem quos doctos ad hoc officium viderit & idoneos, non tantùm iussu, sed etiam rogatu ad tam sublime opus incitare debet. Quod officium siue Monachus, siue Clericus suscipere nequaquam potest, nisi in gradum *Lectoris fuerit* ab Episcopo Ordinatus.

Porrò de Letaniis indicendis, siue ieiuniis, sic in libro Capitulorum Caroli insertum est. Quando tribulatio super populum venerit, siue mortalitatis, siue hostilitatis, siue famis, aut intemperãtiæ aëris, vel si quid huiusmodi, & non fuerimus præsentes, nullus nostrum expectet edictum, sed mutuò se exhortantes Clerici, siue Monachi vnà cum populo festinent in letaniis vel ieiuniis misericordiam Domini super regnum nostrum inclinare. Igitur si talia sine sedis consultu, necessitate, non temeritate, vel (quod absit) typho superbiæ ab alia Ecclesia instituta fuerint, nihil est quod indignentur Clerici sedis: tamen ita cuncta concordantia moderentur in inuicem inter omnes vicinas congregationes, vt pax & vnitas inter sedem & alias Ecclesias permaneat inconuulsa.

Petrocoricensis Episcopus. Episcopus autem Petracoricensis de quodam *Canonico suo tantùm Clerico*, qui vxorem duxerat, inquirendo proposuit dicens, vt iudicarent quid de eo ageretur. Ad hoc verbũ in Concilio responsum est: Canones iudicent: quomodo enim nostro possumus arbitrio iudicare quicquam, cùm omnia à prioribus iudicata sint? Nihil quippe dicendum, quod non priùs dictum sit. Tunc lecti sunt Canones Apostolorum, vbi in capitulo 27. ita dicitur: Qui Clerici debeant coniugibus copulari, innuptis qui ad clerum prouecti sunt præcipimus, vt si voluerint vxores accipiant. Sed Lectores, Cantoréſq; tantummodo. Et iterum dictum est: Canones Toletani & hoc iudicant, vt in Monasteriis nutriti cùm venerint ad annos adolescentiæ, detur eis optio libera, vtrum velint vouere propositum, an inter Laicos esse. Qui voluerint, vxores ducant; qui autem propositum, in sua potestate relicti vouerint, non vltra eis ad sæculum licet respicere. Nam & Concilium Bituricense, sicut audiuimus, iudicauit vt qui Clericaturam suam dimittit, ab aliis Clericis separetur. Item de Abbatibus quibusdam proposita quæstio est, qui *maioribus festis Capellanum & plures Diaconos* ad celebrandam missam, sicut Episcopi, habent. Et consultè tractatum est hoc non pro vsurpatione, sed honore solemnitatis fieri, nec solum Abbatibus, sed etiã aliis Sacerdotibus, apud plures Ecclesias, vbi magni numeri congregationes Monachorum aut Canonicorum sunt, propter solemnitatis reuerentiam exhiberi licitum videtur: non tamen plus quàm tres Diaconi Abbatibus vel reliquis Sacerdotibus in solemnitatibus adhibentur. Episcopis autẽ aliquando tres, aliquoties quinque, nonnumquam septem Diaconi pro opportunitate festiuitatum, & ad omnes publicas missas præsto sint. Nam in Monasterio beati Martialis notum est, semper antiquum morem seruatum, hodiéque seruari, & nunquam debere prætermitti, scilicet in Pascha, & eminentioribus per annum festis tres Diaconos & Capellanum ministrare Abbati in publica missa: aliis autem diebus siue minoribus festis, Capellanum tantummodo, & vnum Diaconem.

Tunc accusabantur quidam, qui propter Presbyteri gradum pecuniam dederant, & alii qui duas vxores ante Diaconatum habuerant: alii autem qui in Clericatu sibi virilia amputauerant: alii verò qui in laicali ordine homicidium fecerant, & postea Monachi facti gradum Diaconatus susceperant. Dictum de his in Concilio est: Nulla his misericordia potest tribui, quin omnes deponantur. Si enim quos Sancti Patres damnant absoluimus, falsam eis misericordiam & æternam mortem impendimus. Tunc Canones Apostolorum probati sunt, vbi capitulo trigesimo legitur: Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deijciatur & ipse, & ordinator eius, & à cõmunione modis omnibus abscindatur, sicut ego Petrus Simeonem magum deieci. Item cap. xxxi. Si quis Episcopus sæcularibus potestatibus vsus Episcopatum, vel Ecclesiam per illos obtinuerit, deponatur & segregetur, & omnes qui illi communicant. Item cap. 17. Si quis post baptisma secundis nuptiis fuerit copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, aut prorsus ex numero eorum qui ministerio sacro deseruiunt. Item capite decimo octauo: si quis viduam vel electam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel aliquam de his quæ publicis mancipantur spectaculis, non potest esse Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, non ex numero eorum qui ad altare deseruiunt. Item capite 21. Eunuchus si per insidias hominum factus est, vel si in persecutione sunt eius amputata virilia, vel si ita natus est, & est dignus, efficiatur Episcopus. Item cap. 22. Si quis abscidit semetipsum, id est si quis amputauerit sibi virilia, non fiat Clericus, quia

Digitized by Google

suus homicida esset, & Dei conditionis inimicus. Si quis cùm Clericus fuerit, abscíderit semetipsum, omnino damnetur, quia suus est homicida. Laicus semetipsum abscindens annistribus communione priuetur, quia suæ vitæ insidiator extitit. De homicidis verò dictum est, vt si quis voluntarius, & non per necessitatem fecerit homicidium, & postea Monachus fuerit factus, ad gradus altaris promoueri non potest. Monachis enim qui ad gradus prouehuntur Ecclesiasticos, summopere prouidendũ est Abbati illos Episcopo offerenti, vt idonei & probati sint, iuxta quod S. Benedictus ait: Si quis Abbas sibi Presbyterum vel Diaconum ordinari petierit de suis eligat, qui dignus sit Sacerdotio fungi: nam ille qui adhuc viuens est, qui *Stephanum Episcopum* dolo occidit, cùm non inueniret pro tanto crimine pœnitentiam, Cluniacum Cœnobium petiit, Monachus ibi effectus est: qui legere & cantare tanquam peritus Clericus sciens, ab Odilone Abbate cogitabatur offerri Episcopo ad gradus altaris. At prudenter tractans venerandus Abbas, literis directis ad Papam Romanum consultum expostulat, & crimen Monachi intimat. Cui Apostolicus talia remandat: Impossibile est talem ad aliquem gradum prouehi, *nec etiam offerre potest* oblationem ad manus Sacerdotis, ne fortè pro eo vno in plures furor Domini descendat: sed nec communionem sanctam accipere potest. In exitu autem vitæ pro misericordia ei viaticum detur: nihil hic aliud quàm luctum agat, si fortè illic misericordiam inueniat. Ita hactenus ille viuit permanens in pœnitentiæ luctu, non offerens, non communicans. *Homicida.*

Item inquisitum est de temporibus ordinum, quia nonnulli ex Episcopis per totum annum Ordinationes nunc faciunt, quod priores Episcopi non faciebant. Reuoluta sunt ego patrum statuta, & inuentum quia graduum Ordinationes rectè fiunt per mensem Martium, & Iunium, Septembrem quoque atque Decembrem, Sabbatho videlicet in duodecim Lectionibus, quando iejunia quatuor temporum aguntur; vbi si tanta multitudo fuerit ordinandorum, vt Sabbatho non possit omnes Episcopus consecrare, in crastina Dominica vsque ad horam sextam à manè qui superfuerint, debent ordinari; alias autem nullo modo; nisi causa grandis necessitatis; de Diaconatu tantùm, vel Presbyteratu oportet Ordinationes agi; & hoc in nulla festiuitate, nisi Dominica die, quam tamen iejunium generale in Sabbatho præcesserit. Nam & ipse Episcopus ordinari non potest, nisi in Dominica die circa horam diei tertiam. De sancto autem Gregorio constat, qui nunquam nisi in mense Martio Ordinationes egit; Beatus verò Petrus Apostolus in mense Decembrio, & non aliubi; in Iunio autem tantummodo beatus..... porro in Septembri, & non in alio beatus ..... Rursus in Concilio conquisitum est (f. conquestum) de *excommunicatis Aquitanigenis*, qui ignorantibus Episcopis suis à Romano Papa pœnitentiam & absolutionem accipiunt: & hac de causa pax & Concilium in Aquitania destruitur, dum quos isti iustè ligant, ille iniustè absoluit. Ad hæc venerandus Engelricus Canonicus Sanctæ Mariæ Anicensis Ecclesiæ cœpit explicare dicens: *Stephanus Aruernensis* Præsul ante hos annos *Pontium Comitem Aruernensem* excommunicatione obstrinxit pro vxore legitima quam dimiserat, & aliam duxerat. Quem cùm nulla vellet ratione absoluere, nisi emendatum, Comes Romæ à Domino Papa absolutionem accepit, ignorante Papa eum excommunicatum. Quod graviter Episcopus ferens, conquisitorias (*melùs conquestorias*) literas Romam Apostolico misit. Cui ille in hunc modum remisit Epistolam. Quod nescienter egi, frater carissime, non mea, sed tua est culpa: scis enim quia quicunque de vniuersa Dei Ecclesia, quæ est in toto orbe terrarum, ad me causâ remedij recurrerit, impossibile est mihi eius curam negligere, dicente Domino ad beatum specialiter Petrum, Pasce oues meas. Quo ergò modo sedes Apostolica poterit eiicere aliquem de medela, nisi rationabili causa? Debuerat certe mihi antequam illa mortua ouis Romam veniret, eius causam tuis innotescere apicibus, & ego eam omnimodo abiicerem, tuámque firmando auctoritatem, eam anathematis ictu repercuterem. Profiteor quippe omnibus Consacerdotibus meis, vbique terrarum adiutorem me, & consolatorem potiùs esse, quàm contradictorem: absit enim schisma à me, & à Coëpiscopis meis. Itaque illam pœnitentiam & absolutionem quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudulenter accepit, irritam facio & quassam, vt de illa nihil aliud speret quàm maledictionem, quoad satisfactum tu iustè absoluas. Dicebant ergò Episcopi ad inuicem: Frustra hæc querela aduersus caput nostrum mutire audet; Apostolicus enim absque culpa est, & potius nos culpabiles sumus, nisi literis nostris ei notum faciamus, de quibus nolumus vt absoluantur. *Pontius Comes Aruernensis.*

Digitized by Google

Cùm ergo tales deceperint Apostolicum, vt fraudulenter absoluantur ab eo, irrita est eis illa absolutio, ideoque nec ab eo, nec à nobis confirmanda. *Quidam autem in Concilio* dixit: Vidi nuper de Episcopo Engolismensi qui præsens est, quod dico: Quidam ex suis Parochianis excommunicatus ab eo dum satisfacere nollet, non poterat impetrare ab eo pœnitentiam. Qui sine licentia Episcopi sui Papæ Romano subripuit pœnitentiæ legem, & literas ex nomine eius Episcopo detulit in Cœna Domini, quibus Episcopum rogabat Apostolicus, quatinus illi pœnitentiam quam imposuerat affirmaret. Episcopus verò intelligens fraudem, ait homini: versa vice quod ego postulare debueram ab Apostolico, Apostolicus postulat à me. Non credere possum hoc mandatum ab eo exortum. Hoc tibi nihil vtile est, & donec aut à me, vel ab huius sedis Archidiacono, me iubente, accipias pœnitentiam, permane in excommunicatione, & eiecit eum foras de Ecclesia. Et dixerunt Episcopi. Hoc ab ipsis Apostolicis Romanis & cæteris patribus cautum tenemus, vt Parochiano suo Episcopus si pœnitentiam imponit, eumque Papæ dirigit, vt iudicet vtrum sit an non pœnitentia digna pro tali reatu: potest eam confirmare auctoritas Papæ aut leuigare, aut superaddere; iudicium enim totius Ecclesiæ maximè in Apostolica Romana sede constat. Item si Episcopus Parochianum suum cum testibus vel literis Apostolico ad pœnitentiam accipiendam direxerit, vt multoties pro grauissimis solet fieri reatibus, in quibus Episcopi ad dignam hæsitant pœnitentiam imponendam, hic talis licenter à Papa remedium sumere potest; nam inconsulto Episcopo suo ab Apostolico pœnitentiam & absolutionem nemini accipere licet. Sanè, vt exempli causa aliquid dicatur, beatus Martialis Aquitaniæ Apostolus Stephano Regi Galliarum, qui sub Nerone Galliam vsque ad montes Pyrenæos regendi habebat potestatem, pro Virginis Valeriæ interfectione, cæterisque reatibus iam pœnitentiam indixerat, iam fonte baptismatis, quo cuncta delentur admissa, ipsum purificauerat: attamen quia necesse principi fuit vt Romam cum legione Galligenarum, iubente Nerone, properaret, præmonente vt credimus beato Martiale, beatum Petrum Apostolum adiit, & pro Virginis interfectione ab eo se absolui postulauit. Illa profectò principis absolutio à beato Petro, confirmatio illius fuit absolutionis & pœnitentiæ quam ei beatus Martialis indixerat. Certè beatus Petrus si sciret illum esse à beato Martiale excommunicatione obligatum, potius eum damnaret quàm absolueret. Sic Apostolici Romani Episcoporum omnium sententiam confirmare, non dissoluere debent; quia sicut membra caput suum sequi, ita caput membra sua necesse est non contristari. *Referam verò ad ædificationem* quod dudum de illo milite contigit Vasconi, qui iubente Duce Vasconum Sancio, seniorem suum decollauit; inuitus tamen, & terrore ducis perterritus id egit, interminante irato duce, & dicente: Nisi istum occideris, occidam te. Vno ergo ictu seniorem proprium decollauit, & grauissimo dolore repletus ad Episcopum suum causâ pœnitentiæ recucurrit, cui ille compassus dixit: Debueras pro seniore tuo mortem suscipere, antequam illi manus aliquo modo inferres, & martyr Dei pro tali fide fieres: sed grauissimum reatum egisti, & nobis inauditum: nescio tibi consilium ferre pœnitentiæ, sed vade quantotius ad Papam Romanum; Si tibi ille pœnitentiam concedit, & ego gaudeo & confirmo: si te ille abiecerit, nunquam nec à me, nec ab aliquo inuenies pœnitentiam. Quod ille concitus impleuit, & cum testibus detulit secum literas Episcopi sui. Et cùm Apostolicus secundâ Paschali feriâ apud sanctum Petrum sacra agens post Euangelium resedisset, cœpit ille reus ante eum in conspectu totius Ecclesiæ grauissimè plorans, & suspirans, exclamare dicens: Pœnitentiam volo, Domine; pœnitentiam volo, Domine. At Apostolicus qui dextrâ læuáque ei qui assistebant, ait: Requirite pro qua culpa. Ille inquisitus, nihil aliud dicebat: Creatorem meum offendi, Creatorem meum offendi. Cui Apostolicus: Cur, inquit, Episcopum tuum non expetebas? Et ille: Episcopus meus me misit ad te. Tunc testes Apostolico suggesserunt culpam, eique literas Episcopi protulerunt. Sic Apostolicus Episcopo, qui à dextris eius stabat, loquutus est, dicens: Recogita authoritatem diuinam, quali pœnitentiâ hic mortuus possit viuificari. Et Episcopus ait: Dominus dicit in Euangelio: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet..... *Hic deficit Codex Thuanus, n. 92. nostrumque apographum.*

Sancius Dux Vasconum.

CORRO-

CORROBORATIO MVLTORVM EPISCOPORVM de S. Martiali Apostolo in Bituricensi Concilio.

IN nomine Domini, Ego Aymo Archiepiscopus, anno Incarnationis Dominicæ MXXXI. Indictione XIV. in Concilio Bituricensi, quod actum est Kalend. Nouembris, cum consensu Coepiscoporum, seu Abbatum, & reliquorum fidelium, qui ibidem præsentes affuerunt, decreui, & auctoritate propria firmaui, vt priuilegium Domni Ioannis Romanæ Sedis Papæ, quod isdem domnus instituit, & Episcopis, Abbatibus, & reliquis fidelibus totius Galliæ misit, inconuulsum & inlibatum permaneat: scilicet, vt beatissimus Martialis in numero Apostolorum, tam in Letaniis quàm in omnibus diuinis officiis computaretur, & esset, nec immeritò. Est quippe dignum sicut in gestis eius repperimus insertum, illum videlicet tam in Cœna Domini, quàm in Passione, necnon & Resurrectione, Ascensione quoque præsentem adfuisse, & cum cæteris Apostolis Spiritum Sanctum accepisse. Quia etsi reliquarum gentium Apostolus non est, totius tamen Galliæ ad Christum conuertendi princeps & Apostolus est. Hoc autem nostrum edictum Episcopis, Abbatibus, & reliquis fidelibus totius Aquitaniæ direximus, obsecrantes, vt sicut priuilegium à sede Apostolica delatum inuiolabiliter custodiatur, & qui huic priuilegio Apostolico & nostro Edicto contrarius extiterit, contraire se nouerit præceptis Apostolicis, & iram ipsius incurrere nostri Redemptoris; cuius ipse, de quo loquimur, Apostolus Martialis inuincibilis extitit testis. Hæc sunt nomina Episcoporum qui interfuerunt, Aymo Archiepiscopus Bituricensis, Iordanus Lemouicensis, Stephanus Vallacensis, Renco Aruernensis, Amelius Albigensis, Deus-dedit Cadurcensis, Ragamundus Mimatensis. In margine additur aliâ manu; sede Rutenensi vacante, & Azenerius Abbas Masiacensis, cum reliquis quamplurimis Abbatibus & Religiosis viris.

Nec plura modo congeram, cùm de sancti MARTIALIS *Apostolatu, cæterisque ad eiusdem, aut discipulorum eius Alpiniani & Austriclniani, sanctæ Valeriæ Virginis, &c. Laudes, Translationes, Relevationes, ac Miracula, necnon Ecclesiarum aliquot Lemouicensium Dedicationes atque Encomia spectantibus, quæ partim in citatis Bibliothecæ Thuanæ MSS. membranis, partem in alijs Codicibus calamo exaratis hactenus occurrerunt. Omittenda quoque mihi non sine quodam animi dolore video, quæ ad manum erant, quæque in specimine promissa fuerant quamplurima Concilia Aquitanica, vt in Constitutionibus Synodalibus Illustrissimi ac Reuerendissimi in Christo Patris D. Antonij Bohierij Patriarchæ Bituritensis desinam, ac secundum hunc Bibliothecæ nostræ Tomum rebus Aquitanicis consecratum, à Patriarchio Bituricensi feliciter inchoatum, non infructuosa, nec, vt spero, injucunda Clericis omnibus coronide concludam.*

Digitized by Google

CONSTITVTIONES SYNODALES

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS & Domini, Domini Anthonij Archiepiscopi Patriarchæ Bituricensis, Aquitaniæ Primatis recenter editæ.

In Constitutiones Synodales Patriarchatus Bituricensis nuper editas eiusdem Archiepiscopi & Patriarchæ Præfatio.

ANTHONIVS Dei & sanctæ sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus Patriarcha Bituricen. Aquitaniæ Primas. Cum nuper sub ipsa propemodum nostræ administrationis initia, pastoralis nominis & officij rationem paulo diligentius (vt par erat) habendam esse decreuissemus quod in mentem nobis ante omnia venit: hoc videlicet fuit: vt in id potissimum totis viribus incumberemus: quod ad dilectarum Deo animarum conseruationem propius spectare videretur. Itaque vbi non adeò obtusa considerationis acie facile perpendimus Sacerdotes eos omnino esse, vt pote aliorum Duces, quorum exemplo siue ad bonum siue ad malum Christiani greges plurimum componerentur. Ab ipsis itaque tanquam domo Dei (vt verbis vtar Principis Apostolorum) fabricæ totius apparatum duximus inchoandum: Cum & alibi scriptum esse meminerimus. A sanctis meis incipite. Merito ergo quod à prædecessoribus nostris Bituricensis, huius Patriarchatus moderatoribus hactenus meliore forsan temporum conditione fretis inuenimus prætermissum: Nos vsu exigente & plurimis necessitatibus inducendum esse consuluimus, vt planè in commune Ecclesiasticæ disciplinæ constitutiones ederentur à nobis (Statuta vulgo Synodalia vocant) ex quibus velut euidenti aliqua tabella valeant fidelium Parochiarum Presbyteri, & Clerici alii quid ad suum cuiusque officium pertineat: qualiter in diuinis ministris versari deceat, qua denique diligentia & honore Sacrosancta Ecclesiæ mysteria tractanda exhibendaque sint sine magno labore & impensa continuo deprehendere. Neque vero nobis est incognitum quàm multa & pene innumera: de his quæ nunc moliri videmur ab antiquis patribus fuerint & salubriter & prouidè constituta: plenos esse non ignoramus codices, sed quos nec omnibus habere, nec etiam intelligere datum sit. Præterea quæ in vniuersum multis retro sæculis ordinata sunt, aut pro variis ætatum decursibus immutari, aut secundùm locorum diuersitatem facile temperari consueuerunt. Sed & verissimè dictum esse constat vnamquamque prouinciam suo sensu abundare. Quod cum ita sit nec pauci ante nos summa alacritate & studio ad honorem Dei & multorum vtilitatem variis regionibus iter hoc confecerint, perpulchrè nobiscum agi profecto censuerimus si facili compendio nos quoque subditis nostris ad salutis portum semitam quiuerimus ostendere: id quod nobis concedat Christus Dominus & Deus noster, qui via est, veritas, & vita, in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

DE CONSTITVTIONE SYNODORVM.

PRimum omnium de Synodis hoc indicimus quod prædeceſſores noſtri ſalubriter ordinauerunt, vt ſcilicet bis annis ſingulis apud nos celebrentur. Prior quidem die Iouis poſt Dominicam qua cantatur Quaſi modo geniti. Altera vero eadem die poſt feſtum Sancti Lucæ Euangeliſtæ : ita videlicet vt in vtraque Synodo ipſo die Iouis comparere teneantur perſonaliter in choro maioris Eccleſiæ noſtræ Biturícen. Abbates ciuitatis & Diœceſis Biturícen. veſtibus induti Sacerdotalibus cum cappis & croſſis, aut ſaltem aliâs ſecundùm profeſſionem ſuam habituati: lateri noſtro à ſiniſtris: vicarius verò & cæteri noſtri officiales cum Archidiaconis noſtris à dexteris aſtituri. Et ex oppoſita eiuſdem chori parte conſiſtant ciuitatis Curati, ſeu rectores aut eorum vicarii ſacris itidem veſtimentis ornati: ſed citra caſulam. Cæteri verò noſtræ Diœceſis Curati, aut eorum Vicarii ſuppelliciis induti ſaltem cum decenti habitu cõparere tenentur: niſi forte vel propter infirmitatem, vel grauiorem aliquã cauſam apud nos vel officiarios noſtros fuerint excuſati, de qua quidem excuſatione ſua, ſi fidem per nuncium ſpecialem ad hoc deſtinatum non fecerint, eos vel emendæ vel alteri arbitrio noſtro moderandæ pœnæ volumus ſubiacere: aliis autem à prædictis ingreſſum ſub excommunicationis pœna & emendæ interdicimus.

Iniungimus etiam ſub ſimili pœna : omnibus Curatis & Vicariis ad Synodum venientibus: vt priuſquam proficiſcantur, parochiam præordinent, viceſque ſuas alicui idoneo committant, ne eorum abſentia aliquibus & maximè infirmis nocumentum afferat. Et præterea veniendo & redeundo honeſta quærant hoſpitia, ne alicubi aut aliquibus ſcandala ingerant.

Poſtquam verò in vnum (vt ſupradictum eſt) omnes conuenerint, ſtatim Diaconorum vnus legat Euangelium. Deſignauit Dominus, & quæ ſequuntur, Lucæ cap. x. Quo dicto, cantetur à duobus medium chorũ tenentibus Letania: aliis in idipſum reſponden. mox deinde benedicatur Synodus. Et ad impetrandum Spiritus S. gratiam cantatiſſimus ille dicatur hymnus: Veni creator Spiritus, cum verſ. Emitte, & oratione. Deus qui corda. Quibus rite peractis fiat ſermo: Et poſtea ſtatutorum publicatio : quibus expeditis pro defunctis fundatur oratio: De profundis, & Fidelium.

De Vita & honeſtate Clericorum.

DE moribus non vltimam apud nos fieri quæſtionem ſummè cupientes: hæc in primis ex Sanctorum Patrum decretis efficacius iubemus cuſtodiri: vt ſcilicet omnes nobis ſubditi quicumque curam ſortiti ſunt animarum, de his præcipuam ſemper in omni charitate gerant ſollicitudinem pro quibus Domini noſtri precioſus eſt ſanguis effuſus & variis infirmorum, orphanorum, viduarum, peregrinorum quoque & egenorum neceſſitatibus ſubuenire modis omnibus elaborent, exercentes ſemetipſos ad pietatem : quæ (vt Apoſtolus ait) vtilis eſt ad omnia : habens promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.

Item & vt omnes ac ſinguli Sacerdotes & Clerici nobis ſubditi ſicut loco, ita & religione meritorúmq; profectu cæteris antecellant: Sobrii ſint crapulæ & ebrietatis perpetui inimici : non vagi oculis : non effreni lingua : geſtu minimè proterui. In ſumma eiuſmodi, qui compoſitione corporis mentis æqualitatem demonſtrare queant, veſtes deferant aptas collo bene cohærentes: à tergo clauſas exceſſu aut reſtrictione non notandas: & quæ per omnia conſuetudini bonorum, cum quibus degunt, conuenire videantur. Ipſi quoque in Eccleſiis & congregationibus publicis : quibus inter homines verſari eos contingit, habeant capitia: aut quæ camalia appellant. Diuinis officiis congruo tempore cum ſuppelliciis diligenter inſiſtant: & facientibus coadiutores exiſtant: & maximè hi qui in ipſis Eccleſiis particularia commoda quomodocumque recipiunt. Pannis verſicoloribus, rubeis, aut viridibus prorſus abſtinentes : ſimul omnem auri vel argenti ſuperfluum ornatum in ſeipſis, & ejectionibus ſuis effugiant. Sed nec anulos ferant: niſi quibus ex dignitate competat. Caueant à galeris, ſeu birretis auriculatis : & quos ad duo reuerſa vocant, à calceis inhoneſtis & maximè feneſtratis, & caligis cancellatis ſiue bandatis, quandoquidem hæc omnia Clericos permultum dedecent.

His insuper adiicimus vt qui in sacris sunt ordinibus constituti ; vel beneficium Ecclesiasticum adepti officiis & commerciis secularibus nequaquam implicent turpia lucra sectantes. Vnde nec eos apud seculares iudices (nisi fortè pro se & Ecclesiis suis & miserabilibus personis) postulare permittimus, aut procuratores esse, aut tabellionum sub ipsis officio fungi. Sed nec iustitiarios fieri sæcularium potestatum. Inhibentes eisdem expressiùs, vt sententiam sanguinis siue iudicando, siue consulendo numquam dicere præsumant. Sed sanguinariam vindictam pro sua mansuetudine semper & vbique detestentur. Laicorum cuiuscunque conditionis dignitatis, & gradus, etiam si Comitum, Baronum, aut Castellanorum institores, aut receptores non existant, neque vt tabernarij publici vænale vinum exponant. Si enim vt in canone est, tabernas (nisi causa necessitatis) intrare prohibentur ; quanto magis aliis ministrare in illis : Ioculatores, aleatores, nebulones, sagittarii, venatores, seditionarii, nundinatores, vsurarii, ex ipsis nec nominentur nec sint. Nam si qui tales (quod absit) aut talibus inuenti fuerint consentire, digna curabimus animaduersione plectendos. Nihil eis etiam indulturi : qui congruentem in corona & tonsura, modum nescierint custodire : quarum vsum bigamis sub excommunicationis pœna declaramus interdictum.

Nouissimè recolentes, quòd inter alia præcipuè cupimus obseruari præcipiendo mandamus, vt vniuersi nobis subditi Sacerdotes suæ professionis memores, castè, & purè viuere studeant sub timore Domini : sic ab omni libidinis turpitudine præcauentes : vt templum Dei, vasa Regis æterni, sacrarium Spiritus Sancti & esse & dici mereantur. Proinde censemus & hoc districtius inhibendum : ne vlla prorsus occasione focarias siue fornicarias, aut eas mulieres, de quibus suspicio probabiliter existere debeat, apud se retineant : dictum hoc sibi accipientes. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. Quod si qui post huiusmodi prohibitionem nostram, in hoc adhuc fœtore iacere miserabiliter comperti fuerint : tali pro certo expectent à nobis districtione percelli, vt alii eorum exemplo deterriti, frugem vitæ melioris credantur amplexuri.

De Fide Catholica.

SAcerdotibus omnibus quibus ex officio congruat alios instruere : hoc imponimus apertius, vt fidei doctrinam super omnia diligentes ex sanctorum Patrum Symbolis eam simplicibus verbis curent suis plebibus exponere, ac simul eis insinuare, quod in Ecclesia Dei omnes cuiuscunque conditionis & status homines per rectam fidem & operationem bonam placentes Deo ad æternam merentur beatitudinem peruenire. Caueant autem nequando extra rem curiosas subintrent quæstiones, ne quid temere, aut proteruè præter Dei veritatem astruere videantur. Siquidem regnum Dei (vt canon tenet antiquus) in simplicitate fidei est, non contentione sermonis. Inde est & illud Pauli. Non plus sapere quàm oportet sapere : sed sapere ad sobrietatem.

Quoniam verò tam ad fidei augmentum : quàm ad bonorum operum fine quibus fides mortua est, effectum consequendum frequens & fidelis oratio semper vtilis est : Idcirco memoratis Ecclesiasticis viris iniungere visum est : vt statim à pueris subditos suos orare doceant : & sæpe dicere cum Domino ad Deum, Pater noster qui es in cœlis, &c. Cum Angelo ad Dei matrem, Aue Maria. Denique cum Ecclesia ampliores orationes pro captu seu capacitate proficientium. Sed & quia fidei professio fieri ad salutem perhibetur : Symbolum Apostolorum : hoc videlicet, Credo in Deum, dici & celebrari conuenit ab omnibus : quos in his quoque volumus edoceri : quonam scilicet modo Deo fidei & bonorum omnium auctori gratias agere debeant quotidie : & quotidie pectora sua in conspectu eius humiliter confiteri. Porro cum fides vera illa censeatur quæ per dilectionem operatur : moneantur omnes super omnia amare Deum & charitate non ficta mandata eius custodire, ea maximè quæ ad misericordiam pertinent. Quam ex his veri Dei imitatores optimè cognosci solent. In qua re, ne per ignorantiam quandoque peccetur, decem præcepta legis & septena misericordiæ opera spiritalia & corporalia iubemus in Ecclesiis frequenter à Curatis pro suo cuiusquam modulo prædicari : Ostendique quod per hæc certa via est ad vitam æternam cum Christo benedicto, & Angelis sanctis adipiscendam : sicut ex aduerso per mortalia peccata (quam simul cum prædictis exponi oportebit) miseræ animę mi-

tuntur in ignem æternum: qui paratus est diabolo & dæmonibus eius. Hæc autem qui docuerint & fecerint, sic fœlices futuri: Quippe qui dignè cum Paulo aliquando dicere possint: mundæ sunt manus meæ à sanguine omnium vestrum: non enim subterfugi quominus annunciarem omne consilium Dei vobis.

De præceptis Decalogi.

DEum offendi nimia licentia in quibusdam præsertim mandatorum suorum grauissimè ferentes, statuimus subditos nostros maximè Clericos in Christo Iesu cohortando: vt in vnum solum verum Deum sicut fideliter instructi sunt, spem suam omnem collocantes, deliramenta magica consortiáque dæmonum semper execrentur: & execranda publicè denuncient. Scientes quia qui per magias, veneficia, necromancias, incantationes, exorcismos, specula, signa, anulos, imagines, ligaturas, sortes per pelues & alias eiusmodi vanissimas curiositates miserè insaniunt, subuersi sunt funditus suo se peccato condemnantes: cum & fidem deserant Domini nostri: de quo scriptum est: omnia per ipsum facta sunt: & membra fiant diaboli in quem credunt, eius suffragia quærentes. Si qui tales, quod non credimus, in nobis vsque reperirentur: eos iustas daturos pœnas ilico deferri peroptamus, ne tali peste sancta Ecclesia quandoque inficiatur.

Præcipimus etiam vniuersis & singulis subditis nostris, vt diebus festis diuinæ maiestati & sanctis eius rite dedicatis in omni deuotione & sanctitate soli Deo norint esse vacandum: vt nec vlla seruilis aut quæstuaria seu concupiscentiæ succumbens operatio penitus attentetur: Iniungentes omnibus vtriusque sexus principalibus domorum laicis personis, vt saltem earum altera, vbi duæ fuerint, singulisque quibusque dominicis diebus missam audiant parochialem cum præceptis: districtius nihilominus sub pœna excommunicationis inhibentes ne dictam Missam cum præceptis sicut præmittitur continuè tribus dominicis audeant intermittere: nisi forte iusta aliqua & rationabili causa mererentur excusari.

Præmissis & hoc addendum esse censemus, quod ad Dei reuerentiam non modicum pertinere videtur vt illi ex nobis suppositis, qui nephandis blasphemiæ verbis & execrabilibus sacramentis, veluti per caput, crucem, & his similia iurantes, Deum ad iracundiam prouocare non desinunt, ab officiario nostro inter alios delinquentes studiosiùs annotentur: vt re comperta infelices illi præter iudicium Dei quod sua hac iniquitate iam incurrunt nostram etiam districtionem persentiant. Si enim, vt rectè quidam ait, contra homines factæ blasphemiæ impunitæ non relinquantur: multo magis qui ipsum Deum blasphemant digni sunt supplicia sustinere. In quo planè numero & illi merito habendi sunt, qui superbenedictam Dei matrem Virginem glorioſam maledictis incessere nonnunquam inueniuntur: impiè nimis eam linguis impetentes: quæ vere totius fons est pietatis. Cuius nomen vnguentum effusum, quo laus omnis inferior est. Sed & qui per hunc modum contra Sanctos eiusdem Dei & Domini nostri efferuntur haud dissimili debent censura distringi. Nempe enim quæ sanctis infertur iniuria, in eum vtique redundare creditur, qui glorificatur in concilio sanctorum, quorum glorioſa nomina scripta sunt in cœlis, nobis veneranda semper & ad opem inuocanda. Neque verò amplius etiam illos sufferre valemus qui tertio quoque verbo loquentes diaboli horribile nomen summi Dei & nostri generis antiqui hostis pernicioso more prouocant: Hoc pacto sua mendacia crebraque periuria defendi posse arbitrantes. Et quod non minus iniquum sit per maledictum vllum proximis suis maledicere: & mala omnia imprecari non cessant. A quibus deinceps vt abstineant omnes per Iesum & hoc dulce & benedictum nomen, à quo non est aliud sub cœlo datum hominibus, in quo fieri nos saluos oporteat, deprecamur: Et nihilominus iniungimus & præcipimus. Hoc autem constitutum nostrum frequenter in Ecclesiis publicari volumus & mandamus.

De Baptismo.

OMnibus Curatis & aliis Sacerdotibus sacramento baptismi operam daturis artiùs iniungimus: vt ad hoc præparati & cum timore Dei venientes traditam à Domino formam promptè sciant & sincerè proferre, nihil de eisdem omittendo, alias

BIBLIOTECA DERECHO

(cum sint omnia verba de substantia) nihil fieret: Ita videlicet: Ego baptizo te: In nomine Patris & Filij & Spiritu Sancti, Amen. Simulque hæc verba dicentes conspersionem aquæ meminerint esse faciendam. Risus solutiores, ridiculáque & obscœna quælibet verba misceri non patientur: Atque regeneratorum parentes moneant pro tanto munere perennes Deo gratias agere. Vitent & ipsi puerperarum conuiuia ne forte per hæc quandoque scandalizentur. Religiosos cuiuscumque ordinis ad filios de sacro fonte suscipiendos non admittant: Sed neque ex aliis plures quàm vnum siue virum siue mulierem vt vnus sit compater tantùm & vna commater: quos ad rem tam sacram ne aliter accedant, volumus præmoneri: quàm si prius confessi sint, si commodè fieri poterit, alioquin saltem corde contriti certum habeant tempore & loco propositum confitendi.

Iniungimus ad hæc Sacerdotibus eisdem: vt parochianos suos vtriusque sexus etiam parentes baptizandorum instruant verbis Gallicis secundùm prædictam formam in necessitate baptizare: vt & pariter verba proferant, dicendo, *Ie te baptize en nom du Pere, du Fils & du Sainct Esprit*, & proferendo dicta verba aquam superinfundant: deinde sic baptizatos cum primum fieri poterit iubeant in Ecclesia repræsentari: vt in eis cætera baptismi solemnitas perficiatur. Et si facta diligenti inquisitione dubium supersit: an baptizati sint, baptizentur his verbis præmissis. Si baptizatus es, non te baptizo: Si nondum baptizatus es, ego te baptizo, In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Amen.

Ceterum propter multam rationem iubemus, hoc quoque subditos nostros præcauere, vt paruulos ad Ecclesiam deferre baptizandos tempestiuè prouideant, neque cessante necessitate præsumant eos in domibus suis posthabita Ecclesiæ reuerentia baptizare: nisi forte Principum filij essent, quibus in hoc vt constitutum est deferri conueniat.

De fontibus ipsis baptismalibus curam haberi diligentem exoptantes statuimus, vt mundè omnino teneantur, & decenter, ita vt oleo benedicto & chrismate sacro cæterisque necessariis veluti libro & vasculis nunquam destituantur: Et quod in renouatione prædictorum fieri quotannis assuetum est, minimè negligatur.

De Confirmatione.

SI in hoc mundo victuris nobis per omnem ætatem, inter inuisibiles hostes & pericula gradiendum est: Reuera post baptismum, quo regeneramur ad vitam, summè necessaria est confirmatio ad salutem: vt per eam cumulatiore gratia roborati, propositos nobis agones & prælia cum Dei auxilio viriliter superemus. Itaque mandamus vniuersis Ecclesiarum Parochialium rectoribus plebes suas adhortari: vt hoc tam vtile sacramentum minimè vnquam negligant: Sed mox audito Episcopi aduentu, suscipiendi eius causa conueniant: reuerenter omnes adulti quidem non nisi confessi, dum tamen commodè fieri possit. Qui verò rite semel fuerint confirmati, viderint ne ad hoc iterum procedant. Sed neque audeant excommunicati seipsos rei tam dignæ cum aliis ingerere. Nomina autem si qui mutare sine fraude forte voluerint: pro celebritate actus, id fieri posse & solere non ambigitur. Moneri itidem volumus confirmandos: vt fasciolas siue bandellos mundas & aptas secum afferant, quibus chrismate eorum frontes toto triduo contegantur: Quo transmisso facta frontium ablutione dictæ fasciolæ siue bandelli concrementur ad humanos vsus non amplius redigendæ.

De Sacramento Ordinis.

CVm Sacerdotes Dei aliis vitæ duces, & pro populo ad Deum intercessores constituantur: summa certè cautione opus est: vt tales deinceps ordinentur, qui nulla insigni nota reprehensibiles alios ædificare queant, tam fidei scientia, quàm operum disciplina, simulque per hæc omnipotentis gratiam promereri, in quo sanè conscientias eorum quibus ordinandorum excommunicatio committi solet à nobis existimamus onerandas. Eos insuper qui iam promoti sunt per ministerii nostri decus obtestantes, vt iuxta Apostolum sacrarum literarum lectioni sic semper immaneant: ne vnquam sacri libri de manibus vel oculis eorum discedere videan-

Digitized by Google

tur : ac illi maxime qui diuinorum officiorum Ecclesiasticorumque Sacramentorum sanctam continent eruditionem. Nempe enim substantia Sacerdotii nostri sunt eloquia diuinitus tradita, quemadmodum magnus testatur Dionysius.

Item & ne clerici aliquando in vituperium ministerii nostri penuriam pati rerum temporalium : immo in plateis infelices mendicare videantur : Ordinamus vt de cætero ad ordinem Subdiaconatus nullus admittatur : nisi qui beneficium Ecclesiasticum, vel patrimonium valoris annui competentis & ad minus quindecim librarum Turonen. certa fide fuerit habere compertus. Cæterum quia ad titulum donationis perpetuæ, siue ad vitam non pauci quotidie petunt ordinari, & fraudem in hoc fieri sæpenumero contingit. Nobis statuere visum est, vt non aliter audiantur promouendi, quam si instrumento donationis huiusmodi legitimæ, constet ex dispositione testium iuratorum & fide dignorum, bona immobilia donata : verè tunc fuisse donatoris, & supradictarum librarum quindecim valorem pertingere: Quanquam donator ipse iurauerit se nullam à donatario ordinando contrariam scedulam recepisse, neque facturum aliquando quo minus sæpe dicta donatio suum sortiatur effectum. Sed & nihilominus vt cautiùs cuncta procedant, eodem volumus instrumento, promouendo ipsi pariter & nobis ac successoribus nostris caueri, quæ à donatore eidem donatario subuentio seu pensio constituta debitè persoluatur, ad cuius solutionem nobis quoque instantibus possit & debeat, si opus sit, fieri compulsio, vt nec quietari, nec remitti vllatenus valeat sine consensu nostro. Quo nomine donatorem ipsum constituentibus volumus & omnia bona eius mobilia & immobilia præsentia simul & futura, cum clausulis opportunis & visitatis penitus obligari.

Iniungimus item vt secundùm generalem Ecclesiæ obseruantiam nemo ad subdiaconatum promoueatur, nisi qui decimum-octauum: ad Diaconatum vicesimum: ad Presbyteratum vero quintum & vicesimum ætatis suæ annum attigisse sufficienter ostenditur. Et ne quis subditorum nostrorum sine nostra aut Vicarii nostri licentia à quoquam procuret ordinari : hoc vlterius adiicientes, vt de probitate & moribus ordinandorum competenti examine & testificatione aliquorum proborum prius semper appareat. Cùm & hoc in his qui sæcularis militiæ numeris ascribuntur videatur obseruari.

De Sacramento Eucharistiæ.

MAgna opera Domini, Sacrosancta, inquam, Corporis & Sanguinis Christi mysteria exquisita in omnes voluntates eius & super omnia benedicta toto corde cum Propheta confitentes Presbyteros omnes, quibus superna dispositione præsidemus, monendos esse putamus & per viscera misericordiæ Dei nostri syncerè obtestandos vt summam semper & præcipuam habeant rationem præcelsi huius & admirabilis Sacramenti, firma sibi fide persuadentes tam dignum támque precioſum esse saluificum hoc nostræ redemptionis memoriale, quàm (vt semel omnia complectar) dignus est ipse Deus. Ego (inquit) sum panis viuus, qui de cœlo descendi, & verè panis viuus, quem qui manducat, viuet in æternum. Celebraturi igitur Sacerdotes quibus hoc solis diuino licet instituto timorem Domini ante oculos habentes, cuius sanctum est & terribile nomen, humili prius & pura peccatorum suorum confessione Deo optimo & maximo reconcilientur; si modo copia non desit Sacerdotis. Viderint item in primis ne Clerico vnquam adiutore careant, & vt in promptu habeant panem, vinum, lumen, calicem, & alia ad rem necessaria, ne propter hæc eos quandoque postea contingat perturbari.

Curent igitur diligenter ij quorum interest vt tam ob missarum solemnia quàm propter infirmorum necessitates parati panes sint forma pulchra, integra, pura, rotunda quoque, & per omnia apta. Sicut autem panem esse triticeum exigimus, & azymum, id est non fermentatum: Ita & vinum veræ vitis syncerum, non acidum aut aliter corruptum, rubeum quoque si commodè haberi possit, ne quando loco vini albi aqua calici infundatur.

Item & vt secundùm rationabilem Ecclesiæ consuetudinem de vino pluſquam de aqua sacrificio apponatur, quod si casu aliquo fuerit prætermissum & ante consecrationem recognitum, suppleri debebit. Calix aureus vel argenteus, aut stanneus existat. Altare vero in quo diuina res agitur, coopertum sit, & ornatum mappis tri-

bus benedictis, similiter & corporalibus seu pallis ab Episcopo consecratis mundis prorsus & nitidis ac ex puro lino contextis. Si quidem à sericis & colore quolibet infectis pannis in hoc abstineri decet. Quia Domini nostri corpus in syndone linea munda sepultum esse tenemus. Mantilia quoque ad tergendas manus & totam interdum faciem honesta præparentur.

Cæterùm decorem domus Dei diligentes, mappas & alia dominici altaris vestimenta frequenter emundari mandamus: seorsum vtique ab aliorum collatione & contactu pannorum: vt ita tersa semper & decora simul cum altaribus ipsis appareant; solus autem Sacerdos aut qui in sacris constitutus sit in vase mundo huic ipsi rei propria corporalia lauet & proluuium mox in piscinam coniiciat.

Prohibemus ad hæc districtius ne quis excepto natali Domini plusquam semel in die celebrare præsumat, absque iusta necessitatis causa, propter quam (obtenta prius à nobis licentia) poterit hoc admitti, quod si quando contingat, cauere monemus Sacerdotem, ne post acceptam in priore missa Eucharistiam, vinum etiam perfusionis ebibat. Quia propter infractionem ieiunij celebrationem aliam quocunque casu faciendam impediret.

Missas autem ne per incuriam Sacerdotum omnipotentis indignatio grauius exardescat in aliis quàm Deo dedicatis locis: & altaribus sacris sine competenti dispensatione fieri non permittimus: sed neque Sacerdotes vbicunque sint, sub graui pœna ad hoc accedere: nisi Sacerdotalibus vestibus eo per omnia modo fuerint induti: quo tempore consecrationis suæ meminerunt se fuisse exhibitos.

Inhibemus etiam ne ante diluculum siue exortum splendescentis auroræ præmaturè ab aliquo celebretur nisi de nostra vel Vicarii nostri licentia imminente necessitate, aut cum solemnis agitur dies dominicæ natiuitatis.

Item & vt nemo ante matutinum studiosè pariter & deuotè expletum, sed nec priusquam primam similiter absoluerit sese audeat altaribus præsentare. Porro sanctis meditationibus instructi Sacerdotes ieiuni quidem stomacho: sed spiritu fœcundi sancta sanctorum fidenter ingrediantur: ingressi curent vt corde & ore immo neruis omnibus in idipsum conuenientibus: omnia quam aptissimè poterunt exequantur: vt retenta vbique signorum diligentia verba quidem sacri Canonis distinctè proferant maturè secretè, reliqua verò elatiore voce solida ac moderata. Nullus autem contra præceptum Apostoli & paternorum Canonum instituta, velato capite sine causa legitima sacris altaribus vnquam assistat: ne per hoc communione pariter & officio priuari mereatur.

Attendat etiam quisquis celebraturus est: vt ante prolationem sacramentalium verborum sic hostiam teneat, eoque statu ne à populo videatur & ante tempus pro Eucharistia adoretur.

Vlterius progredientes sæpius hoc etiam plebes admoneri præcipimus: missas videlicet quemque pro facultate sua frequentare & ne priusquam finitæ sint (nisi causa subsit) ab Ecclesia discedere festinent, quin toto durante officio reuerenter in oratione persistentes pro salute sua piè supplicitérque coram Deo salutari suo studeant meditari: & vt caueant sollicitè cùm omni tempore: tum eo maxime quo Dominus noster Dei filius æterno patri pro nobis victimatur in Ecclesiis vel eas contingentibus locis dissolutas ducere choreas sub obtentu etiam confratriarum, seu nuptiarum, aut cantilenas dicere fere inhonestas & multa insolenter perpetrare, ex quibus diuinorum celebratio turbari & varia plærumque scandala suboriri consueuerunt. Seditiones, tumultus, conuenticula, & publica parlamenta, mercationes quoque & prophani sæcularium iudiciorum seu causarum strepitus in Ecclesiis earumque cœmeteriis fieri prohibemus consuetudine qualibet in contrarium, non obstante, quæ verius in hac parte sit corruptela censenda. Absurdum quippe valdè fuerit vt vbi peccatorum est venia postulanda: ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.

Circa hostias quoque non consecratas hoc volumus præcaueri vt numquam pro pane benedicto aut aliter præbeantur quibuscunque etiam pueris aut sponsis vel puerperis, sed sub alia specie panis qui tradere voluerit, panem benedictum tradat: ne quid inde secus accidat, & vt semotæ à consecratis super altare teneantur, à quo vt dicto officio sustollantur & congruo loco seponantur æquum & vsitatum est.

Consecratas verò & honorifica semper sub claui custodia, deuotè, fideliterque

teneri

Digitized by Goog

teneri & opportunè frequenter renouari præcipimus, hoc insuper adiungentes vt à Curatis identidem subditi commoneantur sæpe & libenter se præparare ad sacram percipiendam Eucharistiam: idque præsertim solennioribus festis; quod quidem si ab eis obtinere non possint, doceant saltem in Pascha ex constitutione Ecclesiæ necessariò esse communicandum.

Statuimus itidem & iniungimus vniuersis nobis subditis Sacerdotibus, vt quam sæpissimè poterunt commodè quidem & maximè Dominicis, aliisque maioribus anni solennitatibus celebrare sibi in animum inducant. Nam & hoc eis conuenit & inæstimabiles sunt operis huius effectus: vnde nullo modo dissimulandum putamus vt cessante necessaria causa, nobis aut officiariis nostris extra grauis infirmitatis necessitatem prius exponenda, eorum quisquam ab alio Sacerdote sacra mysteria percipiat, cùm & hoc absurdum sit, & scandalum queat generare.

Cum autem vnicuique de proximo suo mandatum sit: omnes in vniuersum subditos nostros à Rectoribus suis instanter admoneri præcipimus, vt cum primum aliquis ex ipsis visus fuerit infirmari, moneatur à cunctis & inducatur ante omnia de salute sua per puram confessionem & salutaris hostiæ receptionem conuocato Sacerdote prouidere. Cui postquam ita fuerit de spirituali remedio consultum, ad corporalis medicinæ subsidia maiore fiducia recurri, nihil prohibemus. Verumenimuero medicos imprimis nostrum hoc decretum volumus custodire eisdem sub anathemate districtius inhibentes, ne præposterè & perniciosè nimis pro corporum sanitate quicquam ægrotis suadeant: quod in periculum vergere possit animarum corporibus ipsis multò preciosiorum.

Cæterum vt apud omnes fides augeatur & deuotio, cum ad infirmos deferenda fuerit Eucharistia (quod ante noctis tenebras fieri volumus, si possibile sit) hoc ipsum statim sine maiore aliqua mora Sacerdotes exequi studeant: summa cum reuerentia & timore Domini. Cuius Sacrosanctum Corpus omni honore dignum reputantes, hoc quoque attendere satagant, vt sit vas quo gestatur decorum & signatum. Sint ipsi qui gestant suppellicio candido, & stola ex vtroque humero circumsepti: simul vt lumen præluceat ei, qui candor est lucis æternæ. Pulsetur & ante campanula, vt audito magni Dei signo, protinus accurrant omnes, & saluatori suo non tam corporis genua, quam cordis humiliter inflectant. Nos verò omnibus qui ad domum vsque infirmi (licet eam propter periculum non intrent) Presbyterum ipsum Corpus Domini sicut præmittitur deferentem fuerint deuotè prosecuti: decem indulgentiarum dies contritis duntaxat & confessis, aut qui certo proposuerint confiteri: quantum cum Deo possumus misericorditer elargimur.

De Sacerdotibus nostræ Diœcesis alibi etiam Romæ promotis, aut alienæ Diœcesis: quorum (vt aduenarum) neque origo, neque conuersatio satis explorata est: hoc duximus statuendum, vt nulli tales missarum solemnia, seu etiam diuina alia palam in populis celebrare permittantur: nisi prius à nobis seu Vicariis nostris (postquam, de ipsorum ordinatione Canonica legitimis constiterit argumentis) approbationis suæ literas fuerint assecuti. Id enim per quod vel Deus illudi, vel populus aliquando decipi queat, non sine magna ratione pręcauendum videtur. Sed & de laicis extraneis & incognitis hoc etiam ordinamus, ne prius ad diuinorum communionem admittantur, quam literatoriè docuerint, aut per idoneos testes se nullo vinculo excommunicationis innodatos, & cum venia à suis rectoribus esse dimissos.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QVandoquidem post viuificam baptismi salutaris medicinam, in quo veteri homine depositio, nouus induitur, si fuerimus in peccatum prolapsi non alio possumus auxilio, quam per veram pœnitentiam (quæ secunda est post naufragium tabula) reparari: idcirco studiosè curandum esse censemus, vt qui Deum repetitis quotidie malis, nimis offendimus: hanc nobis cum ipsius adiutorio tabulam exquiramus, quæ nos per maris huius magni & spatiosi fluctus nauigantes, ad veræ salutis portum securos tandem valeat perducere. Sanè pius & misericors Deus qui non vult mortem peccatoris sed vt conuertatur & viuat, ad hoc nos assidue

renocat exclamans, pœnitentiam agite, cuius ne quis inanem fructum esse crederet, continuo subiungens: appropinquabit (inquit) regnum cœlorum. Nos itaque Dei misericordiæ qua visitauit nos oriens ex alto super omnia confidentes: Ordinamus vt omnes nobis subditi Sacerdotes animarum Rectores, Parochianos suos vtriusque sexus, loquela & discretione præditos frequenter admoneant vt teneantur omnia sua peccata, saltem semel in anno proprio Sacerdoti vel alteri de licentia eius fideliter confiteri, & iniunctam sibi pœnitentiam studiosè pro viribus adimplere.

Item & licet præceptum Ecclesiæ ad id quod dictum est, duntaxat astringat, esse tamen longè tutius habita opportunitate sæpe & libenter festis præsertim maioribus confiteri: tum, ne totiens Deus creator noster continuatis culpis offendatur: tum vt gratiam eius per multiplicatam confessionem retinentes benefactorum meritum non amittamus, ac simul vt conscientiæ tranquillitatem & securitatem quandam qua nihil est præstantius assequamur, quod quidem ab omnibus accuratius cogitari plurimum desideramus.

Item & vt bona sit atque vtilis confessio inter cætera requiritur necessariò quòd integra fiat, & vera, vt præhabita congruenti diligentia, nihil scienter omittatur, & omnia prout gesta sunt, apertè exponantur cum sollicita circunstantiarum prægrauantium obseruatione quæ planè continetur hoc versiculo.

Quis, quid, vbi, quibus, & quotiens, cur, quomodo, quando.

Iniungimus hoc amplius Sacerdotibus antedictis: vt in confessionibus expediendis prudenter & cautè procedentes pœnitentiam non tam ex quantitate excessuum quàm pœnitentis contritione arbitrentur moderandam: Nam & in Euangelio semiuiui illius vulneribus qui à Samaritano in stabulum deductus est: & vinum adhibetur, & oleum, quo detur intelligi vt qui sanandis infirmis præsunt, disciplinæ vigorem, lenitate debeant misericordiæ temperare. Pensentur itaque diligenter circunstantiæ rationis, neque (vt mos est imperitorum medicorum) vno collyrio omnium oculi putentur esse curandi. Nempe enim (vt piè sanctus ait Augustinus) & plectendo & ignoscendo hoc solum bene agitur, vt vita hominum corrigatur.

Item & vt confessiones audituri Sacerdotes non in abditis & obscuris locis: sed euidentibus & apertis honestè sese contineant, vultu in terram demisso: fermeque à pœnitente præsertim si mulier sit, auerso & in audiendo patientes: vt etiam cum multa mansuetudine eos interim quos audiunt, cohortari non grauentur, quatenus audenter seipsos & apertè in omnibus coram Deo velint accusare, neque tamen eousque volumus ipsos insistere vt interrogando suggerant interdum confitentibus vitia quæ adhuc nescierant, aut ad hoc inducant eos, vt personas cum quibus iniquè egerint, nominatim exprimant. Præterea cauere eosdem omnino præcipimus ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo peccantis vllatenus confessionem detegant. Sed si prudentiori forte indigeant consilio illud absque vlla expressione personæ cautè requirant: ne si secus attentauerint, grauissimas depositionis & perpetuæ retrusionis pœnas sustinere cogantur.

Caueant & hoc similiter ne propter secreta quantumlibet grauia peccata publicam imponant pœnitentiam, quoniam horum & cognitor est & vindex solus Deus. Quod autem de pœnitentibus publicis hactenus regulariter obseruari consuetum est illibatum sinimus perdurare.

Item & sub graui pœna ne confitentibus iniungant pœnitentiæ loco missas, vigilias, psalmos, aut quid simile, vt exinde miseram alicuius lucri accessionem percipiant.

Sacerdotum insuper officio conuenire putamus, vt infirmos visitando, piè consolentur eos, vt moneant in aduersis huiusmodi non tristari; immo magis gaudere & gratias agere Deo, qui sicut pius pater quos diligit, corripit & castigat omnem filium quem recipit: Meminisse eosdem oportere non esse condignas passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Nos in hoc dolorum torculari ideo premi vt fructum faciamus, vt in via patriam suspiremus: denique vt perficiamur, quod secundum Apostolum non aliter consolationum socij fieri possimus nisi & passionum fuerimus.

Item & vt Sacerdotes in Confessionibus maiora maioribus reseruantes, in casibus nobis exceptis sine commissione speciali quemquam absoluere non præsumant:

Vniuersis & singulis Curatis & Presbyteris, ciuitatis & diœcesis nostræ Bituricensis: vbicumque recte fuerint commorantes, liberam damus facultatem: vt ipsi sibi quotiescunque opus fuerit, idoneum queant eligere confessorem, qui & eos à peccatis in confessione detectis possit absoluere, & de eisdem propterea salutarem iniungere pœnitentiam, nisi nobis fuerint specialiter reseruata.

Sed & ne quid relinquamus improuisum, expedire credimus vt prægnantes mulieres, cum partui videbuntur propinquare, suadeantur omni modo per salutarem Confessionem & Sacrosanctæ Eucharistiæ perceptionem præsidio se diuino confortare.

Quod superest: formam absolutionis iam olim maiorum more receptam nos quoque ratam volumus & inconcussam permanere. Ea autem est huiusmodi, vt expleta pœnitentis confessione præmittatur Misereatur, &c. Indulgentiam, &c. Et gratia, &c. Mox deinde hoc addatur: meritum Passionis Domini nostri Iesu-Christi: suffragia sanctæ Matris Ecclesiæ, & omnium Sanctorum & sanctarum & bona quæ per Dei gratiam fecisti & facies sint tibi in Remissionem omnium peccatorum tuorum. Quo dicto continuò iniungatur pœnitentia: vt quid vel dicatur, vel fiat pro arbitrio boni Sacerdotis. Post hæc statim subdatur absolutio hoc modo: Dominus noster Iesus-Christus qui est summus Pontifex & verus Sacerdos per suam pissimam misericordiam & per meritum suæ passionis: te absoluat, & auctoritate qua fungor, ego absoluo te à peccatis tuis, In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Amen. Quod si forte pœnitens sit excommunicatus à iure vel homine: & Sacerdos habeat potestatem eum absoluendi, priusquam modo præmisso claudat absolutionem eundem debet absoluere à sententiæ excommunicationibus, si quibus innodatus existat, deinde à peccatis. In nomine Patris, &c.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

QVemadmodum qui in acie militant: vbi extrema pati vi maiore compelluntur, nihil magis excogitant: quam vt in locum aliquem munitiorem se recipere possint, in quo tuti prævalentiorum inimicorum vires non adeo reformident: ita & nos quorum vita super terram militia est, cum eo deducti simus vt supremo certamine sit nobis cum morte dimicandum, omnino certe curare necesse est vt si quando alias, hoc maxime tempore piæ matris Ecclesiæ sinu, & consolatione defendamur. Quocirca parochiarum Curatis & eorum Vicarijs generaliter edicimus: vt plebes sibi commissas pauperes & diuites syncerè charitatis affectu sæpe cohortentur vt in extremis opportunè semper ad singulare sanctæ Vnctionis præsidium confugere non postponant: in quo sane vtriusque hominis salus inuenitur: augetur gratia, lætitia innascitur, & virtus in necessitate datur contra rugientes ad escam præparatos: in quo denique qui legitimè certauerit, tanquam strenuus miles ex labore ad requiem, ex pugna ad coronam, ex curriculo ad brauium feliciter eripitur.

Iniungimus etiam Sacerdotibus antedictis, vt oleum consecratum quod dicitur infirmorum, & alia quæ ad rem huiusmodi pertinere noscuntur, omni tempore parata habeant: ne dum ad auxilium instrumenta quæruntur, inuenti postmodum non valeat qui adiuuetur.

Item & hoc volumus obseruari: vt per omnia secundum eum modum qui in Ordinario notatus est: hoc à Presbyteris Sacramentum ministretur infirmis, scilicet contritis & confessis adultis tantum: nec nisi requirentibus ac instante mortis periculo. Et quando hoc fit caueat minister vt formalia verba sanctæ Vnctionis, rite atque ordine pronuncians simul infirmum suis locis vngere non omittat: quoniam debent ista concurrere. Si vero contigerit oratione fidei (vt Iacobus Apostolus ait) eum qui infirmabatur, conualescere: partes corporis eius iunctæ proluantur, & in ignem proluuium mittatur.

Meminerint autem Christi fideles omnes, inter ea Sacramenta quæ iterari possunt & hoc numerari: vt quotiens in discrimen adducimur, habeamus præstante Domino vnde nos tueri valeamus.

De Sacramento Matrimonij.

NVptiarum fœdus à ſummo rerum omnium conditore inſtitutum (quod in Chriſto & Eccleſia magnum eſſe Sacramentum Paulus ait) honorantes, exemplo Chriſti Domini noſtri, qui nuptias & ſua præſentia & miraculo cenſuit illuſtrandas, vt in ipſis (quarum caſtitas Deo & hominibus accepta eſt) non ſolùm quod liceat : ſed & quod honeſtum ſit, ſemper conſideretur : infra ſcripta putauimus ordinanda. Et primo quidem ſtatuimus, vt cum in matrimonijs libera prorſus debeat eſſe voluntas, caueant parentes, ne liberos ſuos vllo imperio cogant in id quod hi forte oderunt, conſenſum præſtare : vnde poſtmodum ſequatur exitus, qui de inuitis ſolet nuptiis prouenire. Neque verò ſuadendi libertatem eis auferimus, & licitas pro ſuo iure monitiones : Vim duntaxat fieri prohibemus, quæ ſine graui peccato in hoc admitti nequeat.

Item & vt nullus Sacerdotum noſtrorum (vbi contrahentes vel eorum alter ex aliena Diœceſi aduenìſſe noſcuntur, aut ſi contradictio aliqua, vel impedimentum legitimum, ſiue alia quæuis dubitatio non vulgaris inſurgit) matrimonium præſumat ſub excommunicationis pœna ſolemnizare, vel aliter perficere, priuſquam à nobis aut officiarijs noſtris congruum ſuper his & opportunum reſponſum meruerit obtinere. Ex hoc ſiquidem frequenter accidere compertum eſt : vt qui talia illicitè connubia perpetrant, carnaliter inuicem cohabitantes decurrente ſucceſſu temporis ſuper impedimentis ipſorum probationis copia : in perniciem animarum ſuarum, & Eccleſiæ ſcandalum nephatia impune copula perdurent, non tam ſociati quàm ſauciati ſeu vulnerati.

Item & cùm Sanctorum Patrum Canonibus clandeſtina ſint coniugia penitus interdicta : & Sacerdotibus iniunctum, ne talibus intereſſe præſumant : Ordinamus vt omnes clandeſtinè contrahentes, vel nuptias extra tempora à iure præſtituta celebrantes : & qui coniugijs eiſdem contrahendis, aut benedictionibus ipſorum celebrandis ſcienter interuenire non metuerint : vna cum iis qui ad hæc facienda dederint conſilium, auxilium, vel fauorem, ſententiæ excommunicationis ipſo facto ſubiaceant. Sacerdotes quoque qui ex cauſa tranſgreſſionis huiuſmodi fuerint excommunicati ſi durante excommunicatione miſſas fecerint, vel aliter ſeſe diuinis immiſcuerint irregularitatem incurrant, à qua non niſi à ſummo Pontifice, ſeu de licentia eius, dempto mortis articulo poterunt abſolutionis beneficium obtinere.

Prouideant autem parochiarum rectores, aut qui eorum vices gerunt circa bigamorum nuptias, vt ſi quidem ex parte nubentis mulieris bigamia proueniat, benedictio ſub panno nullatenus iteretur, ſed nec miſſa celebretur, quæ ſpecialiter ob benedicendas nuptias fuiſſe noſcitur introducta. Quod ſi in parte viri tantum defectus iſte conſurgat benedictionem fieri ſolemniter, nihil eſt quod debeat impedire.

Vt autem periculis animarum iuxta ea quæ præmiſſa ſunt occurratur, moneri mandamus à Sacerdotibus in Eccleſijs parochianos, ne vnquam abſente Preſbytero etiam ſola ſponſalia contrahant. Et ne clandeſtinè prorſus audeant ſub excommunicationis & emendæ pœna mutuo copulari quia iuxta teſtimonium eius qui vera eſt lux & veritas lucida, qui malè agit, odit lucem

Præterea ſtatuimus vt non ſolùm qui cum affini vel conſanguinea in gradu prohibito ſcienter contraxerit, ſed & ſi quis vir duas eodem tempore vxores, aut ſi qua mulier duos ſimul viros habere deprehendatur, vel qui cum filia ſpirituali matrimonialiter ſciens contrahere veritus non fuerit, ſententiæ excommunicationis ipſo facto ſubiaceat. Et vt ab omnibus euitetur, excommunicatus in Eccleſijs tamdiu nuncietur : donec abſolutionis beneficium mereatur obtinere.

Prohibemus inſuper omnibus & ſingulis parochiarum rectoribus ne quos ad benedictionem nuptialem recipiant nec eis vt alibi recipiantur permittant priuſquam in Eccleſia parochiali qua decet, per tres Dominicas aut totidem alios dies feſtos ſeruatis competentibus temporum interuallis banna fuerint promulgata : niſi de gratia ſpeciali fuerit à nobis aut Vicarijs noſtris ſuper hoc diſpenſatum. Sed neque ſuſtinemus benedicendos admitti : niſi fideliter annuatim confeſſi fuerint pro reuerentia ſacramenti. Et hoc ſtatutum noſtrum ſæpe à Curatis volumus in Eccleſia publicari.

Item & benedicendorum ætatem hanc eſſe debere iudicamus : vt mulier quidem

Digitized by

duodecim, vir quatuordecim annos ætatis suæ completos habeat. Sponsalia verò post exactum septennium contrahi posse: nequaquam dubium sit; sed si ante hanc ætatem septem annorum de vna Diœcesi vel parochia in aliam aliquis transeat: In ea quandoque matrimonium contrahere & benedici poterit sine Curati primi aut alia cuiuscumque licentia, perinde atque si in eadem natus esset. Alias verò post dictam ætatem transiens: vt dictum est ad prædicta non admittetur absque debita sui Sacerdotis in scriptis aut viua voce data facultate, vel nisi de nostra vel vicarii nostri permissione.

Statuimus item & ordinamus quod qui alienas Ecclesias vel capellas sine nostro vel Vicarii nostri permissu clanculum exquirunt: vt in ipsis benedictionem accipiant: & capellani illos benedicentes, & qui talibus assistunt, aut consilio eos, auxilio vel fauore prosequuntur, sententiam excommunicationis incurrant ipso facto.

Item & quia plures ex diuersis regionibus se matrimonio coniunctos essq mentientes ad alienas parochias commorandi causa nonnumquam venire comperti sunt: districtè idcirco rectoribus animarum nostræ Diœcesis iniungimus vt tales ad Ecclesiastica Sacramenta non ante suspiciant quàm per literas constet aut testes alioquin fide dignos eosdem inter se vero legitimoque matrimonio esse copulatos.

Item & moneri sæpe in Ecclesiis mandamus eos, qui sponsalia contraxerint: vt caueant in eadem domo pariter cohabitare: neve carnaliter misceantur sub excommunicationis pœna, priusquam sit matrimonium solemniter benedictum.

Quod verò ad solennem spectat celebrationem nuptiarum cunctis innotescat eam tam sacris Canonibus quàm Ecclesiastica consuetudine quibusdam esse temporibus interdictam: vt puta à prima Dominica aduentus Domini vsque ad octauam Epiphaniæ, & à septuagesima ad octauam vsque Paschæ. Item & à prima rogationum die quæ est dies lunæ ante Ascensionem Domini vsque ad octauam Pentecostes. Cæterum his exceptis alio quocunque tempore licitè matrimonia celebrantur.

Nouissimè cùm religiosi quilibet Sacramentum Vnctionis-extremæ vel Eucharistiæ parochianis alienis ministrare, & matrimonia solemnizare non habita super his nostra seu Vicarii nostri vel parochialis Presbyteri licentia Canonica constitutione sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, per sedem Apostolicam dumdaxat absoluendi prohibeantur: nullo super hoc eisdem priuilegio suffragari valente. Nos memoratæ constitutionis præscripto innitentes præcipimus: vt quicumque tales inuenti fuerint, à parochiarum Rectoribus, & eorum Vicariis excommunicati frequenter enuncientur: vt qui ratione quæ iusta sunt nolunt percipere, seueriore censura sapere doceantur.

De Ieiuniis obseruandis.

SAcra Ieiunia animis corporibúsque curandis ab Ecclesia salutariter instituta Iubemus Sacerdotes per parochias colenda in omni puritate omnibus indicere, iis duntaxat exceptis, qui ætate vel morbo, aut alia quauis necessaria causa debeant excusari. Enimuero quadragesimam decet imprimis summa deuotione seruari: quam Christus Dominus & dux noster miro sacrauit ieiunio: & nos tanquam anni totius decimas eidem Domino & Deo nostro iubemus offerre. Deinde quatuor temporum ieiunia solenniter agi vtique consentaneum est quæ ab antiquis in veteri lege patribus obseruata legantur: & ex doctrina Spiritus-Sancti ita per totius anni circulum distributa sunt: vt omnibus temporibus abstinentiæ legem habentes discamus Deum per omnem vitam religiosè venerari.

Sunt sanè & alia ieiunia sanctè & salubriter ad honorem Dei & sanctorum ordinata: Sed quæ deuotis orationibus & vigiliis oportet esse coniuncta: vt fructum afferre valeant copiosum: hæc videlicet, ieiunium in vigilia Natiuitatis Domini, sacræ Pentecostes, Assumptionis glorioſæ Dei Matris, Ioannis Baptistæ, Beatorum Petri & Pauli, Mathæi, Iudæ & Simonis, atque Andreæ, Laurentij quoque: & in vigilia omnium Sanctorum. Cum vero letania maior fuerit celebranda festo scilicet & die sancti Marci Euangelistæ, præterquam si in Dominica euenerit quo casu die sequenti: Et tribus pariter Rogationum diebus à carnibus tantummodo: mandamus abstineri. In reliquo liberam bonamque fimus esse voluntatem. Porro sanctorum vigi-

liæ quorum festa in secundam feriam incidunt, non in Dominica sed præcedenti sunt Sabbato ieiunandæ.

Quod reliquum est ieiunia quæcunque laudabili & legitima nostræ prouinciæ recepta consuetudine, tametsi iure præcepta non sunt: edicimus, vt Iuris est & rationis ab omnibus mundè custodiri: nam & mores nouimus in ieiunijs obseruari & maiorum instituta pro legibus acceptamus.

De celebratione Festorum.

NE aliquando ignorent plebes quos in obseruatione dies habere debeant: quibus in quiete diuinis omnino mancipentur obsequijs: hos sanè per annum volumus nunciari feriandos: omnes scilicet Dominicos dies innumeris diuinorum operum mysteriis præcipue memorabiles: sacros quoque dies Natalis Domini: Sancti Stephani, Ioannis Euangelistæ, Innocentium. Item & tutelarium nostrorum Vrsini, Guillermi, Sulpitii & Austregisilli. Huc etiam accedat Circuncisio Domini, Epiphania, eiusdem sanctum Pascha cum duobus sequentibus vt minus, Ascensio Domini, Dies solennis Pentecostes cum duobus qui sequuntur vt minus, festum Corporis Christi. Inuentio sanctæ Crucis & exaltatio. Solennitates insuper Beatæ Mariæ Virginis: veluti Conceptio intemerata, Purificatio, Annunciatio, Assumptio, Natiuitas. Festiuitates quoque beatorum duodecim Apostolorum & Euangelistarum Domini, sanctorum etiam Barnabæ, beati Ioannis Baptistæ, Laurentij, Magdalenæ, Michaelis Archangeli, Martini, Nicolai & Catharinæ. Similiter & singularis illa solemnitas quæ Sanctis est omnibus consecrata. Neque verò prætermittantur vnquam festa dedicationum Ecclesiarum: aut Sanctorum eorum quibus (vt patronis) Ecclesiæ fuerint dedicatæ. Veruntamen hæc per singulas tantum parochias de more non generaliter omnibus indici conueniet.

Quod superest omnes nobis subditos à suis quosque Rectoribus commoneri præcipimus: vt memoratis diebus festis quibus maximè disponente Deo salutem suam colendo Deum beato ocio possint operari: caueant penitus præter opera seruilia: & forales strepitus ab inhonestis quoque & fallacibus sæculi huius voluptatibus nec comessationibus immundis & ebrietatibus: aut ludis quibuslibet ac iocis infamibus occupentur. Quis enim non hoc lugendum esse videat: vt sancto dierum istorum tempore pro psalmis saltationes, pro canticis cantilenæ, pro hymnorum ac laudum iocundo Deo obsequio, litium, atque odiorum & malorum mille materia infelici permutationis genere frequentetur: Ergo iam tandem in viam redire attendant: qui in his hactenus forte ignoranter peccare potuerunt. Nos enim Dei veritatem annunciamus: quam relicto errore quantumlibet vetusto credimus amplectendam. Quia vt apud Esdram scriptum est: veritas valet & inualescit, & viuit in æternum, & obtinet in sæcula sæculorum.

Item & licet lanii seu macellarii pro necessitate victualium sint aliquatenus sustinendi, inhiberi tamen eisdem volumus per Sacerdotes ne diebus Dominicis aut festis solennibus carnes publicè venundent, seu lanient.

De Testamentis.

VT Parochiarum Presbyteri valeant esse quod dicuntur: id est Curati, seu (quod quidam malunt) curatores: hoc eis certissimè semper agendum est vt vnicam hanc & vtique assiduam curam habeant: quo scilicet modo commissorum sibi animas Deo lucrari & eisdem non in vita solum, sed & in morte debita charitatis officia valeant exhibere. Districte igitur memoratis iniungimus Sacerdotibus parochianos suos modis omnibus monere frequenter & inducere: vt testamenta & vltimas decedentium voluntates: præsertim in his quæ ad pias causas & alienorum restitutionem, necnon inflictarum defunctis emendarum solutionem pertinent, prout ipsis incumbit, diligenter adimpleant & fideliter exequantur. Siquidem alioquin dictu perquam difficile est quàm grauiter peccent, hi qui & miserabiles animas immaniter perdunt: & pauperum necatores esse noscuntur: ex quibus diuina quoque pietas mirum in modum creditur exacerbari.

Ad hoc ne quando accidat, vt quisquam temporis angustia excluſus & moriatur

Digitized by Google

anxius : & ſine ordinatione decedat, ſubditos noſtros ſæpius admoneri præcipimus vt tunc maximè quando mente optimè conſtant & corpore, ſua teſtamenta componant. Et ad hoc Preſbyteros parochiales conuocare non paruipendant, vt ipſorum conſilio cuncta rectius vtiliuſque gerantur, & quæ geſta fuerint, eorundem præſentia confirmentur.

Statuimus etiam prout & alias in Prouinciali Concilio Bituricenſi fuiſſe nouimus inſtitutum, ne defraudentur decedentium voluntates, vt intra menſem à tempore obitus teſtatoris ad nos vel officiarios noſtros teſtamenta deferantur, ſi fuerint ſcripta vt publicentur, aut ſi ſcripta non ſint & probari per teſtes queat diſpoſitio teſtatoris, in publicam formam rediganrur : ita enim futurum eſt, vt nec executores officij ſui immemores eſſe permittantur, nec bona ipſa decedentium ad alienos vſus conuerti, aut quoquo pacto valeant deperire.

Item & cum religioſi facultas omnis ex eius pendeat arbitrio, quem vice Dei capiti ſuo ſuperimpoſuit, æquum eſſe cenſemus quemadmodum canonicè decretum eſt eum ad executoris officium non aliter admitti, quam ſi de licentia proceſſerit ſuperioris. Qua obtenta, etiam ſi ſit exemptus & prælatione fungatur, ſuſceptæ executionis debitam rationem nobis reddere teneatur : à quo ſi in hoc quoque deliquiſſe compertus fuerit iuſta debeat cenſura coerceri : id quod & in aliis quibuſlibet executoribus conuenit obſeruari.

Quia verò interdum contingit plures ſimul executores ſimpliciter à teſtatore deputari : certè quibuſdam ex ipſis mortuis vel longè abſentibus, aut exequi forte nolentibus, aut etiam non valentibus, poterunt alii (etiam ſi vnus ſolus ſit) niſi aliud teſtator ſtatuerit, ad id quod incumbit liberè procedere, ne alioquin vel vota pereant morientium, vel plus iuſto ſæpenumero differantur.

De Sepulturis.

DE iure ſepulchrorum quantum ex ſanctorum Patrum monumentis intelligere licet hoc exiſtimamus, vt primò quidem vnicuique liberum ſit propriam ſibi ac etiam alienam exquirere ſepulturam : Sic enim Dominus alienum nonnunquam corpori ſuo delegit hoſpitium. Quod ſi quis hæc ſibi prouidere non curauerit maiorum ſuorum ſepulchra Partriarcharum exemplo ſequi præcipitur, verumtamen hæc ita accipienda ſunt vt in vtroque præmiſſorum caſuum Parochialis Eccleſia, in qua victus eidem cœleſtis exhiberi conſueuerat, Canonicam pro locorum conſuetudine portionem merito percipiat, quæ porro ceſſante prædicta ſepulturæ electione nec extantibus patrum tumulis, regulariter parochianos ſuos iure ſuo ſibi vendicat, vt cui ſecundùm Canones decimas perſoluebant viui, apud eam ſepeliantur & mortui.

Prohibemus autem omnibus cuiuſcunque ſtatus exiſtant : vt nullum defunctum de domo in qua deceſſit extrahant aut extrahere permittant cauſa deferendi extra Eccleſiam Parochialem : ſine præſentia, licentia & permiſſu Curati vel Vicarii Eccleſiæ Parochialis in qua ſita eſt dicta domus : quam præſentiam necnon & licentiam conſtito eidem de præmiſſis electione, aut maiorum ſepultura ſine difficultate exhibere & dare teneatur : ſine vlla retardatione ſub pœna emendę.

Apoſtolicæ prouiſionis antidotum periculis animarum & frequentibus ſcandalis opponentes religioſis omnibus & clericis nobis ſubditis ſub grauibus excommunicationis & aliis in iure poſitis pœnis arctiùs interdicimus : ne aliquos vnquam quouis pacto aut perſuaſione inducant ſeſe in hoc vlla tenus aſtringere, vt vel in eorum Eccleſiis eligant ſepulturam, vel iam electam vlterius non immutent. Siue autem votum propter hoc ſiue iuramentum aut alia quæcunque fidei præſtatio interuenerit, huiuſmodi omnia cum electione ipſa, nullius roboris firmitate ſubſiſtant : Et hi quoque qui, ſic elegerint, in ſic electis Eccleſiis & alibi ſepulturæ eligendæ facultate (qua ſe reddiderunt indignos) priuati cenſeantur in illis locis vbi aliàs non electa ſepultura tumulandi iure fuiſſent ſepulturam omnino ſortituri. Quod ſi forte contra hæc religioſi & clerici antedicti præſumpſerint iſtos apud ſe ſepelire : nimirum & corpora ipſa ſi petantur cum omni ſepulturæ emolumento reſtituere & conſtitutionum cenſuras debebunt meritò formidare.

Cæterum quoniam ea quæ pro ſalute fidelium piè prouidéque conſtituta ſunt: nulla debent occaſione contemni, hoc per Sacerdotes cunctis volumus innoteſcat,

non esse aliquem, qui saltem semel in anno neglexerit confiteri, aut cessante rationabili causa Sacramentum Eucharistiæ reuerenter ad minus in Pascha non susceperit, ad Christianam si itadecedat sepulturam recipiendum. Nam cum iuxta decretum Concilii Generalis ab ingressu Ecclesiæ viuens arceatur, in ea certè iustum non fuerit mortuum hospitari.

Sunt sanè & alii in pari causa plures, cuiusmodi sunt Iudæi, Pagani, Hæretici. Item & publicè excommunicati ac interdicti: vsurarii quoque & alii peccatores manifesti, de quibus euidenter constet quòd in mortali peccato miserè moriantur.

Quos vero accelerata, siue vt dicitur præuenta morte sine confessione transire continget: in cimeteria sacra, sine nostra aut officiariorum nostrorum licentia prohibemus inferri. De peregrinis & viatoribus hoc paucis accipiatur, vt in quibus parochiis deficiunt, in eisdē (si non aliud rationabiliter proponatur) requiescant in pace.

De Decimis, primitijs & oblationibus & rebus Ecclesiæ non distrahendis.

CVm diuina lege & sacris identidem Canonibus decimę primitiæque & oblationes omnipotenti Deo (à quo bona cuncta procedunt) reddi præcipiantur, vsque adeo vt qui hoc facere noluerint, sint communione priuandi. Omnes omnino subditos nostros studiosè præcipimus admoneri, vt ab hac sibi priuatione timentes Deum ipsum cui prædicta ad honorem sanctificata sunt, & ministris eius exhibenda, multo magis vereantur, ne si eum quem totum dedit, portione sua fraudauerint, meritas tantæ ingratitudinis pœnas luere compellantur. Scimus etenim ex scripturis sanctis & satis multis rerum argumentis edocti quod propter malum hoc (quo Deus in suis pauperibus se apud Malachiam Prophetam affligi conqueritur) totus in fame & penuria populus sæpe maledictus sit: cataractæ cœli concluſæ, immissæ deuorantes locustæ: videlicet brucus & similia quæ labores hominum deuastarent. Infœlicissimum sanè cupiditatis genus per quod iusto & consueto Dei iudicio non solum frugum omnium abundantia: sed etiam sanitate corporis & animæ carere mereamur, per quod iterum eò interdum cæci deducimur, vt (referente Augustino) demus vel inuiti proteruo militi, quod probo nolumus dare Sacerdoti. Et qui Deo partem iniquè denegamus, totum fisco ex merito cogamur inferre. Ideóque monemus curent vniuersi: Deum bonorum omnium largitorem semper agnoscere, & decimas quæ tributa sunt egentium animarum in horrea eius, id est Ecclesias (quibus hoc de iure competit) humiliter importare, vt sic & præmissa præstante Deo, vitare possint incommoda, & longa eius benedictione donati gaudiis tandem perfrui mereantur æternis.

Nos quoque Gregorianæ cuidam constitutioni fratribus Prædicatoribus & Minoribus directæ firmius inhærentes ipsis & aliis religiosis districtius iniungimus, vt caueant omni modo ea aliquando in sermonibus suis proponere per quæ audientes à decimarum aut aliarum Ecclesiis debitarum rerum solutione retrahantur, siue etiam retardentur, contra id quod scriptum est, decimas & primitias tuas non tardabis offerre. Nam & hoc amplius Clementina sanctione, sed in decimis expressum constitutum est, vt qui ab earum satisfactione Ecclesiis quibus debentur integrè peragenda: eo (qui supra dictus est) modo quenquam retrahere moliti fuerint: sententię excommunicationis ipso facto subiaceant. Quinimmo studeant, omnes ad integram decimarum solutionem inducere & exhortari. Quod si facere noluerint, prohibeantur per Rectores Ecclesiarum à prædicationibus publicis.

Porro ne res Ecclesiasticas negligentia aliqua dependi contingat, volumus & ordinamus, vt prouentus Ecclesiarum codicibus specialiter ad hoc deputatis, rectè atque ordine conscribantur.

Prohibemus insuper, vt Ecclesiæ decus amplificetur semper, non etiam minuatur, ne donaria sacris dicata mysteriis, veluti calices, patenæ, vrceoli, & similia pariterque sacrata Deo vestimenta ab aliquo vllatenus distrahantur, aut pignoris titulo transferantur, nisi forsan aliud suaderet Ecclesiæ necessitas de consilio superioris expedienda. Quod verò ad ligna pertinet, & rudera Ecclesiæ semel destinata; Item & altaris pallas, vela, cathedras, candelabra, & huiusmodi alia ad humanos vsus hæc nequaquam amplius conuerti licet: ac si fuerint vetustate contrita, vel flammis commendentur, vel alias honestè, quoad eius fieri poterit, disponantur, cùm non

liceat

ficeat ea quæ in sacrario fuerint, male tractari. De supellectili autem & vtensilibus domus Parochialis per Ecclesiam acquisitis, & quæ inibi reperta fuerint, æquum esse putamus ea futuro seruari debere successori.

Prædictis & hoc subiungere libet: vt si quis res Ecclesiæ sine debita forma vel solemnitate & superioris assensu non dubitauerit alienare, valeat tam ipse qui alienauit quàm quilibet ei succedens, quæ alienata sunt Ecclesiæ nomine reuocare. Et cùm ab antiquo consueuerint & procuratores fabricarum qui in aliquibus locis collectores vocantur, auctoritate nostra de biennio in biennium ex consensu Parochianorum, seu maioris partis eorum constitui, quibus quæstas ad vtilitatem fabricæ faciendi, fructus quoque & redditus fabricarum, & leuandi, & recipiendi potestas commissa est: Statuimus & ordinamus quod procuratores huiusmodi, necnon alias quæstas in vsum seruitii diuini, ac in alios pios vsus implicandas facientes in Ecclesiis quocunque nomine censeantur, de huiusmodi quæstis & administratione post finem cuiuslibet biennii compotum & reliquæ de receptis & administratis procuratoribus, seu in administratione loco eorum constitutis, vocato & præsente eorum Curato, seu eius Vicario, vel Archipresbytero nostro, & hoc sub pœna excommunicationis reddere & præstare teneantur.

De Sententia excommunicationis.

EXcommunicandi vsus quàm sit frequens, quámque necessarius neminem credimus ignorare; hæc siquidem iustissima est Ecclesiæ matris consuetudo, vt quos in Christo suscepit, tantisper enutriat & exaltet, quandiu sicut boni filii mandatis eius parere non recusent: cum & si qui nonnunquam aberrare videantur pientissimis vocibus (si modo vel tantillum auscultare velint) non cesset reuocare. Postquam vero cum filio prodigo recedere non erubescunt, & ipsa sperni se conspicit tunc certè suis freta viribus exurgit vehementius, & in promptu habens (iuxta Apostolum) omnem inobedientiam vlcisci, quos amplius sustinere non potest, à caulis procul, vt morbidas oues, baculo duriore repellit, & medicorum more tanquam putridas carnes ferro damnationis abscindit. Vnde & nos quibus Domini greges, immo Dominici corporis cura mandatur, omni putamus studio prouidendum, vt Ecclesiam matrem debito honore prosequentes, eius quoque cultores per omnia foueamus, ac honoremus: desertores vero & rebelles sicut arbores quæ terram inutiliter occupant, pro charitate succidamus & execremur, vt ita necessaria officii nostri diligentia, & ab eorum contagione cæteri præseruentur, & ipsi (si Deus voluerit) ad reconciliationis gratiam emendati respirent.

Statuimus igitur ab Ecclesiasticis regulis nequaquam recedentes, vt hæretici omnes & fautores eorum, sacrilegi, Clericorum & Ecclesiarum violatores, vsurarii manifesti, sortilegi & diuinatores, concubinarii publici, maximè qui moniti desistere noluerint, falsa pondera, & mensuras scienter habentes, decimarum quoque & aliarum Ecclesiasticarum rerum vsurpatores, & qui iurisdictionem Ecclesiæ, eiusve libertatem perturbant aut impediunt: nec solùm qui hæc agunt: sed etiam qui consentiunt agentibus, eo ipso vinculum excommunicationis incurrant: Et vt excommunicati dominicis diebus ab omnibus vitandi pronuncientur.

Item & vt excommunicati quos & infamiæ nota deprimit, & hominum suffragia destituunt, ad publica & ciuilia munera nequaquam recipiantur: Proinde nec iudices esse valeant, nec arbitri, nec potestatis cuiusquam titulum sibi vendicare. Quod si secus fuerit attentatum, neque processus, neque sententia, sed nec quicquid aliud per tales aut eorum auctoritate fuerit expeditum, robur obtineat firmitatis.

Præcipimus item propter vitandum communionis periculum & ne cuiusquam peruersitas dissimulatione foueri videatur, vt nomina & cognomina excommunicatorum, ac eorum pariter, quibus instantibus fuerint excommunicati cum temporis annotatione à Curatis in registrum capitulatim redigantur, vt solito more in Ecclesiis commodius recitentur. Quod si in aliquibus oppidis plures sint parochiæ: Curati earum sibi inuicem Parochianorum suorum excommunicatorum nomina, sicut ante dictum est, communicent, vt ita per omnes Parochias tales denunciari valeant, & à diuinis prohiberi.

Statuimus insuper vt quicunque per annum sententiam excommunicationis susti-

nuisse cognoscentur per Sacerdotes suos nobis in nostra Synodo deferantur, vt in eo⁹ iusta animaduersione procedere valeamus.

Cæterum cùm contingat interdum ministros Ecclesię de altari viuentes tam regulares, quàm seculares, vbi meritis exigentibus fuerint anathemate percussi, videri præ cæteris obstinatius illud contemnere, vt per hoc laicis grandis ruinæ præstetur occasio: cùm subuersos esse vident eos à quibus in omne bonum operis verbique ducatu conuerti deberent: Idcirco constituendum esse credimus: vt si prædicti tales vltra tres menses (quod nolumus accidere) sententiam excommunicationis animo pertulerint indurato, studeant ex tunc cum primum commodè poterunt, beneficium absolutionis obtinere, in quo requirendo si negligentes vllatenus esse comperiantur, præter Canonicas pœnas extra ordinem propter hoc sic quoque corripiantur à nobis: vt aliis merito cedat in exemplum. Siqui vero integrum anni spatium pertinaciter excesserint: sciant pro certo (nisi legitimum aliquod proposuerint) se beneficiis si quæ teneant vlterius esse priuandos, volumúsque præsentem nostram constitutionem pro & loco monitionis contra eosdem valituram.

Quia vero inueniuntur aliquando qui licet excommunicationis telo sint à Corpore Christi (quod est Ecclesia) separati, sub obtentu tamen confictæ sibi pro commodo religionis se diuinis ingerere, & templa Dei ingredi contemptis Ecclesiæ censuris non verentur: per hoc diuina sæpe turbantes officia, quippe quæ præsentibus ipsis non possint Sacerdotes neque debeant celebrare. Sed & nec alii non excommunicati obseruare, cum potius vt exeant illos excitare teneantur, & Sacerdoti si forte non aduerteret indicare: Proinde nos quibus omnino cordi est vt omnes salui, satius esse reputantes huiusmodi sententiam passis, in humilitate se continere, quæ ad recuperandum gratiam proficiant, quàm quod ex contemptu fortè, & superbia, suis amplius vinculis ligentur ad gehennas, Statuimus præcipientes vt quicunque sic ausu temerario dominique timore posthabito, cultum Dei & Ecclesiastica obsequia præsumpserint impedire seu perturbare, si per Ecclesiæ Presbyteros commoniti Ecclesiam patienter exire noluerint: eo ipso nouæ excommunicationis nexu quam præsentium tenore proferimus, ab Ecclesiæ liminibus longius cohibeantur.

Item si quis in extremis constitutus, & pro liquidis certisque debitis aut offensa manifesta excommunicatus, petat absolutionis beneficium, ita demum absoluatur si debita huiusmodi vel offensam recognoscens bona sua resignet in manibus Sacerdotis à quo petit absolui, & fideiussores de satisfaciendo his quibus tenetur intra certum tempus det idoneos (si tamen commodè queat) recepto nihilominus ab eo per Sacerdotem iuramento, vt si conualuerit, satisfaciat intra mensem, quod si non fecerit noua monitione in pristinam recidat sententiam. At si tam pauper sit, vt quæ dicta sunt præstare non valeat, absoluetur nihilominus; præstito tamen ab eo prius sacramento vt mos est: quod si ad pinguiorem fortunam deuenerit, omnia persoluat. Mortuo autem eo qui sicut dictum est fideiussores dederit ipsius hæredes vel executores, seu bonorum quilibet possessores, aut qui pro eo recipientes Presbytero fideiusserunt (quem publicam quoad hoc personam gerere & aliis stipulari posse decernimus) illis quorum interest sine vlla difficultate iuxta præmissa per censuram Ecclesiasticam satisfacere compellantur. Interdicimus tamen Sacerdotibus omnibus ac talibus per eos, vt prædiximus, absolutis alia Ecclesiæ Sacramenta, aut etiam sepulturam prius administrent quam ab excommunicatore beneficium absolutionis obtinuerint, aut à nobis seu Vicariis nostris expressam super hoc licentiam, vt qui scienter contra fecerint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

De Mandatis nostris exequendis.

NOn ignorantes à Domino Deo omnem esse potestatem, vt iudicia eius sancta ad vindictam malefactorum & bonorum laudem perficiantur: Sicut in nobis ipsis hoc super omnia contingere cupimus, vt quæ eidem placita sunt intelligamus semper, eligamus & operemur, ita & in subditis nostris: Cum à nobis eadem illis per Dei gratiam fuerint ministrata: promptam ad obediendum voluntatem inueniri: Igitur vt & mandata cælestia geramus efficacius & per obedientiæ bonum quæ victimis iure præponitur proficiamus omnes, Statuimus & sub graui pœna iniungimus omnibus Curatis & aliis Sacerdotibus nostris, vt omni diligentia literas à nobis vel

curiis noſtris emiſſas pro reuerentia Dei & iuſtitiæ realiter cum fuerint eis præſentatæ, ſtatim accipiant & executioni demandent. Et ex eo tempore quo literæ excommunicationum eis redditæ extiterint, pro executione facienda non admittent ad diuina excommunicatos, donec fuerint abſoluti, & ipſi per literas abſolutorias debitè ſigillatas de abſolutione certiores facti ſint. In executione verò dictarum literarum dies & annus executionis in earum dorſo per executores inſcribatur, & apponatur ſub pœna emendæ arbitrariæ.

Item præcipimus ſæpedictis Sacerdotibus vt nuncios mandata noſtra ſeu iudicum noſtrorum deferentes, & eorum executionem petentes maturè ita ſemper expediant ſuo circa hoc officio rectè fungentes: vt ſine periculo & damno commode poſſint dicti nuncii recedere. Si quis autem malitiosè mandata huiuſmodi noſtra exequi diſtulerit, vt portitor moleſtetur, vel literarum earundem executio impediatur, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat. Sed & ſi per negligentiam aut alias male verſatus ſit pro culpæ modo iuſtè volumus animaduerti, vt & inobedientiæ malum coerceatur & damna ſubditorum prohibeantur. Nolumus tamen quaſcunque literas huiuſmodi excommunicatorias aut citatorias per totam hebdomadam ſanctam propter honorem paſchæ executioni mandari. Et hoc fieri diſtrictius inhibemus vt quorumdam malitiis occurratur & aliorum laboribus parcatur, & expenſis. Stylo tamen & vſantia in executionibus faciendis, quoad habitantes in ciuitate, in ſua firmitate remanentibus.

Item ſi qui literarum noſtrarum ſeu Officialis & iudicum noſtrorum portitores verberauerint, aut ſæpedictas literas noſtras & iudicum noſtrorum detineant, auferant, corrumpant, cancellent, celent, aut portitores ipſos carceribus mancipent, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant.

Porro vt mandatorum noſtrorum & literarum tam executio quàm etiam obſeruatio libere procedat, inſtituimus quod in quibus locis parochiales Eccleſiæ vnà & capellæ exiſtunt: in capellis illis nullatenus dominicis & aliis ſolemnibus feſtis celebretur, ex quo parochialis miſſa fuerit inchoata, maximè vero dicta Epiſtola, donec Eccleſiæ rector legitima præcepta, denunciauerit, & ſermonem populo, per ſe vel per alium (vt moris eſt) perfecerit: hoc autem quotiens fiet, nolumus Sacerdotes vnquam prætermittere, quando eos quos per hæc ſtatuta noſtra congruis locis excommunicatos nunciari mandamus, vt conſtitutum eſt, denuncient.

De quæſtoribus eleemoſynarijs.

VT temerariis nonnullorum auſibus competenter occurratur qui ſub quæſtorum nomine variis modis ſoli quæſtui inhiantes ſimpliciores homines decipiunt non ſine animarum periculo & ſcandalo plurimorum: Prohibemus omnibus & ſingulis Preſbyteris, Curatis & Vicariis eorum noſtræ Diœceſis, ſub pœna excommunicationis & emendæ quam duxerimus æſtimandam, ne deinceps aliqui omnino quæſtores eleemoſynarum iuxta ſtatutum Concilii generalis admittantur quomodolibet, niſi literas permiſſionis à nobis, ſeu Vicariis noſtris ſigillo noſtro roboratis, in promptu exhibuerint: quo caſu nullatenus ipſi populo prædicare permittantur, aut aliud exponere quàm quod in ipſis eorum literis videbitur contineri. Poſtulent ſanè à fidelibus grata charitatis ſubſidia, ſuas inſinuent populis indulgentias, ac his finibus contenti nihil amplius excedant. Quod ſi laici fuerint aut coniugati, tales quæſtarii tunc efficiant, vt quæ in eorum literis ac indulgentiis continentur per Curatum, aut alium nomine eius explicentur. Si autem inuenti aliqui fuerint, qui auctoritate noſtra non muniti ſe tales mentiantur, hos tanquam ſeductores capi, & ad carceres noſtros Archiepiſcopales retrahi volumus & mandamus, de abuſionibus ſuis rationem reddituros.

Sed & quia nobis innotuit non paucos apoſtatas & gyrouagos ſub habitu religioſorum mendicantium per Diœceſim noſtram diſcurrere, & paſſim prædicare, necnon confeſſiones audire, quamuis præſentati nobis non fuerint: Idcirco nos pernicioſas talium abuſiones cito reprimere cupientes, omnibus Curatis & Vicariis eorum nobis ſubditis iniungimus ſub pœna excommunicationis, vt nullos prorſus religioſos mendicantes ad prædicandum Verbum Dei, & Confeſſiones audiendas in Eccleſiis ſuis admittere præſumant, niſi ſe nobis fuiſſe præſentatos, & per nos approbatos in ſcriptis legitimè poſſint demonſtrare, illis duntaxat exceptis qui de conuentibus no-

ſtræ Diœceſis veniſſe cognoſcentur: quibus licentiam poſt præſentationem ſuperiorum ſuorum conceſſimus.

De non reſidentibus in ſuis beneficijs.

CVm ſit optimo iure conſtitutum, vt non aliis Eccleſiæ, vel beneficia Eccleſiaſtica conferantur: quam qui velint & poſſint in ipſis reſidere & eorum curam per ſeipſos exercere, quo magis Dei cultus augeatur, ac magnificetur, & vt ſecundùm naturam is vtique onus ſentiat: cui commoda acceſſerint. Statuentes ordinamus quoad Eccleſiarum Parochialium rectores diſtrictius, vt in Eccleſiis ſibi commiſſis ad honorem Dei & propriam ſalutem præſentes per ſe oues Domini paſcant ſolicitè, vt ſtaturi ad magni iudicis tribunal dignam pro his aliquando reddere queant rationem, niſi forte cum ipſis iuſta aliqua de cauſa nos aut vicarii noſtri cenſuerimus diſpenſandum literas eiſdem de non reſidendo & regimine animarum debitè formatas concedentes, ac ſimul volentes, vt interea per idoneos & probatos viros eorum vices in parochiis rectè compleantur, quod vt obtinere valeamus, vicarios huiuſmodi per eoſdem priuſquam admittantur nobis præſentari, & præſentatos à Vicario noſtro, aut alio ſuper hoc committendo fideliter examinari decernimus, ſi modò alias examinati & idonei compertiad hoc, vt tales admiſſi non extiterint.

At verò Curatis eiſdem penitus inhibemus ne propriis dimiſſis Eccleſiis, in alienis Vicarii exiſtant, ne cum in honore ſint non intelligentes ex paſtoribus prædones, ex hominibus beſtiæ fiant. In quo planè ſuccurrit & illud nobis, nil prodeſſe homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur: nempe enim qui pro ſuis alienas paſcere oues ſibi perſuadent, hoc ipſo ſtatim quæ ſua ſunt quærere non quæ Ieſu-Chriſti videntur, aut contra doctrinam Eccleſiaſticam poſt concupiſcentias ſuas ire, in quibus planè multifariam Deus offenditur. Sed & hoc illis inſuper licere non patimur, vt Eccleſiarum ſuarum fructus prophanis hominibus ad firmam præbeant, abſque licentia noſtra, ſub pœna emendæ.

De Celebratione diuinorum officiorum & reuerentia Eccleſiarum.

VErè dignum & iuſtum eſſe reputantes, vt nihil vnquam operi ſummi Dei præponatur ab iis præſertim, qui ſpecialius eius obſequiis deſtinati ſunt: Statuendo præcipimus, vt in Eccleſiis Collegiatis nobis ſubditis, omnes earum miniſtri mox vt auditum fuerit horis competentibus diuini officii ſignum, decenti habitu ac mente ſimul rectè præparata in idipſum, relictis omnibus, accurrere feſtinent. Quumque humili deuotoque ingreſſu, ſuum quique in choro locum tenuerint, debitas altiſſimo laudes in conſpectu Angelorum, qua decet moderatione ad finem vſque reuerenter exoluant. Neque enim quod de nonnullis aliquando cognitum eſt, ſuſtinere valemus, vt qui pſallendi gratia conuenire videntur labiorum ſuorum fructum nullum afferant, & aliis voce ad Dominum clamantibus, turpiter obmuteſcant. Sed neque permittimus, vt dum communiter à cunctis laudum obſequia præſtari Deo conuenit, quiſquam legere officium, vel priuatim dicere præſumat: diſtrictius hoc quoque prohibentes ne qui (ſicut præmittitur) ad opus diuinum aſſiſtunt, & Domino in iuſtificationibus eius meditaturos ſe quotidie pſallentes repromittunt, ad confabulationes ſecum inuicem, aut cum aliis perperàm conuertantur, vel extranea literarum ſiue quarumlibet aliarum ſcripturarum lectione interim diſtrahantur: Quod ſi contra præmiſſa poſthac à quoquam minus prouidè fuerit attentatum, ſciat ſanè, quiſquis futurus eſt, ob honorem cultus diuini nos iuſta & Deo grata animaduerſione interceſſuros.

Item & cùm domum Domini perpetua deceat ſanctitudo, & in ea cum pace & quiete, vota competat celebrari: nimis abſurdum reuera & in oculis diuinæ maieſtatis indignum valde iudicamus, vt diuinorum officiorum tempore Eccleſiaſtici viri (quos deceret ei à quo ſtipendia recipiunt tunc potius in timore ſeruire) paſſim videantur (ſuarum credo paſſionum flatibus agitati) in graue multorum ſcandalum per Eccleſias diſcurrere vanius quàm deambulare. Quodque deterius ſit, cum prophanis plurimum hominibus aut fabellas texere, aut ſæcularium negociorum expeditiones curioſius tractare. A quo deinceps vt abſtineant omnes quam maximo poſſumus affectu præmonemus, alioquin operam daturi, vt qui in Eccleſia Dei ſummo

ſemper honore digna : modeſtiam ſeruare non voluerit, extra eam forſan inuiti pariterque inhonori ſubſiſtere cogantur. Et hoc ſane volumus vt ſibi prædictum illi etiam intelligant qui qua hora in Eccleſiis maior miſſa celebratur, capitulares actiones ſine maiore aliqua neceſſitate, ſalutari non verentur ſacrificio anteferre.

Sed & in vniuerſum ſacris conſtitutionibus inhærentes prohibendum cenſemus, ne diuina in Sacroſanctis Eccleſiis officia, tumultuoſis quorumcunque obambulationibus & variis conclamationibus vlterius perturbentur. Quoniam niſi in hoc Domino Deo noſtro & miniſtris ipſius cum honorantibus deferatur: haud planè facile videre eſt quomodo nomine eius merito poſſimus gloriari.

Item & vt in omnibus Domus Domini decor integer perſeueret, ſumma credimus ratione, ſtatuendum, vt excluſis procul ab Eccleſiæ liminibus ſpectaculorum ludibriis : necnon carnalibus atque aliis id genus inſanis, non alios Clerici luſus exerceant, quàm qui ſine crimine & turpitudine aliqua induci poſſe videantur. Neque enim ignoramus curis interdum gaudia & ſeriis admiſceri ioca debere ; ſed ita vt prudenter omnia modeſtéque fiant. Habet mater Eccleſia cytharas, pſalteria decachorda, habet hymnos, organa, & eiuſmodi alia quibus Sanctorum fortia facta ad ſolatium depromantur. Habet eadem, recipitque publicas ſanctorum eorundem magnificarum virtutum repræſentationes, & plures inſuper honeſtæ recreationis modos, qui ad exemplum vitæ non parum etiam conducant. His vtamur: per hæc defatigatas grauioribus officiis animi vires delectabiliter reparemus, ne ſi ſecus acciderit, tranſgreſſores (quos honeſtatis amor continere nequiuerit) ſeuerioris pœna diſciplinæ procellat, illis etiam minime defutura qui Dominica loca paci ſimul ac orationibus conſecrata, mercatuum nundinarumque tumultuantibus & captioſis congreſſibus permiſerint inquinari.

Cæterum quia non omnibus contingit in congregatione ſtipendiis Eccleſiæ ſuſtentari, Circa eos qui alibi vel beneficia obtinent, vel ſacrorum Ordinum gradibus exornati ſunt, cum ad horas Canonicas teneantur, hoc amplius ſtatuimus vt ſi Deo cupiunt ſuis precibus non diſplicere, cum omni humilitate & puritatis affectu ad id ſupplices accedant. Ac deinde continua ſerie diſtinctaque verborum prolatione ſuæ penſum ſeruitutis Domino alacriter ſimul & ſapienter exhibeant: qua poterunt diligentia ſemper agentes, vt in congruis horis & accommodatis ad deuotionem locis diuinum opus fideliter exequantur. Amen.

De Officio Religioſorum.

STudioſè cogitantibus nobis quanta prouidentia beatiſſimi quondam illi patres religioſas in agro Domini plantationes diſpoſuerint, diſpoſitaſque dante incrementa Deo, præter mirificas fragrantiſſimorum florum delicias ad vberrimos honoris & honeſtatis fructus curauerint prouehendas, ingens nimirum efficiendi cupido penitus inceſſit, vt quæ cum fœlicibus inſtituta ſunt auſpiciis : tanquam proſperis aucta ſucceſſibus, hac tempeſtate nullum (ſi Deus annuerit) in partibus noſtris ſubeant detrimentum. Quin potius vt hic tam perfectus, adeóque beatus regularis militiæ ſtatus cuius ſancta & ſalutaris obſeruantia manifeſte humanis in rebus Deum quotidie repropitiat: & certam bene pieque viuendi continet rationem, ſuo iugiter honore perduret incolumis, nec per inſolentiam aut ſocordiam cuiuſquam à propria quandoque ſoliditate moueatur: Pauca quædam ſtatuere viſum eſt ad informationem religioſæ conuerſationis, aut eiuſdem (ſicubi fuerit opus) reformationem. Quæ vtinam ea animi ſinceritate cuſtodienda ſuſcipiantur à cunctis qua pro charitate ſunt à nobis vtiliter promulgata.

Imprimis ne religioſis via præcludatur ad precioſam ſcientiæ margaritam, quæ ſalutis habet diuitias : cuiuſque candore diuinum lumen percipitur : ſine qua denique vita omnis fere amara eſt : Statuimus, vt in Cœnobiis idoneus adhibeatur magiſter qui primitiuas fratribus diſciplinas exponat diligenter, vt his adiuti maiora & meliora poſtea iuuante Domino frequenti ratione valeant adipiſci.

Sed cum ocioſitas animæ ſit inimica & omnium ſentina malorum, fratres iuxta ordinationem ſuperioris occupari non grauentur.

Item & ne res multa induſtria & labore forte conquiſitæ obliuione vlla aut negligentia quandoque depereant, expedire cenſemus, vt in ſingulis Monaſteriis de

rebus eorum fidelia conficiantur repertoria seu inuentaria tuto loco asseruanda. Ita enim quid in chartulis, libris, priuilegiis, donariis seu localibus, sacris vestibus & cæteris ornamentis habeatur, facili poterit indicio constare.

Quia vero quæcumque ordine fiunt exitu meliore fere terminantur, æquum sit vt singulis annis semel officiarii singuli reddant superiori administrationum suarum debitam rationem.

Item & vt omni custodia ab antiqui serpentis insidiis religiosę mentes præseruentur, ea semper Monasteria munitione defendantur, vt ad regularia loca, claustrum inquam, chorum, refectorium & Officiariorum cameras nullus omnino mulieribus aditus præbeatur. Quarum etiam officiosa obsequia & seruitia à Monasteriorum septis iustè credimus reprobanda. Nullus autem fratrum eo vnquam temeritatis efferatur vt Monasterio præsumat exire sine licentia: quam nec nisi pro rationabili causa dari religionis ordo permittit.

Cæterum quæ proximè statuta sunt, non aliter rectè custodiri posse videntur quàm si ianitor instituatur regularis vel sæcularis probus & discretus, præter cuius scientiam nullus introgredi vel foras ire debeat. Ideoque circa hoc ita prorsus conuenit prouideri vt obstructis vndecunque Cœnobiis ipsis per vnam tantummodo ianuam, cui qualis ante dictus est aliquis præpositus sit, ad ea liber ingressus in vniuersũ ostendatur.

Quod ad officium pertinet quod debitæ Deo laudes quotidie persoluentur, hoc reuerenter peragi oportet nocturnum pariter atque diurnum, ita videlicet vt diligenter & expeditè cum pausa planæ respirationis medium versum distinguente sine vlla protractione syllabarum & quadranter omnia procedant.

Sacerdotes quoque quàm frequentissimè poterunt, celebrare debebunt, non Sacerdotes vero singulis mensibus tam in Monasteriis quàm extra, sublata occasione quacunque ad confessionem accedant. Et in prima Dominica mensis cuiuslibet in Monasteris semper communicent, nisi ex causa fortè quam suo Superiori non differant intimare.

Item & quia carnis abstinentia vtilis & apta religiosis æstimatur, seruato semper moderamine pietatis erga infirmos, non sinimus Monachis, vt vbi iuxta Benedicti duodecimi constitutionem fratres carnibus vescuntur, amplius quàm semel in die earum esum credant sibi licere: ne gulæ comes indigestio ad matutinos hymnos surgentibus indignum coram Deo reddat obsequium.

Item vt cum discretione cuncta procedant & temporum momenta non nihili pendantur à nobis, in aduentu Domini, & à septuagesima vsque ad sanctum Pascha, singulisque quartis feriis intus & extra carnibus prorsus abstineatur.

Item & per totum annum singulis Hebdomadis duobus diebus, feria scilicet quarta & sexta, ieiunent omnes nisi ægroti sint debiles aut etiam delicati qui secundùm præsidentis ordinationem aliter videantur exhibendi.

Neque vero alibi quoscunque religiosos refici consentaneum est, quàm in domo Abbatis, aula vel refectorio siue infirmatorio, nisi ex venia forte superioris aliud constitueretur. Præterea ne quandoque accidat, vt per inimici versutiam sacrata Deo pectora vanitatibus & insaniis falsis à rectitudinis suæ tramite distrahantur: iustum esse decernimus, vt in ciuitatibus, oppidis, & aliis locis, in quibus sita sunt Monastica castra, extra illa nullus vnquam fratrum potare, vllus epulari temere sibi persuadeat: quod si quis fuerit transgressus, acriter corripi debebit. Sed & si fratres ex licentia & legitima causa Monasterium exeuntes in ciuitatem aliquam, oppidum vel locum deuenerint in quibus domos habeant, extra domos ipsas nullatenus dormire sinantur, transgressoresque grauiter coerceantur.

Ad hæc innumeras prope religiosi silentii commoditates esse perpendentes, vt quod ad virtutes omnes facili via perducens, & vitia ex aduerso funditus exterminans idoneos regi pacificos ministros efficit: existimamus in fraternis congressibus hoc apprime necessarium, vt in oratorio, qui locus Dei est in pace factus: Et mensa, vbi cum gratiarum actione bona eius recipiunt, cum lectura: Dormitorio quoque, quod ad requiem ordinatum est: Item in claustro in quo spiritus, vt in aqua, pisces refouentur, silentium obseruetur, linguæ conticescant, omnium & propter Deum labia comprimantur, non nisi ad ipsius laudem temere resoluenda.

Item & cum par esse cognoscatur, vt quorum communis est labor, immo omnia, requies quoque non dissimilis existat, in eodem dormitorio cuncti comuniter

disponantur, ad quod statim finito completorio taciturni conueniant, illudque prior receptis omnibus recludens fideli sera debeat offirmare, in quo quidem dormitorio nocte sit continuè lucerna ardens.

Item & vt congruæ prouisionis adminiculo humana sustentetur infirmitas, calfactorium tempore frigoris in communi paratum esse conueniet, in quo silentii semper habita ratione calefieri commodè & refocillari valeant omnes, ignis autem iugis competensque tamdiu conseruetur, quo ad ipsa videbitur cessisse necessitas.

Attendentes insuper quàm multiplicia interdum mala vel tenuis alicuius pecuniæ gignat possessio, quamque graui morsu proborum aliquando religiosorum corda ferire plerumque soleat, cum Domino penitus arbitramur vt nulli vnquam fratri aut victus, aut vestiarium detur in pecunia numerata, sed in propria specie omnia, siue sint indumenta, siue calciamenta, aut lectisternia, vel alia quæcunque necessaria. Et ad hoc ex congregatione eorundem, vnus aut duo deputentur: vt per eos fratrum necessitatibus in præmissorum administratione proinde succurratur.

Prædictis & hoc adiungi rationabile est, vt religiosi quilibet siue claustrales, siue Officiarii quotiens in publicum prodierint sine honesto & conueniente ætatis socio nunquam appareant regulari, maxime quoad claustratorios, & saltem seculari quo ad officiarios. Qui quidem socius nusquam eos deserat: sed quocunque ingressi fuerint ingrediatur, & quocumque ambulauerint, ipse comitetur. Eo enim spectare intelligatur quod à Salomone dictum est, væ soli quia si ceciderit non est qui subleuet eum.

Neque etiam circa vestimentorum vsum in plerisque deprauatum disciplinæ debet moderamen omitti. Nam licet (vt passim dicitur) Monachum non faciat habitus: habitum tamen facere Monachus sibi congruentem summa ratione iubetur. Proindeque in Monasterio omnes & extra, regulariter oportet esse vestitos, vt neque pro sordibus, neque ob delicias in vestibus suis notari mereantur. Et in his planè quod & in cæteris optamus obseruetur, vt ne quid nimis, sed & ne quid minus.

Quod reliquum est monendos similiter censemus prælatos omnes quatenus alia quæcunque laudabilia instituta, quæ tum ex regula, tum ex sacris conciliis facile colligi poterunt, pro virili quique portione faciant obseruari. Quos & hoc quoque volumus obseruare, vt in capitulo frequenter, & regula eorum & nostra hæc statuta relegantur.

De Officio Archipresbyteri.

EXpedibile nimirum & decens esse cognoscentes, vt propter assiduam erga populum Dei curam onera nostra cum aliis partiamur: Statuimus & ordinamus quod Archipresbyteri nostri intra terminos suorum Archipresbyteratuum Synodali fungentes officio, summariè inquirant, & de plano, de vita & honestate Clericorum: de notoriis & manifestis criminibus, & scandalis quorumcunque etiam Laicorum, & informationes super his, omni semota affectione & quæstus sorditate, faciant, quas quidem ad nos & promotores nostros clausas deferri procurent, præsertim cùm synodum tenebimus. De causis autem ad eorum ius & officium minimè spectantibus cognoscere non præsumant. Quod si qui eorum reperti fuerint in huiusmodi negligentes aut sceleratorum culpas & crimina fauoris causa vel odii, siue lucri auiditate celare, pro excessuum suorum qualitate pœnas volumus sustinere. Sicut ex aduerso non intendimus quod si diligenter & officiosè fuerint circa præmissa versati, iusta pro laboribus mercede, & competenti factarum expensarum ratione defraudentur.

Eos insuper iubemus inquirere nunquid Ecclesiis ipsis & Prioratibus quibus præsunt nouæ pensiones ab Abbate fortè vel alio quouis fuerint impositæ sine consensu nostro. Quod si quando comperiretur, hoc statim sine mora fideliter nobis referri præcipimus.

Et hanc vtique inquisitionem extendi volumus ad exemptos: de quorum priuilegiis fuerit dubitatum, donec sua priuilegia ostenderint sicut debent: quos nec prius pro exemptis haberi conueniens est.

Postremò ne obiecto ignorantiæ velamine se quisquam posthac existimet excusandum, districtè rectoribus animarum omnibus eorumque Vicariis nobis subditis ordinando præcipimus: vt sub pœna emendæ statuta hæc nostra in præsenti Synodo, cæteri vero Sacerdotes in nostra Diœcesi commorantes infra trimestre sibi com-

Digitized by Google

parare & habere ſtudeant, & in Eccleſiis ſuis ea conuenienter habere. Quæ quidem neque ſegniter inter cætera cupimus obſeruari.

Conſtitutionum Synodalium Reuerendiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini Archiepiſcopi Bituricenſis Patriarchæ Aquitaniæ Primatis in præclara Pariſienſium Academia ſub Typis Aſcenſianis impreſſarum. Anno Domini M. D. XV. die xxj. Februarij, FINIS.

TOMI QVOQVE II. NOVÆ BIBL. FINIS ESTO.

---

*Quæ ſequuntur, inſerenda ſunt pag. 513. poſt tres aſteriſcos *** vnde incuriâ Typothetæ plus nimio properantis exciderunt ad finem vitæ Bernardi Guidonis Ord. Prædicatorum Epiſcopi Lodouenſis.*

Hic quoque viuens & moriens fertur miraculis claruiſſe. Frater Arnaldus Borgneti Inquiſitor Barcinone, qui fuit Prior Prouincialis Fratrum Prædicatorum Prouinciæ Aragoniæ, vir certus & verax fideli atteſtatione mihi & pluribus aliis magnorum meritorum viris cum multa deuotione ſæpius & ſerioſiùs enarrauit: quòd cùm ipſe pro promouenda Canonizatione Fratris Raymundi de Pennaforti tertij Magiſtri Ordinis Prædicatorum anno ſecundo Pontificatus Domini Ioannis Papæ XXII. eſſet in Auenione, præſente ibidem memorato dicto Domino Lodouenſi, qui tunc erat Inquiſitor Toloſanus & Procurator Ordinis Prædicatorum Generalis, cùm æſtiuo tempore tres noctes continuas, tam ex vehementia caloris quàm ex quibuſdam aliis accidentibus duxiſſet inſomnes, & ex hoc tantam corporis & faciei alterationem, ac totius perſonæ ſuæ deſtitutionem incurriſſet, vt omnimodè mortis pericula formidaret, allectus ſancta conuerſatione præfati viri Dei & ſpe concepta de eius meritis deuotè & humiliter ſupplicauit eidem, vt ſua deuotione ac interceſſione ſubueniret eidem. Qui vir deuotus mox vt vidit fidem illius: In nomine, inquit, Dei præcipio ſomno vt redeat ad oculos Inquiſitoris Barcinonæ, quódque diſcedat ab eo omnis indiſpoſitio inquietans. Et ecce verbum viri Dei tantam efficaciam habuit, vt ex tunc continuè dulciter dormiuerit & quieuerit diſpoſitioni priſtinæ reſtitutus.

Alius quoque Frater Guillelmus de Gardaya Bajonenſis in eodem loco infra eandem Hebdomadam febre & dyſenteriæ morbo grauiter & perniciosè vexatus, audito quod factum fuerat per memoratum Dei famulum circa præfatum Inquiſitorem Barcinonæ cùm viſitaretur ab eodem, petiuit cum fide & deuotione mirabili quòd imperaret morbo vt diſcederet ab eodem. Quòd cùm ille ex humilitate nollet acquieſcere ſupplicanti, tandem victus inſtantiis infirmi, imperauit febri & morbo dyſenteriæ, vt à tali die, videlicet à feſto B. Dominici quod erat in craſtino, vel in ſequenti pòſt die celebrandum, præfatum infirmum non inquietaret. Et ecce ſicut ab eodem fratre Guillelmo coram multis & ſæpius cum multiplici atteſtatione audiui, ab illa die inantea penitus ſe ſenſit à febre & morbo dyſenteriæ eius meritis liberatum.

Hæc duo ſigna & prodigia adeò fuerunt notoria in Conuentu Auenionenſi, vt Frater Petrus Bernardi Bajonenſis, Sacellarius tunc ſacri Palatij, pòſt eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, iocosè eo præſente multis aſtantibus dixerit, quòd fruſtra inſtabat Ordo Prædicatorum pro Canonizatione Fratrum mortuorum, ex quo poterat canonizare ſanctum viuum. Poſt obitum quoque ipſius Frater Thomas Normanni Prior tunc Fratrum Prædicatorum Lemouicis nocte quadam poſt Matutinas conſiſtens in oratione flexis genibus in choro ante ſedem Prioralem, vidit vigilans quandam ſplendidam lucem quaſi de ſede Priorali procedentem per chorum verſus Preſbyteriũ altaris maioris, quæ ſatis citò diſparuit. Et cùm admiraretur quid hoc poſſet ſignare ignoraretur que Lemouicis obitus Domini Lodouenſis in ſequenti mane venit nuntius cum litteris & rumoribus, quòd Dominus Lodouenſis ad Chriſtum migrauerat, & iuxta quod ordinauerat ſepeliendus Lemouicis in Conuentu Fratrum portabatur. Tunc intellexit præfatus Prior quòd lux illa præfatum Dominum, qui vita & doctrina Ordinem & Eccleſiam multipliciter illuminauerat, figurabat: quæ bene de ſede Priorali verſus Preſbyterium procedebat, quia ipſe aliquando Prior Fratrum fuerat Lemouicis, & nunc ante Preſbyterium Maioris Altaris cum iuſtis beatam reſurrectionem expectat.

INDEX TOMI II.

Digitized by Google

INDEX RERVM AC VERBORVM,

QVÆ IN HOC II. TOMO

Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum continentur.

A

Aliz filia Guillelmi de Montepiſſerio. 308. vide Aliz.
Aaron Bulgarorum Rex. 169
Abagarus ſiue Abgarus Toparcha Edeſſenæ ciuitatis. 305
Abbas in caſtris Regiis S. Sulpitius. 455
Abbates Diœceſis Bituricenſis. 5
Abbatias Ludouicus Pius Imperator reuocat in manu ſua. 158
Abbatiſuilla in Pontiuo. 733
Abbo Sanctonum Epiſcopus. 170. 764
Abbo Floriacenſis Abbas & Martyr florentiſſimus Philoſophus. 172. 768
Abbo S. Martialis Abbas. 271
Abbo Maſciacenſis Abbas. 732
Abbo S. Maxentii Abbas, 197
Abbo Drutus. 174
Abbo ſtrenuus miles. 174
Abderama Cordubenſis Rex Saracenorum. 153. 608. 689
Abodriti populi. 159
Abra S. Hilarii filia. 732
S. Abraham Abbas Claromontanus. 718. 719
Abraham Abbas. 757
Abſida S. Dionyſii. 123
Abſidæ ſeu potius Abſiæ Cœnobium in Pictonibus. 219. 728. 729
Acaptamentum. 258
Accon ſeu Acon vrbs Paleſtinæ. 270
S. Achilleus Diaconus. 699
Acius Burdegalenſis Archiep. 184
Acmardus Clericus. 362
Acroſtichis Theobaudi Hiſtorici. 637
Actardus Nimnetenſis Ep. 200
Actuum Apoſtolorum triumphans ludus apud Bituriges. 150
Adacius Bituricenſis Archiep. 69
Adala filia Rollonis Ducis Normanniæ. 165. 202. vide Adela ſeu Adelais.
Adalbaldus Abbas S. Martialis Lemouicenſis. 172. 173. 279
S. Adalbertus Pragæ Archiepiſcopus & Martyr. 168, 169
Adalbertus Aquiſgranenſis Canonicus. 169
Adalbertus Italiæ Rex. 163 164
Adalbertus de Analiſa c. 282
Adalbertus Cabannenſis. 174 is qui ſupra Decanus & Præpoſitus S. Martialis.
Adalgaſia Abbatiſſa S. Menulfi in Diœceſi Bituricenſi. 434
Adalmodis vxor Adalberti ac deinde Vuillelmi V. Ducis Aquitanorum. 170
Adalmodis vxor Broſonis Comitis Marchiæ. 228
Adalradus Rex Anglorum. 178
Adartenſe territorium. 704
Adchiarenſis villa. 612
Ad Deſtricios. 163. 200
Adela Regina Franciæ. 336
Adelais Imperatrix. 206
Adelais ſoror Guidonis Epiſcopi Podienſis. 749. 751
Adebertus ſeu Adabertus, aut Adalbertus Claromontanus Ep. 505. 757
Adelardus Maſciacenſis Abbas. 733. vide Adhelardus.
Adelfonſus Hiſpaniæ Caſtellæ ſeu Galliciæ Rex. 172. 185. 317. cuius vxor Alienora filia Henrici II. Regis Anglorum.
Adelfonſus Bellator Rex Aragonenſis. 304
Adelfonſus Rex Aragoniæ quia mater eius filia vnica Garſiæ. 304
Adelfonſus filius Raymundi Berengarii Comitis Barcinonenſis Rex Aragoniæ. 314. 319
Adelfonſus Rex Aragoniæ. 321. 322. 326. 337
Adelfonſus Dux Narbonenſis. 306
Adelfonſus filius Raymundi Comitis Ægidii & Toloſani. 304
Adelelmus ſeu Adhelmus Caſæ Dei Abbas. 659. 731
Adelinus Monachus Caſæ Dei in Hiſpania celeberrimus. 662
Ademarus de Cros Claromontanus Epiſcop. 763
Ademarus Engoliſmenſis Epiſcop. 257. 258. 261
Ademarus Petracoricenſis Ep. 276
Ademarus ſiue Aymarus Podienſis, hoc eſt Vellauenſis vel Anicienſis Epiſc. 214. 215. 293

Ademarus S. Martialis Abbas. 284. 285. 288. 291. 292. 293 294. 295. 297. 298
Ademarus S. Maxentii Abbas. 199. 201
Ademarus Solemniacensis Abbas. 341
Ademarus de Sancto Riberio Terrassonensis Abbas. 297
Ademarus Vosiensis Abbas. 300. 301. 304. 305. 315. 318
Ademarus Cabanensis S. Martialis Lemouicensis primùm deinde S. Eparchi Engolismensis Monachus filius Raymundi & Aldeardis & Historicus. 151. 153. 174. 272
Ademarus Emenonis filius Comes Pictauiensis. 162. 163. 164. 165. 199. 201. 202. 251. 252
Ademarus de Archiaco. 258. 259
Ademarus de breu auus Gaufredi Prioris Vosiensis. 313
Ademarus de Chanietas. 331
Ademarus Gaufredi Prioris Vosiensis frater. 313. 320
Ademarus de Laron. 281. 283
Ademarus Rupis-Fucaldi dominus. 259
Ademarus filius nothus Bernardi Comitis Petragoricensis. 166
Ademarus I. Balbus Lemouicensis Vicecomes 300
Ademarus II. Vicecomes Lemouicensis qui iurabat per corpus S. Martialis. 300
Ademarus Barbatus III. Vicecomes Lemouicensis. 300
Ademarus filius Bruniehildis IV. Vicecomes Lemou. 300
Ademarus V. Vicecomes Lemouicensis. 300. 302. 303
Ademarus VI. Lemouic. Vicecomes. 291
Ademarus Vic. Lemouicensis qui Cluniaci Monachus obiit. 291. 304. 307. 322
Ademarus qui & Boso Vic. Lem. 307
Ademarus puer Vic. Lemouic. vir Sarræ. 310. 314
Ademarus filius Guidonis Vicecomitis Lemouicensis. 283. 287
Ademari Vicecomites Lemouicenses indiscriminatim. 182. 291. 298. 299. 317. 325. 330. 331 332. 333. 337. 338. 339. 342
Adhelardus Abbas. 159
Adimarus de Aualena in regione Lemouicensi. 538
Adiutor. 719. vide Maxentius.
Adix fluuius. 154
Admiralii apud Saracenos qui? 316
Admiratus Babyloniæ. 174. 175
Ado, vide Aldus.
Ado Viennensis Archiepiscop. 31. 32. 65. 66. 67
Adolenus, vide Agosenus.
S. Adorator Episc. & Martyr. 287
Adroaldus Princeps. 439
Adroaldus Comes Eudonis Aquitanorum Ducis. 357. 358
Adulfus Cameracensis Ep. & S. Vedasti Abbas. 733
Aduocati & defensores Monasteriorum. 171
Ægeus siue Ægeas. vide Egiathes.
S. Ægidius Abbas. 702
D. Ægidius de Roma Bituricensis Archiepiscopus ex ordine Eremitarum S. Augustini 121. 122. 123
Ægidius Remensis Archiep. 31
Ægidius Milleti Abbas S. Sulpitii Bituricensis. 134
Æmarus Monachus S. Martialis Lemouicensis. 181
Æmilianum palatium. 666
Æmilius Albiensis Ep. 778. 782. 783. 786. 792. 797
Æneas Parisiensis Ep. 199
Ænor siue Aënor vxor Vvillelmi X. Ducis Aquitaniæ soror Vicecomitis de Castro Ayraudi. 304
Aënti Monasterium. 286
S. Ætherius Bituricensis Archiep. 11
Ætherius Carnotensis Ep. 584. 585
Ætherius Lugdunensis Archiepiscop. 37. 352. 363
S. Ætherius Autissiodor. Ep. 701
Aëtius Comes. 597
S. Afrodigius Biterrensis Ep. 698
Agalmata seu malis agelmata id est greges. 608
Agana Vvicfredi filia vxor Roberti Comitis. 393. 394
Aganus siue Agano S. R. Ecclesiæ Cardinalis. 436
S. Agapitus Pictauensis Presbyter. 733
S. Agapii corpus. 215
Agatha vrbs. 154
Agaunum locus in territorio Sedunensi. 703
Agedunum. 285
Agennum siue Aginnum vrbs. 162. 528. 704
Agentense S. Stephani Monasterium. 171. 758
Aggericus Lemouic. Ep. 633
Agia mater S. Desiderati. 26
Agila Vvesegothorum Rex. 44
Aglibertus & Agloardus Martyres. 701
Agnes Pictauensis vxor Henrici III. Imperat. Rom. 209
Agnes vxor Gulferii de Turribus. 282
Agnes de Bru seu Brè. 341
Agnes Chabossa mater Sebrandi Lemouicensis Episcopi. 759
Agnes de Lignieris. 259
Agnes S. Crucis Pictauensis Abbatissa. 783
Agnes tertia vxor Vvillelmi V. Ducis Aquitanorum quam postea duxit Gaufridus Martellus Comes Andeg. 206. 207. 208. 209
Agnes filia Ludouici Iuuenis Regis Francorum vxor Alexii Imperatoris Græcorum. 297. 330
Agnes filia Vvillelmi de Montlusson. 290
Agnes de Ponte Gibaudi. 763
Agnus Dux Eudonis Aquitanorum Principis 356
Agoniacum castrum. 738
S. Agon Ep. Pictauen. 728
Agozenus Bituricensis Archiep. 56
S. Agricola Episcopus Niuernensis. 698. 701
Agrimus Lingonensis Ep. 611
S. Agricola & Vitalis Martyres. 709. 710
Agrippinus Caturcensis Archidiaconus. 346. 347. 349
Agrippinus Gothorum Rex. 438
Agrætius Senonensis Archiep. 17
Agnani insula. 345
Agulani. 214. 215
Ajacensis Ecclesia. 83. 95. 96

Aicardus Abbas. 731. 751
Aimarus, vide Ademarus & Aymarus.
Aimelina siue Amelina aut Aymelina filia Bertrandi de Born. 282
Aimericus & Aimo, vide Aymericus & Aymo.
Aimoinus Monachus Floriacensis. 62. 64. 68
Ainardus siue Aynardus Baiacensis Abbas. 181
Ainardus S. Martialis Abbas. 267. 271
Ainardus Præpositus Canonicorum S. Martialis Lemouicensis. 161
Ainardus Scotorensis Monasterii Præpositus. 174
Airaudus siue Ayraudus Fontis Gombaudi Abbas in Diœcesi Bitur. 218
Airaudus Sancti Nicolai Andegauensis Abbas. 210
Aistulfus siue Aystulphus Rex Longobardorum. 156. 734
Ala siue Adela filia Theobaldi Magni Comitis Campaniæ vxor tertia Ludouici VII. Regis Francorum. 308 310
Alacritatis carmina. 290
Alabitæ populi. 542
Alaiz filia Ludouici Iuuenis desponsata Ricardo Pictauorum Comiti. 308
Alaiz Aruerniæ Comitissa. 763
Alaiz de Montepislerio. 291
Alaizia Comitissa Engolismensis. 184
Alaizia filia Tolosani Comitis. 326
Alanus siue Helenus. 327
Alarchia Monasterium. 643
Alaricus Gothorum Rex. 711
Alardus Guillebaldi. 89
Alassiacum. 291
Alba fluuius. 614. 626
Alba Roca. 738
S. Albanus Martyr. 71. 73
S. Albani Moguntiæ Ecclesia. 159
Albera fluuius. 365
Albericus Bituricensis Archiepiscopus. 86. 87. 88. 96. 304. 305
Albericus Contractus Comes de Gastina. 210
Albericus frater Octauiani Papæ. 161. 164
Albertus S. Augustoduni Lemouicensis Abbas. 289
Albertus ex Præposito Subterraneæ Abbas S. Martialis. 282
Albertus ex Priore de Peyraco Abbas S. Martialis. 306. 307. 308. 309
Albiacum colonia. 352
Albigensium errores. 102. 108. 326. 327
Albigniaci dominus. 95
Albigniaci Abbatia. 89
Albingaunum. 692
Albinensis parrochia in ditione Borbonensi. 417
S. Albinus Andegauorum Ep. 286. 658
B. Albinus socius S. Leobini. 585
Albinus seu Alboinus Pictauensis Episcop. 202. 203. 204
Alboinus Archidiaconus. 310
Albucensis Vicecomes. 790
Albuconum. 268
Albutio siue Albucio vbi S. Valeriti basilica. 166
Alchymia, 147
Alcius Prior Lemouicensis. 288
Alcontor de Mirabello. 288
Alcuinus Abbas. 159. 197. 716
Aldarius Sacerdos Monachus Solemniacensis. 525
Aldeardis filia Roberti Ducis Burgundiæ. 213.
Aldeardis mater Ademari Cabanensis Historici. 174. 272
Aldeardus Vicecomitissa. 205
Aldebertus Bituricensis Archiepiscopus. 81
Aldebertus Armarius Monachus S. Martialis. 181
Aldebertus ex Priore Vserchiæ Abbas S. Martialis Lemouic. 301
Aldebertus Vserchiensis Abbas. 305
Aldebertus Comes Marchiæ & Petracoricensis. 170. 174. 306
Aldebertus frater Heliæ Comitis Petracoricensis. 166
Aldebrandus, vide Hildebrandus.
Aldegerius Lemouicensis Ep. 170. 171
S. Aldegundis Virgo. 698
Alduinus seu Alduinus filius Rogerii. 754. 755
Aldo Lemouicensis Episcopus 271. 267
Aldoenus siue Alduinus Lemouicensis Episc. 170. 171. 172. 173. 174. 205. 268. 300. 567
Alduinus Angeriacensis Abbas. 178. 179
Alduinus S. Dionysii Abbas. 162. 199
Alduinus seu Aldoenus Lemouicensis Archidiaconus. 322
Aldoinus seu Alduinus Engolismensis Comes 252. 256. 257. 756
Alduinus filius Vvilgrini Comitis Engolismensis. 162. 163. 165. 201
Alduinus filius Vvillelmi Boni Comitis Engolismensis. 172. 181. 183. 184
Alduinus Borrel. 290
Alduinus frater Vvillelmi Vicecomitis Martiliacensis. 181
Alduinus filius Alduini Vicecomes Martiliacensis. 181
Aldus siue Aldo Bituricensis Archiepisc. 55 56
S. Alemana Virgo. 700
Alepum vrbs Syriæ. 316
S. Aleriæ Ecclesia. 82
Aleris seu Elauetis flumen. 419. 421. 422
S. Alexander Martyr Lugduni. 696
S. Alexander II. Papa. 717
Alexander III. Papa. 90. 311. 324. 327.
Alexander VI. Papa. 394. 395
Alexius Comnenus Imperator Græcorum. 214. 219. 293. 316
Alexius iunior Imper. Græcorum. 214. 219. 293. 316
Aliardensis pagus super ripam Garumnæ in partibus Gasconiæ. 743. 744
Alienor quasi alia Ænor filia Vvillelmi X. Ducis Aquitanorum & heres, vxor Ludouici VII. Regis Francorum ac deinde Henrici II. Regis Anglorum. 304. 306. 308. 318
Alienora Regina Castillæ filia Henrici II. Regis Anglorum & Alienoris Aquitanicæ. 317
Aliprannus Presbyter. 217
Aliz siue Aaliz soror Ducis Burgundiæ vxor Archambaldi VII. de Borbonio. 338
Alix germana Conani Britonum Comitis da-

ta Heleno seu Alano de Rohan. 327
Alixens Claromontensis Comitissa. 62
Almarus Engolismensis Ep. 756
Almericus Tribunus. 186
S. Almirus Monachus. 469. 470. & seqq.
Almutiæ & suppara Canonicorum. 130
Almodis soror Alduini Borrel. 290
Almodis soror Audeberti Comitis de Marchia. 210
Almodis vxor Oliuerii de Turribus filia Archambaldi. 282. 300. 315
Alnensis seu Alnicnsis pagus vel Alnisium. 173. 178 197
Alodiense Cœnobium. 219
Aloniacum. 84
Alpais vxor Gulferii. 282
S. Alpinianus discipulus S. Martialis Aquitanorum Apostoli. 266. 285. 472. 473. 474. 701. 769
Alpium Maritimarum Archipræsul Ebredunensis. 658
Alteria fluuius. 223
Aluia id est Albis fluuius. 735
Aluisius Atrebatensis Ep. 86
S. Amabilis Ricomagi Tutelaris. 716. 717
Amabilis filia Vicecomitis Castelli-ayraudi. 265
Amalarius seu Amalerius Diaconus. 158. 195
Amalbertus S. Florentii Abbas. 203
Amalfredus S. Eparchii Abbas. 182. 183
Amalricus Patriarcha Hierosolymitanus. 316
Amalricus Turonensis Archiep. 200
Amalricus Rex Hierosolymitanus dictus antea Comes de Iaffa. 297. 302. 308. 317. 320. 321
Amalricus Rex Gothorum. 371. 375
S. Amandinus Confessor. 720
S. Amandus Trajectensis. 345. 594. 698
S. Amandus præceptor sancti Iuniani. 285
S. Amandus Eremita. 277
S. Amandus discipulus & socius sancti Sori. 481. 668. 669. 674
Amanieus Gasco. 259
S. Amantius Ruthenensis Episcopus. 474. & sequentibus 705
S. Amantius Martyr. 705
Amardus Petragoricensis Ep. 200
S. Amator. 265. 266. 699
S. Amatus, Abbas Monasterii Romarici. 703
Amatus ex Oleronensi Episcopo Burdegalensis Archiep. S. R. E. Legatus. 213. 214. 217. 293. 294. 755. 756
Amasius sepulchrum S. Martialis & suum construxit. 285
Ambasia siue Amboisia oppidum. 396
Ambassacenses Monachi. 675. 681
Ambaxiatæ. 512
Amberga dicta Brunicendis. 300
Ambiliacum Monasterium. 370. 704
Amblardus Ebrolienſis Abbas. 203
Amblardus siue Amlardus ex Priore Solemniacensi Abbas S. Martialis. 299. 269
Amblardus Riomensis Abbas. 307
Amblardus primus Abbas Pruliacensis. 201
Amblardus de Chaslus. 763
S. Ambrosius Mediolanensis Archiep. 770
S. Ambrosius Caturcensis Episcop. 57. 58. 346. 347. 704
S. Ambrosii Bituricensis Abbatia. 57. 58. 85
S. Ambrosius Agaunensis Abbas. 705
Ambrosius Choriolanus auctor Chronicorum Ordin. Fratrum Eremitarum S. Augustini. 122
Ambrosius Merlinus. 302. 309
Amelius Albiensis Ep. 283
Amelius Dalonensis Abbas. 315
Ammonius, vide Aimoinus Monachus. 35
Amorres Rex Saracenorum. 154
Amphipolitani. 665
Anastasius IV. Papa. 308
S. Anastasius Martyr. 286. 427. & seqq.
Anatalus siue Anatolus Engolismensis Ep. 162 251
S. Ancilda Virgo. 332
S. Ancolianus Martyr. 698.
S. Andochius Presbyter Martyr. 703
Andegauenses denarii. 355
S. Andreæ in Scotia Archiepiscopatus. 144
S. Andreæ Parisiis Ecclesia. 134. & Biturigibus. 703. Claromonte. 722
S. Andreas Apostolus. 266. 214
Andreas Formenus Scotus Archiep. Bitur. 143
Andreas Fremiot Bituricensis Archiep. 150
Andreas Saussaius Tullensis Ep. 433
Andreas Præfectus basilicæ S. Petri. 285
Andreas Monachus Vallis Vmbrosæ primus Abbas ac fundator Casalis Benedicti in Diœcesi Bituricensi. 81. 82. 213
Andreas Pictauensis Canonicus. 218. 733
Andreas de Caluiniaco successor Ducum seu Dominorum Dolensium. 740
Andreas dominus de Leproso. 740
Andreas Duchesnius. 158 & alibi
Andronicus tyrannus seu Imperator CP. 336
Androthius Britannus Ep. 285
Anduſa de Aleth. 290
Anesium in Alnensi pago. 173. 220
Anger seu Agner fluuius. 696
Angeriacum seu Angeliacum S. Ioannis Bapt. Monasterium. 160. 196. 197. 203. 234
Angeriacensis Abbas. 83. 178
Anglensis villa. 519
Anglishamium. 736
S. Anianus Aurelianensis Ep. eiúsque Ecclesia. 17. 72. 192. 700. 705
Anicium siue Anisicium. 282. vide infra suo loco Podium B. Mariæ.
Anilardus seu potius Amlardus aut Amblardus S. Martialis Lemouicensis Abbas. 301. 303. 304. 305. 306. 311. 313
Anicacopus Rex Marochi. 317
S. Animius nepos S. Mariani. 432
Aninsola fluuius & ab eo cognominatum S. Carilephi Monasterium. 470
Anna Britanna vxor Regum Franciæ Caroli VIII. & Ludouici XII. 394
Anna de Francia Ducissa Borbonii soror B. Ioannæ. 395
Anna de Peleu Claromontis Comitissa. 762
Annas de Leui Ventadorius Archiep. Bitur. 150
Annemundus S. Iuniani Comes. 731
Annexonium vbi corpus S. Ferreoli Lemouicensis Episcopi iacet. 286. 528
Annius Viterbiensis. 5
Annulo aureo super altare oblato facta inue-

ſtitura. 91
Annulus S. Valeriæ. 319
Annunciatarum Virginum Ordo ac Regula cum duobus diplomatis Leonis X. Papæ. 142. 394. & ſeqq.
S. Anſbertus ex Cubiculario Regis Franciæ Fontanellenſis Abbas atque Archiepiſcopus Rotomagenſis. 193
Anſcharius miles pater S. Aichardi. 731
Anſegiſus S. Maxentii Abbas. 212
S. Anſelmus Cantuarienſis Archiep. 217. 302
Anſelmus Lemouicenſis Ep. 271. 267
Anſelmus de Ribodimonte. 293
Anſericus Veſuntinus ſeu Chryſopolitanus Archiep. 618
Anſoaldus Pictauorum Ep. 192. 193. 199. 731
S. Antholianus Martyr. 713
S. Anthemius Ep. 728
Anſulfus iuuenis. 45
Anticius Rex Aquitaniæ. 661
S. Antigius Confeſſor. 66
Antiniacus villa. 665
Antiochia capta. 214. 215
S. Antiochus Lugdunenſis Archiep. 704
Antonia de Ventadour vxor Caroli de Cueilha. 763
Antoninus Verus Imper. 699
S. Antoninus Florentinus Archiep. 5. 40. 119
S. Antoninus Martyr. 179. 703
S. Antonius Paduanus Ordinis Minorum. 109
Antonius Boherius Archiep. Bituricenſis & Cardinalis. 144. 145. eius Conſtitutiones Synodales editæ paginis 797. 798. & ſeqq.
Antonius Vialart Bituricenſis Archiep. 150
Antonius d'Vrſè S. Flori Ep. & Abbas Caſæ-Dei. 661
Antrambenſis populus. 495
Antros ſeu Antrum inſula Ligeris. 698
Aolaatz filia Guidonis de Turribus & Engalciæ. 281
S. Aper Tullenſis Ep. 703
S. Apollinaris Bituricenſis Archiep. 34. 37. 352. 364. 704
S. Apollinaris Valentiæ Ep. 704
Apollonii Tyrii Hiſtoria. 279
Apoſtolica regula Monachorum. 166
Aptonius ex Capellano Clodouei Magni Regis Franciæ Engoliſmenſis Ep. 151. 152. 249. 250. 520
S. Apruneulus Ep. Clarom. 718
Aqua Epiſcopalis. 176
Aquamanile. 355
Aquilia vxor Guillelmi de Gordon. 300
S. Aquilinus. 519
Aquina. 287
Aquiſgranum. 159
Aquiſgranenſis Synodus. 64. 158
Aquitani. 3. 730
Aquitaniæ tres Prouinciæ & cætera ad earum Hiſtoriam ſpectantia. 730
Aquitaniæ Reges vnctione & corona Regia per Archiepiſcopum Bituricenſem Bituris inſigniebantur. 87
Aranea epota cum ſanguine D. N. I. C. nihil nocet. 649
Arbaliſta ſeu arcubaliſta. 342
Arbertus Colonienſis Archiepiſcopus ſeu Heribertus. 170. 182. 205
Arbertus Claromontanus Ep. 714. 715
Arbertus Epiſcopus Carolum Simplicem inunxit in Regem. 201
Arbertus alius Epiſcopus. 164
Arbertus Abbas & Canonicus Podienſis. 651
Arbertus ex Monacho Caſæ-Dei Tripolitanus in Syria Epiſcopus. 641
Arbertus de Chanaco. 290
S. Arcadius Bituricenſis Archiep. 24. 25. 26. 366. 702
Arcadius Comes Pictauenſis. 281
Arcadius Princeps. 434
Arceiæ caſtrum ſeu Arceyanum oppidum. 509. 510. 514
Archambaldus ſeu Archembaudus Turonenſis Archiep. 205. 210
Archambaldus dominus Borbonienſis. 87
Archambaldus VII. de Borbonio. 338
Archambaldus Berruerius. 110
Archambaldus Decanus S. Stephani Bituricenſis. 109
Archembaldus S. Maxentij Abbas. 211
Archembaldus Solemniacenſis Abbas. 310. 322
Archambaldus de Combornio ſeu Vicecomes Combornenſis. 320. 323. 340
Archembaldus Combornenſium Vicecomes dictus Macellarius & Gamba putrida. 290. 283
Archambaldus II. Combornenſis & Ventadorenſis Vicecomes. 290
Archambaldus III. de Comborno. 290. 291
Archambaldus filius Brunicendis Vicecomes Combornenſis. 300
Archambaldus V. Vicecomes Combornenſis dictus barbatus vel longa barba. 282. 291
Archambaldus VI. Combornenſis. 291
Archambaldus de Felez. 316
Archambaldus de Rebeirac. 290. 307
Archambaldus Solaci dominus. 108
Archeſiæ vicus Niuernenſis Comitatus. 97
Archiacum caſtrum. 184. 258. 259
Archichorus. 283
Archiepiſcopales domus à Petro Archiepiſc. Bituric. reparatæ. 90
Archiepiſcopi & Epiſcopi Bituricenſi Patriarchæ Primati atque Archiepiſcopo ſubditi. 45
Archiflamines, ſeu Protoflamines. 4
Archiprotopapatus. 316
Arcusfractus ſuper littus Albæ fluuii. 603
Ardentes ſanati. 567
Ardeus Princeps. 416. 420. 422. 414
Ardincus, vide Arduinus.
Arduinus Archiep. Turonenſis. 203. 210
Arduinus Maſciacenſis Monachus. 735
Arduinus Italiæ Rex. 163. 164
Arduinus de Berbezillo. 258. 259
S. Aredius Abbas. 286. 292. 330. 339. 528. 673
S. Aredii Canonici. 284. vide Attanum ſeu Attanenſe Monaſterium.
Arenarum locus Petragoræ. 739
Argantomagum, Argantomum ſeu Argentonium caſtrum. 60. 157. 176. 286. 429. 431. 731
Argentacum villa. 663
Argentonium, vide Argantomagum.
Aricius Toloſæ Epiſcopus. 757
Aripertus Toloſæ Rex. 731
Armandus de Breſon Caſæ-Dei Abbas. 660

Armandus Polumniacenſis Vicecomes. 646
Armandus ſeu Armanus ex Priore Cluniacenſi Abbas Magnilocenſis. 301
Arnacum. 280. 281. 283. 285. 292. 296. 340
Arnaldus Vitrabrenſis Lemouicenſis Epiſc. 738
Arnaldus Rutenenſis Ep. 283. 537
Arnaldus Andegauenſis Abbas. 209
Arnaldus S. Illidii Abbas. 507
Arnaldus ſeu Arnaudus S. Leodegarii Abbas. 239. 240
Arnaldus Amaneu. 744. 748
Arnaldus Boſculus fortè Baſculus. 320
Arnaldus Bouratio ſeu Borracio filius nothus Bernardi Comitis Petracoricenſis. 166. 167. 253
Arnaldus Petracoricenſis Ep. 180. 183. 175. 176. 207. 268. 283. 295. 782. 794
Arnaldus Bernardi. 303
Arnaldus Engoliſmenſis Comes. 170
Arnaldus Manzer filius Vuillelmi ſectoris ferri Comitis Engoliſmenſis. 167
Arnaldus de Montoſario ſeu Montaſio. 257. 356
Arnaldus Vaſconum Princeps. 286
Arnaldus Duxapud Vaſcones, quibus montes Pyrenei vicini ſunt. 525
Arnotenſis vicus. 346
S. Arnulfi Metenſis Eccleſia. 160
Arnulfus Patriarcha Hieroſolymitanus. 216. 219
Arnulfus Remenſis Archiep. 757
Arnulfus Turonenſis Archiep. 206
Arnulfus de Berbezillo Sanctonenſis Ep. 208. 209. 294
Arnulfus Belin primus Theſaurarius Sacræ Capellæ Bituricenſis à Ioanne Duce fundatæ. 130
Arnulfus Odonis Regis Francorum filius. 164. 201
Arnulfus Flandriæ Comes. 166. 202
Arnulfus Virſionis dominus. 737
Arontus Saracenorum Rex. 155
Arpeta morbus. 218
Arpinus ſiue Harpinus Vicecomes vrbis Bituricenſis. 298
Arcendis ſeu Herſendis vxor Vuillelmi Toloſani Comitis. 535
Artaldus Tuſturiacenſis Abbas. 331
Artaldus priuignus Pontii Comitis Toloſani. 535
Artemius Archidiaconus Engoliſmenſis. 520
Artemius Defenſor. 520
Arthemius Redonenſis Ep. 16
Artigia eiúſque Priores. 270. 278. 279
Artonenſe S. Martini Capitulum in Aruernia. 754
Aruerna vrbs & Aruernum oppidum. 17. 24. 196. 709. & ſeqq. vbi eius deſcribuntur Eccleſiæ & altaria duobus libellis.
Aruernenſis Synodus. 23
Aruerniæ iurati. 340
Arueus ſiue Harueus aut Herueus Comes Arbatilicenſis filius Rainaldi. 161. 195. 197
Arueus ſiue Herueus de Leon. 327
Arueus Theſaurarius ſancti Martini Turonenſis. 176. 182
Arueus primus Abbas S. Michaëlis de Cluſa. 202
Aſcalonia capta. 297. 302. 308
Aſcho Abbas S. Michaëlis ad Eremum. 209
Aſcelinus Martis Laudunenſis Epiſcop. 167. 168. 204
S. Aſclepius Epiſcopus. 278. 286
Aſclepius Claromontanus Epiſcopus. 62. 63. 67. 697
Aſclepius Preſbyter. 665
Aſnenſe ſeu Aſnacenſe caſtrum in territorio Torennenſi. 526
Aſpremundum caſtrum. 187
Aſquec pater Canuti Regis Daniæ. 178
Aſſalida vxor Guidonis Vicecomitis de Albuſſo. 300
Aſſumptionis B. V. feſtum inſtitutum in Eccleſia Bituricenſi. 96
Aſtidius Voſienſis Abbas nepos S. Arjdii. 286
S. Athanaſius Alexandrinus Archiepiſc. 729
Atimot Rex Saracenorum. 154
S. Attalas ſeu Attalus Abbas. 98
Attila Rex Hunnorum. 17
Attiniacum oppidum Diœceſis Bituricenſis. 157
Attanum ſeu Attenenſe Monaſterium S. Aredii. 286. 292. 673
Auallotium. 586
Auaricum caput Regni Aquitanici. 196
Auario fluuius. 475
Aucaëtæ. 219
Audebertus Agennenſis Epiſco. 219. 645
Audebertus ſiue Aldebertus aut Hildebertus Bituricenſis Archiep. ex Dolenſi Abbate. 213. 214. 293. 294
Audebertus Comes Petracoricenſis & de Marchia. 208. 209. 213. 300. 304. 317. 323. 324
Audebertus Cadenerarius. 738
Audebertus de Roccamello. 756
Audegarius Monaſterii S. Martini Turonenſis Epiſcopus. 736
Audelandus Abbas. 602
Auditorium officialis Curiæ Biturigibus exſtructum. 144
S. Audoënus Rotomagenſis Archiep. 152. 192. 517
S. Audoëni Rotom. Abbatia data Cardinali Sedunenſi. 144
Audoinus Lemouicenſis Ep. 735. 738
Audoynus Petracoricenſis Ep. 761
Audulfus Abbas Monaſterii S. Maxentii. 193
Aue Blancha Vicecomitiſſa. 281
Auellinæ vrbis Ep. 320
S. Auentinus Trecenſis Ep. 349. 350. 552. 698
Auera fluuiolus. 39. 84. 358
Auginus S. Auſtregiſili pater. 35. 350
Auginus S. Deſiderati pater. 26
Auguranda vrbs. 96
Auguſta Vindelicorum. 168. 169
S. Auguſtini Lemouicenſe Monaſterium. 180. 277. 278. 286. 318. 528
S. Auguſtinus Hipponenſis Ep. 772
Auguſtus Imperator Rom. 177
Auilardus, vide Amblardus.
Auimonis Prior. 648
S. Auitus Viennenſis Archiep. 698
S. Auitus Abbas. 398. 469. 553. 700

Auitus Bituricenſis Archiep. 14
Auitus Ep. Claromontanus S. Præiecti ſucceſſor. 429. 501. 505 711
Aulatiacus villa prope Auguſtodunum. 355.
Aumodis, ſiue Almodis, aut Adelmodis ſoror & hæres Boſonis Comitis de Marchia. 213
S. Aunarius ſeu Aunacharius Ep. Autiſſiodorenſis. 37. 352. 363
S. Auolus Claromontanus Ep. 716
Auraica vrbs. 688
S. Aurea Virgo. 365 704
Aureæ vallis Canonici. 211
Aureliacum ſeu Aureliacenſe ſancti Geraldi Monaſterium. 169
Aurelianenſis I. Synodus. 20
Aurelianenſis II. Synodus. 22
Aurelianenſis III. Synodus. 24
Aurelianenſis V. Synodus. 28
Aurelianus Imperator Romæ. 427. 429
Aurelianus ſcriptor vitæ ſancti Martialis & Epiſcopus Lemouicenſis. 266
Aurelienſe Monaſterium ſancti Ioannis in Diœceſi Lemouicenſi. 560. 562
Aurelius vir Inluſter. 571. 572
Auremundus ſpiritalis filius & comes S. Iuniani ac poſt eius obitum vitæ ſcriptor. 573. 574. 575
Auricularius Regis ſigillum ſeu annulum cuſtodiebat. 26. 366
Aurius Vicus. 706
S. Auſonius primus Engoliſmenſis Ep. 249. 773
Auſtaldus Pictauenſis Ep. 463
Auſter ſenior de Mauroloco. 304
S. Auſtindus Auxitanus Archiepiſcopus. 598
S. Auſtregiſilus Archiepiſcopus Bituricenſis, eius corpus, Eccleſia de Caſtro, miracula. 20. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 86. 91. 124. 130. 345. 350. & ſequentibus fuſè. 700. 705
S. Auſtremonius Aruernorum primus Epiſcopus eiúſque Miracula & Tranſlationes. 482. & ſequentibus 709, & ſeqq.
S. Auſtriclinianus ſocius S. Martialis Lemouicenſis Epiſcopi. 266. 269. 285. 301. 474. 701. 769 771
S. Auſtroberta Virgo. 698
Auſtroberta nobilis fœmina. 17
Aubertus ſeu Audebertus Engoliſmenſis Ep. 200
Autberti ſeu Autbois Cameracenſe caſtrum. 123
S. Autmarus Ep. 706
Autiſſiodorenſis Chronici appendix. 392
Auua Regio Alamanniæ. 195
Auxianus Præpoſitus. 718
Auxitanenſis Archiep. 4. 597. 598
Axia ſeu Axiæ caſtellum. 282. 306
Axium ſiue Auxium ciuitas. 564. 596. 537
Aygolandus Saracenorum Rex. 63
S. Aygulfus ſeu Aiulfus aut Agiulfus Bituricenſis Archiep. 63. 66
Aygulfus S. Dionyſii Abbas. 193
Aygulfus è Bleſenſi caſtro oriundus Monachus Floriacenſis detulit reliquias S. Benedicti in Galliam. 55. 192. 193
Aymarus ſeu Ademarus Podienſis Epiſcopus. 81
Aymarus ſiue Ademarus Cluniacenſis Abbas. 203.
Aymericus ſiue Aimericus ex Abbate Caſæ-Dei Claromontanus Ep. 208. 219. 284. 648. 668
Aymericus Lemouicenſis Ep. 270 760
Aymericus Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum. 512
Aymericus Angeriacenſis Abbas. 179
Aymericus Abbas S. Martialis. 167
Aymericus S Maxentii Abbas. 211
Aymericus Præpoſitus de Chambon. 341
Aymericus Tabater Archidiaconus Abrincenſis. 239
Aymericus Preſbyter. 310
Aymericus de Axia. 282. 336
Aymericus de Archiaco. 83
Aymericus frater Alduini Lemouicenſis Ep. 171
Aymericus Bernardi miles de Biè. 317
Aymericus Bruhus fundator Cœnobii ad Altas valles. 325
Aymericus de Iarnac. 328
Aymericus de Lur. 317
Aymericus Maxedanenſis Dux. 171
Aymericus Ranconienſis Princeps. 181. 254. 260. 282
Aymericus Rocacardenſis Vicecomes. 177
Aymericus cognomento Oſtrofrancus de Rupe Cauardi filius Giraldi & nepos Fulcherii Vicecomitum Lemouicenſium. 306
Aymericus de Tendalu, Miles. 761
Aymo ſiue Aimo Bituricenſis Archiep. 12. 87. 88. 89. 740. 779. 780. 781. 782. 797
Aymo S. Ioannis Angeriacenſis & S. Cypriani Pictauenſis Abbas. 203
Aymo Abbas S. Martialis Lemouicenſis. 272
Aymoynus, vide ſupra Aimoinus.
Azanzinus mons. 302
Azenerius Maſciacenſis Abbas iuſſu Regis Roberti. 767. 772. 778. 783. 786. 797
Azymitæ. 215

B

S. Babolenus Diui Columbani diſcipulus. 71
Baccalaria ideem manſos habens. 278
Baccalarii Eccleſiæ. 129
Bacium ſeu Baciuum villa. 153
Badouinus ſeu Bardo de Coniaco. 258. 259. 260 261
S. Badulfus Epiſcopus. 701
Baguriacus fundus. 51. 452
Bajacenſe Monaſterium in Sanctonico pago. 181
Bainus Tarnacenſis Ep. 191
Baldechildis ſeu Bathildis Regina Francorum. 192. 697
S. Baldomerus vir Del. 698
S. Baldelius ſeu Baudelius. 699
Baldritus I. Rex Hieroſolymitanus frater Gothofredi. 293. 297
Balduinus II. de Burgo dictus Rex Hieroſ. 214. 216. 217. 218. 219. 220. 297
Balduinus III. Rex Hieroſolymitanus qui obiit apud Baruth. 297. 302. 308
Balduinus Leproſus IV. Rex Hieroſolymitanus. 297. 302. 308. 330. 336

Digitized by Google

S. Balsemius Martyr. 509
Bannum Gulferii de Turribus. 312
Bamberga. 171. 205
S. Baomirus, vide Baumirus.
Baptismus & manumissio in Monasterio S. Martialis Lemouicensis. 793
Barbam Longam à tempore S. Ludouici nutrire desierunt Reges Franciæ. 94
Barbedaurus Decanus Medij Monasterii in vrbe Bituricensi. 96
Barbansones seu Brabansones. 269. 270
Barnabas Magister Generalis Ordinis Prædicatorum. 513
Baronti Monachi visio. 193. 194
Barrium. 674
Barbarini Cordubæ Saraceni. 342
Barbasta. 211. 216
Barbeu seu Barbelli Cœnobium. 326
Barcillona seu Barcinona. 735
Bardelæ Abbatia. 89
Bardonus de Conniaco. 300. vide Badouinus.
Baretus Dux Normannorum. 163
Bariacum. 84. 698
S. Bartholomæus Apostolus. 5
Bartholomæus Caturcensis Ep. 760
Bartholomæus Laudunensis Ep. fundator Ordinis Præmonstratensis. 762
Bartholomæus Lauduni Thesaurarius. 88
Bartholomæus Prior de Chalax. 339
Bartholomæus Prior de Soulanis. 324. 326
Bartholomæus imo potiùs, Odo Arpinus Vicecomes vrbis Bituricensis. 298
Basculi siue Bascli populi. 323. 335
Bascus nepos Ludouici VII. Regis Galliæ Princeps vrbis de Vadoir. 316
Basnense Monasterium. 254
Basilius Imperator Græcorum. 169. 178. 181
S. Basolus auunculus S. Balsemi. 509. 704
Bastæ. 281
Baudouinus Sacerdos Carnotensis. 365
Baugarenses fines. 153
S. Bauo Confessor. 703
Baugarii seu baucoarii, aut Bajoarii. 731. 736
S. Baumirus seu baomirus. 508. 509
S. Baumardus per quem imbres defluunt. 286
S. Beata Virgo. 701
Beatrix filia Archambaldi Barbati Combornensis vxor Gaucelini de Petrabufferia. 300 303
Beatrix repudiata ab Ebalo Torennensi Vicecomite soror Ricardi Rotomagensis Ducis. 543. 544
Beatrix vxor Friderici I. Imperatoris filia Rainaldi Comitis Burgundiæ. 306
Becia insula. 200
Beda Venerabilis Magister. 157 772. 773
Bela Rex Hungariæ. 317
Bego Clarom. Ep. 715
Belcaire castrum. 321
Bellacum castrum. 170. 174
Bellifortis feodum. 90
Bellojocus castrum secus Monasterium S. Iuniani. 173
Bellus locus in Bria. 119
Belliloci Abbatia seu Monasterium in Diœcesi Lemouicensi. 67. 471. 286. 288. 788
Bellouagus seu Beluacus. 195
Bellouacense Concilium. 220
Belmundensis Ecclesia. 290
Belus pater Nini. 5
Benaugium castrum. 258
S. Benedicta Virgo. 704
S. Benedictus Cassinensis Abbas eius corpus delatum in Gallias. 22. 356. 192. 413. 701. 706
S. Benedicti super Ligerim Monachi Floriacenses. 183
S. Benedicti de Pino Cœnobium. 219
S. Benedictus Confessor in pago Pictauensi. 704. 729. 730
Benedictus VIII. Papa. 171. 177. 178. 181. 305. 281
Benedictus Chorepiscopus Ebli Lemouicensis Ep. 166. 167
Benedictus Anianæ Abbas. 64
Benedictus Clusæ S. Michaëlis Abbas. 778
Benedictus Vernier à quibusdam dictus Benedictinus ille Monachus Sansulpicianus cuius editus est Catalogus Archiep. Bituricensium à pag. 1. ad 150. vide paginam 426.
Beneplacitorum Euangelicorum ordo. 395
Beneuenti Cœnobium & Beneuentum. 282. 317. 683. 736
Beniamin Sanctonensis Episcopus. 757
S. Benignus Martyr. 705
Beibezillum. 258 259
Beraldus Comes Claromontis Dalphinus Arueniæ & dominus Mercorii. 761. 762
Beraldus Dalphinus dominus de Rupeforti. 762
Beraldus de Rancon. 282
Beraldus II. de Rancon Vicecomes Briderii. 282
Beraudus Prior S. Martialis Lemouicensis. 313
Beraudus de la Tour. 762
Bercorium opp. Pictonum. 733
Berengarius de Biterris Episcopus Hostiensis. 248
Berengarius Canonicus S. Martini Turonensis. 205. 207. 210. 212
Berengarius de Vendenas de Catalania. 337
Berengarius Magister Generalis Ordinis Prædicatorum & Archiep. Compostellanus. 265. 512. 513
Berengarius Tolosanus Comes. 158
Bergeriæ & Boueriæ. 90
Beria villa. 612
Beriacum, vide Bariacum.
Berlamus bituricensis Archiepiscopus. 63
S. Bernardus Clareuallensis Abbas. 86. 87. 289. 306. 702
B. Bernardus de Abbatis villa in tractu Pontiuensi ex Abbate S. Cypriani primus Abbas Tironensis in Pertico. 217. 218. 219. 733. 734
Bernardus biterrensis Ep. ac deinde Archiep. Narbonensis. 315. 340. 549
Bernardus Caturcensis Ep. ex Monacho Solemniacensi. 788
Bernardus Claromontanus Ep. 506
Bernardus de Sauena Lemouicensis Ep. 260. 270. 279
Bernardus Lemouicensis Episcop. 200
Bernardus Guidonis Ordinis Prædicatorum, Inquisitor fidei & Episcopus Lodouensis cum

cum libris eius & Epistolis pag. 511. 512. & seqq. & rursus p. 818
Bernardus Pictauensis Ep. 757
Bernardus Bruni Nouiomensis Ep. 761
Bernardus S. Aredii Decanus patruus Ademari nosonis Vicecomitis Lemouicensis. 300. 307. 308. 310. 339
Bernardus Prior Grandimontis. 681
Bernardus de Valons Abbas Casæ-Dei. 660.
Bernardus Ysarim Abbas Casæ-Dei. 660
Bernardus Condomensis Abbas. 219
Bernardus Iciodorensis Abbas. 506
Bernardus Grossus ex Priore Cluniacensi Abbas S. Martialis Lemou. 299. 301
Bernardus Abbas S. Maxentii. 205
Bernardus Sancti Sulpitii Bituricensis Abbas. 130
Bernardus Vicarius Abbas Terrassonensis. 306
Bernardus Tutellensis Abbas. 291. 339
Bernardus ex Præposito Tutellensi Abbas Vserchiensis. 732
Bernardus Bonæuallis. 324
Bernardus Vserchiensis Abbas. 305. 338
Bernardus de Albarocha Vserchiensis Abbas qui ad Obasinenses Ordinis Cistercensis transiit. 307
Bernardus Pisus Præpositus de Arnaco. 325
Bernardus S. Gemmæ Prior. 650
Bernardus de Reysat Grandimontensis cœnobita. 338
Bernardus auctor libri trium distinctionum de vita B. Roberti Abbatis Casæ-Dei. 650
Bernardus de Anduſa de Aleth. 290
Bernardus Atto 307
Bernardus de Baseliaco. 749
Bernardus Bigorrensis Comes. 748. 749
Bernardus de Brè. 288
Bernardus de Brideria. 306
Bernardus Vicecomes de Brossa. 282. 283
Bernardus & Fulco Vicecomites de Brocia. 318
Bernardus de Bru. 341
Bernardus de Castelnau. 290
Bernardus Chabrol. 283
Bernardus Dauric Satelles. 324
Bernardus Descopiat dominus de sancto Pardulfo. 282
Bernardus Iauilianus. 269
Bernardus de Iauarnas. 503
Bernardus Italiæ Rex Pipini filius Caroli M. nepos. 158
Bernardus Marchez auus maternus Gaufredi Prioris Vosiensis. 318
Bernardus patruus Ebali Combornensis Vicecomes. 291
Bernardus ex Vicecomite Combornensi Monachus Cluniacensis. 301
Bernardus de Marchia pater Aldeberti. 306
Bernardus Adalberti filius Comes Marchiæ. 174
Bernardus frater Aldeberti de Marchia. 342
Bernardus filius Aldeberti ex sorore Vvidonis Vicecomitis Lemouicensis. 166. 170
Bernardus Marchiæ Comes. 186. 187. 282
Bernardus filius Vvillelmi Comes Petracoricensis. 165. 166. 167. 252. 253
Bernardus frater Emenonis Comitis Pictauini. 160. 161. 197
Bernardus de Turribus. 325
Bernardus Vasconiæ Rex. 172
Berno ex Gigniacensi Cluniacensis Abbas. 71. 166. 201. 202. 733
Berno Burgulienſis Abbas. 233
Berosus Annii Viterbiensis. 3
Beata Berta. 560
Berta vxor Pipini breuis Regis Francorum. 734. 735
Berta vxor Heleni de Leon. 323
Berthenarius Abbas. 592
Bertherius sanatus à S. Pardulfo. 604
Bertillis Comitissa. 537
S. Bertinus Abbas. 705
Bertinus le Macre. 304
Bertoara Abbatissa. 38. 86. 353. 354. 364. 365
Bertoradus seu Berteradus Abbas S. Austregisili de Castro. 356. 357
Bertrada seu Berta vxor Pipini Breuis Regis Francorum. 156
Bertrandus Baptista Monachus Casæ-Dei. 649
Bertrandus Agennensis Ep. 276. 337. 338
Bertrandus de Born. 282. 337. 341
Bertrannus de Cardaillac. 500
Bertrannus Burdegalensis Archiepiscopus. 316. 317
Bertrandus de Gotho, vide Clemens V.
Bertrandus de Chanacó Archiepiscopus bituricensis & Cardinalis. 128. 129
Bertrandus de Chameiras. 341
Bertrandus de Malamorte. 300
Bertrandus Pictauensis Ep. 756
Bertrandus, vide Pontius.
Bertrandus Raiembaus. 328
Besua fons & Besuense Monasterium in Diœcesi Lingonensi. 605. 610. 611. 628. 633. 657
Beterræ seu Biterræ vrbs. 354
Bethelenus miserè periit accusator S. Austregisili. 36. 351. 352
Bethleemitica Ecclesia. 175. 273
Beuehem prouincia. 158. 188
Bichildis, vide Bithildis.
Bigorræ Comes dat singulis annis solidos. 60.
B. Mariæ de Podio. 748. 749
Bigorritana vrbs. 666
Biria seu Birra fluuius. 354
Bisantium de marsupio proferre. 550
Bisuntica vrbs dicta Chrysopolis. 628
Bissextilis annus. 342
Bithildis seu Bichildis Ardei Principis vxor furore & odio accensa in S. Leopardinum. 417. & sequentibus.
Bitogyges dictus Noe. 3
Bitutia Metropolis, Biturix, Bituris, Biturica à pag. prima ad 150. 317. & alibi sæpè.
Biturica capta à Pipino Rege. 157
Biturica vrbs ab Odone Arpino Regi Philippo I vendita. 298
Bituricæ fame vastatæ à Carolo-Caluo. 199
Bituricensis ciuitas inter alias Ducatus Aquitaniæ ciuitates primatum obtinet. 137
Bituricensis Primas. 731. & sæpe alibi.
Bituricensis cur dicta sedes sanctorum. 4

Bituricensis Vniuersitas à Rege Ludouico XI. erecta à Paulo II. Papa confirmatur & priuilegiis decoratur. 137.118
Bituricis in campo tenuit Synodum suam Pipinus Rex more solito cum omnibus Francis. 157
Bituricensia Concilia & Bituricensis Conuentus. 87.109.118. 120.122. 133.149.767.779.780.782.784.786.787.791.794.797
Bituriges & Biturici. 5. 4. 6. & sæpè deinceps.
Bladagii domus. 739
Blanca Regina vxor Ludouici qui nihil fecit. 167.204
S. Blandina Martyrium passa. 700
Blanca filia Comitis de Ioigniaco Virzionensis domina. 112
Blangiaci parochia. 386
blasphemare aliquid. 190
Blauianense seu Blauium castrum. 367
Blauia castrum. 154.173.184.187.259.731
Blauiacus villa. 614
Blausacum castrum. 327
Blesense castrum & territorium. 160.365
Bletum Prioratus Ordinis sancti Augustini. 114
S. Boamirus seu Baumirus. 469
Boamundus Apuliæ Dux & Princeps Antiochię. 214.215.217.218 285.293.297.299
Bobo Dux Frisonum. 154
Bobium Monasterium. 705
Bodilo. 56
Boënsis villa seu Villaboensis, 166.167
boleslauus Rex Sclauoniæ 168 169
Bologi quos vulgo Lemigas vocant. 601
Bomerii Ecclesia. 89
Bomniaci Prioratus. 731
Bonæ fidei Cartusia. 688
S. Bonifacius Martyr Archiepiscopus Moguntinus. 156.700.734
S. Bonitus Claromontanus Ep. 697.710
Boni viri dicti Grandimontenses Eremitæ. 675
Bononia scientiarum domina. 131
Bordeillæ castrum. 334
Boschitum in pago Tolosano. 541
Bosci Dagoberti Abbatia. 89
Boscus Alonis. 683
Boso 1304. vide Ademarus Lemouicensis Vicecomes.
Boso Santonensis Episcop. 208. 211. 260. 268
Boso de Chabanez Abbas Stirpensis. 308
Boso Vetulus Comes Marchiæ & Petracoricensis. 166.167 170.227.228.291.738.739
Boso II. frater Aldeberti Comitis Petracoricensis & Marchiensis. 170.171.173. 174.213
Boso de Grainol pater Heliæ Taleyrandi. 331
Boso filius Guillelmi Combornensis. 290
Boso Castelli Airaldi Vicecomes. 185
Boso Vicecomes de Torena. 281.300.306.307.308
Botauilla castrum. 184. 251.257
Botisclauus, vide Botesclauus.
Botto negotiator in vrbe Massilia. 736
Boueriæ & bergeriæ. 90
Bouiensis Abbas. 25. 367
Bouratio vnde dictus Arnardus Engolismensis Comes. 671
Brabantiones. 314.323.328.385
Brajacense Monasterium. 584
Brantomense Monasterium. 160.171.197.334
Brassacum castrum. 290
Breuiarium antiquum Bituricense. 32
brianſa fluuiolus cadens in Vigennam. 338
Bricia soror Rotildæ seu Rothidæ de Exigento. 282
S. Brictius Tur. Ep. 705
Briderense castrum, seu Briderium. 282.318
Brienconium. 691
Brictius infans Burdegalæ pilosus & barbatus. 218
Brigia riuulus. 508
S. Brigida Scotorum Abbatissa. 71.73
Brigunderium seu Briderium castrum. 282
Brioderius vicus. 38.354
Briona saltus in solo Biturico. 193
Brionensis saltus. 439.443
Briosensis terminus. 756
Briossium territorium in pago Pictauensi. 570.731
Brisca soror Sancii Ducis Vasconum. 172.206
Brisiacus locus & Brisiacum villa. 58.198
Britanniæ Aremoricæ Ducatus. 594
britharius Rex Turingorum. 570
Britones seu Britanni. 195
Briua Curreria. 286. 323.325.333.338
Briuate seu Briuatensis vicus. 568.750
Briuasacum Monasterium. 286
Briuense territorium. 269
Brictius Cubicularius B. Philippi bituricensis Archiepiscopi. 112
Brocia seu brucia castrum Vvidonis Lemouicensis Vicecomitis. 170
brosada castrum in terra Aruernens. 640
Brossæ seu Brociæ Vicecomes. 283
Brunicenda, vide Humberga.
Brunicenda filia Aimerici de Axia. 282
Brunicenda de Foix. 739
Brunichildis Regina Franciæ. 152. 591
S. Bruno Alemannus de Colonia Agrippinensi fundator Ordinis Cartusiani. 205. 289
Bruno Legatus S. R. Ecclesiæ. 217
Bruno siue Eusebius Andegauensis Episcopus. 209
Bruno siue Brunus frater Henrici II. Imperatoris Episcopus Augustanus. 168. 169. 182
Bruno Signiensis Episcop. 293.294.756
Brunus de nigro factus non albus. 318
Brutmundus Aruernensium Comes. 755
Budilio castrum Aruerniæ. 643
Bulgari & Bulgaria. 169
Bulos Cœnobium. 303
Burbo seu Burbonis castrum. 157.734
Burburetus villa. 613. 614.623
Burcardus Vvitzeburgensis Ep. 156
Burdegalæ Concilium. 212
Burdegalensis Archiepiscopus fatetur se subditum Bituricensi Archiepiscopo. 94
Burdegalensis Archiepiscopus. 4. 116
Burgulium seu Burgulense Monasterium. 173. 203.227.235.237
Burgus Dolensis. 321
Buro fluuius. 154
Buxa seu Buxia silua. 150. 152
Buxense seu Buxiacum S. Amantii Mona-

Digitized by Google

sterium. 170. 253
Buzenciacum oppidum. 392. 393. 730
Byzantina vrbs Regia. 316

C

CAbanensis seu Chabanensis honor. 171
Cabillonum seu Cabillo vrbs. 350
Cabillonense Concilium. 54
Cadomense Sancti Stephani Monasterium. 211
Cadunense cœnobium in agro Petracoricensi. 219
S. Cæciliæ sepulcrum. 131
Cælestinus IV. Papa. 563
S. Cælestinus V. Papa. 507
Cælestinorum ordo. 126
Cæsarauguſta vrbs Hispaniæ. 219
S. Cæsarius Arelatensis Archiepiscopus. 585. 701
S. Cæsarii eiusdem Regula. 57
Caino castrum. 225
Cairohensis Ecclesia. 161. 176
Cala Monasterium ad Matronam. 153
Calabrum vicus non longè à fluuio Dordoniæ inter Petragoricensium & Cadurcensium fines. 661. 662. 663. 664
Calagurris vrbs Hispaniæ. 698
Calais vicus. 651
Calculatorum error. 153
Calectricus Carnotensis Ep. 587
Caligæ seu calceamenta S. Eparchii. 184
Calixtus seu Callistus II. Papa ex Archiepiscopo Viennensi. 301
Calmelus Dux. 687. 688
Calmilium seu Calmeliacense cœnobium. 685. 676. 688
S. Calminius. 282
Calminius Senator. 502
Calpias seu Calpais pro Alpais. 153
Calnensis pagus. 361
Camalerias. 723
Camalerienses Canonici. 709
Calumiacum castrum. 218
Cambonense Monasterium sanctæ Valeriæ in D. Lemouicensi. 617. 706. 790
Cambocarii castellum. 167
Sanctus Camelianus Trecensis Episcop. 349. 350. 552
Campaniacum prædium in agro Pictauensi. 520. 731
Campilinarii castellum. 218
Campiones duo Stephanus & Vuillelmus decertant. 182
Campoceruina villa. 613
Camulum siue Camulus. 558
Canana seu Canaua. 352
Cancellarius Ecclesiæ Sancti Stephani est etiam Vniuersitatis Bituricensis Cancellarius. 137
Candelæ ardentes projectæ ab Episcopis & extinctæ in excommunicatione. 782
S. Candida Virgo. 702
Candida mater S. Stephani de Mureto fundatoris Ord. Grand. 275. 674
Candida Adalmodis mater. 218
Canonicorum Regula in Concilio Aquisgranensi. 158
Canonicorum nouorum Congregatio. 296
Cantela seu Chantellæ castrum. 95. 157. 731
Cantoenum. 711
SS. Cantius, Cantianus & Cantianilla Martyres. 698
Cantores S. Stephani Bituricensis & S. Sulpitii. 95. 96
Canutus Daniæ Rex seu Danemarcorum & Anglorum. 172. 178
Capdenacum. 287
Capella Caroli-Magni Aquis. 159
Capella Fulcherii. 642
Capella Gilonis. 67. 108. 394
Capella Ozæ. 349
Capella Sancta Biturigibus à Ioanne Bituticum Duce erecta & fundata. 129. 130
Capella S. Vrsini. 6
Capellani Regum Franciæ. 249. 250
Capetius dictus etiam reperitur Hugo magnus pater Hugonis Capeti Regis. 164
Capillos capitis abruptos in altum proiicere. 291
Capitolium in Sanctonica vrbe. 157. 182
Cappa Romana. 176
S. Caprasius Abbas. 700
S. Caprasius Martyr. 129. 530. 704
S. Capuanus Caturcensis Ep. 662
Caranta seu Carenta fluuius. 152. 755. 756
Carantonus fluuius. 519. 523
Carantomagus. 455
Carebriuæ vicus, vide Carobryæ.
Carentonium. 72. 89. 365
Carbonariæ locus in Pertico. 584
Caremuzellus filius senior, vt volunt, Senatoris Leocadii. 426
Carennacum. 647
S. Carilephus Monachus. 370. 469. 470. 471
Carisiacum villa. 155
Caritatis Monasterium seu Prioratus. 211. 321
Carlomannus Major-domus frater Pipini Cassinum matrem petiit. 734
Carlomannus Rex frater Caroli-Magni. 155. 156
Carlonensis patria. 522
Carmelitæ Bituricenses. 128
Carnotense Cœnobium. 220
Carobryæ vicus vbi obiit S. Phaletrus. 89. 90. 356. 437. 438. 705
Caroli loci Abbatia. 97. 104. 379
Carolus Magnus Francorum Rex & Romanorum Imperator. 60. 61. 85. 156. 157. 158. & alibi sæpè
Caroli-Magni corpus. 169. eius eleuatio. 314. eius natalis dies. 697
Carolus Martellus seu Tudes Major-domus Regiæ. 153. 154. 155. 602. 604. 608. 733
Carolus Caluus Rex Francorum & Imperator Romanorum. 160. 161. 162. 163. vnctus in Aquitaniæ Regem Lemouicis à Radulfo Archiepiscopo Bituricensi. 271
Carolus filius Caroli Calui Rex Aquitaniæ. 162
Carolus Simplex dictus Minor, insipiens & follus. 163. 164. 260. 617

Carolus & Ludouicus filius Caroli Ducis Lotharingiæ expulsi à Francis in Germaniam abeunt. 167. 168. 204
Carolus VII. Franciæ Rex dictus Rex Biturigensis. 113
Carolus Bituricensis Dux filius Caroli VII. Regis Francorum. 137
Carolus VIII. Francorum Rex. 324
Carolus de Cueilha. 763
Carolus de Rabeau. 437
Carolus Sausseius Decanus Aurelianensis. 150
Carolus de Tournon ex Abbate Casæ-Dei Ep. Viuariensis. 661
Carrajorum obseruatrix. 228
Carrarius campus. 171
Carrofense seu Carrofum vel S. Carrofi Monasterium. 165. 172. 194. 212. 361. Carrofus vnde dictus. 172
Carrofense Concilium aduersus Manichæos 184
Carrofense aliud Concilium. 764. 765. vide Karrofense.
Carta de pacto per alphabetum scripta & partita. 303
S. Carterii terra. 89
S. Carterius Presbyter. 698
Cartusianorum Ordo. 289
Carus fluuius. 371. 426
Casæ-Dei Monasterium in honore SS. Agricolæ & Vitalis dedicatum eiúsque Abbates. 208. 293. 637. 659. 660. & seqq.
Casalis Benedicti, vel vt quidam minus rectè scribunt, Casalis sancti Benedicti Monasterium, eiúsque Congregationis in melius instauratio. 82. 89. 140. 145. 213
S. Cassius Martyr. 714
Cassinum Monasterium S. Benedicti. 155
Cassius vir illustris. 486
Castaliensis domus Dei in territorio Lemouicensi. 219
Castellarium Cœnobium. 219
Castelleyrac. 291
Castellionis Ecclesia. 809
Castra Biturix castellum. 89
Castræ Dominus. 95
Castrum Aurardi. 84
Castrum nouum. 338
Castrum Radulfi. 73
Castus locus. 571. 574
Casula S. Vrsini primi Biturigum Archiep. 8
Cathedra lignea qua deportantur in primo ingressu Bituricenses Archiep. 95
Caualonum. 157
Cauarniacus villa. 616
Caue Fulberte. 164
Cauilo seu Cauellica vrbs. 693
Cautinus Aruernensis Archidiaconus. 500
Ceadragus Dux Abodritorum. 159
S. Celedonius Martyr. 698
Cella S. Eusicii super Carum fluuium. 371
Celon Castrum. 320
Celsus Presbyter. 564. 565
Celtarum summa Imperii apud Bituriges ex Liuio. 3
S. Censurius Episcopus Autissiodorensis. 700
Censuales solidi. 89
Centula Monasterium. 699
Cera sancti Martialis. 323
Cercheus seu Crescens locus supra Vvartimpam. 665
Cerdonum platea. 286
Cereslum oppidum. 657
S. Cessator Lemouicensis Episcop. 267. 286
Chabori. 269
Chalauei seu Chaliuei Abbatia. 89
Chambaretum. 286
Chambona Comitissa Aruerniæ. 761
Chalo de Pons. 314
Chalus, vide Chasius.
Chambolina parrochia. 327
Chambonium castrum seu Monasterium S. Valeriæ. 281. 285. vide Cambonum.
Chaminata seu Caminata. 281
Chargerius Capellanus. 281
Charibertus seu Caribertus Rex Francorum. 522
Chartosa cœnobium. 337
Charmiense Monasterium. 286. 289
Charobryæ, vide Carobryæ.
Chasiucet castrum non procul à Solemniaco. 303
Chalus-Chabrol castrum Lemouicensis pagi. 342
Chauanacum in territorio Lemouicensi. 561
Childebertus Rex Franciæ. 28. 363. 364. 371. 375. 469. 470. 508. 515. 585. 586
Childebertus Rex Austrasiæ. 152
Childebertus Iustus. 469. 470. 515
Childebrandus Dux Caroli Martelli germanus, & auunculus hoc est patruus Pipini Breuis Regis Francorum. 154. 155
Childericus I. Rex Francorum. 192
Childericus II. 193
Childericus III. frater Theoderici Calæ Regis Francorum exauctoratus. 155. 156
Chilpericus Rex Francorum. 153
Chonnophaldus seu Chramnoaldus. 37. 313
Chramnus filius Clotarii I. Francorum Regis. 517
Christianus Moguntinus Archiep. Frederici I. Romanorum Imperatoris Cancellarius. 314. 339
Chronica Ord. Eremitarum S. Augustini. 121. 122
Chrysopolitanus id est Vesontionensis Archiepiscopus. 628
Chucianus. 358
Chunoaldus siue Hunaldus Aquitaniæ Dux. 604. 605. 604
Chyriacum prædium. 614
Cifri seu Scyphi vitrei. 745
S. Cirici seu Cyrici Exoldunensis Ecclesia 89.
Claromonte eidem & matri eius S. Iullitæ dicata. 718
Cistercienses Obasinæ & Daloni. 328
Cladinus Comes. 157
Claisia fluuius. 367
Clara vxor Bernardi de la Porcheria. 300
S. Claræ Mbnialium Ecclesia Biturigibus. 140.
Clarius Ruthenensis Abbas. 558
Clarus mons siue Aruerna. 5. 194. 157. 292. 485. 709

Digitized by Google

Claromontenſis Eccleſiæ capitulum. 94. 709. & ſeqq.
Claromontanus Epiſcopus Decanus ſuffraganeorum Epiſcoporum Bituricenſis Metropoleos. 5
Claromontanæ Eccleſiæ. 709. & ſeqq.
Claromontanum Concilium. 110. 192. 193
Clarimontis villa Sanctæ Mariæ ſuper Exildolium. 315. 319
S. Clarus per quem ſerena tempora Tutelæ colitur. 286
S. Clarus Archiepiſcopus & Martyr. 700
S. Clarus Martyr in pago Vvlcaſſino. 705
Claſis ſeu Claſia aut Claiſia fluuius. 439. 441
Claudius de Beauxoncles Decanus Bituricenſis. 150
Claudius du Prat Mimatenſis Ep. 761
Claudius le Begue apud Virzinenſes iuridicundo Præfectus. 717
Claudius Robertus Lingonenſis Preſbyter. 365. 370
Claudius Tribunus imperante Trajano. 580
S. Clemens I. Papa. 4. 6. 131
Clemens II. Papa. 661
Clemens III. Papa. 682. 745. 777
Clemens V. Papa Bertrandus de Gotho Arch. Burdegalenſis. 122. 277
Clemens VII. Papa. 149
Clemens VII. Antipapa. 139
Clementia Comitiſſa Bigorrenſis. 749
Clocarium. 289
Clodio Crinitus Francorum Rex. 191. 192
S. Clodoaldus Preſbyter. 703
Clodoueus I. ſeu Magnus Rex Francorum Chriſtianiſſimus. 21. 151. 151. 250
Clodoueus II. Franciæ Rex. 191. 193
Clotarius I. Francorum Rex. 16. 193. 370. 469. 470. 515. 517. 570. 571
Clotarius II. Francorum Rex.
Clotarius III. Francorum Rex filius Clodouei qui fuit filius Dagoberti. 193
Clotildis ſiue Chrotildis Regina Franciæ vxor Clodouei Regis. 21
Cluniacum Monaſterium Cluniacenſis Abbatia, Cluniacenſes Monachi. 70. 71. 163. 201. 287
Cluſenſe ſancti Michaëlis cœnobium. 199. 200. 202
Cluſor portus. 412
Coacus caſtrum. 286
Coadunationes leproſorum inſtitutæ. 296
Colemptiæ riuulus. 687
Collectarium ſanctorum. 285. 328
Collocutorium. 640
Colliberti. 223. 227
Coloberum Monaſterium. 417. 418. 425
Colonia Agrippina. 314
Coloniacus locus. 571. 573. 578
S. Columba Virgo & Martyr. 706
Columba aurea in qua Dominicum Corpus habebatur. 336
S. Columbanus Abbas. 365. 705
Columbarienſe cœnobium. 25. aliud in Claromontana ciuitate. 722
Comani populi. 214
Combornenſes Vicecomites eorúmque genealogia. 290. 291
Combrallia prouincia. 270
Comes Palatii Regii. 193
Comodoliacum Monaſterium. 285. 312
Compendiacenſis locus. 495
Comptarii. 253
Conanus Comes de Redonis Britonum Dux 327
Conceptionis B. Mariæ Virginis dies ab Angelo deſignatur. 284
Conceptionis B. Mariæ ſorores in Hiſpania. 396
Conchæ, vide Conque.
Concilia Generalia ſex priora. 56
Concilia octo celebrata à Geraudo Engoliſmenſi Epiſcopo, Papæ primùm tum Antipapæ in Aquitania Legato. 259
Concilium in Francia ſub Gauzlino Bituricenſi Archiep. pro Apoſtolatu S. Martialis. 269
Condita Gabronenſis. 559
Condornenſe cœnobium. 219
Confeſſio dicta crypta inferior S. Auſtremonii. 507
Confluens Vvartampæ in Croſam, ſeu Crauſiam fluuium. 665
Confolentis honor & caſtrum. 173. 187. 213
Confratria. 174. 321
Coniacum caſtrum. 257. 258
Cono, vide Conradus.
Conquæ ſeu Conchacenſis vicus & Monaſterium in pago Ruthenico. 302. 531. & ſequentibus vbi de S. Fidis miraculis.
Conradus II. ſeu Cono aut Cuno Imperator Romanorum. 184
Conradus III. Imperator. 301. 306
Conſerannica ciuitas Pyrenæis Alpibus affinis. 588
Conſortia Eſonis vxor. 452
Conſtantia Regina Franciæ. 179. 660
Conſtantia Regina dicta filia Ludouici VI. ſeu Craſſi Regis Francorum vxor Raymundi Comitis Toloſani. 310
Conſtantia Conani Britonis filia vxor Gaufredi. 327
S. Conſtantianus Abbas. 515. 516
Conſtantienſe Concilium. 131
S. Conſtantinus Vapincenſis Epiſcopus. 699
Conſtantinus Copronymus Imperator. 60. 156
Conſtantinus Baſilii frater Imper. Græcorum. 181. 182
Conſtantinus S. Maxentii Abbas. 204
Conſtantinus Vſerchienſis Abbas. 283. 288
Conſtantinus de Born. 281. 337. 340. 341
Conſtantinus de la Chaſſaigna. 329
Conſtantinus de la Sana. 312
Conſtitutiones Ioannis Cordis & Antonii Bohieri Archiepiſcoporum Bituricenſium 135. 136. 144. 799. & ſequentibus vſque ad calcem voluminis.
Coquenſes milites. 260
Corbonnarum. 156
S. Coreodomus Martyr. 699
Corcolmum. 164. 201
Corduba & Cordubenſes Mauri. 169. 177. 205
S. Corentinus Epiſcopus. 434. 742
Coreſia fluuius. 323

Cormaricum Monasterium. 197. 200. 749
Corneliacum Monasterium. 82
Cornubiæ Dux & Prouincia. 198. 208
Cornucia castrum Archiep. Bitur. 113
Cornuuallus seu Gorneual Rex Danorum. 317
Coronæ Abbatia & Canonici. 261. 303. 325. 336
S. Coronatus Britannus Ep. 286. 310
Corrigia qua Christus ad columnam ligatus. 8
Coruſculus adoleſcens. 444. 445
Cuſtellegium locus. 576
Cotanciæ campus. 219
Cotarelli & Brabanciones. 318
Cotia ſilua. 153
Graciaci Eccleſia. 89
Cracouia. 168
Cramnulfus Comes Engoliſmenſis. 520
Crauſia ſeu Croſa fluuius. 426. 665
S Creſcens diſcipulus S. Pauli. 701
Creſcentius. 169. 205. 303
SS. Criſpinus & Criſpinianus Martyres. 704
Creſcentii caſtrum. 303
Criſpinus Præſes. 568
Crochildis ſeu Crotildis Regina vxor Theodorici Francorum Regis. 153
Crotildis, Vide Clotildis Regina.
Croſa ſiue Crauſia fluuius. 426. 665
Cruciata expeditio in Orientem. 293
Cruces in linteo altaris apparentes. 341
Crux aurea proceſſionalis. 184
Crucifixi imago in nubibus viſa Ademaro de nocte vigilanti. 194
S. Crucis Eccleſia Biturigibus. 10. 11
S. Crucis Aurelianenſis Eccleſia. 196
Cuba ſeu Cupa. 352
Cuprea tumba. 317
S. Cunebertus Ep. Coloniæ Agrippinæ. 705
Cumba Ferrieria. 299
S. Cuntherius Martyr. 698
Curbanus, Curbaranus, aut Curbalandus. 214. 215. 333. 334. 338
Curti. 215
Curthbertus Epiſcopus. 435. 438
Cymilla, ſeu Cemelia ciuitas. 699
S. Cypriani Pictauenſis Abbatia. 69. 160. 197
S. Cyprianus frater S. Sauini. 665. 666. 702
Cyprianus ſocius ſancti Sori. 481. 668. 669. 674. 706
S. Cyricus ſeu Ciricus Martyr. 704
Cyrinus Arabo Friſingenſis Ep. 729

D

DAcbertus Biturienſis Archiepiſcopus, vide Dagbertus.
Dacianus Præſes. 528
Dadonna fluuius. 84
Dæmonioſi curati. 347
Dagbertus ſeu Dacbertus Biturienſis Archiepiſcopus. 58. 84. 85. 86. 87. 172. 360. 362. 434. 713. 765
Dagobertus I Francorum Rex. 120. 345. 463
Dagobertus II. filius Childeberti Iuſti Francorum Regis 607
Dalmatius de Curia Abbas Caſæ-Dei. 660
Dalonenſe cœnobium Ordin. Ciſtercien. 219
Danamarci & Danamarcia. 172. 17
Daniël in Attiniaco mortuus. 73
Daniel Præpoſitus de Subterranea. 281
Daniſmannus Satrapa Saracenorum. 285. 297
Daocius Reuuiſii Abbas. 171
Dapiferi Engoliſmenſes excommunicati ab Epiſcopo. 256
S. Dauid Biturienſis Archiepiſcopus. 62. 63. 67
Dauid Scotorum Rex. 302
Dauid Abbas Carnotenſis. 755
Deas Monaſterium deſtructum. 161. 198
Debrieſonenſis mons. 690
Decius Imperator. 6. 426. 427
Defenſor Cenomanenſis Epiſcopus. 15
Defunctorum feſtum. 284
Deffendum Diœceſis Aginnenſis. 277
Degantia vini. 523
Delett Prioratus. 650
Depoſitio Preſbyteri quomodo facienda. 791
S. Deſideratus Claromontenſis Ep. 712
S. Deſideratus Biturienſis Archiepiſcopus. 25. 26. 27. 28. 366. 367
S. Deodatus Abbas. 365. 366
Deodatus ſocius S. Phaletri. 437
Deodatus Biturienſis Archiepiſcopus. 60. 61
S. Deſideratus Martyr. 26
Deodatus Theſaurarius Regis. 26
S. Deſiderius Abbas. 367. 368
Deſiderius Rex Langobardorum. 85. 734. 735
S. Deſiderius Viennenſis Archiep. 698
S. Deſiderius Lingonenſis Ep. 700
Deuſdedit Caturcenſis Epiſcopus. 283. 782. 786. 791. 797
Diluuium mirabile Sarlati in Petracoricenſi territorio. 315. 316
Dionyſia domina Dolenſis vxor Andreæ de Calueniaco. 740
S. Dionyſius Pariſienſis Epiſcopus. 427. 428. 457. 704. 774. 774
S. Dionyſii Monaſterium. 167. 205
S. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus. 773
Dionyſius Aruernenſis Ep. 436. 438
Dionyſius Cartuſianus. 92
S. Dionyſii Exoldunenſis Abbatia. 89
S. Piſciola neptis S. Saluii Albigenſis Ep. 732
Diuinus fatuorum. 533
Dinio caſtrum. 795
Docina ſoror Brunichildæ. 592
Dodo Andegauenſis Epiſcopus. 199. 200
Dolenſis Abbatia. 71. 72. 84. 87. 89. 96. 164. 201. 202. 425. 705. 741
Dolenſes Abbates à Bernone ad Iacobum Regium Biturienſem Archiepiſcopum. 212. 741. & ſeqq.
Dolum Monaſterium in Minori Britannia. 701
Dominica Sepultura. 149
Dominica Abbatiſſa. 593
Dominica ſeu Dominicalis villa in pago Remenſi. 757
Dominicani ſeu Prædicatores. 270
S Dominius. 286
S. Domitianus Abbas. 701
S. Domnolenus, eiuſque Eccleſia. 275. 286
S. Domnolus Cenomanenſis Epiſcop. 30. 472
Domus Dei Abbatia. 89
S. Donatus Preſbyter. 702

Digitized by Google

Doratensis Ecclesia. 567.684
Dorcassinus seu Durocassinus pagus. 697
Dordonia, seu Dorononia fluuius. 661
SS. Dormientium Historia à Gregorio Turonensi scripta dicitur ad Sulpitium Seuerum Bituricensem Archiep. 32.33
Dornoniæ insula. 184
Dosennac. 336
Douerensis Abbatia destructa. 67.737
Draoscio Rex. 736
Drogo Metensis Episcopus. 159.195
Drogo filius Pipini Vetuli. 153
Drogo Malliacensis Abbas. 211
Druydum Comites. 150
Duciculum vasculi vinarii. 558
S. Dulcardus Monachus 370.371.704
Dulciadus Comes Engolismensis. 522
S. Dulcidius Agennensis Episcopus. 530.531
Dulcissimus Agenni Episcopus. 286
Dunensis pagus. 587
Dunum castellum. 336
Dunum Regium. 131
Dura seu Duria villa. 157
Durandus seu Durannus aut Durantus Arnernorum Episcopus ex Abbate Casæ-Dei. 208.284.646.659
Durandus Caturcensis Ep. 87
Durandus Lemouicensis Ep. 270. 761
Durandus Anicensis Carpentarius. 339
Durantius S. Andreæ Claromontensis Abbas. 507
Durissimus ensis curtus. 167
Dusense Monasterium. 259
Duuius fluuius. 628

E

EBalus seu Oebalus Torennensis Vicecomes. 543. vide Ebolus seu Eblus.
Ebbo seu Ebo nobilis Bituricus Dolensis dominus primus. 71.72.73.164. 201.740
Ebbo II. Dolensis dominus. 740
Ebbo seu Ebo de Charanto seu Carentonio. 338
Ebilardus Saracenus. 735
Ebionitæ, vide Hebionitæ.
Eblena Aimerici de Ranconia vxor. 282
Eblus, vide Ebolus.
Ebolus Lemouicensis Episcopus Ebli Pictauini Comitis filius. 166. 170. 202. 203. 268
Ebolus Engolismensis Ep. 167. 252
Ebolus Decanus de Mauriac. 291
Ebolus tutellensis Abbas frater Raymundi de Torrena. 290. 305. 307
Ebolus, Ebalus, aut Eblus Ramnulfi filius manzer Pictauensis & Aruernicus Comes. 163. 165. 166. 199. 201. 202. 268. 756
Ebolus Combornensis Vicecomes frater Archambaldi Gamba putrida dicti. 175. 283. 290
Ebolus Contors seu Cantator. 291
Eboli duo Ventadorenses Comites. 300
Ebolus Vicecomes Ventadori. 290. 291. 300. 304. 331
Ebolus gratiosus in cantilenis seu Cantator; aut Contors. 321. 327
Ebolus Ventadorensis filius Eboli Cantoris. 308
Ebolus II. Ventadorensis Vicecomes. 290. 291
Ebolus III. Ventadorensis Vicecomes. 291
Ebolus dictus ex baptismo Archambaldus IV. Ventadorensis Vicecomes. 291
Ebolus V. Ventadorensis Vicecomes. 291
Ebolus Ventadorensis Vicecomes accepit habitum Monasticum in Cœnobio Grandimontensi. 329
Ebrardi. 85
Ebredunum ciuitas. 691
Ebroinus Pictauensis Episcopus. 195. 199
Ebroinus Bituricensis Archiepiscopus. 65
Ebroinus Decanus S. Frambaldi Siluanectensis. 560
Ebroinus Major Palatii Regii. 193. 704
Ebroliense seu Ebroilense Cœnobium. 205
Ecclesiæ intra & extra Bituricensem vrbem ad Archiepiscopum pertinentes. 89
Ecclesia S. Austregisili de Castro in suburbio Bituricensi. 20. 30. 31. 33. 40. &c.
Ecclesiarum Lemouicensium destructio. 333
Edmundus Douerensis Abbas. 70
Edessa vrbs Syriæ capta. 305
Ega seu Eganes Præfectus Aulæ Regiæ. 192
Egiathes pater S. Marcelli Martyris. 427. 428. 429
Egio Aurelianensis Episcopus. 196
Egisius vicus S. Petri. 560
Ego Comes fundator Monasterii S. Martini Masciacensis. 732
Egolisma, vide Engolisma.
Elauer fluuius, 488. 489
Eleazarus frater Bernardi Descopiat. 282
Eldeburgis vxor Gaufridi Nobilis Bituricensis Vicecomitis. 86
Eleemosynæ de Fisco palatii. 152
Eleemosynaria domus. 209
S. Eleusippus. 697
Elias Calesius. 282
Elias Scotigena, vide Helias.
S. Eligius Nouiomensis seu Vermandensis Ep. 192. 310. 365. 517. 518. 525. 706
Elis carens manibus & brachus. 327
Elisabeth vxor Philippi II. seu Augusti Francorum Regis. 325
S. Elpidius Ep. 703
Else locus, vbi S. Martialis Austriclinianum suscitauit à mortuis. 771
Elusana ciuitas à Vandalis destructa. 598
Elphinus Rameiensis Abbas. 284
Emanuel seu Emmanuel Comnenus Imperator Græcorum. 297. 316. 326
Emeno Pictauinus Comes & Engolismensis. 160. 162. 199. 251. 732.
S. Emerentiana collactanea S. Agnetis. 286
Emma Ducissa Aquitaniæ filia Tetbaldi Campanensis Comitis & Carnotensis. 167. 173. 203. 227. 228
Emma filia Ademari Vicecomitis Lemouicensis vxor Vuillelmi X. Ducis Aquitaniæ rapta à Vuillelmo Sectore ferri Comite Engolis. 300. 304
Emma vxor Bosonis Vetuli de Marchia. 170
Emma Vicecomitissa Lemouicensis. 174
S. Emmerannus Ep. 729
Engalcias filia Principis de Malamorte. 280. 281. 283.
Engelricus Podiensis Presbyter. 767
Engolismæ muri corruunt. 731
Engolismense Concilium. 319

Digitized by Google

Engoliſmenſes Epiſcopi & Comites. pag. 149. & ſequentibus.
Engoliſmenſis Epiſcopus Capellanus dicitur Regum Franciæ ex quo Ligerim ad partes Aquitaniæ tranſeunt. 263
Engoliſmæ, ſeu Egoliſmæ, aut Ecoliſmæ Patronus S. Eparchius. 151. 152
Engolinſis portus. 167
S. Epagathus Martyr Lugdunenſis. 700. 701
S. Eparchius eiúſque Monaſterium. 151. 152. 160. 161. 162. 165. 172. 183. 184. 197. 198. 200. 250. 319. & ſequentibus.
S. Epipodius Martyr. 699
Epitaphium Petri Bituricenſis Archiepiſcopi. 90. 91. & multorum aliorum ſuis locis reperiet Lector.
Epiſtola Henrici iunioris Regis Angliæ ad patrem. 319
Erchinoaldus Regis Franciæ ex genitrice conſanguineus, Major-domus Regiæ. 192. 193
Ergamunda domina de Narbona. 739
Eriſpoius filius Nomenoii Britonum Ducis. 160. 162. 197. 198. 200
Ermenarius Bituricenſis Archiep. 63
Ermenbertus Bituricenſis Archiep. 64. 65
Ermenfredus S. Maxentii Abbas. 202
Ermengaudus Comes Vrgellenſis. 171. 206
Ermenſendis vxor Vvillelmi Pinguis Aquitaniæ Ducis. 209. 210
Ermenſendis Comitiſſa Barcinonenſis. 178
Ernotrum, ſeu Arnotrum. 146. 349
Eroldus baptizatus cum Danis ſeu Normannis. 159
Erricus, vide Heiricus, aut Herricus.
Eſchiuatus pater Iordanis de Chabanez. 308. 323
Eſclauonia ſeu Sclauonia. 345
Eſcoſtajacum Lugdunenſe caſtrum, 647
Eſo Maſſiliæ Præfectus. 458
Eſo vir nobilis. 453
Eſtiualium. 291
Euahonenſis vicus. 432
Euarix, ſiue Euricus Rex Vveſegothorum. 17. 707. 722
Eucharius de Cluno caſtello. 284
S. Eucherius Lugdunenſis Archiepiſcopus. 705
S. Eudo S. Maximini Lirinenſis diſcipulus Calmelienſis Abbas. 688
Eudo Dux Aquitaniæ. 39. 40. 153. 154. 356. 358. 608
Euenna Bleſenſis Burgus. 465
Eufraſia Caroli-Magni filia. 62
Eufraſia Lemouicenſis Comitis Rotgerii vxor. 499. 755. 756. 757
S. Eugandus. 697
S. Eufronius Auguſtod. Ep. 702
S. Eufronius Turonenſis Archiep. 18
S. Eugeniæ Martyris baſilica. 377
Eugenius III. Papa. 88. 89. 305. 306
S. Eulalia Virgo & Martyr. 27
Eulodius Bituricenſis Archiep. 17. 18. 59
Eulogię dari ſolitæ fidelibus. 328
S. Euonii ſiue Yuonii caſtrum. 756
S. Euortius Aurelianenſis Ep. 196. 700. 703
Euphrania vxor Ademari de Breul. 313
Euphraſia & Euphraſius, vide Eufraſia & Eufronius.
S. Euprobus, ſeu Eutropius Ep. Santonenſis & M. 699
Euſebius Pamphili Cæſarienſis Archiepiſc. Chronici & Hiſtoriæ ſcriptor. 6. 11. 59. 425
Euſebius Arelatenſis fortè Aurelianenſis Ep. 413. 414
Euſebius Namnetenſis Ep. 16
S. Euſitius ſiue Euſicius, eiúſque miracula. 370. 371. 463. 464. & ſeqq.
Euſtachia vxor Vvillelmi Pinguis Ducis Aquitaniæ. 207
S. Euſtachius Bituricenſis Archiep. ex Archidiacono Auguſtodunenſi. 33
Euſtachius Bononiæ Comes frater Gotofridi & Balduini regum Hieroſolymitanorum. 214. 216. 293
Euſtachius ſeu potius Euſtachii filius Stephanus. 302
S. Euſtadiola, ſiue Stadiola Abbatiſſa. 55. 376. 377. 378. 700
S. Euſtadius Epiſcopus. 706
S. Euſtachius Abbas. 365. 692
Euſtorgia de Anduza. 290
Euſtorgia vxor Boſonis de Torenna. 306
Euſtorgius Lemouicenſis Ep. 269. 296. 301. 303. 304. 305. 311. 761
S. Eutropius Arauſicenſis Ep. 700
S. Eutropia Virgo. 706
Eutilius Comitiuæ adminiſtratione florens 666
B. Euulfi ſeu Ebrulfi Abbatis brachium. 560
S. Euurtius, vide Euortius.
Exaltatio ſanctæ Crucis. 152
Exandunenſe caſtrum & territorium ſiue Exandonenſis terra & pagus. 281. 287. 323. 333. 342. 361
Exarchatus Rauennæ. 156
Excommunicati à Papa abſoluti. 795
Excommunicati nobilis corpus quinquies ſepultum terra eiecit. 795
Excommunicatio ſeu interdictum. 171. & 790. ac ſequentibus.
Exidolii caſtrum & burgus. 313. 314. 317. 320. 330. 342
Exidolienſis Archipreſbyteratus. 738
Exoldunenſe caſtrum & Abbatia. 73. 704
S. Exuperius Epiſcopus Toloſanus. 703

F

FAlſati apices Apoſtolici. 292
Falteſtalium argentatum. 164
Faluius Hibernus Epiſcopus. 439. 442
S. Fara Virgo Abbatiſſa. 706
S. Farettus. 365. 705. vide Phaletrus.
S. Faterius. 432
S. Faro, vide Pharo.
Fauars Eccleſia. 286
Faufran ſeu Fanfran Monaſterium ſeptem leucis diſtans Cantuaria. 310
S. Fauſta Virgo & Martyr, eiúſque in pagum Lemouicenſem tranſlatio. 286. 526
Fauſtus Tarbæ Epiſcopus. 589
S. Fazeolus in Diœceſi Pictauenſi. 731
Federicus, vide Fredericus ſeu Fridericus.
Felicianus auus S. Eparchii. 519
Felicius Monachus. 197

S. Felix

S. Felix Claromontanus Ep. 718
S. Felix Bituricenſis Archiepiſcopus. 29. 30. 31
S. Felix Preſbyter. 699
Felix Aurcolus ſiue Oriolus Comes Petracoricenſis pater S. Eparchii. 151. 171. 519
Felix pater S. Iacobi Eremitæ. 393
S. Fercinta aut Ferrocincta Virgo & Martyr. 666
Ferdinandus ſeu Fernandus, aut Ferrandus Rex Caſtellæ. 317. vide etiam Fredolanus & Freelandus.
Feria ſexta ab adipe, Sabbato à carnibus abſtinere. 328
S Ferreola. 286
S. Ferreolus Lemouicenſis Epiſcopus. 267. 286. 527. 760
SS. Ferreolus & Ferrutianus Martyres. 700
S. Ferreolus Martyr. 568
Ferricus, vide Fredericus.
Feſcannum, vide Fiſcanium.
Feſcenninus Proconſul. 704
Feſtiacus, vide Teſtiacus.
Feuum, id eſt feodum ſeu feudum. 288
S. Fides Agennenſis Virgo, eiúſque Martyrium & maxima miracula apud Conchas in Diœceſi Ruthenenſi. 286. & 528. vſque ad 551
S. Fidolus Confeſſor. 551. & ſeqq.
Filiolatus & filiolus. 159
Fina ſeu Delphina vxor Radulfi de Eſcorallia. 390.
S. Firminus Epiſcopus. 701. 702. 703
Firminus de Brò. 295
Firmitas Humbaudi. 89
Firmitas ſuper Albam. 626
Fiſcalenſis Eccleſia. 109. 140
Fiſcanum ſeu Fiſcanenſe Cœnobium. 166. 170. 182. 202. 284
Flaucadus ſeu Flaocadus Major Palatii. 439. 440. 442
Flaciacus villa. 620
S. Flamina Martyr. 726
Flamines & Proto-flamines. 4
Flandrina matertera B. Philippi Berruerii Biturícenſis Archiepiſcopi. 110
S. Flauia Virgo & Martyr eiuſque corporis gleba. 177. 286. 312
S Flauiana Virgo. 704
Flauius Clemens Conſul. 286
Flexus villa. 612
S. Floregius Epiſcopus Aruernorum. 558
S. Florentia Virgo. 732
Flauianus ſubſtitutus in locum Forbii Podienſis Epiſcopi. 28
S. Florentius Martyr. 701
S. Florentius Ep. 699. 706
S. Florentius Preſbyter. 703
S. Florentii Monaſterium. 161. 203. 208
S. Florentii inſula in Ligeri. 196
S. Florentinus Atauſicanus Ep. 704
Flores Hiſtoriarum à Nino & Abrahamo vſque ad Natiuitatem Chriſti. 190
Floriacenſis Bibliotheca. 431
Floriacenſe Cœnobium ſeu S. Benedicti ſuper Ligerim. 55. 87. 192. 706. 743. 744
Floriacenſis villa in Comitatu Portuenſi. 614
Floriacus villa. 613
Focaudus ſeu Fulcaudus Epiſcopus Engoliſmenſis. 152
Foçaudus ſeu Fulcaudus Archiaci. 264
Follus ſiue inſipiens Carolus. 200. 201
Fontanella Cœnobium. 195. 701
Fontaneticum prælium in agro Autiſſiodorenſi. 60. 161. 197
Fontenaii dominus. 95
Fons S. Abrahæ Aruernis, in quem mergunt̃ infantes vt eiulatus ſiſtant. 719
Fontiſdulcis Cœnobium. 219
Fontis Ebraldi Abbatia. 216. 218
Fontis Gombaudi Monaſterium. 120. 215. 218
Fontis Ioannis Abbatia. 97. 379
Fontis Moriniaci Abbatia. 89
Fontis bena ſeu vena. 299
Forbius Anicienſium ſeu Podianorum Epiſcopus. 28
S. Fortunata Virgo. 286
S. Fortunatus Pictauorum Epiſcopus. 28
S. Fortunatus Diaconus. 699
Forefactum multri. 91
Forenſe territorium. 657
S. Formatus Diaconus. 704
Fortis Mancio Abbas. 748
Fortunatus Pictauenſis Ep. 700. 728. vide Venantius.
Foſſa noua Cœnobium. 551
Foſſatenſe Monaſterium dictum à S. Mauro. 71. 198
S. Fotinus, vide Photinus.
Fractabotum ſeu Fractumbotum caſtrum. 181. 254
Fraga per hyemem diuinitus conceſſa. 284
S. Frambaldus Abbas. 559. 560. 570
Franciſcæ locus quidam. 701
Franciſcus I. Francorum Rex per proditionem apud Papiam captus. 148
Franciſcus Buellius Biturícenſis Archiep. ex Theſaurario ſanctæ Capellæ. 145. 146. & ſeq.
Franciſcus Turnonius Archiepiſcopus Biturícenſis ex Ebredunenſi, deinde Auſcienſis ac tandem Lugdunenſis & S. R. E. Cardinalis. 148. 149. 150. 661
Franciſcus de Rupefulcodia Card. 707
Franciſcus Bruneau Preſbyter. 437
Franco Abbas S. Amantii. 170
Franco pater S. Probiani. 28
Francus & Vaſſus. 191
S. Fraternus Ep. 703
Fraxinidus villa in pago Belluacenſi. 755
Fredebertus Epiſcopus, vide Frodobertus.
Fredegiſus Claromontenſis Ep. 393
Fredegiſilus Dux Eudonis. 357
Fredegundis Regina. 152
Fredelanus ſeu Ferdinandus Rex Hiſpaniæ. 333
Fredericus ſeu Ferricus, vide Fridericus.
Freelandus Caſtellæ Rex. 210
Fridericus Imperator Romanorum. 306. 314. 316. 314. 342
Fridericus Abbas S. Florentii. 206. 209
Friſonum gens. 154
S. Fridolinus Hibernus Abbas. 730
Frobertus ſeu Frodobertus Abbas S. Florentii. 195
Frocci capellati abſque cuculla. 328
Frodebertus ſeu Fredebertus Epiſcopus Fran-

cię. 163. 165. 251
Frogerius Sagiensis Episcopus. 763
Fronciacum castrum. 184. 731
Fronimius Abbas. 666
S. Frontasii corpus. 737
Frontenus Episcopus Petracoricensis. 170
Frontennacum Monasterium. 702
S. Fronto seu Frontus Petracoricorum primus Episcopus & eius vita. 268. 770
S. Frontonis Basilica, Monasterium & podium prope vrbem Petracoricam. 219. 302. 737. 738. 740
Frontonius Episcopus Engolismensis. 520
Frontonius seruus Claudii Tribuni. 580
S. Frontus, vide Fronto.
Frotarius seu Froterius Burdegalensis primùm, tum Pictauensis ac Bituricensis Antistes. 68. 69. 199. 204. 447. 666
Frotarius Petracoricensis Ep. 737. 739. 764
Frotarius Carrofensis Abbas. 756
Frotgaudus Episcopus. 734
Fucinensis cella. 166
Fulbertus Carnotensis Ep. 173. 202. 205. 730
Fulbertus Abbas S. Martialis. 271. 272
Fulbertus Comes Signifer Caroli Simplicis Francorum Regis. 164
Fulcaldus seu Fulcaudus Engolismensis Ep. 165. 166. 167. 170
Fulcaudus de Bonaualle Petracoricensis Ep. & Prior Beneuenti. 760
Fulcaudus abbas Carrofensis. 757
Fulcaudus de Archiaco. 332
Fulcherius S. Carrofi Abbas. 172
Fulcherius Monachus S. Martialis Lemouic. 181
Fulcherius I. Vicecomes Lemouicensis præceptor Odonis Francorum Regis. 163. 300
Fulcherius de Peyrussa. 324. 341
Fulco Carcassonensis Ep. 283
Fulco abbas S. Hilarii Pictauensis & Regius Archicapellanus. 195. 578.
Fulco Nerra Andegauensis Comes. 170. 173. 182. 184. 185. 187. 188. 203. 204. 207. 208
Fulco Rechin Andegauensis Comes. 210. 211. 217
Fulco Andegauensis Comes & Rex Hierosolymitanus. 217. 297. 302
Fulco Engolismensis Comes. 257
Fulcrandus Carrofensis Abbas. 755. 756
Fulradus Abbas Capellanus Pipini Regis Francorum. 156
Funeribus defunctorum frequenter intererant S. Guillelmus & B. Philippus Biturigensis Archiepiscopi. 116
Furni calidi Biturigibus Ecclesia celeberrima vnde dicta. 22
Fursacus vicus. 285
S. Fuscianus Martyr. 706
S. Fursæus Abbas. 193. 697
S. Fuscolus Episcopus. 698
Fustinia turris in vibe vel castro Lemouicensi. 272

G

GAbalia seu Gabalitanus tractus. 687. 688. 689. 690
Gabata seu concha ex auro. 179
Gabatum oppidum. 444. 445
S. Gabriel Archangelus. 198. & seqq.
Gabriel Maria. vide Gilbertus Nicolai.
Gabriel de Castra vir nobilis. 134
Gabronensis condita. 559
Gagium pro delictis reddere. 291
Gaiferius Aquitaniæ Dux. 664. 731. vide Vvaifarius.
Galgisus. 195
Galida vini. 558
Galla Placidia. 692
S. Gallus Presbyter & Abbas. 698
S. Gallus Claromontanus Episcopus. 712. 714. 715. &c.
Galtandus Pontifex miraculum liberati Boamundi Antiochiæ Principis plenius descripsit. 297
Galterius Senonensis Archiep. 202
gamacha. 328
Gamba putrida cognomen Archembaldi Combornensis Vicecomitis. 285
Ganda seu Gandauum. 703
Gandengæ. 328
Gando. 193
ganteau arca sepulchri Apostolici S. Martialis. 294
Garactum & Garactense Cœnobium. 280. 285. 315. 714
Garbertus S. Maxentii Abbas. 202
garcilla vxor Bernardi de Malamort. 300
garcilla filia Hugonis garcini. 291
Gareradus Engolismensis. 181
garinus Bituricensis Archiepiscopus. 318. 325. 327. vide Guarinus.
garinus de Castello nouo. 516
S. garius apud Aruernos. 711
Garmundus Patriarcha Hierosolymitanus. 219
garnerius Somberoni dominus. 625
garnerius Abbas Majoris Monasterii. 740
garsias Reynier Monachus Rex Aragoniæ post cæsum fratrem suum Adelphonsum. 304
Garsias Casæ-Dei Abbas. 762
garsias nepos Vvillelmi Sancii Ducis Vasconum. 743
garsio seu garsias Castellæ Rex. 210
Gartempa seu Vvartempa fluuius. 285
gascones seu gasconi aut Vascones. 525. vide Vascones & Vasconia.
Gasconia Comitissa Petracoricensis. 739
Gastinenses seu Vvastinenses. 208
Gastinense nemus. 219
Gasto Gasconus. 214. 215
S. Gatianus primus Turonensis Archiepiscopus. 6. 482
Gaualdanum. 157
Gaualensis seu Gaualitana vrbs. 683. 697. 702
Gauandum castrum Agennensis Diœcesis. 739
Gauarciacum prædium. 571. 576
Gaubertus S. Iuliani Turonensis Abbas. 225
Gaubertus de Malamorte. 1300
Gaubertus Malafaida Vserchensis Abbas. 195. 198
Gaubertus Yciodorensis Abbas. 506. 507
Gaubertus Normannus. 296
Gaucelinus de Petra Butferia filius Petri. 282. 300. 303. 304
Gaucelinus miles. 224

Digitized by Google

Gaucelinus Noan Capellanus Abbatis. 299
S. gaucherius fundator Cœnobii S. Ioannis Aurelienſis in Diœceſi Lemouicenſi. 150 & ſeqq.
gaucherius de Salinis filius geraldi de Vienna. 306. 318.
gaudefridus fortis. 125. vide gaufridus.
S. gaudentius. 287
Gaudiacum Monaſterium. 365
gaudinus exſtruxit caſtrum de Ramefort. 321
gaufredus Burdegalenſis Archiepiſcopus. 308. 314
Gaufridus de Ponte Cheuron Decanus Pariſienſis electus Bituricenſis Archiepiſcopus. 119
gaufridus Carnotenſis Epiſcopus. 86
Gaufridus electus Lincolnienſis Epiſcopus manzer Henrici II. Regis Angliæ & Normanniæ Ducis. 335
Gaufridus Groſſus Monachus. 731. 734
gaufridus Poncellus ex Abbate primus Malleacenſis Epiſcopus. 248
gaufridus de Cauze Petragoricenſis Ep. 739
gaufredus S. Martialis Abbas. 300
gaufredus S. Maxentii Abbas. 210
Gaufredus primus Abbas Nouem fontium Ordinis Præmonſtratenſis. 762
gaufredus Monachus S. Martialis Lemouicenſis & Voſienſis Prior auctor excellentis Chronici quod primi emiſimus in lucem. 279. 280. 290
gaufredus de Molio Monachus S. Martialis. 289
Gaufredus de Fondonii Prior de Boneuento. 282
Gaufredus guiſchart publicæ ab Epiſcopo Pœnitentiæ curam gerens. 282
Gaufredus Martellus filius Fulconis Nerræ Andegauenſis Comes fundator Monaſterii S. Trinitatis Vindocinenſis. 168. 206. 207. 208. 210
Gaufredus Martellus Comes frater guidonis Epiſcopi Podienſis. 749
gaufredus Martellus iunior. 217
Gaufredus III. Martellus ſeu Plante-geneſt dictus, Comes Andegauenſis & Dux Normanniæ, maritus Mathildis Imperatricis & pater Henrici II. Angliæ Regis. 287. 297. 302
gaufridus filius Gaufridi Plantegeneſt, & Mathildis Imperatricis. 302
Gaufridus Britanniæ Comes filius Henrici II. Regis Angliæ & Alienoriſſæ. 327. 330. 332
Gaufredus Nobilis Vicecomes Bituricenſis. 57. 58. 85 86
gaufridus iunior Vicecomes Bituricenſis. 86
Gaufridus de Breul pater Gaufridi Prioris Voſienſis & Chronographi. 313
gaufridus ſeu Iosfredus Engoliſmenſis Comes. 257
Gaufredus Excidunenſis dominus. 740
gaufredus gaſconiæ Comes. 208
Gaufredus de Lezinia ſeu Leziniaco. 300. 324. 332. 338
gaufredus de Leziniaco dominus Voluenti & Marcuuenti. 238. 239. 240. 245
Gaufredus dominus de Melſano. 730
gaufredus de Nouoburgo frater Rotrodi Pertiſienſis. 318
gaufredus Panet occiſus. 324
Gaufredus de Rancone. 260. 261
Gaufredus Rudelli. 257
gaufredus Toarcenſis Vicecomes. 207. 731
gaufredus Virzionis dominus. 737
Gauterius Namnetenſis Ep. 206
S. gauterius ex Canonico Dorarenſi ſancti Petri Stirpenſis Abbas. 211. 213 284. 567
Gauterius Cluniacenſis Abbas. 323
gauterius Coorlandus. 209
Gauzbertus caſtri Malamortenſis Princeps. 175
Gauzbertus Chorepiſcopus Lemouicenſis lucri cauſa edidit vitam ſancti Frontonis Epiſcopi primi Petracoricenſis. 770
Gauzbertus Clericus frater Heliæ Comitis excommunicatus. 167
gauzbertus Cenomanenſis Comes. 162. 198
gauzbertus, vide Ioſbertus.
gauzelinus ſeu Gauzlinus ex Abbate S. Benedicti ſuper Ligerim Archiepiſcopus Bituricenſis, filius manzer Hugonis Caperi Regis Franciæ. 86. 87. 172. 175. 176. 180. 268. 269. 273. 768. 269. 772. 779
Gauzlinus Abbas S. Mauri ad Ligerim. 199. 200
S. Gayrenus frater S. Leodegarii Ep. Auguſtodunenſis. 193. vide Guarinus.
Gebbo Lugdunenſis Archiepiſcopus. 212
Geilo ſeu Geylo Lingonenſis Ep. 267. 271. 608. 610. 611. 617
Geitz ſeu Geitza Hungariæ Rex. 168
Gelaſius II. Papa Cluniaci obiit. 301
S. Gelaſius Pictauorum Ep. 728
gemeliacus vicus. 371. 372
Gemeticum Monaſterium. 731 736
geminiacum, vide germiniacum.
S. Gemma Virgo. 287
S. genardus. 731
S. Geneſii quatuor, 1. Arelatenſis. 2. Thiernenſis tutelaris, 3. Ep. Claromontanus, 4. Comes Claromontanus. 719 721
S. Gemmæ Prioratus in pago Sanctonico. 637. 650
Generoſus Abbas. 710
S. geneſii vicus. 321
S Genitus pater S. genulfi Caturcenſis Epiſcopi. 431
S. genius Martyr. 564. & ſeqq.
Gennabum vrbs ad Ligerim. 196
Gennadius Preſbyter. 32
Genoliacum Monaſterium in pago Petracorico. 481
S. genouefa Virgo. 17. 697. 704
gentiacum caſtrum, 170. 187. 188
gentiliacum villa. 157
S genulfus Caturcenſis Ep. 431. 700
S Georgia Virgo. 714
S. Georgii de Rama vrbs & Ep. 320. 738
Georgius Coluenerius Duacenſis Doctor. 410
Geralda vxor gulferii. 284
Geraldus Vulgrini Bitur Arch. vide Gerardus.
Geraldus Auxitanus Archiepiſcopus. 327
Geraldus ſeu Gerardus, vt quandoque ſcribitur, ex Epiſcopo Engoliſmenſi & Sedis Romanæ Eccleſiæ Legato Archiepiſcopus Bur-

degalenſis Petri Leonis Antipapæ eiuſque ſchiſmatis fautor acerrimus. 82. 83. 84. 212. 258. 259. 260. 261. 301. 303
Geraldus ſeu Gerardus de Artemala Engoliſmenſis Ep. 256. 257
Geraldus Cadurcenſis Epiſcopus. 176. 310. 317. 326. 327. 337. 340
Geraldus Epiſcopus Lemouicenſis Aldoini nepos. 175. 175. 176. 179. 180. 187. 268. 267
Geraldus ſeu Giraldus Lemouicenſis Ep. ex Decano S. Aredu Euſtorgii nepos. 269. 278. 305. 307. 310. 315. 317. 320. 321. 323. 324. 563
Geraldus Petracoricenſis Epiſcopus. 549
Geraldus S. Auguſtini Lemouicenſis Abbas. 289
Geraldus de Villareſes ex Monacho ſancti Martialis & Præpoſito S. Valerici Abbas ſancti Auguſtini. 297
Geraldus de Monte-claro Ciſtercienſis Abbas. 660
Geraldus de Miramonte Dalonenſis Abbas. 525
Geraldus Iterii Prior Grandimontenſis ſcripſit vitam S. Stephani de Mureto Ordin. fundatoris. 277
Geraldus Prior Grandimontis. 682
Geraldus Solemnacenſis Abbas. 767
Geraldus de Courtaillè Terraſſonenſis Abbas. 297
Geraldus de Mauſaco Terraſſonenſis Abbas 297
Geraldus de Scoraille Tutellenſis Abbas. 307
Geraldus de Laſtrada Voſienſis Abbas. 288. 290
Geraldus de Mirabel electus Vſerchienſis Abbas. 314
Geraldus Vſerchienſis Abbas. 288. 291. 295
Geraldus S. Aredii Decanus. 342
Geraldus Preſbyter de inſula. 286
Geraldus Capellanus S. Germani de Podio prope Biturigas ſanatus à S. Guillelmo Archiep. 100. 380
S. Geraldus ſeu Geraudus Comes Aureliacenſis. 163. 164. 166. 201. 271. 272. 280. 289. 651
S. Geraldi Eccleſia. 289
S. Geraldi Hoſpitale Lemouicæ. 308
Geraldus de Argentonio. 300
Geraldus Berruerius pater B. Philippi Archiepiſcop. Bituricenſis. 110
Geraldus & Iterius Bornar. 303
Geraldus filius Bernardi de Brè. 288
Geraldus de Croſent. 282
Geraldus de Courcillas miles d'Albuſſon. 306
Geraldus de Cardaillac. 304
Geraldus caſtri Guitardi dominus. 331
Geraldus Lemouicenſis Vicecomes. 166. 167. 300
Geraldus de Mirabel. 282. 327
Geraldus Malamortenſis. 300. 323
Geraldus de Petra bufferia. 342
Geraldus Rebara de Rancon. 282
Geraldus pater B. Roberti Caſæ-Dei Abbatis. 651
Geraldus de Turribus. 306
Geraldus de Venna. 643
Geraldus de Vienna pater Gaucherii de Salins frater Raynaldi Comitis Burgundiæ. 306. 338
Geraldus Rudel de Vercillac ſeu Bertillac. 303
Geraldus de Tremoil cuius ſoror nupta Girardo de Turribus. 341
Geraldus Comes zelo defenſionis Eccleſiæ ab infidelibus cæſus in prœlio gloriæ æternæ meritum adeptus. 195
Gerardus Vvlgrini Bituricenſis Archiepiſcopus. 106. 107. 108. 190
Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus, vide Geraldus.
Gerardus de Broſſa. 282. 283
S. Gerbaudus Epiſcopus. 560
Gerberga Regina vxor Ludouici Vltramarini. 166. 203
Gerberga ſoror Fulconis Comitis Andegauenſis. 172
Gerbertus, vide Silueſter II. Papa.
Gerbertus Rauennas Epiſcopus. 766
Gerbertus Aſſaillit Magiſter Hoſpitalis Hieroſolymitani. 316
S. Gereon Martyr. 704
Gerinus Pictauorum Comes frater S. Leodegarij. 730
S. Gerualdus Claromontanus Ep. 715
S. Germanus Autiſſiodorenſis Epiſcopus. 17. 32. 665. 697. 701
S. Germanus Pariſienſis Epiſcopus. 9. 29. 30 152. 250. 416. 700. 701
S. Germani de Pratis Abbatia. 85
S. Germani de Caſtro Eccleſia. 89
S. Germani de las Vergas. 298
Germanus Rothomagenſis Archiep. 161
Germiniacus villa. 37. 89. 352
Germundum caſtrum. 208. 213
Germundus Canonicus. 561
Gerontius ſeu Geruncus Bituricenſis Archiepiſc. 63. 70. 71. 72. 733
S. Gertrudis Virgo. 698
Geruaſius Andegauenſis Ep. 209
Geruaſius Berruerius. 110
Gerungus Hoſtiario palatii Magiſter. 159
Geſta Pontificalia Cenomanicæ vrbis. 471
Giacum. 84
Giberta ſeu Gilberta ſoror Gaufredi Andegauenſis Comitis. 254
S. Gilberti de Nouem-fontibus Abbatia Ord. Præmonſtratenſis. 752
Gilbertus Nicolai Ordinis S. Franciſci dictus Gabriel Maria. 394. 396. 409
Gilbertus Malamortenſis. 323
Gilbertus Comes de Meillau filius Raymundi Comitis & nepos Raymundi caput ſtupæ. 304
Gilbertus Porretanus Ep. Pictau. vide Giſlebertus, aut Girbertus.
Gildardus Rotomagenſis Archiep. 700
S. Gildaſius ſeu Gildas Abbas. 71. 72
S. Gildradus Preſbyter. 702
Gilo de Soliaco dominus. 340
Gilonis Capella Diœceſ. Bitur. 394
Gimel caſtrum. 286
Gimo ſancti Satyri dominus. 87
Giraldus, girardus, giraudus, vide geraldus, & geraudus.
girardus S. Albini Monachus. 220
girardus Aruernenſis Comes. 160. 161

Girardus de Blauia. 260
Giraudus Casalis-benedicti Abbas. 213
Girardus fundator Charitatis B. Mariæ super Ligerim. 211
Girardus seu Giraudus Legatus S. R. E. Engolismen. Ep. vide Geraldus.
Giraudus S. Florentii Abbas. 201
Giraldus de Gordonio Petracoricensis Episc. 738
Giraudus Hospitalis de Ierusalem. 219
Giraldus Magrefort miles. 311
Giraudus de Sala vir sanctus. 218. 219
Giraudus fundator Siluæ maioris. 212. 213
Girardus Yciodorensis Abbas à suis Monachis occisus. 506
Girbertus Arnaci Præpositus. 292
Girbertus seu Gaubertus primus Burgulensis Abbas. 203. 205
Girbertus Lemouicensis Ep. 760
Girbertus S. Maxentii Abbas. 204. 205
Girbertus, vide Gerbertus.
Girunda, seu Gerunda fluuius. 115
Girundæ dominus. 745
Gislardus seu Gisloardus pseudoepiscopus Namnetensis. 200
Cislebertus, vide Gilbertus.
Gislebertus I. & Gislebertus II. seu Gilbertus Porretanus Pictauensis Episcop. 175. 176. 186. 204. 206. 234. 263. 757. 764. 765
Gislebertus Abbas. 506
Gisulfus Rex. 203
Glanifolium seu Glannofolium. 71
Glatire catulorum more. 177
S. Goar Presbyter. 701
Godefridus seu Gothefredus vel Goffridus Bullionis Dux Lotharingiæ inferioris & Rex primus Hierosolymitanus. 81. 214. 215. 216. 293. 296. 297
Goderannus Malliacensis Abbas & Ep. Santonensis. 211 221. 230
Godefridus Lingonensis Ep. 86
Godo Pictauinus Episcopus. 200
Godolenus Nobiliacensis Abbas ad quem Vvlfinus Episcop. scripsit vitam B. Iuniani. 195. 569
Godoruilla. 164. 165. 201
Goffridus, vide Gaufridus, Godefridus & Gothofredus.
Goffridus qui & Guido Dux Aquitaniæ. 210. 211. 212
Goffridus Grisagonnella Andegauensis Comes. 203 204
Goffridus frater Fulconis Rechin. 210. 211
Goninus circulator. 147
S. Gonsaldus. 285
Gonsindus S. Martialis Abbas. 271. 285
Gontrannus rex, vide Guntramnus.
Gordonica seu Gordiana porta Bituricensi in vrbe. 102. 138
S. Gorgonius delatus in Gallias. 734
Gordonis, seu Gortonis castrum. 438. 705
Goscelinus Burdegalensis Archiep. 212
Goscelinus Tolosanus Episcopus. 327
Goscelinus Bituricensis Archipresbyter. 287
Gotafridus nepos Arnaldi Ducis Vasconiæ. 525
Gotefridus seu Gothofredus Francus Surdegalensis Archiepiscopus. 283. 284
Gothica tetra seu regio. 154
S. Gouardus, siue Guiardus Namnetensis Ep. 198. 200
Græcus cum carruca leporem capit, Prouerbium. 178
Grandimontensis Ordo, cremus, Prioratus, & Abbatia. 92. 275. 276. 379. 561. 681
Grandimontensis ordinis Priores & Abbates. 275. 276
Gratianopolitanensis Diœcesis. 289
Graucliua insula. 319
Grauio castellum. 729
S. Gregorius Turonensis Archiep. 20. 25. 29. 30. 31. 32. 152. 250. 425. 426. 432. 523
S. Gregorius I. dictus Magnus Papa & Anglorum Apostolus. 775. eius dialogi. 463. eius Ecclesia 175
Gregorius II. Papa seu potius III. 155
Gregorius V. Papa. 169. 766
Gregorius VII. Papa. 83. 89. 211
Gregorius IX. Papa. 59. 108. 112. 244. 245
Gregorius XI. Papa de domo de Belforti fuerat Major Archidiaconus Ecclesiæ Bituricensis. 128. 759
Gregorius Bechada de castro de Turribus scripsit materna lingua librum de Bello sacro, seu Hierosolymitano. 296
Gressus locus & Monasterium in Diœcesi Cenomanensi. 471 472
Grifo Dux frater Pipini Regis. 155. 156. 734
Grimo Abbas Corbonensis Monasterii. 155
Grinferius Catrofensis Abbas. 757
Gringualdus Comes & fundator Belli podii. 762
Grimoaldus filius Pipini Vetuli, siue Heristalli. 153
Grimoardus Engolismensis Ep. 170. 171. 175. 176. 181. 253. 765
Grimoardus ex Allodiorum Abbate Pictauinus Ep. 220
Grimoardi milites de Segur. 301
Gualterius Canicula. 633. vide Galtherius & Galterus.
Gualterus de Brugis Ordin. Minor. Episcop. Pictauensis. 734
Gualterius Portuensis Ep. 757
Guarcifer seu Guarcianus. 334
Guarinus de Girardo, seu Garinus Bituricensis Archiepiscopus. 92. 93. 94
Guayferius Dux Aquitaniæ. 58. 60
Guarnerius Lingonensis Ep. 617
Gudacher Prior Monasterii sancti Maxentii. 197
Guetinus seu Getinus Monachus, eiusque visio 195
Guialdus seu Guyardus Iudæus. 109
Guibaudus Engolismensis Ep. 252
Guibertus de Mirabel Vserchiensis Abbas, 307
Guitbertus Abbas Maioris Monasterii. 204
Guido de Crema, siue Octauianus Antipapa, 324
Guido Viennensis Archiepiscopus ac deinde Papa Callixtus II. 219 619
Guido de Soliaco Bituricensis Archiepiscop. Ordin. Prædicatorum. 119

Guido Lemouicenſis Epiſcopus. 295.766
Guido de Clauſello Lemouicenſis Ep. 270
Guido de Laron Lemouic. Ep. 269
Guido Petracoricenſis Ep. 282
Guido Podienſis ſeu Vallauenſis Ep. ex Abbate Cormaricenſi. 749. 750. 751
Guido de Nouavilla Sanctonenſis Ep. 760
Guido ſeu Guigo Valentinus Epiſcopus & Præpoſitus Anicienſis. 750. 751
Guido Sancti Auguſtini Lemouicenſis Abbas. 289
Guido Manzer dictus Bona borſa Abbas eiuſdem Cœnobii S. Auguſtini. 289
Guido Monaſterii noui Pictauienſis Abbas. 213
Guido Iuuenalis ex Monacho Caſalis Benedicti S. Sulpitii Bituricenſis Abbas. 142
Guido Sillus Illidianus Abbas. 714
Guido Prior de Bleto. 114
Guido Panta ex militibus de Rupe-Cauardi Monachus S. Martialis. 289
Guido de Solemniaco Monachus. 334
Guido Canonicus de Magalona. 291
Guido de Meillac Preſbyter. 324
Guido Vicecomes de Albuſſo. 300
Guido de Brè. 288. 341
Guido Flamenc. 281. 288. 300. 306
Guido de Ios ſuſpenſus. 334
Guido Larundenſis. 281
Guido I. Vicecomes Lemouicenſis. 300
Guido II. Vicecomes Lemouicenſis dictus Probus. 300
Guido Lemouicenſis Vicecomes, qui obiit Antiochiæ in itinere Hieroſolymitano. 306. 307
Guido Graula dictus ob deformitatem. 298. 299
Guido & Ademarus Vicecomites Lemouicenſes & alii eiuſdem nominis. 253. 268. 282. 304. 305. 306
Guido primogenitus filius Ademari Vicecomitis Lemouicenſis. 331
Guido filius Geraldi Vicecomitis Lemouicenſis. 300
Guido & Alduinus ſeniores de Nobiliaco nepotes Guidonis Geraldi & Vvlferii de Turribus. 518
Guido de Seueyrac. 304. 326
Guido de Turribus. 312
Guido de Turribus Niger. 280. 281. 283
Guido Groſſus filius Geraldi de Turribus. 306
Guido de Turribus vterque obiit in itinere Hieroſolymitano. 306
Guigo S. Martialis Lemouicenſis & S. Eparchii Engoliſmenſis Abbas. 272
Guillardus fortè Guiſcardus de Belloioco. 762
Guimo de Caſtelnou ſeu Caſtelnau. 341
Guinamundus Monachus Caſæ Dei ſculptor optimus. 738
Guindola & Ceraſa. 248
Guitardi caſtrum. 331
Gulpherius de Turribus ſenior obiit Hieroſolymis. 280. 281. 282. 293. 296. 307
Gulpherius de Turribus dictus Archambaldus. 290
Gulferius filius Mathildis Vicecom. de Torrena. 339
Gumbaldus Vaſconiæ Dux & Epiſcopus. 745. 744. 748
Gumbaldus Burdegalenſis Archiep. 170. 226. 764
Gumbaldus Engoliſmenſis Ep. 165
Gumbaldus ſancti Sauini primùm, tum Carroſenſis Abbas. 180. 755
Gundabertus Engoliſmenſis Ep. 205
Gundolandus Maiordomus. 153
S. Gundulfus Mediolanenſis Archiepiſcopus. 386. & ſeqq. 700
Gunnela vilis. 667
Guntrannus ſeu Gontrannus Francorum Rex. 32. 33. 35. 350. 363. 364. 455
Guyaldus, vide Guialdus Iudæus.
Guyomarus de Leon. 327

H

Hadrianus IV. Romanus Pontifex. 735
Hadrianus de Boiſy Cardinalis. 661
Hadrianus Valeſius. 151. 159
Harpinus Vicecomes Bituricenſis. 80
Haſſa fluuius. 735
Haſta ſeu potius Aſta vrbs Italiæ. 218. 735
Haymo ſeu Haimo, vide Aymo.
Hebionitæ hæretici ſeu Ebionitæ. 769
Hebron ſeu Euron vicus in Diœceſi Cenomanenſi. 515
Hecfridus Pictauenſis Epiſcopus. 199. 201
Hector Comes Aruernicus. 499
Heido Augienſis Abbas. 195
Heilolingus. 736
Henricus ſiue Herricus diſcipulus Heliæ Scotigenæ & Magiſter Remigii. 159
Helduinus, vide Hilduinus Comes.
Helena Conſtantini Magni Imper. mater. 175
Helena vxor Bertranni de Cardaillaco. 300
Helenus ſeu Alannus de Leon deſponſauit Azalizam ſororem Conani Ducis Britonum. 327
Helianenſis monera. 738
Helias ex Lemouicenſis Eccleſiæ Cantore Burdegalenſis Archiepiſcopus ab Archiepiſcopo Bituricenſi Primate ſuo confirmatus & conſecratus deinde vocatus à Capitulo Bituricenſi conſecrat S. Guillelmum & ſe Bituricenſi Eccleſiæ ſubiectum eſſe pronunciat. 95. 98. 268. 276
Helias Anicienſis Ep. 130
Helias Scotigena Engoliſmenſis Epiſcopus vir eruditus. 159. 162. 199. 251
Helias Pileti Petracoricenſis Ep. 740
Helias Santonenſis Ep. 238. 276
Helias de Malamorte Decanus ſancti Stephani Lemouicenſis. 271
Helias de Gimel Archidiaconus. 292
Helias Cadurcenſis Abbas. 219
Helias de Horto Prior Artigiæ. 278
Helias de Roſſiaco Monachus ſancti Martialis & Capellanus Henrici III. Regis Angliæ. 274
Helias de Coniaco. 262
Helias Flamenc. 300

Digitized by Google

Helias filius Lemouicensis Vicecomitis. 298
Helias Petracoricensis Comes filius Bosonis Vetuli Comitis de Marchia. 166. 167
Helias Bosonis II. filius Comes Petracoricensis. 174
Helias Rudellus Comes Petracoricensis. 738. 739
Helias Taleyrandus Comes Petracoricensis. 330. 331
Helionora Regina Franciæ tum Angliæ. 739. vide Alionora & Eleonora.
Helis filia Bernardi de Castelnau. 290
Helizachar seu Elisachar Abbas Ludouici Pij Imper. Cancellarius. 755
S. Helladius Presbyter. 699
Hemericus seu Haymericus sancti Ambrosii Bituricensis Abbas. 130
Henricus Albanensis S. R. E. Legatus. 326. 327. 330
Henricus de Soliaco Bituricensis Archiepiscopus Cardinalis ab Vrbano III. Papa institutus & Apostolicus Legatus per totam Bituricensem Prouinciam, excepto Dolensi Monasterio. 94. 95. 96. 97. 276. 340. 410. 682. 683
Henricus Lauaugourdus Bituricensis Archiepiscopus. 132
Henricus de Turre Claromontanus Ep. 712
Henricus Siluanectensis Ep. 560
Henricus ex Monacho Cluniacensi Vintoniensis in Anglia Episcopus. 100
Henricus Ludouicus Castanæus Rupipozeus Ep. Pictau. 718
Henricus I. Franciæ Rex filius Roberti piissimi Regis. 284. 755
Henricus I. Rex Germaniæ, seu vt Germani vocare solent, Imperator
Henricus II. Imperator. 170. 171. 172. 182. 205
Henricus III. Imperator 182. 209. 210
Henricus IV. Imperator. 209. 210. 217
Henricus V. Imperator cognomento Carolus. 217. 218. 302
Henricus VI. Imperator. 306
Henricus I. Angliæ Rex dictus Munificus. 216. 300. 302
Henricus II. Angliæ Rex è Comite Andegauensi & Duce Normanniæ maritus Alienoridis Aquitanicæ. 287. 290. 300. 308. 330. 332. 335. 338. 342. 682
Henricus Iunior Angliæ Rex coronatus, & ante patrem apud Martellum oppidum in Diœcesi Lemouicensi mortuus. 290. 319. 330. 331. 332. 334. 335. 136
Henricus Scotiæ Rex filius Dauidis. 317. 340
Henricus Diues siue Richardus Campaniæ Comes. 308 326. 336
Henricus filius Vuillelmi Tolosani Comitis & Arsendis. 536
Henricus de Lisigniaco. 328
Henricus d'Angoulesme Magnus Prior Galliæ. 662
Henricus Arsendis seu Hersendis, aut Arsendis Comitissa mater Helduini Comitis. 510
Henricus Senonensis Cœnobium. 730. 731
Heracleum marmor. 30
S. Heraclius Senon. Ep. 709
Heraclius Imperator Romanorum. 152
Heraclius Præses eiusque turris in castro Argantomagensi. 427. 428. 429. 431. 432
Heraclius Patriarcha Hierosolymitanus. 326
Herardus seu Heraldus Turonensis Archiepiscopus. 197. 200
Herbertus Turonensis Archiepiscopus. 202
Herbertus S. Sulpitii Bituricensis Abbas. 84
Herbertus Presbyter. 465
Herisburgum. 734
Herio seu Hero insula. 159. 160. 161. 198. 701. 731. nunc Nigrum Monasterium.
Herissonium oppidum. 438
Herluinus Beccensis Abbatiæ fundator. 211
S. Hermelandus Abbas. 698
Hermena mater S. Iacobi Eremitæ. 333
Hermena mater S. Aichadri. 731
Hermensul vel Irminsul idolum apud Saxones. 734
Hermenus Episcopus. 286
Herodes Ascalonita, Antipas siue Tetrarcha, & Agrippa. 775
Herpillinus frater senior sancti Iacobi Eremitæ. 393
Herueus Thesaurarius S. Martini. 199. 201
Herueus Virzionis dominus. 122. 737
Heuterius Lactorensis Episcopus. 566
Hiauræ lacus gurgites. 420. 421
Hiberniæ insula. 177
S. Hieronymus. 59. 767. 776
Hierosolymitani belli historia. 282
Hierusalem. 216. 282. 296
S. Hilarius Pictauensis Episc. 28. 29. 173. 209. 286. 571. 578. 697. 728
S. Hilarii Thesauraria. 173
S. Hilarii Monasterium. 209
S. Hilarius Arelatensis Archiepiscopus. 699
S. Hilarius Gabalensis Ep. 583
Hilbertus seu Hildebertus Fontanellensis Abbas. 195
Hildebertus Bituricensis Archiepiscopus, vide Aldebertus.
Hildebertus filius Arcadii suscitatus à S. Martino Turonensi Archiep. 285
Hildebrandus, vide Gregorius VII.
Hildegardis vxor Caroli Magni. 735
Hildegardis Regina. 195
Hildegardis Andegauorum Comitissa. 208
Hildegarius seu Hilderius Lemouicensis Episcopus. 156. 268. 300. 714. 764. 770
Hildephonsus seu Adelphonsus, aut Alfonsus Castellæ Rex. 210. 211. 214
Hildephonsus frater Sancii Rex Hispaniæ. 294
Hildericus Rex, vide Childericus.
Hildetrudis siue Hiltrudis. 155. 734
Hildinus primus Abbas S. Nicolai Andegauensis. 207
Hilduinus seu Helduinus Comes. 510
Hilduinus Lemouicensis Ep. 765
Hilduinus Thesaurarius S. Frambaldi Siluanectensis. 560
Hiltrudis, vide Hildetrudis.
B. Hippolyti Ecclesia & Monasterium Bituricibus. 8. 45. 118. 130. 458
Hispalis vrbs Beticæ. 411. 414
Hoel Namnetensis Comes. 210
Homicidæ voluntarii ad gradum altaris pro-

Digitized by Google

moueri non debent. 795
S. Honoratus Arelatensis Archiep. 697
S. Honoratus I. Bituricensis Archiep. 22
S. Honoratus II. Bituricensis Archiepiscopus 23
Honoratus Mediolanensis Archiepiscopus. 692
S. Honoratus Confessor. 705
S. Honorius Martyr. 392. 730
Honorius II. Papa. 303
Honorius III. Papa. 107. 108. 238. 239. 390. 391. 392
Horæ B. Mariæ Virginis. 292. 296
Hortarius armiger Ducis Stephani. 285
Hoscoburg castrum. 155
Hospitalarii Milites instituti. 296
Hostaticum. 188
S. Hubertus Episcopus. 700
S. Hostianus Eremita. 700
Hugbertus siue Hucbertus Sacrista Engolismensis. 258
Hugna Comitissa Montis Ferrandi. 762
Hugo ex Diensi Episcopo Lugdunensis Archiepiscopus & S. R. E. Legatus. 112. 218. 293. 294. 295. 756
Hugo Bituricensis Archiepiscopus. 73. 84. 203 204. 723
Hugo Damiani Prior S. Martialis & postea Rotomagensis Archiepiscopus. 282
Hugo Archiepiscopus Turonensis. 206
Hugo S. Andreæ in Scotia Episcopus. 340
Hugo Autissiodorensis Ep. 86
Hugo Claromontanus Ep. 115
Hugo Engolismensis Episcopus auctor libelli cuiusdam de Engolismensibus Episcopis. 170. 249. 250. 253. 264. 268. 764. 773
Hugo Genauensis Episcopus. 766
S. Hugo Gratianopolitanus Ep. 661
Hugo Lemouicensis Ep. 273
Hugo de Manhaco Lemouicensis Ep. 761
Hugo Niuernensis Ep. 87
Hugo Ruthenensis Ep. 340
Hugo Sedunensis Ep. 766
Hugo Danglars Casæ-Dei Abbas. 660
S. Hugo Cluniacensis Abbas. 209. 212. 217. 298
Hugo II. Cluniacensis Abbas. 218. 298
Hugo III. Cluniacensis Abbas. 313
Hugo Karrofensis seu sancti Carrofi Abbas. 209. 757
Hugo de Mortuomari Figeacensis Abbas. 321
Hugo S. Leodegarii supra Seuerim Abbas. 211
Hugo S. Martialis Abbas. 176. 181. 283. 309. 768
Hugo Præmonstratensis Ecclesiæ primus Abbas. 761
Hugo Tironensis Abbas. 218
Hugo de Porcaria Vserchiensis Abbas. 307.
Hugo Decanus & Abbas Yciodorensis. 506
Hugo Magnus siue Albus Dux Franciæ pater Capeti Regis. 85. 203
Hugo Niger Dux Burgundiæ. 203. 336. 337
Hugo Capetius, Capetus, aut Caputius dictus Rex Franciæ pater Roberti Pii. 85. 167. 169. 204. 205. 272. 290. 737
Hugo Magnus Rex filius Roberti Pii, ante patrem mortuus. 164. 284
Hugo magnus Comes Viromandensis filius Henrici I. Regis Francorum. 210. 214. 215. 293
Hugo des Baux. 304
Hugo Cabilonensis. 300
Hugo siue Guido de Cardaillac. 300
Hugo de Castellione. 752
Hugo Cenomanensis Comes. 182. 214
Hugo Dalphini frater Roberti Comitis Claromontani. 763
Hugo Excafridus. 542
Hugo Garcini. 291
Hugo Brunus dominus castri Leziniaci. 206. 238. 244
Hugo Chiliarchus dominus Liziniaci. 185. 186. 187. 188. 189
Hugo Diabolus de Liziniaco. 210. 218
Hugo Pius de Lizigniaco. 210
Hugo Venator. 218
Hugo Comes de Marchia. 238. 244. 328
Hugo de Montboissier dictus Descouuat Cœnobium sancti Michaëlis de Cluſa condidit primus. 301
Hugo Capellanus percussor Iudæi in Pascha Tolosæ. 177
Hugo Capellanus castri de Naues. 385
Hugo Menardus Ordin. S. Benedicti. 439
Hu..., Ruthenensis Ep. 106
Humatus Bituricensis Archiep. 21. 22
Humbaldus Lemouicensis Ep. depositus ab Vrbano II. Papa laicaliter inter laicos deinde vixit. 291. 292. 294. 295
Humbaudus Decanus sancti Stephani. 92
Humberga ex baptismo dicta vulgo Brunicenda, filia Ademari Vicecomitis Lemouicensis. 291
Humberga vxor Gaufredi de Leziniaco. 300
Humberga vxor Gerardi Larundensis. 281
Humbertus Archidiaconus Bituricensis electus Archiepiscopus. 94
Humbertus Andegauensis Ep. 206
Humbertus Lemouicæ sedis Canonicus. 561
Humbertus Malliacensis Abbas. 208
Humbertus Bituricensis Comes. 61
Hunaldus siue Hunoaldus, aut Chunoaldus Dux Aquitaniæ. 155. 285. 601. 664. 731
Hungaria siue Hunia. 168. 170. 736
Hunia siue Hungaria. 736
Hyberniæ quatuor Reguli. 317
Hymnus de S. Martiale ab Iuone factus. 297
Hyscioma villa. 615

I

IAcob primus Abbas Cormarienſis. 200
S. Iacobi Apostoli Ecclesia à Carolo Magno exstructa. 62
S. Iacobus Eremita. 67. 393. 705
Iacobus Patriarcha Hierosolymitanus. 436. 438
Iacobus Regius Bituricensis Archiep. 150
Iacobus de sancto Nectario Abbas Casæ-Dei vltimus regularis. 661
Iacobus Bergomensis. 121
Iacobus de Brolio Archidiaconus Bituricensis 149

Iacobus de Voragine Ord. Prædicatorum, ciuſque compilatio. 512
Iacobus de Aueſnes. 319
Iacobus Cordis Biturícus Regii Fiſci Argentarius. 133
Iacobus Puteanus Prior S. Saluatoris. 190
Ianua pro Genua vel Geneua. 703
Ianauenſe territorium. 352
Ianuarius Preſbyter. 38.354
Iannua in Petragorico. 281
Iarnacum caſtrum. 251
Iberia ſiue Hiberia. 170
Iciodorum. 725. vide Yciodorum.
Icon aurea S. Martialis. 272
Ignis Sabbati ſancti Hieroſolymis & in die Aſſumptionis B. Mariæ Virginis. 216. 219
Ignis ſubterranei lues in Aquitania. 292
Ignis plaga. 272
Ildefonſus Rex Aragoniæ frater Petri. 217. 219. vide Adelfonſus, Alfonſus & Hildefonſus.
S. Illidii Claromontenſis Abbatia. 131. 647. 708.714 & ſeqq.
Illuſor, vide S. Luſor.
Illo, vide Iſſus.
Imago B. Virginis Mariæ de Bonis Nunciis. 145
Imo ſancti Iuniani Abbas. 207
Sancta Imperia. 286
Incendia Biturícenſis vrbis. 116. 122. 127. 138. 140
Incendia multa variis locis. 180
Inciſa petra caſtrum. 499.506
Incloatus mulus. 302
Indominicata Eccleſia. 715
Infantes de Schola. 335
Infernales Duces. 171
Ingelberga vxor Vvillelmi Pij Aquitaniæ Ducis. 733
Ingla fluuius. 665
Ingo Maſciacenſis Abbas. 733
Ingreſſus Archiepiſcopi in vrbem Biturícenſem. 95
S. Iniurioſus Senator. 716
SS. Innocentium Eccleſia Pariſius. 309
Innocentius II. Papa. 87. 303
Innocentius III. Papa. 101. 390
Innocentius IV. Papa. 114. 135
Innocentius VI. Papa. 760
S. Innocentius Cenomanenſis Epiſcopus. 469. 470 471. 508. 515. 559
Inquiſitionis officium. 512
Inſula Sequanæ ſex millibus diſtans ab vrbe Trecenſi. 553
Intercœlis Romæ turris. 169
Interdictum. 171. vide Excommunicatio.
B. Ioanna de Francia Ludouici XI. filia Ludouici XII. coniux Regina Franciæ & Dux Biturigum. 394. 395. & ſeqq.
Ioanna Regina Siciliæ vxor Vvillelmi II. Regis & filia Henrici II. Regis Anglorum. 299
Ioanna de Bolonia Comitiſſa Claromontenſis. 763
Ioanna de Foreſa Comitiſſa Claromontana. 761
Ioanna de Maſeriis domina Virzionis. 122
S. Ioannis Eccleſia dicta de Campis nunc intra vrbem Biturícenſem. 43.138
S Ioannis Baſilica prope Cabilonem. 35. 350
S. Ioannis Baptiſtæ caput Angeriaci inuentum, ab eoque dictum Angeriacenſe Sancti Ioannis Monaſterium. 160. 178. 179. 196.197
S Ioannes Preſbyter vir Dei. 697
Ioannes X. Papa. 269
Ioannes XIX. ſeu XX. Papa, eiúſque Epiſtola. 767.768. 779. 780.797
Ioannes XXII. Papa. 181. 182. 248. 277. 512. 513
Ioannes de Struma Antipapa. 324
Ioannes Cardinalis titulo S. Marci & S. R. E. Legatus. 276.682
Ioannes Cardinalis Diaconus. 756
Ioannes & Benedictus Cardinales S. R. E. Legati. 216
Ioannes Cordis Archiep. Biturícenſis filius Iacobi Cordis Regii Argentarii. 133. 134. 135. 136.138.139.141
Ioannes de Rupe Cauardi Archiepiſcopus Biturícenſis & Cardinalis. 129
Ioannes de Soliaco Biturícenſis Archiep. 118. 119.122
Ioannes de Sæcli Archiepiſcopus Burdegalenſis. 263
Ioannes Lugdunenſis Archiepiſcopus ex Pictauenſi Ep. 340
Ioannes Barthonis ex Lemouicenſi Ep. Nazarienſis Archiepiſcopus. 760
Ioannes S. Andreæ Epiſcopus. 340
Ioannes Abrincenſis Epiſcopus Regis Ludouici XI. Confeſſor. 138
Ioannes Ebroicenſis Epiſcopus Regis Ludouici XI. Confeſſor. 9
Ioannes de Langeac Lemouicenſis Ep. 760
Ioannes de Veyrac ſeu Veirat Lemouicenſis Epiſc. 270. 274. 315
Ioannes Niuernenſis Epiſcopus. 337. 338. 340
Ioannes Petracoricenſis Epiſcopus. 317. 318. 330
Ioannes Daſida Petracoricenſis Ep. 719
Ioannes Chandorati ex Abbate Caſæ-Dei Podienſis ſeu Vallauenſis Ep. 660
Ioannes Epiſcopus & Eremita. 202
Ioannes à Monte-maiore Abbas. 134
Ioannes Abbas S. Gilberti de Nouemfontibus Ordin. Præmon. 752
Ioannes S. Sulpitii Abbas. 120
Ioannes Fernandes ſeu Phernandus Monachus Caſalis-Benedicti vir doctus. 41. 54
Ioannes Trithemius Ordinis S. Benedicti. 41. 121
Ioannes Solitarius. 192
Ioannes Annius Ordin. Prædicatorum Apoſtolici Palatii Magiſter. 396
Ioannes Ferrarienſis Ordinis Prædicatorum Apoſtolici Palatii Magiſter. 396
Ioannes Iacobus de Cambray Decanus Eccleſiæ Biturícenſis. 150
Ioannes Thomas Cancellarius Biturícenſis. 123
Ioannes de Stampis Canonicus S. Capellæ Biturícenſis. 110
Ioannes de Soliaco Canonicus Biturícenſis. 119

Ioannes de Eculento. 119
Ioannes de Pommerolis. 130
Ioannes de Sancto Verano. 119
Ioannes Barniæ Archidiaconus Barienſis ſcripſit de Tranſlatione reliquiarum S. Nicolai è Myrenſi vrbe in Apuliam 289
Ioannes Liriacenſis Canonicus & Preſbyter. 385
Ioannes Preſbyter vulgò dictus regnis imperans magnis. 316
Ioannes Comnenus Græcorum Imperator. 219
Ioannes Dux Biturigum Ioannis Regis Franciæ filius. 71. 127. 128. 129. 130
Ioannes de Britanniâ, Comes Pentebriæ & Petracoricenſis, Vicecomes Lemouicenſis. 761
Ioannes Claromontanus Comes Delphinus Aruerniæ. 762
Ioannes Fortis de Ternis. 126
Ioannes Beguin primus Doctor Vniuerſitatis Bituricenſis. 138
Ioannes Beſlyus. 190
Ioannes Boucherus. 29
Ioannes de Caſana. 314
Ioannes Chenutius Bituricenſis Cauſſidicus. 150. 426
Ioannes de Cortils in Mari Hiſtoriarum. 20
Ioannes Pelourde ciuis Bituricenſis. 128
Ioannes Sauaro Præſes Claromon. 707
Iocerannus Lingonenſis Ep. 619
Ioculatores fatui. 315
Iocundiacum ſiue Iogunciacum, aut Iogenciacum palatium Regium in Lemouicino. 159. 266
Iocundius Preſbyter. 16
Iocundus Princeps pater S. Aredii. 286
Ionas Abbas ſecundùm inſtituta Sancti Columbani. 365
Ionzacum. 718
Iopila palatium Regium. 157
Iordana filia Boſonis Comitis Petracoricenſis. 291
Iordana vxor Archambaldi Vicecomitiſſa Combornenſis. 300. 341
Iordanus de Laron Lemouicenſis Epiſcopus ex Præpoſito S. Leonardi. 176. 180. 181. 184. 268. 269. 281. 381. 766. 779. 781. 782. 787. 797
Iordanus de Monte Buxerio ſiue de Monboiſſiet Abbas Caſæ-Dei. 284. 301. 664
Iordanus Princeps Cabanenſis ſiue de Chabanez. 173. 308
Iordanus frater nothus Iordani Prncipis Cabannenſis. 173
Iordanus Eſchiuat. 260
Iornenſis vallis. 493
Ioſbertus Monachus S. Martialis. 272
Ioſbertus Dolenſis Monachus. 410
Ioſcelinus Partheniacenſis. 185
Ioſcio Bertinianus Monachus. 410
Ioſeph Regis Pipini Apocriſiarius & Tiernenſis Cœnobii Abbas. 502
Ioſfredus vide Gaufredus & Goffridus.
Ioſfredus S. Martialis Abbas. 170. 172. 173. 176. 177. 178. 179
Ioſfredus filius Vvillelmi Comitis Engoliſmenſis. 172. 181. 184
Ioſfredus frater Alduini Comitis Engoliſmenſis. 116
Ioſfredus de Nouoburgo. 327
Ioſfredus Toarcenſis Vicecomes. 185
Ioſfredus Theſaurarius S. Martialis. 161. 285. 312
Ioſfredus ſiue Goſſenus, aut Gauzlenus Sueſſionenſis Epiſcopus. 86. 88
S. Iouini Monaſterium. 207
S. Iouinus Abbas. 733
S. Iouinianus Lector & Martyr. 693
Ireſca regio. 177
S. Irenæus Archiepiſcopus Lugduni. 700. 701
Irlandia inſula ſeu Hybernia. 177
Iſarnus de Lois. 317
Iſcarfredus. 282
Iſambertus ſeu Iſembertus Pictauenſis Ep. 176. 180. 184. 186. 206. 207. 209. 212. 283. 756. 778. 781
Iſembertus Abbas S. Martialis. 274. 321. 323. 324. 325. 326. 331. 335. 340. 342
Iſera ſeu Iſara fluuius. 155
Iſla in territorio Viuarienſi. 750
Iſſus ſiue Iſſo aut Illo Sanctonenſis. 175. 176. 180. 181. 184. 208. 268. 283. 284. 765
B. Iſrael Doratenſis in Marchia Canonicus. 566. 567
Iſſoldunenſe caſtrum. 737
S. Iterii Aiacenſis Eccleſia. 85
Iterius Lemouicenſis Ep. 281. 284. 287
Iterius Chabotius Lemouicen. Epiſcop. 269
Iterius Miles de Axia. 313
Iterius del Barri miles caſtelli de Axia. 289
Iterius Bernac filius Gaucelini de Petra Bufferia. 319
Iterius de Coniaco. 264
Iterius de Villaboë ſeu Princeps de Villâ Boënſi. 166. 260. 261
Iudæi Imaginem Chriſti deludentes. 177
Iudæi lapidibus impetiti Biterris in Hebdomada Dominicæ Paſſionis. 306. 307
Iudæi expulſi & occiſi. 174. 293
Iudæus puer ope B. Virginis Mariæ ab igne liberatus Biturigibus. 21
S. Iudicael Britonum Dux. 192
Iudicium totius Eccleſiæ maximè in Apoſtolicâ Romana ſede reſidet. 796
Iudith Auguſta Vvelfi Comitis filia vxor Ludouici Pii Imperatoris. 158. 161. 197
S. Iulia Virgo & Martyr. 701
S. Iulianus Cenomanenſis Ep. eiuſque corpus tranſlatum. 6. 33. 63. 71. 130. 774
S. Iuliani Biturigibus Eccleſia. 33. & Clarom. 712
S. Iuliani Briuatenſis Theſaurarius & Eccleſia. 638. 659. 722
S. Iulita mater S. Cirici. 718
Iulius II. Romanus Pontifex. 394. 596
Iulius Cæſar Imperator. 4
Iulii Flori Prologus in Flores Hiſtoriarum. 190
S. Iunianus Confeſſor. 161. 173. 195. 277. 385. 312. 569. & ſequentibus. 731
Iuo Carnotenſis Ep. 712
S. Iuniani Monaſterium. 161. 173
Iuo Cluniacenſis Prior vitam ſancti Pardulfi ſcripſit cultiore ſtylo. 297
Iurenſia loca. 698
S. Iuſtina Virgo. 285

Iustinianus Imperator. 25
S. Iustinus Martyr. 704
S. Iustinus Confessor. 579. & seqq.
S. Iustus Comes Sancti Vrsini Bituricensis Archiepiscopi. 6. 410. 457. 462
S. Iustus Lugdunensis Archiepiscop. 702
Iustus Archidiaconus discipulus sancti Illidii. 716
S. Iustus discipulus S. Hilarii Pictauensis Episcopi. 286
Iustus Carrofensis Abbas. 755
Ixium Cœnobium. 565

K

KArolus Martellus. 194. vide Carolus.
Karolus Magnus & Karolomannus, vide supra Carolus.
Karoffum super fluuium Carentæ in agro Pictauensi & Karrofense Cœnobium à Rotgario Principe fundatum. 755. & seqq. 764. 765. vide Carrofum.
karrofense Concilium Prouinciale celebratum ab Henrico Archiepiscopo Bituricensi. 96. Alia vide supra in lit. C
Karrofulum. 495. 506
Kasiacum seu Casiacum castrum. 186. 188. 189

L

LAban pater S. Sacerdotis Lemouicensis Episcopi. 661. 665
Laborans Cardinalis. 753
Lac Beatæ Virginis Mariæ eiúsque duo sotulares. 266
Lactora ciuitas Vasconiæ. 327. 564. 700
Ladicius Proconsul. 665
S. Lætus Presbyter. 570. 705
Lambertus ex Abbate Fontanellensi Archiep. Lugdunensis. 193
Lambertus ex Abbate & conditore Cœnobii de Corona Episcopus Engolismensis. 161. 262. 265. 303. 305
Lambertus Dux Biturigum suppositicius. 63
Lambertus Namnetensium Comes. 160. 161. 162. 195. 197. 198
Lambertus Vicecomes Martiliacensis. 162. 165
Lembertus Fauentinas. 323
Lampredæ seu Lampetræ. 745
Lancea D. N. I. Christi Antiochiæ reperta. 214
Lancelinus ex Abbate Casæ Dei Valentinus Ep. 660
Landarius, vide Landrarius.
Landeisi Abbatiæ in Diœcesi situr. 80
Landericus seu Landricus Major Palatii Regis. 152
Landericus Parisiensis Episcopus. 192
Landratius Bituricensis Archiep. 58. 59
Landricus Santonensis Comes. 160. 162. 199. 267
Landricus, Vide Landericus.
Lanfredus à Pipino captus. 156
Lanfridus Mausiacensis Abbas. 495. 505
Languritus. 194
Lantarius Senator & Comes Lemouicen. 600
Lantiliacum rus. 613
Lapis monumenti Christi Domini. 175
Lardarium dies Martis ante Cineres. 334
Latiniacense Monasterium. 193
B. Laudouera Regina Francorum. 560
S. Laudus cuius reliquiæ in Lemouicino. 286
S. Launomarus Abbas. 370. 697
S. Launomari Cœnobium Blæsis. 218
Launus siue Launo ex Archidiacono Archiep. Bituricensis. 72. 73. 735. 740
Launus Engolismensis Ep. 250
Launus pater Ebbonis Dolensis Domini. 740
S. Laurentii Basilica Parisius. 586
S. Laurentii Ecclesia extra muros Romæ. 29
S. Laurentii Monasterium Biturigibus. 62. 63. 142 699. & seqq.
S. Laurianus Hispalensis Ep. & Martyr. 39. 358. 363. 411. & seqq. 701
Lauroium castrum. 513
Lauterius Comes Lemouicen. 724
Lauterna riuus prope Ruthenicam ciuitatem. 475
S. Lazarus à Christo excitatus. 706
Leander Albertus Ord. Prædic. 119
Leerius filius Geraldi de Brossa. 283
Legardis matertera Stephani Episcopi. 733
Legionensis vrbs in Armorica. 198
Legontius Cantor. 46
Lemeegisilus Abbas Hensionensis. 731
Lemoiallus ager. 519
Lemigæ seu boligi & fortè Boleti. 601
Lemouica. 157
Lemouicensis Ecclesia prima inter Ecclesias Galliæ. 766
Lemouicensis castri incendium. 317. 318
Lemouicensis generalis Conuentus. 266
Lemouicensia Concilia. 327. 756. 766. & seqq.
Lemouicenses Episcopi à pag. 265. & seqq.
S. Leo Senonensis Archiep. 699
S. Leo Bituricensis Archiepiscopus. 15. 16
Leo III. Papa. 194. 757
S. Leo IX. Papa. 659. 755
Leo X. Papa. 145. 194. 395. & seqq.
S. Leo Episcopus Britannus. 286. 310
S. Leo Confessor in territorio Trecassino. 700
S. Leo Confessor Meloduni. 705
Leo à serpente liberatus memor beneficii accepti erga liberatorem. 293
Leobenum Monasterium. 286
S. Leobinus Carnotensis Ep. 370. 582. 703. 730
S Leobonus Confessor. 205
S. Leocadius Senator Romanus. 73. 425. 426. 458. 459
Leodebodus S. Aniani Aurelianensis Abbas. 192
Leodebodus Presbyter. 38
S. Leodegarius Augustodunensis Episcop. & Martyr. 58. 193. 285. 704. 730
S. Leodegarii super Seuera Cœnobium, 203
Leodegarius Archiep. Bituricen. 81. 82. 88. 214
S. Leogontia Virgo. 714
S. Leogontius Episcop. Claromontanus. 725
S. Leonardus Confessor eiúsque villa siue oppidum & Ecclesia. 179. 180. 278. 285. 297. 370. 705
Leonardus successor S. Eusitii. 371. 376
S. Leonardus Recluſus prope Majus Mon. 725
Leonastes. 38. 354
S. Leonilla Martyr. 679
S. Leontius comes in exilio S. Hilarii Pictauen. Episcopi. 730

S. Leopardinus Monachus & Martyr. 87. 371. 415. & sequentibus fusè. 704
Leotherius Bituricensis Archiep. 13
Leporarius canis. 295
Leprosium oppidum seu vicus eiúsque Ecclesia. 9. 89. 444. 446. 447
Leprosorum coadunationes seu Leprosariæ. 296
S. Lerianus seu Lecianus à S. Phaletro sanitati restitutus. 436. 438
S. Leubatius seu Leobatius Abbas. 696
Leuitania prouincia. 666
Lexouiensis Ecclesia Cathedralis B. Vrsino Biturigum Antistiti dicata. 9. 10. 138
S. Liberalis. 286
S. Liberatæ Ecclesia. 645
Liber vitæ Clericorum. 158
Liber de regimine Principum. 121
Libri de Palatio Regis concessi Ansegiso Metensi Diacono. 158
Libros propria manu scribere. 736
S. Licerius Coseranensis Ep. 588. & seqq.
Licodaldus Abbas Millebecci. 194
S. Lifardus Confessor. 370. 700
Liframnus Præpositus Monasterii S. Radulfi. 603
Ligeris seu Liger fluuius. 414
S. Liminius Martyr. 714
S. Linguinus Confessor. 714
Ligno fluuius. 627
Lignum S. Crucis. 172
Lineriarum Dominus in Biturico. 95
Lippia fluuius. 154, 735
Lirinum Monasterium & Lirinus insula. 583
Liriacensis Ecclesia. 385
Lisoius Manichæus. 181
Litanię Pictauicæ Illustrissimi Domini Ludouici Rupipozzi Episcopi Pictauensis. 395. 728. & seqq.
Literius Monachus Cormaricensis. 212
Littorius Comes. 597
Liziniacum seu Leziniacum castrum. 185. 187. 206
S. Lizinnius seu Licinius Andegauensis Ep. 698
Lobar seu le Bar Dux grassatorum. 323. 324. 326. 342
Loccæ castrum siue vrbs. 155
Locus Regius Cœnobium Ordin. Cisterciensis. 87. 89. 96
Lococigiacense Monasterium. 729
Lodomarus. 37. 353
Lodouensium Episcoporum Chronica incatenata in choro Cathedralis eiusdem vrbis Ecclesiæ ante sedem Episcopalem. 513
Lodoica siue Ludouica mater Francisci I. Regis Francorum. 148
Lomania. 327
Longolatæ. 157
Longoretus seu Longoretense Cœnobium. 367. 439. 443
Longobardi siue Langobardi. 182
Losdunum castrum. 168. 173. 204
Lotharius I. Imperator & Rex Medianæ Galliæ. 160. 161. 162. 198
Lotharius Rex. 166. 167
Lubeliacus villa. 165
Lucaniacus vicus. 698
Lucas de Marsayo Prior de Arduno. 248
Lucaense Monasterium super Angerem. 696. vide Loccæ castrum.
Lucania. 198
Lucia filia Bernardi Marchez mater Gaufredi Prioris Vosiensis & Historici. 318
B. Luciæ Virginis & Martyris caput. 144
S. Lucianus. 774. 697
Lucionnus seu Lucionense castrum & cœnobium. 161. 199. 211
Lucius III. Papa. 327. 331. 342
Lucius Imperialis. 199
Lucius filius Principis Iudæorum. 491. 492
Lucius piscis ab aquila delatus. 666
Lucogiacum S. Martini Monasterium. 666
Lugdunum ciuitas celeberrima. 154
Luna vrbs Italiæ. 541
Lunæ Eclipsis. 332. & aliis locis.
Ludouicus Pius Imperator & Rex Francorum 62. 158. 162. 294. 325
Ludouicus II. Imperator. 162
Ludouicus Germaniæ Rex. 160. 161
Ludouicus Balbus Rex Francorum. 163. 199
Ludouicus Vltramarinus filius Caroli Simplicis Rex Francorum. 166. 202
Ludouicus nihil faciens seu qui nihil fecit. 85. 167. 204
Ludouicus Crassus VI Rex Francorum dictus etiam Bellator & non dormiens. 217. 298. 302
Ludouicus VII. seu Iuuenis rex Francorum. 87. 88. 90. 91. 220. 263. 281. 282. 304. 305. 306. 307. 308. 316. 319. 326. 336. 550. 560. Pius etiam dictus. 326. Hospitali Hierosolymitano cibaria subministrat. 316
S. Ludouicus IX. Rex Francorum. 221. 390. 732
Ludouicus XI. Rex Francorum venit Biturigas ad visitandam Ecclesiam sancti Vrsini. 9. 10. 134. 137. 138. 139. 366. 394
Ludouicus XII. Rex Francorum. 143. 144. 394
Ludouicus Valesius Abbas Casæ-Dei. 661
Ludouicus Castanæus, vide Henricus.
Ludriacum castrum. 666
S. Lupantii locellus. 205
Lupardus prædo. 676
S. Lupianus in vico Ratiatensi. 731
S. Lupicinus Abbas. 698
S. Lupus Senonensis Archiep. 702
Luperciacum. 287
S. Lupus Trecensis Ep. 450. 552. 701
S. Lupus Lemouicensis Ep. 267. 287. 308
Lupus scriptor vitæ S. Maximini. 729
Lupus Valentiæ Rex. 317
Lupus Vvasco. 158
Lupus rabiosus. 331
S. Lusor filius B. Leocadii. 8. 9. 416. 427. 705
Lutetia Parisiorum. 196
Lutherana hæresis. 149
Luxouium seu Luxouiense Cœnobium. 193. 698. 699

M

MAalbertus seu Madalbertus Bituricensis Archiepiscopus occiditur à Paga-

bis. 70. 732
S. Macarii caſtellum. 158
Maciacenſis Abbatia, vide Maſciacenſis.
Maciacenſis Abbatia, vide Maſciacenſis.
Macſia vicus vbi marmor inuenitur. 333
S. Madalgodis. 286
S. Macra Virgo & Martyr. 697
Mœſia vicus. 298
Maëncia mater S. Guillelmi Bituricenſis Archiepiſcopi. 97
Maëntiacum locus in territorio Lemouicenſi. 515
Magduni dominus. 95. Magdunum. 89
Magnimontenſis incola de villa Flariaco. 613
Magnobodus Conſul Pictauenſis. 443
Magnus Domeſticus. 316
Magorum trium corpora Mediolano Coloniam tranſlata. 314
Maimacum ſeu Maimacenſe mon. 285
Mainaldus Abbas S. Martialis Lemouicenſis. 284
Mainardus S. Eparchii Abbas. 165. 252
S. Majolus Cluniacenſis Abbas. 168. 203. 204. 699
Major ſilua. 219
Malamortenſe ſeu Malamortis caſtrum & Cœnobium. 175. 267. 269. 280. 298. 323
Malauallis caſtrum. 186
Malbodium Monaſterium. 698
Malcolmus Rex Scotorum. 310
Maleficæ artes & mulieres. 183. 184
Mallegundis ſanata. 587
Malleacenſe caſtrum & Cœnobium. 173. 206. 207. 252. 223. & ſequentibus fusè.
Malliacus locus in Bituricenſi Diœceſi, nunc à S. Menulfo cognominatus. 434. 701
Malloſus cognomen S. Gereonis Martyris. 704
Malmont manſus. 332
Malus repaſtus. 113
Mamertius Abbas S. Germani Autiſſiodorenſis. 433
S. Mamertus Viennenſis Archiepiſcopus. 699
Mametus vcuita. 48. 493. 495
Manaſſes Aurelianenſis Ep. 111
Mancidius S. Illidii Abbas. 715
Mancio Mauziacenſis Abbas. 507
Manichæi Aurelianenſes, Toloſani, & in Aquitania deprehenſi. 176. 180. 181. 184
Manſuetus Britannorum Ep. 16
Manzerini hæredes. 328
Mapparius Gumtramni Francorum Regis. 35. 36. 350
S. Marcus Presbyter. 704
Marcus Antoninus Dominici. 156
Marcus Velſerus Auguſtanus. 729
Marcus primus Prior Artigiæ. 178
Marbodus ex Archidiacono Andegauenſi Redonenſis Ep. ſcripſit ſaltem libros duos de miraculis B. Roberti primi Caſæ-Dei Abbatis. 642
Marbodus Capellanus. 287
Marca Lemouicina. 170
Marca ſeu Marchia Franciæ & Britanniæ. 166. 201
Marchia Lemouicenſium prouincia Pictauenſi pago contigua. 683
Marchiæ Comitatus. 566
S. Marcellianus Epiſcopus. 659
Marcellina mater S. Marcelli Martyris. 427. 428
S. Marcellus Martyr Cabillon. 703
S. Marcellus Martyr Argantomagi occiſus cum ſocio Anaſtaſio. 286. 427. & ſeqq.
S. Marcelli paſſio citatur in Concilio Lemouicenſi anno 1031. celebrato. 774
S. Marcellus Pariſienſis Ep. 705
S. Marcellus Bituricenſis Archiepiſcopus. 12
S. Marcellus Ebredunenſis Ep. 699
S. Marcelli Baſilica & Monaſterium prope Cabilonenſem vrbem. 36. 351. 364. 672
Marchiſi Britannici limitis. 195
S. Marci proceſſio. 133
Marcianus Imperator. 665
Marciliacum Monaſterium Caturcenſis territorii. 17
Marculfus Lector deinde Abbas Eccleſiæ de Caſtro propè Biturigas quæ nunc à S. Auſtregiſilo cognomen habet. 352
Marcomires. 191. 192
Mareſmi & vtenſilia. 90
Mareuentum. 226. 245
Margarita ſoror Regum Hiſpaniæ ſecunda vxor Ludouici VII. Regis Francorum. 308. 309
Margarita vxor Henrici ſenioris Regis Angliæ. 308
Margarita vxor Henrici iunioris qui viuente patre Henrico coronatus Rex Angliæ, ante eum mortuus eſt. 379
Margarita de Lotharingia Ducissa Alenconii. 397
Margarita de Calueniaco vxor Beraldi Comitis Claromontani, ac deinde Ioannis de Penteuria. 762
Margarita Regis Scotiæ ſoror vxor Conani Britonum Ducis. 327
Margarita ſoror Boſonis de Torena tres habuit maritos. 308
Margarita vxor Ademari IV. Vicecomitis Lemouici. 300. 304
Margarita filia Ducis Burgundiæ vxor Guidonis II. Vicecomitis Lemouicenſis. 300
Margarita Lemouicenſis vxor filii Aymerici de Rupe Cauardi, tum Adelberti Comitis Petragoricenſis. 300
B. Mariæ ſemper Virginis decem Virtutes ſeu Beneplacita. 397. & ſeqq.
S. Mariæ Baſilica Aquiſgrani. 159
S. Maria de Mari prope Arelatum. 649
S Mariæ de Cortina Eccleſia. 285
B. Mariæ de Salis Eccleſia & Monaſterium Biturigibus. 85. 86. 106. vide Salæ.
B. Mariæ Magdalenæ Reliquiarum ab Aquenſi regione Vezeliacum facta tranſlatio. 610
B. Mariæ Magdalenæ apud Epheſum. 701
Maria filia Ademari Vicecomitis Lemouicenſis. 291
Maria de Carrio Lemouicenſis Vicecomitiſſa. 298
Maria Lemouicenſis vxor Ebalide Ventadorio. 300
Maria filia Guidonis Probi Vicecomitis Lemouicenſis deſponſata Roberto filio S. Ludouici. 300
Maria de Villamur Comitiſſa Claromonten-

ſis. 763
Maria Abbatiſſa S. Mariæ de Regula Cœnobii Lemouicenſis. 300
Mariacum monaſterium. 573. 578. 731
Mariacus villa. 195
S. Marianus Eremita. 20. 432. 433. 703
S. Marinus Martyr ſocius S. Præjecti. 697
S. Marinus Preſbyter. 699
S. Marius Confeſſor. 537
Marius diſcipulus S. Auſtremonii. 492. 493
Marojolus villa. 493
Marolienſe oppidum. 531
Marquiſia ſoror Audeberti Comitis de Marchia vxor Guidonis Vicecomitis Lemouicenſis. 304
Marquiſia filia Audeberti Comitis marchiani. 324
Marſonis obſidio. 204
Mar. Guyrandi Cardinalis Arelatenſis ex ordine Eremitarum S. Auguſtini. 760
Marta vrbs. 296
B. Martha ſoror Lazari & B. Mariæ Magdalenæ. 706
Martellus vicus ſeu Martellum oppidum. 336. 337
S. Martialis Apoſtolus Patriarcha Aquitaniæ & primus Lemouicenſium Epiſcopus: Eius miracula, corporis eleuatio, dedicatio Eccleſiæ S. Saluatoris, & alia præſertim Apoſtolatus. 159. 162. 175. 179. 265. 266. 269. 271. 273. 283. 285. 288. 292. 298. 301. 473. 474. 482. 486. 701. 767. & ſequentibus fuſiſſimè.
S. Martialis Epiſtolæ repertæ. 288. 298
S. Martialis Lemouicenſis Baſilica eiúſque Abbates. 271. & ſequent.
Martiliacum caſtrum. 162. 181. 251. 252
Martinopolis dicta Turonenſis ciuitas. 731
S. Martinus Turonenſis Archiepiſcopus. 9. 13. 14. 15. 32. 176. 285. 446. 447. 701. 705. 729. 742
S. Martini Turonenſis Baſilica. 176. Canonici mortui. 161
S. Martini prope Biturigas Eccleſia. 45
S. Martini Maſciacenſis Abbatia. 732
S. Martini des Las Eccleſia. 90
S. Martini de Bello Cœnobium in Anglia. 211
S. Martinus Briuenſis. 702
S. Martinus martyr. 286. 333
S. Martinus Abbas Princeps terræ de Saliomo 295
S. Martinus Vertanenſis Abbas. 704
Martinus IV. Papa. 119. 120
Martinus V. Papa. 131
Martinus Petracoricenſis Epiſc. filius Boſonis Vetuli. 737. 738
Martinus Corbeiæ Monachus cui peccata ſua confitebatur Carolus martellus Dux Francorum. 733
Martinus Abbas. 160. 193
Martinus S. Auguſtini Abbas. 278
Martinus Voſienſis Prior. 310. 324
Martinus Venerius. 269
Martinus Chriſtianus venenum propinauit Epiſcopo Lemouicenſi. 295
Martinus Lutherus Hæreſiarcha. 60
Martis campus ſeu Marcis. 734
S. Martius Abbas. 725
Marturius Abbas. 479
Maſciacum ſeu maſciacenſe S. Martini Cœnobium. 89. 176. 699. 732. 733. 737
Maſcilium caſtrum. 186
Maſtacia ſeu Maſtacium caſtrum. 162. 251. 259. 263
Matebruna filia Eboli Ventadorenſis. 308
Mateoda vxor Goffredi Aquitaniæ Ducis. 210. 211
Mater Eccleſia id eſt Epiſcopalis ſeu Cathedralis. 709
Mathildis Imperatrix obiit Monacha Fontis Ebraldi. 317
Mathildis domina S. Satyri. 87. 88
Mathildis mater Boſonis de Torena. 281
Mathildis vxor Raymundi de Torena. 304. 306
Mathildis ſoror Comitis de Pertico. 290
Mathildis Comitiſſa Clarimontis. 762
S. Mathurinus Confeſſor. 705
Matiſconenſes duæ Synodi I. & II. 31. 32
Matricularius Eccleſiæ. 609
Mathæa mater B. Philippi Bertuerii Archiep. Bituricenſis. 110
S. Matthæi Apoſtoli corpus. 198
Matthæus Vitalis Autifex Lemouicenſis. 292
S. Mathias Apoſtolus. 772
S. Maturus Martyr. 700
S. Mauri ad Ligerim Monaſterium reſtauratum. 199. 200
S. Maurus Abbas. 697
S. Mauri Abbatis corpus. 198. 199
S. Mauricius Martyr cum ſociis. 703
B. Mauricii ſacellum. 140
Mauricius Pariſienſis Ep. 330
Mauricius Solemniacenſis Abbas. 299
S Maurilio Andegauenſis Epiſc. 703
B. Maurinus Monachus. 433. 705
Maurontus Saracenorum Rex. 154
Mauritania oppidum. 249
Maurus Normannorum Rex. 161. 199. 251
Mauſiacus ſeu Mauſiacum Monaſterium vb. corpus S. Auſtremonii. 208. 502. 503. 505. 506
S. Maxentii Monaſterium. 166. 170. 190. 201. 212
S. Maxentius Adiutor Abbas. 193. 210. 212. 213. 215. 701. 730
Maxentius Pictauenſis Ep. 733
S. Maximinus Treuirenſis Archiep. 470. 700. 729
S. Maximinus Pictauenſis Ep. 733
Maximinus Imperator. 703
S. Maximinus Miciacenſis Abbas. 370
S. Maximinus Lirinenſis. 688
Maximus Proconſul. 665
S. Maximus ex Abbate Lirinenſi Reienſis Epiſcopus. 688
Mayferus Decanus de Mauriac Tutellenſis Abbatis frater. 320
Mayrulfus Henſionenſis Monachus. 733
S. Medardus Nouiomenſis Ep. 700
S. Medardi Sueſſionenſe Monaſterium. 160
Medeueus Sacerdos. 586
S. Medericus Preſbyter. 702
Medii Monaſterii apud Biturigas Eccleſia ſeu Abbatia 55. deinde Canonici. 92. 93

Digitized by Google

Mediolanum quadrifariè diuisum à Friderico Imperatore. 314
Meduana fluuius. 195
S. Melanius Ep. Redonensis. 697
Meldunum castellum. 705
Mellentense seu Methlense oppidum in territorio Rotomagensi. 560
Mellensis seu Metulensis Vicecomitatus. 173
Melior Cardinalis. 753
Melisendis filia Balduini II. Regis Hierosolymitani & vxor Fulconis Andegauensis Comitis. 302
Melurense castrum. 175
S. Memmius Catalaun. Ep. 702
S. Meleusippus Martyr. 697
Mendacium quid sit pluribus explicat auctor Anonymus. 241. 242.
S. Menelcus Abbas. 591. 701
Menatense seu Minatense Monasterium in Aruernia. 593
Mentusca. 612
S. Menulfus Episcopus Britannus. 433. 434. 701. Eius Abbatia in Diœcesi Bituric. 89. 701
Merchaders latronum Princeps seu Dux militum grassatorum. 339. 340. 341. 342
Mererius ex Capellano Regis Ep. Engolismensis. 151. 250
Meretrices prohibitæ vti cappa seu chlamyde. 309
Merouæus Rex Francorum. 192
Mescredentiæ. 188
Metulum oppidum. 188. 728. 731
Methasthenes Annii Viterbiensis. 3
Mezentius mons. 688
S. Michaëlis de Monte Tumba siue in periculo maris Monasterium rupi impositum in confinio Normanniæ & Britanniæ. 166. 202. 464. eius Abbates & Chronicon duplex dedimus superiori Tomo.
S. Michaëlis de Clusa Cœnobium. 173. 301
S. Michaëlis ad Eremum Monasterium. 166. 173. 174. 199. 202. 268
S. Michaëlis de Leonibus Ecclesia. 299
S. Michaëlis Prioratus in vrbe Bituricensi. 140
Michael de Buciaco Bituricensis Archiepiscopus. 143
Miciacense Cœnobium. 370
Milidunum seu Melidunum. 617
Militum Spathæ Ordo in Hispaniâ institutus. 316
Millebeccus seu Millebeccensis Abbatia. 89. 194. 439. 443
Millescus dictus quidam equus. 287
Milicendis seu Melisendis vxor Hugonis Cabilonensis. 300
Milmandra fluuius. 365
Milo Beneuentanus Archiep. 275. 674
Milo Morinensis Ep. 86
Milo S. Mariani Autissiodorensis Abbas. 762
Milo S. Amandi Elnonensis Monachus. 345
S. Mineruius Martyr. 702
Mimate seu Mimatensis vrbs. 751
Minorica insula. 218
Minorum Fratrum Bituricensium Ecclesia & conuentus. 122
Miseraium Cœnobium. 89
Misericordia dictus quidam gladius. 302
Misericordiarum domus id est Hospitale. 316
Missa de Galli cantu & de Luce Dominicæ Natiuitatis. 293
Missala fluuius. 155
Mollispeccus, vide Millebeccus.
Moltonnum siue Voltonnum. 164. 201
Monachi Regulares quæ ad altare pertinent, mundissimè & cum reuerentia seruant. 788
Monachi Vosienses. 283
Monasterium ad Basilicam. 286
Monasterium nouum Pictauis. 211. 212. 213. 301
S. Monegundis Religiosa. 701
Monetæ publicæ denarius. 290
Moneta Engolismensis & Sanctonensis. 160
Mons Auserius seu Montosarium. 257. 259
Mons Berulfus Monberon siue Monbrum castrum. 325. 738
Mons Buxerius siue Montboissier castrum in Aruernia. 301
Mons super Carantoni fluuium prædiolum. 524
Mons Falconis. 95. 100. 180
Mons Gaudii Iouis. 173. 268. 272
Mons Giscardi Montgiscard. 316
Montis locus ad Garumnam. 157
Mons Lucius Aruerniæ castellum in Diœcesi Bituricensi. 251
Montis Meraldi Ecclesia. 89. 90
Monspesatiense castrum vicinum vrbi Cadurcensi. 547
Mons Pisserii. 291
Mons Peregrinus in Palestina. 645
Mons Salion. 623
Monstra varia & prodigia. 327
Montagnerium castrum in partibus Petracoricis. 318 545
S. Montana Virgo filia Pipini Majoris domus Regiæ. 583. & seqq.
Montiniacum castrum. 166. 260
Moraviensis in Scotia Episcopus. 143
Morena Saluatoris aurea. 312
Mormanus. 158
Mortemarense castrum. 174
Mosteriolum castrum. 185
Mossiacense Chronicon. 731
Moysiacensis Abbas à quibusdam falsis fratribus interfectus. 321
Mulene quid apud Saracenos significet. 316
Muli resuscitati. 534. 549
Mulier duplex. 299
Multo. 290
Multonum seu Moltonum. 91
Mummolus seu Mummolenus Abbas Floriacensis super Ligerim. 192
Mundana mater S. Sacerdotis Ep. Lemouicensis. 661. 663. 664
Muratum in Aruernia. 642
Murciacensis Ecclesia in Sanctonico. 650
Muretum oppidum. 275. 563. 675
Murguliæ Comes. 217
Murmontis castrum in Pago Aruernico. 545
Musetus Rex Saracenorum. 178

N

S. Namatius Claromontanus Ep. 710. 718
Namnetica vrbs. 161. 166

Nantildis Regina. 192
Nantolienſe monaſterium. 175. 208. 209
Nantonenſe caſtrum. 698
Narbona & Narbonenſis Ducatus & Archiep. 4. 154. 731
Narueia mons iuxta Auſcium. 598
Nathanaël creditus à qq. S. Vrſinus primus Biturigum Antiſtes. 5. 436. 460. 462
Nauenſe monaſterium, ideſt S. Sulpitii in Suburbio Bituricenſis vrbis. 12. 47. 48. 90. 393. 424. 699. 706
Nauenſe caſtellum. 90. 385
Naueris vallis. 591. 592
Nebulatio frumentorum. 214
S. Nectorius ſeu Nectarius Preſbyter. 483. 491. 495
Nemauſenſe Concilium. 213
Nemauſus. 154 Gothiæ vrbs. 699
Nemus argenti. 211
S. Nemorius Preſbyter. 699
S. Nepotianus Ep. Claromontanus. 714. 715
Neriacum. 164. 201
Neuſtria. 196
Nicæa vrbs. 214
S. Nicaſius Remenſis Archiep. & Martyr. 706
Nicaſius Engoliſmenſis Ep. 523
Nicephorus Imperator. 164. 165
S. Nicetii Abbatia Lugduni. 37. 352. 364
S. Nicetius Lugdunenſis Archiep. 699
S. Nicetius Treuerenſis Archiep. 706
S. Nicolaus Myrenſis in Lycia Epiſcopus, eiúſque reliquiarum facta in Apuliam tranſlatio. 213. 289. 610. 650. 674
S. Nicolai Andegauenſe Cœnobium. 206
Nicolaus Cardinalis Lemouicenſis. 760
Nicolaus de Neufuille Abbas Caſæ-Dei. 661
Nigri lacus Abbatia Ord. C. 133
Nileſſus Diaconus. 585
Ninus Orientis Monarcha. 5
Nioil caſtellum & Niolium Monaſterium. 211. 305
Niortenſes Iudæi. 247
Niortum ſeu Nyorthum. 728
Nirſauiæ partes. 368
Niuernenſe Virginum Cœnobium ſub regula S. Columbani. 365
Niuerni habitum placitum à Pipino. 157
Niuigellenſe Monaſterium. 628
Nizona fluuius. 738
Nobiliacum Monaſterium ſeu Nobilis villa in Diœceſi Bituricenſi ad Ligerim fluuium quæ poſtea à S. Gundulfo dicta. 387
Nobiliacum ſeu Nobiliacenſis S. Leonardi Eccleſia. 270. 314
Nobiliacenſis Abbatia in Diœceſi Pictauenſi. 195. 285. 578. 731
Noe alter mundi parens. 3
Nodgerus, vide Notgerus.
Nogeroli oppidum ſeu Nogarolium. 598
Noiaſtrum caſtrum. 203
Nomenoius Rex Britonum. 161. 197. 198. 200
Nonnatis locus in territorio Turonenſi. 526
Noradinus Saracenus. 336
Normanni. 195. 196. in Apuliam & Hiſpaniam aduerſus Saracenos abeunt. 178
Normannia olim dicta Marca Franciæ & Britanniæ. 166. 201
Normanniæ reductio. 245
Noſtræ Dominæ de Salis Eccleſia & Monaſterium apud Biturigas. 8. 33. 37
Norgerus ſeu Nodgerus Leodienſis Ep. 345
Notgerus Abbas S. Galli. 731
Nouauilla ſecus flumen Vtrionis. 359. 410
Nouempopulania ſeu Auxitana Prouincia. 1730
Nouiomum ſeu Nouiomagum. 153. 196
Noui vici Eccleſia. 89
Nouum caſtellum prope Blauiam. 184
Nucarienſe Monaſterium. 208
Nuceretum vicus Diœceſis Carnotenſis. 465
Neutrum caſtrum Vicecomitis Lemouicenſis. 342
Nyorthum, vide Niortum.

O

OBaſina Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis in Diœceſi Lemouicenſi. 287. 307. 318
Obaſinenſium fratrum furuum Scapulare. 307
Obliarii qui fabbas excolunt. 746
Obliæ ſiue Hoſtiæ quæ & Oblatæ. 328
Obolata. 745
Ocreas quando plebeij geſtare cœperunt. 328
Octauianus Papa. 163. 164
Oculus fluuius. 438
Oda vxor Vvicfridi Biturigum Comitis. 395
Odericus primus Abbas Vindocinenſis. 208
S. Odilo Cluniacenſis Abbas. 162. 168. 171. 172. 173. 179. 204. 205. 209. 384. 398. 795.
Odilo Bajoariorum Dux. 155
Odinetus Fortis de Ternis. 125. 126
Odo ex Monacho Cluniacenſi Vrbanus II. Papa. 295
Odo de Soliaco ex Cantore Bituricenſi Pariſienſis Ep. frater Henrici Bituric. Archiep. 94. 98. 379
Odo de Veura Prior S. Petri Puellaris. 109
Odo de Caſtro Radulfi Cardinalis. 759
Odo Cantor S. Frambaldi Siluanectenſis. 560
Odo Brantoſmenſis Abbas. 316
S. Odo Cluniacenſis Abbas. 70. 71. 166. 201. 203. 298. 371. 705
Odo Maſciacenſis Abbas. 713
Odo ſeu Dodo ex Abbate S. Sauini Abbas S. Martialis Lemouicenſis. 267. 271
Odo S. Maxentii Abbas. 204
Odo S. Sauini Abbas. 161
Odo Rex Franciæ. 300. 617. 756. male dicitur filius Raymundi Comitis Lemouicenſis. 200
Odo Aquitaniæ Dux & Vaſconiæ Comes. 208
Odo filius Vvillelmi V. Aquitaniæ Ducis. 172
Odo Aurelianorum Comes. 160
Odo I. Campaniæ Comes. 173
Odo II. Campanenſis Comes Palatii qui obiit apud Barrum. 87. 88. 170
Odo ſenior Dominus Dolenſis filius Radulfi Calui. 86. 176. 182. 254. vbi dicitur Odoardus. 740
Odo Exoldunenſis dominus. 740
Odo Ruffinus. 204
Odolricus Auguſtanus Ep. 168. 169
Odolricus Aurelianenſis Ep. 181
Odolricus S Martialis Abbas. 181. 183. 184. 283. 766. 775. 791. 792

Odolricus Vicecomes Martiliacensis. 162. 165. 166

Odolricus frater Vvillelmi Vicecomitis Martiliacensis. 181

Odulfus vir nobilis. 463

Oenacensis Vicecomes. 173

Officia neptis Turpionis Lemouicensis Episc. 272

Officialis Curiæ statuta. 132. 133

Ogyges vide Bitogyges. 1

Oleum infirmorum. 337

Oliuarius seu Oliuerius de Turribus. 288. 300. 323. 325. 337

Oliuarius Larundensis. 281

Olta fluuius. 346. 347

Olymbrius rex Tolosæ fabulosus. 598

Ooliba Engolismensis Ep. 162. 163. 165. 199. 251

S Optatus siue Optadius Ep. 699. 702

Operatorium Monialium. 456

S. Orantius Martyr. 697

Oratio ad sanctissimum Sacramentum B. Philippi Archiep. Bitur. 117

Orentius ciuis Auscensis pater sancti Orientii. 598

Organæ mirificæ. 146

Orgoletta turris. 172

Ordinationum sacrarum tempora. 794

Ordinationes statutæ anno 1367. per Abbates Bened. Prouinciarum Bituricensis & Burdegalensis. 748. 749

S. Orientius Auscensis Ep. 596. & seqq.

Orsmarus siue Vrsmarus Archiep. Turonensis. 192. 200

Osa fluuius. 349

Osca ciuitas. 214. 216. 215

Osanna Dominica Palmarum. 183. 184

Osbernus Beccensis Abbas. 94

Osburga, vide Augusta.

Osius Agennensis Ep. 418

Osmundus Monachus. 11

Otbertus Comes. 157

Otho siue Otto, aut Oto Germaniæ rex atque Imperator Romanorum. 162. 164. 168. 201. 290

Otho II Imperator. 164. 168. 204

Otho III. Imperator. 168. 169. 170. 204

Oximorum siue Ossismiorum prouincia Minoris Britanniæ. 434

P

Paciferi milites ex Aruernia. 338

Paherne Monasterium. 206

Palcarii milites dicti. 334. 335. 338

Palladiorum stirps. 19

S. Palladius I. Bituricensis Archiep. 13. 14. 699

S. Palladius II. Bitur. Archiepiscopus. 17

S Palladii castrum, turris, & dominus. 89. 94

Palludelli Ecclesia. 89

Pampelonensis vrbs 702

Pandectæ Archiepiscopi. 95

S. Pantaleonis parochia. 385

Papia ciuitas in Longobardia. 156. 171. 204. 498

Paradæ seu paratæ. 87

Parciacense Monasterium. 198

S. Pardulfus Abbas. 280. 281. 283. 284. 286. 292. 297. 315. 316. 319. 328. 599. & seqq. 714

Parisiensis Synodus III. 29

Parisiensis B. Mariæ Ecclesiæ dedicatio. 330

Parii marmoris sepulcrum. 426

Parrona seu Perona vrbs. 103. 197

Partheniacum castrum. 185. 732

Partrici eremus, Perticus solitudo. 469. 470. 583

Partiniacum seu Partheniacum. 217. 219. 220

Paschalis II Papa Romanus. 259

Paschalis ordo turbatus. 155

Pastorellorum turba repressa. 220

Paterna nobilis fœmina. 37. 155

S. Paternus Episcopus Abrincensis. 703. 730

S Paternus Martyr. 705

Paternus Elusanus Episcopus. 598

Paternus Venetensis Ep. 71. 73

S Patiens Lugdunensis Archiep. 703

Patientia mater S. Orientii Auscensis Ep. 598

Patriarchalis sedes Bituricensis. 4

S. Patricius Apostolus Hibernorum. 71. 73. 177. 178. 595

Patriciacus locus. 371. 373

S. Patricius Aruernensis Abbas. 698

S. Patricius Abbas Niuernensis. 702. 705

S. Patroclus. 25. 697

S. Pauli Prioratus & Ecclesia post muros Bituricensis vibis. 551. 378

S. Pauli Cormaricensis Monasterium. 193

S. Paulinus Treuerensis Archiep. 702

S. Paulinus Nolanus Ep. 700

Pauliacus villa. 616

Paulinus vir beatus dicitur narrasse qualiter repertus sit thesaurus à rege Gunthranno. 672

S. Paulus presbyter. 700

S. Paulus Narbonensis Ep. 482. 698. 706

Paulus II. Romanus Pontifex. 137

pauper Bituricensis Archiep. 13

S. Pecinna Virgo. 715. 732

Pedriacensis Vicaria in Sanctonico. 165

S. Pelagius Ep. 699

S. pelagia mater S. Aredii. 287

pelletarius Burgensis. 202

Pentapolis. 156

S. peregrinus Episcopus primus Autissiodorensis & Martyr. 699

S. Peregrinus Presbyter. 702

Periculosa mater Probiani Bituricensis Archi. 29

SS. Perpetua & Felicitas. 737

S. Perpetuus Turonensis Archiep. 15. 16. 192. 201. 699

S. Perfecteranda Virgo. 702

Perticus, vide Partricus.

Perticensis Comes. 190

Pertiniacus Vasconiæ vicus. 579

Perusina ciuitas. 117

Petiuiers castrum. 309

petra Bufferia. 270. 282

petra incisa, vide Incisa petra.

Petracorica seu Petragora. 157. 748. 739

Petrucia castrum. 157. 738

Petronilla vxor Gaufredi Comitis Engolismenmensis. 247

Petronilla vxor Gaufredi Comitis Engoliſmenſis. 257
Petronilla vxor filii Gauberti de Malamorte. 300
S. Petri Bellilocenſis Abbatia. 788
S. Petri Puellarum in vrbe Bituricenſi ex Monaſterio Canonicorum Eccleſia cuius Prior eſt Cantor Eccleſiæ S. Stephani 85. 109. 138
S. Petri de Quadriuio Eccleſia. 299
S. Petrus de Murrhone. 126. vide Cæleſtinus V.
Petrus Leonis Schiſmaticus Antipapa dictus Anacletus II. 81. 261. 303
Petrus Igneus Cardinalis. 211. 217
Petrus de Capella Cardinalis. 760
Petrus S. Chryſogoni Cardinalis S. R. E. Legatus. 560
Petrus Diaconus Bibliothecarius & Cancellarius Romanæ ſedis. 717
Petrus Toletanus ſedis Apoſtolicæ Legatus. 130
Petrus Effenard ex militibus de Caſtra Archiep. Bituricenſis. 58. 87. 88. 89. 90. 305. 308. 311. 317. 318
Petrus de Stagno ex Archiepiſcopo Bituricenſi Cardinalis & Papæ in Italia Vicarius. 127
Petrus de Croſo ex Archiepiſcopo Bituricenſi Cardinalis Arelatenſis. 128
Petrus Aymericus Bituricenſis Archiep. & Patriarcha Autiſſiodorenſis. 129. 130
Petrus Cadoëtus ex Priore de Salis & Primario Ludouici XI. Francorum Regis eelemoſynario Archiep. Bituricenſis. 139. 140. 141
Petrus d'Hardiuilliers Bituricenſis Archiep. 150
Petrus Legatus electus in Archiepiſcopum Bituricenſem. 331
Petrus Anicienſis ſeu Podienſis Ep. 339. 749
Petrus Aquenſis Ep. 130
Petrus de Agrifolio ex Abbate Caſæ-Dei Claromontanus Ep. 660
Petrus Engoliſmenſis Ep. 317. 330
Petrus Florentinus Ep. 127. 211. 217
Petrus Gerundenſis Ep. 283
Petrus ex Burdegalenſi Decano Ep. Lemouicenſis. 216. 269. 295
Petrus de Montebruno Lemouicenſis Ep. 759
Petrus de la Vigerie ex Abbate primus Lucionenſis Ep. 248
Petrus Petracoricenſis Ep. 319. 321
Petrus Minetus Petracoricenſis Ep. 330. 739
Petrus Pictauorum Epiſcopus. 213. 218. 293. 294. 293. 294
Petrus II. Pictauorum Ep. 731. 734. 756
Petrus de Caſteleyraut Ep. Pictauenſis Schiſmaticus. 303
Petrus Santonenſis Ep. 218
Petrus Toloſæ Ep. 178
Petrus Viuarienſis Epiſc. & Abbas Eccleſiæ S. Petri. 750. 751
Petrus Carrofenſis ſeu S. Carroſi Abbas. 180. 755. 757
Petrus de Maſo Caſalis Benedicti Abbas & reformator. 140
Petrus de Montboiſſier dictus Venerabilis Abbas Cluniacenſis. 218. 284. 301. 304. 660. 729
Petrus ex priore Cluniacenſi ſancti Martialis Abbas. 309. 310
Petrus Abbas S. Auguſtini deinde S. Martialis. 284. 289. 305. 306. 313. 314. 315. 318. 320. 321
Petrus S. Martini Abbas. 325
Petrus Raymundus Abbas S. Maxentii. 220
Petrus Abbas Scotorienſium Canonicorum. 174
Petrus Voſienſis Abbas. 288. 290. 295. 318. 321. 325
Petrus Alboinus Vſerchenſis Abbas. 298
Petrus Bechada de Turribus Vſerchenſis Abbas. 298
Petrus de Donzenaco Vſerchenſis Abbas. 283
Petrus Matthæi Vſerchienſis Abbas. 291. 314. 319
Petrus Archidiaconus. 315
Petrus Præpoſitus de Aria electus Epiſcopus Carueracenſis. 312
Petrus Aſſaillit Clericus. 291. 300
Petrus Præpoſitus Claromontanus fundator Abbatiæ S. Andreæ Ord. Præmon. 761
Petrus Eremita. 214
Petrus dictus Eremita auunculus S. Guillelmi Archiep. Bituricenſis, Archidiaconus Sueſſionenſis. 379
Petrus Crabbe Machlinienſis Ordinis Minorum. 20. 21. 22. 55
Petrus Lemouicinus ſecundus Prior Grandimontenſis. 317. 681
Petrus Bernardi Prior Grandimontenſis. 317
Petrus de S. Chriſtophoro tertius Prior Grandimontenſis. 317
Petrus Malleacenſis Monachus. 222
Petrus de Natalibus Ep. 5. 57
Petrus petit S. Martialis Monachus. 297
Petrus de pourrey Monachus. 334
Petrus Roſſetus. 5. 21. 109
Petrus Sicardi Ordin. prædicat. 515
Petrus Stella fundator Cœnobii Fontis Gombaudi. 213. 218
Petrus Tauran Monachus. 318
Petrus Rex Aragoniæ. 216. 217
Petrus filius Sancii Regis Aragundiæ. 211
Petrus Acerrimus Dux Aquitaniæ. 206. 208
Petrus Baſilii. 342
Petrus Bru. 342
Petrus Vicecomes de Caſtellone. 352
Petrus Eſcauſarius. 287
Petrus Faſin. 216
Petrus Flamenc. 300
Petrus Laurés. 305
Petrus de Perigourdis. 302
Petrus de Petra Bufferia. 299. 322. 334
Petrus Pithœus. 158
Petrus Bernard de la Porcheria. 300
Petrus de Ponte Bigaudi. 647
Petrus de la Rocha. 331
Petrus de Tutela. 338
Petrus Bernardi de Vernolio. 310
Petrus de Termes Domicellus. 761
Petrus Iterii de Vſio. 323
Petrus de Vilota miles de Bragueyrac. 302
Petrus Vinota. 302
S. Phaletrus Confeſſor. 435. 436. 705

Digitized by Google

Pharamundus seu Faramundus filius Marcomiri Rex Francorum 14. 191. 192
S. Pharo Meldiensis Episcopus. 704
S. Philibertus eiusque Monasterium. 159. 160. 193. 702. 731
Philippa filia Vuillelmi Tolosani Comitis vxor Vuillelmi IX. Ducis Aquitanorum. 213. 304
Philippi duo Impp. Christiani. 699
Philippus I. Francorum Rex 217. 288. 292 293.
Philippus II. siue Augustus & Adeodatus Francorum Rex. 59. 92. 290. 297. 310. 325. 330. 334
Philippus Pulcher Rex Francorum. 121
Philippus Flandriæ Comes. 330. 339
B. Philippus Bituricensis Archiep. 9. 10. 59. 100. vsque ad 118. 139
Philippus Pictauensis Ep. 241
Philippus ex Monacho Dolensi Abbas sancti Augustini Lemouicensis. 289. 307
Phlebotomario. 545
S. Photinus seu Fotinus Lugdunensis Archiep. & Martyr. 700
Pictauensia Concilia variis celebrata temporibus. 207. 212. 216. 217. 764. 776 777
S. Pientius Pictauensis Ep. 226. 227. 718
Piliacensis Vicaria in petragorico. 165
Pincenati seu Pincinnati. 168. 214
Pincerna Regis. 439. 440
Pipinus pater sanctæ Montanæ. 594
Pipinus Heristallus siue Vetulus Maior domus Franciæ. 153. 155. 194
Pipinus Pius, siue Breuis dictus Rex Franciæ de sanguine Regali Francorum. 57. 58. 60. 153. 155. 156. 157. 158. 194. 356. 499. 503. 505. 507. 734
Pipinus filius Pipini Breuis Regis Francorum. 156. 157
Pipinus I. Rex Aquitaniæ filius Ludouici Pii Imperatoris. 159. 160. 178. 196. 578
Pipinus iunior filius pipini regis Aquitaniæ. 160. 162
Placentinum Concilium. 213
S. Placidus Confessor. 702
Placidus nutricius sancti Leopardini Martyris. 417 424
Plectrudis vxor Pipini Vetuli. 153
Plenipedense monasterium. 80. 81. 89
Plumbeæ tabulæ. 159
Podium S. Mariæ siue Anicium, aut Auicium. 265. 748. 749
Podium sancti Frontonis. 330. 336. 739
Podium sancti Gonsaldi. 285
Podium de Grossas. 289
Podium seu Podius Letardi. 226
Poires d'angoisse. 292
Polliana prouincia. 168
rolumniacensis Vicecomes. 646
S. Polycarpus discipulus S. Ioannis Apostoli. 703. 705. 773
Pontigonensis Synodus. 68
Ponteleuense prælium. 206
Pompedona oppidum. 281
rompedorium castrum. 316. 340. 341
Pontia Comitissa Aruerniæ. 714
Pontia filia Comitis de Marchia. 261
Pontiniacum Monasterium Ordin. Cistercien-sis. 92 97. 379
Pontiniacum Monasterium in territorio Biturico. 696
Pontius Claromontanus Ep. 340. 515
S. Pontius martyr. 699
Pontius ex Abbate Casæ-Dei Podiensis Ep. 208. 648. 660
pontius de Bello disnario Abbas Casæ Dei 660
pontius Frater Comitis Melgorienſis ex sancti Martialis Priore Cluniacensis Abbas. 217. 298 299 308
Petrus de Montboissier Vezeliacensis Abbas frater Petri Venerabilis. 284. 301
Pontius Aruerniæ Comes. 795
Pontius Tolosanus Comes. 210. 304
Pontius Tolosanus Comes qui ab Attaldo priuigno suo dolo interfectus est. 535
Pontius & Bernardus nepotes Guidonis Podiensis Episcopi Aquitaniæ clarissimi Consules. 750. 751
Pontius de Clauenaco. 646
Pontius de Espali. 337
S. Porcianus Abbas frater sancti Leopardini 415. 424. 425. 705
rotentia castellum. 272
Potantianum castrum. 287
S. Potentianus S. Sabiniani socius. 706
Practica officii Inquisitionis. 512
Prędicatorum Fratrum ordo. 112
Prædicare debent quibus parochiæ commissæ sunt. 793. 794
S. Præ ectus aut Projectus Claromontanus Ep. 499. 502. 697. 717. 720 721.
Præmonstratensium Fratrum institutio. 752
Præmonstratus locus Monasterium in Angliâ in honorem sancti Michaëlis constructum. 314
Præpositus arcis. 455
S. Prætextatus Rotomagensis Archiep. 30
Prateæ seu de Pratis Abbatia Ord. C. 89
Primates & Patriarchæ. 4
Primatus Bituricensis & alia eiusdem Ecclesiæ priuilegia. 88. 89
Primi flamines. 4
Primus Episcopus Arianus Engolismæ. 151. 151
Princiacum Monasterium. 432
Principia mater sancti Eparchii. 171. 519
S. Principinus Martyr. 438. 698
S. Priscæ Cardinales Abbates Vindocinenses. 90
S. Priscus Martyr Autissiodorensis. 700
Priscinacus saltus. 371
S. Priuatus Martyr. 702
S Priuati vicus. 384
Priuazacensis Prioratus. 645
S. Probianus seu Probatianus bituricensis Archiepiscopus. 9. 28. 29
S. Proculus Martyr. 705
Procurationis causa grauatæ ab Episcopis Ecclesiæ. 296
Professio Bernardi Guidonis iam Episcopi Lodeuensis in manibus Magistri Generalis Ord. Prædicatorum. 513
Professionis formula in Ordine Annunciatarum Monialium. 406
Prophani scriptores quam parum Christianis

Digitized by Google

conferant docet S. Audoënus. 518
Proto Sebastus & Proto Spatharius. 316
S. Prudentius Martyr ciúsque reliquiæ in Burgundiam delatæ ad Bezuense Monasterium variáque miracula. 605. & seqq.
S. Psalmodius. 286
Psellis prædium. 665. 666
Publica pœnitentia. 282
Puellarum S. Mariæ Lemouicensis Ecclesia quæ dicitur ad Regulam. 293
Puellarum Monasterium Parisiis. 365
Pyri agrestis genus. 292
Pyxis ex monili aúreo ad reponendum & seruandum Christi Domini Corpus. 122

Q

QVastus per Ecclesias factus. 321
Quinciacum seu Quinciacense S. Benedicti Monasterium. 199. 730. 731
S. Quinidius Vasionensis Ep. 698
S. Quintianus ex Ruthenensi Claromontanus Ep. 589. 700. 718
S Quintinus Martyr. 704
Quis vt Deus ? dictus pater Ioannis Presbyteri. 316
Quitardus Viuatiensis Archidiaconus. 750

R

RAbanus Moguntinus Archiepiscopus. 159
Radbodo Dux Frisionum. 193
Racemburgi, vide Raimburgi.
S. Radegundis Regina. 570. 571. 577. 702. 728. 732
S Radegundæ dominium datum Capitulo Bituricensi. 144
Radulfus, vide Rodulfus & Rudolfus.
Radulfi, vide paginam. 740
S. Radulfus Bituricensis Archiepiscopus. 65. 66 67. 70. 271. 394. 788
Radulfus Petracoricensis Ep. 175. 297
Radulfus de Cohalia Ep. Petracoricæ. 738
Radulfus Cluniacensis & Fiscanensis Abbas. 321 323 340
Radulfus de Fusteia seu de Fragreio S. Iouini de Marnis Monachus. 734
Radulfus S. Satyri Abbas. 86
Radulfus Rex Burgundiæ. 171
Radulfus Rex Franciæ, vide Radulfus.
Radulfus Normannorum ductor in Apuliam. 178
Radulfus de Castelnau. 340
Radulfus de Coniaco. 262
Radulfus I. Dolensis Dominus. 72. 73. 164
Radulfus II. Dominus Dolensis. 86
Radulfus de Escorallia. 300
Radulfus Exolduni dominus. 740
Radulfus de Faya. 291. 300
Radulfus Flamina. 733
Radulfus Passeronus. 642
Radulfus de Peyrona seu Parrona Comes Vermandensis. 304
Radulfus frater Sauarici Vicecomitis Toarcensis. 185
Ragammundus Mimatensis Ep. 782. 786. 797
Raganfredus Dux Major Palatii. 153. 194. 685
Rageniſburgum ciuitas. 736
Ragimberti milites. 289
Ragenarius seu Ragnarius Hunaldi Ducis Aquitaniæ consiliarius. 601
Ragenfridus seu Ragenfredus, vide Raganfredus.
Raginaldus seu Rainaldus, aut naynaldus la Porta Cardinalis Ostiensis. 760. 761
Rainaldus Agennensis Ep. 212
Rainaldus Petragoricensis Ep. 294
Rainaldus Sanctonensis Ep. 218
Rainaldus Abbas S. Ioannis Angeliacensis. 179. 203
Rainaldus S. Eparchii Abbas. 172
Rainaldus Malleacensis Abbas. 240. 245. 247
Rainaldus cognomento Plata Abbas S. Maxentii. 173
Rainaldus Nobiliacensis Abbas. 201
Rainaldus Salensis Prior. 86
Rainaldus Vosiensis Abbas. 300
Rainaldus de Mausenges Vsserchiensis Abbas. 319. 323
Rainaldus de Rosiniaco Vsserchiensis Abbas. 298
Rainaldus Monachus. 217
Rainaldus Arbatilicensis Comes. 160. 161. 195. 197
Rainaldus Burgundiæ Comes. 306
Rainaldus Leprosus Vicecomes de Albusso. 308
Rainaldus Comes de Cornualia. 309 310
Rainaldus de Torenna. 304
Rainarius S. Augustini Abbas. 324
Rainarius vita & fama religiosus. 561
Rainerius Absiæ Abbas. 729
Raingardis mater B. Roberti Casæ-Dei Abbatis. 651
Raino seu Ramo Arbatilicensis Comes. 161. 198
Raino de Torena filius Bosonis. 307
Raimburgi seu Racemburgi. 162
Raimundus de Marolio ex Petracoricensi Ep. Burdegalensis Archiep. 739
Raimundus Ruthenensis Ep. 294
Raimundus de Bernac seu de Viennac Abbas S. Augustini. 289. 315
Raimundus Virzionensis Abbas. 737
Raimundus Comes S. Ægidii & Tolosæ dictus. etiam Comes Prouincianus. 210. 213. 214. 215. 290. 293 299. 304. 336. 337. 342. 644. 645
Raimundus Tolosanus Comes filius Adelponsi & Constantiæ Reginæ maritus. 310. 319
Raimundus filius Vuillelmi Tolosani Comitis & Arlendis. 536
Raimundus dictus Caput stupæ pater Raymundi, Berengarii & Ricardi Vicecomitis Carlatensis. 304
Raimundus Berenger Comes Barcinonensis pater Adelphonsi Aragoniæ Regis. 114. 317
Raimundus Barcinonensis Comes. 210. 218
Raimundus Dux Narbonensis. 321. 326
Raimundus Pictauensis ducta Boamundi filia, Princeps Antiochiæ factus. 216. 297. 299. 300
Raimundus II. Princeps Antiochiæ. 297

Digitized by Google

Raimundus Boſchiti dominus. 141
Raimundus Brennus ſeu Brunus Baſclorum ex Vaſconia ductor. 332. 338
Raimundus Cabannenſis Princeps pater Ademari Hiſtorici abnepos Turpionis Lemouicenſis Epiſcopi. 174
Raimundus filius Boſonis Combornenſis. 290
Raimundus Dagour. 312
Raimundus Lemouicenſis Comes. 161. 163
Raimundus de Moncade duxit ſororem Berengarii de Vendeiras nobilis Catalani. 337
Raimundus filius Bernardi Monpeſatenſis. 347
Raimundus de Plantadio miles. 682
Raimundus de Torena Vicecomes. 291. 306. 324. 332. 333. 334. 336
Raimundus dictus Contors ſeu Cantors Vicecomes de Torena. 291
Raimundus filius Boſonis de Torena. 306
Raimundus Trenchauel Vicecomes Biterrenſis. 306. 307. 315
Raimundus de Venoul. 322. 326
Raimundus Strenuus miles. 174
Ramafort caſtrum. 321
Ramerudenſis Prioratus. 509. 511
Ramnulfus Epiſcopus Engoliſmenſis. 170. 253
Ramnulfus de Turribus Petragoricenſis Ep. 740
Ramnulfus Sanctonenſis Ep. 211
Ramnulfus Abbas S. Marentii. 204
Ramnulfus S. Aredii Decanus. 341
Ramnulfus Dolenſis Monachus S. Sauini Abbas. 321
Ramnulfus Dauratenſis Abbas à ſchiſmatico Legato factus Ep. Lemouicenſis. 303
Ramnulfus Dux. 196
Ramnulfus de Agernac. 263
Ramnulfus Eſcoblart de caſtello Rofec ſeu Rofiaco in Biturico. 311
Ramnulfus Vicecomes Albuſſionenſis. 282
Ramnulfus Martiliacenſis Vicecomes, eiúſque tres filii. 161
Ramnulfus Bomparius Comes Petracoricenſis. 167
Ramnulfus Geraldi Aruernorum Comitis filius Pictauenſis Comes. 162. 163. 198. 199. 201. 756
Ramnulfus de Turribus. 341
Rumpinus ſeu Rupinus de Montana Princeps. 336
Ranconia villa & caſtrum. 162. 171
Ranco, vide Renco.
Rangerius Piſarum Archiepiſcopus. 756
Ranſoliæ Monaſterium. 284
Rapha fluuius. 736
S. Raphaël Archangelus. 194
Raſoria. 747
Raterius Lemouicæ Comes. 160. 161
Ratiatenſis vicus. 731
Reuracus Niuernenſis Epiſcopus. 38. 364
Raymundus Raynaldus & Raynardus, vide Raimundus, Rainaldus & Rainardus, &c.
Reconciliatio Eccleſiæ. 176
Regembaldus Abbas Monaſterii Millebeccenſis. 770
S. Regina Martyr. 703
Reginaldus de Porta ex Lemouicenſi Epiſcopo Bituricenſis Archiepiſcopus. 113. 124
Reginaldus de Relna Bituricenſis Archiep. 150
Reginaldus ſeu Reynaldus de Tilorio Petracoricenſis Ep. 738
Reginaldus ſancti Cypriani Pictauenſis Abbas. 734
Reginaldus ſeu Reynaldus Voſienſis Abbas. 290
Regula ſancti Benedicti & regula Canonicorum. 118
Regula S. Columbani. 365
Regulæ Monaſterii exuſtio, reſtauratio, iura & conſuetudines. 743. & ſeqq.
Regulatenſe Cœnobium. 172
S. Regulus Ep. 699
Reienſis ſeu Regenſis ciuitas. 705
Religionis deformatio. 318
Remenſia Concilia. 219. 307
S. Remigius Remenſis Archiepiſcopus 697. 703
S. Remigius Bituricenſis Archiepiſcopus. 31. 32
Remigius Autiſſiodorenſis Monachus. 159
Remiſtanum caſtrum. 157
Renaldus, vide Reginaldus, aut Rainaldus.
Renatus Chopinus. 439
Renco ſiue Rinco, aut Ranco Claromontanus Epiſcopus auunculus B. Roberti primi Caſæ-Dei Abbatis. 87. 293. 638. 651. 754. 782. 786. 797
Renouari Corpus Chriſti debet in Eccleſiis ſaltem duodecies per annum & quibus diebus. 788
Reomenſe Monaſterium. 697
Retorta collo circundata. 556
S. Reuuerentius. 203
S. Reuerianus Epiſcopus. 700
Raynaldus, vide Reginaldus aut Rainaldus.
Rhodii Equites. 122
Ricardus ſiue Richardus puer à Iudæis occiſus. 309
Ricardus I. Bituricenſis Archiep. 73. 84
Ricardus II. Bituricenſis Archiep. 80
Ricardus S. Eparchii Abbas. 182. 183
Ricardus Floriacenſis Abbas. 744
Ricardus S. Iuniani Abbas. 207
Ricardus Virdunenſis Abbas. 182
Ricardus Vſerchienſis Abbas. 283
Ricardus de S. Victore. 86
Ricardi Pictauenſis Chronicon MS. 733
Ricardus ex Comite Pictauorum & Duce Aquitanorum ac Vaſconum Rex Angliæ. 317. 318. 319. 326. 330. 331. 332 335. 337. 338. 342
Ricardus Burgundiæ Dux dictus Iuſticiarius. 201. 202. 617
Ricardus I. Normanniæ Dux. 166. 170. 202. 290
Ricardus II. Normanniæ Dux. 170. 174. 182
Ricardus Vicecomes Carlatenſis filius Raimundi Capitis ſtuppæ. 304
Ricardus filius Ricardi Vicecomitis Carlatenſis Comes Ruthenenſis. 304
Ricardus inſipiens à Comitatu Petracoricenſi expulſus. 167
S. Richarius Preſbyter Centulenſis. 699
Ricomagus ſiue Riomum oppidum. 716. 717
Ricoſindus Gothorum Dux. 590
Riglandis mater Villelmi Comitis Aruernici. 754

S. Rigomerus. 206. 221. 225. 225. 236
Rigomarus Floriacenſis Abbas. 192
Rutilius Vallarius. 685
Riuus petroſus. 282
Rixa Coardi ſeu Roca Coardi caſtrum. 757
Roberga ſeu Rotberga ſoror Vicecomitis de Rupe Cauardi. 290
Roberga de Peyrac. 300
Robertus ſeu Rotbertus aut Rodbertus Princeps Saxiacenſis vici dominus patet Roberti Fortis. 393. 394
Robertus Fortis Andegauorum Comes alter Maccabæus. 617
Robertus Dux Francorum Roberti Fortis filius & regni inuaſor. 164. 733
Robertus Pius Hugonis Capeti filius Rex Francorum. 167. 169. 179. 204. 205. 272. 280. 282. 284 765. 768. 779
Robertus filius ſancti Ludouici Comes Claromontenſis. 300
Robertus Albucenſis Vicecomes. 166. 202. 267
Robertus Aruernorum Comes. 946
Robertus Comes Claromontanus & Delphinus Aruerniæ. 761. 762
Robertus Dux Burgundiæ. 211. 290
Robertus Eboli Combornenſis filius. 290
Robertus Flandrenſis Comes. 214. 215. 293
Robertus Comes de Gloceſtria. 299. 318
Robertus Guiſcardus. 297. 300. 306
Robertus de Montrond. 290
Robertus Normanniæ Dux, vide Rollus.
Robertus Normanniæ Dux. 214. 215. 293. 302
Robertus Dux. 196
Robertus de Selit. 318
Robertus Vicecomes de Torenna. 329
Robertus de Arbriſſello. 216. 218. 733. 734
Robertus Cardinalis Cancellarius. 89
Robertus Abbas Cantinobrenſis & Yciodorenſis. 506
Robertus Cantojolenſis Abbas. 551
S. Robertus fundator Caſæ-Dei & primus Abbas. 208. 284. 293. 637. & ſeqq.
Robertus Claromontenſis Ep. 507
Robertus Coriſopitum Ep. 219
Robertus Gaguinus Ord. Mathurinorum. 57. 69. 85. 88. 122. 144
Robertus Abbas de Monte. 94
Robertus Legis Doctus. 162
Robertus Eccleſiam S. Crucis Bituricenſis reſtaurat. 12
Roca Amatoris. 337
Roca apis, vide Rupes apis.
Roca Meltis caſtrum vicinum S. Carofo. 173
Roca S. Pauli. 290. 306
Roca pauper Prioratus in Delphinatu. 660
Rocacardenſis Vicecomitatus. 173
Rochus ſeu Rocho Bituricenſis Archiepiſcopus. 56. 57. 378
Roclenus ſeu Rodenus Niuernenſis Ep. 765
Rodena ſeu Roclena Virgo. 444. 445
Rodericus Comes. 213. 216
Rodgaudus Comes. 725
Rodomum vrbs. 163. vide Rotomagus.
Rodonenſe Cœnobium. 195
Rodulfus ſeu Radulfus Rex Burgundiæ. 163. 206
Roeria vicus. 512
Roſiacum ſeu Roſec caſtrum ad Crauſiam in Biturigibus necnon Monaſterium. 173. 181. 321
B. Rogerius de Ternis Aurelianenſis, Lemouicenſis, denique Bituricenſis Antiſtes. 124. 125. 126
Rogerius Sagienſis Ep. 317
Rogerius primus Dalonenſis Abbas. 315
Rogerius Cantor Monaſterii S. Michaëlis. 181
Rogerius de Magaut Monachus S. Michaëlis. 501
Rogerius frater Adelberti Decani Magiſter & patruus Ademari Cabannenſis Hiſtorici. 174. 272. 273
Rogerius Aquitaniæ Dux. 499. 505
Rogerius ex Apuliæ Duce Siciliæ Rex primus nepos Roberti Guiſcardi. 299. 306. 309
Rogerius Biterrenſis Vicecomes improlis. 307
Rogerius filius Raimundi Trencauel Biterrenſis Vicecomes. 315
Rogerius Biterrenſis Vicecomes vir Alaiziæ. 326
Rogerius Lemouicenſis Comes, fundator Karrofenſis Cœnobii. 172. 194. 755. 756. 757
Rogerius Ductor Normannorum in Hiſpaniam. 178
Roho Engoliſmenſis Epiſcopus. 170. 180. 183. 254. 255. 256. 283. 771. 782. 796
Rolandus Cancellarius S. R. E. vide Alexander III.
Rolandus Hebertus Bituricenſis Archiepiſcopus. 150. 416
Rollus ſeu Rollo Dux Normannorum. 163. 165. 166. 300. 301
S. Romani Eccleſia prope Blauiam. 184
S. Romanus Abbas Iurenſis. 698
S. Romanus Ep. Autiſſiodorenſis. 704
Romanum Concilium ſub Vrbano Papa II. 216
Romegeyra. 358
Romei id eſt Sanctorum locorum peregrini. 531. 543
S. Romulus Preſbyter in caſtro Gordonis. 705
Ronconium caſtrum. 167. vide Ranconia.
Roricius ſiue Ruricius Bituricen. Archiep. 22
Roſcelinus vir ſanctus. 217
Roſeria villa. 632
Roſtagnus Comes Podienſis. 651
Roſtra longa in ocreis & caligis. 328
Rothida de Exigento. 282
Rotgerius, Rotlandus, Rotmundus, vide Rogerius, Rolandus, &c.
Rotojalum. 586
Rotomagi ſoluta obſidio. 319
Rotrodus perticenſis Comes. 310. 317
Rottardus Nobiliacenſis Abbas. 201
Rubiacenſe Monaſterium. 724. 725
Rudericus ſiue Rodericus Monachus. 519
Rufiacus ſuper Lignonem. 617
Ruffiacum caſtrum. 209
S. Rufinus Martyr. 700
S. Ruffina Virgo. 285
Ruiriacus. 368
Rupertus Tuitienſis Abbas. 5
Rupes ſiue Roca Amatoris. 266
Rupes Apis. 512
Rupes Cauardi. 289. 290. 325
Rupes Fulcaudi ſiue Fulcodia. 259. 262. 263. 264

Digitized by Google

Rupes Medeldis. 228. vide Rocamelcis.
Ruptarii. 732
Ruricius, vide Roricius.
Ruricii Episcopi Lemouicenses. 267. 277
Russia. 168. 169
Rusticus Petragoricensis. 180
S. Rusticus Presbyter & Martyr. 740
S. Rusticus Narbonensis Archiep. 704

S

SAbaston seu Sebastus. 316
Sabaudes Episcopus Petragoricensis. 520
S. Sabina Martyr. 702
S. Sabinianus Senonensis Archiep. 706
S. Sacedos Lemouicensis Ep. 267. 280. 661. 662
S. Sacerdos Lugdunensis Archiep. 701
Sacergia, seu Stacerca. 89. 661
Saciacus vicus. 677. vide Saxiacus vel Xasiacus.
S. Sacra. 724
Sadregisilus Dux. 731
S. Sagittarius. 286
Saladinus Princeps Saracenorum. 316. 336. 342
Salæ seu Aulæ in honorem B. M. Virginis Biturigibus dicatæ, vnde Salensis seu Salarum nostræ Dominæ Ecclesia. 8. 66. 364
Salagniacensis castelli principatus. 290
Salamniacensis villa. 857
Salazardus Capitaneus Francorum militiæ sub Ludouico XI. 134
Salernum oppidum. 203
Salgorus locus. 418
Saliniacensis castri mercatus & burgus. 281 285
Salisberiana turris, in qua per plures annos Alienora Regina Angliæ inclusa est à marito Henrico II. Rege. 319. 339
Salmontiacum. 157. 755
Salmurum castrum. 203. 206. 208 211
Salomon rex Britonum. 197. 198
Salomon Abbas sancti Angeli de castro. 357
S. Salonius Ep. Ianuensis. 703
S. Saluatoris regalis Basilica Lemouicæ, eiusque dedicatio à Papa Vrbano II. 159. 162 283. 284. 293. 294
S. Saluius Confessor. 703. 704
Saluigniacum oppidum. 365
S. Samson Archiepiscopus Dolo Monasterio in Minori Britannia mortuus. 701
Samson remensis Archiep. 87. 88
Samuel Bulgarorum Rex. 169
Sanar Admiralius. 216
Sancegin seu Sansegni filius Noradini Principis Saracenorum. 316. 336
Sancirgii Ecclesia. 89
Sancia siue Sanctia soror Bernardi Comitis Petragoricensis. 252
Sancia vxor Ademari filii Emenonis. 163. 164. 165. 201
Sancio seu Sanctius Comes de Castellis. 542
Sancius rex Hispaniæ. 293
Sancius Rex Aragoniæ. 211
Sancius seu Sanctius Nauarræ Rex. 172. 179. 184. 187. 206. 317
Sancius Vasconiæ Dux & Comes Burdegalensis. 184. 796
Sanctio Dux Aquitaniæ auunculus Arnaldi. 525
Sanctius Rex Nauarræ socer Vuillelmi I. Siciliæ Regis. 299
S. Sanctianus Presbyter. 699
Sanomus seu Sanctonus portus. 359
Sanctolus rex Castillæ. 317
Sanctonense Concilium. 202. 213. 214. vide Xantonæ.
Sancti quorum nomina Deus scit. 715
Sapaugia pagus. 452
Saraceni à Carolo Martello victi. 153. 154. 171. 172
Saracenorum ex Africa in Hispaniam transitus. 607
Saracenica candelabra. 184
Sarlatum in pago Petragorico. 315. 281. 664
Sarlatense Cœnobium. 280. 281
Satra filia Roberti de Gloceſtria vxor Ademari V. Lemouicensis Vicecomitis. 300. 310
S. Saturninus Tolosæ Episcopus. 427. 428. 431. 482 486. 703. 774
S. Satyri castrum & Abbatia. 77. 78. 86
Saualus Abbas Genoliacensis. 481
Sauaricus Toarcensis Vicecomes. 185
Sauciacum oppidum. 26
Sauiniacum castrum. 150
S. Sauinus Martyr. 665. 666
S. Sauinus Eremita. 666. 667
S Sauini Monasterium. 199
Saumara. 744
Saucius de Sarannas. 333. 337. 342
Saufiriacum Monasterium. 696
Saxiacus seu Saciacus vicus. 393
Scacarium Rotomagense in Parlamenti Curiam mutatum. 144
Scacorum tabulatum seu Scarchea tabula iocosa. 549
Scara Francorum Bituricis collocata. 157
S Scholastica soror S. Benedicti. 716
Sclauonia prouincia. 168
Sclusæ. 156
Scorallia castrum. 157. 731
Scorellani. 269
Scotorensis Ecclesia & Scotorienses Canonici. 174. 566
Scythica & Rusa, seu potius Russa, vxor Henrici I. Francorum regis. 209
S. Sebastiani Romæ Ecclesia. 111
Sebastianus secundus Artigiæ Prior. 278
Sebastianus Marcallius Monachus Siluiniacensis. 439
Sebrandus Chabotius ex Archidiacono Toarcensi Lemouicensis Ep. Romæ consecratus à Garino bituricensi Archiepiscopo. 324. 325. 326. 338. 269. 270. 276. 340. 342. 563. 759. 760
Sebrandus patet Episc. Chabotii dominus. 759
Seckingum ad rhenum Monasterium. 731
Sector ferri vnde dictus. 167
Sedaciacum Monasterium. 519
Sedonnus Colonia. 452
Seguinus de Agno Abbas Casæ Dei. 208. 284. 647. 648. 659. 660
Seguinus de Porcaria Abbas Vserchiensis. 307
Seguinus de Turribus sancti Aredii Abbas. 341
Seguinus & Guido filii Geraldi de Turribus. 303
Segunzacum. 181

Digitized by Google

Segurenſis Vicecomes. 281
S. Segolena Virgo. 724
Segolenus Bituricenſis Archiepiſcopus. 61
Selombria. 183
Sels caſtrum. 157
Senaparia in territorio Turonico. 695
S. Senardus. 469
Sendal pallium. 338
Senegunda Vicecomitiſſa Lemouicenſis. 300
S. Senicianus ſeu Seuicianus Bituricenſis Archiep. 9. 10. 11. 460
Senocella. 519
S. Senoch Abbas. 730
Separis fluuius. 223
Septa oppidum Africæ ad fretum Atlantium. 607
Septima manu iurare. 305
Septimania prouincia. 478. 698
Sepulcrum Domini Hieroſolymis fractum à Saracenis inſtigatione Iudæorum. 174. 175. 273
Seredimnus patria S. Pardulfi in Lemouicenſi pago. 599. 600
S. Serena Virgo. 287
S. Serenus Confeſſor. 704
S. Seruatius Tungrenſis Epiſcopus. 699
Sergius IV. Papa. 233
Seruorum libertas. 793
Seſedonnum Colonia. 51
Seudunum caſtrum. 703
S. Seueræ Virginis corpus repertum ab Archiep. Bituricenſi. 114
S. Seueræ caſtrum in Bituricenſi pago 269. 295
S. Seuerinus Ep. Gaualitanus. 697
S. Seuerinus Colonienſis Archiepiſcopus. 704
Seuera ſeu Separis fluuius. 203
Seuerus Treuirenſis Archiepiſcopus. 17. 32
Seuerus Sulpitius ſancti Martini diſcipulus. 32
S. Seuerus Preſbyter. 702
Sibylla filia Rodulfi de Faia. 291. 300
S. Sicarius Martyr. 334
Sicardus de Mareuil. 326
S. Sidonius Claromontanus Ep. 6. 17. 18. 19. 59. 688. 709. & ſeqq ſæpe vſque ad 720.
Sidric Comes claſſis. 200
S. Sidronius Martyr. 701
Sigaloniæ ſeu Secaloniæ Archidiaconus. 141
Sigebertus Rex Auſtraſiorum. 345
Sigebertus Chronographus. 71
Sigebertus Recluſus Baſilicæ ſancti Dionyſii Martyris. 155
Sigeburgum. 735
Sigelarius ex Comite Turonenſis Archiepiſcopus. 439. 440
Sigebrannus Pictauenſis Epiſcopus. 195. 578.
Sigiliacum prope Loſdunum. 729
Sigillæ ſextarius. 220
Siginus Bituricenſis Archiepiſcopus. 57. 58
Siginus Burdegalenſis, vide Siguinus.
S. Sigirannus Abbas. 193. 194. 767. 768. 439. & ſeqq.
Sigiſtericus pagus. 702
Signa clocarii. 299
Signa gaudii & luctus in cœlo. 160
Sigo Claromontanus Ep. 711
Sigo ſancti Florentii Abbas. 209
Sigole villa. 593
Siguinus Monachus Burdegalenſis Archiep. 175. 176. 184. 765
Siguinus ſeu Seguinus Burdegalæ Comes. 160. 161. 198.
S. Sigulina 286. vide Segolena.
Siluæ maioris Cœnobium. 212. 213
Siluanectenſium caſtrum. 699
S. Siluanus à Vandalis paſſus. 285
B. Silueſter ſocius ſancti Siluini. 444. 445
Silueſter II. Papa. 169. 171. 205. vide Gerbertus.
Siluiniacum Monaſterium. 168. 204. 298
Siluiniaci Comitalis Eccleſia. 90
S. Siluinus ſeu Siluanus Preſbyter. 444. 445. 703
S. Siluinus Martyr. 701
S. Siluinus taruanenſis Ep. 617. 618
Simon de Bello loco Bituricenſis Archiepiſcopus & Cardinalis Preneſtinus. 119. 120. 121
Simon de Soliaco Bituricenſis Archiepiſcopus & Cardinalis. 108. 109. 112. 390
Simon de Rupe-Cauardi Burdegalenſis Archiepiſcopus. 760. 761
Simon Agennenſis Ep. 213. 216.
Simon Meldenſis Ep. 560
Simon Aligreti Magiſter in Medicina & Cancellarius Bituricenſis. 130
Simoniaci damnati. 724
S. Simplicianus Martyr. 730
S. Simplicius Bituricenſis Archiepiſcopus. 6. 18. 19. 30. 59
Simplicius Auguſtodunenſis Epiſcopus. 705
Simplicius diſcipulus Bedæ. 159
Simplicius actu ſimplex. 287
Sinai montis Monaſterium. 176
Siraconus Admiralius. 316
Siuolis fluuius. 592
Siuriacum caſtrum. 186. 187
S. Sixti Martyris altare. 595
S. Sixtus II. Papa. 427
S. Sixtus primus Remorum Epiſcopus. 702
Smaragdus Abbas. 159
Solarium domus ruens. 299
Soldanus de Iconio. 536
S. Solemnis Epiſcopus Carnotenſis. 365. 703
Soleniacus vicus. 687
Solis Eclipſis. 324
Sollemniacum ſeu Solemniacenſe Monaſterium. 286. 365. 525. 790
Solodorum ciuitas. 705
S Solongia Virgo & Martyr. 447. 448. & ſequentibus.
Solumpiacum rus. 612
Somnodes ſeu Sennones. 191
Sonichildis. 153
S. Sophiæ baſilica CP. 768
Sorapte ſeu Soracte Monaſterium. 155
Sorborium Monaſterium. 42
Sorgia fons. 690
S. Sorus Confeſſor Eremita. 286. 481. 667. & ſequentibus.
Sotulares ſtricti. 328
Soullacum ſeu Solacum Monaſterium vbi meritis B. Virginis cœcigena ſanatus eſt. 298
Spatha Regiæ Coronæ. 319
Spatha ex pallio rubeo in habitu candido à militibus

militibus prælata. 316
Speculum sanctorale Bernardi Guidonis. 512. 513. 514
Spermologus Galliarum primus. 179
Spinolaius vicus. 20. 432
Squirs olim dicebatur Monasterium Regulæ ad Garumnam in Diœcesi Vasatensi. 743. 744. 748
Stabilinius socer Rodgandi. 735
Stacerua, vnde locus dictus Sancergia. 66
S. Stadiola Abbatissa. 700. vide Eustadiola.
Stagnum seu de Stagno castrum. 558
Stellæ castellum. 213
Stephana de Brè. 288
S. Stephani Leuitæ & Martyris primi sanguis in altari Bituricensis Ecclesiæ. 7. 30. 115
S. Stephani reliquiæ delatæ CP. 610
S. Stephani Bituricensis Ecclesia. 425. 426. eius dedicatio. 703
S. Stephani Bituricensis claustri immunitas à Rege concessa. 91
S. Stephani Lemouicensis Ecclesia dedicata ab Vrbano II. Papa. 293
S. Stephanus de Mureto fundator Ordinis Grandimontensis. 275. 276. 287. 317. 562. 563. 674. & seqq. fusissimè.
Stephanus II. Papa. 156. 194
Stephanus Bituricensis Archiep. 63. 64. 91. 318.
Stephanus Domalei ex Abbatæ Casæ-Dei Tolosanus Archiepiscopus. 660
Stephanus Camerarius ex Canonico Bituricensi Agathensis Episcopus. 143
Stephanus Aruernorum Ep. 711. Pontium Aruernorum Comitem excommunicat. 795
Stephanus de l'Aubespine Lemouicensis Episcopus. 760
Stephanus Podiensis siue Anicensis Ep. 765. 782. 786. 797
Stephanus Episcopus occisus. 733
Stephano Abbati Casæ Dei dicatur narratio de virtutibus & miraculis B. Roberti primi illius Cœnobii Abbatis. 652
Stephanus S. Augustini Abbas. 289
Stephanus Besuensis Abbas. 619
Stephanus de Belmon Casæ Dei Abbas. 284
Stephanus de Bresons Abbas Casæ-Dei. 660
Stephanus de Castris Abbas. 316. 341
Stephanus Burgensis Abbas de Clusa & Cluniacensis. 313
Stephanus S. Martialis Abbas 272
Stephanus Abbas siluæ majoris. 219
Stephanus de Lissiaco Prior Grandimontensis. 317. 683
S. Stephanus Obasinæ Prior. 287
Stephanus de Mercurio discipulus B. Roberti Abbatis Casæ-Dei. 648. eius vita scripta memoratur. 660
Stephanus Blanderix Prior Tutellensis. 291
Stephanus Iterius Canonicus sancti Frontonis. 738
Stephanus de la Chassaigna Presbyter Subterraneæ. 303
Stephanus Hungariæ rex. 168. 170. 172
Stephanus Angliæ Rex. 308. 309. 310
Stephanus Dux Galliarum. 285
Stephanus Aruernensis Comes. 198
Stephanus Blesensium & Carnotensium Comes. 214. 293. 308
Stephanus de Bosac. 291
Stephanus Faber. 317
Stephanus Malafaida cœcus à natiuitate. 298
Stephanus pater Helenæ de Rohan. 327
Stephanus Comes Sacri-cæsaris. 310
Stephanus dominus seu Vicecomes de Thierna seu Thierno pater sancti Stephani de Mureto. 275. 674
Stephanus Turonensis Quæstor. 432
Stephanopolis. 272
Stirpense Cœnobium. 211. 215. 285. 287
Stiualis villa prope Carobryas. 356
Stodilus Lemouicensis Ep. 161. 267. 271
Storim Rex Normannorum. 167
Strata publica. 278. 289
Stupæ filo fingere castrum & ex eo candelas facere. 335
Sturiones & Saumones. 745
Sturminius Bituricensis Comes. 715
Sylus iurisdictionis Ecclesiasticæ. 143. 149
Subterranea. 282. 283. 285. 303
Succentoria. 109
Sugerius sancti Dionysii Abbas. 82. 304
S. Sulpitius Pius Bituricensis Archiepiscopus, eiúsque miracula, & Abbatia siue Monasterium olim Nauense dictum in suburbano Bituricæ ciuitatis. 30. 37. 38. 39. 40. 41. vsque ad 53. 84. 87. 131. 342. 344. 352. 355. 358. 376. 393. 451. 544. 627. 702. 704
S. Sulpitii prope Rhedonas in Armorica Abbatia Monialium. 719
S. Sulpitius Seuerus Bituricensis Archiepiscopus. 32. 33. 455. 698
Sunberno siue Sombernonium castrum. 625
S. Supporina. 716
Suppara & Almutiæ Canonicorum. 130
Susanna mater sanctæ Valeriæ. 285
S. Syagrius Augustodunensis Ep. 702
Syagrius Bituricensis Archiep. 21
S. Symphorianus Martyr Augustodunensis 701
S. Symphoriani Basilica Biturigibus nunc à S. Vrsino dicta. 9. 25
Synodales Constitutiones Antonii Bohierii Archiepiscopi Bituricensis, omnibus Clericis valdè vtiles. 798. & seqq.
Synodus septem Archiepiscoporum in Francia die Pentecostes tempore Roberti Pii Regis & Gauzlini Bituricensis Archiepiscopi. 180
Synodi, vide Concilia passim suis locis, tum Generalia tum particularia & Nationalia.

T

TAillada id est quæstus. 282
Taillada seu expletum. 308
S. Thalazius seu Thalassius Episcopus. 629
Talemontense Monasterium. 208
Tancredus nepos Boamundi. 214. 215
Tarauisum seu Taruisa vibs. 735
Tarnis fluuius. 479
Tassilo Baioariorum Dux. 155. 156. 157. 734. 735. 736
Tasturiacensis Abbatia. 300. vide Tusturiacensis.
S. Taurinus Ep. Auxitanus. 598

Techretus Bituricensis Archiep. 11
Teclatense Monasterium. 723
Tedoat locus seu Theodata villa Aquitaniæ. 157
Teelinus Burgulienſis Abbas. 173
Tempestas horribilis & grando. 147
Templarii & Templariorum Militiæ Magister Supremus. 110. 122. 147. 221. 296. 739
Tenezaium vicus Pictauensis Diœcesis. 392. 730
Teodisca gens. 164. vide Thetisca.
Teotolo seu Teutolo Turonensis Archiep. 166. 202
Terentia Abbatissa. 432
Ternense Castrum, siue de Ternis. 115. 126. 127
Terrassonensis Abbatia. 286
Testiacus seu Festiacus vicus. 563
Tetbaldus siue Tetbaudus Carnotensis & Campanensis Comes. 203
Tetbaldus filius Odonis II. Comitis Carnotensis. 208. vide Theobaldus.
Tetradius Bituricensis Archiepiscopus. 20. 432
Tetradius filius S. Eustadiolæ. 55. 377
Teutonici Flandrenses. 328
Tezo Barcinonensis. 236
Thalamus Abbatum. 288
Thalassius Andegauensis Episc. 16. 704
Thaumastus Ep Mimatensis. 733
Theobaldus seu Tetbaudus, Tetbaldus, aut Thetbaudus Malleacensis Ep. 245
B. Theobaldus Doratensis Canonicus. 683. 684
Theobaldus Cluniacensis Abbas. 325. 326. 331. 337. 338
Theobaldus Monachus Auctor librorum quatuor de Miraculis Sancti Prudentii Martyris. 637
Theobaldus Magnus Campaniæ Comes. 87. 304. 308. 309
Theobaldus Blesensium Comes. 70. 308. 311
Theobaudus Chabot frater Sebrandi Lemouicensis Episcopi. 729. 759
Theobaldus interfectus. 733
Theodatus Cantor Aurelianensis. 181
Theodebertus Francorum Rex. 365
Theodebertus filius Chilperici Franciæ Regis sepultus Engolismæ. 152. 250
Theodebertus, vide Theotbertus.
Theodelinus primus Abbas Malleacensis Cœnobii. 206. 208. 229. 230. 231. 232. 233. 236. 237
S. Theodericus Presbyter Remensis. 701
Theodericus Rex Austrasiæ. 498. 492
Theodericus I Francorum Rex. 193 194. 415
Theodericus II. filius Dagoberti Francorum Rex. 153. 155
Theodericus Saxonum Dux. 155
Theodericus Portuensis Ep. 327
Theodorus discipulus S. Pardulfi. 604
Theodosius Imperator. 177
Theodulfus Aurelianensis Ep. 159
Theodulfus cognomento Babolenus Abbas. 365
S. Theofredus Martyr. 684. & seqq.
Theofredus Auraicæ vrbis Princeps. 688
Theophalia. 730
Theophilus Alexandriæ Archiep. 178
Theotbertus siue Theodebertus vel Thietbertus Matriacensis Comes. 159
Theotsinda Ratbodi filia. 153
Thesaurorum Regalis Procurator. 26. 366
Thesaurus Ecclesiæ S. Martialis necnon Prioratus Grandimontensis ab Henrico iuniore Anglorum Rege direptus. 336
Thiernum, vide Tiernum.
Thisia super Duuinum seu Dubim. 628
S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus & Martyr. 318. 319. 515
S. Thomas Aquinas Ordin. Prædicat. 121
Thomas Cantipratensis. 410
Thomas de Muro Prior de Salis. 124
S. Thyrsus Martyr. 287. eius Ecclesia in agro Cassiano. 695
S. Tigridius Archidiaconus. 722
S. Tiberius Martyr. 705
Tiernum seu Thierna, aut Tiernense Cœnobium & oppidum. 287. 503. 674. 675
S. Tillo Monachus. 267. 286
Timotheus Martyr. 702
Titonense Monasterium in Pertico. 217. 218
Titus Liuius. 4. 59
Toarcium, Toarcense, Toarcis aut Toarcium castrum. 157. 185. 220. 225
Toletanum regnum. 317
Tolosa obsessa. 597
Tolosanum Concilium. 119
Tolosanus Archiepiscopus Bituricensi Patriarchatui subditus, cum aliis tribus dicitur ab Anonymo. 4
Toluera fluuius in territorio Engolismensi. 257
Tomolatense Monasterium in pago Petragoricensi. 171
Tonna vini. 522
Torenna castrum & Torennensis pagus ac ditio. 157. 290. 526. 543. 731
Tornodorense oppidum. 557
Totila Gothorum Rex. 411. 412
Trajanus Imperator Romanorum. 580
Trajectum Alemaniæ vrbs. 345
Trecense Concilium. 217
Trembleuicus in Prouincia Carnotensium. 362
Tremuliuicus. 370
Tres cypressi locus quidam in Pictauensi solo. 665. 666
Treugæ & communiæ iuramentum. 95
S. Tridorius Martyr. 698
S. Trinitatis Vindocinense Monasterium. 208
Trioa castrum vel fluuius. 152
Tripolis vrbs. 645
S. Troësius Confessor. 740
S. Trojanus Episcopus Sanctonensis. 715
S. Trocœia. 728. 733
S. Trophimus Arelatensis Archiep. 482. 706
Truanus Podiensis Decanus. 750. 751
Tudensis Episcopus primò fuit Bernardus Guidonis, deinde Lodouensis in Prouincia Narbonensi. 512
Tudites seu Tudes, id est. Martellus, cognomen Caroli Majoris-domus. 194
Tungrensis ciuitas. 5
Turcopoli. 214
Turcorum tyrannica agendi ratio. 293
Turbiacum castellum Archiepiscopi Bituricensis. 113. 116

Digitized by

S. Turianus Episcopus. 703
Turnus Hectoris Troiani filius. 148
Turonensia Consilia. 15. 30. 90. 197. 209. 213
Turpio Lemouicensis Episcopus. 166. 174. 202. 267. 272. 277. 278
Turpio Engolismensis Comes. 160. 162. 199. 251
Turrenses Principes seu de Turribus in Diœcesi Lemouicensi. 286. & seqq.
Turris Bituricensis muris, propugnaculis ac fossis munita ac cincta. 96
Turris Romæ dicta ad septem salas. 301
Tussis immoderata. 320
Tusturiacensis Abbatia & quatuor eius Abbates. 285. 300. 328
Tutela seu Tutellensis vrbs, cuius Abbatia fundata dicitur temporibus Caroli Magni. 286. 290. 291. 769
Tutela ciuitas in Hispania. 213
Tyla seu Tyle fluuius. 631

V

VAddomarus Vicedominus. 358. 359
Vagena quæ dicebatur Condo. 258
Vaiferius, vide Vvaiferius.
Valafredus seu Vvallefridus Carrofensis Abbas. 755. 757
Valentia Hispaniæ ciuitas. 213. 216
Valentinianus Imperator. 286
S. Valentinus Martyr. 702
S. Valeria Protomartyr Aquitaniæ dicta, eiusque Cambonense Monasterium. 285. 297. 314. 315. 328. 706
S. Valerianus Martyr. 703
S. Valericus Confessor, eiusque corpus, Basilica ac villa. 157. 166. 173. 283. 284. 285. 313.
Valerius Presbyter. 665
S. Valerius Treuirensis Archiep. 698
S. Valerius Martyr. 700
Vallis Corbaria. 154
Vallis claræ vicus. 598
Vallis Vmbrosæ ordo. 81
Vallouicus. 586
Vandelberti Martyrologium Metricum. 47
S. Vandregisilus. 193. vide Vvandregisilus.
Vapingum ciuitas. 699
Varesia castrum in Sanctonico pago. 757
Vasionensis ciuitas. 698
Vassalaicum. 84
Vassaticum. 156
Vassus & Francus. 191
Vassi Dominici. 723
Vastinum seu Vastinense oppidum in Diœcesi Bituricensi. 41. 80. 89. 414
Vastinensis pagus. 705
Vaurum castrum. 216
Vebaldus siue Hucbaldus Caluus Monachus. 159
Vectatoria cathedra. 170
Vectius seu Vettius Epagathus vnus ex Martyribus Lugdunensibus, ex cuius genere Leocadius Senator & Dolensis dominus. 7. 425
Vefaldingi seu Vvinfaldini. 197
Vellauensis Comitatus. 685. 688
Venantius Fortunatus Pictauensis Episcopus. 365. 474
S. Venantius Turonensis Abbas. 704
S. Venerandus Episcopus. 16. 714
Veneti. 736
Venna viculus in Aruernia. 643
Ventadorensium Vicecomitum Genealogia. 290
Ventadorensis Domini curia. 322
S. Vera. 721
S. Veranus Lugdunensis Ep. 703
S. Veranus Caullicensis Episcopus. 690. & seqq.
Vermeria villa. 155. 755
Vernuciæ Abbatia. 89
S. Veronica coniux S. Amatoris. 265. 266
Vertauense S. Martini Monasterium. 199
Vertolium castrum. 162
Vesol, vide Visorium.
Vestium deformitas. 328
Vettius Epagathus vide Vectius.
Vetus Pictauis. 155
Vezeliacense Monasterium. 219. 610. vide Vizeliacum.
Vgo, vide pluribus Hugo suo loco.
Vgo Comes amicus Caroli Simplicis. 164
S. Viator minister S. Iusti Lugdunensis Archiep. 702
S. Viator Bituricensis Archiepiscopus. 12. 570
Vibero castrum. 156
Vicariæ Vosiensis medietas. 288
Vicecomes de Fenouillet. 304
Vicenna fluuius, vide Vigenna.
S. Victor Martyr. 701. 703
Victor II. Papa ex Abbate Cassinensi. 289
Victor Antipapa, vide Octauianus.
S. Victoris Parisiensis Abbatia. 451
Victoria non longè ab Auarico. 370
Victorianus Monachus. 519
S. Victorinus Petabionensis non Pictauensis Episcopus. 705. 728
S. Victorinus Martyr. 699. 714
Victorius Comes. 718
S. Victurnianus Confessor natione Scotus. 287. 695
S. Victurius seu Victor Ep. Cenomanensis. 702
Vicuedonum castrum. 186
Vicus Iulius. 589
Viennensia Concilia. 122. 218. 220
Vierna coniux Sicardi de Boyssa. 327
Vigenna siue Vicenna aut Vinzenna, fluuius. 174. 277. 278. 286. 303. 304. 310. 358. 359. 365. 616.
Vigona aqua. 465
S. Vigor Bajocensis Ep. 705
Vilicius siue Sillicius Bituricensis Archiep. 14
Villaboense Territorium. 738
Villælupæ Cœnobium. 195
Villanoua secus Vtrionem fluuium. 40
Villaris villa pagi Ruthenici. 534
Villelmus, vide Vvillelmus.
Villemond vallis. 447. 448
Vincenna siue Vinzenna, vide Vigenna.
S. Vincentianus eiusque vicus ad Vigennam. 287. 295
Vincentius Trecensis Ep. 349
Vincentius Bellouacensis Episcopus. 32. 40. 67.

Vinciacus curtis Regia. 592
Vinciacenſis foreſta. 591
Vindocinenſe Monaſterium eiúſque Abbas. 90. 208
Virdunenſis ciuitas. 28
Virmandenſe ſeu Vermandenſe oppidum. 704
S. Virgana virgo ouium cuſtos. 732
Virſionum ſiue Virzionis Monaſterium & caſtrum. 70. 89. 113. 717
Viſera ſiue Vizera fluuius. 281. 295. 569
Viſio defuncti militis. 282
Viſitationis Beatæ Virginis feſtum celebrari ſolitum Biturigibus cum proceſſione ſolemni. 136. 137
Viſitatio Burdegalenſis Prouinciæ ad Bituricenſem Archiepiſcopum iure pertinens. 90. 94. 95. 96. 116. 118. 120
Viſorium oppidum, ſiue Veſol. 631. 632
Vitapoi caſtrum. 259
Vitalis Toloſanus Archiepiſcopus. 130
B. Vitalis Sauineii Abbas. 217
Vitrea ſepulcri. 291
Vitriacum caſtrum. 87
Viuarienſe territorium. 700
Viuarium Borbonenſis vicus, Viuarienſe Monaſterium & caſtrum. 87. 416. 419. 423. 649. 704
Viuianus Dux. 162
Viuianus Vicecomes de Lomagria. 326
Vizeliacence ſeu Vizeliacum Monaſterium. 219
Vltracluſanæ partes. 544
Vmbaldus ſiue Humbaldus Lemouicenſis Ep. 213
Vmbertus ſiue Humbertus Bituricenſis Comes. 731
Vmbertus ſiue Humbertus Drutus. 174
Vngria alba & nigra, vide Hungaria.
Voërſa, forte Noerta. 164. 161
Volra ſiue voluta. 122
Voluentum & Maruentum. 245. 246
Voſienſes & Monaſterium Voſienſe in Diœceſi Lemouicenſi. 280. 286. 338. vide Gaufredus Prior Voſienſis.
Vrbanus II. Papa dictus antea Odo. 213. 216. 291. 292. 293. 294. 295. 659. 755
Vrbanus III. Papa. 95. 96. 317. 682
Vrbanus VI. Papa. 128
S. Vrbicus Aruernenſis ſeu Claromontanus Epiſcopus. 487. 497. 713
Vreec caſtrum in Biturico. 295
S. Vrſinus Biturigum primus Antiſtes eiúſque corporis inuentio ac releuatio. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 29. 138. 426. 447. 455. & ſeqq. 704. 705. 706
Vrſinus Socius S. Auſtremonii primi Aruernorum Epiſcopi. 483. 487
S. Vrſus Epiſcopus Autiſſiod. 701
Vrſo Canuſinus Archiepiſcopus. 213
S. Vrſula Virgo & Martyr. 17
S. Vrſus Confeſſor. 696
S. Vrſus Martyr. 705
Vſarchienſe ſiue Vſercenſe Cœnobium. 283. 285. 286. 310. 790
Vtrionis fluuius. 6. 39. 40. 149. 358. 359
Vvaciacum prædium ſeu Vaciacum. 576
Vvaifarius ſeu Vvaiferius Duc Aquitaniæ. 156. 157. 725. 734. vide Gaiferius.
Vvaiferi caſtrum. 725
Vvalander Faber Ferrarius. 167
Vvalaus ſeu Vvala Monachus. 259
S. Vvalericus, vide Valericus.
S. Vvalerici Monaſterium. 283. 284
Vvalkefridus, vide Valafredus.
Vvandelmarus Maſciacenſis Abbas. 732
Vvallouicus & Vvandelbertus, vide Vallouicus & Vandelbertus.
S. Vvandregiſilus Fontanellenſis Abbas. 193. 701
Vvarectenſe ſeu Garactenſe Monaſterium. 600
Vvaragaildus Comes. 522
Vvaredonia prouincia. 168
Vvarinus ſeu Varinus Aruernorum Comes & Dux. 158. 161. 200
Vvarmatia ſeu Varmazia ciuitas. 157. 735. 736
Vvarnarius ſeu Vvarnacharius, aut Garnerius Majordomus de palatio Theoderici Burgundiæ Regis. 38. 39. 355
Vvarnoardus Preſbyter. 464
Vvaſnacum boſcum. 184
Vvartempa ſeu Vvartimpa fluuius. 426. 665
Vvaſſi & Vvaſſaticum, vide Vaſſi.
Vvaſtinium oppidum, vide Vaſtinum.
S. Vvedaſtus Ep. Cameracenſis. 698
Vvicfridus Bituricenſis Comes. 393
Vvicterbus Epiſcopus & Abbas ſancti Martini Turonenſis. 736
Vvido ſeu Vido, vide Guido.
Vvido de Laranda Lemouicenſis Ep. 284
Vvido Podienſis ſeu Vellauenſis Ep. 765
Vvido Lemouicenſis Vicecomes. 173. 176. 180. 182
Vvido filius Geraldi Lemouicenſis vicecomitis. 166. 170. 171. 172
Vvido Aruernicus Comes. 754
Vvigenna fluuius, vide Vigenna.
S. Vvillebaldus Epiſcopus. 705
Vvillebaldus Comes. 443
Vvilcia ſiue Vilcia. 736
S. Vvillelmus ſeu Guillelmus Bituricenſis Archiepiſcopus. 97. 98. 99. vſque ad 107. 116. 117. 379. & ſequentibus. 697. 699. ac ſæpe alibi
Vvillelmus Legatus Papæ. 313
Vvillelmus Cardinalis nepos Clementis VI. Papæ & cum eo ſepultus in Abbatia Caſæ-Dei. 661
Vvillelmus de Brocia Bituricenſis Archiepiſcopus, deinde Senonenſis. 124
Vvillelmus Boiſraterius Archiepiſcopus Bituricenſis. 130. 131. 132
Vvillelmus Cambrainus ex Decano Bituricenſis Archiepiſcopus. 139. 141. 142
Vvillelmus Templierius Burdegalenſis Archiepiſcopus. 94. 95. 340
Vvillelmus ex Radingenſi in Anglia Abbate creatus Burdegalenſis Archiep. 319
Vvillelmus Remenſis Archiepiſcopus. 315. 560
Vvillelmus de Capella Taillefer Archiepiſcopus Toloſanus & Cardinalis. 125
Vvillelmus Autiſſiodorenſis Ep. 390
Vvillelmus Amici Carnotenſis Epiſcopus & Patriarcha Hieroſolymitanus. 760
Vvillelmus Du Prat Claromontanus Ep. 714
Vvillelmus Engoliſmenſis Ep. 209. 257

Vvillelmus de Podio Lemouicenſis Ep. 170
Vvillelmus Lemouicenſis Ep. ex Priore Monaſterii S. Martialis. 295. 298
Vvillelmus de Cros Nemauſenſis Ep. 761
Vvillelmus Bartonis Decanus Lemouicenſis & electus Epiſcopus. 759
Vvillelmus de Alba Roca Petracoricenſis Ep. 738
Vvillelmus de Nanclars Petracoricen Ep. 738
Vvillelmus de Monte-Berulfo Petracoricenſis Epiſc. 738
Vvillelmus Petracoricenſis Ep. 212
Vvillelmus Pictauenſis Ep. 238. 276
Vvillelmus Adelinus ſiue Adelelmi Pictauenſis Ep. 220. 303
Vvillelmus de Charpeignes electus Epiſcopus Pictauenſis confirmatus ab Archiep. Bituricenſi. 133
Vvillelmus Temperii ſeu Templers Epiſcopus Pictauenſis. 340. 728
Vvillelmus cognomine Giſlebertus Pictauenſis Ep. 218. 220
Vvillelmus Carrofenſis Abbas. 755
Vvillelmus de Vlmo Caſæ-Dei Abbas. 660
Vvillelmus de Torent Abbas Caſæ-Dei. 660
Vvillelmus Gauterii Abbas Caſæ-Dei ac deinde S. Medardi Sueſſionenſis. 660
Vvillelmus Cluniacenſis Abbas. 325
Vvillelmus de Tiguera Dalonenſis Abbas. 357
Vvillelmus Dauratenſis Abbas. 740
Vvillelmus Dena Figiacenſis Abbas. 288
Vvillelmus S. Florentii Abbas. 209
Vvillelmus Fontis Gombaudi Abbas. 218
Vvillelmus Pellicerij primus Abbas Grandimontenſis. 277
Vvillelmus Maimatenſis Abbas. 319
Vvillelmus Maioris Monaſterii Abbas. 741
Vvillelmus Malleacenſis Abbas. 238. 239
Vvillelmus S. Martini Lemouicenſis Abbas. 305
Vvillelmus Mauziacenſis Abbas. 507
Vvillelmus S. Sulpitii Bituricenſis Abbas. 114
Vvillelmus Alabat eiuſdem S. Sulpitii Abbas. 142
Vvillelmus S. Theofredi Abbas. 687
Vvillelmus Tutellenſis Abbas. 291. 325. 329
Vvillelmus Virzionenſis Abbas. 737
Vvillelmus ex Priore Caleſii voſienſis Abbas. 321. 325. 326. 339
Vvillelmus de Axia Grandimontenſis Prior. 317. 324
Vvillelmus Grandimontenſis Prior. 338
Vvillelmus Monachus S Mariæ Caritatis. 220
Vvillelmus de Nangis Monachus & Chronographus. 5. 87. 117. 119. 121
Vvillelmus Paruus Ordinis Prædicatorum Regis Francorum Franciſci primi à Confeſſionibus. 145
Vvillelmus Cambraius Cancellarius Eccleſiæ & Vniuerſitatis Bituricenſis. 133
Vvillelmus de Chalondeyras vices agens Petri Lemouicenſis Epiſcopi. 296
Vvillelmus Eremita ab abſtinentia dictus, Sueſſionenſis Archidiaconus, S. Guillelmi Bituricenſis Archiepiſcopi auunculus. 97. 379
Vvillelmus Godardi Præcentor Sancti Martini Turonenſis. 33
Vvillelmus Præpoſitus Claromontenſis auunculus Roberti Claromontani Epiſcopi 507
Vvillelmus Officialis Lemouicenſis. 329
Vvillelmus de Malmont Lemouicenſis Canonicus. 129
Vvillelmus I. Rex Anglorum & Dux Normannorum dictus Manzer ſeu Nothus, Triumphator & Conquæſtor. 211. 284. 293. 302
Vvillelmus II. Rex Anglorum cognominatus Rufus. 216. 293. 302
Vvillelmus la Maſpa filius Gaufredi Plantageniſtæ dicti & Mathildis Imperatricis. 302
Vvillelmus Longaſpatha filius Rollonis & Normannorum Dux. 166. 202
Vvillelmus Normannus. 213
Vvillelmus I. Siciliæ Rex. 299. 309. 317
Vvillelmus II. Siciliæ Rex. 299. 317
Vvillelmus Pius dictus Aquitaniæ Dux I. 70. 272. 733
Vvillelmus II. Dux Aquitaniæ Pij nepos ex ſorore & Acfredi frater Bituricam fraude intercepit. 733
Vvillelmus III. Dux Aquitaniæ & Comes Pictauorum filius Ebli Manzeris & Adelæ, dictus Caput Stupæ. 165. 166. 202. 203. 280.
Vvillelmus IV. filius Vvillelmi Capitis Stupæ Dux Aquitaniæ Ferabrachia cognominatus. 167. 203
Vvillelmus V. Dux Aquitaniæ & Comes Pictauorum cognomine Magnus. 167. 170. 172. 173. 177. 180. 181. 182. 184. 185. 186. 203. 207. 237. 544. 738. 776
Vvillelmus VI. Dux Aquitaniæ Pinguis dictus. 172. 180. 185. 207. 755
Vvillelmus VII. Dux Aquinaniæ qui & dictus Petrus Acer, ſiue Acerrimus. 209. 210
Vvillelmus VIII. qui etiam Guido dictus Dux Aquitaniæ. 287. 289. 301. 304
Vvillelmus IX. Dux Aquitaniæ filius Guidonis. 215. 216. 217. 219. 220. 287. 289. 297. 299. 301. 304. 322
Vvillelmus X & vltimus Dux Aquitaniæ qui apud S. Iacobum in Gallecia obiit. 216. 220. 259. 260. 261. 297. 299. 300. 3[illegible]4
Vvillelmus Aruernenſis ſeu Claromontanus Comes 160. 163. 165. 201. 284. 754
Vvillelmus Comes Claromontis & Delfinus Aruerniæ. 763
Vvillelmus frater Geraldi Comitis Aruernenſis 160. 161
Vvillelmus Arnaldi nepos Raimundi Brenni. 332. 338
Vvillelmus Bleſenſis Comes. 160
Vvillelmus ſeu Guillermus de Caluiniaco I. dominus Dolenſis filius Andreæ & Dionyſiæ. 740
Vvillelmus de Calueniaco II. dominus Dolenſis 740. 741.
Vvillelmus de Calueniaco III. dominus Dolenſis ſeu Caſtri Radulphi. 740. 741
Vvillelmus de Carleomeras. 269
Vvillelmus de Caſtelleyrac. 291
Vvillelmus de Chanceleyra miles. 340
Vvillelmus Ademari miles de Celon. 289
Vvillelmus filius Ebali Combornenſis. 290

Vvillelmus Alduini filius Comes Engoliſmenſis Sector-Ferri I. cognominatus. 165. 166. 167. 172. 180. 181. 182. 183. 184. 188. 252. 298. 318. 320. 323. 325. 755
Vvillelmus II. Sector-Ferri dictus Comes Engoliſmæ 323
Vvillelmus III. Sector Ferri Comes Engoliſmenſis. 323
Vvillelmus Sapiens Comes Engoliſmenſis. 254. 256. & aliis locis.
Vvillelmus de Gordon. 300
Vvillelmus Iaquelis. 325
Vvillelmus de Longaſpa. 317
Vvillelmus dictus Peregrinus tertius filiorum Ademari Vicecomitis Lemouicenſis. 300. 331
Vvillelmus Mareſchaux. 337
Vvillelmus Gros de Martello. 322
Vvillelmus Martiliacenſis Vicecomes. 181
Vvillelmus de Maſtacio. 260
Vvillelmus Matiſconenſis Comes cognomento Bucca vncta. 176
Vvillelmus Mita. 322
Vvillelmus de Monte-Lucio. 290. 291
Vvillelmus de Monte-piſleio vel Peſſerio. 218. 291. 308
Vvillelmus de Monte Rugoſo. 763
Vvillelmus de Narbona. 218
Vvillelmus Pandolf. 310
Vvillelmus Panet. 324
Vvillelmus Papia. 313
Vvillelmus Partiniacenſis ſeu Partheniacenſis. 208
Vvillelmus Talerandus Comes Petragoricenſis. 167
Vvillelmus Sathanat locum tenens Ducis Ioannis Bituricenſis. 190
Vvillelmus Tiernenſis. 754
Vvillelmus Toloſæ Comes. 162. 163. 322
Vvillelmus Toloſanus Comes frater Pontii qui ab Artoldo priuigno ſuo interfectus eſt. 535
Vvillelmus Toloſanus Comes filiis Pontii. 210
Vvillelmus Toloſanus Comes pater Raymundi de Sancto Ægidio. 299
Vvillelmus IV. Comes Toloſæ qui obiit Hieroſolymis. 304
Vvillelmus de Valentia. 238
Vvillelmus Sancij Dux Vaſconum. 743. 744. 748
Vvillelmus Vidal. 323
Vvillelmus Virzionis domitus. 737
Vvillelmus Vicecomes. 290
Vvinebrandus ſcripſit hiſtoriam S. Illidii Aruernorum Epiſcopi ſæpe à Sauarone laudatam. 710. 711. 715. 720
Vvinethi ſiue Vvinidi populi. 735
Vviomarchus vulgo Mormanus. 158
Vviſera ſeu Viſera fluuius. 281. 295. 669. 735. 736
Vvitbertus cuius oculos radicitus euulſos ſancta Fides reſtituit. 531
Vvlcaſſinus pagus. 705
S. Vvlfadus ſeu Vvlphadius Archiepiſcopus Bituricenſis. 67. 68
S. Vvlfardus. 263
S. Vvlfarius ſeu Vvilpharius Monachus. 469
Vvlfinus ſeu Vvlphinus Epiſcopus. 738
Vvlfinus Monachus 371. 376
Vvlfolentus ſiue Vvlfeodus Bituricenſis Archiepiſcopus. 44. 45. 54. 55
S. Vvlfranus Senonenſis Archiepiſcopus. 193. 698
Vvlgrinus Bituricenſis Archiepiſcopus, eiuſque variæ Epiſtolæ. 82. 83. 84. 88
Vvillelmus frater Alduini Abbatis S. Dionyſii Comes Engoliſmenſis & Petragoricenſis. 161. 163. 165. 199. 251. 259. 260. 261. 262. 304
Vvlgrinus iunior Comes Engoliſmenſis. 326
Vvltonnæ fluuii caput. 211
Vvlzorum fratres. 159
Vvoltumna ſiue Vvltonna fluuius. 197
Vvrotum. 89

X

Xantonæ ſiue Santones. 305
Xantonenſis Epiſcopus obuiàm procedit Archiepiſcopo Bituricenſi Prouinciam Burdegalenſem viſitanti. 110
Xantonenſis Eccleſia Cathedralis dedicata ab Archiepiſcopo Bituricenſi præſente Burdegalenſi Antiſtite. 95
Xantonenſe Concilium, vide Santonenſe.
Xaſiacum Monaſterium. 698. vide Saxiacum ſeu Saciacum.
Xene filia Raimundi primi Antiochiæ Principis vxor Emanuelis Imperatoris Græcorum. 297.
Xenodochia pauperum. 296
Xenodochium in Marchia fundatum. 116

Y

Yciodorenſe ſiue Iciodorenſe in Aruernia Monaſterium. 488. 491. 499. 501. 502. 505. 757
Ymo ſiue Immo Comes Petragoricenſis. 525
Yrilanda id eſt ferrea inſula. 433
Yſabel ſiue Iſabella de Ialhinet Comitiſſa Claromontana. 762
Yſabel ſiue Iſabella de Monte-acuto filia Comitis Dalphini Aruerniæ. 762
Yſembertus, vide Iſembertus.
S. Yuonii ſiue Iuonii caſtrum. 506. 756. 757.
Yuraium prope Heriſſonium Diœceſis Bituricenſis oppidum. 438

Z

S. Zacharias Preſbyter & Martyr Lugdunenſis. 700
Zacchæus puſillus. 444. 446
Zacharias Papa. 165
Zeno Imperator Romanorum. 6
Zoſimus Papa. 706

FINIS.

BIBLIOTECA CENTRAL DERECHO

CORRIGENDA NONNVLLA IN II. TOMO.

PAg. 17. S. Auſtregiſili de Ciſtro, *lege* Caſtro.
Pag. 41. coruſcat, *lege* coruſcant. 60. Matæhi, *lege* Matthæi.
Pag. 70. Virſione, *lege* Virſione. 73. *lege* de Richardo I.
Pag. 131. vbi 1409. *forte melius* 1419. Seq. *lege* Natus in hac. deinde Lauangourdus.
Pag. 144. Poſt nonageſimo *adde* nono ſupra mille. 148. S. Philippi religiosè.
Pag. 162. fratrem, *lege* patrem de Imperio eiecerat. Et poſt aliquot lineas, Ludouicus frater eius obijt, *corrige* filius. Seq. Roſum *lege* Rolum.
Pag. 167. *lege* filium Hugonis Regem eligunt.
Pag. 171. Felix Aureolus, *lege* Felix. 175. S. Gregorij *lege* Georgij: infurnalibus *lege* infernalibus. 181. irata & timens, *lege* tumens. 183. Graciæ, *lege* Græciæ: ex limo imagines *forte* ex lino. 189. hononem *lege* honorem. 191. miraretur, *lege* miratur.
Pag. 192. Reum, *lege* Renum & Auianus, *lege* Amianus. 195. *lege* Vcbaldum.
Pag. 198. Poſt DCCCLXVIII. *ſcribe* Beatiſſimi Mauri corpus. 219. Fontonis, *lege* Frontonis. 237. MXIX. *lege* MXXIX. aut MXXX. 264. obſidio Choſæ, *lege* Toloſæ.
Pag. 265. Hiſtoriæ Lemouicenſium Epiſcoporum Apographum edito longè vberius poſtmodum nacti ſumus, de quo aliàs. 270. pro 1404. *ſcribe* 1204.
Pag. 280. DCCCXCCVI. *lege* DCCCCXCVI. Errat verò hic auctor, quòd ad hæc tempora differat Guillelmum Caput ſtupæ dictum, qui pridem obierat; ſed hæc atque alia iudicio ac coniecturæ Lectorum permittere malui, quàm commentariis meis pluteos onerare.
Pag. 283. tertia illius *lege* terra. 286. ſuſpectus mihi eſt Hilarius ille Papa. 288. Abbatem S. Michaëlis Ademarum, *lege* Martialis.
Pag. 298. Deformis anima plus æquo parauit *legendum auguror* deformis aruina plus æquo grauauit. Pag. 300. Hinc Henricus Rex, *lege* Huic: ſeq. dominium, *lege* hominium.
Pag. 317. Poſt Berenger *ſic interpunge.* Filij Sanctoli Ferdinandus ac Sanctolus, & pag. 318. expetunt Regem. Burgenſes perterriti clocarium munierunt.
Pag 322. & Ebolus patres mei, *lege* fratres. 331. Suſturiacenſis, *lege* Tuſturiacenſis.
Pag. 383. Hæriga, *lege* Hæc ligata. 393. pro *lege* legi.
Pag. 455. Regularium S. Vrſini, *lege* Victoris. 506. Gaubertum, *lege* Gaubertus. 515. pectoris oratio, *fortè* peccatoris oratio. 518. ita eum diſſimulare, *lege* eam. 607. triceſimo tertio, *videtur legendum* viceſimo.
Pag. 665. Exuſtione, *lege* ex iuſſione Ladicii. 636. Sauſiriacum Onia, &c, *legunt quidam* Tauriſiacum, Oniam, &c. ſed ijdem minus eruditè loco Angeris fluuii ſubſtituunt Ligerim multis Leucis à Locienſi ſiue Lucenſi caſtro remotum.
Pag. 734. Poſt eum *addendum puto*, Childericus & filii eius tonſi ſunt 737. Sanctarum Perpetuæ & Felicitatis.. 748. Auditori, *lege* Auditore. 765. Archiepiſcopi, *lege* Archiepiſcopus. 768. huius vobis, *lege* Vrbis. 780. linea vltima pro Marcelli, *ſcribe* Martialis. *Si quæ alia occurrant alicuius momenti ea Lectori benevolo emendanda permittimus.* Prius autem monco corrigat pag. 703. Tomi I. in vita S. Deſiderij Caturcenſis Epiſcopi: *Plebes ſibi ac nobis commiſſas*, &c. de quibus aliàs.

SVMMA PRIVILEGII CHRISTIANISSIMI REGIS.

LVDOVICI XIV. Franciæ & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi Diplomate cautum eſt, ne quis in ipſius regno, aliſve locis eius ditioni ſubjectis, intra proximos viginti annos à die Impreſſionis perfectæ prima inchoandos, excudat, vendat, vendendum excudendumque quouis modo ac ratione curet librum, qui inſcribitur, *Nouæ Bibliothecæ MSS. librorum, Tomus primus & ſecundus, in quibus varia ac recondita, tum Chronica, tum Hiſtorica Opuſcula è tenebris eruuntur in lucem*, Opera R P. PHILIPPI LABBE è Societate IESV, præter SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis ac Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, necnon vrbis Exconſulem, aut alios, quibus ipſe conceſſerit, ſub pœnis in Originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Lutetiæ Pariſiorum, die 19. Martij anno 1657. ſic Signatum, CRAMOISY.

FACVLTAS R. PATRIS PROVINCIALIS.

EGo CLAVDIVS DE LINGENDES Prouincialis Prouinciæ Societatis IESV permitto P. PHILIPPO LABBE eiuſdem noſtræ Societatis Preſbytero, vt in lucem edat opus inſcriptum *BIBLIOTHECA NOVA MSS. librorum, ſive Antiquæ Lectiones in IV. Partes tributæ, ex variis MSS. Codicibus magno ſtudio collectæ, præſertim ad Hiſtoriam & Chronologiam ſpectantes, &c.* In cuius rei fidem nomen meum adſcripſi, die 16. Octobris anni 1651. in Domo Profeſſa Pariſienſi.

CLAVDIVS DE LINGENDES.

Hæc prima Editio perfecta fuit die 15. Maij 1657.

APPENDIX
AD PRIORES TOMOS
NOVÆ BIBLIOTHECÆ
MSS. LIBRORVM.
P. PHILIPPI LABBE SOC. IESV.

EXIERANT é prælo priores duo Tomi noſtræ Bibliothecæ MSS. Librorum, cùm pridem exoptatus Cœnobij Moyſſiacenſis codex Toloſa in hanc vrbem delatus venit in manus meas beneficio V. C. Claudij Iolij, Eccleſiæ Pariſienſis Canonici, eruditione atque in eruditos omnes humanitate præſtantiſſimi. In eo cum pluribus alijs Sanctorum Sanctarúmque vitis occurrerunt nonnullæ à me partim Priore volumine, partim altero iam editæ, ex Apographis, aut mutilis, aut certè minus antiquis perfectiſve. Hinc ergo lacunas explere, errata corrigere, ac damna reſarcire placuit, quibuſdam præterea addatis, quæ mihi præ cæteris inſigniores in antiquiſſimo illo codice ſingula diligenter rimanti videbantur. Tu æqui bonique Lector fave, & ſi quid potes rem literariam promoue: quæ tua ſunt aut amicorum candidus impertì, nec te luridus exedat liuor. Vale.

Vita S. Deſiderij Caturcenſis Epiſcopi exacta ad MS. codicem.

TOmo I. pag. 699. Incipit Vita vel actus B. Deſiderij Epiſcopi Caturcenſis, cuius celebratio eſt XVII. Kalend. Decembris. *regionibus quippe, lege*, Primæ Aquitaniarum. *Honeſta & religioſa Haterchenfreda aliàs Aerchenefreda.* Selma Siluia, altera dicebatur Auita. *Archidiaconatus eſt adeptus officium & Abbatiæ Regalis Baſilicæ ſub Clothario Rege.*

Pag. 700. *In aulam hanc.* In aula quidem ac frequentiſſima. *Sæcularia* Sæculares miniſtri ſua impedimenta. *Siagrius quoque* germanus eius hoc tempore honorem Cometiſe, ex MS. corrigendum omnino cenſeo, *Comitiæ* indeptus eſt.

Pag. 701. *Hoſtiam offerre.* Præcauebat ſolerter. *Alij obtruncati* ob id truncati.

Pag. 702. *Valde accurato* alloquio. *te cuſtodi*, vt nos ad melius pro tuo bono exemplo prouoces quàm pro tua mala vita & inſtabilitate mentis ad ignominiam nos deroges & vt nullam occaſionem, &c. *Patris veſtri magni*, noſtri Magni Abbatis. *Dodenum*, Doderium ad te direxi, per quem omnia ſecurè mittere & denunciare poteris erga nos quæ circa te aguntur. *Suprema*, ſuperna gratia tueatur Fili.

Pag. 703. *Amantiſſima*, amantiſſimè & valde ambiendo præceptum dedit, in quo perſpicuè agnoſcitur, vel quam carè hunc. *ab ædibus noſtris* proprijs profectui publico procuremus. *Apoſtolica dicta* plebes ſibi ac nobis commiſſas, vt iam memini me correxiſſe. *vt adiuuante* Domino acclamante laudem ipſius clero.

Digitized by Google

Peccatorum precator accedat. *Data ſub die vj. Idus.*

Pag. 704. *Omnimodis* obſeruare. *Archimetropolitani*, arcem Metropolitani. *ſub veſtri* MS. habet ſub noſtri præſentia. *explendum* quod vobis iniungimus negotium nullam moram faciatis. Quem indiculum manus, &c. *relinquere*, relinqueret, ſtuduit ſummopere. *Rumigerulos*, rumuſculos, necnon vaniloquos & palpantes. *extra* caſtri munitionem. ſunt & alia minuta, vt Metropolis pro *Metropolitanus*, paratior pro *potior*, vtilitate pro *charitate*, poſitione pro *poſſeſſione*, & ſimilia.

Pag. 705. *Vilariago.* in Laringo, vel ſpernio. *cum terræ compendijs*, interpolator MS. quiſquis fuit correxit, cum terris & appendiciis. *aliquanto* etiam haud procul. *volutione* conſtratum, perforatum. *ſub alijs compendijs* * multa etiam & alia conſpicua quæque matris Eccleſiæ, tam in participibus, quam in amplioribus ædificiis congruo ſcilicet tegmine ſuperuoluto ſecuturis, *recentarij* auri & argenti colorum. *Statarij*, Stantarii magnis cereorum corporibus aptati: præ his omnibus Crux vario ſimul & candido opere precioſiſſimarum gemmarum ſcientia artificum fabricatis coronis ſuper tecta fulget. *cauſa perducerent*, volens ſcilicet probare ad quem exitum vox emiſſa perduceret. *Placida*, Placidina, *anhelans* nec quicquam expectare volens ſubito rubore mixtus atque palpebris perfuſus cœpit anxiari, ac vehementer ſe agitare. *mandauit*, quo ſcilicet anxio occurrere poſſit.

Pag. 706. *Deglutiuit* eum ipſo vt ita dixerim hauſtu. *Hinc agat* aiebat vnuſquiſque quam ſollicitus ſemperque. *Dadalenum*, Daddiuum. *profluo*, profuſo. *ædificauit* Baſilicam. *Abbatiam*, Abbatis officium agere. *municipias*, municipia quam infra vrbana. *Eccleſiarum compages*, Eccleſias competenter extruxit. *ſed cum exteriori*, ſed quandoquidem in exterioribus ædificiis conſtruendis tale ei ſtudium fuerit præcipuum tamen ſibi *verum Chriſti* templum animam cuiuſque fidelis Chriſtiani credendum eſſe dicebat.

Pag. 707. Nullus quidem &c. Regulæ Cœnobialis iter intrauerat ignominioſum, vt putabatur, Monachorum genus omnes omnino ſpernebant. Pro *Marciliacenſi Cœnobio*, ſedulus in rem ſuam, ſuique Monaſterij honorem interpolator Moyſſiacenſe ſubſtituit peſſima fide, ſubiecitque, paullo ante Regiis expenſis initiatum, huius tempore à viris laudabilibus Anſberto & Leochadio competenter expletum. *metras ſe ſolum dolia*, lege in decima & infra pro *quas in dolia*, in dominico *Ebargebenum*, Eparcium, *Auſterium*, Aſterium: *Luco Auſtraſium* in MS. Luxouio Auſtaſium f. Euſtaſium. *Meſtarone Diodorum*, Metaſcone Deodoxum: corrigendum arbitror Matiſcone Deodatum, cuius mentio in Vita S. Eligij & in ſubſcriptionibus Concilij Cabilonenſis.

Pag. 708. *Conſtanter* ac liberè adferens docti illud prouerbium. *ſagaciam*, ſagacitatem. *ſinum*, feruores Atlantici, *conuiuij paſtione*, poſitione. *totum potentia*, patientia. *allaturum*, illatum. *in plebe* verba vitæ manantia dabat.

Pag. 709. *Polus*, Bolus, *Dadinus*, Dadiuus, *Auſceldes*, Auſtrildes, *Romana*, Seueri quondam relicta. *villaris*, Villari ſcilicet, Baſſiago, Wiſtrilinguis & Mauringus. In Caturcino dedit villas..... Iouineanicas Ameglado, Hamiago, Pompegiago, Herbelingus, Anciago, Siciniago, Eloſate, Affreganiago, & Darciaco. *Baſilicæ S.* Africani. *Matalinaco*, Nugatio Mariuiaco. *optatu*, hortatu. *in* ſublimium *domorum* amplitudine, *pulcritudine*, inſigni pœne ſtudio. *extrui ſolet*, ita à fundamentis ad ſumma vſque faſtigia quadris lapidibus opus expleuit, cui geminas, &c.

Pag. 710. *Externa* interna exercitia, *& digno tanore*, cyneo, Arnanum Arnanum. *obiens* in ipſo ſpecu vbi remotiorem vitam duxit. *recondunt*, ita ſuperſe redeuntes. *minor iunior* tempore, *caleſcens*, coaleſcens.

Pag. 711. *Quàm* dulciter, quàm affectuosè. *electibilia*, lectuaria ſeu electuaria. *Epiſcopatus ſui* 23. MS. 26. *correptus*, tædiari cœpit Weſtrelinguis in villa. *facies*, & omne margaritum pretioſi oris totiuſque dignitas. *frequentabatur* officium. *ſub die* 13. corruiſſe 17. kalend.

Pag. 712. *Certatim*, cuncti paulatim Vingiagum atque Aciagum perueniunt. *ex vtraque parte* ſuperuolutis tectis quadris ac dedolatis. *& diuina* intraſe indignatione. *rebellem*, voluit coerceri. *Cauſuncho*, Cannichæ. *vltione*, percuſſa. donec affinium procurſione. *crederet*, procederet.

Pag. 713. *Cambucia*, cambutta. *Thelano*, Telaro. *munera intulit*, bacterium

ſancti viri. *inuenit quem* conſolari ſtuduit. immenſa admiratione *tempore* incolumis manſit. *vt eo die cum* alumnis & amicis. *Agarno*, Auuarno. *cum mente* pronus eſſet. *conferret*. Diu igitur maceratus ſæpiúſquè ex præfato liquore potatus tandem toroſa ceruix, cothurno depoſito, recuperare meruit ſalutem. *Februndus Abbas* atque Vicedominus.

Pag. 714. *cumque* 13. MS. 16. *baculi*, bacterij. *Miraculum VIII.* Alio vero tempore adoleſcens quidam nomine Ruccolenus à tertiano typo vexatus grauiter laborabat per dies multos qui miracula Confeſſoris addiſcens ardenter valdè ad ſepulcrum eius contendit, vbi oratione profuſa patrocinari ſibi ſanctum Antiſtitem poſtulauit. Accepto autem liquore, ex quo cæteri ſanari ſolent cuſtodum ſe orationi commendauit. Necnon poſt longum ſpatium ſuperna gratia miſerante, contagionis parte depulſa, ſpeciem viui hominis quam iam perdiderat, recepit. Sic demum funditus morbo expulſo, ſanitatem priſtinam indeptus ad locum proprium rediit. Item vir quidam ex caſtro Mercurio veniens quem continua vexabat infirmitas, ad memoriam B. Deſiderij ſeſe cum fiducia contulit: qua aduectus Martyrarium ſibi liquorem ſalutiferum impertire depoſcit: benedictionem expoſitam accepit, accipiens ſumpſit: patrocinari ſibi Antiſtitem popoſcit, fidenſque de obtenta ſalute abſceſſit, & Domino operante celeri prouectu ſanatus eſt. Gloria tibi Chriſte: tua in omnibus quotidie fulgent vbique magnalia. *Miraculum IX.* Alio quoque tempore puerulus quidam ex Monaſterio Sanctimonialium quod infra ſepta municipij Cadurcæ habetur, dies multos in ægritudine laborans, vehementer iam tabeſcebat. Qui cùm nulla recuperandi argumenta acciperet, Sanctimonialis quæ illic præerat ad memoriam Sancti Deſiderij dirigere ſtuduit, atque ex eo medendi liquore quod multis prodeſſe ſolet, &c. *quod cùm feciſſet* Confeſſore & ſpiritus gratia, &c. *habitatores loci*, prohibere non poſſent, *ne ſtratum ipſum* temerare præſumeret, *non ſine* mœrore *incommoditatibus* incõmodantibus.

Pag. 715. *Hidulfus*, Hildulfus. *Edolæ*, Eddoleni, *ægrum* perunxit. *Ergo* homo perunctus. *Alamontus* Maurontus. *orare* enixiùs & fidere. *ſanici illius* delibutio ſalubris, *ſenſu ruſtico prolixum* traximus ſermonem, *lugeat*, & eius ſulci defleant. *miniſteria* profitentur, eiſque inſigniter patratis.

Pag. 716. *Soli viueret*, profectibus tuis militaret, *obligatoque parumper* vulnere, *relicta Ægypto*, & Chaldæa.

Variæ Lectiones in Actis S. Antonini ex MS. Moyſſiacenſi.

PAg. 685. Tomi I. *Ergo quia* ſunt nonnulli. Pag. 686. *nitimur* explicare ſermone atque ad m, q, p, i, d, e, o, p, e, noſtrum, &c. *Appamiæ*, Apamiæ, *ſublimutet* exuberans. *vir Dei*, pleniter. *illius ſanctæ* prædicationi.

Pag. 688. *continuatim* nauitando, vt relatiuè fertur pro & ſeq. pag. pro relatione præconiatur in MS. relatiuè percontatur, *Toldetis*, f. Toletis, opere ſcalpendo inciſum atque politum ſecum deduceret, & iam ſupradicto, *altare ſtatat* impoſitum.

Variæ Lectiones in vita S. Amantij ex MS. Moyſſiacenſi.

TOmi II. pag. 474. *onus obedientiæ*, amore. Pag. ſeq. *ſuſpirla* geminat. *arbitriõ ſuo*, quàm alieno ſeruari conſilio mauult, *& modum vtilium ad modum voluptatis* examinat. *exarſit* in injuriam viri ſancti. *fulminis ictu*, fulmine ictum. Pag. 476. *virus* inoluerat. *vnda purgauit* & niualis ſimul candor. *hoſtili ritu*. ſæui *direpta*. focis intemerata durauerant flammis redduntur. *emendatio militum*, quies populi fuit. pro *bigæ*, bijuges, pro *ſtimuli*, famuli, pro *compleuerat* compreſſerat. Pag. 477. *dæmonia quæ* dementi priùs. *vitam*, atroci gerentes in ſcelere. *culpæ vis* inferebatur vindictæ. *Itaque* reddito terris occaſu diei, noctis ſilentio vix corda, &c. Pag. 478. *adeptuſque eſt* nouum non morte, ſed carnis mortificatione Martyrium. Pag. 479. *de metice rupis*, in imo, vel ima, vallis amne leni intuetur; iam votis dulces nati blandis pendent ex oſculis, iam vrbe fruitur, iàm parentum ciuiúmque potitur affectu,

excelſi montis iuga carpit itinere. *Hæc ergo* celerrimè fama pererepuit, *miſere vel populos*. Fideli itaque cœtu mœnia complentur, *pro ſpeciali hauſtro*, ſpiritali hauſto *ſubjectis manibus* pia deuotione fidelium. Pag. 480. *Euphraſinum* Euphraſium. *Dominum noſtrum* cui ineffabili miraculo eſt vnitas, ſine confuſione conjuncta, Trinitas ſine diuiſione diſtincta, depoſcamus, vt quia pariter iuſtus & pius eſt, &c.

Variæ Lectiones in Actis S. Iuliani ex Codice Moyſſiacenſi.

PAg. 588. Tomi II. *Tribunitiam* gerebat poteſtatem.

Vita S. Licerij innumerabilibus mendis ſcatet in Codice illo Moyſſiacenſi, vt operam ſuam luſiſſe planè videantur, qui ex tam turbido fonte voluerint haurire, quemadmodum de pluribus alijs eiuſdem decumani Voluminis Vitis iam conqueſti ſunt viri pereruditi. Quid enim bonæ frugis ſperandum cùm in eiuſmodi membranas incidunt luſcioſi μώμους & craſſæ naris amanuenſes, cùm in ijs peruidendis Lynceo quouis perſpicatiores atque acutiſſimi homines ſæpe cæcutiant? Nos Pag. 588. & ſeq. Tomi II. vſi ſumus apographo V. C. atque in ijs exercitatiſſimi D. D. Epiſcopi Monſpelienſis.

PASSIO SANCTI CAPRASII

Martyris qui paſſus eſt in ciuitate Agenno, die XIII. Kalend. Nouemb.

In qua nulla mentio S. Fidis Martyris.

IN diebus illis, regnante impio & iniquiſſimo Maximiano Imperatore atrocitas eius perſecutionis cùm aduerſus Chriſtianum nomen de more procellæ detonaret ad delendam religionem Catholicæ legis imperij ſui decreta conuertit. Erat tunc in vrbe Agennenſium Fauſti nobiliſſimi filius nomine Capraſius Chriſtianæ familiæ literis bene inſtructus & moribus. Hic cum adoleſcentiæ ſuæ tranſiſſet infantiam, tantam ſpem virtutum ſuarum hominibus patefecit, vt omnes boni iam cum bonis virtutibus crederent eum habere conſortium meritorum. Illuſtrabat eum cœleſtis ſapientiæ ſpiritalibus gemmis ornata ſimplicitas & iuſtum vitæ ſuæ tramitem tenens felici gubernaculo iuſſionem Domini ſeruans naufragium mundi blandientis oblitus eſt. Erat autem tunc in ipſo loco ciuitas antiqua in quam recenter ſacrilegij error venerat. Erat autem quidam vir nomine Heraclius temporibus illis Proconſul in hac vrbe ad requirendos diſcutiendóſque Chriſtianos. S. Capraſius ſtatim apprehenſus impoſitus in carpento & perductus eſt ante Præſidem, vt adoraret Deos ſuos. Tunc S. Capraſius ad Proconſulem dixit: Similes illis fiant, qui faciunt ea & omnes qui confidunt in eis. Nam ego Capraſius dicor & Chriſtianus ſum. Iudex dixit: Chriſtianus es, in quantum video latuiſti nobis. S. Capraſius dixit: Iam tibi dixi Chriſtianus ſum & Dominum viuum omnipotentem adoro qui in cœlis eſt, ſimulacra vero dæmonum non adoro. Verum etiam ſi permittis malleis illos mea auctoritate comminuo, Iudex dixit: Iſte non ſolum ſacrilegus, ſed & rebellis conatur exiſtere, &c. Completa oratione amputatum eſt caput eius à ſpiculatore. In ipſa hora religioſi viri rapuerunt corpus eius & in paruulam cellulam eum ſepelierunt cum hymnis & canticis. Ex illa die omnibus ſe Deo iuuante virtutibus publicauit, cæcos illuminauit, claudos ambulare fecit & multas virtutes per eum Dominus dignatus eſt oſtendere. Fulget virtutibus muneris ſui ornata religione S. Capraſius. Per ipſum nobis optemus vt miſericordia Dei pandatur via & ad bonorum plenitudinem felix aperiatur ingreſſus cui eſt honor & gloria virtus & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

ALIA PASSIO CVI INSERTA SVNT ACTA S. FIDIS.

MAGNORVM atque inclytorum Caprasii, Fidei, Primi & Feliciani passionum merita reuoluentes inclinat potius sermo quam dignis posset laudibus explicari. De quorum gestis atquè virtutibus &c. Post quam præfationem sequuntur acta S. Fidis à Mosandro edita in Appendice ad Surium & à nobis Tomo II. pag. 528. ante librum de Miraculis eiusdem S. Virginis in pago Ruthenensi.

Finis Vitæ S. Theodardi Narbonensis Archiepiscopi ex Cod. Moyssiacensi.

V. C. Guillelmus Catellus in Commentarijs Landgothicis à pag. 750. ad 770. edidit vitam S. Theodardi, siue Audardi Archiep. Narbonensis, sed sine mutilam, ex codicibus MSS. imperfectis: Nos quod ei deest modo publicare aggredimur ex eodem codice Moyssiacensi in quo integra reperitur.

Longa ægritudine quassatus cum sæpissimè à Medicis hortaretur vt aliquod medicamenti fomentum pro futuræ sanitatis propriæque salutis remedio fineret sibi adhiberi, noluit, sed dixit: Domini voluntas fiat cui semper salus atque ægritudo, vita & mors famulantur deseruimusque imperio, & nihil omnino est quod ipsius vmquam resistere voluntati possit, aut præceptis eius in quouis aliquo contradicere. Nam si ipso volente, creamur, firmamur & nascimur, ipso largiente viuimus mouemur & sumus. Ipso namque disponente alimur, regimur & gubernamur, ipso præcipiente infirmamur, morimur & esse desistimus. Ipso vocante aliud quod penitus ignoramus, cogimur sæculum adire, alioque quos numquam nouimus socios & contubernales habere, alitérque quam consueuimus perpetuam cum illis conuersationem atque societatem iugiter detinere. Ibi enim nulla oculorum visione alter alterum cernere potest, ibi nullo voces corporeæ strepitu aures discrimina cuiusque sonitus dirimunt qualitates. Ibi non faucium corporearum linguarúmve aut labiorum motu vlla fit aut fieri potest aliquando sermocinatio aut loquacitas quæuis. Ibi non corporeorum aromatum vel floscúlorum nares odorantur flagrantiam, ibi nullam ciborum potúsve suauitatem vel amaritudinem gustus gutturve diiudicant, vbi nulla corporea penetratione tactus vel palpatus dura à mollibus, lenia ab asperis secernuntur: sed omnino aliter quam corpus in hoc sæculo dum viuit corporeis vtitur sensibus spiritus deserto per mortem corpore, spiritalia quædam cogitur experiri, siue bona sint, siue non bona. Quamuis quidam mortuorum spiritus plerumque in cælestia quidam non ad infera deportentur, cum & alii corporea nonnumquam sed feralia ducantur in loca, in quibus non immeritò debitas & actibus singulorum eorundem condignas exigant pœnas, cum è diuerso alij immensas habeant ac possideant semper delicias, & alij ad inferos deuoluti perpetuas nimisque atroces & omnino intolerabiles luant pœnas. Quod cum ita habeatur, oportet vnumquemque vtriusque sexus hominem quamdiu laborioſæ huius vitæ fungitur officijs semper à vitijs & peccatis cauere virtutibusque & iustitijs sedulò incumbere, ne pro malis operibus mala sed pro bonis felicia acquirere mereatur. Post huius vitæ decessum nimisque delectabilia bona, quibus semper alatur, semper foueatur, semper absque vllo metarum temporalium termino sufficienter & omnino indeficienter vtatur. Ad hanc igitur summo continui certaminis studio properare necesse est gloriam; vbi nullus dolus, nullus dolor, nullus metus, nullus horror, nulla ægritudo, nulla malorum quorumlibet, aut molestiarum incursio, aut sollicitudo, vbi nullius senectutis, infirmitatis quoque, aut alicuius imbecillitatis grauitas vel depressio, vbi non sitis, non esuries, & vt ad extremum veniam, nihil inibi omnino est aut esse aliquando potest, vnde mentes eadem gloria fruentium affici, vel turbari, aut ad temporis momentum vllomodo contristari possint. Quoniam illud est sanctum & verè semper beatissimum regnum quod sanctis omnibus à mundi principio præparatum. Nempe de eodem regno in Euangelio Dominus: Venite benedicti Patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Cuius regni summa, summum decus ac decor est diuinæ visionis ineffabilis ac penitus inæstimabilis, sempérque incomparabilis pulcritudo. Quæ quanto amplius cernitur, tanto magis indesinenter videri

desideratur. Vnde & Petrus de eiusdem gloriæ pulchritudinis auctore in Epistola sua: *In quem semper, ait, prospicere cupiunt Angeli.* Quæ cùm ita se habeant & multo plenius atque perfectius quàm dici possit, vel cogitari, & nos ad illam gloriam infatigabiliter tendere debeamus, vt eiusdem visionis gloria iugiter perfrui mereamur; tamen quia continuæ infirmitatis ægritudo quoddam medicamentum salutis exposcere videtur, ego naturale potius quàm artificiale opponam antidotum valetudini, si forte propiciante Deo taliter pristinæ queam restitui incolumitati. Nam vbi natus & vnde huc Domino ducente profectus veni antequam quo hactenus Christo IESV omnium Domino misericorditer fauente fungor pontificale decus subire, maturius redire non abnuam, Tolosanum videlicet in territorium eiusque naturalibus vescar quotidie cibis, necne salutaribus villi decolati vtar prout res ipsa necessario postulauerit poculis, eiusdémque telluris ramis delicioſa peragrando loca, quoddam remedium salutis, his quibus à primæuo iuuentutis meæ exordio libenter sum vsus, pristinæ forsitan saluti Domino miserante parabo.

Quibus ab Episcopo peroratis accelerare suum eiusdem rei gratia iter suis præcepit clientibus, & iuxta quod ipse prædixerat, cuncta implere non distulit. Non cessantibus autem, sed magis ac magis quotidie exardescentibus præfatarum febrium ardoribus, intellexit proculdubio vir Dei Audardus non nisi diuinum illud fore diuinæ miserationis fomentum, ac suorum purgationem omnium delictorum, vtque non eatenus ad profectum vsque bona mundauerant opera quamuis essent multa & multiplici multiplicatione multiplicata, post modum correctionis immo correptionis virga filio misericorditer adhibita. Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi per fidelis patientiæ sufferentiam ex toto adimerentur, quatenus taliter examinatus sancto sanctorum in cœlestibus dignus foret semper collegio. Postquam ergo prædictus vir Dei Theodardus manifestè ac penitus indubitanter agnouit vocari se diuinitus ab hoc sæculo, atque non multo post ad aliud properare in suum quod quondam parentes eius in proprio, vt fertur, prædio sub sancti Martini Turonensis olim Episcopi venerabili semper ac perpetua memoria constructum Cœnobium, suum illico iter vertit vt ibi proprium ab hac luce recedens Domino, cui omnes viuunt fideles, & cui non pereunt moriendo, sed mutantur in melius, redderet deuotissimè spiritum. Est autem iam dictum Monasterium in Caturcensi territorio, in Monte qui Aureolus nuncupatur, ad cuius montis radicem fluuius quidam decurrit, quem indigenæ regionis illius Tasconem vocant. Hic suo decursu confinia Tolosani Caturcensisque ruris liquido dirimit patenter influxu, quique à prædicto Monte recedens post modicum terræ spatium Tarno immergitur flumini. Cum autem sanctus Domini supradictus Episcopus Audardus in supra memoratum Monasterium deuenisset, & ibi nimia vi febrium grauatus decumberet & iam iamque sui obitus diem non longè abesse mente prospiceret, vocauit ad se eiusdem Cœnobij Abbatem, & qui sub eius curâ degebant omnes reliquos Sacerdotes Monastico vtentes officio & confessionis suæ professionem eorum quæ patrauerat delictorum: non est enim homo super terram qui faciat bonum & non peccet, euidenter cum luctu & gemitu magnáque cordis contritione necnon suspirijs exposuit. Posthæc oblatum sibi Corporis & Sanguinis Domini Sacramentum deuotissimo atque promptissimo mentis affectu suscepit his talibusque Deum sedulò precibus exorans: Summæ clementiæ ac perpetuæ bonitatis benignitatisque immensæ omnipotens Deus qui cuncta quæ fiunt, cum penitus, neque per genus, neque per vllam speciem essent, omnipotentiali verbi tui virtute potenter nimisque sapienter creasti & creata mirabiliter disposuisti, prout eiusdem rei effectus ea qua fit & consistit qualitate ostendit & approbat, quique omnium quæ creaueras nouissimum ad tuæ imaginis atque similitudinis speciem in quantum ad humanæ fragilitatem scientiæ de eadem re spectat scire, hominem ex limo formasti, quemque tui afflatus spiramine viuificasti, qua viuificatione iugiter perseuerante, nulla potest ratione omnis humani generis spiritus naturali legitimáque procreatione habitus mori, quamquam corpus vniuscuiusque hominis tempore diuinitus statuto in suam redigatur originem, fiátque iuxta Dominicam comminationem puluis ac cinis, donec veniente domino in reforma-

Digitized by Google

to ex puluere atque suo spiritu reanimato corpore nouus homo resurgat rationem redditurus de his quæ gessit, adesto huic famulo tuo licet tui famulatus veneratione indigno, sed tamen de tua miseratione ac pietate non diffiso, & meum iam in pace spiritum suscipe clementissime pater spiritum. Non ergo mihi tenebrarum occurrat Princeps, neque vllus malorum incursus spirituum, sed neque memineris delictorum meorum, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Propitiare quæso mihi & quidquid aliter quam debui egi, tuæ pietatis gratia benignè remitte quia iuxta quod de te scriptum est: suauis es & mitis & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te. Si enim obseruaueris iniquitates Domine, & delicta, quis sustinebit? Ergo cùm iam tempus miserendi instet, Deus ne elongeris à me, sed in auxilium meum clementer respice: confundantur quidem & deficiant, qui quærunt animam meam, vt auferant eam. Tu verò aduocatus noster Deus pariter & homo Domine IESV-CHRISTE, quem semper toto corde, tota mente, totis viribus amaui, & amo, sempérque amabo: cuius desiderio & amori nihil vnquam præposui, qui pietate motus immensa de sinu Patris adueniens homo fieri voluisti pro nostræ redemptionis salute, vt ex vtraque substantia verus & perfectus Deus vnus esses Christus, quique natus ex Virgine matre secundùm scripturas Prophetarum pati, mori, ac sepeliri, necnon resurgere acceleraſti, vt nobis spem resurgendi de morte auctor æternæ vitæ donares, accipe me ab hoc sæculo recedentem, & ad aliud quod nondum expertus sum festinè properantem & cætui fidelium tuorum Pontificum feliciter aggrega: Et cùm ad iudicandum veneris cum eisdem perfectè viuifica & resuscita, & inter agmina eorumdem Præsulum benignissimè colloca. His namque ab Episcopo rite peroratis, & omnes qui aderant insonuissent, Amen: Idem B. Pontifex Audardus oculis in cœlum manibúsque intentis vltimum vale faciens mundo deuotissimum Domino mox in pace reddidit spiritum. Amen.

Illo autem iam terrestri corporeóque domicilio ad cœlestia benigne adsumpto & IESV-CHRISTI glorioſissimo, nimísque visu delectabili, atque pulcherrimo conspectui ab Angelis decenter oblato & vltra quam sermo noster explicare verbis sententiisque exponere sufficit, pro bene gestis ab eodem sancto Pontifice quondam operibus digna recompensatione munerum cœlestium abunde ab ipso cuius pecuniarum fidelis seruus atque negotiator extiterat sagaciſſimus, dicato Angelicis tertripertitis ordinibus sanctisque Patriarcharum & Prophetarum cœtibus Apostolorum quoque & Martyrum agminibus, Confessorum namque & Virginum exercitibus aggregatus, illa semper felicitate glorioſissima & immensa cum sanctis omnibus fruitur, quam nullus visionis corruptibilis aspexit oculus vnquam, nec auris audiuit aliquando corporeæ sonoritati adhibita, impleta pleniter pollicitatione Dominica: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. His namque ita se agentibus de Beatissimi Pontificis spiritu & multò plenius atque perfectius quàm dici vel cogitari à mortalibus queat, quid de ipsius sancto ac venerabili corpore actum sit paucis referre & quæ non suis sua protractione nauseam, vel molestiam ingerant auditoribus, Domino fauente tentabo. Nam fere omnes vtriusque sexus illius regionis homines, audita obitus illius fama & Sacrosanctum eius soma sepeliendum festino properarunt discursu non credentes se prius ad prædicti Pontificis peruenire posse cadauer quàm in præparato illi à fidelibus viris conderetur sepulcro: sed quia Domini dispositione euenit vt non antea sepeliretur quàm numerosa illò confluentium turba adesset tanta veræ religionis veneratione venerabile corpus illud curatum est, vt priusquàm in sarcophago poneretur, purpureo toto corpore præter faciem eius inuolueretur sericóque nihilominus pallio iuxta sedis Apostolicæ sanctorum Episcoporum semper conseruanda præcepta. Curato autem sancto cadauere, atque ad sepeliendum exposito, omnis quæ ad illius celebrandum exequias conuenerat multitudo, tam Laicorum quàm etiam Clericorum luctuosis gemitibus has voces dabat in cœlum. O post Deum & Dominum misericors & pie orphanorum pater! O viduarum iudex iustus & vindex! O miserorum & pauperum adiutor, dolentiúmque ac mœstorum perpetuus consolator! O malorum infestorúmque omnium expugnator atque propulsor! Quis nos ab incursu oppressionéque, atque rapacitate vastantium ac diripien-

tium vos & omnia noſtra, ſaluos nos faciet? Quis tam ſanctus tamque doctiſſimus erit nobis Paſtor vel Pontifex vt ſua prædicatione atque doctrina, necnon ſedula pro nobis ad Dominum obſecratione ad cœleſtia nos faciat regna conſcendere, & Angelorum ſanctorúmque conſortes & coheredes indeſinenter fore? O glorioſe atque beate Pontificum Pontifex Audarde, exequias cuius hodie dolentes proſequimur, adeſto nobis auxiliator ſemper & vbique fortiſſimus: Nos ergo & huiuſmodi luctuoſas populi ſermocinationes Epiſcoporum quoque necnon reliquorum omnium qui aderant Sacerdotum deprecationes, animoſáſque pro eo ad Dominum poſtulationes atque abſolutiones & creberrimas tumulo eius benedictiones ſanctum illud cadauer nouo atque lapideo confeſtim traditur ſepulcro ſito iuxta ſancti Martini altare, ad Orientalem partem intra eiuſdem Eccleſiæ ambitum. Sed longa poſt tempora eodem cum tumulo inde leuatum, alibique in eadem Eccleſia tranſpoſitum & honorificentius quàm prius humatum eſt, vbi hactenus requieſcit reſurrectionis ſuæ promiſſum à Domino expectans effectum, regnante pariter & regente vniuerſa quæ fiunt, fueruntque, & erunt, ac iugiter diſponente D. N. I. C. cum Patre & Spiritu Sancto per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

VITA SANCTI DALMATII RVTHENENSIS EPISCOPI, CVIVS celebratio eſt IV. Nonas Nouembris.

PROLOGVS.

TRiumphalem ac venerabilem Dalmatij Ruthenæ vrbis Pontificis vitam cœlis inclytam terríſque diffuſam ad nouum huius temporis miraculum proferendam cupimus, ſi ipſe ſanctus dicendi vires ingeſſerit, nunc ſtylo retexere, qui nuper ſe vniuerſis terræ prouincijs per palmam gloriæ & virtutum miracula munere æthereo propalauit.

Explicit Prologus, incipit vita.

Igitur beatiſſimum Dalmatium Ruthena vrbs ciuem habuit, locíque illius indigena fuit, nunc apud Dominum meretur habere patronum. Ipſe autem cum Getarum feritas territorio, in quo altus eſt, dominaretur, Narbonenſium vrbem in qua tunc ſolium Gotorum tyrannus habuiſſe refertur, adiuit. Nam cum in Arianæ hæreſis tunc temporis populus ipſe detineretur errore, ibi tamen Epiſcopus præerat Chriſtianis, qui Metropolitano iure cunctis in illius prouinciæ cœtu eminebat. Beatus itaque Dalmatius, licet adhuc ſub tenera corporis pubertate, iam tamen Chriſti athleta maturus, cuius nunc patronus eſt, tunc ab eodem Papa Epiſcopus ordinatus. Nam poſt deceſſum inclyti Triumphatoris primique patroni domni Amantij huius vrbis Epiſcopi inflicta diuerſarum gentium per totam Galliam bella detonarent, licet iuſtitiæ locupletem, opibus tamen pauperrimam hanc Eccleſiam Chriſti Confeſſor inuenit. Tanto ibidem iuſto laborauit ſtudio, vt non dicam quod citerioribus Eccleſiis nunc minor ſit, ſed etiam cunctis olim fundatis atque antiquioribus munere diuino iam præcellit.

Igitur aliqua de virtutibus eius dicenda, quæ non longi temporis meta determinat. Cum Narbonam frequenti itinere pro conſolanda religione & propter non arduam longinquitatem ipſius ciuitatis ſanctus accederet quadam vice, cùm in hanc vrbem veniſſet ad locum vbi ſeueritatis iudicium querulum detruſerat reum, mortiſque deſtinarat ergaſtulo, ſanctus acceſſit, recordatúſque eſt humana iudicia, alios ſontes iactanter abſoluere, & alios innocentes crudeliter trucidare, & per varios caſus inſontes ſimul & criminoſos perimere. Ad huius ergo limen carceris cœpit vir ſanctus pro condemnatis orare Dominum & indeſinenti quadam oratione depoſcere ac dicere: Domine IESV-CHRISTE, qui es rerum

Digitize

rum omnium primus conditor & altissimus reparator, præsta mihi seruo tuo ad omnes hos qui his ædibus retinentur libertatem, & sit iustorum hic & peccatorum commune periculum: hos pro innocentia quia merentur libera, & illos pro misericordia licet noxios, tamen absolue: sitque his omnibus salus quorum fuit hactenus commune periculum: & hac oratione completa discessit ab eodem loco, non enim incassum suo preces fuderat creatori; continuò in morem ceræ chalybis resoluta materies soluitur: dissiliunt vincla, damnatis ianuæ carceris diuinitus reserantur, libertatem recipiunt absoluti. Vnum tamen ex illis ad ostendendum summum diuinæ mysterium pietatis sublimiori quodam arcis in loco præceptio æterna subuexit. Qui admiranti se vniuerso populo clamitabat quo ingenio discessisset à carcere, quoque arbitrio huius scandisset maceriæ summitatem se omnino nescire. Stupebant omnes varia rerum vice perterriti dicentes, si à carcere forsitan ingeniosa argumentatione videatur suos aufugisse comites, quomodo in hac summitate prosiluit. Alij commentum fraudis esse licet impossibile inanitet clamitabant: tandem inter omnes vna vox tollitur Dei hoc mysterium fore, Pontificisque illius qui illic ante paululum orauerat esse trophæum, atque inde argumentoso populi more depositus vitam simul recepit & libertatem.

Alio quidem tempore ad Gothorum Regem Amalaricum Narbonam venit occursum, qui dum veterano errore sui populi, patrúmque suorum longæuo ritu infelix esset hæreticus & vniuersos Christicolas despiceret, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopos execraretur, illi tamen instinctu Dominici numinis mirum in modum insolitos honores ac nouas veneraciones exhibuit, ita vt nec suis vnquam tantam pro ritu Sacerdotibus Christianis piæ venerationis debita detulisset, potuitque mens cæca iustum instigante Domino venerari, vt cunctis credentibus spem futuræ conuersionis ostenderet.

Scilicet posteaquam pia atque inclyta & Christianæ religionis cultrix Francorum ditio Rutenam vrbem conjurante sibi populi eius fauore subjecit desiderio refectus Pontifex Christiani Regis Theudoberti tendebat videre præsentiam. Cúmque ad illum deuotissimus arduè festinaret, in Vltra-Ligeranis partibus quodam loco, vbi aliqua vt dicam prope Legio Britonum manet, vespertinam hospitalitatem habuisse narratur, celebratisque in crastina missis, puella quædam spiritibus vexata malignis occurrit, quæ dum diuersis ac crudelibus baccaretur in modis tandem per os eius nequissimus ille furor dæmonis satellitis exclamat: Dicito mihi, Dalmati, quia iam tuis affecti tormentis hic manere nequimus, qua mihi licet è parte istius corpusculi in quo vexor egredi. Audiens venerandus Antistes Abbatem suum nomine Venerianum ire præcepit ad puellam qui ei oculos obtestans Dominum consignaret, metuens ne dum in corpore illo sæuus iam diutius manere non poterat inimicus proinde tentaret egredi quo vas in quo fuerat laceraret. Exin per aurium meatus se dæmon ille minitabatur exire. Abbas verò signum Crucis per aurem vtramque constituit. Posthæc cùm iam nullum ad egrediendum aditum in superna corporis parte poterat reperire, ad digestorum locum digno sibi aditu crudelis inimicus effertur: indéque egressus est tanto scilicet locum quo sacræ impendebantur æterno Regi ceremoniæ pedore repleuit, vt nullum aliud foret indicium, nisi illinc diabolum proiecisse: reliquítque intemeratum corpus vt sancti Dalmatij publicam gloriam demonstraret. Nam proinde rediens Pontifex glorioſus in eodem loco pro sua virtute ab incolis eius loci Basilicam celso ædificatam fastigio meruit.

Nec longo pòst tempore ad Aurelianensium vrbem accersitus pro conciliabulo Sacerdotali Sanctus properabat Antistes, & quoniam Bituricæ vrbis territorium itineri eius interjacebat, vico aduenienſ, dum ad Missas celebrandas consistorio Basilicæ illius resideret, dæmoniacus quidam ad eum arctatus complexúsque catenis adducitur: & sedente sancto vultu simplici & mente sincera crudelis Belial per os vexati exclamat his orsus: Quid istud est quod agis Dalmati duræ mentis, vultu crudelis, & nobis semper aduersari dissimulas & infinitis ac execrabilibus pœnis, nosmetipsos exerces? Vel quo iure est ista simplicitas, vt homo ore taceat & conscientiæ iaculis clam vulneret inimicum? His dictis Sanctus silentio solito ora compescuit; sed ab intimis fibris cœlo orationem misit. Illico frustra blaterantem dæmonem dispellit, effugítque inimicus

ipſe par leuibus ventis ſimiliſque ſomno volucri ceu ſolet pectora humana deludere.

Igitur poſtquam ab Aurelianenſi vrbe egreſſus eſt ad Beatiſſimi Martini Baſilicam quem pium ſibi confeſſorem Turonica vrbs tenet membris conditum; ſed toto orbe diffuſa præſtat virtute patronum pro glorificandæ orationis præmio Beatiſſimus Chriſti pergebat Confeſſor. Nam quia Liger fluuius inter has vrbes naualem fecit eſſe diſcurſum modica lintre delatus deſcendit recordans quid ei ante aliquot dies multitudo vexantium apud Briuam Corretiam vicum Sancti Martini & Baſilicam minitaretur, quod ipſi in Ligere fluuio inſidias præparaſſent, ſed fidens in oratione perrexit. O crudelis & ſemper aduerſa bonitati fraus tua, diabole tortuoſe ac excellenter lubrice! Vbique bonum videris, aduerſaris, quidquid præclarum ac ſublime perſpexeris conatis euertere. Quid multis? Cum primùm radiis ſuis mundum Titan illuminare ceperat ac roſeum Aurora iubar adduxerat, venire ſubito viſa eſt ante ipſius oculos Confeſſoris dæmonum turba nigrorum & nauem eius in dirarum Syrtium ſcopulos cæruleíque gurgitis alta compellere. Impletur tunc inuiſa promiſſio. Illic funeſta lintri cautes opponitur, & comminuta cymba per tota amnis fluenta conſpergitur. Sed de mediis fluctibus glorioſus Confeſſor veluti è mari Petrus, è Iordane Eliſæus ſoſpes cum ſuis omnibus liberatur. Nec quicquam de rebus vllis pertulit damnum quæ fuerunt ipſius immixtæ vndis laticis. Pange nunc iuſtum Confeſſorem lingua peccatrix, expedire cœpta ne deſinas, quia non eſt tuum ipſa quod loqueris, pange virtutum, ſi tantum vales, inſignia. Adeſt glorioſus ille Dalmatius qui à te ſine ſuo fauore non dicitur, dabit fandi munificentiam qui bona gerendo ſic meruit.

Videlicet in Briuatenſem vicum Aruernæ ciuitatis oppidum Dalmatius ſanctus aduenit vbi à quodam Tribuno reus ad patibulum vltimo damnatus ſupplicio ducebatur: rogare Tribunum beatus Antiſtes pro vitæ huius indulgentia cœpit inſtanter: qui omnino negauit, nec voluit iuſti preces Confeſſoris accipere; ſed durum peragi præcepit imperium: ille tamen Dominum pro eius vita fideliter exorauit: hora pene diei ſecunda reus ad damnationem perducitur ac eculeo ſubleuatur: diem hunc nox pepulit, noctem craſtina lux ſecluſit, reus ſemper pependit patibulo, & qui iam olim credebatur mortuus, viuens ab eis in craſtino qui ad eum ſepeliendum venerant, inuenitur. Perculſa eſt tanto plebs vniuerſa miraculo, vt cuius exequias orbi parentes & vxor vidua lamentatione ſolita proſequebantur, & illis nouum ſe credebant dediſſe filium, & illa quominus noua nupta procedat in gaudio. nec iſta Dalmatij Martino minor virtus adſcribitur, qui mortuum legitur ſuſcitaſſe. Ille vitam reuocauit in corpore iſte continuit. Ille iam vagantem animam homini reddidit, iſte fecit in corpore viuere tumulatam. Ille abſolutum ſpiritum à corpore remiſit in corpus, iſte damnatum in corpore abſolui non permiſit à corpore; Par eſt vtriuſque virtus & gloria. Quid multis? Apud Euodium illius vrbis Comitem vitæ adhuc pendenti reo longæua ſecuritas obtinetur.

Nec procul poſt hanc virtutem tranſactam, areatn famulis ſuis triturarę præcepit Antiſtes. Cúmque iam rejecta palea, necdum purgatum triticum iaceret proſtratum, horrere mundus æterno chao cœpit, cæruleiſque nubibusimbres & ſubmittere & tonitruo crebro cœli palatia conuertere: Decidente luce, vox intempeſtiua concreſcit. Inter hæc exangues famuli beato Pontifici nunciant tantum cumulum tritici deperiſſe, quod nec recondi in illa hora poſſet, nec imber imminens reuocari. Non eſt commotus iſta vociferatione tunc Pontifex, ſed duplices tendens ad ſidera palmas, talia voce refert. Quo ruitis famuli? qua hæſitatione eſtis ipſi turbati? Ite, ne videamini, à cœpto labore recedere, exercete operam quam cœpiſti, ſcio enim de ſolita Domini mei pietate quia nobis non auferet iſtas quas dedit ipſe ſubſtantias. Dixerat hæc, illi conſternata mente diſcedunt, ruitque immenſa tantum è cœlo pluuia, vt ſecundum crederes cataclyſmum terras obtegere, ita ſe circum aream illam imbris diffudit enormitas, vt infra vel vbi fratrum congeſtus ſtetiſſet, vel famuli, nec vnius guttæ impetum deſcendiſſe, nam & trium valde hoc miraculo ſimilitudo facta eſt Puerorum, quos Babylonius Rex comburendos ſuo præceperat incendio, illos circundato

Digitized

igne ros madefecit, illos serenitas circumfultos nubibus operuit : illi digni fuerunt inter pyras algere, isti meriti sunt inter imbrium cumulos æstuare. Sed iam sistere gradum dicendi debemus; ac tantorum miraculorum metu concludere. O quantas Beatissimus Dalmatius in quinquaginta sex annis Episcopatus sui virtutes fecit in sæculo! Quantas nunc post discessum suum ad eius tumulum Dominus operari dignatur! Ibi è cœlo cœcorum lumen redditur & surdorum reformatur auditus, & dæmonum sæuitiæ refringuntur, ac ægrotantium medicina refertur, quarum omnium vt dicam vltimas has septem virtutes verax fama commemorat, sed ne dicendi schema destinata transirem & numerus desideratus accederet styli huius breuitate pauca perstrinximus, vt si septem his virtutibus septiformis spiritus enarratur, & septem stellæ si quid huius dictionis obscurum videtur, illuminent. Dominus noster IESVS-CHRISTVS, qui tantam gratiam Beatissimo Confessori præstitit, per ipsius intercessionem veniam nobis peccatorum largiri dignetur, & sit Beato Dalmatio Confessori Domini misericordia & veritas in vitam æternam, in sæcula sæculorum. Amen.

VITA S. SEGOLENÆ ABBATISSÆ,

Cuius corpus in pago Albiensium quiescit, & est transitus eius IX. Kalend. Augusti.

INCIPIT PROLOGVS.

SÆpius mente deuota reuerenda mihi sacrata Christo Alyphia cum choro Sodalium Monacharum tibi commisso imperitiæ meæ imperastis, vt almæ matris vestræ Sigolenæ meo studerem stilo texere gesta. Nefas tamen esse credo si tam sancto desiderio minime paream. Quæso ergo vt conatum meum vestris orationibus iuuetis. Igitur Domino iuuante qui dixit: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*, adgredior implere quod postulastis. Et multa quidem ipsius beatissimæ mihi narratione comperta, multa à memetipso visa, nonnulla etiam venerabilium sororum discipularum suarum, quæ ei ab adolescentia seruierunt, relatione prolata didici in hoc opere. Et vt legentibus fastidium amputarem, studui sub compendio breuitatis, rustico quidem sermone de virtutibus prædictæ sanctæ Dei famulæ pauca de plurimis narrans, multis cognitam reddere veritatem. Et si minus expleta vtiliter fuerint quæ præcepistis, meam potius difficultatem quam inobedientiam accusetis. Ecce vt iussistis, habetis exiguam dictionem. Nunc igitur viuendo sequi quisque appetat quod legendo scire festinat. Dignitatem vestram obsecro, vt cùm semel legerint iudicio peritorum deponantur, vt apta legentibus fiant.

Explicit Prologus, incipiunt Tituli Vitæ eius.

I. De habitu sæculari vel conuersatione.
II. De Eleemosynis.
III. De locis Sanctorum.
IV. De Officio vel Vigiliis.
V. De admonitione suæ salutis.
VI. De Proposito castitatis.
VII. De transitu viri sui.
VIII. De consecratione eius.
IX. De renunciatione mundi.
X. De responsione patris.
XI. De ingressu Monasterij.
XII. De resurrectione eius.

XIII. De ieiunio vel abſtinentia.
XIV. De Officijs Monaſterialibus.
XV. De miraculis vel Leproſis curatis.
XVI. De Clerico dæmoniaco liberato.
XVII. De quadam ſanctimoniali à dæmonio liberata.
XVIII. De quadam puella ab inuaſione inimici liberata.
XIX. De ancillis Monaſterij à dæmone liberatis.
XX. De Monacha à dæmonio liberata.
XXI. De quadam fœmina à dæmonio liberata.
XXII. De eius germani viſitatione.
XXIII. De notitia diuinitus deleta.
XXIV. De Monacho quodam de Monaſterio noſtro.
XXV. De puero à dæmonio liberato.
XXVI. De Traſimundo Preſbytero.
XXVII. De puerulo illuminato.
XXVIII. De quadam ſanctimoniali illuminata.
XXIX. De quadam puella contracta & ſanata.
XXX. De eius appropinquante tranſitu.
XXXI. De exhortatione ſuis Virginibus.
XXXII. De felici eius tranſitu.
XXXIII. De exuberatione olei.

Incipit conuerſio ſeu tranſitus S. Segolenæ Abbatiſſæ.

I. Ad conuerſionem ſeu correctionem mortalium multum proſunt exempla bonorum quibus ædificatur homo varias conſectari virtutes; ſi enim ad boni incitamentum diuina quibus admonemur præcepta deeſſent pro lege nobis ſanctorum exempla ſufficerent. Hoc à ſæculis egit rerum auctor æternus, vt famulorum ſuorum famularúmque famam commendaret perennem, & vt futuris temporibus exempla illorum memoriæ commendando ventura ſoboles gloriaretur. Igitur quoniam tantæ matris noſtræ Siggolenæ adgredimur texere geſta, erit noſtrorum arbiter dictorum virtutum largitor immenſus, qui ei munera vitæ perennis gratia ſua largitus eſt.

II. Igitur Beatiſſima Siggolena fuit ex vrbe Albienſium natalibus nobilis, religione nobilior, quæ cum ſuis parentibus breui commanens tempore, & ab ipſis infantiæ rudimentis ſtudioſis laboribus, operibuſque pro ſexu inſtituta, iuncta eſt matrimonio annorum circiter duodecim, ſublimémque genere, diuitijs, moribus Giſlulfum nomine ſortitur iugalem. Nubit ergo terreno homini, nec tamen ſeparatur à Rege cœleſti: plus participatur Chriſto quàm ſociata conjugio; ſubdita Domino, ſemper monita ſectans Sacerdotum, timens à Domino ne degradaretur cum mundi gradu proficeret. Tranſeunte igitur ſpatio temporis iam feliciſſima pro charitate Domini quam prætulerat amore carnis, mundum ex toto odiens, feruens ſpiritu deſiderabat placere Domino, ait ad virum ſuum. O tu vir adoleſcentiæ flammis exæſtuans omnes facultates meas ſuſcipe, tantum vt corpus meum liberum efficias, vt perficiam quod eſt ſecundum deſiderium meum. Et ille adhuc pauliſper ſuſtinere, & cum voluntas Dei fuerit ita poſtea fiat. Et cum ipſe ſancto illuſtrante ſpiritu firmum propoſitum & tam mirabilem & ſubitam conuerſionem frequenter in ea regnare reperiſſet, gratulans de eius excellenti deſiderio: ſciens hanc eſſe mutationem dexteræ excelſi ait: Manus Domini qui potens eſt, dirigat omnem actum tuum in bono. Age ergo quod agis, operare quod operaris. At illa gaudens ab eodem talem ſe percepiſſe licentiam, quod iam ex multo tempore cupiebat valdè & deſiderabat pro conſeruando continentiæ propoſito glorificauit omnipotentem Deum.

III. Ex illo namque tempore ſciens eleemoſynis cœlorum regna poſſe mercari ſe ſua cum facultate eleemoſynæ dedicauit, apud quam nec egeni vox inaniter ſonuit ſæpe donans indumenta, membra Chriſti degere ſub inopis veſte credens. Hoc reputans ſe perdere, quidquid pauperi non dediſſet. Tendens ad hoc animum ad opus miſericordiæ, infirmos viſitabat, peregrinos aduenientes gaudens ſuſcipiebat,

in itinere sumptus administrabat, in pauperibus omnia gaudens dispensabat, vt læta diceret: *Dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

IV. Quid beatissima egerit circa sanctorum exempla quæ eloquentia suppleat? qui sermo explicet? quàm se monstrauit munificam, è vestibus & ornamento quod clariore solebat cultu ferre in sæculo, sacra componebat altaria, & quod deinde supererat, Monasterijs dispensabat.

V. Erat enim vera Dei cultrix, & necesse erat vt quam Dominus perfuderat gratia ab omnibus amaretur. Christo igitur quotidie sedulum exhibebat officium. Et si sederet in prandio excubans iugalem (f. accubans jugali), casu aliquo vt Domino redderet debitum, se subducebat conuiuio, quidquid fieret leue reputans, tantum ne Christo vilesceret.

VI. Quodam tempore adueniente quodam fratre in vrbe iam dicta religiosa gratulatione beatissima cum reuerentia, vt patrem suscepit spiritualem. Et cum pollens esset ingenio, statim spiritualiter ab eo requirit dicens: Animam meam saluare volo, doceme obsecro viam iustitiæ. Et ille: In diuina potestate consistit, cui velit Dominus doctrinæ verbum dare potens & clemens Dominus magnum & verum in animo tuo posuit desiderium, qui solus potest perseuerantes innouare perenniter & beatificare. Igitur qui secundùm Dominum vult viuere, non quod ei carnaliter delectat, sed quod spiritualiter ædificat, facit & quidquid cœpit, aut agit non vult ex sua, sed ex Dei sui voluntate procedere, totis viribus concupiscit.

VII. Tunc illa in timore Christi dedita nempe Spiritu Sancto plena credens sibi à Domino impetrare opportunam virtutem continentiæ, ait: scio pater quia à Domino continentiæ virtus datur: nostrum verò est petere, suum concredere. Ipse Dominus dixit: *Petite & accipietis.*

VIII. Nec longo pòst tempore defunctus est vir eius; plangunt serui dominum, affines propinquum; tota quippe domus erat in luctu. Illa autem beatissima sepeliuit eum diligentissima sepultura. Fuit sancta subdita viro suo annos circiter decem, de cuius obitu quasi grauiter contristabatur, consolabatur à parentibus, & ipsa dicebat illis: nullomodo consolabor, nisi permiseritis me omnem sollicitudinem contemnere sæcularem. Illi non causæ religionis insistunt, sed denuo conjugij iura sollicitant, vt cum ipsa postmodum temporaliter gloriarentur. Erat interea iurgiũ in sanctum propositum Dei famulæ & parentum sæcularem conflictum. Elegit venerabilis potius Monasticam ducere vitam, quam in propria domo viuere cum periculo castitatis. Parentes eius cùm se iam victos cernerent, nec possent resistere suæ proposito voluntatis, volentes nolentésue cui obsistere non poterant sancto eius desiderio abdicata propria voluntate satisfaciunt. Exultauit autem sancta gaudio magno de consensione parentum, & sic in omnibus libera effecta gratias agebat Domino.

IX. Eo sub tempore directam legationem à Pontifice prædictæ vrbis suæ miserunt parentes, vt ipsam mutata, veste Domino consecraret, qui eorum agnita voluntate, manu superposita consecrauit Diaconam. Cúmque largita sibi à Pontifice benedictione domum remeasset, cœpit peregrinationem desiderare memor illius Domini imperij ad Abraham: exi de terra tua & de cognatione tua & de domo patris tui, & vade in terram quam monstrauero tibi. Mox religiosissima cum lacrymis inclinata ad genua patris sui nomine Criamsici, accensaque sancto Desiderio his verbis alloquitur: Gloriam huius sæculi, quæ sicut flos fœni transit, & falsas mundi diuitias pro amore regni cœlestis inspirante Domino nostro IESV-CHRISTO, qui omne bonum tribuit delibero contemnere iuxta dictum sancti Euangelij, sæculóque renunciare & iugum Christi quod ferentibus bene est, ferre cupio & liberari de sæculo compedibus namque adjuta conniuentia parentum & vestro permissu sociare me in sancto ouili consecratis Deo Virginibus & ab omni inquietudine sæculi absolutis decreui, vbicumque reperire potuero, rectius Christi Domini seruare mandata.

X. Audiens hæc pater eius mirari cœpit ignitum igne Domini desiderium eius & cordis ardorem. Ipse verò cùm esset senex, de suaui eius eloquio & visione eius animo non satiabatur & propter sanctum propositum etiam fiendi præ gaudio fiebat necessitas. Et subito subintrat ei Deifica inspiratio vt suo opere cum fidei gratia Cœnobium vbi ipsa degeret loca amœnissimo in prædio suo cognomento Trocla-

Digitized by Google

ris construeret, quod itaque Domino prouidente & iuuante factum est. Et consolabatur eam paternam affectionem, & hortabatur, vt in Domino semper fideret, & eius vsque imperijs efficaciter obediret: nam exulem fieri de propriâ regione non permisit.

XI. Eo itaque tempore Beatissima Segolena pulsare cœpit, vt ad desideratum locum peruenirет. Itaque domos reliquit proprias progressa cum sodalibus suis Christo duce cum præcedente psallentium choro. Quantes omnes cum fide robusta accedunt, & valdè propter venerabilem eius sanctitatem suscipit eam honorificè pater eius. Dominus autem qui fidem & constantiam ancillæ suæ præuideret ac bonum eius propositum ad effectum perduxit. Ingressa est ergo locum ad quem cum venisset cum suis resedit, ibique solis orationibus & ieiunijs vacare cœpit mortificationem in suo corpore ferendo, vt vberius exemplum monstraret. Et non post dies multos congregat ibidem sanctissima non paucas Monachas, qui in ministerio Domini hymnis & canticis spiritalibus Christum laudarent.

XII. Transacto itaque paruo temporis interuallo, elegit beatissima simul cum suis omnibus secundùm priscorum Patrum instituta regulariter viuere: quod & præstitit ei Dominus qui voluntatem timentium se perficere consueuit, & iuxta Apostoli dictum communia multitudini omnia erant. Illuc nobilium quæque libenter vndique concurrere nitebantur, vt exemplo eius faleramenta sæculi præsentis & pompam facultatum contemnentes, æterna præmia caperent: cúmque iam multarum Monacharum societas densaretur, instituitur dies qua se sancta Segolena intra septa Monasterij, vt mos virginum est, deliberauerat retrudi. Affuit etiam plebium multitudo, omnes gaudent, omnes exultant de eius glorioso proposito.

XIII. Ex ea die qua Religionis sumpsit exordium cœpit esse in vigilijs prompta, in obseruatione sollicita, in obauditione festina, in labore deuota, in humilitate præcipua, memor præcepti illius: Qui se humiliat exaltabitur. Tanta pietas, charitas, mansuetudo, modestia, lenitas, atque sobrietas in ea redundabat, vt si quis cuncta percurreret, ipsam prædicaret tam Confessorem, quàm Martyrem. Ergo venerabilem præter diem Dominicum fuit illi solitum, vt *iuxta institutionem* sanctæ Regulæ omnis dies ieiuniorum lenticulæ & oleis haberet edulium. Prima quoque quadragesima quâ se retrusit in cellula, donec fuisset transacta potum præter aquam atque pyratium non bibit. Panem hordeaceum sumpsit; quem tamen ipsa coxit & moluit. Cibus eius legumen & olera, sine olei gutta, exiguæ mensuræ fuit: cilicium etiam semper inhærens interius habebat pro linteo. Iugiter cursim decantans discalceata peragebat vigilias ante se cinerem stratum superjecto cilicio habens ad caput lapidem pro puluillo hoc vtebatur & pro lectulo. Parum ei videbatur hoc sustinere corpusculum. Alijs quadragesimis qualiter gessit per singula quis enumeret cùm sint infinita? Nam ex quo tempore consecrata est semper vitam duxit per discretionem austeram vsque ad terminum vitæ, ne forte attritione nimia solueretur memor illius verbi, non in solo pane viuere hominem, sed satiari verbo vitæ & velut affluente dape abundare.

XIV. Illud quoque quàm deuotè prouidebat pro salute sua in proximis salutem impendere non est silendum. Infirmantibus suis viribus seruiebat ipsa cibos decoquens, ægrotis facies abluens, calidum porrigens, visitabat quod fouebat. Credebat se minorem sibi si se non nobilitaret vilitate seruitij. Nam de officiis Monasterialibus in quantum carnis fragilitas non obstabat, nihil sibi placuit nisi prima seruiret. Inter omnium earum Monacharum & religionis studio & regularis disciplinæ cultu prçcipua habebatur.

XV. Illud quod occultè gessit proferatur in publicum. Eo itaque tempore duo leprosi conjuges iam cognita bonæ eius opinionis fama habentes secum vnicam filiam, deuotè venerunt ad Beatæ præsentiam prostrati ad eius genua, vt dignaretur pro illis Dominum deprecari exorant. Respondit illis benevolè: Ille qui dixit, volo, mundare, simul & potest vos curare. Quid plura sequenti die cùm ipsi signo facto se proderent, iubet sancta secretissimè vix duabus testibus balneo parato intra fores Monasterij sic vt nemo perciperet, & à seruientibus in calidam aquam deponi illos. Remansit autem cum duabus sed seruiente se sola, ægroti simul cum medica. Quantum est licitum fœminis à capite vsque ad plantas succin-

Digitized by Google

cta linteo infirmorum membra conbajulat, capita lauans, purgans cutis putredines. Fugabatur lepra, deinde morbidi, quos depoſuerat, exeunt ſalubres de tepida. Poſtero ad Eccleſiam veniunt cute nitentes gratias pro ſanitate quam receperant Deo agebant. Iubet ſanctiſſima occultare miraculum, quod iam pene tota ciuitas referebat in publico, nec paſſus eſt omnipotens Deus lucernam occultari ſub modio.

XVI. Eo igitur tempore quidam iuuenis Dadulfus nomine ſuppreſſionem Monachi ad omnem humilitatem atque innocentiam mentitus acceſſit, habitauitque aliquandiu cum venerabili viro Euantio Abbate in communi cum fratribus ſuis exigentibus meritis correptus à dæmone eſt. Dum ab inimico nequiter torqueretur ad Troclaris Monaſterium inter manus ad ſanctam Siggolenam defertur curandus, nec data dilatione promeruit quod petebat.

XVII. Poſt aliud ſimile miraculum quædam puella dum ab aduerſario grauiter vexaretur, ſequenti die ſancta Siggolena orante noua Chriſti curatione per ſummitatem verticis & crepantem cutem vt cœnomyia foras aduerſario exeunte ſana eſt reddita. Hoc nobis præſentibus eſt actum.

XVIII. Adijciatur laudi quod non defuit merito. Quædam puella nomine Cauriola ancilla iam dictæ cellæ dum inimici inuaſione grauiſſimè laboraret, & vix ad Dei famulam potuiſſent hoſtem rebellem adducere iubente prædicto viro Cramſico genitore eius in oratorium Beati Martini introducitur & eum ingenti vociferatione ſtatim proclamat: Quouſque non ceſſas perſequi nos, Chriſtiana? Tenentes namque ſe cœpit manibus calcibúſque cædere. Tum ad orationem mox beata proſternitur. Poſt orationem verò quam cum lacrymis fudit, commota pietate & fide plena adprehendit manu ſua eam & qui timebatur extimuit. Confeſtim fugato dæmone integram recepit ſoſpitatem.

XIX. Nec illud prætereatur quod eſt facto ſimillimum. Poſt aliquantulum verò tempus duas mulieres ancillas præfati Monaſterij Pallideam & Palladiam à dæmone horribiliter correptas per eandem famulam ſuam Dominus curare dignatus eſt.

XX. Cœpit exinde infirmantium cohors ob ſanitatem redintegrandam eam frequentare, quæ omnium petitionibus parens orationum medicamine cunctorum ad ſe venientium infirmitatibus diuino fulta auxilio curando ſubueniebat. Exin paruo tempore interualloque ſanctimonialis de Rutenæ vrbis territorio Baudolena nomine, dum annis plurimis energumena torqueretur, inſpirata diuinitus rogauit ſe ad ſanctæ Siggolenæ præſentiam duci. Cùm veniſſet, præſentatur & traditur ad genua eius aduoluitur flebiliter rogans, vt Dominum pro ſalute ſua exorare dignaretur. Incumbit Beatiſſima Siggolena ſine mora orationi congregatio tota proſternitur intantum mora fuit dum de oratione conſurgitur adeſt diuinitas, fugatur inimicus & poſt eandem diem ſine vllo erroris indicio in eodem Cœnobio ſuſcepta Chriſto ſubdita vitam finiuit.

XXI. Quis numeret mirabilia quæ Chriſti per eam operatur clementia? Quædam mulier nomine Ramnoalda, dum iam longo tempore grauiter diabolica inuaſione vexaretur, vix ad beatæ præſentiam perducitur, voce flebili orat, vt à vexatione ipſa eius mereretur orationibus liberari. Iacebat per triduum iam examinis & nihil proficiebat. Quidam verò frater dixit Beatiſſimæ: Omni animæ miſereri vtile eſt. Imperat denique pater, vt pro infirmæ ſalute exueret quo induta erat cingulum, & ex ipſo cingeretur ne inobediens patri appareret non cenodoxiæ acta vitio, ſed eius parendo imperio exuit ſe & cinxit eam, adhibitíſque ſimul ſororibus pro ea Domini miſericordiam deprecatur. Statim oratio interceſſionis impletur & mulier ab inimici inuaſione illico liberatur. Celare Sancta Siggolena humiliter volebat & Domino reddere honorem. Accepta ergo mulier ſanitate omnibus rem geſtam patefecit.

XXII. Quadam verò die germanus memoratæ Dei famulæ Sigibaldus nomine virtute venerabilis ad eandem gratiam exhortationis atque ædificationis cogente charitate acceſſerat, qui diligebat eam valdè quem beatiſſima cum gaudio omni, vt virtutem Domini ſuſcepit. Interea cum omni affectu docebat eam ſpiritualem doctrinam. Poſt ſermonem autem ædificationis, facto iam veſpere eum multis precibus rogat, vt ibi nocte ipſa maneret. Quod vir Dei fieri cum magna

humilitate prohibuit. Cúmque hoc Dei famula audiſſet, triſtata ad diuinum auxilium ſe contulit, móxque ingreſſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis eſt Eccleſiam ibique orationi incubuit: ſed omnipotens Deus qualis eſſet oſtendit: nam paullò poſt orationem eius pluuia in locum eumdem ab Oriente venit enormis valdè. Tunc vir ipſe videns inuſitatam pluuiam ſe ferre non poſſe, manſit ibi nocte illa: ſicque intellexit dona diuini muneris eius meruiſſe fidem cuius rei teſtis ipſe & pluſquam plures alij ſunt.

XXIII. Proferatur in medium quod gratuletur religio. Eodem tempore cùm quidam frater viſitationis gratia ad eam conueniſſet & dulcia ſibi inuicem verba vitæ transfunderent & ſuauem cœleſtis patriæ cibum in conſolatione guſtarent, ait B. Siggolena: Multi, Pater, vt non ignoras vitam ſiue crimine habere poſſunt, ſine peccato non poſſunt, Apoſtolo atteſtante qui dixit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus & veritas in nobis non eſt: ſed quæſo te pro me Dominum deprecare, quia ipſe promiſit dicens: Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis & euenient vobis: illico paruis minimiſque peccatis ſine quibus eſſe non poſſumus cùm grauia deeſſent, memor illius Pſalmographi præconij: Peccatum meum cognitum tibi feci; quæque geſſit lacrymans confitetur, cœpítque cum cordis humilitate depoſcere, vt ex fide quæ eſt iuſtitiæ fundamentum, notitia ex ipſis fieret & ſub annuli ſignaculo diuino ſuper altario poneretur. Quid inter hæc frater ageret anxio corde penſabat: armauit mentem fides, docuit impetrare, opportuno ſigillo ſignatum opus pluribus præſentibus, de quorum religione nihil dubitabatur, ſacro commendauit altario. Pene quotidie ſalutarem hoſtiam pro ea eodem anno obtulit, ſeſeque lacrymis ipſe afflixit, vigiliis, ieiuniiſque confecit, piè petenti larga ſubuenit poteſtas. Peracto temporis ſpatio natalis Dominici die expectantibus, qui nunc dono Creatoris ſuperſunt, viris venerabilibus, ſummo quoque Chriſti Præſule germano eius, necnon nibili viro Giſloande Abbate in eorum præſentia tracta eſt notitia, ſolutum ſignaculum, ſic fides & oratio meruit vt æterni Iudicis virtus qui culpas examinat, fidelis ſuæ famulæ vniuerſa ablueret delicta & paginolam candori redderet priſtino. Conditori agit gratias qui ſic quæſitâ dona largitur.

XXIV. Alio quoque tempore puella pauper ſpiritu ad conuerſationem venit, quam beatiſſima libentiſſimè ſuſcepit. Breui tempore Monachatum virtutes exæquauerat. Interim ſubijt in ea cogitatio injecta per diabolum & permanere in Monaſterio nolebat. Quadam die furtim de congregatione diſcedere volens, illico impletur à dæmone, ſed trementem ad Monaſterium reduxerunt ſorores. Cùm coërceri in ea ſpiritus immundus non valeret, neceſſitate cogente magnis funibus alligatur. Non immerita pœna fuit fugitiuæ, vt quam non cohibuerat fides, funis cohiberet. Incumbit Beata Siggolena ſine mora orationi, tota congregatio proſternitur, obtinetur obſeſſæ curatio. Quæ ſtatim promiſit nunquam ſe eſſe à Monaſterio receſſuram, atque ex hora eadem in ſua promiſſione permanſit.

XXV. Quodam autem tempore, hoc eſt cùm eſſet dies Letaniarum, venerabiliſque in vnum plures Chriſtianos collegerat, erat ibi Dux germanus eius Babo nomine, nobilitate & ſapientia pollens, qui per Albica arua incolas gentes regebat. Dum Tertia celebraretur, mox illuc ingreditur vnus è populo cuius faciem ſcio, nomen neſcio, qui dæmonio arreptus coram omni populo vexari cœpit & magnis vocibus clamare dicens. Huc miſſus ſum vt debeam mundari. Hunc propinqui illius flentes Omnipotentis Dei famulæ Siggolenæ obtulerunt. Quo ſuſcepto multis ſe diebus ac noctibus in oratione dedit, nec poſt multos dies ita ſanum atque incolumem reddidit, ac ſi eum proprium diabolus numquam habuiſſet: Diuino itaque purgatus eſt auxilio.

XXVI. Eo quoque tempore quidam Preſbyter nomine Tranſimundus oculorum lumen amiſerat, ita vt omnino nihil videret. Admonetur in ſomnis, vt ſignaret B. Siggolena eius oculos. Nocte verò eadem euigilans de ſopore cum mane facto ſurrexiſſet, præcipit domus ſuæ familiariſſimo, vt eum duceret in Beatæ Siggolenæ præſentiam. Venit itaque & aduoluit ſe pedibus eius, atque orauit, vt pro eo Domini dignaretur implorare clementiam. Fit communis omnium dolor. Ancilla autem Chriſti Siggolena plena Spiritu Sancto inuocans Trinitatem, orationem breuiter fudit. Mox euacuatum tenebris lumen virtutis impleuit, ita vt tra-

Digitized by

ctus cùm veniſſet, nullo ducente recederet. Exultant parentes miraculo.

XXVII. Alio quoque tempore dum oculis quidam puer nomine Vaſſus lumen amiſiſſet, ad hanc omnipotentis Dei famulam Siggolenam deductus interceſſionis eius opem petiit & impetrauit. Tunc beata Siggolena ſolito more pro eodem in oratione proſternitur. Facta oratione eius oculos oleo ſacro perunxit: illico luce reddita vox cæteris abſceſſit.

XXVIII. Eodem namque tempore quædam ſanctimonialis Sigiturdis nomine, cùm lumen amiſiſſet oculorum, orans B. Siggolena ad Dominum pro ea ſuaſque lacrymas inſtillans oculos eius ſacro perunxit oleo, & protinus vidit.

XXIX. Infelix & infirma ancilla prædictæ puellæ manibus, pedibúſque contractis per terram reptabat, pro quare quadam die pedibus B. S. parentes eius proſtrauerunt dicentes. Confidimus tibi à Deo nihil eſſe negandum: funde pias pro ea preces & ſalua erit. Quo audito, mota pietate & compulſa parentum lacrymis voluit B. S. denegare. Sola tamen ad orationem proſternitur. Cúmque orationem compleſſet, porrecta manu leuauit puellam pedibus ſuis atque omnibus membris recuperatis ad hoſpitiolum ſuum incolumis ambulauit. Nam quantis virtutibus enituerit, quis valeat enarrare?

XXX. Iam vt ſpero etſi ſenſu ruſtico prolixius ſermonem de ſanctæ matris conuerſatione produximus, & tamen eius meritis digna præconia non valuimus narrare, nec enim paucitatis meæ ingenium aut memoria ſufficit vniuerſa eius ſpiritalia ſtudia vel in amore Chriſti profuſum deſiderium pronunciare vobis. Sanctiſſima enim benigna & ſincera conſcientia quidquid aliis præcepit, ipſa fecit omnia propter Dominum & impleuit, vt in die iudicij ei eſſet retributio conferenda, orationi, lectioni, prædicationibus & eleemoſynis inceſſanter inſiſtebat, nec docuit verbis quod non impleuit exemplis. Nam vultu inſiſtebat ſemper placido & Angelico, ita vt ſecundùm ſcripturam corde lætante vultus floreret, numquam otioſa ab opere Dei eſſe voluit, vnde merito corona gloriæ coronatur. Sed quia me iam ad finem & felicem eius tranſitum perducit oratio, pauca perſtringam. Factum eſt autem cùm iam multas in mundo ſuſtineret tribulationes, ſecundùm quod ſcriptum eſt, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris fidem conſeruans, curſum conſummans, repoſitam à Chriſto coronam iuſtitiæ expectans ſibi reſtitui, deſiderabat diſſolui & eſſe cum Chriſto.

XXXI. Cùm infirmitas eius per dies iam plures extenderetur, collecto ſanè communi cœtu Virginum dicit eis: Iam diſſolui cupio, & eſſe in requie. Vos autem moneo viſcera mea dulciſſima & ſancta membra in Chriſto viuite & cum timore Domini ſpiritalem regulam perficite. Scriptum eſt enim: Maledictus homo qui facit opus Domini negligenter. Certate introire per anguſtam portam; modicum laborate, vt multa recipiatis. Contemnite terreſtria, vt cæleſtia conſequamini. O filiolæ meæ obedientiam cuſtodite, quia inter omnes virtutes vindicat principatum. Caritatem Dei habetote in inuicem, humilitatem amate, ſuperbiam abominamini propter quam & Diabolus proiectus eſt. Fidem tenete incommutabilem: hæc eſt enim fundamentum omnium virtutum: ſanctificationem animæ & corporis cuſtodite ſine qua nemo videbit Deum. Memores eſtote vt ſicut nunc tenetur ordo, vſque ad conſummationem teneatur. Valete in pace & retentationis ſoluite obſtacula, vt mihi iam pateant cœleſtia regna.

XXXII. Cúmque per ſingulos dies languor ingraueſceret, ſexto die venit vir Dei germanus eius Sigbaldus Epiſcopus ad videndum eam. Cúmque iam halitu careret fida de cœleſti munere quod longo famulatu quæſierat Dominici Corporis & Sanguinis perceptione ſuam animam muniuit: Pſalmum quinquageſimum ipſa impoſuit & pſallere ſuas præcepit Virgines. Sic comprecantis voce ad Dominum Spiritu Sancto mouente intuens cœlum, ait: IESV-CHRISTE vnica ſpes orbis tui hunc gregem multiplica & perduc me ad regnum gloriæ tuæ. Eadem hora exitus ipſius multæ Sanctimoniales eius lectulo circumſteterunt cupientes eius beatum videre exitum, & viderunt faciem eius quaſi faciem Angeli. Scriptum quippe eſt. Qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendebunt, extenſiſque in altum manibus cœlum intuetur repente mortalibus oculis fatetúrque & certiſſimè confirmat ante lectulum ſuum IESVM-CHRISTVM Dominum conſtitiſſe nimio ſplendore amictum. Cumque in eum intenderet quem videbat Sanctæ Siggolenæ

anima è corpore est egressa Angelorum consortio coniuncta, ascendens in cœlos gaudens. Quod signum alia signa sunt comitata. Cùmque corpus eius ex more ad lauandum fuisset nudatum, tanta subito fragrantia in eodem loco miri odoris aspersa est, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congregata & illic inhabitantes deambulantésque satiaret & ostenderet illuc auctorem suauitatis venisse. In prædio eius proprio loco tutissimo cognomento Insula, in quo genitor eius fabricauerat Ecclesiam Christo, & ipse constituit prædia quæ susceptionibus peregrinantium deseruirent. Illic iussit suum deportari corpusculum, vbi ipsa sanctarum ancillarum Dei multa sepelierat membra. Subitò eius agnito obitu, tota pœne ciuitas prorupit in lamentum, pater filiam lamentabatur, sororem fratres, dominam serui. Infertur corpus feretro, vox in laudem Redemptoris effunditur. Tandem egressis cubiculum Domini famulabus & gentibus, sanctum corpusculum ad locum prædestinatum sepulturæ tradiderunt, ante cornu altaris deposuerunt & cum omni gloria sepelierunt. Tunc chori Virginum sua tundentes pectora, dantes mugitus proclamabant: O mors dira eur tantos hodie perimis dum à nobis aufers sanctæ Matris nostræ præsentiam! Longum est narrare per singula quanta & qualia inibi sine intermissione miracula almæ Matris Sigolenæ hactenus cernimus coruscare. Cùm enim iam propter humata nobilia membra locus ille sanctificatus singulariter meruit illustrari, non distulit omnipotens testimonium boni operis eius meritis iugiter post obitum adhibere.

XXXIII. Cùm semel ad sepulcri caput vas vitreum custos Ecclesiæ aptasset, vltra mensuram exuberans quàm vas capere poterat dono gratiæ liquorem olei reddidit die crastina custodibus fœnore multiplicato. Extat per tempora cunctis ad gaudium fidelibus ad præmium, ægrotis ad remedium. Nam illius merito diuinum munus oblatum vas olei perfusum iugiter exuberat, vbi sepulta corpore quotidianis miraculis coruscat, ægri veniunt & sanantur, dæmoniaci veniunt & liberantur, leprosi veniunt & mundantur, elingues veniunt & loquuntur, febricitantes veniunt & sanantur. Quin & in eo tugurio, vbi prius habitauit nunc vsque si petentium fides exigit, miraculis coruscat, præstante Domino nostro IESV-CHRISTO, cuius honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

VITA S. EPTADII PRESBYTERI ET CONFESSORIS.

Qui obseruatur IX. Kalend. Septembris.

IGitur Sanctus Eptadius Augustodunensis Heduæ Galliarum oppidi ciuis fuit; sed intra terminum castri Maternensis siue Elobrenensis nutritus vel eruditus est parentibus secundùm sæculi dignitatem non minimis, sed bene ingenuis censusauiti substantia locupletatus. Parentibus procreatus quorum singulariter præcellens integritas morum ad Senatorias etiam viguit dignitates, in ipsis puerilis adhuc ætatis suæ annis æternitatis ei limina præpatescunt. Cum ergo esset annorum duodecim, nescientibus parentibus eius, ad disciplinam fugit Scholarem, ibique se ipse magistro infantiam ætatis suæ tradidit sacris literis edocendam. Et post pauca tempora Scholares in tantum coæquauit, vt etiam omni scientia literarum omnes longè præcelleret. Illustrabat eum diuina sapientia & prudentiæ spiritalis gratia decorabat: nam cùm esset annorum quindecim, tanta gratia Dei erat repletus, vt omnes vicini & propinqui, sapientiam eius cum amore & caritate diligerent: & cùm esset annorum viginti, crescentibus annis iam vicini ad matrimonium eum cohortabantur, cùm elegans corpore elegantior etiam mentis flore polleret & moderatæ gubernationis alacritate temperans, &c. *quæ tam absurdis erroribus imperitia amanuensis inficeti vitiata sunt, vt ne ipse quidem Apollo medicinam facere possit.* Erat beatissimus vir totius prudentiæ in sermone verax, in iudicio iustus, in consilio prouidus, in commisso fidelis, in interuentu strenuus, in veritate conspicuus, & in vniuersa virorum honestate præcipuus. Hunc iuuenes quasi patrem vene-

Digitized by Google

rabantur, hunc ſenes quaſi filium amantiſſimũ diligebãt. Hunc vniuerſitas populorum ad eum confluentes cariſſimo venerabantur affectu. Tanta in eo erat gratia, vt alios triſtes lætos redderet, alios diſcordes ad concordiam reuocaret, & ad perfectæ pacis & caritatis vinculum adduceret. Vniuerſim verò docebat nihil huius ſæculi præponendum Domino, ſed magis quomodo fugitiuæ vitę iſtiuſmodi blandimenta reſpuerent & temporalem tribulationem præſentis ſæculi pro Chriſti nomine ſuſtinerent. Erat enim verus Dei cultor, & neceſſe erat vt quem perfuderat gratia ab omnibus amaretur, Chriſto igitur quotidie ſedulum exhibebat officium diſſeminator eleemoſynarum theſaurum ſibi indeficientem quotidie reponebat in pauperes, erat enim nutritor orphanorum, refugium & protectio viduarum, refectio indigentium, & defenſor peregrinantium, ædificator ac reparator Eccleſiarum Dei. At vbi tanta vbique eius fama præclaruit, hunc ſanctæ recordationis Flauichonus Pontifex (Eufronium fortè intelligit) Preſbyterii voluit honore prouehere. Cuius fama audita Sacerdotii dignitatem ita reſpuit vt nullus ei omnino ex inde vllo ſermone loqui auderet.

Eodem tempore quo ſe ad fluuium Quorandam (quid ſi legendum Coram ?) pacis mediante concordia duorum Regum Burgundiorum gentis & Francorum eſt conjuncta potentia, à Rege Gundobado præcellentiſſimus Rex Francorum Clodoueus ſuppliciter exorauit, vt hunc beatiſſimum virum Dei Eptadium ciuitatis ſuæ Autiſſiodorenſis præſtaret Antiſtitem ordinandum. Cui petitioni vel electioni prædicti Regis ita reſtitit voluntas offenſa, tanquam ſibi maximas vires depoſceret poſſidendas. Tamen propter præſentis concordiam pacis, charitatis intuitu, vt petebat negare non potuit. Cui accepta promiſſione auctoritatis ſtatim eligitur conſenſu vniuerſitatis cleri & populorum : nam Clericorum chorus, cunctáque nobilitas & plebs vrbana vel ruſtica in vnam venere ſententiam Eptadium digniſſimum eſſe Epiſcopum. Quo audito, vir beatus qui malebat latere in ſuis quàm publicari & honorari in populis, totis viribus laborans, & cum clamore vociferans indignum ſe eſſe tantæ molis Sacerdotij hominem peccatorem, ſtatimque cellula ſua derelicta omni pernoctatione ſe proripuit ad deſerta Moruenni, & ad montanam ſolitudinem properauit, ibique multum temporis latens orationibus ac ieiuniis continuatis, Dominum ſupplicabat, vt impleretur in eo quod Propheta cantauerat: *Ecce elongaui fugiens & manſi in ſolitudine. Expectabam eum qui ſaluum me fecit à puſillo animo & tempeſtate.* Et tamdiu in ſolitudine deſerti permanſit, donec iterum ei præfatus Rex cum iuramento pollicitus eſt dicens non ſe vnquam contra voluntatem ipſius eſſe venturum, niſi tantummodo pro regni ſui incolumitate diuinæ clementiæ ſupplicare, & in neceſſitatibus captiuorum, tam Romanorum quàm Burgundionum, vel vniuerſarum gentium, vt cæperat, laborare. Pro qua re ei multam pecuniam poſtea tranſmittens, quam ille continuò captiuis, viduis, orphanis ac peregrinantibus erogauit, ac pro ſummo & admirabili honore Apoſtolatus ad hunc ſe humilitatis & pœnitentiæ gradum vir beatus Eptadius inclinans, vt quod antea ille optauerat poſtea tota gratulatione vſque in finem deuotus impleuit. Non diebus, non noctibus à colloquiis diuinis & oratione ceſſabat, prædicationibus ſanctis ad exemplum Dominicæ compaſſionis confluentium ad ſe turbas diuinis colloquiis reficiebat. Non tantùm Catholicos, verùm etiam paganos ac ferociſſimos barbaros, qui more leonum furentes cum ſuperbia magna captiuos perſequentes aduenientes ſicut agnos mitiſſimos ſuis ſanctis reddebat alloquiis. Ex quibus non pauci bonis omnibus repleti ad baptiſmi gratiam fideliter concurrentes ſancti viri inceſſabiliter ambiebant alloquium, ſuóſque ipſi captiuos vltro dantes tantum vt ipſe Dominum precaretur humiliter ſupplicantes. De Italia redemit captiuorum plurimam multitudinem quæ à Burgundionibus eodem tempore fuerat effecta, & ad locum regionis ſuæ cum ingenuitate eſt reuocata.

Iterum paruo pòſt tempore caſtrum Prouinciæ Lemouicinæ, Idunum nomine, iuſſu Regis Burgundionum à Romanis effractum eſt, in quo non minima enormitas facta eſt captiuorum. Pro quibus vir B. Eptadius ingemiſcens & lacrymas fundens ad Dominum more ſuo, oratione proſternitur Regi Burgundionum Sigiſmundo per epiſtolam imperans, vt auctoritatem ſuam pro ingenuorum animis daret, & obtinuit. Ex quibus nonnumquam fere tria millia captiuorum promiſcui ſexus & ætatis liberati, & ad locum priſtinum datis idoneis proſecutoribus reuocabantur;

vt qui venerant flentes & lugentes Deo gratias agentes per eum cum magno gaudio recuperata libertate sunt reuersi.

Tempore illo quo præcellentissimus Clodoueus Rex Francorum in Gothiam, cum exercitu erat ingressus & ab illo Alaricus Rex Gothorum fuerat interfectus, facta est captiuorum innumerabilis multitudo qui dispersi per regiones sunt dilatati, ex quibus vir beatissimus Eptadius non paruam multitudinem data pecunia liberauit & statim pristinæ ingenuitati restituit.

Quicumque quamlibet cruentis sceleribus prægrauatus ad huius tabernaculum effugit non solum à maculâ commissionis liberatus, verum etiam beatissimi viri alloquiis ad pœnitentiam est reuocatus: ex quibus & complures etiam postea vidimus per eius doctrinam gratia Domini nostri in ipsa religione & sanctitate perpetuùm perdurasse. Curationum verò tam potens in eo Dei gratia fuit, vt nullus fere dæmoniacus aut ægrotus accessisset qui continuo non fuisset pristinæ restitutus medelæ inter reliquas dæmoniacorum cateruas, quas spiritus sancti infusione purgauit.

Quodam tempore cùm de Monasterio sancti Porciani Abbatis ad cellulam suam reliquias exhibebat puella olim muta, id est elinguis ei oblata est, cuius in os olei liquorem cum orationis benedictione perfudit, & melior loquacitas est reddita.

Alio quodam tempore Paulus quidam Presbyter cum ardentissima febrium æstuatione subriperetur ad dilectum Domini Eptadium properans cum summa velocitate concurrit, vt tantos ignium globos virtutum suarum fonte restingueret, S. Eptadius in oratione prostratus fornacem febrium extinxit.

Quoties natalem Domini nostri IESV-CHRISTI annuus indulsit aduentus sacrosancta officiositate transacta omnibus Clericorum & captiuorum cætibus adgregatis dapes adhibebat. Quibus epulantibus, Beatissimus vir Eptadius solita iejunia refectione pascebat. Nec dissimili studio atque labore adueniente festiuitate S. Symphoriani Martyris dum aduixit, assiduè non destitit, celebrare. Cum ergo eius cellula vsque ad vrbem Augustodunensem quinquaginta millia distaret ad sepulcrum B. Martyris venerandum S. Eptadius, ante diem tertium vigiliarum eius adhibitis secum tribus fratribus veniens, ad sanctam eius Basilicam in liminibus sancti Martyris se prosternens, ibique altos gemitus & iuges lacrymas fundens vsque ad horam matutinarum aduenientibus Clericis ad officia celebranda in perpetuum perdurabat.

Ante fere septem dies assumptionis eius, cum iam incommodum habens in stratu suo fessus iaceret cunctis circumstantibus & flentibus descenderunt è cœlo volantes aquilæ & ante eius cellulam resedérunt. *Atque hæc paucis de Sancto, nostris Martyrologis aliisque scriptoribus hactenus ignoto, quantum scilicet magno labore ac tædio ex inculcæ narrationis barbarie, insulsique amanuensis vepretis, colligere potui.*

APPENDICIS FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google